Honos
Erit huic quoque
Luto.
ANDREAS FELICIS OEFE:
L V.
Monacensis.

~~131~~

131.

Ex Bibliothecâ Historicâ Andreæ Felicis Oeffelinj Aº MDCCXXXXIIII.

2° Germ. g.
52.

R

Germ. g. 52.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM

JOHANN MICHAELIS HEINECCII,

ET

JOHANN GEORG. LEUCKFELDI.

CUM VARIIS DIPLOMATIBUS

ET

INDICIBUS

IN

UNUM VOLUMEN

COLLECTI.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,
ANNO MDCCVII.

COTTECT

ΠΙΝΑΚΑ ΔΟΓΠΙΜΕΥ

VA

INDICIBUS

VI

CAVI AVRIS DILIGENTIBUS

ΠΕΠCΚΕΕΠΔΙ

ΙΟΗΥΙΝ CEOBC

MEDIOLANENSIS
BIBLIOTHECA

HEIИECCII

IOHANNIS MICHAELIS

CERMANICA KVLIN

SCRIPTORES

Series Scriptorum & Monumentorum in hoc opere contentorum.

I.

JOh. Mich. Heineccii Antiqvitatum Goslarienſium & Vicinarum Regionum Libri Sex e genuinis vetuſtatis Monumentis tum Editis tum MSC. collecti, plurimisqve Pontificum, Imperatorum, Epiſcoporum & Principum diplomatibus illuſtrati, acceſſerunt auctarium de rebus ab in eunte Seculo XVII, usqve ad Pacem OSNABRUGENSEM GESTIS, & diſſertatio de Crodone Hartzeburgico, Opus ad Illuſtrandam Inferioris Saxoniæ Hiſtoriam non inutile futurum.

II.

NUmorum Goslarienſium Antiqvi pariter ac recentioris ævi Solidorum æqve ac bracteatorum Sylloge e genuinis antiqvitatis monumentis breviter illuſtrata, Joh. Michaeli Heineccio.

III.

RErum Germanicarum Tres ſelecti Scriptores. In primis de vitis & factis CAROLI MAGNI, Imperatoris, nec non WITIKINDI MAGNI, Regis Saxonum, hactenus deſiderati, acceſſerunt etiam Guilielmi Budæi, Doct. Med. Thanatologia, item Capitulatio Osnabrugenſis cum Catalogo omni-

omnium Monasteriorum Ecclesiarumqve in Episcopatu Osnabrugensi, & tandem Acta Formulæ Concordiæ in Cœnobio Bergensi revisæ, qvibus præfixa est Præfatio JOHAN. GEORG. LEUCKFELDI, Pastor. Prim. Gröning.

IV.

Gründlicher Bericht von denen nacheinander empor gekommenen / und wieder gestürtzten vielen Monarchien / sonderlich denen jenigen die von dem ersten Menschen-Jäger Nimrod an bis auf den Perser Cyrum im Orient geblühet / als da sind / die Egyptische / Israelitische / Syrische / Aßyrische / Chaldäische / Medische und Lydische / sammt noch mehr geringern Reichen / zu desto besserer Erläuterung / der Heil. Schrifft altes Testaments / und vielen weltlichen Autoren / mit allerhand curieusen Anmerckungen / und einem Anhange von dem gefährlichen **Königs-Abel** der Monarchischen Hersch-Sucht hoher Potentaten / in gebundener Rede / ausgefertiget von Caspar Abeln.

Joh.

JO. MICH. HEINECCII
ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM
ET
VICINARUM REGIONUM
LIBRI SEX
EGENUINIS VETUSTATIS MONUMENTIS TUM EDITIS TUM MSC. COLLECTI, PLURIMISQVE
PONTIFICUM, IMPERATORUM, EPISCOPORUM ET PRINCIPUM
DIPLOMATIBUS ILLUSTRATI.

Accesserunt

AUCTARIUM DE REBUS AB INEUNTE SECULO XVII. USQVE AD

PACEM OSNABRUGENSEM GESTIS,

ET

DISSERTATIO DE CRODONE HARTZEBURGICO.

OPUS AD ILLUSTRANDAM

INFERIORIS SAXONIÆ HISTORIAM

non inutile futurum.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
ANNO MDCC VII.

BAYERISCHE
STAATS
BIBLIOTHEK
MÜNCHEN

BAYERISCHE
STAATS
BIBLIOTHEK
MÜNCHEN

PER-ILLUSTRI ATQVE EXCEL-

LENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

DANIELI LUDOLPHO

LIB. BARONI DE

DANCKELMANN,

POTENTISSIMI PRUSSIÆ REGIS CONSILIARIO STATUS INTIMO, SUPREMO REGIÆ MILITIÆ COMMISSARIO, RERUM ECCLESIASTICARUM DIRECTORI, CONSISTORII BEROLINENSIS PRÆSIDI, NEC NON ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ CURATORI SUPREMO.

DOMINO MEO BENIGNISSIMO.

VIR PER-ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME.

Heri non posset, qvin impolitus, qvi TE nunc supplex adit, liber, vivaqve verecundi tremuliqve mei animi imago, aut gratiosum despe-raret admissionis officium, aut ad tam venerandi vultus adspectum cohorresceret, nisi IPSE TUO incredibili in bonas literas favore velut publico mo-nimento dudum confirmasses, patere omnibus aditum, qvicunqve bonæ mentis studiosi virtute comite sine trepidatione ad TE viam adfectant. Qvamvis enim eo TE culmine statuerit summi, qvod omnia mode-ratur, Numinis arbitrium, ut sacræ illæ TIBIqve uni ferendæ curæ in tot provinciarum salutem ac felicitatem qvotidie efflorescant: est tamen hoc TIBI a natura concessum, ut & humilia pariter serena facie respi-cias, artibusqve pari providentia consulas siderum ad instar, qvorum salubriore influxu non vasta tantum orbis corpora, sed & eorum singulæ partes animantur. Reipublicæ decus affers, VIR PER-ILLUSTRIS, in toga & sago, nec minus Ecclesiæ adsides gubernaculis, communi cum Academia clavo dirigendæ, ut omnibus luculenter constet, patriæ bono TE natum esse, sive armorum leges, sive legum arma, sive leges & arma Ec-clesiæ intueamur. Enimvero ita fert natura, ut humanitas metum in-tra spem contineat, & qvod lumine e blando Phari portu semel ostenso fieri solet, omnes eo cursum alacriter dirigant, radiis longinqvi luminis invitati, mox tutamine securi nunqvam facile violando. Et cur ego nunc trepidem infelix Nauta, variis tempestatum procellis adhuc jacta-tus, cum TE, VIR PER-ILLUSTRIS, non dicam Pharum, sed eminentis-simum illud Bonae Spei Caput longius spectare fausto omine contigerit.

Patere

Patere igitur incultum librum, abjectæqve ſuæ ſortis alias qvam maxime ſibi conſcium, in ſinum TUUM convolare. Patere, inqvam, obſecro, patrocinii TUI portum etiam ignoto ab homine adiri. Non gazas fero, ex aureo Africæ littore aut regionibus alio ſole peruſtis advectas, non utrinsqve Indiæ ſplendida munera: Antiqvitatis obſoletæ reliqviæ ſunt, qvas vides, Germanicæ ſunt, Eccleſiaſticæ ſunt, ex pluribus archivorum latebris erutæ, ac velut in publicum orbis commercium maxima ex parte nunc primum productæ. Hæ vero ecqvem Patronum ſibi aut ambire aut ſperare poterant, TE benigniorem, qvi & ANTIQVÆ virtutis & eruditionis, & GERMANICÆ gloriæ, & qvæ prima in rebus humanis eſt, ECCLESIÆ es ſtudioſiſſimus, adeo, ut harum rerum tractatione occupatus animus non potuerit non ſubinde TUI, tanqvam abſolutiſſimi harum pulcherrimarum virtutum exempli, meminiſſe. Hujus incitati affectus ſubmiſſiqve cultus ego ſervantiſſimus, Deum indefeſſis exorabo precibus, ut TUA, PER-ILLUSTRIS DOMINE, conſilia in Eccleſiæ, reipublicæ & bonarum literarum felicitatem pleno alveo exundantia ſuæ ſemper gratiæ lumine ſerenet, TEqve ipſum qvam diutiſſime florentem præſtet, incolumem, beatum! Certe non magis ingrata Deo caſta hæc vota ſpero futura, qvam TIBI hæc tenuis libamina, qvæ pura mente venerabundus offert

PER-ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

Goslariæ IV. ID. Mart.
CIↃ. IↃCC. VII.

Humillimus Cultor

Johannes Michaël Heineccius,
ad SS. Petr. & Paul. V. D. M.

JO. MICHAEL HEINECCIUS
Lectori Historiarum amanti.

PRodeunt demum in conspectum tuum, Benevole Lector, *Antiquitates nostræ Goslarienses & vicinarum regionum, inprimis ecclesiasticæ,* in qvibus qvid præstitum a nobis sit, paucis te hic in ipso vestibulo monere, utriusqve nostrum interesse visum est. Paucis vero me omnia dixisse crediderim, hoc unum si dixero, duarum præcipue rerum in scribendo me habuisse rationem, *veritatis* nimirum, & *utilitatis*, qvæ virtutes ita cadere videntur in historiam, ut alterutra si absit, historia qvæ est, historia esse desinat, & vix tam sacrum nomen tueatur. *

* *Lucian. πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν. p. 373. Tom. II. Opp.*

Primo igitur Ciceronis legibus obsecutus, id dedi operam, ne qvid aut falsum dicerem, aut verum non dicerem. Illud enim ingenii vel data opera ineptientis vel stupidioris; hoc servilis animi calamiqve venalis esse videbatur, qvam ego suspicionem ame qvam longissime abesse volui. Hinc tantum abest, ut scripta proletaria, aut chartas anilibus fabulis deformes, e trivio compilaverim, ut ipsa antiqva monumenta, inprimis diplomata lustrare habuerim antiqvissimum. Recte enim a celeberrimo Mabillonio dictum noveram: * *Præcipuam diplomatibus fidem, si modo vera & genuina fuerint, tribuendam esse censent omnes, maximè qvantum ad rei transactæ circumstantias & ad res chronologicas attinet, qvæ nullo aliunde certiori testimonio, qvam ejusmodi monumentis resciri & confirmari possunt.* Qva in re Viro eruditissimo calculum etiam suum adjecit is, qvi nuper admodum totam ejus Artem diplomata dijudicandi magno studio impugnavit, P. Bartholomæus Germon, Jesuita Gallus, ita scribens: * *Verum qvæ instrumenta Ecclesiis ac Monasteriis non possunt esse magno emolumento, hæc eadem utilissima forent Viris eruditis ad illustrandam veterem Historiam Chronologiamqve, si modo vera & falsa ab invicem certis regulis possent ac conditionibus secerni.* Qvæ cum ita sint, nulli labori nulliqve operæ peperci, ut, qvicqvid ex antiqvitate in urbe nostra viciniaqve temporis injurias evasisset, curiose colligerem, fidemqve inde conciliarem historiæ meæ. Nec satis habui, copiales tantum, qvos vocant, libros evolvere, qvorum compilatores fugientes literarum apices sæpius non recte videram esse assecutos: sed ipsas potius, si fieri poterat, membranas authenticas spectavi, expendi, atqve ita descripsi, ut nec signa qvidem & characteres hinc inde appictos prætermittenda putaverim, qvippe qvæ ad discernendam diplomatum ætatem atqve auctoritatem magnum sæpe pondus habere constat. Nolim igitur animum inducas, suspectas tibi merces hic venum exponi. Ne chartam qvidem ullam publica luce donavi, qvam non prius genuinam cognoverim. Imo tanta religione in iis edendis versatus sum, ut in præstantioribus, qvalia sunt Cæsarum & Ducum ut & Episcoporum antiqviorum, ne literarum qvidem compendia meo arbitrio mutarim, si qvæ illorum ab operis exprimi posse crederem.

*) *Lib. I. cap. I. n. 1. de Re Dipl. pag. 1.*

*) *Disceptat. ad Mabilon. de veter. Reg. Franc. diplomat. part. I. pag. 14.*

Ut vero scias, ex qvibus fontibus hæc omnia manarint, non possum mihi temperare, qvin eorum hic ineam recensum, qvorum inusitata benevolentia profeci, qvibusqve tot diplomata debeo, qvæ se in ipso opere sistunt. Primum omnium thesaurum suum mihi reclusit Rev. Capitulum Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, qvod in urbe nostra eximie floret, pro suoqve in bonas literas studio nihil mihi censuit denegandum, qvod ad illustrandam historiam facere videretur. Interest posteritatis, tam laudabile exemplum ire in annales, aliosqve monere, qvod chartae antiqvae multo tutius eruditis Lectoribus, qvam tineis pulveriqve committantur. Profecto dudum mirati sunt prudentiores, qvid sit, qvod collegia nonnulla tam ægre se eo adduci patiantur, ut diplomata sua & privilegia publicæ luci committant, cum tamen ex eorum custodia emolumenti nihil, ex editione ve-

ro utilitatis plurimum ad poſſeſſores redundet. Multi potentiores Status qvicqvid potius auſuri, qvam teniorum jura viólaturi fuiſſent, ſi eos tam validis privilegiis munitos prævidiſſent. At vero ubi ſemel jacta erat alea, fruſtra fuerunt omnia diplomata, qvantovis numero edita. Imò ſunt, qvi eccleſias plura tribuere diplomatibus ſtatuunt, qvam reipſa præſtent. Audiamus judicium jam ante laudati Bartholomæi Germon, his verbis conceptum: * *At conſtat, nihili aut parvi admodum intereſſe Eccleſiarum, verane ſint, an falſa antiqviora ejusmodi inſtrumenta. Quippe ſi eccleſia donatis ſibi ante annos mille vel octingentos bonis etiamnum fruatur, non poteſt illa poſſeſſione ſua dimoveri, qvamvis inſtrumenta donationis autographa, casu aliquo poſt tam longam annorum ſeriem interciderint, aut fuerint corrupta. Sin bona ejusmodi dudum in manum alterius tranſierunt, Eccleſia non poteſt iſta repetere, etiamſi vetera donationum inſtrumenta hucusqve perſeverent: cum facile fieri potuerit, ut, qvod olim fuerat eccleſiæ legitime donatum, ipſa poſtmodum vendiderit, commutarit, aut aliqua alia ratione alienum fecerit.* Qvod ſi igitur tam parum refert eccleſiarum, perierintne diplomata an hodienum ſerventur, ſintne genuina an falſa: vix qvicqvam video ſubeſſe rationis, cur premenda illa putent, niſi hoc, qvod diplomatibus ſubinde probanda ſit juſta bonorum juriumqve poſſeſſio, ſi qvando ab aliis impugnetur. An vero diplomata, ſi edantur, hunc uſum præſtare deſinunt? Imo vero non poſſeſſionem modo illam reddent multo ſtabiliorem, verum etiam alios arcebunt, ne illam audeant temere impugnare. Vidit hoc laudatiſſimum Capitulum Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ, cujus humanitati utinam par a me poſſet inveniri oratio! Certe non commiſit, ut a ſe qvicqvam poſſet amplius deſiderari. Commendatiſſimam ſibi rem habuit, dum viveret Illuſtriſſimus Ill. Dn. ANTONIUS de SEIDENSTICKER Cæſareæ Majeſtatis Consiliarius Aulicus, Eccleſiæqve hujus Decanus, cui qvantum debeam, dicerem hic ego prolixius, niſi animus recente dolore oppreſſus ad tanti Viri memoriam ſtuperet. Nihil non mei cauſa egit Dn. HENNINGUS WILHELMUS HAGEN, J. V. Laqve Eccleſiæ hujus Canonicus, qvi pro ſingulari ſuo in has literas impendio doctrinaqve excellenti tam fuit in me juvando promtus, ut induſtriæ ejus & humanitati, ſed & literario apparatui plura accepta me ferre, ultro fatear. Deniqve & ceteris Vener. hujus Eccleſiæ Capitularibus, qvorum nomina infra ſuo loco dedi, publice hic ſummas ac immortales ago gratias, qvorum benevolo ſuffragio & hæc & multa alia me agnoſco aſſecutum.

* Lib. citat. pag. 14.

Perluſtratis Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ tabulariis locupletiſſimis, aditum ad diplomata Eccleſiæ ſuæ mihi conceſſit R. P. Dominus FRANCISCUS WILHELMUS BUSCH, Monaſterii B. M. V. in Richenberg Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Præpoſitus, cujus humanitatem mirificam prudentiamqve excellentem non poſſum non publico hic præconio celebrare. Eqvidem cum in ornanda Eccleſia ſua indefeſſo labore deſudet, ejusqve ſalutem ac felicitatem ſupremam ſibi ſemper ſtatuat legem; nec hoc qvidem illi deeſſe voluit, ut ejus origo, proſpera atqve adverſa fata, Antiſtites deniqve, qvorum laudata induſtria per tot ſecula ſtetit floruitqve, publice legerentur. Qvare & majorum ſuorum memoriæ præclare conſuluit & ipſe nomen ſuum poſteritatis æternitati inſcripſit tam felici omine, ut ei nulla unqvam pertimeſcenda ſit oblivio. Cum igitur hoc laudabili inſtituto omnes ſibi magnopere devinxerit, qvotqvot patriarum rerum atqve antiqvitatum ſunt cupidiores; publice hic ei gratias, qvas poſſum concipere, maximas ago, eandemqve mentem precor pluribus, qvi tineas potius qvam poſteros malunt demereri.

Hæc porro præclara exempla ſecutum eſt Capitulum Eccleſiæ Montis S. Petri in & extra mœnia Goslarienſia, qvod & ipſum non dubitavit eorum mihi diplomatum concedere copiam, qvæ tanqvam fractas e naufragio tabulas majorum induſtria ſervaverat, qvæqve ad propoſitum meum facere videbantur. Qvo loco prætereundus mihi haut eſt Rev. Dominus JOH. HEINRICUS a WEHNDE, hujus Capituli Senior, alteriusqve SS. Simonis & Judæ Canonicus, Affinis meus at-

atqve amicus conjunctissimus, qvi & suffragio suo me haut parum adjuvit,& postea ipsas lustranti describentiqve membranas humanissime adfuit.

Deniqve ut cumulus collectaneis meis accederet, symbolam suam etiam liberaliter contulit R. P. DOMINUS BERNHARDUS GOEKEN, Monasterii Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Grauenhoff Præpositus, qvi cum ipse sit antiqvitatum Germanicarum peritissimus, monasteriiqve tui, qvod olim in monte S. Georgii floruit, origines mira industria indagaverit, eo minus dubitavit ea, qræ profutura mihi credidit, communicare. Hinc non modo aliqvot rariora diplomata describi excerpiqve passus est, verum etiam præstantiores qvosdam libros,& inter hos Lezneri Chronicon MSC. Hildesiense,aliudqve Halberstadense humanissime suppeditavit, qvæ qvanto usui mihi fuerint, grata ubiqve mente prædicabo. Tanto certe magis me sibi obstrinxit Vir prudentissimus, qvo parcius adhuc Montis S. Georgii res annalibus creditæ sunt. Qvia enim hoc splendidissimum monasterium jam dudum in bustum cineresqve consedit; adeo memoria etiam illius evanuit, ut pauci qvicqvam de eo rescIri posse crederent. Verum Vir prudentissimus, qvod publice hic mihi laudandum est, spem nostram, aliorumqve omnium permultum superavit, posteritatiqve consuluit egregie, ut, qvemadmodum Graui hoffianum monasterium eo curante ex Montis S. Georgii cineribus revivisCit multo splendidius, ita & hujus memoria eo obstetricante felicissimis auspiciis renascatur.

Non vero est, qvod putes, ex his solis archivis diplomata omnia prodiisse. Sunt & alia, a me feliciter ab interitu vindicata, alia aliunde mihi submissa, alia casu qvodam inventa, qvas hic commemorare nihil attiner. Non alia unqvam occasione magis verum deprehendi esse illud, qvod vulgo dici solet:

Qvo minime credas gurgite, piscis erit.

Præter diplomata consului etiam Chronica MSC. varia, qvæ passim in ipso opere allegata invenies, inprimis vero *Chronicon MSC. membranaceum* Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, qvod tamen cum sit brevius, opinioni nostræ non omnino satisfecit. Extat etiam apud me *Bartholomæi Belusini Casselii* Chronicon MSC, hoc titulo insignitum: **Ein kurtzer Auszug in ein Geschicht- und Zeit-Buch/ welches in drey Theile gefasset/ aus vielen Chronick- und Geschicht-Büchern vom Anfang der Welte bis auf das Jahr nach der Geburth Christi 1554 meldende / zu Lob und Ehren und Wolfarth der Käyserlichen freyen Reichsstadt Goßlar aufgerichtet.** Sed & hic ipse more seculi, qvo scripsit, chartas rerum alienarum narratione implevit, ac vix paucula de Goslaria prodidit memoriæ, qvæ tamen nec omnino sana ubiqve deprehendi. De auctore nihil adhuc rescire potui, præter hoc, qvod Goslariæ aliqvamdiu vixerit, natusqve sit anno 1499, id enim ipse de se refert in gestis Maximiliani I. Tantum igitur abest, ut his aliisqve codicibus MSCtis credendum solis existimaverim,ut semper cum aliis auctoribus monumentisqve contulerim, nonnunqvam etiam, si rationes meæ aliud non ferrent, refutarim.

Scriptores, qvos allegavi, non aliunde, qvi plurimorum hodie mos est,exscripsi, sed fideliter ipse evolvi, inter se contuli, librosqve non modo & capita, sed & paginas allegavi, editiones etiam additurus, si margo capere potuisset. Noveram, nec sibi, nec aliis satisfacere posse eos, qvi ex uno atqve alio tantum trito scriptore, veluti Cranzio, Leznero, aut Alberto Stadensi sapiunt. Hinc meum esse putavi annales qvamplurimos, mediæqve ætatis, qvoscunqve nanciscI possem, scriptores evolvere, à qvibus aliud sæpissime agentibus, res nostras memoriæ proditas animadverti. Cum vero magna apud nos sit librorum rariorum penuria, hunc defectum egregie præter illos, qvos supra laudavi, suppleverunt Patroni ac amici, e qvibus honoris causa nomino DN. D. ADAMUM RECHENBERGIUM Theologum Lipsiensem primarium & ecclesiæ ingenuæ cathedralis Misnensis Canonicum, DN. D. JOHANNEM ANDREAM SCHMIEDTIUM Abbatem Mariævallensem & Facultatis Theologicæ Helmstadiensis Senidrem, Præceptorem ac Patronum meum filiali cultu devenerandum, DN. HENRICUM SA-

MUE-

MUELEM SCHMIEDIUM Abbatiæ principalis Qvedlinburgenſis Conſiliarium aulicum & conſiſtorialem, affinem ſvaviſſimum, DN. CHRISTIANUM KRUGERUM Conſiliarium ejusdem Abbatiæ conſiſtorialem, & Dicaſterii principalis Judicem, ſocerum meum venerandum, qvorum patulas ſemper bibliothecas inveni.

Quæ cum ita ſint, ipſe Lector præjudiciis non in transverſum actus judicabit, veritatis utique me habuiſſe rationem, cum non commiſerim, ut calamo quidquam excideret, quod non aut diplomatum aut auctorum idoneorum teſtimonio eſſet ſtabilitum. Nec acta illa Oſtorodana, jam olim a me edita & nunc denuo recognita, quæ nonnemo puerili invidia commotus in dubium ſine ratione vocaverat, dubia amplius cuiquam videbuntur, qui vindicias meas conferre voluerit. Tam luculenter enim eorum γνησιότητα aſſertam puto, ut non niſi iis, qui omnia obeliſco notant, poſſint ſpuria videri.

Quo vero deinde uſu etiam ſe commendaret opus meum, eas præcipue res conjectari decrevi, qvæ ad Eccleſiæ noſtræ faciem intimius noſcendam facere viderentur. Hinc diligenter annotavi diverſas eccleſiæ phaſes, corruptionem, errores hinc inde invaleſcentes, hæreſes, offendicula, teſtes veritatis, ſed & reformationis primordia & progreſſum, perſecutiones, viros qui eccleſiis præfuerunt, synodos, conventus, templorum & monaſteriorum origines, pias fundationes, multaque alia hujus generis, quæ ad *hiſtoriam Eccleſiaſticam utilem* a Theologis noſtris referri ſolent. Non nunquam etiam inſperſi judicium pragmaticum, quod non indignum hiſtorico judicaverat *Bæclerus*, (*) quanquam rarius iſto utendum monet *Lucianus*.* Quanta igitur ad conſcribendam hiſtoriam eccleſiaſticam univerſalem enaſceretur materia, quantus rerum cumulus ſe offerret, ſi & aliarum urbium & regionum antiquitates diligenter perſcriberentur? Paucis exemplis erudita hiſtoria id declarare juvat. Ad *Doctorum eccleſiaſticorum catalogum* ſupplendum facient tot ante Reformationem Præpoſiti & Canonici Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ ut & Montis S. Petri, quorum res geſtas diligenter ſumus exſecuti, poſt reformationem vitæ Jo. Amandi, Antonii Corvini, D. Eberhardi Weidenſee, Pauli Rhodii, Tilemanni Heshuſii, Temmii, Schelhammeri, Büntingii, Winigenſtadii, aliorumque plurium. *Hiſtoriam controverſiarum* partim ſupplebunt, partim emendabunt ea, quæ de certaminibus Manichæorum, Henrici Minneke, Sedingorum, Flagellantium, Synergiſtarum, Crypto-Calvinianorum, Büntingii, Georgii Kleinii, & præcipue Chriſtophori Oſtorodi commemoravimus. Ad *varias ſynodos* præcipue faciunt acta ſynodi Goslarienſis a nobis reſtituta, & ex alio intellecta, aliaque quæ in libro ſexto plena manu feruntur. *Perſecutionum* exempla ſuppeditabunt hiſtoriæ aliquot teſtium veritatis a nobis paulo accuratius deſcriptæ, & præcipue Hiſtoria reformationis. *Ritus* ſingulis ſeculis apud nos invaleſcentes diligenter obſervavimus, veluti feſta, anniverſaria, proceſſiones, miſſarum & memoriarum fundationes, confraternitates, aliaque hujus generis bene multa. Diximus etiam nonnulla *de Judæis*, cum & eorum fata in hiſtoria eccleſiaſtica debeant annotari. Denique & *Monaſteriorum eccleſiarumque hiſtoria* huc referenda eſt. Quot enim eccleſiarum neque a Bruſchio, neque a Bucelino deſcriptarum origines expedivimus? Quis unquam memoriæ prodidit fata Eccleſiarum SS. Simonis & Judæ, Montis S. Petri, Novi Operis, PP. Franciſcanorum, Richenbergenſis, Montis S. Georgii nunc Curiæ Griſonum, Woltingerodanæ, Ringelheimenſis, Heiningenſis, Dorſtadienſis, Baccerodanæ, Cellenſis in Hercynia, S. Sepulcri, multarumque aliarum, quarum vel origines vel juſtam hiſtoriam deſcripſimus? Hæc igitur ad hiſtoriam eccleſiaſticam nonnulla facere videntur.

Attamen cum labore omni ſemel defungi mallem, eadem manu duos dealbare parietes, ſimulque ceteras, quæ mihi ſe obtulerant, antiquitates Goslarienſes quamvis ad hiſtoriam potius civilem pertinentes, eâdem opera deſcribere cœpi, edita, ut Imperatorum illorum, qvi Goslariæ ſibi domicilium aliqvando conſtituerant, ſed & Hildeſienſis diœceſeos totiusque viciniæ hiſtoriam ex parte inſererem.

(*) *Diſſ. de Hiſt. univerſ. ſcribenda n. 8.*

* *πῶς δεῖ συγγρά-φειν ἱστορίαν p. 420. Tom. II. Opp.*

rerem. Imperatoribus enim frequentissime hic summa reipublicæ negotia tanquam in illustri quodam theatro tractantibus, res Goslariæ gestæ plerumque totius Germaniæ historiæ involvebantur, nec adeo sine justa connexione recte videbantur intelligi posse. Quod ideo monere visum est, ne qvis actum me agere, chartamque exterarum rerum narratione implere voluisse existimet.

Nullus dubito, fore, ut sera forte posteritas aut nobis propinquius ævum ferat aliquos historiæ rerumque patriarum amatores, qui annales uberiores, emendatiores habituque splendidiore exornatos prodire in publicum jusserint. Illi, me vivis dudum erepto, persvadeant sibi velim, me hoc conamini largam Dei gratiam apprecari. Interim sciant, feciss me quantum potuerim, qvantumque per tot objecta obstacula tamque cumulatos officii publici labores licuerit. Animo reputent, quæso, viam me ingressum, nullius ante me pressam vestigiis, multoque labore ex innumeris angulis legisse antiquitatis reliquias, quibus inventis facile sit aliqvid addere. Certe nec nato sub hoc cœlo nec educato, vixque octavum annum hic viventi facilis parata erit venia, si non omnia indagasse videar.

Ceterum nihil est, de quo monendus mihi videaris amplius, nisi hoc, qvod frustra quæsiturus sis Cl. Christiani Schlegelii *Dissertationem de Numis Goslariensibus*, qvam una cum hoc Opere meo prodituram aliqvoties me promittere memini. Cur illa hucusque prelo non exierit, cum quatuor tabulas æri inciss jam dudum viderim, non satis compertum habeo. Spero tamen, Cl. Auctorem fidem suam propediem liberaturum, & restincturum litim, quam promisso hoc elegantiSchediasmate movit harum rerum curiosis.

Hæc igitur sunt, Lector honorande, quæ tibi polliceri possum. Credas velim, nihil fuisse a me diligentiæ studiique prætermissum. Sed non sine dolore qvodam chartas meas possum intueri, qvoties in typographia illas tam male habitas video. Nullis sumptibus pepercit Bibliopola, Vir integerrimus & juvandæ rei literariæ studiosissimus, ut opus quam emendatissime excuderetur: sed nescio, qvo fato factum sit, ut tam parum diligentiæ adhibuerit is, cui id negotii fuerat datum. Jam ferenda, quæ mutari nequeunt. Mihi quidem non aliud, quod objiciam, remedium succurrit, quam ut mendarum extantiorum indicem in calce libri exhiberem, ut benevolus Lector ipse, si ita visum fuerit, possit emendare. Interim nullus paulo æquior rerum æstimator mihi hæc vitio verterit, cum ipse septem milliaribus a typographia abfuerim, nec unquam viderim plagellas, nisi jamdudum excusas. Multa etiam me inconsulto acta sunt, quorum rationem reddere vix possum. Inprimis nescire me fateor, quid sibi velint verba: *Tomus I. Tomus II. &c.* singulis plagellis subnotata, siquidem non tomos sed Libros a me elaboratos memini. Ea scilicet fata experiuntur libri, quibus ipsi auctores obstetricias adhibere manus per locorum intervalla nequeunt. Tu, Benevole Lector, fruere his qualibuscunque & vale. Gosl. ipsis idib. Martii. CIↃ. IↃCC. VII.

IN-

INDEX LIBRORUM.

I.

ANtiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber primus ab anno Christi DCCCC XIIX. ad MCXXIII Imperantibus Henrico primo Urbis Conditore, Ottonibus I. II. III. Henrico II. Conrado II. Henricis III, IV. V. Cæss. Augg.

II.

Antiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber I. ab anno Christi MCXXIV. ad MCCXXII. Imperantibus Henrico V. Lothario II, Conrado III. Friderico I. Henrico VI. Philippo & Ottone IV. nec non Friderico II. Cæss. Augg.

III.

Antiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber III. ab anno Christi MCCXXIV. ad MCCCXXIII. Imperantibus Friderico II. Wilhelmo, & post infelix Interregnum Rudolpho, Adolpho, Alberto I. Henrico VII. Ludovico IV. Cæss. Augg.

IV.

Antiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber IV. ab anno Christi MCCCXXIV. ad MCCCXXIII. Imperantibus Ludovico IV. Gunthero & mox Carolo IV. Wenceslao, Ruperto & Sigismundo, Cæss. Augg.

V.

Antiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber V. ab anno Christi MCCCCIV. ad MDXXIII. Imperantibus Sigismundo, Alberto II. Friderico IV. al. III. Maximiliano I. Carolo V. Cæss Augg.

VI.

Antiqvitatum Goslariensium & vicinarum Regionum Liber

VI. ab anno Christi MDXXIV. ad MDIC. Imperantibus Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho II. Cæſſ. Augg.

VII.

Diſſertatio de antiqviſſimo regionis Goslariam ambientis ſtatu & CRODONE, inprimis HARTZBURGICO, ex genuinis & antiqvis Scriptoribus aliisqve monumentis congeſta.

VIII.

Panegyris Sacratiſſimo Romanorum Imperatori JOSEPHO Pio, Felici, Auguſto, cum ejusdem Mandato Illuſtriſſimus Comes ac Dominus, Dominus ALBERTUS ANTONIUS, Qvatuorvir Imperii, Comes de Schwarzburg & Hohenſtein, Dynaſta in Arnſtadt, Sondershauſen, Leutenberg, Lohra & Klettenberg &c. FIDEI SACRAMENTUM a Civitate Goslarienſi Libera & Imperiali ipſis Nonis Novembris clɔ Iɔccv. clementiſſime exigeret, auctoritate & ſuffragio DECANI, SENIORIS & CAPITULI Imp. Liberæ & exemtæ Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ in ipſa hac Imperiali Baſilica publico ſermone celebrata à Jo. Mich. Heineccio.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM ET VICINARUM REGIONUM LIBER PRIMUS

AB ANNO CHRISTI

DCCCCXIIX AD MCXXIII.

IMPERANTIBUS

HENRICO PRIMO URBIS CONDITORE, OTTONIBUS I. II. III. HENRICO II. CONRADO II HENRICIS III. IV. V. CÆSS. AUGG.

FRANCOFURTI AD MOENUM

EX OFFICINA GENSCHIANA.

TAB. I. *Figura 1.*
Libr. Primum.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

TAB. II. *ad Librum I.*

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Ad Libr. VI.

Fig. 5.

Fig. 6.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM INPRIMIS ECCLESIASTICARUM LIBER I.

DE REBUS

duobus primis seculis Goslariæ gestis

Ab ANNO Christi 918 -- ad 1123.

BAYERISCHE STAATS BIBLIOTHEK MUENCHEN

Historiæ Goslariensis initia,



Ntiquitates inclytæ civitatis nostræ historiamque finitimarum regionum a primordiis suis scripturo, non aliunde mihi ordiri fas est, quam ab ipso Henrico Aucupe, præcipuo per Saxoniam urbium parente, quem constat, repressa Hungarorum gente, quæ sæpius adhuc imperii limites fregerat, conditis ubique munitisque oppidis, Germaniam in pristinam dignitatem evexisse, ferroq; expediisse tot miseriarum finem. Scilicet ex eo tempore nova veluti Saxoniæ facies esse cœpit, fugata sensim barbarie, hominibusque ad mitiores mores paullatim traductis. Tunc urbes conditæ, tunc Saxones ad armorum disciplinam instituti, tunc denique, quod caput rei est, purior religio a Carolo M. nostris hominibus commendata, discussus penitus ethnicæ superstitionis tenebris, efflorescere indies magis magisque cœpit. Mirum est, qua diligentia ædificandis ecclesiis ab eo fuerit insudatum; quot monasteria illum parentem suum agnoscant; quamque consentiente fama pretium tulerit propagatæ pietatis. Sed hæ virtutes Henrici quamquam multos sui præcones invenerunt: tamen nec nobis sicco pede prætereundæ videntur, cum vix ulla civitas ei plura debere se fateatur, ac Goslaria nostra, cujus historiam meditamur. Hæc enim primum obstetricante Henrico veluti in lucem felici auspicio prodiit, tantumq; inter ceteras Saxoniæ nostræ urbes deinde caput efferre cœpit, ut diutissime Germanicæ majestatis amplissimum theatrum fuerit habita. Utinam autem res hujus urbis ab antiquis paullo majore fide ac diligentia memoriæ proditæ fuissent! non enim esset dubium, quin multa rerum momenta, quæ nunc multa nocte obruta dolemus, interitum evitassent: Verum nescio, qui factum sit, ut nemo adhuc id muneris Goslariæ nostræ præstiterit, cujus res tamen vel maxime dignas puto, quæ eant in annales, & vel ex ipsis quisquiliis bona fide eruantur. Primus, quantum ego existimare possum, viam hanc nullius adhuc pressam vestigiis insistere meditatus est *Jo. Lezner*us, *non ultimus inter Saxonicarum antiquitatum eruteres & vindices*; sed curam hanc illi infelicius suum fatum excussit, cum monumentorum Goslariensium copiam sibi fieri nullis precibus impetraret: atque inde factum puto, ut pauca illa, quæ de Goslariensibus ecclesiis ac monasteriis in opus suum MSC. de cœnobiis retulit, accuratiorem sæpius requirant indaginem. Eandem curam juvenis serio animo complexus est *Caspar Coerberus*, præclarum nuper Helmstadii decus, edita de Goslaria sua brevi diatriba, in qua ea, quæ ab autoribus tradita invenit, non incuriose collegit: Sed instituti ratio illum tàm arctis terminis circumscri-

Scriptorum de; fectus.

Mallinkrot. part. 2. de Arcanc. & Camel. Imp. p. 76.

cumſcripſit, ut non tam ipſum mare ingredi, quam littus contractis velis legere videatur. Nullus equidem dubito, quin curatiora fuiſſemus habituri, ſi curæ ejus poſteriores, quas in Goslarienſi hiſtoria perpolienda poſuit, ad maturitatem perveniſſent: Sed intempeſtivus viri clariſſimi obitus omnes ſpes noſtras uno momento eluſit: ejusque ſchedæ dubium, quæ fata ſubierint. Idem pæne de *B. Sagittarii* laudata induſtria cenſendum eſt, cujus hiſtoriam Goslarienſem ab anno MCCLXI ad MDL pertextam ſcriptorum ejus catalogus pollicetur. Collectanea tamen ejus ſummo reverendi Schmiedtii beneficio ab interitu vindicata in manus meas venerunt. Quæ cum ita ſint, ipſi aliquando res hujus urbis ac finitimarum regionum, quæ adhuc fere depoſitæ quodammodo & deploratæ jacuerunt, paulo majori cura rimari, eaque de cauſa illa conſectari præcipue cæpimus; quæ eccleſiæ faciem ſpectare videbantur. Scriptione itaque ab Henrici Aucupis ætate per proxima ſecula deducta, res ſingulis annis geſtas ſine odio ac gratia, quorum cauſas procul habemus, breviter percenſebimus, facturi periculum, quo usque in hoc genere progredi liceret homini, nec otio admodum diffluenti, nec librorum apparatu magnopere adjuto. Satis igitur nobis fuerit, ſi impolitum opus urbi noſtræ dehoneſtamento non eſt futurum, & ſi non optimi hiſtorici, boni tamen civis partes ſedulo expleviſſe videbimur.

Catalog. Script. a Sagittar. editorum & affectorum J. 1694. 4

Anni Chriſti 918. 919.
Conradi I. Regis Germ. ultimus Henrici I. Regis I. Ante Goslariam conditam 6. & 5.

Conrad. Germanor. Rex Henricũ ſucceſſ. deſignat. *Abb. Uſp. p.* 188. *Hepidann. annal. ap. Gold. ſt. I. rer. Alem. Ekkehard. jun de Caſib. Mon. S. Galli, 6.5.f.29. Liutpr. Lib.2.c.7. p.*105. *ap. Reuber.*

ANnus igitur, qui Chriſti duodevigeſimus poſt nongenteſimum illuxit, a quo ordiri Antiquitates noſtras placet, Conradum I. Regem præpropera morte rapuit, poſtquam Germaniæ Imperio tam inteſtinis malis, quam barbarorum irruptionibus faucio vix annos ſex præfuerat. Cum autem extrema ſibi imminere ſentiret, ac pene cum morte jam luctaretur, vocatis ad ſe regni proceribus, poſitisque vetuſtis cum Henrico Saxone ſimultatibus, hunc illis mirifice commendat, neminem tanto Imperio æque parem ſibi videri affirmans, ac Henricum, & ſapientia & bellica virtute admirabilem; quem ſi Regem ſibi ſumſiſſent, ſe minus dubitare, quin inceptа omnia proſpera illis ſint futura. *Ex corruptione*, inquiens, *ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnoſco, & ut cernitis, præſto eſt, proinde pacem concordiamque vos ſectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exuente, nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præſidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentiſſimum regem elegite, Dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientia pollens, & juſtæ ſeveritatis cenſura abundans.* His cum Regni ordines adplauderent, traditis Eberhardo fratri regni inſignibus, lancea ſacra, armillis aureis cum chlamyde, enſe veterum regum, ſceptro denique ac diademate: *Ito*, inquit, *ad Henricum, facito pácem cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum. Quid enim neceſſe eſt, ut cadat populus Francorum Teucri coram eo? Ipſe enimvero rex erit & Imperator multorum populorum.* Quibus dictis, Conradus Rex inter multas ſuorum lacrymas exſpiravit, *princeps* Liuthprandi ac Alberici judicio *tantus, qui, niſi mors eum tam cito rapuiſſet, mundi nationibus fuiſſet imperaturus*: Hoc uno ſane ſumma laude dignus, quod domeſticis odiis communem ſalutem antepoſuit, ad Saxones potius regnum deferri paſſus, quam ſub Francis ſuis perire; Quam ejus prudentiam miro conſenſu ac veluti ex compacto laudant Widekindus, Dietmarus Merſeburgenſis, Abbas Vrſpergenſis, Reginonis continuator, Otto Friſingenſis, Albericus & ſi qui alii res horum temporum memoriæ prodiderunt.

Witekind. l. c. Dietmarus, Chron. l. 1. p. 4. Abb. Viſpergenſ. p. 196. Reginonis Contin. ad ann. 919. p. 74. ap. Piſtor. Otto Friſingenſ. l. 6 c. 16. p. 120. ap. Urſtiſ. Albericus p. 255. Gobelinus ætat. 6. Cosmodr. c. 49 p. 246. ap. Meibom.

Hilthbr. Saxo lib. 1 p. 636. ap. Meibom. Luithpr. lib. 2. c. 8. p. 106. in Chron. p. 255. ap. Leibnit.

Harzeburgenſ. Eccleſiæ initia.

Hic ergo Cunradus inſignem nominis ſui apud nos reliquit memoriam, parens quippe eccleſiæ Harzeburgicæ, quæ etſi ſuis cineribus jamdudum ſepulta, tamen quia ab Henrico III. deinde Goslariam translata fuit, non videtur hic ſicco pede prætereunda. Tutelares habuit S. Matthiam Apoſtolum & S. Valerium Treverenſium Archi-præſulem. Vnde breviarium vetus eccleſiæ SS. Simonis & Judæ part. æſtiv. f. 25. *Sciendum*, inquit, *quod Eccleſia iſta primitus inſtructa & dedicata fuit in honore beati Valerii Confeſſoris in Hartesborch. Et ideo eſt primus & antiquus patronus iſtius eccleſiæ.* Cetera hujus eccleſiæ fata ignorantur, nec quicquam de illa proditum memoriæ reperies, niſi quod Conrado huic I. natales debuit, quem ornandis eccleſiis dediſſe operam, facile fidem nobis facit elogium a Reginonis continuatore illi tributum, qui *Virum per omnia manſuetum & prudentem & divinæ religionis amatorem vocat.* Certe hujus eccleſiæ initia Conrado tribuunt Chronicon Saxonicum a Pomario editum, Hamerslebienſis Monachus apud Maderum &, cujus verba hic uſurpare juvat, Theodoricus Engelhuſius: *Fundavit Conradus Eccleſiam iſtam Canonicorum Secularium in Caſtro Hartesborg, anno imperii ſui quinto, in honorem S. Valerii, quod monaſterium tranſtulit Henricus III. Imperator poſtea in Goslar.* Hæc Engelhuſius domeſtico nixus teſtimonio. Provocat enim ad Chronicon quoddam Goslarienſe, quod cum ex eccleſiæ SS Simonis & Judæ tabulariis mecum communicatum ſit,

Reginon. Contin. ad ann. 919. p. 74. Chron. Sax. ap. Pomar. p. 84. Mader. p. 145. Antiq. Brunſ Engelh. Chron. p. 173.

non

non poſſum non hac in re ad partes vocare. Ibi autem hæc de Conrado lego: *Anno gratiæ nongenteſimo duodecimo Cunradus Imperator hujus nominis primus Filius Ludovici ex Imperatoris de genere magni Karuli ab Agilolfo adeptus eſt Romanum Imperium & regnavit annis VII. Hic primo in anno regni ſui fundavit eccleſiam iſtam in Hartesborg Canonicorum ſecularium in honore Beat. Valerii Confeſſoris atque Pontificis Trieverenſis & dotavit eam cum predio in Harlingerodhe & aliis multis bonis, cujus anniverſarius eſt dies Beati Valentini.* Nec dubito, quin chronicon hoc membranaceum viderit quoque Tidericus Langenius, Goslarienſis & Eimbeccenſis Canonicus, cujus de Harzeburgenſi Eccleſia ſunt hi Leonini:

Hinc Rex Conradus fortis fuit ut Leopardus,
Hartesburg iſte conſtruxerat, & tibi Chriſte,
Eccleſiamq; pio poſtea Valerio.

Patet ergo hinc, minus errare Scripturam, in feneſtra eccleſiæ SS. Simonis & Judæ in ſummo choro ſub regis effigie conſpicuam, qua pietas Conradi a majoribus eſt propagata. Hæc ita ſe habet:

CVNRADVS I. IMPERATOR
FVNDAVIT HANC ECCLESIAM
IN ARCE HERCINIA ANNO CHR.
916. IN HONOREM DEI ET S. MATTHIÆ.

In alia omnia tamen abire videri poſſent autor topographiæ Ducatuum Brunſvico Luneburgenſium & Leznerus, initia hujus eccleſiæ in ipſa Caroli M. fortunata tempora rejicientes; niſi eſſet, quo ſententiam hanc cum ſuperioribus hiſtoricis conciliemus. Nam nec ipſi quidem dubitamus, quin Carolus abolito Crodonis cultu, qui Harzeburgi adhuc Saxones dementaverat, id quoque dederit operam, ut homines ad ſaniorem mentem traduceret, eaque de cauſa quoddam ibi conſtituerit oratorium, id quod & Eresburgi deſtructa Irminſula ab eo factitatum, tradit Meibomius. Certe chronicon antiquum ineditum, e quo nonnulla exſcripſit Reimannus, manifeſte docet, Carolum, everſo Crodonis delubro, eccleſiam ibi conſtituiſſe, quam deinde Angeli monitu verſus orientem progreſſus Oſtervicum tranſtulerit. Forte ergo Conradus I. hoc Caroli M. Oratorium paulo anguſtius de novo reſuſcitavit, atque in collegiatam commutavit eccleſiam. Vnde is honor eam inter poſteros manſit, ut hujus eccleſiæ parens ſit creditus. Ceterum formam antiquæ iſtius eccleſiæ cognoſcere aliquatenus liceret, ſi ectypum ejus ligno inciſum, quod in eccleſia SS. Simonis & Judæ extitiſſe Leznerus tradit, ætatem tuliſſet. Id vero aut nunquam hic viſum fuit, aut certe in civilium bellorum turbis, cum multis aliis periit.

Poſtquam igitur Conrado demortuo juſta proceres perſolverant, ſtatim Franci Orientales Saxones, Bavari, Thuringi ac Alemanni principes Frizlariam properantes, Henrico faſces Imperii ſuaque ſtudia deferunt: natu majoribus etiam exercitus Francorum, ut Witekindus ait hunc Regem ſuum ſalutantibus. Henricus ſibi de hac principum voluntate gratulatus, lætus ſuſcepit imperium, actisque Deo gratiis, omnia principibus viciſſim pollicitus eſt, quæ intereſſent Reipublicæ. Cum autem deinde Epiſcopalis unctio ab Hereberto Moguntino illi offerretur, parere nolult, ſibi ſatis id honoris videri faſſus, quod primus omnium regni decus in familiam ſuam intulerit; diadema ac unctionem ſe aliis æquo animo relinquere, qui tanti honoris capaciores ſint futuri. Quam modeſtiam adeo ægre nonnulli tulerunt, ut Vdalricus Auguſtenſis poſtea Epiſcopus binos ſibi gladios unum capulo inſtructum alterumque capulo deſtitutum per quietem oblatos jactaret, addereturque interpretationem, gladium capulo inſtructum Imperatorem ſolemni ritu conſecratum, alterum ſine capulo Imperatorem, qui ſine benedictione ſacerdotali regnum capeſſeret, notare. Quam tamen fabulam iſti quidem ſeculo facile condonamus. Sunt qui Henrico aucupiis intento retia que aviculis ſtruenti Imperii inſignia ob lata putant. Vnde & Aucupis cognomen ei tributum ſit, quod deinde tam conſtanter illi hæſit, ut vix alio nomine apud Hiſtoricos recentiores veniat. Ad auguſtam dignitatem nunquam adſpiravit, cum, ne in Italiam moveret, rebus domeſticis ac morte impediretur: Eaq; de cauſa ejus tabulæ ſemper Regis nunquam Imperatoris titulum præ ſe ferunt; nec male obſervat Guido apud Albericum, poſt Arnulfi tempora usque ad Henricum, *quos ſi quidem ad regnum quidem, nullum autem ad imperium obtinendum prævaluiſſe.*

Regno potitus eſt infauſtis Germaniæ temporibus, & quæ exitialia Reipublicæ fuiſſent, niſi Henricus in illa incidiſſet. Nam præterea, quod Principes nec parem, nec ſuperiorem ferre volentes, in ſua viſcera tum ſævirent: Hungari quoque, qui paulo ante ab ultima Scythia venientes, vacuas Hunnorum ſedes, nullo reſiſtente, occupaverant, ferro ſibi vias in Germaniam aperire, prædasque in illa agere cœperant. Jam, Conrado Imperante, Arnulfus Bojoariæ Dux ſedibus pulſus gentem barbaram in patriæ ruinas armaverat, cujus ſuaſu illi tantis copiis ſeſe in Germaniam effuderant, ut Franciam, Haſſiam, Weſtphaliam, quam late patent, Bremam usque, una veluti ruina involverent, nec ſacrorum, nec profanorum ratione habita. Tandem præda ſatiati, in patriam iter reflexerunt, ſubinde tamen catervatim ſedibus ſuis erumpentes. Conradus vero interea ad plures abiit, imperiique reſtituendi curam Henrico Regi reliquit.

Paulo ſereniora tamen tunc harum regionum erat facies, in quibus eccleſia majora indies capiebat incrementa. Hilde-

Status Germaniæ ſub Henrici Regis initia.

Chronic. MSC. Episc. Hild. c. 9. Reutelius Chronic. Hildesh. ap. Paul. p. 77.

siensem diœcesin, cui hæc loca suberant, gubernabat Sehardus, qui anno DCCCCIV. Walberto Successor datus fuerat; vir laudatæ pietatis, & magnus ecclesiæ suæ benefactor.

Anni Christi 920. 921.
Henrici I. Regis. Germ. 2. 3.
Ante Goslariam conditam 4. 3.

Henric. Princip. in ordin. coëgit.

HEnrico novo regi nihil fuit antiquius, quam Germaniam intestinis malis laceratam pacare, quo minus Hungaris extrema jam minantibus esset præsidii. Eoque primo arma vertit in Arnolfum & Buchardum, Bojoariæ Sueviæque duces, Imperium suum minus æquo animo ferentes, quos ita partim suo adventu, partim oratione percussit, ut alter regis conspectum ferre non posset; alter Ratisponæ mœnibus se crederet, uterque paulo post facta deditione delicti veniam impetraret, & reconciliatam amicitiam firmaret pactis.

Witekin. lib. 1. p. 637 Liuthpr. l. 2. Chron. c. 7. p. 196. Abb. Urs. perg. Chr. p. 196. Otto. Frisc. Chr. lib. 6. c. 18. p. 127. Gobelin. Person. Cosmodr. ai. 6. c. 47. p. 246. Alberic. Chron. p. 256. Avent. l. 4. annal. Boj. c. 377. Sigebert. Chron. p. 577. ap. Pistor.

Lotharingiam recipit. *Witek. l. c.*

Interea dum his bellis impeditur Henricus, Carolo Franciæ regi in turbido erat consilium, isque subito, facta irruptione, Lotharingiam petebat, sibi id regnum deberi, ratus. Quo comperto Henricus cum delecta manu advolat, tantaque clade Carolum afficit, ut neque consilii explicandi facultas, neque belli feliciter resumendi occasio illi relinqueretur. Missis ergo, qui pacem rogarent, Lotharingiam Germaniæ reddidit, ac Henricum sibi muneribus officiisque conciliavit.

Annus Christi 922.
Henrici I. Reg. Germ. 4.
ante Goslariam conditam 2.

monasteria post hunc annum his locis condita. *vid. Conc. tom. 9. p. 579.*

PAce per Germaniam restituta, Henricus constituendis patriæ rebus animum intendit. Vocatis ergo Confluentiam Germaniæ Episcopis, præsente Carolo Francorum Rege, de instauranda disciplina Clericorum, quæ bellorum occasione inclinari cæperat, egit, ibique inter alia id quoque decrevit ut gynæcea ubique terrarum alerentur, ne principum virorum filiæ amissis parentibus redigerentur ad mendicitatem. Synodi hujus utilitas in has quoque regiones redundavit. Siquidem Mathilda Henrici conjux tanto studio in monasteriis harum regionum condendis sudavit, ut eorum vix numerum inire possis. Malo id Engelhusii verbis eloqui: *Ipse duxit Tyderici, de genere Magni Witekindi uxorem, nomine Mechildam, quæ religiosissima multa bona fecit. Fundavit cœnobia sanctimonialium in Northusen, quod tamen jam mutatum est in canonicos seculares. Item monasterium ordinis præmonstratensium in Poilde, quod sic dicitur, quia in Palude fundabatur. Henricus iste in factis armorum strenuissimus: totius religionis amator, operibus misericordissimus, inter cætera bona fundavit in Almania ultra* XX. *ecclesias, quas & abundanter dotavit, pro dominabus secularibus, quæ canonica nominantur, utentes habitu Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, nullam tamen professionem religionem, nubunt in Domino, quando volunt. Inventa sunt autem pro sustentatione nobilium, pro fide Christi ab infidelibus occisorum, ne talium filia cogerentur mendicare, sed in illis monasteriis sustentata, cum ad statum nubilem pervenissent, vitam eligerent, quam vellent. Possent enim ibidem profiteri & perpetuo manere; vel recedendo maritari. Quibus inter cetera voluit Quedelinburch, prudentum Virginum intitulatum, sicut & avus ejus Gandersem, fore principale.* Quæ quidem Henrici præclaram in condendis monasteriis industriam satis videntur declarare.

Engelhus. Chron. p. 174.

Anni Christi 923. & 924.
Henrici I. Regis 5. 6.
Annus conditæ Goslariæ 1. & proxime antecedens.

Hungari Germaniam denuo invadunt. *Witekind Sare lib. 1. p. 638. Ad. Bremens. lib. 1 c. 48. p. 38. Abb. Urspergens. p. 200. Annal. Corb. ap. Paulin. p. 377.*

SUccedit tempus illud reipublicæ funestum, quo Hungaros quietis impatientes spes prædæ, denuo in Germaniæ perniciem pellexit. Damnatis enim pacis consiliis, ad ingenium redeuntes, per omnem Saxoniam effusi, vicos ac templa inaudita crudelitate flammis ferroque his annis devastabant. Luculentus hujus irruptionis testis est Witekindus, antiquus Germaniæ scriptor, aliique qui ejus fidem sequuntur, in eo omnes consentientes, quod extrema tunc germaniæ imminuerint.

Henricus Werlæ latet.

Inter hæc Rex Henricus in præsidio urbis Werlahon agebat, sive ut Westphaliæ opes adversus fævam gentem contraheret, sive, ut rectius Witekindus colligit, quoniam aperto Marte congredi imperiique aleam rudi militi & publicis bellis insueto committere non auderet. Dudum est inter eruditos agitatum, quænam hæc Werlahon sit, cui tunc Henricus se credidit, cum plures eo nomine civitates in Germania occurrant. Constans apud nos fama est, locum, ubi nunc Goslaria nostra floret, Werlam olim vocatam: cui Chronica, quæ apud nos circumferuntur, addunt, Hungarorum quendam principem ab Henrico captum hic capite plexum esse. Unde dudum nonnullis suboluit, Werlam & Goslariam unam eandemque urbem esse, adeo ut Spangenberg & J. Saxe in Chronicis suis sæpius scribant Werla oder Goslar. Sed hæc sparguntur in vulgus, & vix aliud, quam a dicentium audacia, præsidium habent. Forte inde fabula hæc originem habet, quod e Speculo Saxonico constat, Palantiam, quæ olim Werlizii floruit, Goslariam translatam

Werla an eadē cum Goslaria?

Spangenb. Chron. Hennob. l. c. 25. p. 65 & c. 33. p. 69. Saxo. Chr. Iup. Part. 3. p. 127.

Browerr. tam esse, ubi in antiquis codicibus Wer-
Schil. ad lahum legi, testatur Browerus. Rectius
vitam S. rem tetigit Meibomius, per Werlam in-
Bernw. telligens Westphaliæ urbem, tunc duci-
ap. Meib. bus Saxoniæ, hodie Archi Episcopis Colo-
not. ad niæ subjectam, cui & Illustrissimus Monu-
Witt. p. mentorum Paderbornensium autor adsti-
61. pulatur: licet Spangenberg Werlahon
Strunz. Palantiam in Wandalorum regionibus &
sax. l. quidem Megalopolitana ditione quærere
3. c. malit.
vult 3 p. *259. Spangenb. Chron. Sax. c. 120. p. 162.*
Inducia Sævitum interea ab Hungaris in mona-
fiunt. steria, quorum perniciem silere, quam
Chron. multis verbis eloqui mavult Witekindus.
Gob. l. 6. c. E Gobelino tamen & Vitæ B. Meinwerci
47. p. 247. autore constat, in Hervordienses potissi-
Vita B. mum tempestatem erupisse, quod mona-
Meinw. sterium Hungari ita devastarunt, ut nul-
q. Brow. lum pristini splendoris vestigium relin-
p. 349 querent. Actum erat de Germania, nisi
ipsa fortuna Henricum extrema jam pro-
pe veritum juvisset. Scilicet princeps
quidam Hungarorum incautius prædas a-
gens a Saxonibus interceptus, ad regem
perducebatur, quem cum cives sui mirifi-
ce diligerent, cœperunt cum Henrico de
illo redimendo agere, multum auri atque
argenti offerentes. Henricus autem cum
non tam aurum, quam pacem, regno suo
necessariam videret, inducias popposcit,
quibus in novem annos impetratis, capti-
vum cum muneribus dimisit, Germani-
æque suæ tot votis expetitam reddidit
quietem: aut ut rectius dicamus muneri-
Lang. Hung. bus annuis redemit. Fallunt itaque, qui
hunc Hungarorum principem ab Henrico
capitis damnatum existimant: Veluti Ti-
dericus Langenius ita canens:

Ex hinc ipsorum Regem cepit Ungariorum;
Quem captivabat in Werle decapitabat.

Henric. Hoc destinatum induciis tempus Hen-
Saxoniæ ricus constituendis patriæ rebus impen-
urbes dit, Lotharingiam a Francis ereptam ani-
munit. mose recipit; Saxones & Thuringos sua
Witekind. ditione comprehensos ad armorum usum
l. 2. de rebus instituit, omniaque in otio parat, quæ no-
Sax. Hujus vam tempestatem, quam Hungari, si indu-
c. p. 349. ciæ exspirassent; minitabantur, dissipare
Bunting. posse videbantur. Nondum hæ regiones
Chron. urbibus atque oppidis satis munitis cultæ
Brunsv. fuerant. Præclarus locus de urbibus Sa-
p. 77. xoniæ per hæc tempora non admodum
præmunitis exstat apud *Liuthprand* lib. 2.
6. 8. p. 107. *ap. Reuber*, ubi Hungari irrupti-
onem facturi in Germaniam ita in medium
consulunt: *Rex forte novus novis uti legi-*
bus cupit. Copias igitur collectis non minimis,
adscendamus, scrutemurque debita, utrum
Henricus Rex velit tributa persolvere. Quod
si non, ut credimus regibus dissentit a ceteris,
regnum ejus cade atque immensis depopulemus
incendiis. Con Bajoariorum, sed Saxonum,
ubi rex ipse est; primo fines occupemus, ut si
forte [quod non speramus] congregare exerci-
tum velit, neque de Lotharingia, neque de Sue-
via, neque de Bajoaria ei massire possit occur-
rere. Sed & Saxonum ac Thuringorum ter-
ra facile depopulatur, quæ nec montibus adju-
ta, nec firmissimis oppidis est munita.

Populis itaque per pagos ac vicos nullis mœnibus cinctos degentibus in armis potius, quam in mœnibus erat præsidium, quapropter nihil erat barbaris facilius, quam omnem regionem, nullo resistente, suis copiis inundare. Quod quia cum magno patriæ detrimento conjunctum animadvertebat sapientissimus princeps, Saxoniæ nostræ Theseus, statuit id quod res est, regni salutem pendere ex defensione urbium, quibus desertis compedes libertati injici necesse sit. Summa itaque prudentia in muniendis Saxoniæ urbibus desudavit, ut essent veluti obices, quibus progredientes barbari retardarentur. *Hinc* ut præclare rem refert Witekindus, *in urbibus extruendis die noctuque operam dabat, quatenus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent. Vilia, aut nulla extra urbes fuere mœnia.* Consilium sequebatur laudatissimum, & tanto principe dignum, quod e Witekindo, Sigeb. Gemblacensis, Gobelinus Persona, Lehmannus aliique didicerunt, *& primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut ceteris confamiliaribus suis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretque. Ceteri vero octo seminarent & meterent, fruges que colligerent nono, & suis eas locis reconderent. Concilia & omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari.* Addita deinde sunt armorum exercitia, institutis ad excitandam virtutem ludis equestribus, multisque propositis ad honorem præmiis quibus id demum effectum est, ut Germania nostra novam veluti ac longe elegantiorem faciem indueret.

Dietm. in Chron. l. 1. p. 10. Witekind l. 1. annal. p. 639. Chron. Minden. p. 558. ap. Meibom. Crunz. l. 3 Sax. c. 12. p. 71. Sig. Gembl. ad ann. 925. p. 247 Lehm. Chron. Spir. l. 5. c 1. Abb. Ursp p. 200 Boeler. comment. de rebus seculi X. p. 259. 260.

Hæc est origo tot præclarissimarum Saxoniæ urbium, quæ Henricum tanquam Romulum suum justa pietate venerantur. Tunc enim primum Misna prope Albim, Merseburgum ad Salam, Quedlinburgum juxta Bodam ejus auspiciis conditæ, partim opibus auctæ, plurimæ autem mœnibus cinctæ fuerunt. Addo his cum Cel. Tenzelio Gothan, addo Herfordiam cujus origines licet alii ad antiquiora tempora referant, in hanc tamen ætatem potissimum incidere statuit doctissimus Schurzfleischius, nec tamen negat, jam antea sensim homines ad monasterium illud confluere ibique sedes constituere cœpisse. Forte & Brema, quæ ante hæc tempora minus munita præcipuo barbarorum sævitiæ exposita fuerat, tunc aliam præ se faciem ferre cœpit: aliæque plures, quarum annalibus ob superiorum temporum supinam negligentiam destituimur.

Tenzel. suppleme. Gothan. hist. II. sect. 1 p. 19. sq. Schurzf. Strictur ad hist. Herford. p. 10 Vid. Asfert. liberæ reipubl. Brem. p. 523.

Inter omnes tamen Saxoniæ urbes, quas Goslariæ Henricus Rex maxime excoluit & frequentavit, Goslaria nostra præcipue celebratur, tam constanti autorum testimonio, ut vix ferendi videantur, qui in di-

origo.

versa

Gobel. in Coſmodr. etat. 6 c. 47. p. 248 ap. Meib. tom. I. rer. Germ.

verſa abierunt. Certe Gobelinus Perſona; qui ſua pleraque ex antiquioribus monumentis hauſit, in Cosmodromio ſuo: *Henricus Rex*, inquit, *condidit Goslariam, Quidelinburg & Misniam civitatem, quam a rivo ibi ſurgente ita nominavit.* Cui paria facit Chronicon vetus Thuringiarum a Clariſſimo Chriſtiano Schlegelio allegatum, cujus verba vel ideo referre juvat, quod præter Goslariam noſtram & Quedlinburgum etiam Winghuſæ ab Henrico conditæ meminit, a ceteris ſcriptoribus fere prætermiſſæ: Derſelbe Käyſer Heinrich Anno 1116 in derſelben Zeit die Städte Quedelingeburg / Winghuſen und Goßlar / und Frau Ahlheit / (ſcribere voluit Mathild.) die Käyſerinne die ſtifftet das Munſter zu dem hilligen Creutze zu Northuſen / und da ligt ſie begraben. Denique in Henrico I. Goslariæ noſtræ autore aſſerendo veluti ex compacto conſentiunt Autor de Landgraviis Thuringiæ ap. Piſtorium, Schiphowerus, Joannes Nuſſienſis, Bodo, Alb. Cranzius, Dreſſerus, Knipſchildius, Autor Chr. Montis Francorum, Buntiog. Werdenhagius, Chytræus, Calviſius, Sagittarius, Nicolaus Schatenius & alii.

Schlegel. in diſſert. de numis Isnacenſ. & Mulhuſin. p. 143.

Autor de Landgr. Thur. c. 9 p. 912. Schiphowv. in Chron. Oldenb. archicom. cap. 3. p. 130. ap. Meib. tom. 2. Nuſſiens. Magn. Chron. Belg. ap. Piſt. tom. 3. p. 75 Bodo in Syntagm. Abb. Gandersh. p. 490. Cranz. l. 2. Saxon c. 12. pag. 71. Dreſſer. Iſag. hiſt. part. 5. p. 277. Knipſchild. l. 3. de civitat. Imperia. c. 20. p. 725. Chronic. Montis part. 1. p. 53 Franc. Gosl. pag. 1. ſq. Bunting. Chron. Brunſv. 3. cap. 3. p. 217. Chytr. in Chron. Sax. lib. 10. p. 285. Calviſ. Op. Chronol. p. 558. Sagittar. diſſ. de Gosl. cap. 1. § 9. Schaten. parte 1. Annalium Paderborn. lib. 3. p. 260.

Goslaria an propter metalliſodinas condita.

Poſſemus etiam in partes vocare Chronicon Amelungsbornenſe ab Engelhuſio exſcriptum, niſi hic vera fabuloſis certa incertis miſcuiſſet. Nam originem urbis tribuit metallis, quorum opibus homines evocati frequentiores huc confluxerint, ædificiisque, ut ſolet fieri conſtitutis locum adhuc inhoſpitum, ferisque & ſylvis horridum excoluerint. Quod ut eo rectius intelligatur ipſius Engelhuſii verbis rem eloqui licebit. Henricus I. *conſtruxit & Goslariam & Quedlinburg cum aliis. Unde legitur in Chronico Amelungsbornenſi: Locum illum, qui nunc Goslar dicitur Henricus Imperator adire frequenter venandi gratia conſueverat. Nam nemoroſus erat, & urſorum, cervorum caprearumque venatu inſignis. Erat vero in iſto loco homo quidam pauper, nomine Gundelkarl, parvum habens tugurium, in quo Rex poſt venationem venire ſolebat. Cui idem ſpe majoris mercedis focum parare, cibos coquere, ipſosque menſæ Regis, a venatu venientis, conſuevit inferre. Quod cum crebrius feciſſet, atque ſuam ſubſtantiolam expendiſſet, regem, ut ſervitii ſui memor eſſet, admonuit. Cui tandem Rex optionem aſe petendi dedit, quod vellet. Ille optione ſibi data, nihil aliud petiit, quam ut mons ſibi contiguus, qui Rameberg nunc dicitur, ſibi daretur. Rex, ut erat liberaliſſimus, conceſſit, dicens, ſe velle, quod utiliora ſibi petiiſſet. Nec mora, homo iſte non ignorans, quantum utilitatis mons haberet, Franconiam adiit, erat enim Franco, & plures gentis ſuæ viros ſocios ſecum ſumens, locum adificare cœpit, venas metallorum, cupri, plumbi & argenti reperit, ditatus ultra modum; Sic locum illum alienigeni fundantes, Saxonia ceſſerunt; unde adhuc montem eundem quondam* Frankenberg *nominaverunt. Unde Poeta Tidericus Embeccenſis:*

Engelhuſ. in Chron. p. 175.

Longe ſylvæ ſcrutator, Cervorum concomitator
Ramme fuit dictus, ramorum pertulit ictus,
Eſt mox tantillo Rammesberg dictus ab illo.
Uxor hujus Goza: nunc eſt ex hac aqua Goza. *

* *Hi verſus in Langenii Saxonia non habentur.*

Hæc Engelhuſius e Chronico Amelungshornenſi & Tiderico Langenio patrio Poëta, nobis enarrat, quibus jure mihi addere videor autorem fragmenti de fundationibus eccleſiarum Germaniæ, ubi gemina referuntur: *Idem Rex Henricus caſtrum Miſnæ ædificavit, & Goslar, & mineralia in monte invenit qui dicitur Ramesberg.* Quæ tamen frivola ſunt, & nullo loco habenda. Namque ut paulo poſt idoneis auctoribus conſtabit, ante Ottonis M. feliciſſima tempora mons Ramelinus divitias ſuas haut recluſit. Lepida vero illa narratiuncula de Gundelkarlo fabulam ſapit, ſicut omnia, quæ de illo in aliis Chronicis MSC. quæ penes me ſunt, referuntur: quod eo ſecurius mihi ſtatuere videor, quod eam jam ante explosam video a Meibomio. Ipſum quoque hoc Engelhuſianum Amelungsbornenſe Chronicon, quod ab altero Mantwini MSCo diverſum eſt, non magni videtur habendum, quippe ob uberrimam fabellarum & contradictionum copiam obeliſco notatum a celeberrimo Paulini. Quæ cum ita ſint non poſſum a me impetrare, ut tot illuſtrium autorum teſtimoniis unici Amelungsbornenſis Chronici autoritatem anteponam. Scio tamen hanc ſententiam non heri demum aut nudius tertius natam, ſed dudum inter homines conſtanti fama circumlatam fuiſſe; Wenceslao quoque Imperatori perſuaſam, quippe qui in tabulis ſuis urbem rebus metallicis inædificatam dicit, quod ſæpius repetunt ipſi Goslarienſes in Deductione contra Henricum juniorem. Et certe ultimo Henrici Aucupis anno metalli fodinas in pago noſtro Hartingau floruiſſe, certum eſſe e diplomate Folkmari, Abbatis Corbeienſis quo fundationem monaſterii Groningenſis confirmat, his uſus verbis: *Idcirco Unanimitati veſtræ notum fieri volumus, qualiter Comes quidam Sifridus nomine, ob ſpem retributionis æternæ tradidit hæreditatem ſuam ad noſtrum monaſterium in pago* Hardga, *in loco, cui vocabulum eſt* Weſtergroningem, *ſito juxta fluvium* Bode, *hoc eſt, eccleſiam ipſam cum Clericis, quos ibi propios habuit, &* metallis, *& quicquid in auſtrali*

Mader. p. 163 antiqu. Brunſv.

Meibom. in diſſert. hiſtor. de metallifodin. Harzicis Helmſt. 1680. th. 17. 19. & 24. Paul. in Chron. Cœnob. Oiberg. p. 217.

ap. Hertl. t. 1. l. 4. p. 1 ſq. Meib. Chr. Walbecc. p. 2. 41. not. ad Chron. Corb. p. 759. tom. 1 rer. Germ

aut alia parte ecclesiæ intra urbem est, & quicquid intra urbem hereditatis possidet, in agris, pratis, pascuis, cultis & incultis, aquis, aquarumdecursibus &c. Ut adeo non dubitem, quin metalla Saxonica extremo Henrici tempore excoli, imperante vero Ottone divitias suas uberius depromere cœperint. Eam vero occasionem condendæ urbis fuisse, non facile quisquam probabit. Fama itaque deceptus videtur auctor Annalium MSC. membranaceorum ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, in quibus metallorum urbisque originem itidem confusas deprehendo his verbis: *Anno gratiæ nongentesimo vicesimo primo Henricus hujus nominis primus, filius Ottonis Ducis Saxoniæ, qui vocabatur Auceps, adeptus est Romanum Imperium, & regnavit annis xviii. In anno vero regni sui quinto decimo mons Ramelsberg inventus est, & postea per ipsum civitas Goslariensis est constructa. Idem Imperator fundavit monasterium prudentum virginum in Quedelingeburg & ibidem est sepultus.* Quæ verba ideo adscribenda duxi, quoniam ipsum urbis nostræ natalem designant, annum Henrici decimum quintum, qui Christi illuxit nongentesimus trigesimus tertius quo tamen urbem non inchoatam, sed ad civitatis quandam speciem perductam putaverim.

a Euricii Cordi de laudibus & origine Goslariæ Silva

Cæterum de fundatione hujus civitatis venarumque metallicarum origine nitidum extat Euricii Cordi poëma, ad D. Michaëlem Lisarium. Quod cum in omnibus operum illius exemplaribus non occurrat, dignum judicavimus, quod hic integrum compareret. Felicem enim Goslariam puto, quæ tantum rerum suarum præconem invenit:

D. EURICII CORDI DE LAUDIBUS ET ORIGINE GOSLARIÆ

SILVA

Ad D. Michaëlem Lisarium.

CLara fere totum jam me GOSLARIA mensem
Cepit, & ignotus tivibus hospes eram.
Longa, pertæsa piger otia mente trahebam,
Ut mea, præsentes non mihi, cura, libri.
Cum semel ignavum quærens deludere tempus,
Lasciculo petii proxima rura pede.
Quæ tepido nuper Zephyrus spiramine solvit,
Uxorisque opibus pinxit amœna sua.
Jamque novo multa resonabant altæ frondes,
Et mera pubescens gaudia campus erat.
Dum, variidentum captatus imagine rerum,
Millia non certo per juga calle feror:
Adversi alta juvat superare cacumina RAMNI,
Divite qui tantas viscere condit opes,
Et prope subjecta celsissimus imminet Urbi
Atq; minax adeò tollit in astra caput.
Ex hinc non multis quota pars subsidit in annis,
Pressit & innumeros mole ruente viros!
Hinc ego lustratos longis prospectibus agros,
Matior antiqua nobile Lande solum,
Quod Latii toties fœcundum principe Regni,
Sæpe tuum peperit maxima Roma caput,
Quod tenet Oceanas Dux hinc HEINRICUS *ad undas,*
Hinc HELESEMIACA *summus in Urbe Pater,*
Inclita majorum de stemate uterq; propago,
Et patriæ fulgens nobilitate jubar.
Hic ubi, quanta ciet tantos heroas Erinnys,
Cogito: quam fervens cogit in arma furor:
Teutonica incipio tristis miscrescere sortis,
Quam modo tot rapidus fluctibus æstus agit.
Ut quæ finitimis Germania gentibus olim,
Maximus invicto robore terror erat:
Atq; peregrino dominatrix restitit hosti,
Non caros aliquem vertere passa lares:
In sua conversis jam viscera sæviat armis,
Et propriis insemet fera perdat opes.
Dum tamen interea securas Turca phalanges
Trajicit, & nostro victor in orbe sedet.
Possessis dominum nemo de finibus arcet.
Accepta facili Marte potitur humo.
Proq; truci passim populando libidine vastat,
Addit & imperiis obvia quæque suis.
O ubi nunc prisca vires! ubi mascula virtus,
Et vetus in cara nomina gentis amor?
Isti ubi nunc animi cessant, ubi fortia corda,
Et valida semper Martia in arma manus?
Quæ tot ab antiquis fixere trophæa diebus,
Hoc nobis regni qua peperere decus.
Hæc & plura pio mecum conquestus amore:
In patrium grato quem gero corde solum:
Gramineo fessus compono membra sedili,
Qua dedit umbrosam frondea pinus humum.
Imaque despiciens urbis fundamina lustro,
Et tam magnificum surgere miror opus.
Quanta levent crassis se propugnacula muris,
Quanto caligans aggere fossa natet,
Ut, quæ se ostentant, taceam & tormenta minantur,
Quam patula ex altis turribus ora ferunt.
Non ita munitam viderunt Pergama Trojam,
Autores quamvis retulit illa Deos.
Non Amphionii tam fortia mœnia cantus,
Quantumvis blanda constituere prece.
Tercentum incumbant cataphractæ millia turmæ,
Et vomat immensos panda Boarda globos.
Sex veniant Cyri, tres Xerxes, quinque Darii,
Ipse ferat vires denique Turca suas:
Tuta tamen salvos intus munimina cives
Servabunt, vanas despicientque minas.
Inde ego declives visum descendo cavernas
Cæca quod in montis viscera tendit iter.
Unde velut quodam nascens GOSLARIA ventre
Prodiit, & tantum filia tulmen habet.
Hic ego Tanarias videor mihi cernere fauces,
Et subter stygium nigra barathra chaos.
Religiosa nihil tristis reor ante Trophoni:
Nil quod in Hiberno visitur orbe specus.
Tanta patent alte nulla fastigia fundo,
Unde subascendens triste mephitis olet.
Hæc per præcipites ausus me immittere scalas,
Terribilem sumpta lampade tento viam.
Ante tamen vili contectus corpora lino,
Et positis ibi, quas perdere nolo, togis,

Namq; ferunt omnem, qua texta e vellere, veſtem
Neſcio queis poſſum, protinus ire modis.
Deferor in longas aliquot, puto, millibus umbras:
Suſpicer infernum non procul eſſe Jovem.
Eſſe aliquos credam, quos claudant Tartara manes,
Aut Phlegetonteos, tertia regna, lacus?
Effoſſa inventi dudum tellure fuiſſent,
Factus & ad ſuperas exitus inde domos.
Sic quæſita etiam medii penetralia centri:
Intimus arcanum nil magis orbis habet.
Infima, jam ventum eſt, ubi ſe teſtudo repandit,
Qua facit immanes plurima crypta ſcrobes.
Ut veni, ut ſtupui! ut rancis vox faucibus hæſit!
Utque mihi horrentes diriguere comæ!
Hei mihi quæ trabium hic facies? quæ fabrica ſurgit?
Totius & montis penſile fulcit onus?
Quos hac mille tenus ſtudiis decrevit ad uſus,
Qua viret Herciniis proxima ſilva jugis.
Quam varias in multas ſe findit ſemita partes!
Dædaleas poſſem certius ire vias.
Quem populum video, quantos tolerare labores!
Quam cava terribilis perſonat antra fragor!
Dixerit Ætneos media inter flumina fratres,
Urget ubi præceps armiger ales opus.
Non aliis ſtudiis, aliisque ardoribus olim,
Idæi inſtabant, dactyla turba, Phryges.
Ingens Damnameneus, trux Celmis & efferus Acmon,
Quos habet autores ferrea maſſa ſuos.
Quisque ſuam ſubeunt operam: ferit ille ſecatq;
Hic cæſas trudit, ſuſcipit alter opes.
Quas coquit aſſiduus centum fornacibus ignis,
Vitrea qua parvi labitur unda Goſe.
Perpete & æterno tumet iſta fodina metallo,
Quod minuet nullo meta modusve die;
Ultra quod quid aves felix Goslaria munus,
Quæ magis a ſummo vis tibi dona Deo?
Hæc pete largitis bene poſſis datibus uti,
Et pro communi commoditate frui.
Utque tuos inter pax & concordia cives
Regnet, & elucens cum pietate fides.
Hic ego prætereo, quanta mirabilis arte
Jugiter abſorptas machina tollit aquas.
Prætereo, quanto hæc deducitur unda meatu,
Quotque laboratum per juga quærit iter.
Omne quod eſt fixis ſpectacula viſibus offert,
Et facit infandis obſtupuiſſe modis.
Tandem ubi inrbatum cepiſſet nauſea ventrem
Inſuetoque modo non tolerandus odor.
Ætherias rurſum ſublimis reddor in auras
Et lavo, quæ pinxit luridus ora color.
Si vacat, illarum referam primordia rerum,
Quæ cauſa inventi, quæ ſit origo loci.
Me brevis expediam. Quid enim iſtis ſeria nugis,
Quid tot curantem te graviora morer?
Tertia cum paucis abierunt ſecula luſtris,
Poſt natum ſalva virginitate Deum.
Vix moder atricis Dux regni HEINRICUS habenis
Cepit & hoc primus nomine Cæſar erat.
Magna viri virtus præclaraq; geſta coruſcant
Paſſa toe, eſt teſtis Pannonis ora, neces.
Hic inter famoſa operum monumenta ſuorum,
Hæc quoque perpetuo non leve nomen habet.
Prima quod huic autor fundamina jecerit urbi,
Nec minus exiſto jactitat illa decus.
Herciniis & enim gaudens convallibus heros,
Jucundiq; ſimul commoditate ſitus:
Quo nunc magna patet tractus GOSLARIA, juſſit
Conſpicuam ingenti ſurgere mole domum.
Addidit huic aliquot paſtorum culmina villas,
Atque per agrantiis nomine dixit aque.
Quas ad delicias ſecedere ſæpe ſolebat,
Cum gravi ſolicita mente ſederet onus.
Huic patrii hæredem genuit ſplendoris OTONEM
Cæſareo plane digna METILDA toro:
Clarus & is Princeps, cui candida punctia tulerunt,
Induperatrici ſceptra tenere manu.
Hoc in eadem etiam ſolitus conſidere ſede,
Perficit inceptum patris & auget opus.
Hanc coluit ſtudiis dictynna deditus aulam,
Cum celeres placuit ſollicitare feras.
Sæpe hic ex altis ſpeculans Editta feneſtris
Vidit, ut infeſtum cuſpide fixit aprum.
Ut cecidit ſævus truculentis cornibus urus,
Utq; ferox alcis, terrificusq; biſon.
Carus huic doctus ſilvam & veſtigia RAMNUS,
Vix fuit hac olim tantus in arte Crotus.
Quadam forte die venans in montibus iſtis,
Explicuit raras diſpoſuitq; plagas.
Adſtat ei mandens ſpumantia frena caballus,
Et ſtrepero fœtam trux pede pulſat humum.
Atque ita comperti fulgentia fruſta metalli,
Effacta fodiens eruit ille ſcrobe.
Hæc videt & tollit (Dea ſic fortuna volebat)
RAMNUS, ut adſtricto lora reſolvit equo.
Atq; ſuis librata volis inventa tuetur,
Exigui mirans pondera tanta globi.
Non merus id lapis eſt, inquit, vulgareve ſaxum:
Forte latens precium lucida mica refert.
Attulit ad Dominum: Dominus dum vidit: O inquit,
Iſtud ubi inventum? quæ tulit iſtud humus?
Hunc mihi RAMNE locum monſtra: ſic mollis Oreas,
Sic tibi cum nymphis fauſta Diana ſuis,
Sic tibi mille cadant in craſtina retia cervi,
Nec fugiat caſſes præda petita tuos.
Ille locum monſtrat vicini culmina montis,
Qua pigra frigentis reſpicit aſtra poli.
Nun mora deſcendens confeſtim aperitur hiatus,
Et multa inventa mole trahuntur opes.
Nec labor obſtruſas ſcrutari & quærere venas,
Totum erat argenti & plumbea gleba ſolum.
I nunc, & dicas Corneli irata negaſſe
Numina Germanis fœta metalla jugis.
Gaudet & accitum RAMNUM vocat inclytus heros,
Atq; hilari reſidens talia voce refert:
Magne olim nobis, at jam nunc maxime RAMNE
Extantis etiam, quos habet aula, viris.
Te quia divitiis auctis ſumus inventore,
Accipies meriti præmia digna tui.
His te Pannonii donamus millibus auri,
Quæ noſtri pignus dona favoris habe.

Inſu-

Is quoque hunc etiam grati largimur honorem,
Ponet ut æternas postera fama dies.
Ipse ille tuum Ramus mons nomen habebit,
Dum feret affines incola Saxo plagas.
Hæc in sera feres post fatum sæcula laudem,
Hac immortalis vivere parte potes.
Dixi, & ipsa fides sequitur jam pluribus annis,
Sique dum stabit, deinde sequetur, apex.
Mox subita accipiens populique augmenta locique
Exiguo magnus tempore pagus erat.
Hos dux CONRADUS, *deinc dux* HEINRICUS *ab annis,*
Illum hic Cæsar, Cæsar & ille Pater,
Dilatata novis cingunt Pomœria muris,
Ejectoque levant ardua valla solo.
Utque alibi sacras, sic his quoque civibus ædes,
(Tanta viris pietas, religioque,) locant.
Talibus auspiciis hæc splendida tecta renident,
Et patet hoc, quod adhuc urbs habet illa decus.
Hæc tibi jam duxi dulcis scribenda Michaël,
Aonio summè concelebrande viro.
Munificum tanto quos excipis hospes honore,
Quique jubes plena cuncta patere domus.
Commodiore mihi quondam cantabere versu,
Illud jam nostri pignus amoris habe.

Vale GOSLARIAE.

V. Idus Maji. M. D. XXII.

Goslaria ab Ottone M. condita? Tund. Nauclerus. Trithem. Ann. Hirs. P. Albin. Chron. Misn. Ursperg. Chron. p. 111. Ann. ab Henrico III. Ann. Saxo. Ann. Saxo. Lyb. Ann. Exc. Sax. ap. Pistor.

NOn ferunt itaque nostræ rationes ut assentiamur Theodorico Niemio & P. Albino, qui soli ab omnibus discessionem facientes *insigne oppidum Goslaria in Saxonia* ab Ottone M. conditum existimant, nam urbis & metallorum origines male distinguentes, aut Ottonis in urbe ornandâ studium non recte interpretati, in hanc sententiam inciderunt. Multo minus adstipulamur Adamo Bremensi, præclaro equidem scriptori, sed qui tamen in asserenda urbis nostræ origine ut solet in antiquioribus, aliquid humani passus est. Hic enim nescio quem autorem secutus, aut, quod magis videtur verisimile, sua ipsius fultus conjectura, primus omnium sententiam tot suffragiis comprobatam deseruit, Goslariæque origines in ipsius Henrici III. cui & Nigri cognomen hæsit, tempora rejecit ita differens: *Ea tempestate Cæsar Heinricus III. ingentibus regni divitiis utens in Saxonia Goslariam fundavit, quam de parvo, ut dicitur molendino, vel tugurio formans venatorio, in tam magnam sicut nunc videri potest, civitatem bono auspicio & celeriter perduxit. In qua etiam sibi construens Palatium, duas omnipotenti Deo congregationes instituit &c.* Hæc suo more exscripsit Albertus Stadensis, Autor historiæ archiep. Bremensium apud Lindenbrogium, & nisi me suspicio fallit Henr. Wolterus, cujus verba merentur hic legi: *Postea cœpit eum regi. Henricus Imperator civitatem construere Goslariensem ex parvo molendino & domo venatoria sua & confirmavit illic comitem de Wernigerode in piscatorem suum in partibus Saxoniæ,* *comitem de Spegelberg in venatorem, & fecit i bidem officia cetera. Et comites hujusmodi ex tali officio receperunt clypeos: Nam Comes de Wernigerode pro signo recepit pisces in clypeo Comes alius cervum cum cornibus in signum sui officii. Comes de Anhalt, qui & de genealogia ex una parte ducum erat Saxoniæ & de Marchionibus Brandenburgensibus, diviso clypeo, factus est venator avium in sylvis & compitis pro coquina regis & de ceteris similiter. Comes vero Ambriæ & Rustriæ qui jacuit inter maritima l ta, ut factor pontis regalis & magister structura & carpentarius, quique asses recepit, sub partitione glauci & rubei. Unde & comites de Brakl usen ex div sione terrarum facti, quatuor asseres & petias reteperunt in albo & rubro. Dum autem Cæsar Henricus ædificasset civitatem Goslariensem, sicut modo stat cum palatio, ex consilio Archiepiscopi Adelberti fecit ibi duo collegia. Unum dedit Archiepiscopo Adelberto, domino nostro in sempiternum ad regendum, & successores, quia sibi semper indivisus fuit comes peregrinationis & laboris.* Hi ergo sunt, qui de Goslariæ natalibus in alia omnia eunt, quorum tamen sententia adeo videtur a veritate aliena, ut miremur, quo pacto hoc iis in mentem venire aut calamo excidere potuerit. Præsertim Adamo Bremensi, qui proxime ab Henrici III. temporibus abfuit in ipsaque Saxonia lucem vidit. Quod si enim priscos revolvas annales, nihil occurret frequentius, quam urbis nomen Goslariæ nostræ jam Ottonis M. temporibus tributum, quod sane fieri non potuisset, si horum autoritate antè Henrici III. tempora non nisi parvulum molendinum, aut tugurium venatorium locis his, ubi nunc Goslaria floret, stetisset. Deinde ex innumeris fere Henrici II. diplomatibus, quorum bonam partem Nic. Schatenius in opus præclarum Annalium Paderbornensium retulit, patet, Goslariam jam Henrico II. sæpius amœnum præbuisse hospitium, documento egregio, jam ante isthæc tempora urbem nostram ita fuisse ædificiis excultam, ut tanti splendoris fuerit capax. Attamen cum nihil simul a primis initiis sit perfectum, omniumque rerum natura ferat, ut incrementa a tempore sumant, faciles largimur, Goslariam, quæ adhuc ab Henrici Aucupis temporibus veluti ex ephebis nondum excesserat, Henrici III. auspiciis civium frequentia mirifice auctam, propemodum novam faciem induisse. Hanc enim divisam inter se laudem Henrici habuerunt, ut primus civitatis fundamenta jecerit, secundus eam auxerit, tertius perfecerit, quartus denique ac quintus frequenti sua præsentia locupletaverint. Quemadmodum Cranzius, Heidetus, Vitriarius, Schatenius & alii observant.

Chr. Bremens. ap. Meibom. tom. 2. rer Germ. p. 39.

Chron. magn. Belg. p. 79

Chr. Archiep. Magd. p. 271 ap. Meibom. tom. 2. Bodo in Syntagm. Abb Gandersh. p. 495. Sigeb. Gemblac. ad ann. 968.

Cranz. l. 3. Saxon. c. 12. p. 71. Vitriar. instit. jurispubl. lib. 1. tit. 18. p. 460. Schat. Annal. Paderb. Part. 1. lib. 6. p. 534.

Ut ergo ad Henricum Aucupem redeamus, quem Goslariæ nostræ parentem dixi-

Goslariæ non ex ab Anno Gosa.

ximus, hic quidem urbem qualem destinaverat, perfectam, suisque mœnibus circumdatam nomine Goslariae insignivit, ab amne patrio Gosa urbem permeante. Terminationem vero *Laar*, quam cum multis civitatibus atque oppidis, veluti Wezlaria, Frizlaria, Vechtelaria, Bredelaria communem habemus, non aliunde natam censet Meibomius, quam ex Germanorum voce Lager/ quam Saxones concisius eloquuntur Laar. Quare Frizlaria eidem est *castrum pacis*, Bredelaria *castrum latum*, Vechtelaria *castrum prælii*, Goslaria vero nostra *castrum ad Gosam*. Facessant itaque, qui aliunde Goslariæ nostræ nomen emendicare malunt. Scilicet sunt, quos vulgi rumor fefellit, qui anserem, Saxonibus eine Gooß his locis ovis incubantem repertum fuisse referunt, cum primum Henricus urbem meditaretur, unde accepto omine, urbs perpetuum ac faustum Goslariæ nomen acceperit. Si bene conjicio, procul dubio figura urbis, quæ ex editoribus spectata locis anseri similior apparet, tale quid nonnullis persuasit: Sed cum a nemine veterum res sit memoriæ prodita: auguriaque cum ipso gentilium Deorum cultu evanuerint: facile licebit existimare, quam frivole ab anseré Goslariæ nomen arcessant anseres e Phalerno. Denique in antiquis Imperatorum Conradi Salici & Henrici III. diplomatibus aliisque tabulis Pontificum & Episcoporum *Gotslare*, *Gozlare*, *Gotslari* etiam *Goslariam* frequentissime vocatam deprehendimus, ratione antiquis his seculis solenni, qua literam S. paulò durius eloqui solebant. Adeo enim hæc loquendi ratio tunc invaluerat, ut ipsis quoque aureæ ætatis Latinis scriptoribus nubes sæpiuscule ea de causa obducta sit, quam impensa deinde Criticorum industria felici opera discussit, ut vel sola vox Plautina *badizat*, quæ pro *badissat* in codices irrepsit, satis perspicue docet. Mirum itaque videtur eo nonnullos e vulgo progredi; ut inde Gozlariam quasi Gotteslager dictam velint, cum tamen ipse amnis Gosa in vetustis codicibus audiat Goza, quod nomen profecto nemo sanus a Dei nomine deduxerit. Quæ cum ita sint & sapiunt omnino, & mecum faciunt, & Jove judicant æquo, qui Gosam per urbem leni cursu labentem nomen Goslariæ fecisse putant.

Meib. de Irminf. c. 1.2.p.23. tom.3. rer Germ.

Non ab anseré *Chr. Gosl. MSC.*

In diplomatibus vocatur Gozlaria, & cur?

vid. *Casp. Sciopp. de arte Critic. p. 59.*

Satis multa hæc forte viderentur de nominibus dicta: nisi ipse amnis Gosa supercesset, qui, cum urbi nomen dederit, pede non plane sicco erit prætereundus. Oritur autem Gosa in Hercyniæ valle non procul a Cellerfeldia urbe, unde ad radices montis Herzberg decurrens aliquot circumactis molendinis per fornicem in urbem admittitur; eodemque officio urbi præstito extra mœnia in alium amnem Azucht dictum se se exonerat. Aquam vehit saluberrimam & multis particulis mineralibus refertam, magno civium bono. Nam etsi pisces nullos alit, cerevisiæ tamen coquendæ inservit tam sapidæ & salubri, ut ejus mercatus nostratibus magna pars sit divitiarum. Quemadmodum & nephritici doloris tam certum remedium creditur, ut cives nostri ab hoc morbo plane se immunes olim jactarint. Frustra operam poneret, qui omnium Germaniæ fluviorum nomina, quæ pro lubitu accolarum arbitrium imposuit, eruere vellet: nihilominus tamen quosdam tenet persuasio, à Gosa Rammi uxore nomen amni, quemadmodum & monti Ramelino ab hujus marito fuisse datum: Sed vix hoc videtur ferendum. Rammus enim, qui venas hic metallicas aperuit, si unquam inter homines fuit, post urbis demum initia Ottonis M. temporibus floruit, ante quod tempus Gosam nomine cáruisse plane non fit verisimile. Fatemur equidem Gesæ aut Gosæ nomen olim fœminis harum regionum admodum familiare fuisse, antiquis quippe tabulis id sæpius inculcantibus: non tamen inde sequitur, ut Gosæ Rammi uxori nominis Gosæ amnis originem tribuamus, quippe quod, si conjecturæ locus est, a Saxoniæ voce eine Goße/ quæ amnem (forte abergiessen) notat, procul dubio natum & a primis hujus loci incolis amni nostro tributum est.

Werdenh. Part. 4. de reb. publ. Hanseat. p. 476.

Goslariæ descriptio.

Sed satis hæc de Goslariæ originibus. Hanc igitur urbem Henricus si Leuberum audiamus, sæpius adiit, forte si quando lusum animo dare, aut publica Imperii negotia venationibus distinguere placebat. His enim exercitationibus ita solebat fortissimus Imperator delectari, ut sæpius una vice quadraginta, aut plures caperet feras, more tam fortibus animis solenni, quibus otii oblectatio sine sudore constare non potest. Quo minus tamen publica hic reipublicæ negotia tractaret, tenuis prohibebat nascentis urbis conditio, quæ regiæ majestatis splendorem nondum capiebat: Nec ullum facile reperias Henrici diploma, quod Goslariam præferat, luculento indicio illum aut nunquam aut rarius sane hic curiam celebrasse.

Henricus sæpius Goslariæ præsens. *Leuberus Stapula Magd. n. 775. Bunt. part. 1. Chr. Brunsv. p. 51. Wisekind. l. 1. p. 641. Abbursp. p. 202 Vetus Compilator ap Mader. p. 136. Antiqu. Brunsv.*

Anni Christi 925. 926. 927. 928.
Henrici Regis. 7. 8. 9. 10.
ab. V. C. 1. 2. 3. 4. 6.

HEnrico sic patriæ res constituenti novum negotium Rudolphus Galliarum Rex facessit, qui dolore amissæ Lotharingiæ anxius in regionem illam arma vertit, totamque fere & vi & Giselberti præfecti perfidia occupat. Hoc rumore perculsus Henricus collecta valida manu tempestive ad Rhenum transit, Gallos Lotharingia ejicit, Germaniæque suæ vindicat nobilem provinciam.

Lotharingia recuperatur. *Abb. Urs. p. 200. Schaten. annal. paderb. l. 3. part. 1. p. 260.*

Vix tamen perfidi cum Henrico in gratiam redierant, & Lotharingia pristina quiete refocillari videbatur, cum Giselbertus ad ingenium rediens, Bisonisque Comitis factione adjutus, in novam recipiendi

endi hujus regni spem crigeretur. Henricus autem nihil cunctatus, cum copiis suis advolat, & rebellionis capitibus obtritis, totam provinciam in sua verba adigit, nulli quippe rei magis, quam retinendæ Imperii majestati intentus.

Annus Christi 929:
Henrici I. Reg. 11.
Ab. V. C. 6.

Henricus Aucupis & barbaros coercet. Witich. Saxo. Chron. Sax. Ann. Hild. Ann. Magd. Thuring. Chron. Cornel. Chronol. Winds. Ann.

INterea quietiores multo hæ regiones adhuc fuerant, civitasque nostra nova subinde capiebat incrementa, cum Slavi, Sorabi, Dani, Normanni veluti ex compacto Saxoniam finitimasque regiones lacerarent. Hinc annus hic contiguis bellorum tempestatibus turbidus primam tamen pacem sub finem restituit. Henricus enim cum exercitu in Slavos movens, multis eos præliis frangit, adultaq; jam hyeme castris super glaciem positis Brenneburgum felici industria expugnat, atque tota adeo Hevellorum provincia potitur. Eadem fabula cum Sorabis Dalaminciæ incolis, quos Abbas Ursspergensis cum Dalmatis male confundit, acta est, quibus victis & pene ad internecionem deletis Henricus tributum annuum imposuit. Adeo jam tum Germania a servitute sua cœperat respirare, ut proximas jam gentes sibi vectigales faceret, quæ paulo ante Hungaris stipendia promittere fuerat coacta.

** Sigebertus aliiq; hoc referunt in annum 925.*

Idem annus fatalis fuit Sehardo Hildesiensi episcopo, qui procul a mundanarum rerum cura positus magna vigilantia ecclesiæ præfuerat. Huic ergo subrogatur Deuthardus, ex Hirsaugiensi monacho abbas Hersfeldensis, qui antecessoris sui secutus vestigia ornandis ecclesiis operam dedit, nulla præterea re in annalibus notus. *Deuth. Hild. ep.*

Nec Rex cum Mathilda sua in ornandis construendisque ecclesiis remissior. Sub id tempus enim huic conjugi suæ Poledam aliaque loca dedit, quæ sanctissima regina, qua erat pietate, pleraq; paulo post in monasteria convertit. Henricus liberalitatem suam diplomate posteris testatus est, quod e Madero huc transferre non piget: *Poleda donatur Mathil. di.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Henricus* divina favente clementia rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, qualiter divina misericordia dispensante sublimati in regnum, omnibus circumquaq; degentibus fidelibus a quo & justo moderamine præesse, & omnia Dei respectu regere cupiamus, placuit etiam nobis domum nostram, Deo opitulante, ordinaliter disponere. Quapropter legali moderatione astantibus fidelibus nostris, cum consensu & astipulatione filii nostri Ottonis & Episcoporum procerumq; & comitum petitione, dulcissimæ conjugi nostræ Mathildæ potestativa manu tradimus & donamus quicquid propriæ hæreditatis in præsenti videmur habere in locis infra nominatis. Hæc enim sunt: *Quitilingaburg, Palithi, Northusa, Gronau, Duderstete*, cum civitatibus & omnibus ad prædicta loca pertinentibus, in jus proprium concessimus, litis, servis, mancipiis, utriusque sexus, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, campis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis. Et ut cuncti cognoscant, eo modo ex ea ratione, si nobis superstes extiterit, & in sanctæ viduitatis pudicitia permanserit, prædicta loca ei concedenda tradimus, ut libera atq; secura potestate, cum omni quæsitu eisdem locis invento, temporibus suis feliciter perfruatur: nec non etiam interiorem familiarum collegionem, intrinsecus famulantium, cum omni supellectili, cum equariciis ibidem inventis, potestati illius possidenda perpetualiter prædestinamus. Et ut nostræ donationis largitio firma stabilisq; permaneat, manu nostra subtus firmavimus, & annulo nostro sigillari præcepimus.

Signum Domini Henrici Serenissimi Regis.

[*Henricus Rex.*]

Simon Notarius ad vicem *Hiltiberti* Archi capellani recognovi. Datæ XVI. Kal Octobr. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVIIII. Indict. II. anno vero X. *Henrici* glorioſi Regis Regni. Actū in loco, qui dicitur *Quintilingaburg*, in Dei nomine feliciter Amen. *Witek. Saxo lib. 2 p. 639 sq.*

Anni Christi 930. 931.
Henrici I. Regis 12. 13.
Ab. V. C. 7. 8.

Bellum cum Slavis & Bohemis.

PRoximi qui sequuntur, anni Bohemico Slavicoq; bello insumti sunt: nisi quod posterior præterea nuptiis Ottonis lætus fuit. Bohemi brevi interjecto tempore victi Germanis subjugantur. Rethariiadem ulturi, occasione arrepta, Wallersiebiam Lunæburgicæ ditionis oppidum invadunt, Christianos trucidant, magnam ubique vastitatem inferentes. Quibus successibus erecti ceteri Slavi, Obotriti, Wilsi, Heveili, Daleminci, Bohemi pariter in Germaniæ perniciem consentiunt. Sed Henricus copias suas eorum regiones intra-

Adam. Brem. l. 1. c. 48 p. 38. Helmold. l. 1. c. 8 p. 24. Alberic. p. 268.

Dietmar. l. 7. p. 6. Sigeb. Chr p. 578. Chr. Sax. p. 153.

intrare juſſit, quibus nihil perterriti barbari innumera cum multitudine occurrunt, Lunckini obſidionem ſoluturi. Duces autem Henrici, cum illis congreſſi tanta victoria potiuntur, ut eo die ſupra CXX. barbarorum millia priſtinæ in Chriſtianos ſævitiæ pœnas dederint, quem numerum Widekindus ad ducenta millia paganorum auget, quos eo die cecidiſſe refert. Prælium hoc ſecuta Lunckini expugnatio, totiusque Saxoniæ ſecuritas, Slavis quippe ne hiſcere quidem poſtea auſis.

Annus Chriſti 932.
Henrici I. Regis 14.
Ab V. C. 9.

Synodus Erphordienſ. pro reformatione Eccl.

ULtimus hic inducIarum cum Ungaris initarum annus Henricum de futuro bello admonebat. Hic igitur convocatis Regni proceribus imminens periculum multis expoſuit, ſervitutem probrosam exaggeravit, ſuamque fidem & operam ſi morem gerere vellent iſtis prolixe obtulit. Nec eccleſiæ minus ſaluti intentus Erphodiæ Synodum coëgit, * in qua de Simonia aliisque cleri vitiis, quæ tunc inoleverant pluribus diſſeruit, illa ſe ſanioribus legibus emendaturum pollicitus, ſi Hungaros Deo opitulante viciſſet. Tandem principes, ut fieri ſolet, res alias ex aliis cogitando id demum viris Germanis dignum conſilium omnes capiunt; opponendum eſſe barbaris juſtum exercitum. Ferroque inhibenda moleſta latrocinia, videri.

Liuthpr. lib. 2. c. 8. p. 107.

* *Reginonis Contin. p. 52. refert ad ann. 936. Vid. Concil. tom. 9. p. 591.*

Ringelheimenſe monaſterium conditū. *Lezner. Chr. Hildeſ. MSC l. 2. c. 53. Ekſtorm. Chr. Wal. kenred p. 306. Reu. tel. Chr. Hillesh. p. 88.*

Hæc inter belli conſilia Machtildis Henrici conjux eccleſiis exſtruendis vacabat, quaſi diviſam hanc inter ſe laudem habuerit laudatiſſimum par conjugum, ut rex ſubmovendis hoſtibus, regina extruendis monaſteriis inſudaret. In Goslariæ noſtræ vicinia eo tempore Machtildis condidit cœnobium Ringelheimenſe ad Inderſtam fluvium, illudq; opimis prædiis locupletatum virginum coloniæ conceſſit: Tamque luculentis privilegiis ornavit, ut ſolius Regis ſubjectum Imperio Abbatia Regalis, non ſecus ac Quedlinburgenſis aut Gandersheimenſis audiverit; Qua libertate gaviſum eſt in Conradi III. tempora, quibus Bernhardo Epiſcopo Hildeſienſi donatum, abrogato virginum conventu, Benedictinis Monachis ceſſit, ut ſuo tempore docebimus.

Annus Chriſti 933.
Henrici I. Regis 15.
Ab V. C. 10.

Hungari in Germaniam redeunt *Witekind l. 1. p. 641.*

ANnus interea illuxit poſt nongenteſimum trigeſimus tertius, Hungarorum potiſſimum inaudita ſtrage, & reparata Saxonum libertate clarus, quo Henricus, atque adeo tota Germania, munitarum urbium fructum tulit longe uberrimum. Expiraverat interea inducIarum tempus, Hungarique, quibus ferocia indies creverat, miſſis ad regem nunciis tributum adhuc præſtitum iniquiſſime flagitabant, multis adjectis minis, niſi illud impetrarent. Rex autem indecoræ ſervitutis pertæſus conditionem aſpernatus nuncios vacuos remiſit, ſatis adhuc, inquiens, Germaniam ab Hungaris exhauſtam eſſe, ſtatuendum ſervituti modum, Saxoniamque demum in libertatem vindicandam. Quibus exaſperati Hungari cohiberi amplius non potuerunt, tantisque copiis per Miſniam eruperunt in Thuringiam, ut niſi divina clementia Henrici arma juviſſet, vix ulla ſalutis ſpes fuiſſet reliqua. Inde diviſo agmine altero in Weſtphaliam tendunt, omnia ferro flammisque devaſtantes, altero in Thuringa ſubſiſtunt, Merſeburgum, quod Rex paulo ante munierat, occupaturi, totique adeo Oſtphaliæ noſtræ ruinam jugumque minitantes.

Gobelin. ætat. 6. c. 47. p. 247. Otto Friſ. l. 6. c. 18. p. 127. Ditm. l. 1. p. 9. Cranz. l. 5 Sax. c. 8. p. 69. Abb. Urſp. p. 201 Helmold. l. 1. Liuthpr. l. 2. c. 8. 9. p 106. 107. Sig. p. 579. Chr. Rheg cont. p. 75. Herm. Cõtract. Chr 312. ap. Urſtiſ.

Victi ab Henrico prope Merſb.

Rex tot malis non perterritus, collectis totius Saxoniæ viribus, barbaris occurrit, & copias primum in Weſtphalos ſævientes aggreſſus felici prælio fudit. Capti Duces, plures trucidati reliqui in fugam acti per montes & terras ſibi minus familiares, miſerabili ſorte perierunt. Quo ſucceſſu lætus Henricus victoriam prælii hujus exitu non terminandam ratus, occaſionem delendæ ignominiæ non dimiſit, ſed copiis in Suirbiam ductis barbaros Merſeburgi invaſit, tantamque ſtragem dedit, ut tringinta & ſex cæſorum millia numerata ſint, præter eos, qui aut flumine hauſti, aut in fuga deprehenſi ſunt. Hæc victoria, cui parem vix humana poterat memoria recordari, Henrici gloriam adeo per omnem terrarum orbem illuſtravit, ut omnes ejus arma timerent, prudentiam admirarentur. Exercitus quoque nihil ſibi laudis tribuens, Henricum patrem patriæ, decus Saxoniæ, columen Germaniæ ſalutabat, quippe qui ſolus periclitantem patriæ libertatem felici induſtria reſtituiſſet.

Anni Chriſti 934. 935.
Henrici I. Regis 14. 15.
Ab V. C. 11. 12.

Arx Georgenb. ædificata.

JAm reſtituta patriæ quiete Henricus Saxoniam ſuam denuo inviſit, ubique prudentiæ ſuæ veſtigiis relictis. Goslaria noſtra hoc anno nova arce Montis S. Georgii munita, quæ tamen interjecto tempore in monaſterium mutata Regularibus S. Auguſtini Canonicis hoſpitium diutiſſime præbuit. Leznerus equidem, qui in inquirendis patriæ rebus nulli ceſſit induſtria, ipſius monaſterii origines in hanc ætatem refert Henrico Aucupi laudem tribuens: quem & Auctorem Montis Francorum ea in re ſequi video: Sed vereor, ne Leznerus, publicis tabulis deſtitutus, famam tantum vulgi ſectatus ſit, quæ olim conſtanter Henricum hujus monaſterii parentem ferebat. Nam florentiſſimum Curiæ Griſonum monaſterium

Leznet. l. 2. Hiſt. Hild. MSC. c. 33. & cap. 85. Chr. Francom. p. 4.

anna-

annales servat a quodam Montis S. Georgii Canonico conditos, in quibus hæc leguntur: *Monasterium divi Georgii anno 934 à Henrico Imperatore ejusdem nominis primo honorem Dei & S. Georgii constructum, & Canonicis D. Augustini regularibus traditum, ab Henrico IV. roboratum, ab Henrico V. confirmatum & amplius magnifice dotatum a Friderico I. & Friderico III. regali liberalitate multis bonis ac prædiis augmentatum ac demum a Carolo Imp. ejus nominis IV. & Maximiliano liberaliter in omnibus bonis privilegiis, gratiis, libertatibus & juribus approbatum, innovatum & confirmatum est.* Verum hæc luculentissimis auctorum testimoniis repugnant, nec cum tabulis, quæ Summe Reverendi Præpositi Grauhoffiani beneficio mecum communicatæ sunt, conveniunt, ut paulo post dilucidius patebit. Nihil ergo Henrico Aucupi tribuere facile possumus præter arcem Georgenberg, quam antea eo loco, ubi deinde monasterium floruit, stetisse, vulgaris apud nos fama est.

Barbaræ nationes victæ. Anno. Inscriptio. Hil. Chron.

Inde Henricus continuatis victoriarum trophæis, in reliquas barbaras gentes, quæ Germaniæ timendæ erant, movit, quas Caroli M. exemplo debellatas, abnegatis superstitionibus, Christo nomen dare jussit, multis in eas regiones missis, qui Christi doctrinam palam paganos docerent: quæ res cum ab instituti ratione paulo sit remotior, non eget stylo.

Annus Christi 936.
Henrici I. Regis ult.
Ottonis M. Reg. I.
Ab V. C. 13.

Ennius. Annal. Hunib. Chron. Sigeb. Chron. Ann. Saxo. Ann. Corb. Ann. Hild. Ann. Quedlinb. Ann. Lamb. Ann. Magd. Ann. Vinc. Ann. Ann. Rom. Cur. p. 33. Alb. Lubec. p. 203. Abb. Stad. p. 173. Ludger. 453. Hoyer.

PRoceedebat jam decimus septimus Henrici annus, cum Germania undiquaque pacata hunc optimum parentem suum amitteret; nunquam deploranda satis jactura nisi Otto, patriæ virtutis ex asse hæres, Henrici triumphos continuasset: dignus quippe præreliquis fratribus visus, in quem imperii moles devolveretur, Henricus itaque cum jam se ad extrema urgeri sentiret, convocato populo Ottonem regem designat, reliquisq; prudenti testamento dispositis, VI. Nonas Julii in Saxoniæ & Thuringiæ confiniis Mimileviæ, quæ Vrspergensi & Alberto Stadensi Himilevia, Liuthprando Himeleuna est, pie e vivis excessit, princeps & victoriis & prudentia & pietate nulli secundus. Corpus exangue Quedlinburgum aut ut Hermannus vocat, *Chlertilineburgum* transvectum; in templo Servatii conditorium invenit, hodienum ex tanta vetustate ex parte superstes.

Otto M. succedit patri.

Divulgata regis morte, non diu principum æmulatione de regno certatum, cum nemo videretur ea majestate dignior ac Otto, Henrici e Machtilda filius: quem Saxones ac Franci consentientibus suffragiis electum, mox Aquisgrani, tanquam in regni Lothariensis sede solenni inaugurationis ritu consecrarunt. Magna est rerum ab Ottone gestarum gloria, siquidem proceribus ad officium revocatis, Hungaros, qui meliorem fortunam experturi, denuo Germaniam invaserant juxta Lycum fluvium ad internecionem delevit, Longobardiam quoq; ditioni adjecit, ipsamq; Augustam dignitatem in suam familiam intulit. Sed Ottonum nomen nescio quo fato Goslariæ non satis faustum est, cum nec eam multum exornasse, nec sua præsentia frequenter illustrasse in annalibus dicantur, quicquid Euricius Cordus in sylva paulo ante recensita de Ottonis M. & Edithæ crebro accessu referat. Forte exteris bellis impediti rarius de hac Saxoniæ parte cogitabant: aut quod mihi propius ad veritatem accedere videtur, supina historicorum negligentia memoriæ hoc prodere omisit. Quæcunq; demum causa sit, nostram hic fatemur infelicitatem, quibus paucula de Ottonibus licuit expiscari, quæ Goslariam nostram aut viciniam respiciant propius. Quare non est, quod chartas rerum exterarum narratione impleamus, cum de Ottonum gestis multa extent historicorú volumina. Mutato potius consilio ea tantum per hoc seculum consectari juvat, quæ Goslariam nostram aut sane vicinas regiones spectant.

Annus Christi 952.
Ottonis Reg. 17.
Ab V. C. 29.

ANnus igitur post nongentesimum quinquagesimus secundus viciniam nostram auxit monasterio Poledano. Quod enim Mathilda jam ante cœperat Otto vicum hunc regium invisens hoc anno perfecit, datoque luculento diplomate confirmavit. Locus hic multis nominibus apud autores celebris modo Polede, modo Palithi, modo Polichi aut Polde vocatur, curtemque Regiam a Saxonicis Imperatoribus sæpe frequentatam habuit. Situs fuit in loco paludoso in Thuringiæ confiniis Goslariam inter & Mulhusum in præfectura Herzbergensi, unde & nomen Polede inveniisse credimus Engelhusio, nisi forte a præter labente amne Pulio nomen sortitus est, cui tamen autori ut & Bodoni nescio quomodo hoc calamo excidere potuerit, quod Præmonstratensium ordinem in hoc cœnobium a Mathilda introductum scribit, cum ea ætate nondum floruerit ista sive monachorum sive Canonicorum familia: Multis post annis à Nortberto Lotharingo seculo demum XIII. collecta & a Calixto II. & Innocentio stabilita, ut Barlæus, Polydorus Virgilius, Hildebrandus aliique, quin & ipse Engelhusius sui oblitus magno consensu tradunt. Sed secutus est Engelhusius suo more Langenium qui in Saxonia sua ita cecinit

Monasterium Poledæ fundatur.

Paulini Chron. Otberg. p. 222. Engelhus. Chr. p. 74. Bodo Synt. de Ganders. p. 491. Franc. Mod. ap. Gualt. part. 1. Chron. eccl. p. 1632 Barlæus. Cent. 3. Script. Britann. cap. 34.

Huic conthoralis Mechtildis erat specialis,
Præmonstratenses in Polde mox sapientes;
Northusen pulcras statuit Canfunga puellas.

Virg. l. 7. c. 3. Hildebr. de Ord. rel. p. 3. Engelh. p. 219. Polyd.

Rectius doctissimus Meibomius Benedictinis hoc Monasterium vindicat, quibus suc-

Meibom. p. 360. tom. 1. rer. ger.

cc-

cedentibus temporibus Præmonstratenses successerunt, nec negaverim ante Engelhusii ætatem hos in illorum locum subrogatos, siquidem Chronicon Magdeburgense hoc non obscure innuit, penitusque confirmat bulla Innocentii Pontificis, quam nuper in lucem protraxit Leukfeldus. Ceterum tabulæ, quibus Otto monasterium hoc confirmavit, extant apud Maderum unde nos repetimus: *p. 328. Leukfeld. antiqu. Walkenr. part. 1. p. 205.*

Chron. Magd. apud Meib.

IN nomine sanctæ & individuæ. Trinitatis Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnium fidelium tam præsentium quam futurorum piæ devotioni pateat, quod nos ob amorem regni æterni, nostrique Imperii stabilitate, nec non sanitate nostra, ac dilectæ conjugis nostræ, & dilectissimæ sobolis, atque pro remedio animarum parentum nostrorum, in quodam loco nostro *Palithi* nominato, Abbatiam Monachorum in honorem *S. Johannis Baptistæ* sanctique confessoris *Servatii*, constructam, consensu ac voluntate venerabilis *Hattonis*, Moguntinensis Ecclesiæ videlicet Archiepiscopi, fieri concessimus ac nostra regia vel Imperiali munificentia stabilire decrevimus. Ad hujus ergo Abbatiæ præfatæ augmentum & perpetuæ solidatis firmitatem tertiam partem curiæ nostræ *Palithi*, cum omnibus ad hanc rite pertinentibus, eidem Ecclesiæ in perpetuum perdurandum donamus; hoc est: areis, terris cultis & incultis: viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, agris, campis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, venationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, & in mancipiis utriusq; sexus, cunctisq; aliis rebus, quæ ad hæc aliquatenus dici vel accommodari possunt, ad eandem Abbatiam, & ad sustentationem Monachorum in eadem Deo famulantium, nostra regia vel Imperiali majestate integre ac perpetualiter tradimus. Ad hæc vero supra dicta eandem supra dictam Ecclesiam per diversa loca augmentare & honorifice ditare devotissime curavimus, atque ab omni vexatione seu oppressione liberam permanere decernimus. Unde etiam Ecclesias & nova ad eandem prædictam curiam rite pertinentes, cum prædiis & novalibus eidem Ecclesiæ assignavimus. Placuit vero nihilominus scripto nostro confirmare prædia vel reditus prædictæ Ecclesiæ, sive per nos, seu per alios quosve fideles collatos, in his scilicet locis. *Scharzfelde, Alvingenpunrod, Rumigerod, Munickenod, Abbaterod, Rudersrod, Tuserod, Ammekerod, Watterod, Elvvingen*, cum omnibus ad hæc rite pertinentibus, silvis, pascuis, agris, piscationibus, sive aliis quibusq; commoditatibus, tertiam partem villæ *Palithi*; tertiam partem villæ *Berkefeld*, tertiam partem villæ Hattorff, tertiam partem Bissbusen in *Herste* Ecclesiæ, & septem mansus in *Lengede* sex mansus in *Popsum* sex mansus, in *Grone* capellam regalem & quinq; mansus, in *Gottingen* Ecclesiam & telonium, & unum mansum in Seberch, unum mansum in *Westphalia*, in *Brakle*, & *Tunede*, decem mansus in Dreutmunde, duas curia in *Culisin*, unum mansum & quatuor vineas ad sacrificium altaris, in *Frisia* in *Wicfort*, in *Vnevverde*, in *Colmerhorn*, viginti quatuor talenta, in *Frankenbusen* unum mansum & duas patellas. Hæc omnia vel per nos, vel per alios quosq; fideles Palidensi Ecclesiæ tradita, ad stipendium fratrum regia vel Imperiali munificentia corroboramus. Decimas sane per parochiam Palidensis Ecclesiæ, & per quædam novalia ejusdem Ecclesiæ a Monachis novellata, a venerabili *Hattone*, Moguntinensi Archiepiscopo nostra admonitione & utili moguntinensis Ecclesiæ recompensatione eidē prænominatæ Ecclesiæ irretractabiliter concessa, nihilominus sancimus. Statuimus autem ut nullus comes, nullus miles, nullus judex, nulla prorsus persona in præfata Ecclesia, sive in ejus bonis exinde habeat potestatē exercendi quid velit, vel ejus bona quoquo modo injuste invadere, minuere vel alienare, sed omnia integre consistant, & ad eorum usus quorum sustentationi tradita sunt, perpetualiter permaneant. Quod si quis arte aliqua sive dolo, sive violentia quæque bona prænominatæ Ecclesiæ minuere præsumserit, anathema, sit & a regno Dei & consortio sanctæ Ecclesiæ nunc & semper segregatus; & sit portio ejus cum Sathana & angelis ejus, usq; in æternum. Fiat! Fiat! Ut autem hæc nostræ autoritatis traditio a cunctis fidelibus omni tempore stabilis, firma & inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuq; propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imp. Aug.

Datum XVI Kal. Maj. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII, Anno regni Ottonis Magni XIX. Actum *Palithi* feliciter, AMEN.

Ma-

Mathil. dæ laus. Engelhus. Auct. de Landg. Thuring. p. m.

Mathildæ hujus monasterii fundationem præcipue tribuendam, facile persuaderi nos patimur autoritate Engelhusii, & Auctoris de Landgraviis Thuringiæ, præcipue cum paulo ante locus hic ab Henrico illi Leulento diplomate donatus sit: nec obscure hoc prodit Otto his ipsis literis, ubi hanc abbatiam non tam a se fundatam, quam *fieri concessam* scribit. Ceterum Mathilda hæc tot monasteriorũ in vicinia nostra parens natales suos referebat ad illustrissimos Ringelhemii comites, quæ familia his oris antiquissima Saxonibus ante Caroli ætatem sæpe Duces dederat. Quinimo, si Lezneri conjecturæ locus, Principes Sabaudiæ, Zaringiæ, Montferatenses, Genuenses, Bononienses, Salussani, Antiquissimi etiam Burggravii Magdeburgenses, & comites Oldenburgenses, Alvenlebii; Rustriæ & Ambriæ non aliunde quam ex hac celeberrima Ringelheimensium familia originem habuerunt. Insignia eorum præferebant divisum clypeum infra partim rubrum, partim aureum, superius cæruleum, inferior pars subdivisa leonem rubrum in aureo & Draconem aureum in rubro clypeo, superior aquilam albam coronatam ostendit, quemadmodum præter Leznerum hæc insignia ex ipso monasterio Poledano depingit etiam Extormius. Sed en partem familiæ ex Leznero huc transscriptam: *lib. 3. c. 1. Chron. Hild. MSC.*

comites Ringelheimenses. Lezner.

Eckstorm. Chr. Walkenr. p. 306.

Wiprechtus *dux Saxoniæ Angriæ & Westphaliæ obiit anno 825.*

Walpertus *Dux Saxoniæ & Angriæ, Comes Ringelheimii.* — Bruno *Conditor arcis Brunsteinii.*

Conj. Adelburgis

Vlricus *in torneamento Magdeburgensi periit.* — Meinhardus — Dietricus. *Comes Ringelheimii* Conj. Remilda.

Seboldus

Widekindus

Immadus Comes *Ringelhemii* Conj. Emma. — Regenbertus, *fortissime adversus Normannos pugnans.* — Witekindus. *Burggravius Zorbeccensis & Wettinensis.* Conj. Jutta, *Comitissa de Gleichen.* — Dietricus II. *Comes Ringelheimii* Conj. Heidwigis de Monte

Charilis Bertoldus. Bodo. *Alberti Comitis Ascharia Conjux.*

Alemarus *princeps Taurinensis & Marchio Montisferrati.* — Dietricus

Mathilda *Henrici Aucupis Conj. obiit A.D. 969.* — Siffridus. *Marchio Brandenb. Conjug.* Magdalena *Comitissa Ascania.* — Otto *Comes Ringelheim. & Oldenburg.* — Seboldus *interfuit prælio Merseburgensi.* — Witekindus *ultimo sue stirpis moritur anno 932.*

* *Confer. Meib. not. ad Witek. p. 681. tom. 1. Luca part. 1. atr. Comit. p. 450. sqq. Henning. theatr. Geneal. monarch. 4. regni 2. & 3. part. 2. p. 2.*

Hæc Leznerus, quem non ignoro in nonnullis ab aliis discrepare, ut solent antiquæ ejusmodi familiæ eruditis crucem figere. Cum tamen Chronicon ejus Hildesiense, cujus meliorem partem in scriniis meis asservo, nunquam viderit lucem, putavi me operæ pretium facturum, si nonnulla subinde ex eo excerperem, lectoriq; ex ungue de leone judicium permitterem.

Annus Christi 956.
Ottonis I. Regis 21.
Ab V. C. 33.

Chron. Hildes.

ANnus processit Ottonis vigesimus primus, quo ille fugatis Ungaris, qui denuo in Germania latrocinia egerant, in Episcopus creatur. Slavos movet, ferocem populum & tot annis patriæ gravem in ordinem coacturus. Et jam ubique victricia arma circumferre cœperat, cum regiones hæ interea pastorem amitterent Deuthardum Hildesiensem Episcopum, qui adhuc ecclesiæ non sine laude præfuerat. Huic ergo subrogatur Ochwinus, ut Bruschio vocatur, Ditmarus enim Aduvinum, alii Othwinum appellant, vir pro seculo doctus & magno fervore religionis clarus. Primus hic, ut Hildesiensium fasti referunt Canonicis modicam vini mensuram concessit, quod tunc, cum adhuc claustris

Brusch. ap. Gualt. tom. 1. p. 1039. Ditmar. l. 4. p. 67. Trithem. Chr. Hirsang.

Chron. Ep. Hildes. MSC. c. 11. Rentel. Chr. Hildesh. p. 77. Meibom. Chr. Berg. p. 292. tom 3. rer. germ.

Canonici continerentur, rarum quoddam & insolitum videbatur. Antequam Episcopatui præesse cœpit, in monasterio Augiensi diutius scholas aperuerat: Inde Magdeburgum vocatus Abbatiæ Bergensi fuerat præfectus. Tandem cum omnes laudis & honorum gradus percurrisset, Hildesiensibus hoc anno datur Episcopus. Qua cura in augendo episcopatu suo suaverit Gisenheimium docet, quod illi adjecit: quo religionis promovendæ studio fuerit, S. Epiphanii corpus declarat, quod ipse ex Italia more seculi multis impensis Hildesiam transvectum splendida basilica honoravit. Denique prudentia illius inde elucet, quod Ottoni M. felicissimo ingeniorum censori dignus visus est, cujus consilio ipse uteretur: quemque secum una sæpius haberet. Venerandus erat præsul & omnem laudem longe supergressurus, si in alia secula incidisset.

Meib. de rest. eccles Magdeb. tom. 1. rer. Germ. p. 734.

Annus Christi 968.

Ottonis I. Imp. 7. Reg. 33. Ab. V. C. 45.

Venæ metallicæ Goslariæ apertæ.

Ditm. Mersch. l. 2. p. 24. Witek. l. 3. p. 659. Sigebert. Gembl. ad ann. 968. p. 585. God. Viterb. p. 478. Otto Frisl. l. 6. c. 24. p. 131. Chron. Magd. p. 271. tom. 2. ap. Meib. Chron. M. Belgic. p. 79. Æn. Sylv. in Cosmogr. p. 289. Bodo Synt. Abb. Gandersh. p. 495. Chr. Carion. l. 4. p. 499. Schaten. annal. Paderb. part. 1. p. 315 Albin. Chr. Metall. tit. 2. p. 7.

IAm magnus Otto multis trophæis ipsaque Augusta dignitate auctus ex Italia redierat, cum Goslariæ nostræ magna incrementorum spes e metallis effulgeret. Tunc enim, ut Ditmari verbis rem eloquar, *aureum illuxit seculum, apud nos inventa primum vena argenti.* Sunt qui hæc Ditmari de Misniæ metallis accipiunt, quoniam Ditmarus in illis regionibus vixit; sed verba *apud nos* nondum hoc nobis persuadent, cum iis uti de tota Saxonia potuerit, ipse quippe Saxo & comes Walbecensis. Nominatim certe Saxonicis hoc est Goslariensibus metallis primas deferunt Witekindus, Sigebertus Gemblacensis, Otto Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Autor Chronici Magdeb. apud Meibomium, Joannes Nussiensis in Chronico magno Belgico, Æneas Sylvius, Bodo, Melanchton, Schatenius & ipse Albinus, & quicunque demum de metallorum origine scripserunt. Unde pariter in errore eos versari patet, qui metalla urbi coæva existimant, cum nemo veterum præter Amelunxbornensis chronici compilatorem id tradat, ceteris quippe omnibus fortunatis Ottonis temporibus hanc laudem veluti ex compacto tribuentibus. Quamvis non negarim, jam Henrici Aucupis extremis temporibus quædam metallorum indicia in Saxonia se prodidisse. Nec minus erroris arguendi veteres nonnulli, qui Germaniam his dotibus a natura plane defraudatam crediderunt, quos vel solus Tacitus meliora docere potuisset: Hic enim de Germanis: *Argentum*, inquit, *& aurum propitii, an irati Dii negaverint dubito. Nec tamen affirmaverim nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. Quis enim scrutatus est?* Nec fefellit Tacitum sententia. Thesauros enim Romanis intactos Ottonis temporibus tam benigne reclusit mons urbi nostræ imminens, ut mirifice ex illis locupletatum Imperatorem hunc Engelhusius aliique tradant historici.

& tit. 15. p. 111. Meibom. diss. de metall. Harzicis.

Quo fato latentes hæ divitiæ in lucem prodierint, nondum convenit inter historicos. E Sigeberti verbis pene colligas, revenas nostras non casu aliquo, sed studio atque cura hominum detectas fuisse. Sic enim ille: *Otto Imperator in terra Saxonica venas auri & argenti primus industria sua aperuit.* Verum huic sententiæ constans apud nos fama hominum repugnat, cum ipso montis nomine ad posteros propagata. Ferunt enim Rammum quendam, quem alii equitem, alii venatorem vocant, cum in hoc monte suo feram persequeretur, quo commodius per inaccessa loca pedibus penetraret, equum arbori alligasse, qui interea absentis Domini desiderio actus terra ungulis quassata venam aperuerit, non secus ac Pegasus olim Caballinum in Parnasso fontem, unde & monti Ramelino nobile ac perpetuum nomen hæserit. Quam sententiam, ne plane novam aut heri demum natam existimes, jamdudum Engelhusii ætate circumlati versiculi suadent, qui non obscure eandem narratiunculam inculcant:

Sigeb. l. c.

Lohneis. fol. 77. Topogr. Brunsv. p. 169.

Longæ sylvæ scrutator cervorum comitator
Ramme fuit dictus, rammorum pertulit ictus,
Est mox tantillo Rammesberg dictus ab illo
Uxor hujus Goza: nunc est ex hac aqua Goza.

Engelhus. Chr. p. 176.

Sed hæc quidem rerum talium peritis discutienda relinquimus, Agricola sane montem fere totum e galenis & pyritis compositum testatur, unde facile fieri potuit, ut casu aliquo vena aperiretur, præsertim cum Saxonibus ista ætate nondum fuerit ea rerum metallicarum peritia, ut latentes hos thesauros studio investigare potuerint.

Metalla inter regalia sunt numerata.

Nulli hæ divitiæ veteri Imperii more præter ipsi Imperatori cedebant, nec cuiquam tunc licebat inconsulto rege venas usquam indagare. Sic Abbas Corbeiensis * metalla fodiendi potestatem a Conrado Guido Guerra a Friderico I. impetrabant, sed & Henrici VI. adhuc ætate venæ argenti juris imperii asserebantur, adeo, ut cum in Diœcesi Mindensi anno 1189. novæ venæ essent repertæ, quas sibi Episcopi Osnabrugensis, Paderbornensis, & Mindensis vindicabant, Rex sua jura his literis tueretur:

* *Annal. Corbeiens. ap. Paulin. p. 395. Sigon. l. 13. de regno Ital. p. 316. Meibom. de metall. Harzic. th. 40. sqq. Chronic. Mindens. ap. Pistor. Mindens. tom. 3. p. 742. Watenst. Chron. Mind. p. 23. Goldast. tom. 3. const. Imp. p. 362.*

Hen-

Monumentum conjugum qvorundam illustrium, qvos vulgus Rammum ejusq; uxorem Gosam interpretatur. ad ann. 968. Lib. I.

HEnricus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus fidelibus ſuis Epiſcopis Mindenſi, Paderburnenſi, Oſnabrugenſi, Comitibus quoque & nobilibus, & univerſis hominibus in eisdem Epiſcopatibus conſtitutis gratiam ſuam & omne bonum. Cum omnis argentifodina ad jura pertineat imperii, & inter regalia noſtra ſit computata, *nulli venit in dubium, quin ea quæ nuper in Epiſcopatu Mindenſi dicitur inventa ad noſtram totaliter ſpectet diſtributionem, unde in ea nulli hominum quicquam juris recognoſcimus, niſi hoc a noſtra liberalitate valeat ſpecialiter impetrare. Mandamus igitur vobis & ſingulis ſub obtentu gratiæ noſtræ præcipientes, ut nullus veſtrum ſe de prædicta argentifodina intromittat, nec aliquid juris ſine noſtra licentia ſibi in ea ſurpet. Quod ſi quis temerario auſu forte attemptaverit, indignationem noſtram ſe noverit incurſurũ. Puntium Latorem fidelem nuntium noſtrum ad partes illas tranſmiſimus, ut de eadem argentifodina ordinet & diſponat, prout vobis videtur expedire. Mandamus itaque dilectioni veſtræ attente rogantes, ut ei conſilio & auxilio fideliter aſſiſtatis, grates affectuoſas a Serenitate noſtra recepturi. Datum apud Nonnenſteine XII. Calend. Aprilis.*

Huic diplomati nos ipſi infra ad annum MCXXXI. adjiciemus aliud Lotharii adhuc ineditum, quo Richenbergenſibus mineralia fodere & metalla indagare ſingulari indultu concedit, ex quo ſatis patet neminem tunc metalla fodere auſum præter Imperatores, aut ſi qui ab Imperatore hæc jura obtinebant. Hinc & Otto fructus venarum Goslarienſium ſibi vindicabat, quos tamen hic ſanctiſſimus Imperator tantum abeſt ut luxu & comeſſationibus abligurierit, ut potius plerosque ad Eccleſiam Chriſti ornandam abſumſerit. Si Engelhuſii teſtimonio hic locus eſt, quod in dubium pene vocat Doct. Meibomius. Nec Goslaria noſtra tanta Imperatoris liberalitate caruiſſet, ſiquidem hic quoque duas inſtituiſſet congregationes, quæ tamen quales fuerint nondum liquet, præcipue cum alii eandem rem Henrico tertio tribuant, nullaque ſuperſint de illis veſtigia. Engelhuſii tamen verba adſcribimus, qui ſolus, quantum ego ſcio harum collegiatarum eccleſiarum ab Ottone conditarum meminit: Sic enim ille: *Otto idem reperit venas auri & argenti Goslariæ, unde duas eccleſias collegiatas & nobile palatium imperiale fundavit ibidem. In immenſum vero per talem aurifodinam ditatus tam Romæ, quam alibi eccleſias cum cœnobiis conſtruxit.* [Hunc Eccleſiarum Collegiatarum numerum ad tres auget Albinus.] Hæc Engelhuſius, quo cum de Palatii Goslarienſis autore Ottone I. bene convenit Æneæ Picolomineo: licet utriusque fides vacillare aliquantulum videatur. Eodem forte tempore ædificari cœpit capella Auguſtini, quam tamen primam hujus urbis & omnium antiquiſſimam ferunt. Rudera ejus hodienum in cæmiterio eccleſiæ S. Petri & Pauli ſuperſunt, ſed e quibus vix tantam antiquitatem colligas. Priusquam Francorum colonia, quæ ad colendas metalifodinas huc viciniæ migravit, urbem noſtram ædificiis prolixiorem redderet, illa extra muros ſitum habuit, forte quo metallifoſſores labores aggreſſuri in illa ſacris intereſſe, ſeque Deo commendare poſſent. Poſteris temporibus mœnium ambitu concluſa cum tantam multitudinem non caperet, deſeri ſenſim & illi templum SS. Petri & Pauli jungi cœpit, quod hodienum inter parochialia celebratur. Superiore ſeculo in hac capella effoſſum eſt monumentum ſatis antiquum quod maris & fœminæ imagines præ ſe ferunt, vulgoque audit monumentum Ramni & Goſæ, ſed conjecturæ hæ ſunt, nullo ſe tuentes argumento, præterquã quod hic rei metallicæ apud nos inventor olim in hac capella conditorium cum uxore inveniſſe fertur. Literæ ſane nullæ adjectæ deprehenduntur, nec venatrici convenit corona, quam in capite gerere mulierem, putat Cornelius. Unde mirum ſane eſt tam certum hoc nonnullis olim viſum eſſe, ut recentiore manu nomina RAMMI & GOSÆ lapidi incidenda curarint. Sed en ipſum lapidem.

Mob. l.c. lib. 19.

Volaterr. Cornel. Otto Frising. Conrad. Engelhuſ. Otto. Albinus Coron. Æn. Pic. de ſtatu Europ. ſub Frid. M. q. Freher. tom. 2. p. 70

Monumenta Ramnii & Goſæ. *Lohneiſ. fol. 77. Topogr. Brunſv. p. 169.*

Annus Chriſti 969.
Ottonis I. Reg. 34. Imp. 8.
Ab. V.C. 46.

SEquens annus, ut conjicio, nova colonia auxit Goslariam. Cum enim nemo in his regionibus ante hæc tempora venas ſcrutatus eſſet, & Saxones, ut ſupra dixi, rude æs coquere & flare neſcirent: Franci huc erant evocandi, ut Saxones hanc artem docerent: quorum adventu urbs noſtra aucta ædificiis ea parte, quam hi advenæ incoluerunt perpetuum nomen montis Francorum retinuit, quemadmodum & in Hercynia macella Francorum, (vulgo Francken-ſcharren vocant,) hodienum nota ſunt, indicio ſatis manifeſto Francos aliquando huc viciniæ commigraſſe. Utrum autem orientales an occidentales Franci huc confluxerint operæ pretium fuerit inquirere. Neceſſitudo, quæ Ottoni cum Hugone Galliæ rege interceſſiſſe dicitur, ſuadere poterat, ut Francos ex occidentali Francia huc accitos Auctori Topographiæ crederemus, ſed haut parum ab hac ſententia, quam doctis-

Francor. colonia Goslariã deducta. *Engelhuſ. p. 176.*

Unde hi Franci venerint?

Auct. Topogr Brũſ. p. 170.

Sagit. hiſt Gosl. c. 2.

doctiſſimo Sagittario arriſiſſe video me deducit Chronicon quoddam rerum metallicarum MSC. quantivis pretii, quod Doctiſſimo Calvœrio debeo, unde patet, jam multo ante quam Goslarienſes venæ florere cœperant, in orientali Franconia celebres fuiſſe fodinas prope montem quem Piniferum vocant, unde ſane fabros accitos fuiſſe ab Ottone longe fit veriſimilius, quam quod alii eos e media Gallia vocatos malunt, præcipue cum ſi vel maxime Franconia tunc fodinis caruiſſet Lotharingi tamen qui eruendis coquendisque metallis tunc operam dabant, defectum ſupplere facilius potuerint, ut adeo non opus fuiſſet Gallos precario impetrare. Poſſem & a lingua Francorum occidentalium argumentum ducere, cujus nullum Goslariæ apparet veſtigium, quod ſane fieri non potuiſſet ſi colonia Francica huc commigraſſet.

Lohneiſ. f. 77. arte metall.

Aliam ſententiam fovet Lohneiſius, ſupponens, Francorum nomine tunc temporis non ſolum populum illum ſuperioris Germaniæ, verum etiam plerosque exteros eſſe appellatos, unde coloniam hanc Goslarienſem non e Franconia proprie ſic dicta, ſed ex alia extera regione huc deductam videri, forte ex Misnia, & nominatim urbe Grimmenſi, quod teſtetur Grimmiorum olim patritia familia, quæ hodienum Goslariæ ſuperſit. Sed conjecturæ hæ ſunt non ſatis firmæ. Francorum nomine exteros Europæos apud Turcas Perſasque venire, haut ignoro, an idem uſus loquendi in Germania quoque valuerit, vix ego quidem crediderim. Id præcipue plane videtur incredibile, Misniam, tam propinquam gentem, olim Saxonibus cum Franconia confuſam. Eam tunc Slavi incolebant, quod nomen ſane tunc fere notius erat, quam Francorum. Deinde nec probari poterit, Misnicos iſto ævo artis metallicæ peritos fuiſſe, cum potius interjecto tempore a Saxonibus illam artem edocti ſint. Nec argumentum a Grimmiorum familia deſumtum procedit. Unde enim Bardevicenſium, Wittebergenſium, Brunsvicenſium, Bremenſium familiæ nomen habuere, quæ pariter in urbe noſtra floruerunt? Undecunque igitur, aut quocunque tempore exteri huc traducti ſint, Francos tamen eos fuiſſe, eſt veriſimillimum, quamvis pro certo quicquam in re tam vetuſta aſſerere velle temerarium prope videatur:

Francorum & Saxonum Goslariensium diſſidia.

Ex his ergo Francis & Saxonibus civitas noſtra tunc exculta eſt, his inferiorem urbis partem, illis ſuperiorem occupantibus. Sed diverſi gentium mores, & æmulatio tanta inter utrumque populum odia conflarunt, ut interjecto tempore cum mutuæ accederent offenſiones vectibus transverſariis & ſepibus ſe diſtinguerent. Die tamen, ut ſolet fieri, odia minuente, pax inter eos coaluit matrimoniis quoque invicem contractis ſtabilita, quæ reconciliatio ut eo teſtatior apud poſteros eſſet, choreas per urbem quotannis inſtituerunt, canentes inter alia:

Käyſer N. iſt Hochgebohrn/
Die von Goßlar haben von Reich nichts verlohrn/
Der Rammelsberg hat einen ſilbern Faut/
Des tragen wir einen guten Maut.
Mit dieſen hübſchen Jungfräulein/
Machen wir von Dannen ein Kräntzelein/
Biß zu dem andern Jahre
So teilen wir in zwo Paare/
Wir wollen das wohl bedencken/
Und wollen ihm euch wieder ſchencken.

Hoc eo certius referre poſſumus, quo diutius iſtæ choreæ civibus ſolennes fuerunt. Anno enim demum MDXXXVI. cum res in peſſimos degeneraſſet abuſus, Senatus ampliſſimus Eberhardi Werdenſei invectivis permotus laudabili conſilio finem fecit indecoris hiſce Goslariæ Bachanalibus. Quod autem nonnulli, quo magis ſolennitatem augeant, addunt, plateas tunc temporis pannis tectas, & ornatas fuiſſe frivolum eſt, & lepidum vulgi commentum, ut ſolent pleraque, quæ circumferuntur Goslarienſium Chronica MSC. tales nobis fabellas anniles inculcare.

Annus Chriſti 981.

Ottonis II. Imp. 9.
Ab. V. C. 58.

Ottonis II. Imperium.

OTtone primo anno Chriſti 973. Mimileviæ (quam Abb. Vrſpergens, Numilewam vocat) placida morte extincto & Magdeburgi ſplendidis exequiis honorato, regnum communi principum ſuffragio deferebatur Ottoni, vix dum xx. annorum juveni, ſed cujus tamen prudentia & in rebus gerendis dexteritas multis jam documentis ſpectata fuerat. Hic igitur rebus omnibus per Saxoniam & ſuperiorem Germaniam conſtitutis ſub autumnum prioris anni in Italiam cum delecta militum manu properavit, tum ut diſſidia procerum præverteret, tum ut Barbarorum latrociniis ſtatueret modum. Ibi autem conſtitutus anno ſequente, qui Chriſti illuxerat nongenteſimus octuageſimus primus eccleſiæ Magdeburgenſis memor, illi Poledanum monaſterium, quod in vicinia urbis noſtræ floruit, donavit. Tabulas hac de re datas adſcribo:

Abb. Urſperg. p. 212.

Alb. Stadenſ. p. 218.

Dielm. l. 2. p. 43.

Poleda Magdeburgenſi Eccleſiæ donata.

Mader. p. 115. Antiqq. Brunſv.

Chron. Gosl. MSC.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto divina favente clementia Imp. Auguſtus. Noverint cuncti Chriſti fideles, præſentes atq; futuri, qualiter nos divino amore contacti, carique genitoris noſtri memoria commoniti, & dilecta

dilectæ conjugis nostræ Theophaniæ precibus rogati, Abbatiam in honore S. Servani *confessoris Christi, jam olim a nostris bonæ memoriæ parentibus in nostra proprietate* Palithi *constructam, cum omnibus utilitatibus ad eandem respicientibus, sancto* Mauritio *& sanctæ* Magdeburgensi *Ecclesiæ* Archiepiscopis, *in perpetuum militaturis tradidimus, ea scilicet ratione, ut nullus Comes vel judex, aut quælibet excellens persona, ullum negotium exercere audeat in jam dicta Abbatia; sine præfatæ Ecclesiæ Archiepiscopi licentia. Et ut hæc charta nostræ traditionis firma & absque omnium hominum læsione in futurum stabilis permaneat nostri sigilli impressione, & propriæ manus adnotatione, jussimus eam corroborari. Ad hoc etiam prædium in* Frisia, *eidem Ecclesiæ per manus antecessorum meorum, pro salute animarum nostrarum traditum, signo etiam nostro atque testimonio confirmavimus. Hoc est in* Witebord, *I. mansus* XXXII. *pascua boum, & V. talenta. In* Relzword. *I. virga XL. solidos. In* Bestlau, *una dimidia,* XX. *solidos. In* Thunewerd. XXX. *pascua boum, V. talenta. In* Colimehornon, Hilderedes, Zericon, V. *talenta. Quod si quis arte aliqua, sive dolo, seu etiam violentia abstulerit, anathema sit, & a regno Dei, & consortio Ecclesiæ sanctæ, nunc & semper segregatus, & sit portio ejus cum Satana & angelis ejus usque in æternum. Fiat! Fiat!*

Signum Domini Ottonis Imp. Augusti.

Datum IX. *Kal. Octobr. Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCLXXXI. *Indict.* X. *Anno vero regni secundi Ottonis* XXI. *Imperii autem* XIV. *Actum* Luceriæ.

Hæc Otto III. Imperator post biennium in Italia properantibus fatis extinctus: relicto tamen paterni Imperii successore Ottone III. Principe præclaræ spei & multarum rerum scientia *Mirabilium mundi* nomen commerito.

Annus Christi 984.
Ottonis III. Reg. 1.
Ab V. C. 61.

Otto III. Imp. Hic ergo optimæ spei Princeps, simul Hac de parentis obitu fama increbuit, a Ravennatensi, Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis Aquisgranum deductus more solito inauguratur. Sed statim Popponis Wurzburgensis Episcopi auxilio ipsi Item movit Henricus Dux Bavariæ, quanquam non tam armis, quam insidiis rem agens. Rege enim e Warini Coloniensis archiepiscopi tutela abrepto, sibi consanguineo tutoris honorem deberi asserebat, non dubitans, quin hoc pacto Imperium ad se sit devolvendum. Hac spe Saxoniam ingressus Magdeburgi principum animos sollicitabat: qui tamen datæ fidei memores Werlæ Westphalorum convenientes, Ottoni regnum firmabant, Henricum majestatis damnabant, belli quoque agebant consilia, in exitiales eruptura flammas, nisi Henricus perspecto periculo sua sponte tutela se abdicasset. Spangenbergius suo more Werlam cum Goslaria nostra confundens, comitia hæc Principum Goslariæ celebrata putat: Sed erroris hujus fontem indagavimus supra, ubi de Werla plura commemoravimus.

Werla comes. Werla a comitibus habitur. Spangenb. & Henr. Rebd. Arnold. Lub. l. 1. Arnold. Brunsv.

Ad ann. Christi 923. & 924.

Annus Christi 986.
Ottonis III. Reg. 3.
Ab. V. C. 63.

Ottagus Hildes. Episcop. HOc anno Ochwinus Hildesienf. Episcopus feliciter emensus vitæ stadium non sine magno Ecclesiæ suæ luctu mortalitatis legem absolvit. Cui succes sor datur Osdagus, quem Chronica Hildesiensium Monachum Reichenaviensem, Ditmarus Hildesemensis Monasterii, seu majoris Ecclesiæ præpositum fuisse referunt. Genus ejus nescitur, forte quod pietatis & demissionis causa illud minus jactabat. Nobili tamen prosapia fuisse oriundum, vel inde patet, quod Algermisium pagum sibi hæreditatis jure debitum ecclesiæ suæ legavit, prætereaque Reichenaviensi familiæ dicitur adscriptus, in quam antiquis temporibus vix alii, quam principum virorum liberi adoptari solebant. Vir fuit valde reverendus & quietus, nisi quod illi cum Moguntino de Gandesheimensis Abbatissæ consecratione lites intercesserunt, odia conflante Sophia I. Abbatissa, quæ de sua præeminentia certa, a nullo volebat inaugurationis ritus suscipere, nisi a Palligero, seu qui a Pontifice pallii ornamentum sibi impetrasset. Lite tamen diutissime agitata, interjecto tempore pro Moguntinis fuit pronunciatum ab Ottone Rege, præsentibus aliquot episcopis, quanquam jus hoc posteris temporibus Hildesiensibus postliminio restitutum est, quippe quorum dioecesi Gandersheimensis Ecclesia cingebatur.

Chr. Ep. Hildes. MSC. c. 12 Rentel. Chr. Hildes. p. 78. Ditm. in Chr. l. 4. p. 67. sq.

Bodo in syntagm. Abb. Gandersh. p. 498.

Annus Christi 990.
Ottonis III. Reg. 7
Ab. V. C. 67.

ANnus DCCCCXC. qui Theophaniam Ottonis conjugem sustulit, fatalis etiam fuit Osdago Hildesiensi Episcopo, quem excipit Gerhardus, alias quoque Gerdagi nomine insignitus, antea Hildesiensis Ecclesiæ Cellerarius, vir industrius & religiosus. Sed tamen rerum præclare

Gerhard. Hildes. Episc. Ditmar. p. 68.

gerendarum conſilia ipſi mors præmatura abrupit. Cum enim tertio ordinationis ſuæ anno Roma, quam orationis cauſa petierat, reverteretur VII. idus Decembr. vivendi finem fecit, *corpusque ejus per ſingula diviſum membra in ſcriniis duobus ad monaſterium ſuum a ſocio itineris cum multo luctu revehitur.*

Annus Chriſti 993.
Ottonis III. Reg. 10.
Ab. V. C. 70.

Bernw. Hild. Ep. *Rentel. Chron. Hild. p. 79 Chr. Ep. Hildeſ. MSC. c. 14. Vita S. Bernvv. a Brovv. ed. Frider. Luce. Atrium Cormèt. P. 2. p. 105. ſqq.*

EPiſcopatus igitur Hildeſienſis a Gerdagi morte vacans committitur Bernwardo, ſanctitatis laude incredibili conſpicuo, qui aliquandiu Ottoni III. a literis, moribus & ſacris fuerat. Genus ſuum referebat ad illuſtres Sommerſenburgii Palatinos, atq; adeo pietatem veluti cum lacte materno hauſerat, quam deinde tam præclaris documentis comprobavit, ut vix ullus Hildeſienſium Epiſcopus pluriumEcclesiarum & monaſteriorum parens extiterit. Ejus virtutes, cum ſubinde & Goslaria noſtra conſpexerit; ſuo quæque loco paulo uberius erunt commemorandæ, quare non eſt, ut hic plura dicendo charmàt. P. 2. tam impleamus.

Meibom. tom. 3. rer. Germ. p. 253.

Annus Chriſti 1000.
Ottonis III. Imp. 5. *Reg.* 17.
Ab. V. C. 76.

Monaſterium Heiningenſe. *Schaten. annal. Paderb. l. 4. part. 1. p. 351.*

ANnus Chriſti milleſimus & magnus eccleſiæ ſecularis Ottonem Imperatorem, qui adhuc in Italia, Bohemia & Polonia egerat, his regionibus reddidit, ubi provincias obiens Halberſtadium, Hildeſiam, Paderbornam, Mindam, Osnabrugum, Monaſterium, ceterasque Saxoniæ dioeceſes perluſtrabat. Eodem tempore vicinia noſtra pietate Hildeswindæ novo monaſterio Heiningenſi aucta eſt, cui B. Maria Sanctique Petrus & Paulus Apoſtoli tutelares dati ſunt, quod cum taceat Leznerus, ſigillum loquitur hujus Eccleſiæ, ſiſtens BB. Petrum & Paulum cum hac perigraphe † S. APOSTOL. PETRI & PAULI IN HENIGGE. Hildiswindam fundatricem Leznerus Alfredi regis conjugem vocat, ſed quem Alfredum intelligat non addit. Si conjecturæ locus eſt, non plane incongruum erit ſuſpicari de Hildisvvinda, Croatiæ comitis filia, quam circa hæc tempora in his regionibus vixiſſe, & Brunoni Saxoni nupſiſſe traduntFabricius, Reusnerus, Buntingius & Sagittarius. Per Alfredum vero regem Leznerus forte intellexit Hildisvvindæ patrem, ratus videlicet, & tunc Croatiam regni titulo claruiſſe. Cujus tamen nomen unde Leznero innotuerit, nondum video: ut adeo conjugem Alfredi putaverit, quæ filia fuit. Sed hæc aliis diſcutienda relinquimus. Leznerus certe, cui debemus Heiningenſis cœnobii origines, in tota tractatione ſæpius provocat ad diplomata, quæ ipſe nondum perluſtravi. Ceterum monaſterium hoc, quod inter Goslariam noſtram & Gvelpherbytum floret, Abbatia initio fuit ſecularis, tantisque juribus ac privilegiis donata, ut Abbatiſſa, quædam, Schvvicholtiorum familia oriunda monetæ cudendæ operam dederit. Et quanquam fortunæ monaſterii hoc ipſo non parum imminutæ & pene ad incitas redactæ dicuntur, Aſſeburgiorum tamen liberalitas illi ſubvenit, quorum prudentia monaſterium in priſtinam dignitatem evectum & in Canoniſſarum collegium mutatum, hodienum & opibus & fortuna excelſe floret. Otto III. Imp. qui A. C. MI. præclaro diplomate, fundationem hanc ratàm habuit, præter alia bona illis aſſignat vicos *Heiningen, Flarthi, Adelredingerode, Hadelem, Berisle, Adenſtedi, Quenſtedi & Alredingerode*, ex quo quidem de priſtino hujus cœnobii ſplendore conjectura capi poterit. *Lezner. l. c.*

Annus Chriſti 1002.
Ottonis ultimus
Henrici II. Reg. I.
Ab. V. C. 79.

Ottonis III. obitus.

HOc anno dolo mulieris in mortem præcipitatur Otto III. Imperator, veneno interceptus more plane inaudito. Illectus quippe Joannæ cujusdam Romani Conſulis viduæ amoribus, fallaci hac fœmina paulo familiarius uſus fuerat. Sed jam amore in extremum odium converſo, furens illa ob ſubitaneum Auguſti ex urbe diſceſſum, muneri illi miſit chirothecas veneno fortiſſimo infectas, quas cum Imperator amoris ſignum ratus, ſecurius tractaret, venenum corpus permeans cum in medio rerum præclare geſtarum curſu extinguit.

Dlim. l. 7. p. 86. ſq. Engelh. Chron. p. 188. Gobelin. vel: 6. c. 50 p. 253. Sigon. l. 7. ſub fin. Trithem. Chron. Hirſang. ad h. ann. Sigeb. Genebl. Chron. p. 590. Alberic. Chron. p. 40.

Henrico II. Ottoni ſuccedit.

Regnum itaque Imperatore deſtitutum poſt multos animorum motus defertur Henrico II. Bavariæ Duci ex magna Henrici Aucupis proſapia reliquo, viro ob admirandam pietatem tantæ apud vulgum exiſtimationis, ut ſancti nomen apud poſteros ferat. Pluribus locis electionis cauſa convenerant Principes, donec Werlæ in Weſtphalia res ad liquidum perducta eſt. Ubi denuo miramur Spangenbergium qui Werlam cum Goslaria noſtra conſtanter confundit. Cum hujus Imperio Goslarienſis quoque noſtra hiſtoria aliam longe faciem præ ſe ferre incipiet, evoluto jam decimo Chriſti ſeculo, quo nullum indoctius ac infelicius fuiſſe Bellarminus quoque fatetur. Nec ego quoque pla-

Spangenb Chr. Hennеb. l. 1. c. 33. p. 69.

X Chriſti ſeculum in

TAB. II. fig. 1. Leznер. l. 2. c. 37. Chron. Hildeſ. MSC.

Hiſtoria Goslarienſi obſcurum.

plane errare mihi videor, ſi *ſeculum iſtud Goslarienſis hiſtoria obſcurum vocavero*, cùm pauca admodum de ea apud Hiſtoricos memoriæ prodita invenerim, ſive quod in urbe hac ex ephebis nondum egreſſa non multa memoria digna contigerunt, ſive quod in tanta barbarie & bonarum literarum ignorantia pauci nimis ex his oris animum ſcribendo appulerunt.

Baron. tom. X. ad ann. 900. p. 647. Bellarm. l. 4. c. 12. de Pont. Rom.

Henrici II. & ſucceſſorũ ſtudium in ornanda Goslaria. *Dan. l. c. Gerv. p. 21. Sagitt. regum & Imperatorum ubi ſ. e. rm.*

Ex quo autem Henricus II. [fauſtum Goslariæ nomen] faſces Imperii adeptus eſt, urbs quoque noſtra ex ſuis veluti incunabulis magis magisque indies eluctari, & inter Saxoniæ urbes caput efferre cœpit, cum non Henricus tantum ſecundus eam, Dietmaro teſte, multum excoleret, ſæpiusque huc diverteret, verum etiam reliqui, eum ſecuti Imperatores & Reges nuſquam frequentius majeſtatis ſuæ ſedem figerent, quam Goslariæ, quæ civitas refrenandis ferocibus Saxonum animis quam maxime videbatur idonea. Equidem ante Ludovici Bavari tempora nondum mos ille inoleverat, ut Reges certo loco permanerent, ſed tanquam aquilæ imperii provincias ſolebant pervolare, quo nusquam eorum præſentia poſſet deſiderari. Qua de re præclare loquitur Adlzreiterus: *Sigismundus Imperator ſequutus exemplum Ludovici Bavari, in Hungaria plerumque regiam habuit, cum Cæſares, præſertim Saxonici & Svevici ſanguinis, ante Ludovici tempora, nullam fixam ſedem haberent, ſed domeſticis poſſeſſionibus hæredum fidei commendatis, pro re nata in urbibus Imperii, & Epiſcoporum domiciliis, per vices & velut in orbem imperii negotiis darent operam, veſtigalibus & Cæſareo fiſco, cum principibus, qui offici cauſa frequentes aderant vicitantes*, quam rem præclare etiam obſervat Lehmanus. Enim vero certæ tamen urbes erant delectæ, quæ frequentius Cæſari, in hac vel illa provincia viventi, præbebant hoſpitium, inter quas & Goslariam noſtram jure quodam ſuo referimus, quam Lambertus Schaffnabrugenſis, nitidiſſimus ſui ævi ſcriptor, ideo *villam regiam, quam pro patria & pro Lare domeſtico Teutonici Reges incolere ſint ſoliti, & clariſſimum regni domicilium* Autor vero hiſtoriæ de bello Saxonico *ſedem* Cæſarum *propriam* appellant; unde & Sixtus PP. in bulla anno MCCCC. LXXXIII. Eccleſiæ Sanctorum Simonis & Judæ conceſſa, fatetur; præcipue Goslariam noſtram ideo magnificiendam, quod *indicto opido illis temporibus dicti Friderici & aliorum plurimorum Imperatorum reſidentiam per multos annos fuiſſe*, certum ſit.

Adlzr. Ann. Boic. p. 1. l. 8. Lehm. l. 7. c. 33. Lamb. Schaffn. ad ann. 1073. Sixt. IV. Bull. p. 2. Bull. 9.

Urbes ejusmodi vocari ſolebant *Palatia*, Pfalzen/ oder Käyſerliche Lager-Städte/ & eorum origo jam inde a Francorum regum temporibus arceſſenda eſt, quippe qui in regionibus ſua ditione comprehenſis variis in locis publica domicilia conſtituerant, quæ palatia vocabant, ut ſi forte imperii negotia eorum præſentiam deſiderarent; certæ veluti manſiones eſſent, quo diverterent, ac interdum hyemarent, de quibus Francorum palatiis poſt Lehmannum & Carolum du Fresne, præclare imprimis meritus eſt Mabillonius in doctiſſimo, de re diplomatica, opere. Poſtea quam vero Francorum in locum Imperatores Saxones, Salici & Svevici ſucceſſerant, idem quoque inſtitutum ad hos tranſiit, de quorum Palatiis commentatur Benj. Leuberus, & ſingulari diſſertatione Ahaſu. Fritſchius; ad quos nunc lectorem remittere, quam toties exſcripta exſcribere malo. Saxonia noſtra ſex præcipue urbes numerat, olim iſto honore gaviſas, palantias inde vocatas, quod rex in illis legitime curiis debebat præeſſe, aut certe abſente Imperatore ipſæ jus lites decidendi ſupremum poſſidebant. Inter quas cum & Goslaria noſtra in Speculo Saxonico referatur, non piget ex illo quædam exſcribere: *Quinque civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitime debet curiis præeſſe. Prima dicitur Grona, Werliz ſecunda, quæ modo in Goslariam translata eſt: Walhauſen tertia, Alſtede quarta, quinta Merſeburg nominatur.* Hæ urbes ſatis notæ ſunt. Grona non procul a Gottinga ſita eſt, ut placet Meibomio junioti, qui & avi ſententiam emendat, Grondæ juxta viſurgim hanc laudem tribuentis. Nec Alſtede* ad Ilmum & Walahuſen Hercyniæ oppidum, æquali inter Querfurtum & Sangershuſum diſtantia ſitum, ignota ſunt, cum plurima extent Ottonum diplomata, quæ ex illis prodierunt. De Werliz, quam eandem cum Witekindi Werlahon puto, ſupra viſum ad A. C. 923. Merſeburgum denique Meibomio eſt Eresburgum Weſtphaliæ, Brotuffio Mersburgum Saxoniæ, qua de re alii videant. Hiſce quinque civitatibus e Weichbilde Magdeburgico Carolus du Fresne & ante hunc Sachſius addunt Magdeburgum, quæ civitas eandem prærogativam ab Ottone II. impetravit, ut e diplomate patet, quod in conſtitutionibus Imperialibus ſervavit Goldaſtus.

Lehman. l. 3. Chron. Spirenſ. c. 33. p. 250. Carol. du Freſne. Gloſſar. Lat. tom. 3. p. 93. ſq. Mabillon. l. 4. de re diplom. Leuber. Magdeburgiſch. Stapel Unfug. n. 767. Fritſch. diſſ. de pal. lat. & dom. docimin c. 5. Specul. Sax. art. 62. c. 1. Meibom. tom. I. rer. Germ. p. 676.

* *De palatinatu Alſtedii vid. Paulin. p. 27. annal. Iſenac.*

Meibom. c. 13. de Irminſ. tom. 3. p. 28. Brotuff. lib. 1. Chron. Merſeb. c. 10. Weichb. Magd. art. 12. Du Freſne l. c. p. 91. Sachſ. Chron. Cæſ. part. 3. p. 127. Goldaſt. tom. 1. p. 226.

Palantiæ iſtæ urbes, quæ procul dubiõ a palatiis regiis nomen invenerunt, præter alias, eam quoque ſibi prærogativam vendicabant, ut ipſi Reges & Imperatores in illis urbibus curiis præeſſent, & tribunal ordinarium haberent. De Alſtedio una harum Palantiarum Ditmarus: *Inter rim Cæſar in Alſtidi populis Jura dabat, & ut præſentes affirmabant, meis hoc amicis denegabat*, quod præclare eo incidit cum Chronicis noſtris MSC. fere omnibus, quæ Regem in Palatio Goslarienſi juri dicendo præfuiſſe narrant. Abſentibus Imperatoribus vices hæ fuere demandatæ Advocatis:

Palantiarum prærogativa. *vid. Paulini Annal. Iſenac. p. 27. Ditmar. lib. 7. p. 188.*

tis, aut quoscunque illi urbi noſtræ præfecerant, unde non modo liber *ſtatutorum antiqvus*, triplex Goslariæ judicium celebre fuiſſe ait, unum in palatio, alterum in curia: & tertium in platea Kepperſtraſſe. *En ipſam legem l. 2. tit.* Von Friedbruch art. 38. Wer einen anfehret mit Friedbruch in einem Gerichte/ mit denen dar ehr die Anfehrung in dem Gerichte bezeugen mag/ mit dem erzeugt er auch wol die in dem andern Gerichte unſerer Stadt/ und auf dem Hoff/ und auf der Keperſtraſſen. *Eandem legem pro ſe allegant* Muderspachii *in deductione MSC. in cauſa S. Sepulcri & Prioratus.* Verum etiam hoc ſatis clare demonſtrant literæ, quarum partem hic infero:

Ek Sivert van Rotthinghe/ to deſſer tyd Richter vndt Voget des Romiſchen Koninges van Privilegien weghen des Radhes to Goslere/ bekenne in deſſen openen Breve/ dat vor my gekomen ſind/ in Richter ſtadt uppe des Reiches Pallaſte to Goßlere/ da eck to der tyd Gerichte ſat/ Cordt Romelt/ Borger to Goßlere/ undte Lücke ſin ehelicke Hußfruwe .... na Goddes Bort verteyne hundert Jahr/ darna in deme voſſteynden Jahre des Montaghes na des hilgen Cruces Daghe exaltare gegeven uppe des Keyſers Huß to Goßlere.

Ex literis his in tabulariis Canonicorum Grawhoffianorum aſſervatis, manifeſte patet, ſeculo adhuc Chriſti decimo quinto in palatio regio Goslarienſi ſingulare floruiſſe tribunal Regium, quod & ex aliis monumentis quam plurimis licet cognoſcere, quorum non ultimum eſt privilegium Friderici II. ſenatui hujus urbis conceſſum, quod ſuo tempore apparebit. Nunc quæ Henrici II. temporibus Goslariæ ac in vicinis regionibus contigerunt, breviter conſectaturi, de palantiis plura deſiderantem ad Freheri & Goropii Becani opera ablegamus.

Freher. part. 1. orig. palatin. cap. 2. Gorop. Becan. lib. 2. Francic. p. 44.

Annus Chriſti 1003.

Henrici II. Reg. 2.

Ab. V. C. 80.

Henrici II. imperii initia. *Ditm. l. 5. p. 110 Schaten. annal. Paderb. l. 4. tom. 1. p. 366.*

EX quo igitur Henricus, victis principum ſibi adverſantium animis, Moguntiæ & Aquisgrani inunctus fuerat & coronatus, regnum jam obtinebat ſatis pacifice omnes nervos ad reſtituendam reipublicæ quietem intendens. Celebratis enim Francofurti Chriſti natalitiis, omnes Regni ſui Epiſcopatus, Abbatias & Eccleſias obire decrevit, ut quid in quoque agatur, exploraret, & ſi quæ ægra aut corrupta cognoſceret, tempeſtivum afferret remedium. Suſcepto itaque per Belgium itinere, Leodium, Neomagum & Trajectum inviſit, unde per Saxoniam rediens, Hildeſiæ ubi prima doctrinæ hauſerat elementa, Palmarum diem, Quedlinburgi Paſcha celebravit, aliis quoque Eccleſiis idem officium præſtiturus, niſi ſubitaneus de rebus in Italia male geſtis deque Slavorum & fratrum ſuorum conatibus rumor laudabile conſilium ipſi extorſiſſet.

Primum itaque in rebelles movit, eorumque mox obtritis capitibus, Henrico, Hezilone, Erneſto & Brunone, flammam brevi tempore extinxit. Inde de Slavis ad quietem reducendis conſilium cepit, qui excuſſa Chriſtiana religione, cui adhuc ab Ottonis M. temporibus nomen dederant, per totam Hortalbingiam Eccleſias inaudita ſævitia devaſtare, ſacerdotes, quorum avaritia offenſi fuerant, trucidare, ipſosque Chriſtianos peſſime vexare cœperant. Hos cum Henricus longo bello ad officium reducere minus commodum reipublicæ animadverteret, ipſe Merſeburgum comitia indixit, in quibus Slavorum plerique principes præſentes Henrici promiſſis deliniti pacem pollicebantur. Bella Henrici II.

Aventin. Annal. Boj. l. 5. p. 401. Ditmar. lib. 5. p. 112. Abb. Urſpergenſ. Chron. p 213. & 214. Chronogr. Saxo. p. 215. Alberic. Chron. p. 42. Helmold. lib. 1. Chron. cap. 16. Slav. p. 50.

Tandem arma vertit in Polonos, qui Bohemiam invaſerant, Regem evulſis oculis ab imperio detruſerant, tantamque Chriſtianis intulerant ſtragem, ut Merſeburgenſis Epiſcopatus, pene ad incitas redigeretur. Henricus autem ſuorum miſertus collectis copiis, in barbaros movit, tantaque illorum clade, tot Chriſtianorum cædibus parentavit, ut Bohemia, Moravia ipſiusque pars Poloniæ illi in victoriæ præmium cederent. Bellum cum Polonis.

Annus Chriſti 1009.

Henrici II. Regis 8.

Ab. V. C. 86.

INterea Henricus compoſitis Germaniæ, Poloniæ & Italiæ rebus in Saxoniam remeaverat, qua provincia præcipue ſe fatebatur delectari. Inprimis in Cineralibus Goslariam noſtram hoc anno ſua præſentia illuſtrabat, magno Principum & Epiſcoporum agmine ſtipatus, quos laudatiſſimus Imperator curandis reipublicæ negotiis huc conſcripſerat. Quanquam autem comitiorum iſtorum acta, cum reliquis plerisque perierunt, nulli tamen dubitamus, quin plurima reipublicæ ſalutaria in illis conſtituta ſint, quæ, ut Conringius conqueritur, *aut non æque diligenter in chartam relata, aut minus religioſe, nec niſi ad breve tempus ſint oportet obſervata. Nec enim omnium illorum oblivio adeo nunc poſſet nos tenere, ſi omnia aut ſervata diligenter, aut fuiſſent ſcriptis publicata.* Nihilominus tamen, quæ Goslariæ noſtræ tunc his in comitiis geſta ſint, paucis obſervatum eſt Auctori vitæ Meinvverci, ex quo & nos nonnulla repetemus. Henrico II. Goslariæ comitia agit. *Auctor vitæ Meinvverci.* *Conring. c. 19. de orig. jur. Germ. p. 65.*

Vivis

Meinwercus Paderb. Ep. Goslariæ electus & confecratus.

Vivis hoc anno exceſſerat Rethurius Paderbornenſium Epiſcopus, mira ſanctitate celebris. Cujus obitus quam primum increbuit & Paderbornenſes miſſis Rethurii inſignibus pedo & annulo, Reliquias & gemde novo præſule ſibi denominando conſenſerunt: Henricus ſtatim in frequenti Epiſcoporum conventu de re deliberavit, cumque multi hunc honorem tunc ambirent, tum ſperarent, tandem conſentientibus ſuffragiis itum eſt in Meinwercum, Regis adhuc Capellanum, illuſtriſſimo aut Geldrico, aut Saxonico genere oriundum, qua de re diſputat prolixe Schatenius. Licet plerique ejus originem e Teiſterbandenſium Comitum familia arceſſere ſolcant. Hic ergo Meinwercus cum Regi, ob ingenii elegantiam ſanguinisque nexum & communem educationem perquam eſſet carus, epiſcopatum accepit Paderbornenſem, ceremonia notatu digna, de qua audire placet Gobelinum Perſonam, ſcriptorem rerum Paderbornenſium ſatis diligentem: *Meinwercus decimus Epiſcopus eccleſia Paderbornenſis poſtquam a rege Henrico epiſcopatum per chirotheca traditionem in Goslaria, qua eo tempore Rex morabatur, ſuſceperat, & ab Archiepiſcopo Moguntino Witigiſo & ſuffraganeis ſuis, ibidem tunc præſentibus, dominica ſecunda quadrageſima munus conſecrationis accepit, & poſt hoc Padabone veniens, honorifice ſuſceptus & quanto magis regi familiaris extitit, tanto magis eccleſia Paderfontana apud regem & principes regni profuit.* Eadem obſervat Autor vitæ Meinwerci a Browero editus e quo ſua hauſiſſe videtur Gobelinus. Addit tamen ille præterea, Meinwercum in conſeſſum Epiſcoporum fuiſſe vocatum, Regemque illi, cum intraſſet, arriſiſſe, & porrecta chirotheca dixiſſe: Accipe; Meinwerco vero percunctante quod donum ſibi hoc ſigno offerretur, Regem reſpondiſſe, Epiſcopatum Paderbonenſem; illum autem mirari ſe dixiſſe, ſibi offerri Epiſcopatum tam tenuem, cum ipſe e ſuo patrimonio longe ampliorem condere poſſit. Regem vero ideo ſe illi Epiſcopatum hunc committere prædicaſſe, ut ex inope redderet locupletem, Chriſtumque bonorum ſuorum hæredem ſcriberet. Tandem Meinwercum ea lege ſacerdotium hoc ſuſcepiſſe, ut Rex Paderbornæ ſuæ ferali incendio penitus exhauſtæ ſubveniret, quod cum Rex liberaliter eſſet pollicitus; Goslariæ III. Id. Martii a Willigiſio Moguntino Archiepiſcopo & reliquis, qui aderant Epiſcopis, coram Rege & Regina ſolenni ritu fuiſſe inunctum. Vidit ergo Goslaria noſtra jam eo tempore actum ſplendidiſſimum. Sed id tamen dolemus autores hos Eccleſiam in qua hæc ſolennitas peracta eſt, non nominaſſe. Eccleſia enim SS. Simonis & Judæ nondum hic condita erat, nec capella B. Mariæ tum florebat, quippe a Conrado, Henrici ſucceſſore, demum condita. Denique & binæ illæ collegiatæ eccleſiæ, quas ab Ottone hic conditas ferunt, ſuave procul dubio Engelhuſii ſomnium ſunt. Nullum ergo relinquitur dubium, quin parochialis aliqua ad hanc ceremoniam delecta fuerit. Sed quid in tanta antiquitate monumentis deſtitutus aliud præter conjecturas proferas?

Paulo majoris momenti quæſtio videtur de Chirotheca, cujus ſigno Meinwverco Epiſcopatum Paderbornenſem oblatum uterque autor prodidit memoriæ: Non ergo videbimur oleum perdituri, ſi tum de ceteris Epiſcopos eligendi ritibus tum de hoc inprimis paulo accuratius diſpiciamus, maxime cum Schatenius rem referens, jus iſtud Imperatorum, quo Epiſcopos ſolebant libera poteſtate eligere, perverſam conſuetudinem appellare haut veritus ſit: quam tamen rem ſi hiſtorias accurate pervolvamus longe aliter ſe habere deprehendimus.

Schat. l. 5. annal. Paderb. tom. 1. p. 385.

Ritus Episcopos eligendi.

Ex quo enim ſummus animarum noſtrarum Epiſcopus relicta terra ad patrem remeavit: Epiſcopos & miniſtros conſtituendi arbitrium penes Eccleſiam fuit, hoc eſt, ſanctorum cœtum e Clero Laicisque mixtum, nemine hoc jus ſibi ſoli vindicante, ne Petro quidem cujus ſucceſſores ſe Romani Pontifices jactant. Ratio autem eligendi ſacerdotes quam in Eccleſiæ infantia ſequebantur, gemina erat; ſi enim electio locum habebat, levatis manibus populus conſenſum teſtabatur: ſin plures pari virtute ac conditione erant, precibus ubique ardentiſſimis Divino Numine implorato rem ſorti permittebant. Χειροτονία, quo nomine ritus ille ſuffragia manu porrecta ferendi veniebat, Athenienſis inprimis Reip. inſtitutum erat, multis vetuſtis ſcriptoribus memoratum, & a Juſtello, Poſtello, & viro limatiſſimi judicii C. S. Schurzfleiſchio diligentiſſime explicatum. Ab Athenienſibus Χειροτονία ad Judæos migraverat, quorum in Synagoga hunc ritum invenit Goslare. Quamvis autem Athenis in tanta plebis licentia & levitate Χειροτονία in ſtrepitum plerumque & clamorem evaderet, adeo ut Ciceroni in oratione pro L. Valerio Flacco non parum ad Græciæ ruinas videatur contuliſſe: Chriſtiani tamen illam, ab abuſibus purgatam, ſuam fecerunt, inſtituto laudabili, quod deſcribunt Zonaras, Ziglerus, Cave aliique, qui Eccleſiaſticis antiquitatibus operam dederunt. Quamdiu ergo ritus hic viguit, nihil juris ad Pontificem Romanum, nihil ad quemvis alium pertinuit. Eadem erat ratio ſortis, antiquiſſimi apud gentes eligendi modi, proque ipſius Dei judicio habiti, ſi lites aut contentiones ob juris aut meritorum æqualitatem terminari non poterant. Jam Ethnicis ſolenne erat Deorum Sacerdotes ſorte ducere: * Nec minus Judæis, quos ſa-

Eccleſia olim eligebat per Χειροτονίαν.

Juſtell. ad Cod. Can. eccl. p. 197. Poſtell. de magiſtr. Athen. Schurzfl. diſſ. de Χειροτον. part. 2. n. 90. Diſſ. Cave part 1. Chriſt. primit. c. 8. p. 249. Zonar. ad can. 1. & poſt. Zigl. c. 6. de Diacon. & diaconiſſ. p. 72. Cave l. c. Calvoer. Ritual. Evangel.

* *Virgil. l. 2 Æneid. & Serv. ad h. l. Plat. l. 6 de legib.*

Part. 2. ſect. 3. c. 16. p. 445.

Eccleſiæ eligendi modus per ſortem.

ſacerdotia ſorte dediſſe patet ex † Paral. XXIV. 5. & Joſepho. Eadem denique & Chriſtiani uſi ſunt, ſane in electione Mathiæ Apoſtoli, cujus modum evolverunt præ ceteris Grotius & Guil. Cave. Atque adeo Eccleſia jura ſibi eligendi paſtores ſarta tectaque conſervavit, usque ad ſeculum quartum quo Chriſtiano Magiſtratui ſubeſſe cœpit.

Joſeph. lib. 4. de bello Jud. Act. 1. 26. Grot. in Act. 1. 26. p. 2135. tom. 4. Crit. S.

Jura ſacrorum ad Imperatores devoluta.

Waltram de inveſt. Epiſc. p. 72 ap. Schard t. 3. Meibom. diſſ. de jure inveſtitura Epiſcopalis p. 170. tom. 3. rer. Germ. Gratian. diſt. 63. cap. Adrianus. Ziegler. l. 2. de Epiſc. c. 2. p. 263. ſq.

Ex hoc autem tempore Conſtantino M. ejusque ſucceſſoribus ut & ceteris Chriſtianis regibus jura hæc ceſſerunt, quippe quos Eccleſiæ ſuæ Nutritores fore jam olim ſacris vatibus prædictum eſt. Prolixum nimis eſſet, forte & lectori tædioſum, iſtud multis argumentis firmare, cum otia calamo meo fecerit Doctiſſimus Meibomius. De ſolis Germanorum Imperatoribus agere mihi eſt propoſitum, quibus integrum erat, non modo Epiſcopos in provinciis Imperii conſtituere, verum etiam ipſi Romæ Pontifices dare. Id jam Caroli Magni temporibus ſingulari ſanctione cautum erat: quæ ſervatur a Gratiano, prolixe vindicata a Zieglero. Secuti illum Imperatores Germanorum Ludovici, Caroli, Arnulphi, Conradi, Ottones, Henrici, tantum abeſt ut jura hæc amiſerint, ut potius multo ſanguine propugnaverint, Epiſcopis ubique terrarum conſtitutis, creatisque etiam Pontificibus, quibus quoque mittebant repudium; ſacerdotiumque abrogabant, ſi forte aut de ſacris non recte ſentirent, aut ullum impietatis darêt exemplum. Nondum ergo locus erat Pontificum ambitioni & habendi cupiditati; Candidati non pecunia & opibus, ſed virtute & doctrina cenſebantur; nec tam impune in ſcelera ruebant & flagitia, qui Cæſari ſe reddituros rationem non ignorabant. Felicitatem illorum temporum mirum in modum prædicat Theodorus Niem: *Unde legitur, quod tempore illius Othonis I. quaſi omnes etiam in Alemannia epiſcopi fuerunt ſancti viri, ut S. Godehardus, S. Adelbertus, S. Conradus, S. Otho, S. Bervvardus, & multi alii, qui non per pecunias aut preces adepti fuerunt ab Imperatore Epiſcopatus.* Idem etiam Fridericus Barbaroſſa Philippo Colonienſi Archiepiſcopo objecit, cujus rei meminere Arnoldus Lubecenſis & Cranzius.

Theod. Niem. in ſchol. ad libr. de juribus & privil. Imp. ap. Schad. tom. 3. rer. Germ. p. 269.

Arnoldus Lubec. lib. 3. c. 17. p. 336. Cranz. l. 6. c. 51. Saxon. p. 171.

Inveſtituræ, Epiſc. ritus per chirothecam.

Ritus, quibus Epiſcopi a Cæſare ſolebant inveſtiri, ad tria præcipue capita referuntur. Aut enim *Chirotheca* dari ſolebat, aut *annulus & pedum* Candidato porrigebantur, quibus inſignibus ſacerdotium dari conſtabat. Elegantiſſimus ea de re locus eſt Waltrami Numburgenſis Epiſcopi quem integrum adſcribam: *Nihil*, inquit, *refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re quam in manu tenuerit, inveſtiat aut inthronizet rex & Imperator epiſcopum, quo die conſecrationis veniens annulum & baculum ponit ſuper altare & in curam paſtoralem ſingula accipit a ſtola & authoritate S. Petri. Sed congruum magis eſt per baculum, qui eſt duplex, id eſt temporalis & ſpiritualis.* Ex quo diſcimus, Imperatores baculo, annulo, chirothecis, ſceptro, aut quicquid in promtu iis erat, epiſcopis inveſtituram dediſſe. Episcopatus Chirothecâ traditi luculentum exemplum eſt Meinvverci noſtri, cujus jam meminimus. Scilicet ex quo chirothecarum uſus inter Germanos invaluerat: cœperunt illæ etiam in inveſtituris fideique juſſionibus, conſenſu & donationibus adhiberi, ut quemadmodum dextra in fidei teſſeram conſecrata apud omnes fere gentes fuerat, ita & ejus indumentum voluntatis fideique interpres eſſet. Non obſcurum hujusce ritus veſtigium in chartis Liemari occurrit, unde ſimul diſcimus, morem hunc Saxonibus liberis ſolennem fuiſſe, & chirothecas reliquiis ſacris impoſitas ab alio auferri, compromiſſionemque digitorum extenſione confirmari oportuiſſe: quibuscum conferenda, quæ e Franciæ tabulariis collegit Carolus du Freſne. E ſpeculo Saxonico quoque liquet, principes conſenſum ſuum haut alio plerumque interprete teſtari ſolitos, quam miſſa chirotheca. *Nemini licet forum erigere, vel monetam de novo inſtituere, ſine conſenſu ejus loci ordinarii ſeu judicis; etiam Rex in ſignum ſui conſenſus, ſuam ad hoc mittere debet chirothecam.* Quibus cum conferenda plura e jure Saxonico aliisque autoribus deprompta loca, quæ collegit Rittershuſius. Eadem ergo ratione etiam Episcopatus conferebantur, ut paulo ante Meinvverci exemplo declaravimus: qui ritus deinde cum ipſa inveſtitura ceſſavit, memoria tamen illius in ordinationibus Epiſcopalibus ad poſteritatem transmiſſa, quippe quas chirothecis quoque mediantibus fieri Cranzius auctor eſt. Morem hunc ipſam Apoſtolorum ætatem ferre putat Honorius Augustodunenſis, ſed minus credibile hoc videtur Cardinali Bonæ cum per aliquot ſecula nullum reperiatur chirothecarum veſtigium nec illis unquam uſa ſit Eccleſia orientalis. Enimvero hoc ipſo Bona non plane recentem hunc ritum facit, nam ne illum heri demum aut nudius tertius invaluiſſe exiſtimemus, prohibet vetus ordo Romanus, Liber Sacramentarius Abbatiæ Corbeienſis a Menardo editus aliaque hujus notæ ſcripta, in quibus conſtanter chirothecæ inſignibus Epiſcoporum annumerantur, non aliunde igitur rectius chirothecarum Epiſcopalium originem repetemus, quam a more iſto, quo porrecta Chirotheca ſacerdotia ſolebant ab Imperatoribus dari.

Waltram de inveſt. epiſc. p. 73. ap. Schard tom. 3. Charta Liemari. p. 146. ſq. privil. Bremenſ. Lindenbr. Carol. du Freſne Gloſſ. med. & infim. Lat. tom. 1. p. 966. ſq. Spec. Sax. l. 2. art. 6. Rittersh. c. 3. de jure aſyl. n. 33. & 34. p. 232. ſq. tom. 6. Crit. S. Cranz. l. 4. metrop. c. 4. p. 91. Honor. Auguſtod. l. 1. gemm. anim. c. 215. Card. Bon. l. 1. rer. Liturg. c. 24 n. 12. vid. Durand. l. 3. Ration. c. 12.

Zeger. Bern. van Eſpen. Jur. Eccl. univerſ. part. 1. tit. 15. n. 21. p. 103.

Inveſtituræ Ep.

Baculum & annulum præcipua inveſtituræ Episcopalis inſignia fuiſſe, vel inde doce-

ritus per mu-
baculum inve-
& annu-
lum.

W. Tyr. l. 12. c. 27. Albert. Chron. p. mihi edit.

ritus, quod certamen illud, quod de jure investiturae Caesaribus cum Romano Episcopo fuit, *Baculi & annuli controversia inter regnum & sacerdotium* vocatur Wilhelmo Tyrio & Alberico. Etenim si quando Ecclesia pastorem amiserat, clerici de praesulis obitu Imperatorem certiorem faciebant baculum & annulum defuncti mittebant, rogantes, ut alium sibi Episcopum subrogaret. Imperator vero accepta haec insignia alii, quem in defuncti locum succedere volebat solenni ritu tradebat. Obiter hunc ritum tangit Meibomius, quem

Mab. de pan. inest. Epist. p. mihi edit. 3 vet. Cens. Cenpet. Fabian. in sua Cenſur. Ll.

copiosius persequitur Onuphrius Panvinius: *Inoleverat*, inquiens: *quaedam in omni Ecclesia Latina & praesertim in provinciis imperio subjectis, quaedam consuetudo, quae in Romana etiam aliquando fuit, ut decedentibus Ecclesiarum praelatis, tam Episcopis, quam Abbatibus, annulus & virga pastoralis ad Imperatorem a Clericis ejus civitatis mitterentur. Is statim in demortui Episcopi & Abbatis locum unum ex familiaribus, vel Capellanis suis substituens, eam ad Ecclesiam pastore orbatum nulla Cleri, vel populi electione expectata mittebat.* Haec Onuphrius, vir omnis quidem antiquitatis scientissimus, & de historia praeclare meritus, sed suarum partium studio in contrariam saepe sententiam abreptus, ut non sit illi religio, ubi ejus non ferrent rationes, de veritate nonnihil detrahere. Quare a se impetrare non potuit, ut quod Imperatores tenuisse inficiari non potest, jure eos tenuisse fateatur. Cujus ratio qualis sit, verba subjecta ostendent, quibus originem hujus moris describit: *Haec autem*, inquit, *privilegia de Episcoporum & Abbatum, ut vocant, investitura Imperatoribus, temporum necessitate ita exigente, a Romanis Pontificibus Hadriano I. Leone III. & Vill. concessa fuerunt, Carolo nimirum Magno & Ottoni I. Imperatoribus, hominibus sanctissimis, qui iisdem privilegiis sanctissime utebantur, pastores idoneos Ecclesiis vacantibus, vel eligentes, aut eligi procurantes.* Sed quaenam quaeso tam turbulenta tempora potuerunt incidere, quae Romanos Pontifices errare nescios eo adducere debuerunt, ut Imperatoribus Episcopos constituendi arbitrium relinquerent, cum deinde Gregorii VII. aetate piaculare & nullis flammis expiandum scelus diceretur, si quisquam sacerdotium a Rege susceperit? Curante ista haec funesta tempora res vitio caruit? quid ni lis unquam ea de re Imperatoribus mota est? Nec sane Pontificum indulgentiae jura haec Caesares accepta tulerunt; Siquidem penes hos ipsorum Pontificum electio erat: Sed Hadriani isto decreto id tantum cautum est, ut Carolo M. ejusque successoribus in Italia nuper in libertatem asserta idem liceret, quod in Francia adhuc ipsi juris fuerat. Sane antequam hoc Pontificis scitum prodiret, dudum Episcopos Ecclesiis praefecerant Graeci Imperatores & Reges Francorum,

Mab. l. c. n. 71.

ut prolixe demonstravit Meibomius. Ut autem ad ritum illum Episcopos baculo annuloque investiendi redeamus, multis eum praeter laudatos antea autores, describit etiam libellus de Episcoporum promotionibus, editus a Jacobo Sirmondo, & e nostratibus celeberrimus J. A. Schmiedius. Ubique praeterea exempla occurrunt, quae hunc morem insinuare videntur. Nam Adamus Bremensis, & qui ejus verba solent repetere, vix unquam aliter Episcoporum investituras solent describere, quam per ferulae porrectionem. Quibus addo Chronographum Saxonem a Leibnitio in accessionibus Historicis editum, & Ditmarum Merseburgensem. Autor etiam vitae Romani Episcopi Rothomagensis hic minus videtur praetereundus, e quo haec excerpsit Fr. Juretus: *Fit itaque inter Palatinos proceres de viro sancto communis assensio, qui omnes unanimiter regi consulunt, ne grex Christi suo fraudetur desiderio, sed divina protinus ad effectum ducatur electio, quo Rex gratulatus consilio, convocatis tam Episcopis, quam Abbatibus baculum illi contulit pastoralem.* Consulto praetereo, quae de gemino Graecorum Imperatorum ritu referunt Codinus,* Pachymeres & Leuntlavius, & de Angliae Regibus Fr. Godvvinus, aliique quorum testimonia non ferunt chartae limites ratioque instituti.

Simond. tom. 2. concil. Gall. p. 533. J. A. Schmiedt. diss. de baculo pastorali n. 20. sqq. Adam. Bremens. l. 1. c. 39. 43. 47. l. 2. c. 1. 20. 32. 45. 50. 51. l. 3. c. 1. Chronogr. Sax. p. 217. Ditm. l. 6. p. 123. Juretus ad Iponic. Carnotens. Epist. 157.

* *Codin. cap. 20. Pachym. lib. 8. c. 28. Leunclav. Pandectar. Turcic. n. 173. 199. Godvvin. in vita Anselmi Episc. Cantuar.*

Horum rituum ratio.

Haut mediocriter solliciti fuerunt multi & intenti in illorum rituum causas, praecipue inquirendum existimantes, quid denique sibi voluerint ceremoniae, tam veteri instituto comprobatae. Non ego moror tot sententiarum divortia. Nec baculi pastoralis mysticam, quam vocant, significationem, Hugoni a Sancto Victore, Honorio Augustodunensi, Durando, Haëftenio, Simoni Thessalonicensi & Goaro descriptam: Nec consecrationem baculi hujus aut annuli e Rudolpho Hospiniano repetere opus est, cum e formula, hodienum in baculo & annulo tradendis initiandisque Episcopis solenni facile pateat, quem in finem insignibus hisce sacerdotes augeantur. Porrecto enim baculo consecrator dicere consuevit: *Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie saviens, judicium sine ira tenens, in vovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.* Dato vero annulo addere solet: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei sanctam, videlicet Ecclesiam, intemirata fide ornatus illibate custodias.* Eadem ergo instituti ratio Imperatoribus quoque fuit, a quibus ritus iste amisso investiendi jure in ordinationis ceremonias transiit. Unde non est, quod autoritate moveamur Cranzii, qui tradita ferula pastorali Episcopos in provincia-rum suarum possessionem immissos statuit:

Hugo a S. Vict. Spec. Eccl. c. 6. Honor. Aug. l. 1. Gemm. animi, c. 212. Durand. l. 3. c. 15. Haëften. l. 3. disqv. mon. disquis. 5. Simon. Thess. l. de sacram. Goarus p. 313. in Euchologico. Hospin. l. 6. de orig. Monach. c. 73. Zeger. Bernh van Esp. part. 1. Jur Eccl. tit. 15 c. 3. p. 102.

Cranz. l. 6 Saxon. c. 15. p. 146.

Siquidem id sceptro fieri, & olim quoque factum esse, sciunt omnes, qui in hisce rebus non plane hospites se profitentur.

Investituræ jura ab Imperatoribus ad pontifices translata.

Splendida hæc Imperatorum jura tam diu sarta tecta quæ permanserunt, donec vitio temporum eo prolapsa est Pontificum Romanorum ambitio, ut inclinatam Cæsarum auctoritatem aspernarentur, juraque illis debita per injuriam abolerent, & sibi vindicarent. Dici non potest, quanta animi præsentia Henricus IV. consilia susceperit, tuendi dignitatem Imperii, nullum defugiens periculum, quod in devotum illius caput Pontificis parasiti intenderant. Nam licet plerique in ejus conjurarent perniciem, ipsumque filium in patris ruinam armarent, ipse tamen semper causæ bonitati confisus

Per damna per cædes ab ipso
Duxit opes animumque ferro.

Non caruisset res successu, si præeuntem bona fide sequi voluissent ii, quorum id facere maxime intererat, ipseque filius parentis insistere vestigiis, quam pessimis monitoribus morem gerere maluisset. Sed idem tunc accidere vidisses, quod olim Herculi contigisse ferunt. Ex uno resecto hydræ capite longe plura renascebantur. Pari enim ratione Hildebrandi Pontificis ingenium in successores migravit, a quibus denique minis, pollicitationibus, Tarpejoque ex communicationis fulmine oppressus Henricus V. extorqueri sibi passus est nobilissimam imperii partem, & summa inaugurationum Ecclesiasticarum jura. Qua de re cum Heideggerus & Meibomius cum cura egerint magna parte laboris me video levatum.

Heidegger. Histor. Papat. §. 4. n. 94. p. 104. sq. Meibom. diss. de jur. investit. Episc. p. 174. tom. 3. rer. germ.

Annus Christi 1015.

Henrici II. Reg. 14. Imp. 2.
Ab. V. C. 92.

Henrici Imperatoris itinera.

Ditm. l. 7. p. 188. Chronogr. Sax. p. 227

DEferimur ad annum Christi MXV, quo Henricus jam corona Cæsarea insignis Saxoniæ nostræ denuo rationem habuit. Walbeccæ enim peracto palmarum die Merseburgum properavit, paschalem ibi festivitatem celebraturus, & in frequenti principum conventu de Boleslai toties comperta perfidia capturus consilium. Inde proximis rogationum diebus si Ditmaro fides Capungæ, quo ipse curtem suam de civitate Cassulan transtulerat* exactis: Pentecostem in Immaleshusæ solenni ritu celebravit. Tunc nisi Ditmari, Chronographi Saxonis, Baronii & Schatenii computus fallit, Walo decimus quintus Corbeiensium Abbas, Meinvverco Paderbornensium antistiti nihil juris in suo monasterio concessurus deponitur, subrogato in ejus locum Druthmaro. Quod facinus cum præter autores supra laudatos prolixe satis referant Gobelinus, Autor vitæ Meinvverci, Cranzius, aliique quam plurimi, doctissimus quoque Paulini singularem ea de re scripserit dissertationem: nihil opus fuerit, plura hæc commemorare.

** Ditm. l. 7. p. 190.*

Gobelin. at. 6. cap. 52. p. 257. Autor vitæ Meinvverci n. 43. p. 90. Cranzius lib. 4. metrop. cap. 4. p. 91. Paulin. p. 449. Syntagm. rer. Germ.

Walo Abbas Corb. a munere remotus

His peractis Cæsar circa nativitatem S. Johannis Baptistæ Goslariam accessit, ubi quædam publica imperii negotia ad liquidum perduxit, quod referre placet verbis Dietmari, scriptoris de Henrici II. historia præclare meriti: *In nativitate sancti Johannis Baptistæ, quæ tunc proxima erat, ad Goslari Cæsar veniens, Ernesti ducatum nepti suæ & filio ejus dedit.* Ernestus, seu ut Aventino audit, Arionistus, cujus posteris ducatus ab Henrico II. Goslariæ indulgebatur, non est alius, ac ille inclytus Alemanniæ Dux Luipoldi Marchionis filius, Hermanni successor, cujus miserabile fatum ad superiorem annum præter Ditmarum referunt Abbas Urspergensis & Albertus Stadensis, rectius quam annales Hepidanni ad annum MXXI. aut Hermannus Conradus, & auctores chronici Austrialis & Stederburgensis ad annum MXV. Hic princeps, cum paulo incautius venationibus vacaret, militesque ejus imprudentius vibrarent sagittas, inopino ictu ab Adalbrone Comite sauciatus, & ad extrema pie se componens, paulopost e vivis excessit, Wirzburgi decente exequiarum ritu prope patrem tumulatus. Cæsar ergo cognito hujus praclari principis obitu Goslariæ tum præsens vacuam provinciam nepti ejus & filio dedit, ex quibus deinde Zaringiorum Ducum familiam prodiisse auctor est Aventinus.

Comitia Goslariensia.

Ditmar. l. 7. p. 192. Spangenb. c. 164. Chron. Sax. p. 258

Ditm. l. 8. p. 191. Abb. Ursperg. p. 214. Alb. Stad. p. 223. Hepidann. ap. Goldast. a. 1021. Chronic. Austr. p. 315. ap. Freher. tom. 1. Chron. Stederb. p. 451 tom. I. ap. Meibom.

Herm. Contr. p. 319. Mar. Scot. ad a. 1018. p. 449. Aventin. l. 5. pag. 404.

Bellum Polonicum.

Ditm. l. 7. Chronogr. Sax. p. 228 Autor vitæ Meinvverci. n. 31.

Quod reliquum erat anni Polonico bello datum est, quod Cæsar tanta sollicitudine gessit ut paucæ superessent illius reliquiæ. Poloniam enim cum valido exercitu ingressus Boleslaum toties perfidum graviter ulciscitur, copiisque ejus profligatis, provinciam quam late patet depopulatus, victricem exercitum in Saxoniam reducit, ut prolixius rem referunt Ditmarus, Chronographus Saxo, Autor vitæ Meinvverci, & e recentionibus complures.

Anni Christi 1016. 1017.

Heinrici II. Reg. 15. 16. Imp. 3. 4.
Ab. V. C. 93. 94.

Henricus Imp. Goslariæ egit.

PRoximus annus MXVI. denuo Goslariæ nostræ Imperatorem reddidit: si fides diplomati, Kemnadensi monasterio dato, & a Schatenio prolato, cujus hæc est clausula:

Gun-

Cuntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicapellani recognovi. Anno Dominicæ incarnationis MXVI, *Indictione* XV. *Anno vero Domini Heinrici Imperatoris Auguſti* XV. *regnantis Imperii IV. actum Goslar, data VII. Kal. Apr.*

Scr. Rer. Germ. Ille tamen in numeris errorem notat Schatenius, & pro anno Chriſti MXVI. & Regis anno XV. ſubſtituendum monet annum MXVII. & regium annum XVI. ſi cum Indictione & Imper. IV. convenire debeat. Sed ſatis notum eſt, quantopere in indictionum, numero a notariis fuerit ſæpius aberratum, id quod dudum obſervavit Hermann. Conringius. Ego certe in diplomate hoc nihil temere correxerim. Spangenbergius enim autor eſt, Henricum Imperatorem hoc anno non modo Goslariam veniſſe, verum etiam ſummo ſtudio hanc urbem amplificaſſe, & metalla quoque in monte Ramelino denuo indagare cœpiſſe.

Schatenius l. 5. p. 428.

Conring. de finib. Germ. lib. 2. c. 32. Spangenb. Sax. urb. p. 38. Schreiber. de orig. & progr. metallif. Harz. p. 38.

Quid & quamdiu Certius de Imperatoris præſentia ſequente anno conſtat e Ditmaro. Palithi enim teſte illo Chriſti natalitiis, Alſtediique teſto Epiphaniæ celebratis Magdeburgam conceſſit, inde obiter Halberſtadio & Quedlinburgo ſalutatis, denique Goslariam movit ibique diutius hæſit, tum ob bellum Polonicum, tum alia negotia in publico Principum congreſſu decidenda. Quædam his in comitiis geſta denuo nobis ſervavit Ditmarus: *Inde tunc percepta a nepte ſua caritate magna* [*Henricus*] *ad Goslariam tendens villam, ibidem IV. ſedebat hebdomadas. Hanc enim tunc multum excoluit. Et quia tunc quadrageſima fuit, quæ Chriſto oportebant, & ſeculo in multis neceſſaria erant, operari ſtuduit. .... In hac hebdomada principes noſtri edicto Cæſaris ad Gosleri convenient. Ibi tunc avunculo meimet Sigefrido comitatus fratris Henrici commendatur, & expeditio in noſtris partibus ordinatur, ceteraq; patriæ periclitantis proficua & admodum neceſſaria dirimantur.* Hæc Ditmarus, eo majore fide dignus, quod domeſtica narrat. Sigefridus enim hic, qui præclaro feudo ab Imperatore Goslariæ donatus eſt, non fuit Comes de Walbecke, ut doctiſſimo Sagittario viſum eſt, ſed Comes Stadenſis, ad quam familiam genus ſuum maternum Ditmarus referebat. Hic enim eſt ille Sigetridus, qui a Danis & Svecicis piratis aliquando captus, cuſtodibus vino gravatis felici fuga elapſus in provinciam ſuam rediit. Frater huic erat Henricus, qui ex Ethela ſua unicum ſuſceperat filium Sigefridum, ſed quem ipſe quoque cum fratre captus obſidem dare piratis coactus eſt. Hic poſt fugam Sigefridi a barbaris immani crudelitate naſo, auribus & manibus mutilatus orbum patrem reliquit; quo juſta ſenectute defuncto, Comitatus Stadenſis Goslariæ in ſolenni principum conventu confertur Fratri ejus Sigefrido Comiti: id quod Ditmarus ob familiæ ſuæ commodum præterire non potuit, quamquam ab eo in recenſenda familia Stadenſi non parum diſcrepat Albertus Stadenſis.

Alb. Stad. p. 272.

Expeditio autem quam præterea in Goslarienſibus hiſce comitiis decretam dicit Ditmarus, fuit illa contra Boleslaum, Germaniæ denuo perfidum, hoc anno ſuſcepta, qua hic magna clade affectus pacemque per legatos petere coactus Moraviam & Bohemiam Imperatori belli præmium ceſſit. Pacem cum Boleslao Budiſſinæ contractam narrat Ditmarus initio libri octavi.

Bellum cum Boleslao.

Ditmar. lib. 8. Chron. p. 232.

Annus Chriſti 1018.

Henrici II. Reg. 17. *Imp.* 3.

Ab. V. C. 95.

PRoximo anno, qui Chriſti erat milleſimus decimus octavus, Henricus Imperator peragrata ſuperiore Germania denuo in Saxoniam ſuam rediit; Cui ut opportunius conſuleret in quadrageſima Goslariam quoque noſtram inviſit, ibique celebrem Epiſcoporum Synodum coegit diſciplinam Eccleſiaſticam ſanioribus legibus emendaturus, quæ adhuc cleri negligentia inclinari paulatim cœperat. Hujus Regis præſentiæ teſtis locuples eſt Chronographus Saxo, quanquam in eo cum Chronicis Hildeſienſibus falſus, quod natalem ſuperioris anni Paderbrunnæ ab Imperatore celebratum exiſtimat, id quod recte refellit Schatenius, cum eo tempore Cæſar in Franconiæ regionibus egerit. Verba Chronographi ad hunc annum ita ſe habent: *Imperator natalem Domini Patherbrunum celebravit, & Goslariæ quadrageſimale tempus peregit.* Sed oblitus eſt nobis commemorare, quæ eo tempore hic acta ſint; quem defectum ex parte ſupplevit Autor vitæ Meinvverci a Brovvero editus, dum S. Berwardum Hildeſienſem Epiſcopum præſentibus Imperatore, Meinvverco & vicinis Epiſcopis ſynodum tunc celebraſſe, & cum multa ſalubriter ad diſciplinam clericorum reſtituendam egiſſe, tum imprimis conjugium Godeſchalci Comitis & Gertrudis vitio contractum ſolviſſe denarrat. Quanquam autem hujus Synodi acta ut hujus ævi pleraque ætatem haut tuliſſe videri poſſint, non immemerito tamen huc referre me exiſtimo acta Synodi Goslarienſis, quæ inter multa Cæſarum & Brunsvicenſium principum monumenta ſervavit Maderus. Annum quidem illa præferunt MXXV, ſed procul dubio, e ſcribæ oſcitantia natum, ſiquidem nec Bernvvardus, nec Henricus Imperator hoc anno adhuc erant ſuperſtites. Ille enim meliorum Chronologorum ſupputatione anno MXXI, vel certe MXXII, * hic anno MXXIV. corporis poſuere exuvias, ſolo fere Chronici Auſtralis autore * in diverſa abeunte, & Henrici S. obitum referente in annum MXXV. Præterea Gero Archiepiſcopus Magdeburgenſis, qui huic

Synodus Goslariensis.

Chronogr. Saxo. p. 231.

Schaten. l. 5. p. 428.

Autor vitæ S. Meinvverci. n. 56.

* *In anno 1022. consentiunt. Rentel. in Hildesh. Chron. p. 80. & Chron. Austral. ap. Freher. tom. 1. rer. Germ. & Chron. Sigeberth. p. 451*

* *Chron. Auſtral. ap. Freher. tom. 1. rer. Germ.*

Synodo interfuiſſe dicitur jam anno MXXII* Arnolphus Halberſtadenſis Antiſtes anno MXXIII. ** Thidericus Mindenſis anno MXXII. (†) Thidericus denique Mimigardivordenſius eodem anno MXXII. (††) diem obierunt ſupremum, nec ullus vitam ad annum MXXV. protraxit, quem acta præferunt. Accedit quod in actis his diſerte mentio fiat S. Bernvvardi hujus Synodi autoris & cauſæ matrimonialis deciſæ, ut adeo minus dubitem, illa ad Synodum ab Autore vitæ Meinvverci memoratam referre, præcipue cum ſtylus & formula PIÆ MEMORIÆ S. Bernvvardi nomini addita †† ſatis manifeſto declaret, poſt hujus demum obitum acta Synodi hujus in literas relata fuiſſe unde facilis in conſignando anno error irrepere potuit, quem tamen miror nec a Madero, nec ab ullo alio adhuc fuiſſe deprehenſum. Quo facilius autem de re ſit judicium, ipſum monumentum Maderi exſcribo:

* *Chron. Magd. ap. Meib. 286*
** *Reimann. ideæ Chrō. Halberſt.*
† *Chron. Mindenſ. Meibom. p. 360. &*
Paulin. p. 12. Syntag.
†† *Schaten. lib. 5. ann. Paderb. p. 446.*

ARchitecti Catholicæ doctrinæ, quæ ſectanda forent, fidei quaſi fundamenta locantes, hoc evidenter noſcuntur probaſſe, ſive gregatim ſeu ſeparatim, ut gloriemur in laude Chriſti. Ergo anno MXXV. (MXVIII.) *in Conſiſtorio regali GOSLARÈ præeminenti, in Eccleſiæ ſcilicet auſtrali lateri eodem adhærente, collecta fidelium coadunatione, propoſitum eſt tractandum quodque utilitatis ſalutare. Cujus conventus primatui HENRICUS, qui tunc temporis reipublicæ monarchiam ſtrenue gubernabat, aſſederat, & conſtipatione Epiſcoporum, Geronis videlicet Parthenopolitani Archiepiſcopi, & Unovvani Bremenſis Archiepiſcopi, Arnolfi quoque Halverſtedenſis, & Bennonis Slavenſis, * Thiderici Mindenſis & Thiderici Mimigardivordenſis, & Ekkibardi Sleswigenſis Epiſcopi circumfultus undiq.e fasque nefasque æqua trutinationis lance penſabat. E quibus vero, interquæſtiones citra ultraque habitas. BERNWARDUS ſanctæ Hildinisbemenſis Eccleſiæ piæ memoriæ antiſtes, quem tanti negotii principatus attinebat, cujusdam ambiguitatis indaginem inveſtigabat. Quippè cum quilibet Epiſcopus vel cujusvis dignitatis quisquam, proprietatis ſuæ aliquem ad ſacerdotalem provehens gradum, ſuæ poteſtatis juxta collibitum eſſe promiſerit, inſuperque ſui juris ſeu alieni ſibi Eccleſiam clementi benignitate adquiſierit, ſed is ſuccedentibus properis, altioris meriti elatione, ſeſe ſuper verticem extulerit; donumque divinitus collatum in turpe converterit emolumentum, adèo ut nobilitate generis ſuccenſus, quandam in matrimonium uſurpaverit liberam, eo tenore, ut prolem ex eadem derivatam quoquo modo abalienet ſervitio ejus, cujus ipſe juberat dominio; quid potiſſimum exinde concors illorum fieri decreviſſet aſſenſio. His ita prælibatis, procerum unusquisque, pro induſtriæ ſuæ æſtimatione hujus rei propoſitum longa alternabat deliberatione. Sed tandem hujus hæſitationis anfractus Imperatore anticipante, omnis illius concionis conſeſſus in ſuffragium hujusmodi aſſurgit, acclamantque cuncti, legitime oportere, tam ipſam, quam ejus poſteritatem, eodem, quo & ipſe, ſervitutis jugo ſuccumbere. Addunt nihilominus præſentis pactionis decretum, Romani Imperii majeſtate ſancitum, nullo penitus in perpetuo jure ſolvendum, maxime, cum in beneplacito univerſalis Papæ proſpectum vegetet ſanctæ Eccleſiæ.*

* *Alden-burginſis in Wagnia. Vid. Enermot. Chr. epiſc. Aldenb. p. 162. ap. Paulin.*

Conſiſtorium regale Goslarienſe.

Locus ubi hæc Synodus congregata eſt, vocatur *regale conſiſtorium, auſtrali Eccleſiæ lateri adhærens*, quod ego iterum de capella quadam intelligo forte palatio regio annexa eo loco, ubi deinde Conradus Imperator capellam condidit B. Mariæ. Ceterum exedras Eccleſiis jungi olim ſolitas, in quibus ſacerdotes cum ſuo Epiſcopo, aut Epiſcopi inter ſe ipſos de rebus ſacris conſilium inirent, docet charta donationis Eccleſiæ Cornutianæ edita a Svareſio, e qua Carolus du Freſne hæc exſcripſit.

Carol. du Freſne Gloſſ. Lat. tom. 2. p. 1183.

Item ante regias baſilicæ vela linea plumata majora, fiſſa numero tria. Item vela linea pura tria, ante CONSISTORIUM velum lineum purum. In prona velum lineum purum I. &c.

Conventus Mulhuſinus.

Soluta Goslarienſi ſynodo Imperator luſtrata Weſtphalia in Belgium conceſſit, indeque reflexo itinere Mulhuſi Thuringorum conventum principum habuit, ibique per reliquam anni partem hæſit, ut docet diploma Paderbornenſe, a Schatenio prolatum, datum

Schat. P. 1 p. 431. l. 5. annal. Paderb.

Anno Dominicæ Incarnationis MXVIII. *Indictione II. Anno vero Domini Heinrici, Romanorum Imperatoris ſecundi, regnantis* XVIII. *Imperii autem* VI. *actum* XVIII. *Calend. Januarii Mulinhuſon feliciter Amen.*

Interea Calendis Decembris Saxonia, ipſaque noſtra Goslaria diligentem rerum ſuarum ſcriptorem amiſit Ditmarum, Comitē Walbeccenſem, quartum Merſeburgenſis eccleſiæ epiſcopum, cujus fideliſſimis lucubrationibus, (cum Brunnero loquimur,) in hac rudis ævi caligine adhuc uſi ſumus,

Ditmarianæ hiſtoriæ finis.

Brunner. l. 9. annal. Boj. p. 677.

sumus, cum is historiam suam, quam Vos-
Voss. l. 3. de hist. Lat. c. 5 sii & Paulini sententia anno Christi MXVII.
Paul. diss. aetatis suæ XLI. Episcopatus X. anno uno
de Hist. Aug. ante obitum suum exorsus fuerat, ad dis-
Abb. Urs. cessus sui tempora usque felici industria
p. 111. pertexuisset, quam telam utinam conti-
Sigeb. nuare ejus successores voluissent, moni-
Chron. tis Ditmari * obtemperantes, certe *de ex-*
cid. l. 1. positionibus plurimis, ut ait Reineccius, *mi-*
nus hi. nus laboraremus, & majus patriæ ornamentum
p. 100. sq. *accessisset.* Corpus conditum Merseburgi
Reinec. est in editiore basilicæ parte, quod succes-
Annal. sor Bruno effossum cum antecessorum os-
Sig. Dioc. sibus in sacellum Episcoporum transtulit.
p. 251. Monumentum ejus hanc meruit epigra-
phen:

Corde, manu, lingua Ditmari gesta loquuntur,
Quid faciant, sapiant, doceant, qui vera loquuntur.

Cornel. Fallit ergo Chronographus Saxo Ditmari
Sanct. ad obitum in annum referens MXIX.

Annus Christi 1019.

Henrici II. Reg. 18. *Imp.* 6.
Ab. V. C. 96.

Conten. tus Goslar. SEquitur annus Christi MXIX. non minus Goslariæ nostræ faustus. Siquidem Henricus Imperator, discussis Bernardi Ducis consiliis, mense Martio urbem nostram cum Cunigunda sua denuo adiit, jam magis indies magisque florescentem. quanquam autem hoc historicis taceatur, non tacent tamen diplomata ab Autore vitæ S. *Meibom. pol. ad Pad. l. 491. sq.* Meinwerci & Schatenio prolata, unde simul constat, magno Episcoporum & principum agmine stipatum Henricum hoc anno Goslariæ nostræ versatum: E quibus nominari merentur Gero Magdeburgensis, Unvvanus Bremensis Archiepiscopi, Theodoricus Minnigardivordensis, Euerhardus Bambergensis, Meinvvercus Paderbornensis, Adelbaldus Trajectensis, Arnoltus Halberstadiensis, Hildevvardus Cizensis Episcopi, Bernhardus & Godefridus duces, Sigefridus Eggehardus & Herimannus Comites. Quis ergo dubitet, quin in tanta principum virorum frequentia de publicis Ecclesiæ & reipublicæ negotiis disceptatum sit? Sed fuit ea seculorum horum negligentia, ut chartæ nimis parcerent, eaque de causa plurima quæ scire posterorum interfuit, nos paterentur ignorare.

Si conjecturæ locus relinquitur, non temere mihi videor suspicari, Bambergensem Episcopatum nuper ab Henrico conditum, & Benedicti VIII. Pontificis in Germaniam adventum materiam consultationi dedisse. Finito enim propemodum quadragesimali jejunio, Henricus relicta Goslaria, cum omni pene Episcoporum & Principum Saxonicorum cœtu Bambergam iter fecit, dedicationi hujus Ecclesiæ interfuturus, Pontificemque advenientem excepturus honorifice. Dedicationis solennia Bambergensium fastis satis relata Goslariam nostram minus spectant.

Annus Christi 1022.

Henrici II. Reg. 21. *Imp.* 9.
Ab. V. C. 99.

HIc annus, qui Christi illuxit post mil- Dorstad. lesimum vigesimus secundus iterum Goslariæ nostræ Henrici præsentiam indulsit; quod etsi ab Historicis non minus silentio prætermissum est, Lezneri tamen autoritate nixus assero; idque eo verisimilius, quod Imperatorem tunc in vicinia Gronam, Paderbornam aliasque Westphaliæ Saxoniæque civitates sub anni exitum lustrasse notum est & provocatum. Tunc autem Conradus Dynasta Dorstadianus, subtracto sibi parente Arnoldo, ab Imperatore Henrico II. Goslariæ in feudum impetravit arces Nienburg, Widelah & Welperodam, ut tradit Leznerus, qui ipsum procul dubio Henrici Cæsaris diploma vidit. Magna fuit Dorstadianæ familiæ celebritas, quam in nobilium dynastarum seu Baronum Saxoniæ numerum refert Meibomius; Leznerus vero primis & antiquissimis Saxoniæ Comitibus annumerat. Prisæ nobilitatis sedem habuit Nienburgi arce Goslariam inter & Guelpherbytum sita, quam tamen Arnoldus de Dorstadt, cum filios non sulcepisset anno MCLXXXIX. in virginum monasterium convertit, imposito illi nomine gentili Dorstadii. Reliquæ, quas tenuere arces postquam familia anno MCCCCXLVI. exspiravit, ad Hildesiensem Episcopatum pervenerunt. Sed ecce schema hujus antiquæ familiæ, aliquot locis a me auctum e Leznero huc transfero:

ab Henrico in clientelam suscipiuntur.

Lezn. l. 3. Chron. Hildes. MSC. c. 34

Dorstad. familia. *Meibom. tom. 1. rer. german. p. 475. Lezn. c. 12 vit. Caroli M.*

Arnol-



Annus Chriſti 1024.

Henrici II. reg. ultim.
Conradi II. Reg. 1.
Ab. V. C. 101.

Godehardus Hild. Epiſcopus. *Chronic. Epiſc. Hildeſ. MSC. cap. 14. Siffrid. lib. 1. epit. p. 689. & 690. Sur. tom. 5. die 4. Maji Act. ſanct. Cranz. lib. 4. metrop. c. 7. p. 92. Baron. tom XI. ann. p. 78. Andr. Ratisb. Chronic. Bavar. p. 20.*

Idem annus ut ſupra dixi, ſecundum meliorum Chronologorum calculum ſubtraxit Bernvvardum Hildeſienſem Epiſcopum, licet Chronicon Epiſc. Hildeſienſium MSC. cum Lamberto & Bucelino ejus obitum referat in annum MXXIV. Huic Henrici II. auſpiciis ſucceſſor datur Godehardus, Comes Bavarus, e Schyringenſium familia oriundus, ipſique adeo Cæſari, niſi Cranzius fallit, ſanguine junctus. Hic ſicut ab incunabulis pietatis ac doctrinæ elementa hauſerat, in cœnobio Altaichenſi enutritus, ita virtutes ejus latere diu non poterant, cum inde Hersfeldiæ Abbas creatus tam prudenter omnia ageret, ut ipſe Cæſar ejus conſilio ſæpius in rebus ambiguis uteretur: eaque de cauſa Altalchenſe & Hersfeldenſe cœnobia larga munificentia ditaret. Suſcepto Hildeſienſi Epiſcopatu multis rebus præclare geſtis memoriam ſui nominis propagavit. Litem cum metropolitano ſuo de Abbatiſſæ Gandersheimenſis conſecratione ipſe adeo feliciter terminavit, ut in publico principum conventu Willigiſus cauſa caderet. Epiſcopatus ſui terminos protulit, urbem multis eccleſiis & monaſteriis ornavit, ac marmoream pene reliquit, quam lateritiam invenerat. Quibus rebus id effecit, ut poſteris temporibus in divorum numerum relatus ſancti nomine cenſeatur.

Seculum Goslariæ ſecundum

NOvum ordimur Goslariæ ſeculum, & eluctati jam illius infantiam in tempora deferimur multo feliciora, quibus tanto ſtudio in exornanda hac civitate deſudarunt Imperatores, ut quæ antea veluti ſilentio involvitur a ſcriptoribus, nunc in Chronicis & annalibus utramque paginam abſolvat. Sed primos hos Goslariæ ludos ſeculares luctuoſos admodum reddit Henrici II. obitus nullis certe acerbior ac urbi noſtræ, quam incredibili amore complexus ornare nunquam deſtiterat, proximisque ante obitum ſuum diebus præſentia ſua illuſtraverat. Placet triſte hoc imperii fatum referre verbis Chronographi Saxonis, qui extrema Hentici tempora ita paucis complexus eſt: *Imperator natalem Domini Bavenberch peregit. Ibi turba convenerat paſtoribus deſtituta, quia omnes ſuſpenſi manebant, cujus providentia cura Imperiali poteſtate committerentur. Igitur cum his, quos ſummos habitos cognovit, inito deſtinationis decreto, ſubſtituit Hunfridum in vicem Geronis Magdeburgenſis Archiepiſcopi, aſſumptum de choro Wirciburgenſi: Eadem die Brandagus Vuldenſis Abbas Arnulfi antiſtitis ſucceſſor conſtituitur. Cæſar diverſis doloribus pro-*

Henrici II. obitus & laus.

Chronogr. Saxo. p. 237.

vexatus, eodem loco crebra infirmitate diutur-
nam protraxit moras, reſumptiſque demum vi-
ribus, citato curſu Parthenopolim ire propoſuit.
Tandem poſt longam deliberationem laborioſi i-
neris, diem palmarum in loco qui dicitur Al-
ſtede feſtive celebravit. Die vero reconcilia-
tionis, exigente infirmitatis gravedine, remo-
ratus eſt, qua convenerat, multitudine, paucis
tantum exceptis, Nienburg cœnam dominicam per-
egit. In ſancto vero Sabbatho contracto totius
ſenatus conventu, conteſtali ſua Cuningunda
comitante Parthenopolim venit, ubi cum gran-
di honore ſuſceptus eſt, Dominica quoque re-
ſurrectionis gaudia celebri honore transegit, de-
inde ab antiſtite ejusdem loci auri ſericorumque
varietate plurimum donatus, Hilverſtade a-
dit. Inde nihilominus Goslariam profectus
eſt, ubi diebus decem peractis ad locum quen-
dam Grona dictum properat, ibique forti egri-
tudine depreſſus, & amara mortis poculo de-
briatus, vitalem emiſit ſpiritum. Deinde fle-
bili querimonia, ſecundum quod ipſe decreve-
rat, Bavenbergenſi caſtello defertur & cum
honore terræ matri commendatur. Eadem brevius ſubinnuunt Autor vitæ Meinwerci & Alb. Cranzius. Ex quibus ſimul diſcimus ultimam pentecoſten Henricum Goslariæ peregiſſe. Obiit tam admirabili ſanctitatis fama, ut ſolus ex tanto Germanorum Cæſarum numero inter Divos ab Eugenio Papa relatus ſit: Et quanquam ſunt, qui de ejus ſanctitate minus dextre judicant, eamque non procul ab annili ſuperſtitione & ſimplicitate abfuiſſe exiſtimant, neſcio tamen an plures hodie rubore ſuffundere poſſit, qui ſibi de ſingulari pietate blandiuntur. Plura clericis beneficia conceſſit, adeo ut pauca ſibi ipſi & poſteris relinqueret: Sed quis dubitet, quin hæc ejus largitio eo ſpectarit, ut cultus Dei & pietatis ſtudium magis inclues Dei & pieratis ſtudium magis indies magisque efflorescceret. Quod ſi ergo non ſemper votis reſpondit exitus, & clericorum quorundam improbitas Henrici ſpem fefellit; quæ quæſo hujus culpa? Videant illi, quid ſuo benefactori decretorio illo die reſponſuri ſint? Fuit ſane laudabilis horum ſeculorum liberalitas, quam non immerito commendat Henr. Petræus: *Majores noſtri*, inquiens, *vitæ actionumque humanarum finem conſtituentes nominis Dei gloriam & proximi in his terris utilitatem honorabant Deum optimum ter maximum de ſua, ut biblia ſancta loquuntur, ſubſtantia & de primitiis fructuum ſuorum dabant egenis, propter mandatum aſſumebant pauperes, ponebantque theſauros ſuos in preceptis altiſſimi, inprimis vero illas ſacras humaniores que literas docentium aſſidueque Deum invocantium & collaudantium cœnobitarum cœtus ſtudioſe fovebant.* Hæc ergo ſectatus etiam Henricus vix aliquam Germaniæ Eccleſiam ſuam liberalitatem deſiderare paſſus eſt, quod dilucidius pateret, ſi ejus diplomata, aut diligentius fuiſſent ſervata, aut certe copioſius in lucem publicam prodirent.

Ita ergo cum primo Goslariæ noſtræ ſolo expiravit Saxonicorum Cæſarum imperium, jam in Francos transferendum, magno Germaniæ bono, ſi quantum illi imperare, tantum Saxones parere didiciſſent. Primus, qui e Francis ad ſummum Imperium adſpiravit, fuit Conradus Salicus, magnæ virtutis princeps & jam ab Henrico morti proximo principibus commendatus. Pater illi fuit Henricus, Conradi Wormatiæ & Bullonii ducis filius, e Juditha Ottonis I. filia genitus, a quo Conradus noſter præter generis ſplendorem virtutem quoque accepit veluti hæreditariam. Magnæ ſane Conradi noſtri laudes & a ſcriptoribus paſſim celebratæ, nec Goslariæ noſtræ ignotæ, quæ ipſi præcipue curæ cordique fuit. Certe in ornanda hac urbe nemini ſucceſſorum ſuorum fuiſſet ceſſurus, ſi lucis uſura diutius eſſet fruitus.

Imperatorum finis.

Conradi II. laus.

Sigebert. Gembl. Chronic. p. 593. Alberic. Chronic. p. 56.

Annus Chriſti 1025.

Conradi Salici Reg. 2.

Ab. V. C. 102.

Conrad° Goslariæ egit.

JAm hoc ſecundo imperii ſui anno Goslariæ noſtræ primum dedit amoris ſui documentum, cum illam dignam exiſtimaret, quam ſuæ præſentiæ ſplendore illuſtraret. Simulac enim imperium fuerat auſpicatus, nihil illi erat antiquius, quam obire germaniæ provincias, earumque conditionem coram explorare. Hinc Mindæ ſub exitum ſuperioris anni celebratis Chriſti natalitiis, Patherbornam circa epiphaniæ feſtum movit, inde ſalutata Corbeia Hildeſiam profectus litem, toties renovatam, quæ Hildeſienſibus Epiſcopis cum metropolitanis ſuis de Gardeshemio interceſſerat, principum conſilio diremit. Tandem ſuperiorem Saxoniam luſtraturus Goslariam noſtram menſe Januario tranſiit, quam occaſionem arripiens Druthmarus Corbeienſis Abbas Imperatorem adiit, & ut monaſterio ſuo proſpiceret, humiliter oravit. Cui Imperator in ornandis Eccleſiis anteceſſore ſuo non remiſſior præclaras literas conceſſit, quibus omnia jura Corbeienſis Eccleſiæ liberaliter confirmavit. Diploma profert Schatenius.

Annal. Corbeia ap. Paulin p. 384. Syntagm. Conf. diploma ap. Mader. p. 216. antiqq. Brunſv. Schaten. lib. 5. P. 1. ann. Paderb. p. 466.

Datum XI. *Calend. Febr. Indict.* VIII. *Dominica Incarnat.* MXXV. *anno vero Domini Chounradi ſecundi regnantis I. Actum Goslare.*

Patet ergo non fallere annales Corbeienſes a Paulino editos, in quibus ad annum MXXV. annotata legimus: *Chounrat rex omnia noſtra privilegia confirmat ſollempniter*, quamvis ſi ſequentia addas, potius hoc Corbeiæ quam Goslariæ factum perhibere videantur.

Paul. l. c.

Nec minus vicinia hæc liberalem tunc Eccleſiæ Harzeburgicæ beneficit. Eccleſiæ Harzeburgicæ benefaſenſit Conradum, ſi ad hunc annum referre licet illa, quæ Chronicon MSC. membranaceum in Eccleſia SS. Simonis & Judæ ſerva-

Ekkeh. Petrus l. 4. de reb. ſuis.

Saxonicorum

servatum, sine die & Consule refert: Illud enim de hoc Conrado ita loquitur: *Anno gracie millesimo vicesimo quinto Conradus Imperator hujus nominis secundus, filius Henrici, Ducis Suevie, adeptus est Romanum imperium & regnavit annis quindecim. Hic dotavit eandem ecclesiam in Hartesborg cum predio trans Salam quod dicitur Balberghe & suis appendiciis & cum predio Wivelinghe apud Somerschenburgh. Hic etiam ecclesiam Limborch & episcopatum in Spira primus fundavit & ibidem est sepultus.* Atque cum his quidem egregie convenit Alb. Cranzius, qui hunc Imperatorem *multa prædia contulisse in monasterium, quod erat in Hartesborg*, refert. Sed nescio tamen an Conrados satis distinxerint. Superat enim in Ecclesia SS. Simonis & Judæ diploma Conradi, quod secundi quidem titulum præfert, (ut solent Conradi Suevi diplomata) sed revera tertii est, quemadmodum suo loco videbimus. In illo eadem fere prædia, quæ nominatim recenset chronicon illud membranaceum donantur ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, ut adeo non dubitem, quin titulo decepti olim Conrado II. tribuerint, quæ tertio erant tribuenda.

Cranz. l. 4 c. 36. Sax. p. 99.

Goslaria nostra Rex in Thuringiam secessit. Inde lustrata superiore Germania in Italiam migravit, coronam ibi a Pontifice susceptorus, ex qua redux factus alias subinde obiit imperii provincias. Quamvis Goslariam nostram ante annum MXXXI. divertisse illum nondum usquam deprehenderim.

Anni Christi 1031. 1032.

Conradi Reg. 8. 9. Imp. 4. 5. Ab. V. C. 108. 109.

Conradus Goslariæ agit.

ANnus igitur Christi post millesimum trigesimus primus Goslariæ Imperatorem reddidit, qui cum hujus anni initia Alstedii Thuringorum exegisset, cum Gisela sua & Henrico filio nec non Meinvverco Episcopo Paderbornensi Goslariam nostram Februario mense invisit. Sed quæ hic tunc gesta sint, cum ignarissimis scimus. Duo enim tantum supersunt diplomata Meinwerco concessa hac clausula.

Data XI. *Calend. Martii Indict.* XIIII. *Anno Dominicæ incarnat.* MXXXI. *anno vero Domini Chounradi secundi regnantis* VII. *Imperii* IIII. *actum Goslare.*

Schat. l. 5. Part. 1. annal. Pad. p. 479. sq. Chron. Saxo. p. 243.

Nec minus sequente anno si Chronographus Saxo audiendus Goslaria præsentem vidit Imperatorem. Ita enim ille ad annum MXXXII. *Imperator natalem Dni Goslariæ gloriose peregit.* Sed annum autor a natali Dni orditur, atque adeo de superiore potius anno intelligendus est, cum Polonica illa, quæ in sequentibus enarrat meliorum autorum judicio in annum MXXXI. referantur.

Monasterium

Hoc circiter tempore Conradus Imperator fundamenta agere cœpit monasterii montis S. Georgii, olim urbi nostræ imminentis, sed superioribus seculis ferali deleti incendio, & in curiam Grisonum, quæ proxime a Goslaria nostra floret, translati. Sunt quidem qui hujus monasterii initia in Henrici Aucupis tempora rejiciunt, sed id de arce, ante hæc tempora ibi conspicua intelligendum esse supra monui. Quod autem mons S. Georgii monasterium esse cœpit, id soli Conrado refert acceptum, docentibus id diplomatibus æque ac autoribus. Disserte sane Cranzius: *Iste Conradus*, inquit, *ad Goslariam fundavit Jurgenborg*, quocum etiam Spangenbergius & diplomata hujus monasterii faciunt: Henricus enim V. in literis suis profitetur, *monasterium hoc ab abavo suo fundatum quidem, sed imperfectum esse*, ubi ab avus pro proavo sumitur, more his seculis solenni, quo consanguinitatis, quos vocant, gradus non adeo accurate solebant distingui, ut vel solo *avunculi* vocabulo patet, quod pro *patruo* promiscue apud hujus ævi scriptores usurpatum, e Decretionibus Childeberti & Capitularibus Caroli C. observat Carolus du Fresne. Imo speciatim de voce Abavus de proavis usurpata luculentum exemplum reperio *Fresne* apud Dietmarum. Qui libro primo ita de proavis suis: *Duo* abavi *mei*, *uno nomine*, *quod Luther sonat, signati milites optimi & genere clarissimi decus & solamen patriæ.* Idem ergo loquendi genus hic quoque usurpatur. Quod si enim Henrici V. genealogiam consulamus, abavus illi fuit Henricus Dux Franconiæ, Conradi Salici pater, cui falcem in alienam messem immittere, Saxoniamque monasteriis excolere non erat integrum. Relinquitur ergo, ut Conrado Salico montis S. Georgii tribuamus originem, præcipue cum Leznerus quoque, qui tamen fama deceptus Henricum Aucupem monasterii hujus parentem fingit, negare non possit, Conradi in condenda hac Ecclesia præcipuas partes fuisse. Nec incommode in diplomate Henrici V. additur, Ecclesiam hanc ab abavo quidem fundatam, sed non absolutam fuisse. Inde enim reddenda erit ratio, cur ad Henrici usque ætatem atque adeo tanto temporis tractu nihil de hoc cœnobio inveniamus memoriæ proditum. Quo nomine mirari convenit doctissimum Coerberum, qui civitatis nostræ componens tempora Conrado tantum accepta refert initia castri montis S. Georgii, cum Cranzius, quem autorem allegat, de castro ne verbulum quidem addat.

S. Georgii conditum.

Cranz. l. 4 Sax. c. 30. p. 99. Spangenb. c. 170. p. 248 Chron. Sax.

Lezn. l. 2. hist. Hild. MSC. c. 33 & c. 86. op. MSC. de monast.

Coerb. hist. Gosl. c. 3. §. 7.

Inclarescere per hæc tempora in Saxonia nostra cœperant Canonici regulares S. Augustini, qui posteaquam Benedictini a rigore regulæ suæ deflexerant, multis coloniis e monasterio Bavariæ Raitenpuchensi deductis cœnobia recens condita his regionibus occupabant. Jam anno MXXIV. huic ordini cessit Monasterium Sultæ

Canonicorum regularium S. Augustini celebritas & incrementa.

Chron. mont. Ser. p. 17. 18.

Meibom. Sultæ prope Hildesiam, a S. Godehardo
tom. 3. rer. conditum, cui succedebat mons S. Geor-
germ. p. gii ejusdem ordinis religiosis frequentat9,
352. donec tandem insequenti tempore seque-
Meder. retur Hamerslebia anno MCVIII. Novum
dipl. de S. opus prope Halam Saxonum MCXVI. Ri-
Laur. chenbergense MCXVII. &, remotis virgini-
Camer. bus, disciplinæ minus diligentibus, Schœ-
Sigon. ningense MCXX. Baccerodanum denique MCXXV. aliaque plura quæ maximam partem in congregationem Windesemensem interjecto tempore coaluerunt.

Nec hic quidem desiit Cunradi in urbe
Cronica viciniaque ornanda liberalitas. Nam per
S Mariæ eadem tempora extruere hic cœpit capel-
fundat. lam B. Mariæ Virginis prope regale palatium, quæ olim magna devotione celebrata, plurimisque munita Pontificum indulgentiis, posteris temporibus neglecta, patrum denique memoria corruit, adeo, ut ne vola quidem, aut vestigium supersit. Ceterum originem hujus capellæ Conrado tribuit Langenius, domesticus testis, cujus de Conrado hi supersunt
Lange. Script. rer. Mog. Engelhus. in Chron. p. 1176. versiculi, ab Engelhusio quoque allegati:

Qui vixit mundus Cunradus, eratq; secundus
Nominis illius, rex fuit ipse pius,
Struxit Goslariæ pius Ecclesiamq; Maria.

Annus Christi 1033.
Conrad. II. Reg. 10. *Imp.* 6.
Ab V. C. 110.

Bruno Ertpoldens. Episcopus Herbipol. Fundator Ecclesiæ Cameracens. ad ann. 1045. apud Freher. tom. XI. p. 337. Cranz. Augst. in Fragm. p. 345. Annal. Saxo. Cranz. Metrop. l. 4. c. 7. Conc. Trid. l. 2. Hist.

HOc anno secundum Bruschii calculum, aut certe sequente, ut mavult Herm. Contractus & Chronicon Augustense Freherianum, Wurzburgensi Episcopatui admotus est Bruno, Cunradi Carinthiæ ducis filius, maternaque prosapia comites Qverfordiæ attingens, Conradi II patruelis, aut, ut alii malunt, e sorore nepos, Trithemio teste, catalogo sanctorum adscriptus. Isto honore auctus, ao. MXXXIIX Conrado Imperatori in Italiam abeunti comes adfuit, coortaque inter Missæ solennia tempestate S. Ambrosium Mediolanensibus suis opem ferre existimans, pacis inter Imperatorem & civitatem tunc constitutæ autor fuit. Anno autem MXLV Bosenburgi in Pannonia arcis ruinis oppressus interiit, ut patet ex hoc epitaphio, quod illum Herbipoli adeptum scribit Bruschius:

Anno Dni MXLV sexta Kalendarum Junii obiit beatus Bruno Episcopus fundator hujus Ecclesiæ.

Camerarius vero ita recenset:

ANNO DNI CIↃXLV KL. JUNII
BEATUS BRUNO EPIS HUJUS ECCL.
FUNDATOR

In dextra sarcophagi

BEATUS BRUNO FUIT PATRUELIS
CONRADI IMPERATORIS.

Chron. Augustens. ap. Freher. p. 346. Camerar. hor. subcess. cent. 1. cap. 30. p. 149. & cent. 2. cap. 16. p. 61.

Hunc ideo minus putavi prætereundum, quod eum ab Hamerslebiensi Monacho, Emsero & Leznero in Goslariensium præpositorum numerum referri video, e quo tamen eum vel ipse temporum ordo exulare jubet. Nondum enim video quomodo Goslariæ præpositum agere potuerit, quo tempore nondum de ista ecclesia fuerat cogitatum: nisi forte illum in Harzeburgensi collegio honore hoc perfunctum velimus, maxime cum Conradum Imperatorem tam propinqua cognatione attigerit, quem istud monasterium vehementer amasse ferunt. Primum ergo hoc est specimen sublestæ fidei Hamerslebiensis monachi, de qua infra plus erit dicendum. Ceterum in scriptorum ecclesiasticorum numerum Brunonem hunc referunt Trithemius, Sixtus Senensis, Bruschius, & Possevinus ob *strictum & elegantem ejus commentarium in omnes Psalmos Davidicos ex orthodoxorum Patrum explanationibus collectum*, cujus initium est: *Nova non vidimus, sed vetera renovamus &c.* *Possevin. appar. tom. 1. p. 253.*

Annus Christi 1035.
Conradi II. reg. 12. *Imp.* 8.
Ab V. C. 112.

ANno Christi MXXXV jam pene exacto Conradus I. Imperator Goslariæ suæ memor, denuo huc divertit, sive quod civitatis nostræ recessus venationis oblectamenta ipsi pollicerentur, sive quod retinendis in officio Saxonum animis viderentur aptissimi. Certe natalitia Christi tunc Goslariæ eum celebrasse autor est Chronographus Saxo, satis diligens itinerum cæsareorum scriptor. Quæ autem tunc gesta Goslariæ fuerint autores tacent. Conrad. II. Goslariæ agit. *Chronogr. Saxo. p. 244.*

Anni Christi 1038. 1039.
Conradi Reg. 15. 16. *Imp.* 11. 12.
Henrici III. Reg. 1.
Ab V. C. 115. 116.

SUccedit annus MXXXVIII Hildesiensibus luctuosus excessu Godehardi Episcopi, qui multis a se constructis Ecclesiis vitaque mira sanctitate transacta tantam reliquit pietatis famam, ut ab Innocentio II. Pontifice in Rhemensi Synodo inter cœlites relatus magna religione à posteris cultus sit. Præcipuum quod illum conditorem veneratur monasterium est S. Bartholomæi in Salinis prope Hildesiam Engelhusio Zulsa dictum, quem locum antea *tristem & fructetis obsitum* ipse adeo cœpit expolire, ut monasterium hoc nulli jam cedat amœnitate, ab opibus quoque & religione Cranzio magnopere comendatum. Leznerus, Sultæ investigans originem ad vulgi descendit fabulas, famamque secutus tradere non veretur, locum hunc antequam Godeh. obitus. *Baron. ad ann. 1036. tom. XI. p. 127.* Monast. Sultæ conditi. *Engelhus. Chron. p. 194. Reutel. Chron. Hilles. ap. Paulin. Synt. p. 8.*

Cranz. lib. 4. metrop. c. 7. p. 92. Leznr. l. 2. Chron. Hild. MSC. cap. 17.

quam Canonicis Regularibus S. Auguſtini hoſpitium præbuerit, ſpectro diabolico horridum fuiſſe, adeo, ut vix quisquam via hac inceſſerit, quin extremum vitæ adiret periculum, aut in devia abreptus aquis mergeretur. Godehardum vero ſæpius huc divertiſſe, crebrisque precibus id impetraſſe a Deo, ut terriculamentum cederet, priſtinaque huic loco rediret ſecuritas. Quo facto S. Godehardum voto ſe ſolviſſe, Divoque Bartholomæo condidiſſe monaſterium, quod multis per tot ſecula periculis expoſitum, priſtinum tamen ſemper ſplendorem receperit, hodieque parentis ſui memoriam ſervet incolumem.

Ditmaro Epiſcop. Hideſ. *Rentel. Chron. Hildeſ. p. 83. Chronic. Epiſc. Hildeſ. MSC. cap. 16.*

Godehardo ad plures abeunti e Conradi Imperatoris Capellanis ſubrogatur Ditmarus, Cranzio animo & carne nobilis, & ex illuſtri quadam familia Danica oriundus, ſed in Gandersheimenſe tamen monaſterium minus beneficus, quod ille, ceu faſti Hildeſienſes referunt, omnibus bonis, quæ anteceſſoribus ferebat accepta, exuit. Sed terali eccleſiæ ſuæ incendio ad frugem reductus, reſtituiſſe dicitur omnia, plura laudabilia geſturus, ſi diutius hominibus interfuiſſet.

Conrad. Goslariæ Ludovico cū creat. Thuring. Comite & Dnum Haſſiæ. *Chronogr. Saxo. p. 247. Wippon. vita Conradi tom. 3. Piſtor.*

Interea Conradus Imperator fatalem ſibi annum MXXXIX. jam ingreſſus, Goslariam noſtram revertitur, paſcha ibidem celebraturus, multis hoc teſtantibus hiſtoricis. Superiore etiam anno natalem Dni hic celebraverat, ſi audimus Chronographum Saxonem, ita differentem: *Anno Dni* MIXL. *Cunradi XIII. Imperator natale Domini Goslariæ cum reverentiſſima procerum congratulatione decenter celebravit. In die ſanctio dum ad miſſam in decore regio proceſſurus præſtolaretur horrendum dictu inſolita & terribilis nubium colliſio ab hora tertia in ſextam ab aſtantibus cum timore ſimul & admiratione conſideratur.* Hæc Chronographus Saxo ab illuſtri Leibnitio editus, quamvis in Franconia orientali Conradum tunc vel fatum eſſe e plurimis hiſtoricorum monumentis conſtet. Rectius autem de paſchatis feſto ſuſpicabimur, ſiquidem menſe Majo adhuc hic hæſiſſe illum teſtatur auro contra carum diploma, quo Ludovicum Barbatum conſanguineum ſuum, ſummis adhuc aulæ honoribus perfunctum Comitem Thuringiæ hæreditarium, & Haſſiæ Dominum renunciat, armis illi collatis antiquis Burcardi Ducis Doringiæ & Haſſiæ, ab Hungaris occiſi. Diploma ipſum a Piſtorio jam prolatum, e ſchedis Hortlederianis emendatius edidit celeberrimus Paulini, addita Schereri luculenta explanatione locorum, quorum in illo mentio fit: Et denique ex ipſo autographo omnium feliciſſime reſtituit Erudit. Tenzelius. Nos inde finem, qui nos propius ſpectat ſubjicimus:

Udalricus *Cancellarius vice* Bardonis *Archi-Capellani recognovi. Data* V. *Cal.*

Tenzel. ſuppl. 2. hiſt. Goth. p. 383.

Paulin. Annal. Iſenac. p. 8 Syntag. Schlegel. de numm. Iſen. p. 16. Lang. Chron. Citiz. p. 772. Hiſtor. Landgr. Thuring. c. 11. ap. Piſt. p. 913. Paulin. l. 6. p. 9. ſq.

Maj. Anno incarnation. Domin. MXXXIX. *Indict.* VII. *Anno Domini* Counradi *Imperat. Auguſti Imperii* XIII. *Regni vero* XV. *Actum* Goslare [*Gotzlari**] in villa regia feliciter.

Signum Domini
Counradi Imperatoris.

* *Ita eſt apud Piſtorium. Hortled. legit GOSLARE, Tenzelius in autographo reperit GOSLARIAE.*

Villæ regiæ quales? *Carol. du Freſne. Gloſſ. Lat. tom. 3. p. 1332.*

Tam felicia incrementa jam ceperat Goslaria noſtra, ut villa regia audire cœperit, honorifico ſane nomine iisque tantum civitatibus tributo, quæ Regum propriæ, eorumque veluti patrimonium eſſent, nulliusque præterea ſubditæ imperio. Vocabantur etiam Curtes regiæ, voce ex Hetruſca dialecto in Latium tradu&ta, itemque villæ *κατ' ἐξοχὴν*, ut obſervat Carolus du Fresne. Ex quo intelligimus, quid ſibi velit villæ nomen Goslariæ tributum a Ditmaro loco ſupra allegato. Originem harum villarum a Francorum ætate arceſſo, qui, ut ſupra docuimus, primi certas ſibi ſedes & manſiones conſtituerant, in quas, ſi quando provincias obirent, diverterent. Vocabantur hæc palatia, vocabantur & villæ regiæ, ſed eo tamen diſcrimine, ut omnia quidem palatia eſſent villæ regiæ, non autem quævis villæ regiæ palatia, unde miror Carolum du Freſne hæc pro ſynonymis habere, cum ipſe alleget Henrici II. chartam, in qua villæ regiæ & palatii publici nomenclatura junctim legitur tributa civitati Triburiæ, hoc pacto: *Actum in Triburia, regia villa, palatio publico.* Quamobrem vero uterque titulus adjicitur, ſi villa regia & palatium publicum eſſent ſynonyma? A Francis ad Saxonicos & Franconicos Imperatores inſtitutum hoc tranſiit, qui cum Imperii provincias principibus & epiſcopis hæreditario jure conferre inciperent, certas tamen ſibi retinebant urbes & provincias, e quibus fiſci ſui reditus neceſſarios præcipue petebant. Talis villa præter Goslariam noſtram easque, quas recenſet Carolus du Freſne, erat *Juſtinava*, quæ *curtis regalis* in binis Caroli Craſſi diplomatibus audit apud Schatenium, talis *Gerencheimia curtis regia titulo* in Arnulfi literis honorata apud eundem. Talis *Werlaha* famigeratiſſima illa Weſtphaliæ palantia, *civitatis regalis* nomine ab Henrico aucupe vocata. Talis apud Ditmarum *Capunga*, in quam *curtem ſuam* Caſſellis transtulerat Henricus Imperator. Addo his e diplomatibus Ludovici Arnulfi aliorumque Germaniæ regum *Regenspurg, civitatem regiam, Oſtermutingam, villam regiam, Portanaham, curtem Ulmam, villam regalem, Niemiam, regiam villā* in Weſtphalia, & ex Henrici IV. diplomate apud Maderum *Tusburch*: ex Ottonis ta-

Ditmar. l. 7. Chron. p. 2. 6. ſq.

Schaten. part. 1. l. 3. annal. Paderb. p. 199. & 201. p. 214. p. 267. Ditmar. l. 7. p. 190. Conring. c. 4. Cens. dipl. Lindav. p. 49. 51. Paulin. de pag. Synt. p. 581. Cruſ. ann. Svev part 2. l. 1. c. 7.

Lehm. Chron. Spir. lib. 4. c. 4. p. 287. Schaten. l. c. p. 637. Paulin. l. c. p. 585. Mader. in append. ad Adam. Bremens. p. 118.

tabulis *curtem juris regni Calvam in pago Nerburingorum ſitam.* In noſtris quoque his regionibus & reliquis Saxoniæ partibus floruere *Palithi* ſeu *Polida*, & quas priori loco nominare debueram *Mulhuſum*, *Northuſa & Salvelda*, quas hoc nomine præcipue appellat Autor de Landgraviis Thuringiæ: *Hermannus*, inquiens, *Landgravius, qui cum aliis elegit Philippum, ſecum juramento & homagio ſibi obligavit, & conſtrinxit ſicut alii fecerunt, accipiens in beneficio regias civitates Molhuſen, Northuſen, Salfeld & caſtrum Ravis, cum finibus fluvii Orlan.* Idem autor denuo Mulhuſum & Northuſam villas regias vocat, ubi de Henrico Leone ita refert: *Accidit poſtea, quod idem Dux dictus Leo Thuringiam intravit, & villas regias Mulhuſen & Northuſen cepit.* Engelhuſius quoque in Chronico: *Hermannus*, inquit, *Lantgravius Thuringiæ primi Ottoni juramento conſtrictus, a quo etiam villas regias Northuſen, Molhuſen & Salvelt in deditionem accepit, relicto Ottone adhæſit Philippo, ab eodem Horlan & Ranitz caſtra in homagium accipiendo.* Alibi Engelhuſius cum Bodone Mulhuſum & Northuſam vocat villas Imperiales, ſed novo loquendi genere, quod demum poſt magnum illud interregrum videtur invaluiſſe. Antiquior his autoribus Arnoldus Lubecenſis Northuſam vocat *Koniges Northuſen*, quod nomen procul dubio ex villæ regiæ nomenclatura natum eſt. De aliis ejusmodi villis plura proferre in medium chartæ limites prohibent. Plura de villis regiis deſideranti ſatisfiet a Thoma Reinesio, quem evolviſſe non pœnitebit. Minus vero dubitamus, quin ex illis maxima pars urbium Imperialium originem duxerit, inter quas & Goslaria noſtra non ſine commodo ſuo nomen profitetur.

Paſchate Goslariæ celebrato, Conradus adulto jam vere in Belgium diſceſſit. Verum Trajecti pentecoſtes ſacris peractis, cum ad menſam procederet, ex improviſo deliquium animi paſſus, cum ad extrema ſe paraſſet, II. Non. Junii extinguitur Imperator Ottonis Friſingenſis judicio *armis ſtrennus conſilio providus, ſapientia tam foreni, quam civili praditus, in religione Chriſtiana ſatis devotus, humilitate, qua regem decebat adornatus.* Certe imperio, ſubmotis Slavis, domitis Polonis, recuperataque Lotharingia, tantum profuit, quantum anteceſſorum ullus. Nec minus Goslariæ noſtræ ob conditas eccleſias & ornatam urbem perpetuo memorandus. Quinimmo ſi Winnigenſtadio noſtro, non indiligenti ſcriptori, fides eſt, jam tum Eccleſiam Harzeburgicam Goslariam transferre idem decreverat, niſi præproperum fatum conſiliis ejus interceſſiſſet: quo cum facit etiam autor ab Hamerslebienſi monacho compilatus, Conradum hunc Eccleſiæ Goslarienſis jeciſſe fundamenta, teſtatus.

Juſtis Conrado perſolutis, regnum principum ſuffragiis defertur Henrico filio, a capillorum colore Nigri nomen adepto, qui jam tum vivo parente Rex fuerat appellatus. Hic eſt ille optimus princeps, qui Goslariam noſtram, ſub prioribus Imperatoribus veluti juventutem nondum egreſſam, ita exornavit, ac veluti ad virilem robuſtatem promovit, ut Adamus Bremenſis, aliique qui hunc ſequuntur, eum Goslariæ conditorem exiſtimaverint. Vix auſpicatus imperium, luſtrata ſuperiore Germania, ſtatim ſub autumnum in Saxoniam rediit, Goslariæque celebrem egit principum conventum; cujus veſtigia ſatis manifeſta deprehendas in diplomatibus Corbeienſibus & Kemnadenſibus ab Henrico datis III. Non. Septembris, quæ protulit e tabulariis Schatenius. Recte ergo Annales Corbeienſes a celeberrimo Paulini editi ad hunc annum notant: *Henricus Rex monaſterium Kamnat in mundiburgium ſuſcipit. Idem omnia noſtra jura & privilegia innovat & approbat: nec non bona & privilegia monaſterii in Kamnat.*

Annal. Corb. a Paulin. edit. in Syntagm. p. 385.

Eodem tempore Imperator votis parentis ſatisfacturus, eccleſiam, quam a Conrado I. Harzburgi conditam diximus, Goslariam transtulit. Meratus enim hoc anno ſplendidiorem baſilicam, Canonicis, qui Harzburgi adhuc delituerant huc evocatis, fundamenta cœpit locare eccleſiæ collegiatæ SS. Simonis & Judæ, quæ vulgo καθ' ἐξοχὴν vocatur monaſterium, (das Münſter / item der Dom / das Stifft ꝛc.) antiquisque Imperatoribus tam fuit in deliciis, ut illam *gloriam corona ſua & ſpecialem capellam ſuam* appellarent, quos quidem titulos in pontificum etiam bullis honoris cauſa aliquoties repetitos obſervabis. Hodieque illa ad evangelici ritus diſciplinam traducta, intra mœnium noſtrorum ambitum floret, in plaga urbis meridionali, ita, ut turres ipſum palatium reſpiciant. Scilicet quod in oculis eam aſſidue ferebant Imperatores, ideo nec a conſpectu ſuo illam voluerunt remotiorem eſſe. Ceterum Henricum III. hujus Eccleſiæ fuiſſe parentem, miro conſenſu traditur, ipſaque hoc teſtantur diplomata, unde miramur, quid in mentem venerit Leznero, hanc Eccleſiam Henrici IV. temporibus recentiorem fingenti in hiſtoria Caroli Magni, cum ipſe in opere MSC. ſuo de monaſteriis ſaniora de ejus originibus proferat. Somnia ergo ſibi fingunt, qui Leznerum hac in re ſequuntur. Rectius rem exploratam habuit Auctor Chronici Stederburgenſis, qui Fridrici I. ætate vixit, deque Eccleſiæ noſtræ originibus ita refert: *MXXVII. Conradus imperiali benedictione provehitur & Henricus filius ejus rex creatur, qui Goslarienſis Eccleſiæ fundator extitit.* Suffragatur huic Langenius teſtis domeſticus, cujus Leonini verſiculi rem ita in compendio referunt:

III in exornanda Goslaria induſtria.

Comitia ab eo Goslariæ habita.

Schaten. l. 6. Annal. Paderb. part. 1. p. 518. ſq.

Eccleſiæ collegiatæ SS. Sim. & Judæ initia.

Lezner. Hiſtor. Carol. M. c. 26. Chron. Stederb. ap. Meib. p. 451.

Langen. ap Meib. p. 81. tom. 1 rer. germ.

quam Canonicis Regularibus S. Auguſtini hoſpitium præbuerit, ſpectro diabolico horridum fuiſſe, adeo, ut vix quisquam via hac inceſſerit, quin extremum vitæ adiret periculum, aut in devia abreptus aquis mergeretur. Godehardum vero ſæpius huc divertiſſe, crebrisque precibus id impetraſſe a Deo, ut terriculamentum cederet, priſtinaque huic loco rediret ſecuritas. Quo facto S. Godehardum voto ſe ſolviſſe, Divoque Bartholomæo condidiſſe monaſterium, quod multis per tot ſecula periculis expoſitum, priſtinum tamen ſemper ſplendorem receperit, hodieque parentis ſui memoriam ſervet incolumem.

Ditmaro Epiſcop. Hildeſ. *Reutel. Chron. Hildeſ. p. 83. Chronic. Epiſc. Hildeſ. MSC. cap. 16.*

Godehardo ad plures abeunti e Conradi Imperatoris Capellanis ſubrogatur Ditmarus, Cranzio animo & carne nobilis, & ex illuſtri quadam familia Danica oriundus, ſed in Gandersheimenſe tamen monaſterium minus beneficus, quod ille, ceu faſti Hildeſienſes referunt, omnibus bonis, quæ anteceſſoribus ferebat accepta, exuit. Sed terali eccleſiæ ſuæ incendio ad frugem reductus, reſtituiſſe dicitur omnia, plura laudabilia geſturus, ſi diutius hominibus interfuiſſet.

Conradi Goslariæ Ludovicũ creat. Thuring. Comitẽ & Dnum Haſſiæ. *Chronogr. Saxo. p. 247. Wippon. vita Conradi tom. 3. Piſtor.*

Interea Conradus Imperator fatalem ſibi annum MXXXIX. jam ingreſſus, Goslariam noſtram revertitur, paſcha ibidem celebraturus, multis hoc teſtantibus hiſtoricis. Superiore etiam anno natalem Dni hic celebraverat, ſi audimus Chronographum Saxonem, ita diſſerentem: *Anno Dni* MIXL. *Cunradi XIII. Imperator natale Domini Goslariæ cum reverentiſſima procerum congratulatione decenter celebravit. In die ſancto dum ad miſſam in decore regio proceſſurus præſtolaretur horrendum dictu inſolita & terribilis nubium colliſio ab hora tertia in ſextam ab aſtantibus cum timore ſimul & admiratione conſiderabatur.* Hæc Chronographus Saxo ab illuſtri Leibnitio editus, quamvis in Franconia orientali Conradum tunc ve ſatum eſſe e plurimis hiſtoricorum monumentis conſtet. Rectius autem de paſchatis feſto ſuſpicabimur, ſiquidem menſe Majo adhuc hic hæſiſſe illum teſtatur auro contra carum diploma, quo Ludovicum Barbatum conſanguineum ſuum, ſummis adhuc aulæ honoribus perfunctum Comitem Thuringiæ hæreditarium, & Haſſiæ Dominum renunciat, armis illi collatis antiquis Burcardi Ducis Doringiæ & Haſſiæ, ab Hungaris occiſi. Diploma ipſum a Piſtorio jam prolatum, e ſchedis Hortlederianis emendatius edidit celeberrimus Paulini, addita Schereri luculenta explanatione locorum, quorum in illo mentio fit: Et denique ex ipſo autographo omnium feliciſſime reſtituit Erudit. Tenzelius. Nos inde finem, qui nos propius ſpectat ſubjicimus:

Udalricus *Cancellarius vice* Bardonis *Archi-Capellani recognovi. Data* V. *Cal. Maj. Anno incarnation. Domin.* MXXXIX. *Indict.* VII. *Anno Domini* Counradi *Imperat. Auguſti Imperii* XIII. *Regni vero* XV. *Actum* Goslare [*Gotzlari**] in villa regia feliciter.

Signum Domini
Counradi Imperatoris.

* *Ita eſt apud Piſtorium. Hortled. legit GOSLARE, Tenzelius in autographo reperit GOSLARIAE.*

Villæ regiæ quales? *Carol. du Freſne. Gloſſ. Lat. tom. 3. p. 1332.*

Tam felicia incrementa jam ceperat Goslaria noſtra, ut villa regia audire cœperit, honorifico ſane nomine iisque tantum civitatibus tributo, quæ Regum propriæ, eorumque veluti patrimonium eſſent, nulliusque præterea ſubditæ imperio. Vocabantur etiam Curtes regiæ, voce ex Hetruſca dialecto in Latium traducta, itemque villæ κατ ἐξοχὴν, ut obſervat Carolus du Fresne. Ex quo intelligimus, quid ſibi velit villæ nomen Goslariæ tributum a Ditmaro loco ſupra allegato. Originem harum villarum a Francorum ætate arceſſo, qui, ut ſupra docuimus, primi certas ſibi ſedes & manſiones conſtituerant, in quas, ſi quando provincias obirent, diverterent. Vocabantur hæc palatia, vocabantur & villæ regiæ, ſed eo tamen diſcrimine, ut omnia quidem palatia eſſent villæ regiæ, non autem quævis villæ regiæ palatia, unde miror Carolum du Freſne hæc pro ſynonymis habere, cum ipſe alleget Henrici II. chartam, in qua villæ regiæ & palatii publici nomenclatura junctim legitur tributa civitati Triburiæ, hoc pacto: *Actum in Triburia, regia villa, palatio publico.* Quamobrem vero uterque titulus adjicitur, ſi villa regia & palatium publicum eſſent ſynonyma? A Francis ad Saxonicos & Franconicos Imperatores inſtitutum hoc tranſiit, qui cum Imperii provincias principibus & epiſcopis hæreditario jure conferre inciperent, certas tamen ſibi retinebant urbes & provincias, e quibus fiſci ſui reditus neceſſarios præcipue petebant. Talis villa præter Goslariam noſtram easque, quas recenſet Carolus du Freſne, erat *Juſtinava*, quæ *curtis regalis* in binis Caroli Craſſi diplomatibus audit apud Schatenium, talis *Gereneheimia curtis regia titulo* in Arnulfi literis honorata apud eundem. Talis *Werlaha* famigeratiſſima illa Weſtphaliæ palantia, *civitatis regalis* nomine ab Henrico aucupe vocata. Talis apud Ditmarum *Capunga*, in quam *curtem ſuam* Caſſellis transtulerat Henricus Imperator. Addo his e diplomatibus Ludovici Arnulfi aliorumque Germaniæ regum *Regenspurg, civitatem regiam, Oſtermuntingam, villam regiam, Portanaham, curtem, Ulmam, villam regalem, Niemiam, regiam villã* in Weſtphalia, & ex Henrici IV. diplomate apud Maderum *Tusburch*: ex Ottonis ta-

Ditmar. l. 7. Chron. p. 2. 6. ſq.

Schaten. part. 1. l. 3. annal. Paderb. p. 199. & 201. p. 214. p. 267. Ditmar. l. 7. p. 190. Conring. c. 4. Cens. dipl. Lindav. p. 49. 5. Paulin. de pag. Synt. p. 581. Cruſ. ann. Suev part 2. l. 1. c. 7.

Lehm. Chron. Spir. lib. 4. c. 4. p. 287. Schaten. l. c. p. 637. Paulin. l. c. p. 585. Mader. in append. ad Adam. Brement. p. 118.

tabulis *curtem juris regni Calvam in pago Northuringorum ſitam.* In noſtris quoque his regionibus & reliquis Saxoniæ partibus floruere *Palithi* ſeu *Polida*, & quas primo loco nominare debueram *Mulhuſum*, *Northuſa & Salvelda*, quas hoc nomine præcipue appellat Autor de Landgraviis Thuringiæ: *Hermannus*, inquiens, *Landgravius, qui cum aliis elegit Philippum, ſe cum juramento & homagio ſibi obligavit, & conſtrinxit ſicut alii fecerunt, accipiens in beneficio regias civitates Molhuſen, Northuſen, Salfeld & caſtrum Ravis, cum finibus fluvii Orlan.* Idem autor denuo Mulhuſum & Northuſam villas regias vocat, ubi de Henrico Leone ita refert: *Accidit poſtea, quod idem Dux dictus Leo Thuringiam intravit, & villas regias Mulhuſen & Northuſen cepit.* Engelhuſius quoque in Chronico: *Hermannus*, inquit, *Lantgravius Thuringiæ primus Ottoni juramento conſtrictus, a quo etiam villas regias Northuſen, Molhuſen & Salvelt in deditionem accepit, relicto Ottone adhæſit Philippo, ab eodem Horlan & Ranitz caſtra in homagium accipiendo.* Alibi Engelhuſius cum Bodone Mulhuſum & Northuſam vocat villas Imperiales, ſed novo loquendi genere, quod demum poſt magnum illud interregrum videtur invaluiſſe. Antiquior his autoribus Arnoldus Lubecenſis Northuſam vocat *Koniges Northuſen*, quod nomen procul dubio ex villæ regiæ nomenclatura natum eſt. De aliis ejusmodi villis plura proferre in medium chartæ limites prohibent. Plura de villis regiis deſideranti ſatisfiet a Thoma Reineſio, quem evolviſſe non pœnitebit. Minus vero dubitamus, quin ex illis maxima pars urbium Imperialium originem duxerit, inter quas & Goslaria noſtra non ſine commodo ſuo nomen profitetur.

Autor de Landgr. Thur. c. 32. p. 925.

Ibid. c. 125. p. 918.

Engelhuſ. Chronic. p. 243.

Ll. p. 235, Bodo p. 305. Synt. de Gandersh. Arnold. Lubec. l. 2. Chron. Slav. c. 30 p. 288, Reineſ. comment. parerg. de palat. Lateran. p. 13. 14.

Conradi Imperatoris obitus & exequiæ. *Herm. Contr. Chron. p. 323. Lamb. Schafnab. p. 376. Otto Friſing. l. 6. c. 28 p. 132. Winnigenſtad. Chron. MSC. Halb. Hamersl. monacho ap. Mader. p. 145. ant. Brunſv.*

Paſchate Goslariæ celebrato, Conradus adulto jam vere in Belgium diſceſſit. Verum Trajecti pentecoſtes ſacris peractis, cum ad menſam procederet, ex improviſo deliquium animi paſſus, cum ad extrema ſe paraſſet, II. Non. Junii extinguitur Imperator Ottonis Friſingenſis judicio *armis ſtrennus conſilio providus, ſapientia tam forenſi, quam civili praditus, in religione Chriſtiana ſatis devotus, humilitate, qua regem decebat adornatus.* Certe imperio, ſubmotis Slavis, domitis Polonis, recuperataque Lotharingia, tantum profuit, quantum anteceſſorum ullus. Nec minus Goslariæ noſtræ ob conditas eccleſias & ornatam urbem perpetuo memorandus. Quinimmo ſi Winnigenſtadio noſtro, non indiligenti ſcriptori, fides eſt, jam tum Eccleſiam Harzeburgicam Goslariam transferre idem decreverat, niſi properum fatum conſiliis ejus interceſſiſſet: quo cum facit etiam autor ab Hamerslebienſi monacho compilatus, Conradum hunc Eccleſiæ Goslarienſis jeciſſe fundamenta, teſtatus.

Henrici III in exornanda Goslaria induſtria. Juſtis Conrado perſolutis, regnum principum ſuffragiis defertur Henrico filio, a capillorum colore Nigri nomen adepto, qui jam tum vivo parente Rex fuerat appellatus. Hic eſt ille optimus princeps, qui Goslariam noſtram, ſub prioribus Imperatoribus veluti juventutem nondum egreſſam, ita exornavit, ac veluti ad virilem robuſtatem promovit, ut Adamus Bremenſis, aliique qui hunc ſequuntur, eum Goslariæ conditorem exiſtimaverint. Vix auſpicatus imperium, luſtrata ſuperiore Germania, ſtatim ſub autumnum in Saxoniam rediit, Goslariæque celebrem egit principum conventum: cujus veſtigia ſatis manifeſta deprehendas in diplomatibus Corbeienſibus & Kemnadenſibus ab Henrico datis III. Non. Septembris, quæ protulit e tabulariis Schatenius. Recte ergo Annales Corbeienſes a celeberrimo Paulini editi ad hunc annum notant: *Henricus Rex monaſterium Kamnat in mundiburgium ſuſcipit. Idem omnia noſtra jura & privilegia innovat & approbat: nec non bona & privilegia monaſterii in Kamnat.*

Comitia ab eo Goslariæ habita.

Schaten. l. 6. Annal. Paderb. part. 1. p. 518. ſq.

Annal. Corb. a Paulin. edit. in Syntagm. p. 385.

Eccleſiæ collegiatæ SS. Sim. & Judæ initia. Eodem tempore Imperator votis parentis ſatisfacturus, eccleſiam, quam a Conrado I. Harzburgi conditam diximus, Goslariam transtulit. Meratus enim hoc anno ſplendidiorem baſilicam, Canonicis, qui Harzburgi adhuc delituerant huc evocatis, fundamenta cœpit locare eccleſiæ collegiatæ SS. Simonis & Judæ, quæ vulgo καὶ ἐξοχὴν vocatur monaſterium, (das Münſter / item der Dom / das Stifft ꝛc.) antiquisque Imperatoribus tam fuit in deliciis, ut illam *gloriam corone ſue & ſpecialem capellam ſuam* appellarent, quos quidem titulos in pontificum etiam bullis honoris cauſa aliquoties repetitos obſervabis. Hodieque illa ad evangelici ritus diſciplinam traducta, intra mœnium noſtrorum ambitum floret, in plaga urbis meridionali, ita, ut turres ipſum palatium reſpiciant. Scilicet quod in oculis eam aſſidue ferebant Imperatores, ideo nec a conſpectu ſuo illam voluerunt remotiorem eſſe. Ceterum Henricum III. hujus Eccleſiæ fuiſſe parentem, miro conſenſu traditur, ipſaque hoc teſtantur diplomata, unde miramur, quid in mentem venerit Leznero, hanc Eccleſiam Henrici IV. temporibus recentiorem fingenti in hiſtoria Caroli Magni, cum ipſe in opere MSC. ſuo de monaſteriis ſaniora de ejus originibus proferat. Somnia ergo ſibi fingunt, qui Leznerum hac in re ſequuntur. Rectius rem exploratam habuit Auctor Chronici Stederburgenſis, qui Fridrici I. ætate vixit, deque Eccleſiæ noſtræ originibus ita refert: *MXXVII. Conradus imperiali benedictione provehitur & Henricus filius ejus rex creatur, qui Goslarienſis Eccleſiæ fundator extitit.* Suffragatur huic Langenius teſtis domeſticus, cujus Leonini verſiculi rem ita in compendio referunt:

Lezner. Hiſtor. Carol. M. c. 26. Chron. Stederb. ap. Meib. p. 451.

Langen. ap Meib. p. 81. tom. 1 rer. germ.

Conradi natus, Henricus nempe beatus,
Hic in honore Dei ſic Simonis atque Tadæi,
Quam cito produxit, pius Eccleſiam ſibi ſtruxit.

Verſiculos hos in hiſtoriam ſuam retulit Engelhuſius addens de ſuo: *fundavit autem* (Conradus) *Eccleſiam iſtam Canonicorum ſecularium in caſtro Hartesborch, anno Imperii ſui quinto, in honorem S. Valerii, quod monaſterium transtulit Henricus III. Imperator poſtea in Goslar, ubi fundavit Eccleſiam, quam per beatiſſimum Papam Leonem cooperantibus ſibi Epiſcopis, Rex fecit conſecrari in honorem B. Virginis & SS. Simonis & Jude, ut ſcribitur in Chronico Goslarienſi.* Chronicon hoc Goslarienſe, Engelhuſio viſum & exſcriptum, non aliud eſſe puto, quam illud membranaceum, a me quoque aliquoties ad partes vocatum, quod liberalitati ſumme reverendi Capituli debeo, id quod facile, ſi utrumque conferas ad oculum patebit. En enim ipſa verba inde excerpta: *Anno Dominice incarnationis milleſimo XLo. Henricus filius hujus Conradi Imperatoris, hujus nominis tertius Rex, ſecundus Imperator, LXXXVIo ab Auguſto ſuſcepit Romanum Imperium & regnavit annis XVII. Iſte tranſtulit monaſterium S. Valerii de Hartesborch ad locum iſtum, & iſtam Eccleſiam fundavit, & dotavit eam predio in Jersleve, & omnibus ſuis attinentiis, & eam per beatiſſimum Papam Leonem, cooperantibus ſibi in numero Cardinalibus, Archi-Epiſcopis & Pontificibus & Abbatibus ſeptuaginta tribus, in die beatorum Proceſſi & Martiniani martirum in honore ſancte Marie & ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Jude, Ruſtici Venancii martirum, Valerii, Servacii Materni, Encharii confeſſorum & omnium Sanctorum, ipſo Imperatore preſente, conſecrari procuravit.* Huic Chronico, quod procul dubio quisquá veterum Canonicorum, rerum ſuarum curioſus, ex antiquis Eccleſiæ ſuæ monumentis compilavit, adſtipulatur etiam autor Chronici Sereniſſimorum Ducum Brunſvico-Luneburgenſium, & quam non temere abjiciendam cenſeo, ſcriptura hæc vetus, imagini hujus Imperatoris in feneſtra chori ſummi conſpicuæ appoſita:

HENRICUS TERTIUS IMPERATOR
TRANSTULIT IN HUNC LOCUM
ANNO CHR. CIↃXL IN HONOREM
DEI ET SANCTORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Denique ſuffragio ſuo nos juvat quem primo loco par fuerat laudare Adamus Bremenſis, auctor coætaneus, qui tamen cum in rerum Goslarienſium hiſtoria pene hoſpes fuerit, hic quoque ſui ſimilis eſt; Ita enim de Eccleſiis Goslarienſibus loquitur: *Eatempeſtate Cæſar Henricus ingentibus regni divitiis utens in Saxonia Goslariam fundavit --- In qua etiam ſibi conſtruens Palatium, duas omnipotenti Deo congregationes inſtituit, unam ex illis noſtro donans regendam tuendamque Pontifici* (Adelberto,) *eo quod illi individuus comes vel cooperator in omnibus exiſteret.* Recte hic quidem de duabus Eccleſiis collegiatis ab Henrico III. fundatis, quarum altera eſt SS. Simonis & Judæ altera Montis S. Petri de cujus origine ad annum MXLVI. Sed quid Adelberto in Goslarienſes Eccleſias jurisdictionis? ſcio eum multis inhiaſſe Eccleſiis, abbatiis, monaſteriis, ſed idem fatum novas has Eccleſias ſubiiſſe, quis credat? præcipue urbanam, quæ Pontificum bullis & Imperatorum privilegiis ita eſt ab omni Epiſcoporum jurisdictione exemta, ut ne Diœceſiano quidem ſuo, nedum Bremenſi Archi-Epiſcopo ulla in re fuerit ſubjecta. Non dubito itaque, quin Adamus Bremenſis hac in re paſſus ſit aliquid humani. Nihilominus tamen hunc ſuo more exſcribunt Henricus Wolterus, & haut paulo hoc oculatior Alb. Cranzius qui tamen Adami Bremenſis oſcitantiam paulo ante in Goslariæ originibus obſervaverat.

Engelhuſ. Chron. p. 197. & 173.

Adam. Bremenſ. l. 3. Hiſt. eccl. c. 30. p. 101.

Henr. Wolter. in Chron. Bremenſ. p. 40. ap. Meibom. tom. 2. Alb. Cranz. l. 4. Saxon. c. 43. p. 103. & l. 3. c. 12. p. 71.

Quid cauſæ Henrico ſuerit, cur tantos exſtruendæ huic baſilicæ ſumtus impenderet, cuivis facile ſubolebit, qui temporum iſtorum pietatem non ignorat. Scilicet blanda tunc ſpes tenebat principes, in quam Clericorum perſuaſionibus erigebantur, quod hiſce bonis operibus vel maxime æternam ſalutem ſint meriturí. Ut multis docuere Meibomius, Schlegelius pluresque alii. Eidem ergo ſententiæ Henricum etiam III. faviſſe, argumento eſſe poterunt floſculi, quibus ejus diplomata diſtincta eſſe deprehendimus, cujus notæ ſunt illi: *Si ex noſtris facultatibus alicubi cultum divinæ laudis plantaverimus, id nobis ad preſentis vitæ ſalutem & ad percipiendam æternam beatitudinem firmiter credimus prodeſſe.* Item: *Pro remedio animæ noſtræ, ob utriusque vitæ ſalutare remedium, noſtræ fragilitati quoddam aſylum, noſtræque infirmitatis exceſſibus ad ſalutem, ob æternam noſtri noſtriq; thori ac regni conſortis, ſcilicet AGNETIS Imperatricis Auguſtæ commemorationem, nec non pro ſalvatione beatarum animarum felicis memoriæ Conradi Imperatoris, noſtri quidem anteceſſoris & Patris, atque matris noſtræ Imperatricis GISELÆ &c.* & complures alii. Fructum quoque eum inde tulit Henricus, ut ejus memoria quotannis III. Non. Octobris ſolenniter multis vigiliis, miſſis ſacrisque officiis coleretur, quo die vota pro illius ſalute æterna publice concepta lego in Breviario Eccleſiæ hujus edito Halberſtadii M.D.XXII. ubi & hæc collecta occurrit *pro Fundatore*:

Propitiare queſumus Domine, anime famuli tui, H. Imperatoris & preſta, ut qui de tuis donis in hoc loco pervigili cura nomini tuo quotidiana preparavit obſequia, perpetua cum ſanctis tuis mereatur perfrui letitia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Amen.

Cauſæ conditæ hujus eccleſiæ.

Meib. rer. ſept. apol. Otto IV. p. 167. & not. ad Thaſſ. p. 195. tom. 3. rer. germ. Schlegel. hiſt. vet. Cell. p. 10.

Breviar. SS. Sim. & Jud. fol. 85. part. hiemal.

Hæc ſunt, quæ Imperatorem hunc im primis ad extruendam hanc Eccleſiam viden-

videntur impuliſſe: quibus & alia haut levior ratio acceſſit. Cum enim Imperatores ſuos veluti Lares Goslariæ conſtituiſſent, & in hac urbe frequentiora, quam usquam, imperii comitia haberent: videbatur id quodammodo imperii majeſtas poſtulare, ut templum hic extaret ſplendidius, quod illis inſtar domeſtici eſſet. Satis aperte hoc loquitur non tantum ſolium regium, materia & arte conſpicuum, quod hæc eccleſia oſtendit, verum etiam diſerte hoc dicit autor, quisquis ſit, ab Hamerslebienſi monacho exſcriptus, ubi hæc legimus: *Hanc eccleſiam idem Imperator voluit appellari* ***Imperii capellam***, *&* ***Canonicos*** *ipſius* ***Capellanos regios.*** *Operam ergo dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem eccleſiæ præficeret,* ***ſiquidem etiam regni illic ſedem conſtituerat.*** Eadem repetita deprehendes ab Emſero. Diſcere inde ſimul licebit, eccleſiam hanc *Capellam regiam audiviſſe, hoc eſt, templum Imperatorum veluti aulicum*, in quo ſacris more iſtorum temporum intereſſent. Tales olim Regibus Francicis multæ fuerunt, immo tot, quot eorum palatia, quibus omnibus tamen & ſplendore & ornatu multum anteibat illa *Aquisgranenſis, ex toto Romanorum orbe famoſiſſima*, ut ait Gaufredus. Ejus non ſine ſumma laude meminerunt autor annalium Francorum Fuldenſium, Eginhardus, Reginonis Continuator & alii quam plurimi. De ceteris quoque Francorum Regum Capellis, quæ Palatinarum, regalium & dominicarum nominibus olim claræ fuerunt, egregie, hoc eſt, ſuo more commentatus eſt Carolus du Freſne, quocum conferri poterunt, Zegerus Bernhardus van Eſpen, & Ludovicus Thomaſinus, qui hunc præcipuum ſcopum regiorum ejusmodi ſacellorum fuiſſe credunt, *ut ibi presbyteri diurnum officium perſolverent, cui princeps cum ſua familia poſſet aſſiſtere.* Non incommode Capellarum ejusmodi regiarum natales in ipſa Conſtantini M. tempora refert Du Freſne, cujus inſtitutum ad poſteros propagatum ut alia ſecuti ſunt Franci, a quibus deinde cum imperii faſcibus etiam ad Saxonicos Salicosque Imperatores morem iſtum devolutum, admodum fit veriſimile: idque inprimis docet Grona, cujus in mœnibus capellam regalem ſtetiſſe docet diploma Ottonis M. anno 952. datum apud Maderum. Talis etiam fuit eccleſia quam Goslaria noſtra, intra mœnium ſuorum ambitum vidit, Canonicos quippe alens, qui *Regiorum Capellanorum* titulo ſunt gaviſi.

Capellæ regiæ quales?

Hamersl. Mon. ap. Mader. p. 145. ant. Brunſv.

Emſer. c. 10. vitæ S. Bennonis edit. Lipſ. 1512.

Gaufredo in vita S. Bernardi Lb. 2. c. 6. Annal. Fuldenſ. ap. Marq. Freher. p. 44. tom. I. Script. Germ. Eginhard ad ann. 829. & in vita Caroli p. 10 ſeq. Reginonis Continuat. ad an. 939. p. 76. Carol. du Freſne. Gloſſ. med. & infim. Latinit. tom. I. p. 770. ſq. Eſpen. part. 2. jur eccl. univerſ. tit. 18 c. 4. p. 501. Thomaſ. part 4. de diſciplin. eccleſ. l. 1. c. 43. n. 3. Du Freſne l. c.

Mader. p. 109. antiq. Brunſv.

Placet vero ex diplomatibus nonnulla excerpere, quæ apertius nomenclaturam hanc noſtratis eccleſiæ ſpectant. Sic Conradus III. Imp. anno 1150. hanc baſilicam vocat eccleſiam ſuam. Idem anno 1188. facit Fridericus I. Imp. adjiciens ſimul, *eam ſibi ſpeciali ratione ſemper fuiſſe & eſſe obnoxiam ſe eam pra ceteris honorare & amplecti, ejusque libertatem gloriam corona ſua reputare, quippe qua ad nullum in mundo niſi ad Imperatorem vel Romanorum Regem debeat habere reſpectum.* Henricus VII. In diplomate anno 1225. eandem eccleſiam memorans addit, *qua ſpecialis imperii noſtri dinoſcitur eſſe capella.* Idem Rex anno 1234. eandem baſilicam vocat *ſuam Goslarienſem eccleſiam.* Innocentius P p. anno 1248 in diplomate ſuo ad Abbatem Cellenſem teſtatur, *eccleſiam Goslarienſem unam de capellis exiſtere Wilhelmi Regis*, nec non in aliis binis literis eam vocat *ſpecialem Wilhelmi Regis Romanorum capellam.* Alexander Pontifex Anteceſſoris premens veſtigia *eccleſiam Goslarienſem* aſſerit *imperium nullo reſpicere mediante.* Porro ſpecialem ſuam capellam hanc eccleſiam vocare dignantur Rudolphus I. anno 1276. Adolfus anno 1295. ut taceam cetera recentiora monumenta, quæ eundem præ ſe titulum ferunt. Solum addo teſtimonium Illuſtris Canonicorum Aquisgranenſium Collegii, quod uti Capellanorum regiorum honorem ad poſteros omnium feliciſſime propagavit, ita ſeculo decimo tertio non dubitavit hanc noſtratem eccleſiam veluti ſociam ſuæ gloriæ agnoſcere, atque hac inſigni compellatione in literis quibusdam ſuis honorare: *Confratribus univerſis eccleſiæ Goslarienſis Canonicis, Capellanis imperii nos &c.* Sed de his quidem ſatis.

Ad Henricum Imperatorem redeundum eſt, qui interea compoſitis Goslariæ noſtræ rebus ſub finem anni contra Bohemos movet, eorumque ducem Bretislaum, qui dominatu inflatus tributum Imperatori debitum recuſaverat. Sed Bretislao fidem ſpondente Henricus flexo itinere hyberna Ratisbonæ & in vicinis urbibus exegit.

Annus Chriſti 1040.
Henrici III. Reg. 2.
Ab. V. C. 117.

SEquente anno, purificationis feſto Auguſtæ Vindelicorum celebrato, in Franciam circa quadrageſimale jejunium *diſceſſit*, inde in inferiorem Germaniam profectus aſcenſionem Domini Niomagi, pentecoſten Leodii exegit. Verum vix adulta jam æſtate Bohemus rediit ad ingenium & fidem, quam dederat denuo, fefellit. Henricus ergo in Saxoniam properat vires imperii contrahit, omniaque bello neceſſaria parat. Certe jam circa Julii finem Goslariæ verſatus, diplomate luculento eccleſiæ Nyobergenſi quædam bona in pagis Weita & Tucherin concedit, quæ literæ *data ſunt XII. Kal. Auguſti. Indict. VIII. Anno Dominica incarnationis MXL. Anno vero ordinationis Domini HENRICI tertii XIII, regnantis ſecundo. Actum GOSLARIÆ feliciter Amen.* Menſe deinde Auguſto

Henricus Goslariæ bello Bohemico ſe parat.

Chronogr. Sax. p. 247.

Mader. p. 221. Antiqu. Brunſv.

Herm. Contr.

p. 323. *Lamb. Schafnab* p. 376. *Marian Scot. ad ann. 1041.* p. 450.

guſto rex, relicta Goslaria, in Bohemos arma vertit, ſed exercitus ejus cum paulo incautius progrederetur, ex inſidiis circumventus magnam ſtragem paſſus eſt, ipſeque rex ægre haut ſine ſummo vitæ diſcrimine evaſit. *Ita fuit expeditio prima*, ait Albertus Cranzius, *nedum damnoſa, ſed etiam perniciosa regi.*

Sigebert. Gembl. p. 596. Mutius l. 14. p. 112. Cranz. l. 4 Sax. c. 41. p. 102.

Suidger' an Præpoſitus Goslarienſ. & cujus familiæ fuerit? *Herman. Contract. p. 329. Chron. Stederb. p. 451. Engelhuſ. p. 199. Chron. Auguſt. p. 346. Goldaſt. tom. 2. rerum Alaman. part. I. p. 101. Alb. Stad. p. 227.*

Hoc anno ad Bambergenſem Epiſcopatum tranſiit Suidgerus iſte, qui in annalibus utramque paginam facit, ac ab Hamerslebienſi Monacho non minus, quam Emſero in Præpoſitorum Goslarienſium numerum refertur. Facturi igitur omnino operæ pretium videbimur, ſi, quo loco vulgaris hæc ac decantatiſſima traditio habenda ſit, paulo accuratius diſpiciamus, inprimis cum de eo incerta omnia ac pene deſperata ſint. Ut enim a nomine ordiamur, dici non poteſt, quam varie a ſcriptoribus illud efferri ſoleat. Hermannus Contractus auctor Chronici Stederburgenſis & Trithemius eum vocant Suidegerum, Wimphelingius Synderum, Pallatius Svigderum, anonymus ille Maderianus Svvickerd, Chronicon Auguſtenſe Svigerum, Wolterus Svviderum, Chronicon Saxonicon Pomarii Schvvyderum, alii aliter, ut ſolent antiqui ſcriptores nomina propria modo multa ſyllabarum ſyrmate augere, modo conciſius eloqui. Dubium tamen non eſt, quin omnia hæc nomina coincidant cum illis: *Svvidker*, *Suihiger*, *Sunnitker*, quæ in Alamannia Theutonica quondam familiaria viris fuiſſe teſtatur catalogus nominum propriorum apud Goldaſtum, ubi inter fœminarum quoque nomina ejusdem procul dubio originis occurrunt *Suuidburc*, *Suuiburc Suuidburch*, *Suitburg*. Nec minor de familia ejus fluctuatio auctorum reperitur, cum ea vixerit ætate, qua familiarum cognomina nominibus adponi nondum conſveverant. Gente Germanum fuiſſe, fatentur omnino omnes, Saxoniam quoq; patriam habuiſſe e veteribus prodidit memoriæ Hermannus Contractus, majori fide vel eo nomine dignus, quod ea ipſa ætate floruit, ſuumque Chronicon conſcripſit. Porro nobili proſapia fuiſſe oriundum, quicquid Onuphrius Panvinius & Ciacconius ſentiant, auctorem habemus Albertum Stadenſem, qui ita de eo loquitur: *Ceterum* (Hermannus Archiep.) *nobiles viros habuit Capellanos Theodoricum, Svidgerum; Iſte Svidger ex Babergenſi Epiſcopatu aſſumtus eſt in ſedem Apoſtolicam, rejectis ex ordine Schismaticis, dictusque eſt Clemens.* Tantum eſt, quod de ejus genere certo ſcimus, cetera omnia multis intricata nodis ac incertiſſima ſunt. Conſtans traditio eſt, eum originem debere genti Meyendorffiorum, quæ in Holſatia, ut ajunt, a Meinſtorfiis derivata plurimum ſe per Marchiam Brandenburgenſem, Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, Epiſcopatum Halberſtadienſem & Ducatum Brunſvicenſem diffudit, ac anno ſexageſimo ſeptimo ſuperioris ſeculi expiravit. Hoc ita certum videtur recentioribus ſcriptoribus, ut id magno aſſerant conſenſu, forte Epitaphium ejus Bambergenſe reſpicientes quod ita ſe habet:

RMUS IN CHRO PATER ET DNS D. SVIDERUS
A MAYENDORFF. SAXO. 2. EPISCOPUS BAMB.
POSTEA SUMMUS PONT. CLEM. 2. DICTUS
OBIIT ROMÆ 10. OCTOB. ANNO 1047.

Sed præterquam quod Zyfræ recentius lapidis ævum indicant, de ipſo addito familiæ cognomine ita ſentit Papebrochius: *Sed inprimis additum familiæ nomen, & neſcio unde ſumptum* (recentius eſt) *quandoquidem cognominum uſus tunc vixdum ullus Germanis erat in publicis ſcripturis; adeoque ex ſola traditione haberi poſt tot ſecula potuerit Meindorfiam familiam ad Svidgeri Epiſcopi majores genus ſuum referre.* Nec minus eſt ſententiarum divortium de ipſa Mayndorfiorum gente, cum Mollerus Meinſtorfiis Holſatis, Tenzelius Mayndorfius Saxonibus eam laudem tribuant. Sed quemadmodum ille vix auctorem fide dignum pro ſe affert, nec alio nititur argumento, quam quod ex Albero Stadenſi & Woltero Bremenſi conſtet, eum Diaconum Hamburgenſem & Capellanum Archiepiſcopi fuiſſe, quæ beneficia tamen *Clerico Cymbriæ adoptivo* quoque tradi potuerunt; ita fatendum eſt, Tenzelii ſententiam illa longe probabiliorem eſſe, cum binis ſuffulta ſit antiquorum teſtimoniis, quæ & ipſa repetere placet: Alterum jam tum notum eſt, ex Chronico Ducum Brunſvicenſium, anno MCCLXXX conſcripto, & Pallatio Chronici Saxoniæ nomine vocato. Ita autem illud: *Iſte* Hinricus *ſancte & juſte regnum rexit, Epiſcopatum* Bavemberch *fundavit, ubi* Svvickerum; *Canonicum Halberſtadenſem Epiſcopatui præfecit, qui poſtea in Papam eſt aſſumptus,* & Clemens II. *appellatus. Iſte* Svvickerus *erat de quibusdam nobilibus in* Saxonia, *quorum fuit proprietas* Morsleve & Hornborch: *quam* Thidericus, Nobilis de eodem genere *filium non habens, Halberſtadenſi Eccleſiæ dedit, indignatione motus contra ſororem ſuam, Dominam* Clementiam, *cui eadem proprietas debuerat ſucceſſiſſe.* Idem fere, quoad rem ipſam, variatis licet nonnihil circumſtantiis refert anonymus auctor antiquorum annalium, qui incipiunt a Pipino Rege, & deſinunt paulo poſt obitum Imperatoris Lotharii Saxonis, cujus partem huc pertinentem e Leibnitiana bibliotheca ſuppeditat Tenzelius: Anno MXL. Eberhardus *pia memoria Babenbergenſis Epiſcopus obiit, cui Rex* Heinricus Svitgerum *ſuum Capellanum, boni teſtimonii Diaconem, generaliſpiorum omnium*

Papebroc. conat. hiſt. Chron. ad Catal. Pontif. p. 187. ap. Tenzel. 1694. menſtr. p. 213. Moller. Iſagog. Cherſ. Cimbr. c. 14. & part. 2. præf. & homonymoſc. p. 432. Tenzel. 1692. p158. 1694. p. 223. menſtr. & 1704. p. 509 biblioth. curioſ. Pallat. tom. 2. de geſt. Pontif. p. 312. Chron. Brunſv. ap. Mader. p. 6.

um electione ſucceſſorem deſtinavit. Hujus mater fuit Amulrad (*) *Soror* Waltardi, *Magdaburgenſis Archiepiſcopi, quæ nupſit* Conrado de Moresleve & Horneburch, *genuitque ei hunc* Svitgerum, *qui erat Canonicus S. Stephani in Halberſtat, poſtea Epiſcopus in Babenberch, tandem Romæ Papa;* & Conradum, *qui, ut dicitur, fuit Canonicus S. Mauritii in Magadeburch, poſtea Aquilejæ patriarcha,* & Adalbertum. Hic quandam fœminam, quæ ſua propria extitit, *ſibi in matrimonium junxit, quæ ſorori ſuæ quæ* dignamenta (*legend. procul dubio* Dn. Clementia) *vel* Margaretha *dicebatur, nimiam intulit injuriam: Unde ejus conſilio & juſſione in eadem urbe,* Horneburch dicta occiſa eſt. *Propterea ipſe* Adalbertus *eandem urbem cum prædiis illuc pertinentibus tradidit* Halberſtadenſi eccleſiæ *precaria vicisſitudine, ne videlicet ipſa, aut filii ejus eandem hæreditatem ſortirentur.* Hæc veteres illi annalium ſcriptores, e quibus omnino ſequitur, ut Svidgerum non Holſatiæ, ſed Oſtphaliæ noſtræ cum Tenzelio vindicemus. Sed miror de Meyndorfiorum familia tanto opere contendi, cum ea nullum in his ſcriptoribus præſidium inveniat. Anonymus Maderianus majores Svidgeri vocat nobiles, quorum fuerit proprietas *Morsleve* & Hornburg; Scriptor vero Leibnitianus multo apertius parentem appellat *Conradum de Morsleve* & *Hornebnrch.* Neuter de Mayndorfiorum familia, tum quidem florentiſſima notiſſimaque, quidquam adjicit. Parum igitur abeſt, quin in eam deflectar ſententiam, quod Svidgerus iſte fuerit Nobilis de *Marsleven.* Familia hæc nobilitatis ſuæ ſedem olim habuit in villa Marsleven in dioeceſi Halberſtadienſi ac Quedlinburgenſi agro ſita, quæ in diplomatibus Ottonis M. Quedlinburgenſi Abbatiæ datis vocatur *Merſelevo*, item *Merſenloba*, in aliis *Marsleve*, Marsleben / Marßleeuben / & Marſchleben. Familia quæ ab hac villa nomen tulit, excelſe floruit, ac non modo *miniſteriales Quedlinburgenſes*, ſed & ejusdem eccleſiæ *Coadvocatos* protulit, e quibus in diplomatibus adhuc obſervavi *Hermannum de Marsleve*, in literis Oſterlindis Abbatiſſe. Anno M.CC.XXXI. nec non in literis Gertrudis Abbatiſſæ anno MCCXLI. *Olricum & Johannem de Marsleve.* anno MCCXLI. in diplomate ejusdem & anno MCCLIX. in tabulis Volradi Epiſcopi Halberſtadienſis. Ex hac gente, [quæ dudum cum ipſa nobilitatis ſede interiit, ita ut non niſi nomen villæ ſuperſit, & curiæ, (quæ Quedlinburgi hodienum vocatur der Maislinger Hoff /] Suidgerum noſtrum prodiiſſe, quis dubitet, cum omnino hæc conjectura propius accedat ad iſtos ſcriptores, quam illa de Meiendorfiis, nullo ſatis antiquo teſtimonio ſubnixa. Quæ adverſus autoritatem Maderiani Chronographi objiciuntur a Mollero, ſatis erudite diſcuſſit Tenzelius, ut adeo nihil prohibeat, quo minus ei fidem habeam 9.

(*) *Matrē quoq; Waltard. Magdeburgenſ. Archiep. Amulrad. tem vocatam patet ex Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 284.*

Dedufl. Quedlinb. l. 3. 4. 12. 14

Dedufl. Quedlinb. a. 1696. p. 44. 46. 47 Acta de a. 1701. p. 188

Sed venimus jam ad alteram quæſtionem, quæ nos propius ſpectat; An nimirum Svidgerus hic ante Bambergenſem Epiſcopatum fuerit Præpoſitus Goslarienſis? Ut igitur appareat, quo fundamento hæc traditio nitatur, veteres omnes hoc tacent, e recentioribus hoc memoriæ prodere auſus eſt Monachus Hamerslebienſis, qui anno M.D.XVIII. *brevem quandam de Cathedrali Goslarienſium eccleſia narratiunculam* cum Catalogo Præpoſitorum compilavit, a Madero inter ceteras Antiquitates Brunſvicenſes editam. Quamvis autem Monachus iſte auctoritatem ſequatur codicis cujusdam Goslarienſis, e quo ſe ſua hauſiſſe fatetur, tantum tamen abeſt, ut Codex iſte MSC. ſatis antiquus videatur, ut potius auctor expirante ſeculo XIV. videatur vixiſſe. Inter ultimos enim eſt Arnoldus, qui ad Bambergenſem Epiſcopatum tranſiit a. MCCLXXXV. obiit MCCXCV. Ab hoc autem remotiorem fuiſſe auctorem ſatis manifeſtū eſſe arbitror ex turbato ſub finem Præpoſitorum & Canonicorum ordine, id quod fieri non potuiſſet, ſi auctor ea vixiſſet ætate, qua integra adhuc Præpoſitorum illorum memoria eſſe potuiſſet, quod forte magis eſſet perſpicuum, ſi codex adhuc extaret. Eundem vidiſſe etiam videtur Emſerus, qui anno MDXII. vitæ Bennonis narratiunculam æque ac catalogum iisdem prope verbis inſeruit. Quos ſecuti deinde ſunt Leznerus, Autor Chronici Montis Francorum, aliique quorum hic prolixe inire numerum non eſt opus. E contrario vetuſtiores Annales, qui ceteros ejus honores accurate recenſent, Præpoſituræ Goslarienſis ne verbo quidem meminerunt. Cancellarium Henrici III. fuiſſe autores habemus locupletiſſimos, quamvis anonymus Maderianus ſupra allegatus Henricorum diverſa recenſione deceptus, reclamante temporum ordine, Henrici II. Cancellarium vocet, quod tamen illi magis condonandum eſt, quam Cygneo & Bruſchio, qui in eundem errorem delapſi ſunt, ac inprimis Mallinckrotio, qui Kirchnerum aliter ſentientem erroris arguere non dubitat. Præterea Diaconum Hamburgenſem & Capellanum Hermanni Bremenſis Archiepiſcopi fuiſſe, & Slavis prædicaſſe evangelium auctores ſunt Albertus Stadenſis, Wolterus, aliique quos allegat Mollerus. Nec dubitandum videtur, eum Halberſtadii Canonicatu fruitum, cum diſerte id tradant anonymus uterque, Maderianus & Leibnitianus, nec incredibile ſit, hominem nobilem in Halberſtadienſi agro natum ibidem Cæſaris commendatione beneficium ejusmodi eccleſiaſticum impetraſſe. At de Goslarienſi præpoſitura ne γεῦ quidem apud veteres, nec ullum de eo Goslariæ ſupereſt veſtigium. Huc accedit, quod meliorum Chronologorum Hermanni nimirum Contracti, Alberti Stadenſis & Chronographi Saxonis judicio jam anno

Cygn. prodr. annal. Bamberg. n. 12. p. 10. Bruſch. c. 15. n. 2. p. 1097. de Epiſc. Mallinckrot. de Archi-canc. & Canc. Imp. p. 58. 128. 137. Kirchn. l. 2. de offic. & dign. Canc. c. 1.

r.o MXL. Bambergense sacerdotium adeptus ac insequente anno Monasterii a Bardone Moguntino consecratus sit, quo vix fundamenta jacta fuerant Goslariensis ecclesiæ. Nisi ergo temporum turbare ordinem velimus, id sane statuendum est, aut nunquam Goslariensi ecclesiæ Præpositú fuisse, aut, si forte vulgaris traditio non abjicienda sit, saltem eo honore perfunctum esse in ecclesia Harzburgensi, ex qua nostra enata est. Non enim repugnat consuetudini, ut ecclesiæ cujusdam cathedralis Canonicus præpositura simul exteræ ecclesiæ, inprimis eadem diœcesi comprehensæ potiatur. Sed de hac re cum nemine contendam, monumentis quippe ad expediendum ejusmodi negotium necessariis destitutus. Est enim profecto mirandum, virum tam celebrem, *sagacissimoque ingenio praditum, & bonis literis ac disciplinis optime institutum* ne unicú quidem suæ vitæ scriptorem inveniisse, cum tamen ad illum demum accesserit dignitatis gradum, quo inter homines nullus censebatur excelsior. Anno enim MXLVI. ab Henrico Imperatore, schismaticis tribus Pontificibus a solio deturbatis successor datus est in Concilio Sutrino, perpetuamque sibi gloriam coronato Henrico & Agnete Augustis, & profligata Simoniaca labe, conciliavit. Vita functus est anno MXLVIC. non sine veneni suspicione, & constanti Bambergensium favore consecratus, ac in sanctorum numerum relatus. Sed causam subodorari mihi videor, quamobrem ejus memoriam nemo conservare studuerit, cum ceterorum sanctulorum pene omnium legendæ & acta supersint. Erat nimirum homo Germanus, atque ab Imperatore sedi Pontificiæ impositus, quod tam ægre ferebant Romani, ut ejus quoque vitæ timeret Imperator, atque ideo eum secum reduceret in Germaniam. Hoc odium ad Clerum transiit adeo, ut nemo auderet hominis ejusmodi præpostera, ut putabant, ratione ad sacerdotium erecti historiam conscribere. Non est hæc mea solum conjectura. Quam male enim apud veteres audiverit Clemens II. nemo rectius docere poterit Martino Polono, cujus hoc est de Clemente II. judicium: *Clemens II. sedit mensibus novendecim, diebus septem. Hic fuit invasor ecclesiæ, & per vim habuit papatum, & cessavit diebus viginti.* Hæc sunt quæ de Suidgero hoc monenda duxi. Malui enim rem non satis expeditam in medio relinquere, quam incerta monachi cujusdam conjectura inanem civitati nostræ golriá vindicare.

Serrar. l. 5 rer. Mogunt. p. 740.

Martin. Polon. p. 370.

Anni Christi 1041. 1042.

Henrici III. Reg. 3. 4.

Ab. V. C. 119. 120.

Rex Goslariæ agit. *Spangenb. Chron.*

INterea Henricus anno proximo validiorem longe contra Bohemos conscribens exercitum Germaniæ subinde lustrat provincias. Verno deinde tempore habito Selingenstadii Principum conventu, mense Junio Goslariam revertitur cum Gisela Matre. Extat diploma Henrici tunc Goslariæ datum, quo Eckhardi Marchionis cuidam militi Marcwardo mansos aliquot regales in pago Zevpici tradit, ex quo patet II. Kal. Julii Regem Goslariæ præsentem fuisse, sed quæ hic gesta sint, nescio qua negligentia autores tacent. *Sax. c. 171. p. 249.* *Mader. p. 223. antiqq. Brunsv.*

Bohemi victi. *Otto Fris. l. 6. c. 32. p. 134. Abb. Vrsp. p. 216. Marian. Scot. p. 450. Sigeb. Chron. p. 596. Æn. Sylv. Hist. Boh. c. 19. p. 33. Avent. l. 5. p. 409. Contin. Herm. Contr. p. 323. Chron. Sax. p. 248.*

Mense de hinc Julio, Aquisgrani habito Principum conventu, expeditionem Bohemicam Rex suscepit, jam superiore clade cautior redditus. Exploratis enim diligenter viis, feliciter in provinciam penetravit, cæsoque Bretislai exercitu, adeo Bohemorum fortunas attrivit, ut Bretislaus, tot malorum pertæsus, supplicis habitu Ratisbonæ Regis exorârit clementiam. Inde Rex per Westphaliam juridicundo præfuit, præcipue Mimigardevordiæ, ubi eo præsente recens resuscitata ecclesia tanto hominum concursu & festivo plausu dedicata est, quantum vix antea Westphalia viderat.

Annus Christi 1043.

Henrici III. Reg. 5.

Ab. V. C. 120.

Comitia Goslariensia.

INsequens annus frequentissimis principum comitiis Goslariam nostram illustravit: siquidem Henrico exspirante superiore anno comitia hic celebrante, sub ipsius anni exordia tanta principum & legatorum huc copia confluxit, quantam vix antea unquam urbs nostra viderat. Ipse quoque Ungarorum Rex, Petrus, ab Vwane e regno pulsus, tunc Goslariæ præsens felici eventu Regis implorabat auxilium: repulsam contra ferentibus Russorum legatis, qui filiam Regis sui Henrico uxorem obtulerant. Præclare rem describit Lambertus Schaffnaburgensis, cujus ore & nos eam eloquimur. Rex natalem Domini Goslariæ celebravit. *Illuc Dux Boëmicus adveniens, benigne susceptus a Rege, & honorifice aliquandiu habitus, tandem in pace est dimissus. Ibi inter diversarum provinciarum Legatos legati Ruscorum tristes, redierunt, quia de filia Regis sui, quam Regi Henrico nupturam, speraverant, certum repudium reportabant. Ili quoque legati Regis Ungarorum pacem supplicter (*) orant, sed non impetrant, quoniam Rex Petrus, quem Uban per vim regno expulerat, præsens erat, suppliciterque Henrici Regis auxilium contra illius violentiam implorabat.* Fallit ergo Chronographus Saxo natalem Domini Augustæ, pascha in Burgundia celebratum existimans, quod utrumque Goslariæ nostræ vindicat Leuberus. Adulta enim demum æstate in Burgundiam discessit, ad sponsam Agnetem, Wilhelmi Pictavienfis filiam excipiendam, quam per Maguntiam, Ingelhemium deducit, *Aventin. l. 5. Annal Bojic. p. 410. sq.* *Lambert. Schafnab. ad h. ann. p. 377.* (*) *Ac impetuosam eorum orationem refert Aventin. l. c.* *Chronogr. Sax. p. 249.* *Leuber. Stapel. Magdeb. n. 758.*

ducit, proque ritu ſibi copulatam recepit in thalamum.

Giſela Imperatrix obit

Herm. Contr. p. 324. Lambert. Schaffn. ad h.ann. Marian. Scot. ad h.ann.

Eodem anno XVI. Kal. Martii Henricus Imperator vidit funus matris ſuæ Giſelæ Imperatricis, Conradi II. viduæ, quæ magno apparatu Spiram traducta ibidem reperit conditorium cujus rei luculentos autores habemus Hermannum Contractum, Lambertum Schaffnaburgenſem, Marianum Scotum, & Lehmannum in Chronico Spirenſi: unde perperam ejus obitus a Chonographo Saxone in annum ſequentem rejicitur.

Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 33. p. 419. Chronogr. Saxo. p. 249.

Annus Chriſti 1044.

Henrici III. Regis 6.

Ab. V. C. 121.

Henricus agit Goslariæ.

Poppenr. annal. Gerrod. ap. Meib. p. 429. tom 2. rer. Germ.

INterea Henricus Imperator, Ungaricæ expeditioni ſe accingens, ſuperioris Germaniæ Rhenique provincias peragrabat; unde in Saxoniam reverſus menſe Februario Goslariam noſtram denuo inviſit. Ad quem profectus Albertus Urſus Anhaltinus luculento privilegio eccleſiæ Gernrodanæ dato auctus, domum rediit. Quanquam autem, qui Cæſarum hodœporica ſignarunt, hoc magno conſenſu tacent, manifeſto tamen rem loquitur diploma ipſum Gernrodano cœnobio datum, quod in annalibus Gernrodanis profert Poppenrodius: Hoc enim ita finit:

> Data VIII. Cal. Martii Anno Dominicæ incarnationis 1044. Indict. 12. Anno autem Domini Henrici Tertii ordinationis ejus 16. regni vero quinto. Actum Goslari in Dei nomine feliciter Amen.

Aſelinus Hildeſ. Epiſcopus. *Chron. MSC. Hildeſ. c. Reutel. in Chronic. Hillesh. p. 14. Cornel. in brev. Fuld p. 431. ap. Paulin. Syn.*

Supremus hic annus fuit Diethmaro Hildeſienſi Epiſcopo, cui ex Henrici III. Capellanis ſucceſſit Aſelinus, induſtrius princeps & fidelis Epiſcopus, ſed qui fortunam ſibi admodum repugnantem eſt expertus. Nugæ ergo ſunt, quando nonnulli olim Sighartum Fuldenſium Abbatem in Epiſcoporum Hildeſienſium Catalogum retulerunt, cum is anno MXLIII. jam obierit. Cornelius in breviario Fuldenſi de eo ita: *Sighartus. Et hic bene præfuit. Scribunt factum fuiſſe Epiſcopum Hildeſemenſem, alii autem dubitant, & addunt, vocatum quidem fuiſſe, ſed non admiſſum. Moritur A. D. MXLIII Prælatura IV. in bello Bohemico in quo Vexilliſer regius erat.*

Anni Chriſti 1045. ſqq.

Henrici III. Reg. 7. ſqq.

Ab. V. C. 122. ſqq.

Henricus III. Goslariæ agit.

SEquente anno Henricus III. luſtratis ſuperioris Germaniæ provinciis & compreſſis Lotharingiæ motibus denuo Goslariam proficiſcitur, atque hic paſchatis feſtum inſigni principum corona cinctus, ſolenniter celebrat. Quæ ſolennitas eo ſplendidior fuit, quod Otto Palatinus tunc Alemanniæ Ducatum in feudum accepit, qua de re Hermannus Contractus & Vrſpergenſis, quibus Spangenbergius quoque addit Epponem Citicenſem Epiſcopum illum tam fidum Henrici IV. paraſtatam, tunc ab Imperatore Goslariæ noſtræ Epiſcopatu auctum.

Herman. Contr. ad h.ann. p. 326. Abb. Urſperg. p. 216. Et Ottoni Palatino ducatum Alamanniæ in feudũ concedit.

Spangenb. Chron. Sax. c. 172. p. 252.

Interea res Hungaricæ Regem in Pannoniam vocabant, quo cum ſecundo flumine appuliſſet, a Rege amice exceptus, compoſitis rebus mox rediit in Germaniam: Hinc domitis Slavis, qui lacertos movere cœperant, ſub brumam Goslariam redit, ibique totam fere exigit hyemem, natalitiis quoque Chriſti feſta ſolennitate peractis: ut narrat Hermannus Contractus & qui huic aſſentitur Lambertus, cujus hæc verba huc quadrant: *Rex natalem Domini Goslariæ celebravit, ubi & ſocrus ejus de Pictavis cum primoribus gentis ſuæ aderat.*

Herm. Contract. p. 326. Lamb. Schaffn. p. 377.

Hæc dum apud nos geruntur, Italiam affligunt tres Pontifices, qui ſimul uno tempore ſedem Romanam invaſerant, tantisque turbis urbem laceraverant, ut Papa quidam ex eremitis his malis ingemiſcens Henricum regem ita ad tollendum ſchiſma ſit cohortatus: *Una Sunamitis, nupſit tribus maritis. Diſſolve connubium triforme dubium.* Henricus ergo id ſibi datum negotii ratus, ne quid Eccleſia detrimenti caperet, Romam cum delecta manu properat, furias has, ut Pallatio vocantur, de throno deturbat, priſtinamque reſtituit quietem, ſubrogato Suidgero Bambergenſium Epiſcopo, quem nonnulli Goslariæ enutritum ajunt, & Romanis in ſua verba adactis ne *Otto Friſe* inconſulto eligerent Romanum Pontificem. Adeo tunc Romani Epiſcopi, tantum abeſt, ut Imperatorum majeſtatem contemſerint, ut in ordinem ab illis potius fuerint coacti, ſi quando extra orbitas vagarentur. Suidgerus ergo in Pontificem lectus nomen Clementis II. aſſumit, Henricum ejusque conjugem ipſo natali Domini corona cingit, ac tandem Romanorum ferociam ſubveritus, eundem in Germaniam redeuntem ſequitur, ubi & ſequenti anno diem obiit ſupremum: ſucceſſorem nactus Damaſum, qui brevi poſt tempore in vivis eſſe deſiit.

Suidgerus vulgo Præpoſ. Goslar. creatur.

Pallàt. de geſt. pontif vol. 2. p. 226 ſq. Herm. Contr. ad h. ann. p. 327. 328. Lamb. Schaffn. ad h. ann. Otto Friſing. l. 6. c. 32. Martin. Polon. p. 360. Leo Oſtienſ. l. 2. c. 80. Baron. ad ann. 1046 tom. XI. p. 152.

Pauca geſſit Pontifex properantibus fatis ſuis præventus. Reformationem tamen eccleſiæ pro virili ſuſcepit, privilegia Hamburgenſis Eccleſiæ teſte Alberto Stadenſi confirmavit, Johannis Epiſcopi Peſtani translationem ad Archiepiſcopatum Salernitanum epiſtola ſingulari data XII. Kal. Martii MXLVII. ratam habuit, & (quo præcipue auctoritatem ſuam Apoſtolicam ſtabilire voluiſſe videtur) B. Wiboradam in divorum numerum retulit, qua de re ita Burchardus Monachus: *Ob-*

tinuit etiam (Nortpertus Abbas San Gallenſis) *amminicu'ante Henrico Imperatore & conjuge ejus Agnete hoc apud Dominum Apoſtolicum Clementem ſecundam, recitata vita B. Wiborade ejusque miraculis & de tamdiu neglecta re ab ipſo Papa redarguitus, quatenus ipſam preſente Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo canonizaret & pro ſancta haberi preciperet, & anniverſarium ipſius diei ſolemnizandum inſtitueret.*

Burck. Mon. de Caſib. Monaſt. S.Gall.c.6 p. 67.

Eodem anno Henrici Imperatoris & Eccleſiæ Agnetis Auguſtæ beneficio Goslariæ noſtræ vicinia aucta eſt Eccleſia collegiata S. Petri, quæ in orientali plaga extra mœnia in amœniſſimo monte olim celebris fuit, tamque magnificis ornata ædificiis, ut rudera nonnulla, quæ hodienum ſuperſunt ſatis ejus amplitudinem teſtentur, Sed *nunc ſeges eſt ubi Troja fuit*, hæcq; celeberrima Eccleſia una cum aliis vicinis monaſteriis ſuperioribus ſeculis diruta in urbem translata eſt, ubi hodienum ejus Canonici in Capella S. Catharinæ divinis laudibus vacant, ut ſuo tempore dicemus. Ceterum hanc Eccleſiæ hujus originem non ſolum tabularia ejus, & ſigillum antiquiſſimum in quo Agnes Imperatrix apparet loquuntur, ſed & inſcriptio in æde S. Catharinæ conſpicua recentior quidem & noſtra memoria poſita, ſed tamen ex antiquioribus notitiis iſtius eccleſiæ confecta. Nec aliud ſibi volunt Adamus Bremenſis, Wolterus & Albertus Stadenſis, quando duas Goslariæ congregationes omnipotenti Deo ab Henrico Rege inſtitutas ajunt. Altera enim illarum eſt eccleſia SS. Simonis & Judæ, cujus origines ſupra deſcripſimus, altera Montis S. Petri, de qua jam agimus. Præclaris eam proventibus auxit Agnes Imperatrix, quanquam plura ea de re diplomata in cineres ſuerint redacta. Donationis tamen exemplum hæret, à Wilhelmo Romanorum rege ſervatum, & præclaris literis confirmatum, quod hoc loco proferre placet:

Eccleſiæ Collegiatæ Montis S. Petri initia.

WILLELMUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis ſacri Imperii fidelibus, preſens ſcriptum viſuris, gratiam ſuam & omne bonum. Cupientes divinum cultum ad imitationem prædeceſſorum noſtrorum Imperatorum & Regum propenſius ampliare. Notum facimus univerſis tam praſentibus quam futuris, quod nos inſtar clare memorie Henrici Romanorum regis quarti omnia bona ſcilicet Weidhei Hovndorf Wigenrod Witesleib Westerhvsvn Witzenhvsen *& triginta manſus in illis villis ſitos. Scilicet* Sumaringen Boumalan Cuſinhuſin, Aldendorf, Ecgolvesheim *& nonam partem mellis ſuper* Blisna *&* Rochidan *& Cbviun, que bone memorie* Agnes *mater ſua Imperatrix Auguſta ob remedium anime ſue & anime patris eorundem ſcilicet* Henrici *Imperatoris Auguſti predeceſſoris noſtri nec non ob longevam vitam ipſorum viteque tranquilla tempora tradidit ſancte Dei Eccleſie in orientali plaga Goslarie ville ſite, que idem Rex* Henricus *quartus predeceſſor noſter perpetualiter confirmavit & in eternum omnium contradictione remota poſſidenda concesſit, ea videlicet ratione, ut nullus ſucceſſorum ſuorum Rex vel Imperator Dux vel Marchio parva vel magna perſona inde aliquid alienare preſumeret, vel imminuere, prout in privilegio ejusdem Regis plenius vidimus contineri, predicta omnia eidem Eccleſie in* Goslaria *prout ſuperius ſunt expreſſa proprio motu & certa ſcientia concedimus & autoritate regia confirmamus, concesſionem & confirmationem a predicto predeceſſore noſtro factam ratam habentes & gratam, idem privilegium renovamus. Vt autem hec concesſio & confirmatio & etiam innovatio noſtra firma & inconvulſa permaneat & in perpetuum valitura, preſens privilegium conſcribi & ſigillo Majeſtatis noſtre juſſimus communiri. Datum per manum venerabilis H* Spirenſis electi, *vices gerentis venerabilis* Gerhardi *Maguntini Archiepiſcopi ſacri Imperii per Germaniam Archicancellarii apud Brunſvich V I. Non. Maji. Indictione X. Anno Domini M° CC° L° ſecundo regni vero noſtri anno quarto. Feliciter amen.*

Signum Domini Wille primi Romanorum *Regis invictiſſimi*



Has

Has Wilhelmi literas, quamvis longe recentiores huc tamen referre juvit, quod ex iis discere licebit, quibus bonis initio hanc ecclesiam dotaverit Agnes Imperatrix. Præcipue cum literæ non nisi confirmationem contineant eorum, quæ his circiter annis Monti S. Petri Agnes Imperatrix concessit.

Catalogus Præpositorũ Decanorum & Canonicorum Montis S. Petri.

Ceterum si Præpositos, Decanos ceterosque hujus ecclesiæ olim florentissimæ requiris: Ecce brevem hunc quidem, nec satis integrum, e diplomatibus tamen collectum catalogum.

Præpositi Montis S. Petri in diplomatibus obvii.

Bruno, qui deinde Hildesiensem Episcopatum obtinuit; præposituram hujus ecclesiæ ipse se fatetur administrasse in diplomate Comitibus Woldenbergensibusde jure patronatus capellæ S. Cæciliæ concesso. Præfuit, ceu ex diplomatibus patet anno 1146. 1147. 1152. simul Hildesiæ Decani dignitate functus, ac Episcopus denique creatus anno 1154.

Reinoldus Comes de Dassel, majoris ecclesiæ Hildesiensis nec non Montis S. Mauritii ibidem, ut & Montis S. Petri Goslariensis Præpositus postea Cancellarius Friderici imperatoris ac demum Colonensis Archiepiscopus creatus est. De hoc insigni viro plura nos infra lib. 2. ad anno 1155.

Adelhogus dynasta de Dorstadt non modo in ecclesia SS. Simonis & Judæ, verum etiam in Monte S. Petri Præpositi dignitate functus est circa annos 1167. 1169. Postea Hildes. episc. 1171.

Berno, is qui postea Hildesiensis episcopus fuit, antea Præposituram Montis S. Petri administravit, anno 1184.

Burchardus apud Goslariam in monte S. Petri Præpositus 1195. 1208.

A. Præpositus ecclesiæ montis S. Petri ap. Goslariam. 1259.

Vulradus Præpositus. 1264. 1273. 1294.

Johannes Præpositus 1302. Eruditissimus Tenzelius profert literas Johannis Præpositi ecclesiæ S. Petri Goslariæ, anno 1329. exaratas, aut huic Johanni aut ejus successori cognomini tribuendas. Ex his apparet eum auctoritate Henrici Moguntini Archiepiscopi beneficio privasse Theodericum, ecclesiæ S. Mariæ in Gotha plebanum. In capite statim literarum se ac Theodericum Brunonis Canonicum ecclesiæ S. Mariæ Erfurt. vocat *Commissarios seu executores in causis privationum faciendarum contra Prælatos & clericos inobedientes & rebelles reverendissimo in Christo patri*, Dno. Henrico *sanctæ Moguntinensis sedis archiepiscopo, ab eodem Dno Archiepiscopo per diœcesin Moguntinensem specialiter deputatos.* Plura ipse laudatus Tenzelius,

Tenzel. Supplem. Il. hist. Goth. sect. 1. p. 94.

Johannes de Roma Canon. eccl. Hildenesh. & Præpositus montis S. Petri. 1391.

Decani Montis S. Petri.

Reinollodus Decanus de Monte B. Petri 1160. 1167. 1169.

C. Decanus ecclesiæ montis S. Petri apud Gosl. 1259.

Theodericus Decanus. 1288. 1293. 1294.

Theobaldus Decanus. 1306.

Theodericus Decanus. 1313. 1314.

Hinricus. 1319. 1325, 1326.

Tidericus. 1330.

Johannes. 1355.

Witekindus. 1362.

Johannes. 1391.

Hermannus. 1424. 1426.

Hinrick Sachting Decken / to sünte Petersberg vor Goßlar. 1461.

Johannes Decken / der Kercken up sünte Petersburg vor vnde butten Goßlar. 1467.

Nicolaus. 1479.

Hinricus up dem Berge. 1493.

Hinrich Decken. 1514.

Tilemannus Eilken, Decanus 1525. 1527. 1534.

Hinricus König / 1534. 1535. 1543.

Johannes Blancke / 1561. 1569, Decanorum procul dubio ultimus.

Canonici Montis S. Petri.

Volcoldus - - - } Canon. Mont. S. Petri 1155.
Werenboldus presbyter
Henricus Anglicus.

Henricus ecclesiæ S. Stephani in Bremis Præpositus & ecclesiæ Montis S. Petri in Goslaria Canonicus. 1167. 1169.

Robertus presbyter, } *Canonici de ecclesia B. Petri* 1169.
Johannes Diaconus.
Hermannus Diaconus.
Elias } Subdiaconi.
Hermannus
Errenbertus
Hilleboldus
Teodericus
Bartoldus

Olricus } Canonici 1194.
Meinfridus

Gerhardus } Canon. 1233.
Johannes

Volradus Canon. 1253.

Theodericus de Rammesberch. 1306.

Hinricus } 1306.
Johannes
Hinricus.

Tidericus Arkenhusen } Concanonici 1330.
Johannes de Polde

Johannes de Osterrode. 1323.

Henricus Canon. 1338. 1339.

Reynerus } Canonici S. Petri prope muros 1355.
Witekindus
Johannes Botekes
Henricus de Dornthen
Johannes Custos
Johannes Croning
Tidericus - - -

Johannes Scolaris ibidem. 1355.
Johannes Thesaurarius 1362.
Hermannus Grausebobbe Canon. 1391.
Johannes Palborn, Senior 1461.
Hildebrandus Lang, *Ludolfus Rodis*, *Johannes Brenne*, *Bertoldus Gissebach* } Canonici residentes 1479.
Conradus Heyger Senior 1491. 1499.
Hildebrandus. 1493.
Conradus Sluter Canon. ecclesiæ Montis S. P. 1493.
Theodericus Senior. 1514.
De werdige Her Mester Hinrick van Usler Domher van Petersstichte. 1518.
Theobaldus Senior. 1525. 1527. 1534.
Hinricus Sagemüller Canon. 1525. 1527.
Hinricus König. 1525. 1527. postea Decanus.
Hinricus Busser Senior. 1534. 1535.
Johannes Udra Senior. 1543.
Jodocus Schramme Præposit. Novi operis, & Canon. montis S. Petri 1543. 1547. 1556.
Henning Rolves Canon. 1547.
Hinricus Rollwage 1556. Senior 1561. Pastor in Mander. 1566.
Hinricus Wend. 1561. 1566. 1569. 1571.
Hinricus Groppengieser 1566.
Jacobus Unverhauen. 1566. 1569. 1570.
Wilhelmus Schutten. 1569. 1606.
Albertus Cammerer Canon. SS. Sim. & Jud. & S. Petri 1570. 1573.
Valentinus Dommes 1573.
Benedictus Grossehans Canon. SS. Sim. & Jud. & S. Petri 1575. 1580.
Johannes Sachting. Canon. 1580. 1592.
Antonius Pocre Canonicus Subsenior & Præpositus Woltingerodanus 1592. 1596.
Georgius Breuning. 1593.
Johannes ab Uslar. J. V. D. & Consiliarius Gvelpherbit. Canon. SS. Sim. & Jud. S. Petri. 1596.
Georgius Papen. 1601.

Sigilla montis S. Petri.

Hi sunt, quos in diplomatibus aliisque notitiis allegatos reperi, Montis S. Petri Præpositi, Decani & Canonici. Recentiores, & per elapsum seculum decimum septimum viventes studio prætermisi, tum quod Antiquitatum nostrarum limites semel statutos turbare nolui, tum quod eorum memoriæ alias satis videtur consultum. Addo potius quatuor sigilla ad hanc ecclesiam pertinentia, quæ in tabula I. depicta apparebunt. Primum ut est antiquissimum, ita historiam hujus ecclesiæ mirifice illustrat. Notabis in illo S. Petrum Apostolum, hujus ecclesiæ olim tutelarem, sellæ sive cathedræ antiquissimæ insidentem, sinistra clavem præferentem, dextra vero benedictionem impertientem fundatrici Agneti Henrici III. Cæsaris conjugi, in genua provolutæ, dextraque tenenti templum binis turribus instructum. Additur nomen AGNES. In limbo vero sigilli legitur hæc epigraphe.

Tab. I. Fig. 1.

† S. (*Sigillum*) MOTIS SCI (*Sancti*) PET (*Petri*) APUT GOSLARIA (*Agnes*) IPATX (*Imperatrix*)

Huic sigillo, quod ecclesiæ coævum esse tum literæ tum sculptura docent, addo alterum minus, sed non multo recentius. Præfert hoc itidem S. Petrum cujus in altera manu clavem in altera librum observabis. Epigraphen paulo obscuriorem ita lego *Fig. 2.*

† S. *Montis* SANCTI PETRI APUT GOSL.

Tertium sigillum est Nicolai; quartum Hermanni, Decanorum Montis S. Petri, quorum hic anno MCCCCXXIV. ille anno MCCCCLXXIX. floruit. Hæc ideo adjicienda putavi, ut si quis forte sagacior ex insignibus de familia eorum judicare voluerit, habeat, in quo suam exerceat industriam. *Fig. 3. & 4.*

Anno MXLVII Eppone mortuo Henrici III. auspiciis ad Episcopatum Augustanum ex ecclesia SS. Simonis & Judæ provehitur Henricus, quem pilam fortunæ haut incommode dixeris. Hermanno & Bruschio teste antea fuit Imperatoris Capellanus & Cancellarius, cujus fidem ea in re sequitur Mallinckrotius. Idem Bruschius a viribus corporis formaque excellenti eum commendat, additque non solum Imperatoris filium ejus fidei commissum, verum etiam Imperii negotia post Henrici III. obitum ipsius curæ fuisse demandata, unde conjicere licebit, quam autoritatem habuerit, quaq; existimatione fuerit apud Imperatorem, felix sane, nisi tandem Henricum IV. sibi adversari fuisset expertus, a quo ad incitas demum redactus est. Ex quo enim Augusta mater rempublicam pro impubere filio Henrico IV. administrabat, opera imprimis utebatur Henrici Augustani Episcopi. Cum autem is apud Imperatricem unus omnium maxime gratia floreret; invidiam incurrit Episcoporum, addita insuper fama, vix tantam familiaritatem facinore carere. Occupato tandem Regis animo res ad arma venit. Henricus Episcopus fuga elapsus Valckensteinio arci se credit, sed mala suorum fide illectus Imperatori se dedit, a quo pessime tractatus morte haut sua paulo post extinctus est, ut præter Bruschium refert Mallinckrotius, Sigismundus Grossenbrod sive Religiosus in Chron. August. Eccles. Quamvis Carolus Stengelius tam immane mortis genus ab Henrici hujus inimicis confictum malit.

Henrico Goslariæ Præpos. August. Episcop. creatur.

Contr. p. 328. Chronic. Augustes. ad an. 147 p. 346. ap. Freber. tom. 1. Script. German. Brusch. de Episc. & Archiep. Germ. c. 8. n. 29. p. 949. Mallinckr. de Cancell. & Archicancel. Imp. p. 63. Lamb. Schaff. p. 377. 381. Brusch. l. c. Mallinckrot. l. c. Grossenbrod. in Chronic. August. Eccl p. 600 ap. Pistor.

Stengelius in rer. August. commentar. Part. 2. cap. 27. p. 135. sqq.

Annus Christi 1049.
Henrici III. Reg. II. Imp. 3.
Ab. V. C. 126.

REstituta per Italiam Germaniamque tranquillitate, Henricus III denuo Goslariam sub hunc annum rediit, id agens solli-

Imperator cum Adelberto

menſ. Archiepiſcopo Goslariæ natalem Domini celebrat.

ſollicite, ut urbs hæc a majoribus ſuis tot ornata beneficiis ſua quoque opera nova indies incrementa caperet. Inſtabant jam dies, reſurgentis Jeſu memoriæ ſacratæ, quas imperator more ſuo Goslariæ magna celebritate peregit, præſente inprimis Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo, qui ut inexplebili habendi cupiditate dementatus, magnum jam ſibi Patriarchæ nomen ſpoponderat, ita nec hanc occaſionem augendæ eccleſiæ ſuæ dimittendam putabat, qua de re ingenue admodum loquitur Adamus Bremenſis: *Tunc etiam* [cum Adelbertus Imperatori Goslariæ adeſſet] *ſibi* [Adelberto] *data eſt ſpes acquirendi vel accipiendi comitatus, & abbatias vel prædia, quæ magno deinceps eccleſiæ periculo mercati ſumus, ut puta cœnobia Laureſſe & Corbeiæ. Comitatus autem Bernardi & Ecberti, prædia vero Lincsum, Pliſna, Groningor, Diſpargum & Lumona, quibus jam dubia fide poſſeſſis arbitrabatur ſe metropolitanus, ſicut dicitur de Xerxe, aut per mare ambulaturum, aut per terram navigaturum, poſtremo omnia, quæ in animo habuit facile perfecturum.*

Adam. Brem. ut. lib. 3. hiſt. eccl. cap. 36. pag. 101.

Interea dum Imperator Goslariæ hæret, Benefacit Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ.

novæ Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ, cujus ante decennium fundamenta jecerat, ultima manus imponitur. Parum igitur ſibi præſtitiſſe viſus, ſi lapideas ſolum moles excitaſſet, niſi & divinæ laudes in illis aſſiduo perſonarent; id dedit operam, ut canonicis, qui tum communi menſa & hoſpitio intra clauſtrorum cancellos utebantur, abunde eſſet, unde viverent: eaque de cauſa altari SS. Simonis & Judæ dotis loco obtulit villam Jerslebe in pago Svaba & in comitatu Udonis ſitam, dato in hanc rem luculento diplomate, quod ex ipſo autographo accurate deſcriptum hic inſerendum putavi, rogans & typographum & correctorem ut omnes apices attendant diligentiſſime.

IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. *Si ex noſtris facultatibus alicubi cultum divinæ laudis plantaverimus. id nobis ad præſentis vitæ ſalutem & ad percipiendam æternam beatitudinem firmiter credimus prodeſſe. Vnde tam futurorum. quam & præſentium noverit pietas in Chriſto fidelium; qualiter nos ob æternam noſtri noſtriq; thori ac regni conſortis. ſcilicet AGNETIS imperatricis auguſtæ commemorationem. nec non pro ſalvatione beatarum animarum felicis memoriæ CONRADI Imperatoris noſtri quidem anteceſſoris & patris atque matris noſtræ imperatricis GISILAE. ad altare ſanctorum APLORUM SYMONIS & JUDÆ in monaſterio quod GOZLARE in honorem SCę & individuæ trinitatis. & SCę MARIÆ genitricis dei ac perpetuæ virginis divina cooperante grã a fundamento incępimus ædificare villam unam IHERSLEB dictam in pago SVABA. & in comitatu VDONIS comitis ſitam. cum omnibus ſuis pertinentiis tradidimus. areis. ædificiis. utriusque ſexus mancipiis. agris. pratis. cãpis. paſcuis. ſilvis. uenationibus. aquis. aquarumque decurſibus. molis. molendinis. piſcationibus. viis & inviis. terris cultis & incultis. quæſitis & inquirendis. & cum omni jure & utilitate. quę ullo modo inde poterit provenire. Ea videlicet ratione & conditione. ut ejusdem monaſterii præpoſitus qui cætera cleri provid& bona. ſimiliter provideat & iſta. & reditus eorum ad communem uſum juxta noſtrã inſtitutionẽ & votũ in prædicto monaſterio GOZLARE dõ famulanitũ conferat canonicorum. Et ut hęc nra Imperialis traditio ſtabilis & incouvulſa per ſuccedentis temporis maneat ęvum, hoc privilegiũ nro præcepto inde conſcriptũ. manu propria corroborantes. ſigilli nri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum dñi Heinrici tercii regis invictiſſimi.





Sed. Romanorum Imperat. Auguſti.

R

UUinitherius Cancellarius uice Bardonis Archicancellarii recognoui.

Data IDVS MART. anno dominicę incarnat. MILLESIMO XLVIIII. Indict. II. anno autem dñi Heinrici tercii regis. Imperatoris ſẽdi. ordinat. ejus xx. regni quidẽ X. Imperii autem. III. in nomine dñi. Actũ GOZLARE feliciter AMEN.

Johannes Scolaris ibidem. 1355.
Johannes Thesaurarius 1362.
Hermannus Grausebobbe Canon. 1391.
Johannes Palborn, Senior 1461.
Hildebrandus Lang, *Ludolfus Rodis*, *Johannes Brenne*, *Bertoldus Gissebach* } Canonici residentes 1479.
Conradus Heyger Senior 1491. 1499.
Hildebrandus. 1493.
Conradus Sluter Canon. ecclesiæ Montis S. P. 1493.
Theodericus Senior. 1514.
De werdige Her Meister Hinrick van Usler Domher van Petersstichte. 1518.
Theobaldus Senior. 1525. 1527. 1534.
Hinricus Sagemüller Canon. 1525. 1527.
Hinricus König. 1525. 1527. postea Decanus.
Hinricus Busser Senior. 1534. 1535.
Johannes Udra Senior. 1543.
Jodocus Schramme Præpositus Novi operis, & Canon. montis S. Petri 1543. 1547. 1556.
Henning Rolves Canon. 1547.
Hinricus Rollwage 1556. Senior 1561. Pastor in Mander. 1566.
Hinricus Wend. 1561. 1566. 1569. 1571.
Hinricus Groppengieser 1566.
Jacobus Unverhauen. 1566. 1569. 1570.
Wilhelmus Schutten. 1569. 1606.
Albertus Cammerer Canon. SS. Sim. & Jud. & S. Petri 1570. 1573.
Valentinus Dommes 1573.
Benedictus Grossehans Canon. SS. Sim. & Jud. & S. Petri 1575. 1580.
Johannes Sachting. Canon. 1580. 1592.
Antonius Pocre Canonicus Subsenior & Præpositus Woltingerodanus 1592. 1596.
Georgius Breuning. 1593.
Johannes ab Uslar. J. V. D. & Consiliarius Gvelpherbit. Canon. SS. Sim. & Jud. S. Petri. 1596.
Georgius Papen. 1601.

Sigilla montis S. Petri.

Hi sunt, quos in diplomatibus aliisque notitiis allegatos reperi, Montis S. Petri Præpositi, Decani & Canonici. Recentiores, & per elapsum seculum decimum septimum viventes studio prætermisi, tum quod Antiquitatum nostrarum limites semel statutos turbare nolui, tum quod eorum memoriæ alias satis videtur consultum. Addo potius quatuor sigilla ad hanc ecclesiam pertinentia, quæ in tabula I. depicta apparebunt. Primum ut est antiquissimum, ita historiam hujus ecclesiæ mirifice illustrat. Notabis in illo S. Petrum Apostolum, hujus ecclesiæ olim tutelarem, sellæ sive cathedræ antiquissimæ insidentem, sinistra clavem præferentem, dextra vero benedictionem impertientem fundatrici Agneti Henrici III. Cæsaris conjugi, in genua provolutæ, dextraque tenenti templum binis turribus instructum. Additur nomen AGNES. In limbo vero sigilli legitur hæc epigraphe

Tab. I. Fig. 1.

† S. (*Sigillum*) MŌTIS SCI (*Sancti*) PET (*Petri*) APUT GOSLARI. A (*Agnes*) IPATX (*Imperatrix*)

Huic sigillo, quod ecclesiæ coævum esse tum literæ tum sculptura docent, addo alterum minus, sed non multo recentius. Præfert hoc itidem S. Petrum cujus in altera manu clavem in altera librum observabis. Epigraphen paulo obscuriorem ita lego *Fig. 2.*

† S. *Montis* SANCTI PETRI APUT GOSL.

Tertium sigillum est Nicolai; quartum Hermanni, Decanorum Montis S. Petri, quorum hic anno MCCCCXXIV. ille anno MCCCCLXXIX. floruit. Hæc ideo adjicienda putavi, ut si quis forte sagacior ex insignibus de familia eorum judicare voluerit, habeat, in quo suam exerceat industriam. *Fig. 3. & 4.*

Anno MXLVII Eppone mortuo Henrici III. auspiciis ad Episcopatum Augustanum ex ecclesia SS. Simonis & Judæ provehitur Henricus, quem pilam fortunæ haut incommode dixeris. Hermanno & Bruschio teste antea fuit Imperatoris Capellanus & Cancellarius, cujus fidem ea in re sequitur Mallinckrotius. Idem Bruschius a viribus corporis formaque excellenti eum commendat, additque non solum Imperatoris filium ejus fidei commissum, verum etiam Imperii negotia post Henrici III. obitum ipsius curæ fuisse demandata, unde conjicere licebit, quam autoritatem habuerit, quaq; existimatione fuerit apud Imperatorem, felix sane, nisi tandem Henricum IV. sibi adversari fuisset expertus, a quo ad incitas demum redactus est. Ex quo enim Augusta mater rempublicam pro impubere filio Henrico IV. administrabat, opera imprimis utebatur Henrici Augustani Episcopi. Cum autem is apud Imperatricem unus omnium maxime gratia floreret; invidiam incurrit Episcoporum, addita insuper fama, vix tantam familiaritatem facinore carere. Occupato tandem Regis animo res ad arma venit, Henricus Episcopus fuga elapsus Valckensteinio arci se credit, sed mala suorum fide illectus Imperatori se dedit, a quo pessime tractatus morte haut sua paulo post extinctus est, ut præter Bruschium refert Mallinckrotius, Sigismundus Grossenbrod sive Religiosus in Chron. Augusti. Eccles. Quamvis Carolus Stengelius tam immane mortis genus ab Henrici hujus inimicis confictum malit.

Henrico Goslariæ Præpos. Augustan. Episcop. creatur. *Herman. Contr.* *p. 328.* *Chronic.* *Augustēs.* *ad an. 147* *p. 346. ap.* *Freher.* *tom. 1.* *Script.* *German.* *Brusch. de* *Episc. & Archiep.* *Germ. c. 8.* *n. 29. p.* *949.* *Mallinck.* *de Cancell. & Archicancel.* *Imp. p. 63.* *Lamb.* *Schaff. p.* *377. 381.* *Brusch. l.* *c. Mallinckrot. l.* *c. Grossenbrod. in* *Chronic.* *Augusti.* *Eccl p. 600* *ap. Pistor.*

Stengelius in rer. Augusti. commentar. Part. 2. cap. 27. p. 135. sqq.

Annus Christi 1049.
Henrici III. Reg. II. Imp. 3.
Ab. V. C. 126.

REstituta per Italiam Germaniamque tranquillitate, Henricus III denuo Goslariam sub hunc annum rediit, id agens solli-

Imperator cum Adelberto

mens. Archiepiscopo Goslarię natalem Domini celebrat.

sollicite, ut urbs hæc a majoribus suis tot ornata beneficiis sua quoque opera nova indies incrementa caperet. Instabant jam dies, resurgentis Jesu memoriæ sacratæ, quas imperator more suo Goslariæ magna celebritate peregit, præsente inprimis Adalberto Bremensi Archiepiscopo, qui ut inexplebili habendi cupiditate dementatus, magnum jam sibi Patriarchæ nomen sponderat, ita nec hanc occasionem augendæ ecclesiæ suæ dimittendam putabat, qua de re ingenue admodum loquitur Adamus Bremensis: *Tunc etiam* [cum Adelbertus Imperatori Goslariæ adesset] *sibi* [Adelberto] *data est spes acquirendi vel accipiendi comitatus, & abbatias vel prædia, quæ magno deinceps ecclesiæ periculo mercati sumus, ut puta cœnobia Laureſſa & Corbeia. Comitatus autem Bernardi & Eeberti, prædia vero Lincicum, Plisna, Groningor, Dispargum & Lismona, quibus jam dubia fide possessis arbitrabatur se metropolitanus, sicut dicitur de Xerxe, aut per mare ambulaturum, aut per terram navigaturum, postremo omnia, quæ in animo habuit facile perfecturum.*

Adam. Brement. lib. 3. hist. eccl. cap. 30. pag. 101.

Interea dum Imperator Goslariæ hæret, Benefacit Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ. novæ Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, cujus ante decennium fundamenta jecerat, ultima manus imponitur. Parum igitur sibi præstitisse visus, si lapideas solum moles excitasset, nisi & divinæ laudes in illis assiduo personarent, id dedit operam, ut canonicis, qui tum communi mensa & hospitio intra claustrorum cancellos utebantur, abunde esset, unde viverent: eaque de causa altari SS. Simonis & Judæ dotis loco obtulit villam Jerslebe in pago Svaba & in comitatu Udonis sitam, dato in hanc rem luculento diplomate, quod ex ipso autographo accurate descriptum hic inserendum putavi, rogans & typographum & correctorem ut omnes apices attendant diligentissime.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. *Si ex nostris facultatibus alicubi cultum divinæ laudis plantaverimus. id nobis ad prę̃sentis vitæ salutem & ad percipiendam æternam beatitudinem firmiter credimus prodesse. Vnde tam futurorum. quam & præsentium noverit pietas in Christo fidelium; qualiter nos ob æternam nostri nostriq; thori ac regni consortis. scilicet AGNETIS imperatricis augustæ commemorationem. nec non pro salvatione beatarum animarum felicis memoriæ CONRADI Imperatoris nostri quidem antecessoris & patris atque matris nostræ imperatricis GISILAE. ad altare sanctorum APLORUM SYMONIS & JUDÆ in monasterio quod GOZLARE in honorem SCę & individuæ trinitatis. & SCę MARIÆ genitricis dei ac perpetuæ virginis divina cooperante grã a fundamento incę̃pimus ædificare villam unam IHERSLEB dictam in pago SVABA. & in comitatu VDONIS comitis sitam. cum omnibus suis pertinentiis tradidimus. areis. ædificiis. utriusque sexus mancipiis. agris. pratis. cãpis. pascuis. silvis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. viis & inviis. terris cultis & incultis. quæsitis & inquirendis. & cum omni jure & utilitate. quę ullo modo inde poterit provenire. Ea videlicet ratione & conditione. ut ejusdem monasterii præpositus qui cætera cleri provid& bona. similiter provideat & ista. & reditus eorum ad communem usum juxta nostrã institutionẽ & votũ in prædicto monasterio GOZLARE dõ famulantiũ conferat canonicorum. Et ut hęc nra Imperialis traditio stabilis & incouvulsa per succedentis temporis maneat cvum, hoc privilegiũ nro præcepto inde conscriptũ. manu propria corroborantes. sigilli nri impressione jussimus insigniri.*

Signum dñi Heinrici tercii regis invictissimi.





Sed. Romanorum Imperat. Augusti.



UUinitherius Cancellarius uice Bardonis Archicancellarii recognoui.

Data IDVS MART. anno dominicę incarnat. MILLESIMO XLVIIII. Indict. II. anno autem dñi Heinrici tercii regis. Imperatoris sẽdi. ordinat. ejus XX. regni quidẽ X. Imperii autem. III. in nomine dñi. Actũ GOZLARE feliciter AMEN.

Pagus

Pagus Svaba

Pagus Svaba in cujus ambitu villam Jersleben sitam dicit laudatum diploma, ad Northuringiam pertinuit, variisque nominibus in diplomatibus occurrit, dictus praterea pagus *Svevon*, *Svavia*, *Svava*, *Svavengovve & Svevicus*. Ejus mentio & infra in diplomate Henrici IV. denuo occurrit. Cum vero de eo accurate egerint Meibomius & celeberrimus Chr. Knaut: ferias calamo indicimus.

Meib. de pago Sax. p. 109. tom. 3. rer. Germ.

Knaut. antiqv. pagor. Anhalt.

Signum Winitherii.

Rarioris vero notæ signum in recognitione Winitherii Cancellarii obvium in nullis aliis tabulis ab eo recognitis occurrit, quarum plures in ecclesiæ hujus tabulariis notavi: Solus Aventinus in archivis ecclesiarum versatissimus diplomatis meminit anno MLIV. conscripti in quo simile Winitherii signum occurrit. Sed minutiorum literarum ductus oculos optimi viri fefellit. Hinc perperam legisse videtur:

Aventin. l. 7. ann. Bojic. p. 553.

ΕΙΔΑΙΑ ΠΙΝΘΕΡΙΟΥ ΚΑΝΚΕΛΑΑΡΙΟΥ

Cum non modo in nostro diplomate longe alia orthographiæ ratio observetur, verum etiam Cancellarius hic nunquam Pintherii nomine occurrat. Res ipsa loquitur, Winitherii nomen in illo schemate exprimi, rudi sane & inepto scribendi genere, quod nescio utrum ex Græcia an ex Latio, an ex ipso Winitherii ingenio profectum sit. Plura tamen extant vestigia, quæ Græca esse svadent: si enim e regione sibi oppsitas literas colligas, sequentes apparebunt: ΤΔΕΑ ΤΤΙΝΤΘΗΕΡΤΤ ΚΑΝΚΕΛΑΑΡΤΤ, hoc est Ydea Winitheryy Cancellaryy. Quis hic Winitherius fuerit fuse docet Mallinckrotius, & nos quoque de eo infra plura dabimus. Non solum etiam Cancellarii munere apud Cæsarem est perfunctus, verum etiam Canonicorum Goslariensium numerum auxit, antequam hinc Bambergam Episcopi insignia suscepturus migraret. Hic paucis notandum duxi, ingenii laudem ei omnes tribuere, quod tamen parum excolere potuit, seculi, in quod incidit, calamitate prohibitus. Græcas tamen aliasque linguas adeo feliciter attigerat, ut omnes æquales suos longo post se intervallo relinqueret, ut testantur Lambertus Schaffnaburgensis Jo. Cygneus, Bruschius, Mallinckrotius. Ea nimirum erat Henrici Imperii felicitas, ut sub illo bonarum literarum studia, quæ adhuc non inepta amplius, sed nulla fuerant, e situ eluctari & lacertos movere denuo inciperent, id quod inprimis memoriæ prodidit Autor Chronici Augustensis: *Hainricus Rex*, inquiens, *vastata Boëmia, Ducem illius ad deditionem coëgit .... Petrus profugus Hainricum adiit. Hujus adstipulatione & industria plurimi eo tempore in artibus, in edificatione, in auctoribus, in omni genere doctrina pollebant: Studium ubique famosum.* Nec dum plane obsoleverat institutum Caroli M. qui in Episcopatibus Græcas Latinasque literas publice doceri voluit, ut illi, qui ad honores in ecclesia adspirarent, pares essent in utriusque linguæ facultate. Inprimis autem hanc laudem, veluti propriam, sibi vindicabant Osnabrugenses, ubi ut utriusque linguæ Scholæ extarent, Caroli M. legibus cautum fuit. Jam ante Ottonis tempora inde prodierat Bovo, quem Græcas literas coram Chounrado Rege legendo clarum factum est autor Witekindus Saxo, quo cum conferendus Meibomius. Ubi autem Winitherius noster Græciæ literaturæ posuerit rudimenta, adhuc ignoro, nisi quod eum a puero in Bambergensi civitate adolevisse tradit Lambertus. Ceterum qui Græce docti tunc videri volebant, adeo leviter hac literatura erant imbuti, ut sæpe risum propinent legentibus, qua de re lepidum est exemplum a Thoma Walsingamo Anglo memoriæ proditum apud Casparum Barthium. Idem ergo Winitherio nostro contigit. Nam nec ἰδέα in hac significatione vox Græcis auribus familiaris est; nec terminationes Græcæ sunt; nec ipsa scribendi ratio potest excusari. Ceterum inde conjecturam capias, quam rude & indoctum isthoc seculum fuerit, cum & illi, qui præcipuum in linguis nomen tunc habuerunt, tam pueriliter sint hallucinati.

Mallinckr de Archicancell. & Cancellar Imper. p. 62. sqq.

Lambert. Schaffn. ad ann. 1065. p. 386

Jo. Cygn. in prodrō. annal. Bamberg. p. 13. n. 5.

Brusch. de Episc. & Archiep. Germ. c. 15 p. 1098. n. 5.

Gvalt. tom. Chrō. Chronicor

Mallinckr. l. c.

Chronic. Augusst. ad ann. 1041. p. 346 ap. Marq. Freher. tom. 1. rer. Germ.

vid. Chrō. Mindens. p. 556. ap. Meibom. tom I. rer. germ.

Witekind Sax. l. 3. p. 651.

Meib. in not. ad h. l. p. 694.

tom. I. rer. Germ.

Barth. animadv. ad Guil. Briton. l. 1. Philipp. p. 9.

In autumnum jam annus vergebat, cum Leo papa, qui post Damasi obitum ex Tullensi Episcopo ad Romanam sedem adspiraverat, lustrata Gallia in Germaniam quoque moveret, collectisque totius Germaniæ Episcopis, inter quos & Aselinum Hildesiensem fastire ferunt, Moguntiæ celebrem ageret Synodum. Imperator ergo cujus erat Synodis præsidere, Goslaria Moguntiam proficiscitur, ipseque eo omnes nervos intendit, ut corrupti Clericorum mores commodis legibus coërceantur. Acta hujus Synodi, quanquam pleraque interciderunt: non penitus tamen tacentur Adamo Bremensi, cujus verba addo: *Tunc habita est illa Synodus generalis apud Maguntiam, præsidente Domino Apostolico & Imperatore Heinrico, cum Episcopis Bardone Maguntino, Everardo Treverensi, Hermanno Colonensi, Adalberto Hammaburgensi, Engelardo Magdaburgensi ceterisque provinciarum sacerdotibus. In quo concilio quidam Spirensis Episcopus Sibico, cui adulterii crimen intendebatur, examinatione sacrificii purgatus est, præterea multa ibidem sancita sunt ad utilitatem Ecclesiæ, præ quibus Simoniaca hæresis & nefanda sacerdotum conjugia holographa Synodi manu perpetuo damnata sunt. Quod Archiepiscopus domum veniens nequaquam tacuisse probatur. De mulieribus enim statuit eandam sententiam, quam memorabilis Alebrandus & antea Libentius inchoavit, ut scilicet extra synagogam & civitatem fierent, ne male svada pellicum vicinia castos violaret obtutus. Hæc autem Synodus facta*

Synodus Moguntina.

*Baron. ad ann. 1049. n. 16. p. 167. tom. XI. Sigebert. p. 597. Herman. Contr. p. 331. * Lamb. Schaffn. p. 377. cūq; secuti alii Synodum hanc referunt in ann. 1050. Adam. Bremens. l. 3. c. 31. p. 102. Hist. archiep. Bremens. c. 18. p. 81. ap. Lindenbr.*

cta eſt Anno Domini MLI. ipſe eſt Archiepiſcopi annus VII. Hæc Adamus Bremenſis, in quo tamen meliorum codicum autoritate pro anno MLI. ſubſtituendus MXLIX. ut monet in margine Maderus. Pallatius vero acta hæc ita breviter complectitur: *In hunc Leonem regina immiſſe ferarum Juno & Venus congreſſa cum Pontifice victa rediere victrices: Nam Juno prodiga & Venus pudica non ſatis tamen geminati conventus quibus adfuit etiam Spiritus Sanctus, ut pulſo Simone reducerent Petrum. Utinam diaria ſupereſſent Leonis, in quibus non ſine rubore legerent, a primis plurimos diſtare noviſſimos.* Engelhuſius præterea in hac Synodo inſtitutum dicit jejunium banni, de quo audire placet Serrarium: *Jejunium bannitum fuit magnum & intenſum jejunium, quod ad Dei bannum, ſeu pœnam, iramque avertendum ab iis ſuſcipiebatur, qui ſe banno divino dignos agnoſcebant, hujusque ad noſtra fere tempora fuit in Moguntina eccleſia uſus & eo modo fere per triduum ſervabatur, iisdemque feriis, quemadmodum quatuor temporum jejunia, ſed aliis hebdomatibus; quas ad memoriam verſiculo iſto ſignificabant:*

Poſt Salus & Miſeri *tibi erunt jejunia banni.*

Pallat. de geſt. Pontif. tom. 2. p. 257.

Engelhuſ. Chronic. p. 201. Serrar. l. 1 rer. Mogunt. c. 32.

Id eſt poſt Dominicas, quibus canitur *Salus* & Miſericordia, quarum illa eſt Dominica XIX. poſt Trinitatem, hæc Dominica I. poſt Quaſimodogeniti. Hæc Serrarius, qui tamen hujus jejunii banniti originem Codicum MCStorum fide refert in nimium aboriendi malum, quod aliquando diœceſin Moguntinam dicitur affixiſſe. Denique in hac Synodo tempus perditum quæſtiunculis de Legenda S. Servatii, qua de re Albericus: *Poſthac Synodus Moguntie celebratur in præſentia ſummi Pontificis Leonis & Imperatoris. Ibi propoſuit Imperator de legenda S. Servatii queſtionem, & de geſtis ejus, & ibi canonizata fuit vita ejus.* Cetera quæ de hac Synodo ſparſim apud veteres occurrunt, diligenter collegerunt concilio-rum editores. Nec de Goslaria noſtra plane in iſthoc Concilio ſilentium. Henricus enim Imperator, cui nova eccleſia a ſe extructa inprimis curæ cordique erat, a Leone Papa id impetrat, ut illa cum omnibus ſuis bonis & facultatibus a quavis jurisdictione exemta ſoli R. Pontifici & Imperatori, tanquam advocato ſubeſſet. In quam rem hanc illi bullam conceſſit:

Alberic. Chron. p. 83.

Concil. tom. 9. p. 1646.

Leo PP. confirmat Eccleſiam SS. Simonis & Judæ.

LEo EPISCOPUS *Servus ſervorum Dei omnibus Chriſti fidelibus. Sancti propoſiti votum non ſolum divino effecto impletur, ſed etiam humano ſuffragio adjuvatur. Sit autem notum omnibus S. Eccleſiæ filiis tam præſentibus, quam futuris, quia filius noſter cariſſimus ſecundus Henricus Imperator Auguſtus quandam eccleſiam a ſe funditus conſtructam in honorem S. Dei genitricis Dominæ noſtræ Virginis Mariæ & beatorum Apoſtolorum Simonis & Judæ poſitam loco* Goslaria, *ubi fratres ſunt ſub canonica degentes regula, quibus præpoſuit quendam presbyterum nomine Rumaldum tam pro animæ ſuæ ſuæque Conjugis Auguſtæ filiæ noſtræ Agnetis remedio, quam pro ſalute etiam parentum ſuorum Cunradi & Giſilæ divæ memoriæ pio affectu piaque intentione S. Petro ejusque Apoſtolicæ ſedi per ſcripturam propria manu ſignatam penitus conceſſit per manus noſtras ſcilicet indigni vicarii ejusdem Apoſtolorum principis*, cum eſſemus cum eo Moguntiæ ibique Synodum haberemus, *ut ipſa eccleſia poſita ſub Apoſtolico jure in perpetuum libera & quieta perſiſtat ab omni jure & dominio ab omni læſione & moleſtia ſuam integritatem habens in omnibus rebus & facultatibus, quas modo habet in prædicto loco* Goslaria in Egeln & Ihereſelib *& in* Scemmenſtete *& in* Gerſtete *& in Valentro juxta* Renum *ſito aliisque locis & villis & quæcunque in perpetuum habitura eſt ſive ſint mobilia, ſive immobilia. Quod donum de manibus prædicti filii noſtri Auguſti ſuſcipientes decrevimus per hoc noſtræ Apoſtolicæ autoritatis privilegium, omne munimen, omne robur Apoſtolicum eidem eccleſiæ S. Mariæ & ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ contribuere & condonare, ut integra in ſuis rebus ſuisque poſſeſſionibus in ſecula conſtans nullum metuat vel ab Imperatore, vel a Rege vel aliqua perſona publica vel privata dispendium ac detrimentum. Dignum tamen duximus eidem cariſſimo filio noſtro Auguſto ejusque ſucceſſoribus advocationem ipſius ſacri loci ea ratione relinquere, ut ſemper in poteſtate habeant ibi præpoſitos ſecundum Deum ordinare non autem ex bonis ipſis aliquid alicui in proprium dare, ſive in beneficium tribuere. At ſi contra prohibitionem noſtram quisquam eorum tentaverit agere, liberum jubemus eſſe præpoſito & canonicis, qui ibi pro tempore fuerint, ſic omnimodo ad Romanam eccleſiam deinceps reſpicere, ut nihil metuant de imperiali vel regia conditione. Epiſcopus autem in cujus diœceſi iſtius eccleſiæ conſtructum eſt monaſterium nihil in eo habeat juris aut*

(*Jerſleve.*)

potestatis præter ecclesiasticum regimen & secundum canonica instituta Episcopalem potestatem. Statuimus igitur apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nulla potestas imperialis vel regia, ecclesiastica vel secularis vel quævis hominum persona magna vel parva cujuscunque sit sexus vel ætatis contra hoc nostræ apostolicæ corroborationis privilegium venire pertemptet. Quisquis vero quæquæve quod usit fuerit, usque ad dignam satisfactionem nostri apostolici anathematis vulnere sautiatus existat. Qui vero ab hic probibitis se custodierit & quicquid hic legitur illibate observaverit plenam habeat a nobis benedictionem & a Deo sempiternam salutem.

Dat. IV. Kal. Novembr. per manus Petri Diaconi Bibliothecarii & Cancellarii S. Apostolicæ sedis. Anno Domini Leonis. PPe I. Indict. III.

†S. LEO. P. Plena est terra misericordiæ domini Bullam Leonis in annum hunc referendam satis aperte docet annus Pontificis I. qui omnino meliorum Chronologorũ judicio cum anno Christi MXLIX concurrit. Nec ordinem hunc turbaverit indictionum numerus, cum constet ante Alexandri III. P P. tempora indictiones vix aliunde quam a Kalendis Septembris incipi solitas, ut pluribus exemplis docet Carolus du Fresne. Quæ cum ita sint indictio hujus anni secundum Græcorum morem tunc ubique solenne omnino est tertia, quæ more recentiore Romano deberet esse secunda.

Carol. du Fresne Gloss. L. p. 48. tom. 2. Conf. Joseph. Scaliger. l. 5 de emendat. temp. p. 248

Præpositus, qui eo tempore novæ huic Ecclesia præfuit, ex ipsa Leonis bulla cognoscitur. Fuit enim (*) *Rumaldus* presbyter, aut ut aliis vocatur *Grimaldus*, quem præter Hamerslebiensem monachum, Emserum, & Leznerum in præpositorum Goslariensium numerum refert Bruschius. Doctrinæ & prudentiæ laudem illi tribuunt fere omnes inprimis Lambertus, qui eum maturæ admodum gravitatis virum vocat, sed addunt Leznerus & Bruschius hominem sui plenum & natura paulo contentiosiorem fuisse. Apud Henricum Imperatorem in magna gratia erat, ut loquitur Jacobus Manlius Brigantinus. Quod vel inde est perspicuum, quod ab eo non tantum anno MLII. insignia Episcopatus Constantiensis accepit, verum etiam dignus præ ceteris visus est cui unica filia Henrici erudienda ac educanda traderetur: quæ tamen paulo post, viro jam matura, sine parentum aut Episcopo consilio nupsit Rudolpho, Svevorum duci, & Comiti Reinfeldine & Habsburgi. Ceterum ad hunc Rumoldum, qui anno MLXIX in vivis esse desiit, extat epistola Alexandri II. Papæ in *Decret. cap. sollicitudo. distinct. 52. de eo, qui subdiaconatus ordine postposito diaconus & presbyter est ordinatus.*

*Rumaldus Goslariensis Præpositus. *ita vocatur in decret. dist. 52. c. sollicitudo. Lamb. Schaffn. p. 389. Brusch. de Archiep. & Episc. Germ, c. 4 n. 39 p. 801. Lezn. in MSCto opere de Monast. c. 85. Jac. Manl. Brigant. in Chron. Episc. Constant. n. 33. ap. Pist. p. 665. Ab. Ursp. Chrõ. p. 219*

A Synodo Moguntina Leo Pontifex in Italiam, Imperator in Saxoniam revertuntur, ubi totam fere hyemem exegerunt.

Conf. Brusch. l. c. Jac. Manl. Brigant. Chron. l. c. Herm. Contr. p. 331.

Annus Christi 1050.

Henrici III. Reg. 12. Imp. 4. Ab. V. C. 127.

ANnus, qui sequitur, Christi post millesimum quinquagesimus multis nominibus Goslariæ nostræ festus extitit. Adulta enim jam æstate Rex Henricus denuo Goslariam invisit adfuturus ecclesiæ dedicationi, quam in hunc annum recte refert chronicon Stederburgense, licet Lambertus, cujus sententiam & alii sequuntur, solennia hæc sequenti anno peracta malit. Vix quicquam Germania adhuc viderat isthac festivitate splendidius, ad quam ex omni ferme Germania Episcopi, Abbates, & Prælati certatim confluebant, redierat quoque per hæc tempora ex Italia Leo Pontifex, [*] qui & in Saxoniam properans ab Imperatore benigne exceptus est. Opportuna hæc videbatur occasio, solennia hæc eo splendidiora reddendi: Ideo ipsi Pontifici munus hoc demandabat Henricus, qui ad illud satis promtus basilicam hanc SS. Simonis & Judæ magno Præsulum numero cinctus mirifico studio omnium ætatum atque ordinum & incredibili concursu hominum solenni ritu dedicabat. Præcipue hanc Leoni dedicationem vindicat Scriptor, ab Hamerslebiensi monacho expilatus, cujus hæc sunt verba: *Hinricus Cæsar, Rex tertius, filius vel socer (*) Conradi, ecclesiam Goslariensem, cujus jam Conradus fundamenta jecerat decessor, regio culen absolutam, dedicari fecit per manus sanctissimi Pontificis Leonis noni, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus LXXIII.* Sæpiuscule hic autor, quicunque demum fuerit, allegat *chronicon apud Goslariensem ecclesiam* servatum, quod non dubito quin idem sit cum illo membranaceo, quod rev. Capituli summe laudando beneficio mecum communicatum est. Id enim rem eodem plane modo recenset: (Henricus) *eam ecclesiam per beatissimum Papam Leonem cooperantibus sibi in numero Cardinalibus, Archiepiscopis & Pontificibus & Abbatibus septuaginta tribus in die beatorum Processi & Martiniani martirum, in honore sancte Marie & sanctorum Apostolorum Simonis & Jude, Rustici, Venancii, Martirum, Valerii, Servatii, Materni Encharii confessorum & omnium Sanctorum ipse Impe-*

Dedicatio Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ per Leonem Papam.

*Chronic. Stederb. p. 451. Lambert. Schaffn. ad ann. 1051. p. 377 *Testatur id diserte Herm. Contr. p. 331.*

*Hamersl. Monach. ap. Mader. p. 145. Antiqv. Brunsv. * Gener.*

Imperatore presente consecrari procuravit. Est hoc breve illud Goslariense chronicon quod toties in partes vocant *Engelhusius, Amelungsbornense chronicon, ab Engelhusio allegatum & Hamerslebiensis monachus*, cujus ideo testimonium vix rejiciendum puto. Certe Schatenius quoque, cum in hunc annum delabitur, ad ecclesiæ hujus tabularia provocat; *Auctor*, inquiens, *est Hermannus Contractus, hoc annorursum Leonem Pontificem ex Italia in Galliam & Germaniam venisse, quem Baronius ab Imperatore in Saxonia exceptum refert: quemadmodum in Goslariensium tabulariis annotatum traditur, Leonem Pontificem Goslariæ templum Simonis & Judæ apostolorum consecrasse.* Patet ergo ad quænam Goslariensium tabularia se referat Schatenius, qui tamen paulopost sui oblitus basilicam hanc, quam S. Genetrici virgini sacram putat, ab Hermanno Coloniensium Archiepiscopo dedicatam fuisse, cum Lamberto Schaffnaburgensi credit. Præterea Engelhusius, hujus Pontificis vitam breviter complexus Goslariensem eum ecclesiam dedicasse non prætermittit, sed addit potius: *Iste Leo consecravit ecclesiam Goslariæ.* Quod & his versiculis suis more seculi expressit Langenius:

Schat. l. 6. annal. Paderb. p. 536. Part. 1

Engelhus. Chron. p. 201.

Langen. p. 811. Saxo.

Hic rex, o Christe, placeat tibi tertius iste.
Summum Pontificem Cæsar produxerat idem,
Pontifices multos & ob hoc ætatis adultos,
Goslare cantarent, & ut aram sacrificarent.

Plerique ergo, qui hujus dedicationis meminerunt, in hoc consentiunt, quod magnus tunc præsulum & Episcoporum numerus Goslariæ festivitati huic interfuerit, quorum aliquos ad annum 1051. referunt Annales Corbeienses a Paulino editi: A. D. MLI. [*Rauthardus abbas*] *Corbeiensis interfuit dedicationi basilicæ B. Virginis in Gozlar præsente Henrico Rege, Hermanno Coloniensi, Bardone Moguntin.* &c. Utinam vero & reliquos ordine recensere, annalium horum autorem non piguisset. Mos enim jam inde ab antiquissimis usque temporibus invaluerat, ut dedicationibus ecclesiarum majorum vicini Episcopi frequentes interessent, quod vel ex ipsius Augustini epistolis & Gaudentii Brixiensis tractatu *de die dedicationis basilicæ sanctorum* manifestum est.

Annal. Corbeiens. ap. Paul. p. 387. Syns.

Augustin. Epist. 269.

An ab Hermanno Colonensi Archiepiscopo dedicata?

Lambertus Schaffnaburgensis Hersveldensis monachus non modo annum substituit MLI, verum id etiam sicco præterit pede, quod ipse Leo Pontifex tunc inaugurationis sacra fecerit: potius hæc solennia tribuens Hermanno Colonensi Archiepiscopo. Sed nondum possum a me impetrare, ut præclaro huic autori in eo adsentiar, cum his annis non admodum justus sit & accuratus. Nam præter tot auctorum domesticorum consensum facile me movet pictura in summo hujus ecclesiæ altari conspicua, quam ex ipso vestium genere antiquissimam & seculo ferme XIII. effigiatam censet doctissimus Ritualis Evangelici Autor, Caspar Calvör, Amicus meus certissimus, qui & schema æri incisum huic scripto suo inseruit. Apparet hic ipse pontifex ante altare provolutus, Cardinalibus & Episcopis circumdatus, quod quid aliud, quam ecclesiæ hujus dedicationem notare possit, nondum video. Præterea Leonem constat, cum germaniam lustraret, nihil factitasse frequentius, quam quod ecclesias noviter extructas inauguraret: id quod veluti rem singularem observant, quicunque pene hujus pontificis itinera consignarunt. Sigismundus Religiosus: *Quo certificatus* (Bruno Tullensium Episcopus) *dedicavit ecclesiam S. Galli: post quod latius iter accelleravit dictusque est Leo* IX. *Iste multas ecclesias per Germaniam dedicavit.* Jo. Pallatius hac de re ita rethoricatur: *Apostolus Christi unico lustro orbem totum lustrando catholicum, lavaria in altaria sacrando, erubuit per alium agere, quod ipse posset. Discite præsules in purpura non erubescere. Deum geritis dum sacra facitis.* Quæ quidem scribens Pallatius in animo habuit illa Trithemii in Chronico Hirsaugensi: *Iste sacratissimus Papa Leo multa in Germania bona fecit, ecclesias, capellas & altaria in diversis locis absque numero propria in persona consecravit, & quod pontificuli plures hodie facere erubescunt, ad quod tamen obligati sunt in ratione officii sui, summus Pontifex non obligatus facere non despexit.* Hæc ut eo minus vocari in controversiam possint, exemplum ecclesiæ ab hoc Pontifice, Henrici Imperatoris ivasu, in Germania consecratæ reperio etiam in Chronico Laureshamensi: *Hic* (Henricus III.) *ecclesiam, quæ dicitur Varia, per Leonem Papam supradictum* (*qui per id temporis Moguntiæ synodo habita multa ibidem de ecclesiasticis sanctionibus disposuit*) *in honore S. Dei genitricis Mariæ omniumque apostolorum atque omnium simul sanctorum consecrari impetravit* VII. *Kal. Novembr. anno Dominicæ Incarnationis* MLIII. Quis ergo dubitet, quin Imperator huic quoque ecclesiæ tanta cura a se conditæ, tam præclare exornatæ, tam denique vehementer sibi caræ isthunc honorem decreverit; cum autores paulo ante laudati hoc procul dubio ex antiquis ac genuinis vetustatis monumentis edocti sint, quibus refragari sine ratione velle quid esset quæso aliud, quam nodum in scirpo quærere? Res omni dubio forte esset caritura, si extaret *Anselmi Rhemensis itinerarium Leonis IX.* cujus *Sigebertus Trithemius, Possevinus* aliique meminerunt. Certum enim est, hunc Pontificem, [qui erat ejus in Germanos amor] Germaniæ provincias sæpius lustrasse.

Calvör. Ritual. Evang. part 2. cap. 27. p. 511.

Leonis in dedicandis Ecclesiis solertia.

Sigism. Religios. Chronic. August. Ecclesiast. p. 600. ap. Pistor. Pallat. tom. 2. de gest. Pont. Rom. p. 255

Chron. Laureshamens. ap. Freher tom. 1. rer. germ. p. 76

Dies quo cæremoniæ hæ inaugurales peractæ sunt fuit is, qui Beatis Processo & Martiniano martyribus natalis fuit, hoc est, VI. Non. Julii, ut MSC. membranaceum, e quo supra locum protulimus, observat: qui dies ob uberrimas indulgentias

Dies de dicatio nis.

tias festus olim huic ecclesiæ diutissime fuit & frequenti populi concursu celebratus. Ut præcipue patet é *breviario ecclesia exempte SS. Simonis & Jude apostolorum opidi Imperialis Goslariensis* impresso Halberst. 1522. in forma octava. Ubi omnes ritus & precationum formulæ accurate describuntur. Inprimis notari meretur hymnus tunc cantári solitus quem adscribo.

Part. hiemal. f. 79. 85. sqq.

In dedicatione altaris hymnus

Hoc in templo, summe Deus,
Exoratus adveni
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe,
Largam benedictionem
Hic infunde jugiter.
Hic promereantur omnes
Petita accipere,
Et adepta possidere,
Cum sanctis perenniter
Paradisum introire,
Translati in requiem.
Gloria & honor Deo,
Usque quo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est, & potestas
Per æterna secula Amen.

Tutelares, quos tunc basilica hæc more seculi nacta est, hos nominatim recensent laudatæ membranæ, & Henrici Imperatoris diploma, quod infra ad annum MLIII. recensuimus. *S. Mariam virginem, Simonem & Judam Apostolos, Rusticum, Venantium martyres, Valerium, Servatium, Maternum & Eucharium denique confessores*, quibus tamen omnes sancti ibidem adduntur, scilicet ne forte quisquam cœlitum se neglectum & prætermissum esse ægre ferret.

Lamb. Schaffn. p. 379.

Rationem cur Apostolis præcipue SS. Sim. & Jud. novam hanc ecclesiam dedicatam voluerit, non propiorem licebit proferre, quam quod die horum Apostolorum natalitio lucem hanc communem primo adspexerat Imperator, id quod observat Lambertus Schaffnaburgensis ita differens: *Corpus ejus* (Henrici III.) *Spiram translatum est; &, celebratis regio more exequiis, die natalitio Apostolorum SS. Simonis & Judæ, quo scilicet die etiam natus fuerat sepulture est traditum.* Unde non est mirum, si religioso Principi horum Apostolorum memoria sacra semper fuit ac solennis.

Video etiam Matthiæ nonnunquam hunc honorem vindicari. Nam chronicon Ducum Brunsvicensium apud Maderum illi hanc ecclesiam consecratam fuisse diserte ait, & in tabulis antiquis, non raro ecclesiæ B. Matthiæ mentio fit: quam tamen eandem esse constat cum hac, de qua agimus. Sed & supra limen majoris januæ, & in fenestra chori majoris & ubicunque demum statuæ & imagines SS. Simonis & Judæ occurrunt, comitem his observabis B. Matthiam, certo documento illum in ceteris hujus ecclesiæ Patronis olim fuisse habitum. Addo nunc ex eodem MSCto sæpe laudato locum, qui rem omnem satis manifeste declarat: *Sciendum preterea, quod istius templi, quod in honore sancte & individue trinitatis consecratum est principales patroni sunt: scilicet primo summi altaris: Bta Virgo Maria, scti Apostoli Simon, Judas & Matthias. Martyres Rusticus & Venantius. Confessores Valerius, Servatius, Eucharius, Maternus. Hi autem sunt patroni altarium intuitu monasterii. In medio choro S. Michaël cum S. Hylario. Item versus aquilonem S. Johannes Baptista cum S. Johanne Evangelista. Item versus austrum S. Petrus ad altare suum: Item in medio monasterii sancta crux cum Sancto Stephano. Item in cripta B. Virgo Maria cum S. Dyonisio. Item specialis capella juxta turrim S. Marie Virginis in superiori item S. Nicolai in inferiori. Item capella S. Blasii in capitolio.* Quid? quod ipsi urbi hanc Apostolorum trigam sacram olim & tutelarem fuisse existimem, namque ne de Simone & Juda dubitemus, movet nos hoc præstantissimum SIGILLUM BURGENSIUM IN GOSLARIA in diplomate quodam antiquo a me inventum, & hos apostolos urbi insidentes, eique veluti porrectis manibus benedictionem impertientes ostendens, quod ob insignem elegantiam adpingi fecimus.

Divi Goslariensiú tutelares.

Tab. I. Fig. 6.

Præterea horum Apostolorum imprimis Matthiæ imagines tam frequenter in numis nostris occurrunt, ut non dubitandum videatur, quin hi cum Maria Matre Christi Divi civitatis nostræ tutelares fuerint. Quemadmodum enim Halberstadenses S. Stephanum, Hamburgenses B. Mariam & Anscharium, alii alios sanctos numis suis insculpere sunt soliti, non alia ratione, quam quod eos divos Præstites & Patronos putabant: ita & Goslarienses eandem rationem esse secutos plane extra omnem controversiam videtur positum. Matthiam certe Apostolum tam frequenter in numis bracteatis æque ac solidis invenio, ut non dubitem inde enatam esse vulgarem quadrimuli denominationem, quam hodienum his in oris retinet, vocatur sc. Ein Mattier, aut, ut in membrana antiquiore lego, Ein klein Mattiß Kroß (*) unde vero nisi a typo Matthiæ Apostoli? Sed hæc accuratius integro schediasmate de numis Goslariensibus explicabit Cl. Schlegelius, Amicus æstumatissimus, quem ab aliquo tempore conquirendis numis nostris dedisse operam scio. Ne autem dubites, Matthiam Apostolum ecclesiæ civitatisque Goslariensis fuisse Patronum, en preces & collectas translationis ejus festo Goslariæ in ecclesia SS. Simonis & Judæ dici solitas:

Breviar. SS. Sim. & Jud. part. hyem fol. 43.

* *In membrana turris S. Jacobi globo inserta* a. 1491. In dem sülven Jahre galt ein Gülde 13. grote Krossen/ Item ein groot Kroß galt 14. nie Mattiß-Penninge / Item / ein Mattiß-Krosse galt 6. nie Penninge/ Item 30 Mattiß-Krossen galten einen Gülden. Item/ ein kleine Mattiß-Kroß galt 4. nie Penninge/ Item 45. kleine Krossen galten einen Gülden Item 2. arme Koppe galten einen nien Penning/ Item 2. arme-Köpsche Peerling galten einen armekop. It. 12. Mattiß-penning galten 1. nien schilling. *Ave*

Ave lux & decus eccleſiæ, ave gemma totius gratiæ, manu Dei coronæ inſertus apoſtolicæ: O Matthia ſanctiſſime, vota ſupplicum ſerenus attende. Alleluja.

Collecta.

Deus qui beatum Matthiam tuorum collegio ſociaſti, tribue quæſumus, ut ejus interventione tuæ circa nos pietatis viſcera ſentiamus. Per Dominum noſtrum &c.

Gratias tibi rex regum, qui per gratiam tuam hunc nobis donaſti Patronum: O ſacer Matthia nos puſillum gregem tuum ſub tegmine alarum tuarum conſerva Alleluja. ℣ Quos hoſtis mundus deprimit ut grave pondus.

Super bened.

In corona ſtellarum duodecim apoſtolica fulges ſtella ſole clarior, Sancte Matthia, tu nos protinus tuo illuſtratos fulgore ad coronam æternæ perducas gloriæ Alleluja,

Superpond.

O beate Matthia, magiſter animæ, o ſplendida diei quam fecit Dominus hora duodecima, qui neſcis occaſum ſolis: nos peccatorum exemtos tenebris tuæ fac conſortes claritatis Alleluja.

Collecta.

Deus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem & Judam & Matthiam ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis eorum gloriam ſempiternam & proficiendo celebrare & celebrando proficere per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

De ceteris eccleſiæ Patronis, cum de iis nullum ſit dubium, taceo.

Leznerus MSC. de monaſt. c. 85.

Hinc igitur facile evellitur ſcrupulus, quem ſibi ipſe injicit Jo. Leznerus in opere MSC. de monaſteriis: Sonderlich hat Käyſer Heinrich der dritte das Stifft und Münſter von der Hartzburg (da zuvor ehe die Sachſen und Hartzbrüder Chriſten worden/ der teuffliſche und heidniſche Götze/ Crodo genannt/ verehret und angebethet worden) anno Chriſti 1040. in die Ehre Gottes und und des Apoſtels Matthiæ zu bauen angefangen. Etliche aber wollen es ſey bemeldtes Stifft an den Orth/ da es iezzund ſtehet/ in honorem Dei & ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ eingeweihet worden. Ob aber ſolches von der Käyſerlichen Capelle im Käyſer-Hauſe/ oder von Münſter zu verſtehen ſeyn ſoll/ kan ich eigentlich nicht wiſſen. Omnino una eademque eccleſia a Matthia æque ac Simone & Juda nobile ac perpetuum nomen ſortita eſt. Palatium vero regium nullæ capellæ aut attingunt, aut attigiſſe leguntur, præterquam quæ B. Mariæ & S. Ulrico olim ſacræ fuerunt, junctim occurrentes in literis Konemanni Decani anno 1293. quarum alteram longa vetuſtate exelam cecidiſſe, alteram in carcerem publicum mutatam ſcimus.

Reliquiæ in hac eccleſia ſervatæ.

In præcipuis capellæ regiæ ornamentis numeratæ olim ſunt reliquæ, quæ etſi omnes eccleſias ſanctiores reddere indulgentiisque augere credebantur, capellis tamen regiis veluti propriæ putabantur ac neceſſariæ, ut pluribus docet Carolus du Freſne, qui inprimis e monſterii Compendienſis tabulariis chartam profert, in qua Carolus ſimplex hoc pietatis ſenſu differit? *Notum igitur conſtat per omne regni noſtri imperium & quocunque venerabile nomen beatæ Virginis Walpurgis celebratur, quoniam de ſanctis ſui corporis reliquis impetravimus, pro ejus veneratione & munimine ſuarum precum, & eas deferri fecimus, ad Attiniacum palatium, & capella conſtructa ſeu dicata ſub ejusdem virginis memoria, in qua duodecim eccleſiaſtici ordinis viros ſtatuimus, qui diu noctuque divina horis competentibus frequentent officia.* Quo pertinet etiam inſcriptio capſæ reliquiis refertæ, quam Carolus Rex monacho ad S. Gallum perferendam dedit ſervata ab Eckehardo juniore:

Carol. du Freſne. Gloſſ. L. tom. I. p. 779.

En crucis atque pia cum ſanctis capſa Mariæ,
Hanc Karolus ſummam delegit habere capellam.

Eckehard Jun. c. 1. p. 15. de caſib. monaſt. S. Galli.

Scilicet puriore doctrina profligata, eo prolapſa fuerat ſuperſtitio, ut non tam de religionis caſtitate & ſacramentorum legitimo uſu, quam de ejusmodi reculis colligendis tunc vulgo cogitarent. Ipſi principes jam ſe in cœli portis conſiſtere, fortunamque ſuo arbitrio ſe temperare exiſtimabant, ſi oſſa ſancti cujusdam, aut veſtem mortuo Epiſcopo detractam, aut membrum quoddam minus putredine exeſum reperirent. Nam Clerici, quos tunc incredibilis divitiarum & opum ſitis adurebat, hunc quæſtum longe uberrimum experti tanta cura merces has ſuas jactabant, tot miracula loquebantur, tam copioſas crepabant indulgentias, ut principes prædiis ſæpe maxime fructuoſis ſibi neceſſariis eas redimerent, duplici incommodo ſuo: nam & pecunia hoc pacto emungebantur, & in mirificum faſtum opinionemque vanam ſanctitatis cum magno animæ ſuæ periculo conjunctam incidebant. Exemplo ſit Henricus, eccleſiæ hujus parens, qui eadem ſanctitatis opinione deceptus tot reliquias & ſanctorum λείψανα huc congeſſit & in hac eccleſia dedicavit, ut vix ulla hujus regionis eccleſia paria noſtræ hac in re fecerit. Chronicon magnum Belgicum præcipue nominat corpus S. Valerii, alii corpus S. Matthiæ, quod Imperator prædio opimo dato a Treverenſibus impetraverat. Sed longe pleniorem illarum recenſum inſti-

Chron. magn. Belgic. a Piſtorio editum ad h. ann.

ſtituit hujus eccleſiæ chronicon membranaceum, cujus autor etſi altaria omnia & capſas perluſtrat, plures tamen à ſe prætermiſſas fatetur, multitudinis cauſa, quæ vix in cenſum venire poſſent. Nos ſpeciminis loco reliquias uno tantum altari clauſas ex illo proferemus, ex quo facile de ceteris conjectura fieri poterit. Quoniam autem MSC. hoc primo ſuo folio mutilum eſt; licebit illud ex veteri ejus verſione, quæ in manus meas incidit ſupplere: Sy mogen mercken / daß das hogete Altar in der Münſter Kirchen zu Goßlar der hilligen Apoſtelen Simonis und Judæ gewiget iſt / in der Ehre unſers HErn JEſu Chriſti und ſyner hilligen Mutter Marien / und den heiligen Apoſtelen Petri und Pauli, und der H. derer Gebeine darinnen beywahrt iſt / ſein dieſe / die hernacher beſchrieben ſtehet. Ein grot Diel von den Leichnam der Apoſtel Petri und Pauli. Item das Haupt S. Andreas des Apoſtel. Ein Arm von S. Bartolomæo von S. Jacobo, der ein Bruder war Gottes des HErn. Ein grot Diel von dem Haupte Barnabæ, des Apoſteln Simon & Juda. Ein halff Diel von Philippo den Apoſteln. Eine Hand von den Apoſtel S. Mattheus. Ein arm von S. Mattheus dem Apoſtel / item von dem Marteler / von dem Haupte S. Steffans des erſten Marteler / und ein Arm von S. Laurentio / eine Ribbe und drey Stücke aus dem Rügge. Die Helffte S. Blaſii des Marteler. Und die Häupter der hilligen Proceſſi und Martiniani. Eine Hand S. Mauritii, Exuperii, Candidi Victoris von S. Vitali. Ein grot Diel der H. Coſmæ & Domiani. Ein Arm von S. Pantaleon. Die Helffte von S. Pancratio. Ein Arm von S. Jürgen. Der gröſte Diel der hilligen Cornelii, Cypriani, der ganze Leichnam Marcelli des Pauveſt und Martelers Florentii und Januarii. der Biſchoppen und Martelers. Die gantzen Leichnam Tiburtii und Valeriani, Eventii und Theoduli. Ein grot Diel von S. Ypolito. Ein grot Diel von S. Urbano dem Pauveſte. Der ganze Leichnam Cæſarii des Diaken. Der Leichnam S. Criſogoni, das Haupt des Ridders Longini, der GOtt den HErrn offene ſeine Seiten mit dem Spehre. Das Haupt S. Hilarii confeſſoris eines Biſchoppes von Pictavien. Ein ganzer Leichnam Paulini, der ſich gaf einer Wittwen / daß er möchte ihren Sohn erlöſen. Der ganze Leichnam des Biſchoppes Germani. Die Helffte des Biſchoppes Eucharii. Eine Hand S. Materni. Item ein Arm S. Materni. Die Helffte S. Ambroſii. Ein grot Diel von Solrico. Ein grot Diel von S. Willibaldo. [incipit nunc MSC. membranaceum] *brachium Innocentis Pape, Gregorii Pape pars magna. Eckardi epiſcopi dimidia pars. Anaſtaſie Virginis & martyris, Elene, Regine major pars. Pinnoſe, Urſule, Cordule integra corpora. Gaudentie virginis pars magna. Juliane virginis, Victorie virginis, Walburgis virginis, Matrone virginis, Corone virginis magna pars. Brachium Eufemie virginis, Honeſte virginis, Aldegundis virginis, Theodore virginis pars. Caput Scolaſtice virginis ac Modeſte virginis.* Pari cura deſcriptas hic legimus reliquias in altaribus S. Johannis, S. Petri, S. Matthiæ in crypta, & S. Crucis clauſas, nec non in ſcriniis, ſarcophagis & capſis ſervatas, quas tamen exſcribere me piget, parum intereſſe ratum, quas olim reliquias curioſius hic aſſervarint. Certe tum Henricus Imperator, tum Leo Papa incredibile eſt quantopere in conquirendis ejusmodi Sanctorum lipſanis deſudarint. De Leone enim res dubio caret, utpote de cujus ſtudio in inveniendo S. Aurelii corpore longam narrationem texit Trithemius in Chronico Hirſaugenſi. Nec ſegnius Henricus Imperator has delicias congeſſit, ſi MSC. noſtro fides, quod ita pergit: *Harum numeroſitatem, quemadmodum in libris antiquis & vetuſtate conſumptis didicimus, vix enumerare poſſemus, fieret etiam forte legentibus tedioſum, videlicet ipſorum numerus eſt procul dubio copioſus, quod ex eo conjicitur, quia Dominus Henricus Imperator hujus nominis ſecundus iſtius eccleſie fundator, magnus & potens, ipſam amore precipuo amplexabatur. Quapropter a Dno Papa Eugenio* (ſcribendum erat Leone) *ſingulariter & univerſaliter eccleſie non ſolum prece ſed etiam precio & violentia multorum ſanctorum reliquias cumulabat, quas in hac eccleſia cum devotione quam maxima collocabat.* Et paulo poſt: *Idem venerabilis Papa Leo tulit. Imperatori magnam partem reliquiarum Apoſtolorum Petri & Pauli, integra corpora Sanctorum & diverſas reliquias, que per diverſa loca ſibi fuerunt apportate & in altaribus recondite fuerunt, que illo die fuerunt conſecrata. Idem Imperator in quodam ſcrineo, quod tulerat de Hersvelde* (*) *dedit eccleſie duas ſcapulas pulverizatas beatorum Apoſtolorum Simonis & Jude. Caput beati Servatii. Dedit etiam Treverenſibus quosdam largos redditus, quos habent pro reliquis Beati Matthie, quas hic glorioſius collocavit, & duas cruces aureas, clavum Domini, ſcrineum & imaginem B. virginis. Idem Imperator Henricus dignisſimam partem ſanguinis B. Stephani prothomartyris, cum predio Edekersleve & omnibus ſuis attinentis. Dedit huic eccleſie & craneum B. Nicolai cum predio Tzemenſtedhe & omnibus ſuis attinentiis &c.* Hæc de Goslarienſis eccleſiæ reliquiis Chronicon laudatum obſervavit. Ubi non poſſum non mirari, quod Henricus III. a Treverenſibus reliquias Matthiæ dicatur redemiſſe, quas tamen ſub Lothario demum Treveris inventas ajunt Gobelinus & Engelhuſius. Sed ſupervacaneum foret plura afferre, cum infra in papalibus bullis ſæpius inculcetur, quod hæc eccleſia magna reliquiarum copia abundet, quo nunc lectorem remitto. Dubium autem non eſt, quin maximam partem ſuſpectæ ſint, & originem mentiantur. Nam ut præteream *duas ſcapulas pulverizatas SS. Simonis & Juda, & brachium S. Georgii*; in ſcrinio ſanctarum virginum eburneo exci-

(*) *Admodum ſit veriſimile Henricũ reliquias iſtas SS. Sim. & Juda e monaſterio Herveldenſi petiiſſe, quippe quod his Apoſtolis non minor ac eccleſia noſtra ſacrũ fuit. Vid. Mader antiq. Brunſv. p. 153. Gobel. at. 6 c. 59. p. 268. Engelhuſ. Chronic. p. 224.*

titerunt inter alias reliquiæ undecim millium virginum, quam fabulam ex VNDECIMILLÆ nomine male intellecto natam præter alios inprimis docuere Voëtius, Jacobus Sirmond. & Adr. Valesius. Ut taceam multos hic occurrere martyres & sanctos, quos frustra in Romanis martyrologiis Græcorumq; menologiis quæras, qui fidem faciunt, nomina illis nonnunquam ab eventu data esse, quod jam exemplo *Adanctorum, Coronatorum*, aliorumq; probavit Velserus.

Voët. dissert. de sanctis Chimericis. Jacob. Sirmond. Adr. Vales. in Valesiã. p. 49.

Conf. Meib. in notis ad Gobel. Personam. p. 352 tom. I. rer. Germ. Velser. commentar. ad Converss. S. Afr. 4. p. 501. opp.

Vix dedicationis fuerat peracta solennitas, cum novi plausus Goslariam nostram personarent. Nam paulo post III. sc. Idus Novembris urbs hæc vidit incunabula Henrici IV. infelicis istius principis & toto vitæ suæ tempore cum Papæ insidiis colluctati, licet Lambertus dissentiens ejus ortum ad sequentem potius annum referre malit. Huic regio puero, si parem animo fortunam indulsisset natura: nunquam major princeps inter homines fuisset visus: quid enim sperandam erat de illo, si rebus ad votum fluentibus usus fuisset, cum vel in adversis imperterritus omnes evaderet insidias, imperiiq; majestatẽ cum capitis sui discrimine ad extremum usque mortis articulum constanti animo tueretur. Ferunt Agneti Augustæ, cum adhuc uterum gestaret, Draconem in somno fuisse oblatum, quem pareret, unde statim materpræsagierit, qualis esset futurus filiolus: sed lepida hæc sunt ejus inimicorum commenta, quæ nullum nisi a dicentium audacia habent præsidium. Vix puer lucem hanc communem viderat, cum statim Henricus Imperator a convocatis imperii proceribus id impetraret, ut ipsis nativitatis Christi feriis uno ore illi fidem jurarent, certumque obsequium: id quod Hermannus Goslariæ, Lambertus ex spirante anno sequente Poledæ factum perhibent. Miretur ergo posteritas improbitatem illorum temporum, qua factum est, ut principes Henrico fidem toties jurato promissam tam leviter abrogarent! eumque in tantas conjicerent turbas, ut in extrema pauperate mortuus vix sepulchrum demum impetrarit, quod ne mendico quidem denegare caritate Christiana jubemur.

Nativitas Henrici IV.

Herm. Contract. p. 331. Lambert. Schaffn. ad an. 1051.

Domniz. vit. Mathild. l. 1. c. 18. Baron. ad ann. 1051. tom. XI. p. 180. Schai. l. 6. annal. Paderb. part. 1. p. 536. Herman. p. 332. Lambert. l. c. p. 378.

Sub anni hujus exitum Imperatorem Goslariæ adhuc versatum præter Hermannum Contractum docent illius diplomata eodem die ecclesiæ SS. Simonis & Judæ concessa, quorum hæc est clausula:

Imperator Goslariæ versatur

Winitherius Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii recognovi. Data VIII. *Calend. Decembris. Anno Dominicæ Incarnat. millesimo* L. *indicto* III. *Anno autem Domini Henrici III. Regis Imperatoris sed ordinat. ejus* XXI. *Regni quidem* XI. *Imperii autem* IV. *In nomine Dni. Actum Goslare feliciter Amen.*

Annus Christi 1051.

Henrici III. Reg. 13. *Imp.* 5. *Ab. V. C.* 128.

SEquente anno Cæsar cum Leone Pontifice in superiore Germania versatus Augustæ Vindelicorum purificationem Mariæ Virginis celebravit. Inde Spiram transiens Coloniam venit, ubi Henricus infans nuper Goslariæ in lucem editus ab Hermanno Archiepiscopo sacro baptismatis fonte abluitur; sponsore Abbate Cluniacensi Hugone. Colonia Imperator Goslariam revertitur, non quasi hoc anno ecclesiæ SS. Simonis & Judæ consecrationi interfuerit, ut Lamberto videtur, sed quod nusquam libentius hic Imperator quam Goslariæ nostræ, viveret. Reliqua anni Paterbornæ exacta sunt: ubi quæ gesta sint satis accurate loquuntur Paderbornenses annales.

Henrici IV. Baptismus.

Herman. Contract. p. 332. Lamb. p. 378. Lehmann. Chron. Spir. l. 5. c. 23. p. 420. Hildeb. Archiac. Diac. in vita Hugon. Abb. ap. Sur. ad 29. April.

Interea nihil antiquius erat Imperatori, Canoniquam ut in ecclesia SS. Simonis & Judæ cos huic nuper a se extructa divinus cultus magis ecclesiæ indies magisque efflorescceret. Parum enim doctissimos præadhuc egisse sibi videbatur constructo tem- fecit Implo, nisi essent etiam, qui cultum divinum perator. in illo promoverent, ac in majus in dies proveherent. Quapropter, ut autor est Hamerslebiensis monachus præter eos, quos Harzburgo huc traduxerat, *electi sunt ex omni fere Germania viri doctissimi ac religiosissimi, inter quos & venerabilis Benno, maximis Imperatoris precibus, jubente prefato Leone Papa, vix tandem a monasterio suo extractus, ac dicte ecclesia Goslariensi novaque congregationi spiritalis dux ut esset, in magistrum & Canonicum prefectus est. Quam laudabilem vitam olim duxerit hæc Goslariensis Canonicorum congregatio, ex hoc patet, quod eorum plures sanctorum numero adscripti sunt: idque quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio panci aliunde, quam ex eadem regia, ut dicebatur, Capella, tam sub predicto Hinrico III. quam sub filio ejus IV. ac nepote Hinrico V. ad quacunque etiam episcopia ascenderunt. Ut hoc ex eo pateat, nomina eorum & sedium Episcopalium, ad quas sublimati sunt subscribuntur, Italia, Gallia & Germania, sicut apud Goslariensem ecclesiam ibidem hæc & alia leguntur scitu digna.* Eadem pene verba sunt Emseri, quem eodem, ac illum, vitulo arasse existimo. Utinam vero catalogus ille præpositorum ab utroque laudatus ætatem tulisset; nullum esset dubium quin multa præclara ex illo erui possint; cum ex hac ecclesia veluti equo Trojano, id quod de Isocratis schola olim dicebatur, plerique episcoporum & præsulum tunc exirent, ipsaque Roma inde nacta aliquando Pontificem dicatur. Verum codex iste magno literatiæ reipublicæ malo, nescio quo casu, periit. Subjungit quidem uterque catalogum præpositorum;

Hamersl. monach. p. 145. ap. Mader.

Emser. in vita S. Bennonis c. 11. edita Lipsiæ 1512.

rum, ſed ita miſere luxatum & adeo temporum ordini repugnantem, ut verear, ne codex ille a neutro viſus, certe ab utroque mala fide deſcriptus ſit. Eo enim ordine, illorum ſententia, præpoſiti hujus eccleſiæ ſe exceperunt:

Rumoldus *Prepoſitus I.*	*Conſtant. Epiſcopus.*
Engelhardus. *aliis* Eggardus II.	*Magdeb. Archiep.*
Guntherus. III.	*Bambergenſ. Epiſc.*
Wernherus. IV.	*Merſeburg. Epiſc.*
Anno. V.	*Colonienſis Archiep.*
Bibo. VI.	*Tullonenſis Epiſc.*
Bruno. VII.	*Herbipol. Epiſc.*
Otto. VIII. *Prepoſitus*	*Ravennatenſis Epiſc.*
Svidgerus. IX.	*Bambergenſ. Epiſc.* poſtea Clemens II.
Hartwicus *aliis* Herwicus *Emſero* Hardwicus. X.	*Magdeb. Archiep.*
Wilhelmus. XI.	*Veronenſis Epiſc.*
Bertoldus. XII.	*Interamnienſis Epiſc.*
Arnoldus. XIII.	*Patavienſis Epiſc.*
Bruno. XIV.	*Vercellenſ. Epiſc.*
Geroldus. XV.	*Ravennatenſis.*
Craft. *al.* Craſiph.	*Misnenſ. deſign. Epiſc.*
Benno *Magiſter.*	*Misnenſis Epiſc.*
Robertus. *Prep.* XVII. *Emſero* Rotbertus.	*Bambergenſis Epiſc.*
Matro. XVIII.	*Verdenſis Epiſc.*
Herebertus. XIX.	*Leodienſis Epiſc.*
Eckhardus. XX.	*Polonienſis Emſero Polomenſ. Epiſc.*
Godfridus. XXI.	*Ratisponenſis Epiſc.*
Eppo. XXII.	*Wormatienſis*
Udalricus. XXIII.	*Argentinenſis*
Cono. XXIV.	*Friſingenſis*
Conradus. XXV.	*Trajectenſis*
Landolphus. XXVI.	*Treverenſis Archiep.*
Ricolphus. XXVII.	*Monguntinenſis Archiep.*
Erpo, *Emſero* Erpho. XXVIII.	*Monaſterienſis Epiſc.*
Hinricus. XXIX.	*Auguſtenſis Epiſc.*
Hetzelinus XXX.	*Hildenſemenſis Epiſc.*
Hinricus XXXI.	*Paderbornenſis Epiſc.*
Eylbertus. XXXII.	*Numenſis Epiſc.*
Liemarus, *Emſero*, Litmarus *Magiſter.*	*Hamborg. Archiepiſc.*
Hildolphus Magiſter	*Colon. Archiepiſc.*

Hic ſequitur Benno *Magiſter Goslaria & Prapoſitus* XXXVI. *ſequitur* Athelhogus XXXVII.
(*Hæc Hamerslebienſ. monachus addit, omiſit vero Emſerus.*)

Atelhogus *Prep.* XXXIII.	*Hildenſemenſis Epiſc.*
Ekhardus. XXXIV.	*Spirenſis Epiſc.*
Cunradus *Canonicus.*	*Hildenſemenſis Epiſc.*
Ludolphus *Canonicus.*	*Halberſtadenſis Epiſc.*
Johannes *Magiſter.*	*Halberſtadenſ. major Prapoſitus, dictus* Semeca, & Teutonicus, *magiſter & doctor decretorum.*
	[*Hæc deſiderantur apud Emſerum.*]
Rudolphus *Vicedominus.*	*Sverinenſis Epiſc.*
Conradus, *Canonicus.*	*Magdeburg. Archiep.*
Valentinus. XXXV. *Prep.*	*Mindenſis Epiſc.*
Guntherus. *Canonicus.*	*Magdeburgenſis deſignatus.*
Sigfridus. XXXVI.	*Hildenſemenſis Epiſc.*
Arnoldus. XXXVII.	*Bambergenſis Epiſc.*
Johannes *Canonicus.*	*Havelb. Epiſc.*
Hinricus *Canonicus.*	*Havelb. Epiſc.*

Hunc catalogum è Maderi monacho & Emſero bona fide deſcripſi diligenter additis ſicubi a ſe invicem diſcrepabant. Sed præpoſitos ipſa eccleſia antiquiores fingat,) admodum etiam brevis eſt, & votis præter nævos, quibus ſcatet, (cum nobis

S.

præpoſitos ipſa eccleſia antiquiores fingat,) admodum etiam brevis eſt, & votis noſtris minus reſpondet. Forte locupletior fuit, qui a monacho quodam montis S. Georgii confectus in monaſterio illo olim extitiſſe fertur, quem tamen cum ipſo cœnobio in cineres abiiſſe tradit Winnigenſtadius. Lezneri equidem catalogus quem in opus ſuum MSC. de monaſteriis retulit, Maderiano illo haut paulo eſt uberior, &, quod caput rei eſt, ſecundum temporum ſeriem plerumque magis diſpoſitus, attamen & hic non raro hinc inde lapſus eſt, cujus rei vel hoc ſolum argumentum ſit, quod Hezelinum & Ethilonem duos diverſos Hildeſienſium epiſcopos fingit, & utrumque e gente Marchionem Saxoniæ oriundum ait, cum revera Hezelinus cum Ethilone unus idemque fuerit. Si vero Aſelinum in mente habuit, non minus erat, cum Aſelinus hic antequam præeſſe cœpit Hildeſemenſi Epiſcopatui, nusquam legatur Goslariæ Canonicis interfuiſſe, nec ad Saxoniæ marchiones originem referat. Quæ cum ita ſint ipſi nos e diplomatibus, Epiſcoporum, catalogis aliisque vetuſtis ac idoneis ſcriptoribus & monumentis indices horum correximus, ſupplevimus & ad Chronologiæ ordinem exegimus, nulli dubitantes quin gratum Lectori curioſo ſimus facturi.

Engelhardus Goslariensis Canonicus Archiep. Magdeburg. creatur. *Chronic. Magdeb. ap. Meib. p. 217. tom. 2. ſcript. rer. germ.*

Hoc ipſo igitur anno e Goslarienſi eccleſia SS. Simonis & Judæ Magdeburgenſibus miſſus eſt Archiepiſcopus Engelhardus, aliis Eghardus vocatus, cui hanc laudem egregiam tribuit Chronicon Magdeburgenſe: *De hujus moribus ut aliqua breviter comprehendam, erat vir omni genere probitatis adornatus, Epiſcopali officio aptiſſimus & omnibus pia tranquillitate mentis & venuſtate corporis acceptiſſimus. Hic ſingularem coram rege & principibus invenit gratiam, & excelſiſſimis humillimisque conformatus totam virtutis ſuæ fama replebat provinciam.* In Goslariensibus Canonicis illum nomen ſuum profeſſum eſſe, catalogi Hamerslebienſis monachi, Emſeri & Lezneri docent, quanquam hic cum Alb. Cranzio Wurzburgi quoque Canonicum illum fuiſſe addit. Obſcure hoc etiam innuit Chronicon Magdeburgenſe laudatum, quod illum ante ſuſceptum Epiſcopatum regii Capellani munus obiiſſe teſtatur, quod quidem nomen Canonicis hujus eccleſiæ veluti gentile fuit, ut ſupra docui. Archiepiſcopatus muneri cum duodecim annos ſumma cum vigilantia præfuiſſet, naturæ debitum reddidit anno MLXIII. Expirante hoc anno Cæſarem rediiſſe Goslariam, ibique natalitia Chriſti celebraſſe, certum habemus auctorem Hermannum, qui & rem tunc notatu digniſſimam hic contigiſſe teſtatur. Cum enim quidam hæreſeos, neſcio cujus, quam Manichæam tamen vocabant, ſuſpecti, hominum ſibi odium conflaſſent, Imperator conſiliis procul dubio cleri uſus hæreſin ſuffocavit, ubi minime oportuit, hæreticis quippe e patibulo ſuſpenſis, faucibusque, ne amplius loquerentur, laqueo tractis. Rem narramus verbis Hermanni Contracti: *1052. Imperator natalem Domini Goslariæ egit, ibique quosdam hæreticos, inter alia pravi erroris dogmata cum Manichæa ſecta omnis eſum animalis execrantes conſenſu cunctorum, ne hæretica ſcabies latius ſerpens plures inficeret, in patibulis ſuſpendi juſſit.* Putaverim ego, de his hæreticis loqui etiam Lambertum Schaffnaburgenſem, licet in textum mendum irrepſiſſe videatur, ita enim ille ad annum 1053, ad quem & alia, quæ Hermannus ad a. 1052. enarrat, retulit; *ibi quoque per Godofredum Ducem hæretici deprehenſi ſunt & ſuſpenſi*, id quod Conſtantinopoli accidiſſe videri poſſet, ſi cum antecedentibus verba connectamus. Sed videntur hæc ab auctore in margine poſita librariorum vitio in locum alienum irrepſiſſe. Quo enim pacto Godefridus Dux Conſtantinopoli deprehendere hæreticos potuiſſet, qui eo tempore cum Cæſare una erat, & paulo poſt uxorem Beatricem ducebat? Rectius igitur cum Hermanno ac ſe ipſo conveniet Lambertus, ſi ita textum reſtituas: *1053 Imperator natalem Domini Goslariæ celebravit, ubi & Immed conſecratus eſt a Luitpoldo Archiepiſcopo. Ibi quoque per Godefridum ducem hæretici deprehenſi ſunt & ſuſpenſi.* Quamvis autem nondum conſtet, quales hi hæretici fuerint, aut unde prodierint, ex ipſa tamen eorum denominatione, cujusnam generis fuerint, licet quodammodo ſuſpicari. Tribuitur iſtis hæreſis Manichæa, cujus ſpecimen non aliud ab Hermanno Contracto datur, quam quod ab animalium eſu abhorruerint, quam ſententiam jam olim in Pythagoræorum ſcholis recepta & a Porphyrio doctiſſimis libris περὶ ἀποχῆς gravi diſputatione defenſam Manichæi reſuſcitaſſe dicuntur Auguſtino & ceteris, qui de ea ſecta commentati ſunt. Sed ſi quis temporum illorum acta cum hæreticis conſideret, facile patebit, quinam homines tunc Manichæi nomine venerint. Nihil enim erat his ſeculis familiarius quam ut conflato Antiſtitum odio hæreſeos notam ſubirent, quicunque eccleſiæ aut reipublicæ vulnera curioſius inveſtigabant. Nominatim Manichæi tunc audiebant, qui geſtus magis compoſitos, vultumque ſeveriorem & ſubtriſtem præ ſe ferebant, aut clerum non ubique poſito genu adorabant, his ſtatim Manichæorum objiciebantur ſomnia feralibus flammis expianda, ut e Baronio actisque Synodi Aurelianæ prolixe obſervat Arnoldus. En verba Baronii: *Ne miretur, Lector, nam ob diuturnum tempus, quo Manichæi incoluerunt Armeniam & alii hæretici eamdem provinciam pluribus erroribus infecerunt, factum fuit, ut Armenum nomen ab Occidentalibus male audiret, utpote hæreſum plurimarum erroribus infamatum, & noviſſe quenquam Armenum dici, deſiſſe hæreticum eſſet. Acce-*

Herman Contr. p. 333. Baron. ad h. ann. tom. 11. p. 186.

Lambert. Schaffn. p. 378.

Manichæi Goslarienſes quales?

Auguſtin. l. 2. de morib. Manich. c. 17. p. 554. tom. 1. & de hæreſ. c. 46. p. 14. tom. 6. opp.

Baron. ad ann. 1016. n. 5. p. 57. & 1017. n. 5. p. 58. Tom. II. Acta Synodi Aurel. rel. ap. Dacher. tom. 2. de. p. 670.

Manichæi Goslariæ ſuſpenſi.

Arnold. part. 1. h. st eccl. & her. lib. II. c. 5. §. 2. & 4. p. 345.

debat vero, quod his quoque temporibus (ut ex dicendis perdisces:) Manichæi in Occidente, & anno sequenti in Galliis deprehensi sint & igni traditi. Quod enim esse consueverit in eis affectata sanctitate, ne impii detegerentur, plane evenit, ut ex iisdem notis magis solerent inquiri. Nam accidit, quod de suis temporibus conquerens, ita narrat sanctus Hieronymus ad Eustochium (Ep. 22.) scribens: Quam inquit viderint pallentem atque tristem, miseram ac Manichæam vocant, *adeo ut ex iis notis viri etiam sanctissimi infamerentur. Sed secundum illud Domini:* (Jo. 7.) Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate: *Dei sententia mendacem postea ostendit accusatorem, cum eum digna pœna corripuit. Percitus igitur ille clericus zelo (ut præse ferebat) Catholicæ fidei, in eum exclamans: Insurgamus ergo (inquit) in eum, & ut ceteri contremiscant, aut lapidibus obruamus, aut vivum igne comburamus. Hæc flagitiosus ajebat, & ejus flagitio plures adjuncti sunt, unanimiter conspirantes, qui instigante diabolo, virum sanctum, justum & pium toto conamine occidere moliebantur. Qua de re Romanus Pontifex cum universo Episcoporum collegio turbabatur, & quibus indiciis hoc vere cognosci potuisset, scisitabatur.* Quam fabulam cum nostris quoque hæreticis fuisse actam, adeo videtur extra omnem controversiæ aleam positum, ut nulla supersit dubitandi ratio.

Annus Christi 1052.

Henrici III. Reg. 14. Imp. 6.

Ab. V. C. 130.

Rumold. Præp. Goslarien. Constant. Ep. creatur. Immad, Paderb.

NEc multum ab Engelhardi discessu in hac ecclesia moratus Rumaldus præpositus, hoc ipso anno Cæsaris auspiciis ad Episcopatum Constantiensem provehitur, Præpositi munere relicto Hezeloni: de quo paula post plura nobis erunt dicenda.

Acerbam Rumoldi absentiam ipse supplevit amantissimus urbis Imperator, qui superiore anno ad finem decurrente e Westphalia redux Goslariæ nostræ natalem Domini ut diximus, magna festivitate peregit, ut observant Lambertus Schaffnaburgensis & Hermannus Contractus, quamvis ille integro anno ab hoc differat. Increbuit interea fama de Rothonis obitu, qui adhuc Paderbornæ Episcopatum magna cum laude gesserat, cui Henricus Imperator ex eadem ecclesia subrogavit Immadum ex principum ac comitum Saxoniæ sanguine oriundum. Ejus enim prosapia si Schatenii annalibus Paderbornensibus fides est hæc fuit:

Ep. consecratur Goslariæ

Lambert. Schaffn. ad ann. 1053. p. 378. Herman. Contr. ad hunc ann. p. 333.

Immadus *Comes.*

Ludgerus *Comes* Conj Emma Senatrix. *Ille Saxoniæ & Bremensis ecclesiæ benefactrix Hermanni ducis filia, Meinwverci Episc. Soror.*	Benno *Saxoniæ* Dux.
Immadus *Paderbornens. Episcopus.*	

Huic itaque familiæ claritudini cum ipse magnam eruditionem conjunxisset: dignus præ ceteris Imperatori visus est, qui hujus ecclesiæ gubernaculis admoveretur. Quo facto Luitpoldus Archiepiscopus eum Goslariæ, procul dubio in ecclesia SS. Simonis & Judæ in magna principum celebritate solenni inaugurationis ritu consecravit.

Lamb. l. c. Schat. in annal. Paderb. part. 1. lib. 6. p. 539.

Sed & sequentibus per hiemem mensibus Imperatorem Goslariæ substitisse, testes sunt tabulæ ejus, quibus prædium Valendre, dictum in diœcesi Treverensi situm, jam anno MXLIX. ecclesiæ SS. Simonis & Judæ donatum denuo hujus ecclesiæ Canonicis confirmat, ex veteri quodam copiali quem vocant huc translatæ:

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis: HEINRICUS divina favente clementia Romanorum imperator augustus. *Noverint omnes Christi nostrique fideles tam futuri, quam præsentes, qualiter nos ob remedium animæ nostræ & in sanitatem simul thori ac regni consortis scilicet* AGNETIS *imperatricis Augustæ, nec non dulcissimæ prolis nostræ* HEINRICI *omniumque parentum, seu successorum nostrorum quoddam monasterium in* Goslare *a nobis constructum, atque in honore sanctæ Dei genetricis Mariæ & apostolorum Symonis & Judæ dedicatum, constitutis ibidem ad servitium & laudem Canonicis, datisq; prædiis, proveximus, interque quoddam nostræ proprietatis prædium* Valendre *dictum, quod in nostram potestatem hæreditario regni jure cessit, in dioceſi Trevirensi situm, ad altare Sanctorum prænominatorum atque ad stipendium fratrum inibi Deo famulantium cum omnibus pertinentiis suis in proprium tradidimus, areis, utriusque sexus mancipiis, ædificiis, agris, vineis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, sylvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, molendinis, molis, piscationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, & cum omni jure & utilitate, quæ ullo modo inde pervenire poterint, ea videlicet ratione, ut prædicti Monasterii Præpositus cæte-*

terique fratres de eodem prædio in vineto juxtæ Renum sito, ad usus fratrum & ad divinum officium Goslare spectante, omnimodo liberam potestatem habeant possidendi, commutandi, præcariandi, vel quicquid illis placuerit, ad utilitatem ejusdem Monasterii seu fratrum inde faciendi. Et ut hæc nostræ Imperialis authoritatis traditio stabilis & inconvulsa omni permaneat evo, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici III. Regis invictissimi secundi Rom. Imp. Aug.

Winitherius Cancellarius vice Luitbaldi Archicancellarii recognovi. Data VI. Kal. Aprilis Anno Dominicæ Incarnat. MLII. Indict. V. Anno autem Domni Heinrici tertii regis, Imperatoris autem 3cdi, ordinat. ejus XXII. regni quidem XII, Imp. vero V. Actum Goslare feliciter, Amen.

Annus Christi 1053.

Heinrici III. Reg. 15. Imp. 7.

Ab. V. C. 131.

Imperator Goslariæ hyberna exigit.

Peractis igitur Wormatiæ superiore anno Christi natalitiis Imperator in Saxoniam reversus diutius hærebat Goslariæ totamq; pene hyemem in hac urbe transigebat, ipso quoque mense Martio adhuc hic subsistens, ut docet hæc subscriptio diplomatis Abdinckhoffensibus concessi apud Schatenium:

Schaten. p. 541. l. 6.

Winitherius Cancellarius vice Luitbaldi Archicancellarii recognovi. Actum X. Calend. Aprilis anno dominicæ Incarnationis MLIII. Indict. VI. Anno autem domini Heinrici tertii regis Imperatoris autem secundi ordinat. ejus XXIII. regni quidem imperii vero VI. Actum Goslare in Dei nomine feliciter. Amen.

annal. Paderb. part. I.

Relicta deinde Goslaria Henricus in superiorem Saxoniam profectus, resurrectionis Christi solemnia Merseburgi celebrat. Inde vero reflexo itinere mox redit Goslariam, ubi Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ amorem suum testaturus prædium Heregeltingerodam illi liberaliter donat, concesso hoc diplomate, ex copiali quodam huc transferendo.

Imperat. Eccl. SS. Sim. & Judæ benefacit.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. HEINRICUS *divina favente clementia Romanorum Imperator Aug. Quia peregrinam vitam hujus conversationis brevem & quasi momentaneam existere & falsum blandientis seculi honorem & inanem gloriam in se per quotidiana detrimenta deficere recognoscimus, ut ad illam vitam in qua in æternum beate vivitur, summo desiderio suspiremus & ut commutemus terrena pro cœlestibus & tradamus transitoria pro aeternis, Nobis quam maxime profuturum confidimus fore. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium, tam futurorum, quam praesentium solers industria noverit, qualiter nos ob utriusque vitae salutare remedium nostrae fragilitati quoddam asilum, liberali largitate providimus monasterium ob honorificentiam sanctorum Apostolorum Simonis & Judę, Thaddei. Tum & electorum Martyrum Rustici & Venamii & Confessorum Valerii, Servatii Eucharii & Materni meritum venerabile constructum, per quorum caeleste patrocinium & in praesentiarum & in perpetuum saluamur concedentes & condonantes eidem Monasterio, omnium bonorum largitori ad obsequium nostrae infirmitatis excessibus ad solatium in Goslare devote fundato, quoddam praedium Heregeltingerot dictum cum vicis & villis, mansis & mansionariis & utriusque sexus servis & ancillis, eo die quo nos idem praedium praefatae ecclesiae condonavimus inibi in servitio inventis aut ubicunque habitantibus illuc proprietatibus jure respicientibus, quae a quodam viro Thiemone dicto legitimae quidem conditionis ac Juris ex parte in nostrum Imperiale dominium eo defuncto legali judicio juste devenerunt situm in comitatu Adelhardi comitis cum omnibus suis appenditiis, hoc est, areis ædificiis, terris cultis, inculcatis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus silvis, venationibus, exitibus & redditibus, viis & inviis, quaesitis & inqui-*

quirendis cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit provenire. Ea videlicet ratione ut praefata Ecclesia ejusque Rectores de praenominato praedio liberam potestatem habeant obtinendi, possidendi, vel quicquid ad usum Ecclesiæ & ad stipendium fratrum placuerit inde faciendi. Et ut haec traditionis nostrae Imperialis autoritas semper inviolata permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria ut infra videtur corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Dni. Heinrici iij Regis invictissimi II. Rom. Imperatoris Augusti.



Winitherius Cancellarius uice Liupoldi Archicancellarii recognovi.

Data iij° Non. Junij Anno Dnicae Incarnationis M° L°III Indict. VI. Anno autem Domini Heinrici III Regis Imperat. autem secundi, ordinationis ejus XXV *Regni quidem* XIIIJ. *Imperii vero* VIJ: *Actum Goslare in Dei nomine feliciter, Amen.*

Tandem Cæsar lustrata Westphalia habitoque Triburiæ principum conventu & Christi nataliis Ottingæ celebratis in Bojariam ad hyberna concessit.

Annus Christi 1054.

Henrici III. Reg. 16. *Imp.* 8.
Ab. V. C. 132.

Henricꝰ Goslarię natalem Domini. celebrat *Herman. Contin. p. 336. Lambert. Schaffn. ad an. 1055 p. 378. Tenzel. bibl. curios. 1704 p. 284.*

SUb hujus anni exitum, si Hermanni Continuator & Lambertus audiendi sunt denuo Goslariæ natalem Christi celebravit Imperator. Quamvis enim ad sequentem annum referre id videantur, de hoc ipso tamen intelligendi omnino sunt. Solent enim historici antiqui alii ab hoc festo, alii a Calendis Januarii, alii a Paschate annum ordiri, quod nisi observetur, multi in temporum supputatione errores consequantur, necesse est. Ceterum nihil hoc anno reperio ab Henrico gestum, quod Goslariam nostram spectet cum Imperator ad opprimenda Godofredi ducis & Beatricis Marchionisse molimina statim in Italiam properaret.

Hezelo Gosl. Præpos. Hildes. Episc. creatur.

Hildesiensis vero ecclesia, ut ad hanc quoque veniamus tunc amisit præsulem suum Aselinum, cum ex ferali incendio, quod ecclesiam cum tota fere urbe in cineres redegerat, nondum respirasset. Huic ergo ex ecclesia SS. Simonis & Judæ, quæ Goslariæ floret, subrogatur Hezelo, Goslariensis præpositus, aliis Ethilo dictus, qui & gloria majorum & sua ipsius virtute unus omnium ea tempestate maxime floruit. Natales referebat ad illustres Saxoniæ Marchiones, Ekberto propinquo cognationis vinculo conjunctus, humanitate vero & doctrina illa ætate nulli secundus. Attamen quod in illam inciderat ætatem, qua Cleri impotens regnandi libido ad summum fastigium enitebatur, non parum vitii ipse quoque inde traxerat. Nam posteaquam Imperatoris auspiciis anno MLIV. Hildesiensi Ecclesiæ antistes, datus fuerat, ingenium illi cum vitæ conditione mutatum est, eoque processit audaciæ, ut cum Abbate Fuldensi in Ecclesia SS. Simonis & Judæ cruento prælio de primatu decerneret. Qua de re cum infra paulo prolixius agendum sit, hic quidem ferias calamo imperamus. Enim vero hoc ipsi laudi ducitur, quod juvenilis ætatis nævos magnis deinde virtutibus emendavit, totoque, quo superstes fuit, tempore anteactæ vitæ facinora impensius doluerit. Hinc multis ecclesiis & monasteriis constitutis, totoque episcopatu innumeris beneficiis ornato anno MLXXIX diem obiit supremum. Quæ quidem debeo Historiæ MSCtæ Episcoporum Hildesiensium. In Episcopatum Hildesiensem profectus non desiit Goslariam nostram ornare hodieque superant ejus literæ, quibus ecclesiæ S. Cæciliæ fundationem Episcopali autoritate ratam habet, quas alio loco proferemus. *MSC. de Episc. Hildes. c. 18.*

Anno Præpos. Goslarien.

Ceterum Hezeloni huic ad capessenda Hildesiensis Episcopatus insignia abeunti in ecclesiæ SS. Simonis & Judæ præpositura succedit Anno, qui ex eo tempore usque dum sequente anno Coloniam migraret, magna cum laude præfuit.

Emser. vit. S. Bennon. cap. 13.

Ita enim de eo & S. Bennone Emserus, *Præcipue illi* (Bennoni) *cum Beato Annone, Goslariensium tunc præposito, postea vero Coloniensi Archiepiscopo arctissima fuit consuetudo & mutuus in Christo amor. Siquidem unum illis erat velle & nolle. Velle scilicet bonum & recedere a malo. Quapropter mirabile dictu est, quantum brevi simul apud Deum profecerint: & quam jucundam & firmam amicitiam simi-*

les

les illis mores & idem cœli studium pepererint. Etenim vere tunc in iis completum fuit illud Psalmographi: Ecce quam bonum & quam jucundum, fratres habitare in unum. *O legitimos Christ sacerdotes!- - - Sed quorsum hæc? Ad Orestem & Pyladem nostros Annonem & Bennonem scilicet revocandus est calamus, quorum tantam inter se benevolentiam nulla res adeo fovit ac ea, de qua modo dixeram, fraterna Christi charitas,* (*quod ut inquit Apostolus*, perfectionis est vinculum.) *Hac igitur de virtute in virtutem ambulantes, quatenus uterque a Deo exaltatus & in modico fideles supra multa constitutus sit, quam brevissime potero hinc subnectam.*

Annus Christi 1055.

Henrici III. Reg. 17. Imp. 9.

Ab. V. C. 133.

SUccedit annus Christi post millesimum quinquagesimus, quo Imperator in Italia hærens Goslariam nostram non invisit. Attamen nec absens quidem ecclesiæ suæ nuper conditæ erat immemor. Hinc Januario mense itineri Italico se accingens Quedlinburgi versatus, hoc illi diploma remisit: Imperator in Eccles. SS. Sim. & Jud. beneficus.

IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis HEINRICUS *divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus: Si ex nostris facultatibus alicubi cultum divinæ laudis plantaverimus, id nobis ad præsentis vitæ salutem & ad percipiendam aeternam beatitudinem firmiter prodesse credimus: unde tam futurorum quam & praesentium noverit pietas in Christo fidelium, qualiter nos ob aeternam nostri nostrique thori ac regni Consortis scilicet* AGNETIS *Imperatricis Augustæ commemorationem & filii nostri dilectissimi Heinrici Regis quarti, nec non pro salvatione beatarum animarum felicis memoriæ Cunradi Imperatoris, nostri quidem antecessoris & patris, atque matris nostrae* GISELAE, *ad altare Sanctae Dei genitricis ac perpetuae Virginis Mariæ & sanctorum Apostolorum Simonis & Judae in monasterio quod Goslare in honorem sanctae & individuae Trinitatis divina cooperante gratia a fundamento construximus, tale praedium, quale ad nos hæreditario jure pervenit, in loco qui dicitur Geresleva cum aliis locis ad eundem pertinentibus in comitatu Vdonis situm cum omnibus suis pertinentiis tradidimus, areis, ædificiis, utriusque sexus mancipiis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, viis & inviis, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, & cum omni jure & utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire. Ea videlicet ratione & conditione, ut ejusdem monasterii Præpositus, qui caetera Cleri bona providet, provideat & illa & reditus eorum ad communem usum juxta nostram institutionem & votum in prædicto monasterio Goslare Deo famulantium conferat Canonicorum. Vt haec nostra Imperialis traditio stabilis & inconvulsa per succedentis temporis maneat ævum, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domni Heinrici III. Regis invictissimi, II. Romani Imperatoris Aug.



Winitherius Cancellarius vice Liupoldi Archicancellarii recognovi.

Data XVII° Kal. Februarii. Anno Dominicae Incarnat. M°LV°. Indict. VIII. Anno autem Domini Heinrici III Regis, Imperatoris II, * al. xxv. ordinat. ejus XXIII * Regni quidem XVI. Imperii autem IX, al. xxvii. Actum Qvetalingeburg, in nomine Domini feliciter Amen.

Mense Majo Imperator Godefridi Lotharingiæ Ducis consiliis de quibus fama increbuerat, interessurus, jam Italiam ingressus denuo quibusdam bonis auget Goslarienſem SS. Simonis & Judæ ecclesiam cujus diplomatis subscriptionem tantum adjicio:

Winitherius Cancellarius vice Liupoldi Archicancellarii recognovi Data idib. Maji anno dominicæ incarnationis MLV *Indict.* VIII. *anno Domini Heinrici tertii Regis Imperatoris secdi, ordinationis ejus* XXVII. *regni quidem* XVI. *imperii vero* IX. *Actum in burgo S. Domini in nomine Dni feliciter Amen.*

Anno Præpos. Gosl. creatur Colonien. Archiep. *Pet. Mersæus Cratep. ed. de*

Subtraxit interea mors Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum, cujus viri conſiliis Imperator ſæpius adhuc fueratuſus. Ad hunc igitur brevibus ante diſceſſum ejus diebus legatum miſit Annonem, Goslarienſem præpoſitum, qui ſua ſvavitate ita cepit lectulo affixum Senem, ut cum ſe jam ad extrema urgeri ſentiret, ſuos nihil rogaret amplius, quam ut hunc ſibi ſucceſſorem darent, cujus prudenti- *elector. eccles. c. 1. n.* am ipſe perſpexiſſet ſatis. Nec eum ſpes *34. p. 1289.* auguriumque fefellit. Extincto enim *ap. Gualt.* IV. Id. Februarii Hermanno Imperatoris *Vit. S.* Henrici auſpiciis Archiepiſcopatus hujus *Annonis* gubernacula deferuntur Annoni noſtro, *ap. Sur.* ex illuſtri Daſſelenſium comitum proſapia *tom. 6. d. 4* oriundo, ſi fides Leznero, qui hujus An- *Decemb.* nonis ſtemma genealogicum huic inclu- *Lambert.* ſit ſchemati: quamvis Lamberto Schaff- *Schaffn.* naburgenſi Anno nulla commendatione *p. 425.* majorum, quippe loco mediocri natus, ſed ſola ſapientiæ ac virtutis ſuæ prærogativa innotuiſſe videatur.

Leznerus l. 1. c. 7. p. 6. Chron. Daſſel. & lib. 3. c. 26. Chron. Hilde. MSC. l. 3. c. 26.

ADOLPHUS | *cognomine*
Venator moritur anno 1000.
Conjux
ADELA von Freden

Simon *ἄπαις* *moritur* 1025.	Alexander Conj. Comitiſſa de Hohenlohe *ἄπαις*			Witekindus II 1029. Conj. Sophia de Woldenberg.
Adolphus 1070.	*Hecsilo Archiep. Magd.* 1064.	IHANUS III. *ἄπαις*	ANNO *Archiepiſc. Coloniens.*	Theodor. II. Conj. Anna de Eberſtein.

(* *hos Annonis fratres a Leznero omiſſos addit Cl. Behrens catal. Præp. Hild. p. 3.*

Chronic. Magdeb. ap. Meib. p. 313.

Hæc Leznerus a quo tamen haut parum diſcedunt alii, qui Annonis originem a Comitibus de Stuzlingen, aut Sonnenbergiis arceſſere malunt, e quibus inprimis nomino Chronicon Magdeburgenſe.

Petrus Merſæus, l. 6.

Petrus quoque Merſæus Cratepolius, qui prolixe in vita Annonis deſcribenda deſudat, illum *ex ſuperiori Germania & nobilitate Svevia prima, comitibus nimirum de Sonneberg, patre Walthero, matre Engela, honeſtis ac nobilibus parentibus natum* dicit. Sed in errore hos verſari docet Leznerus illamque ſententiam inde natam exiſtimat, quod Anno a proavo ſuo Walthero de Sonneberg pene ab incunabulis educatus & tantum non filii loco fuerit habitus, unde factum deinde ſit, ut vulgo ex hiſce comitibus prognatus eſſe credatur. Armis & militiæ a proavo deſtinatus ab avunculo ad meliora traducitur. Bambergam enim ubi Canonicum ille agebat vocatus bonis literis cœpit incumbere, in quibus tam cito enituit, ut omnium conſenſu Gimnaſio Bambergenſi moderando Rector præficeretur. Inde Goslariæ quo conceſſerat, Canonicatu donatus eſt, eoque aliquandiu perfunctus Præpoſiti Honorem accepit. Ne autem veterum autoritate deſtituti hoc aſſerere videamur, præter Hamerslebienſem monachum, Emſerum, Leznerum, Schatenium, diſerte id & veteribus aſſerunt Continuator Hermannus Contractus, Lam-

Contin. Herm. Contr. p. 337. ap. Urſp.

bertus Schaffnab. Levoldus à Northoff ſeculi decimi tertii ſcriptor, qui ejus vitam in hoc compendium contraxit: *Triceſimus tertius Anno ſtos & nova lux Germaniæ totius, qui cunctos anteceſſores ſuos in augmentatione Colonienſis eccleſiæ præceſſit; ante Epiſcopatum præpoſitus in Goslar. In vita ſua fecit monaſteria, in morte ſua operatus eſt mirabilia.* Nec aliam credo mentem eſſe Petri Merſæi Cratepolii, cum Henricum III. illum ait in Palatium accerſiviſſe, ejusque conſiliis plurimum eſſe delectatum. Nam imperiale palatium celeberrimum Goslariæ tunc fuiſſe, ſatis prolixe ſupra demonſtravimus. An autem ut placet Schatenio, antequam Bambergam venit, Paderbornæ egerit a B. Meinwerco intra clauſtri diſciplinam receptus, bonisque literis cum Immado & Friderico, Monaſterienſi deinde Epiſcopo, inſtitutus, de eo pene dubitaverim, plerisque quippe puerum illum Bambergam ab avunculo vocatum exiſtimantibus. Tandem, ut dixi, hoc anno relictis Goslarienſis eccleſiæ gubernaculis Coloniæ datur Archiepiſcopus. Dici non poteſt, quanto conſenſu omnes in ejus laudibus verſentur. Autori Chronici Laureshamenſis *vir* audit *in Dei rebus ſpeciatiſſimus & inter eccleſiæ regnique principes incomparabilis & nominis & meriti.* Brovvero vero *Germaniam & Italiam rerum geſtarum magnitudine impleviſſe* dicitur. Et ſane præterquam, quod ejus prudentia ex omni-

Schat. l. 6. annal. Paderb. part. 1. p. 545.

Lamb. p. 379. Levold. à Northoff. in Catal. Archiep. p. 6.

Chronic. Laureſh. ap. Freh. p. 76.

Monumentum imperatricis .cujusdam, aut Imperatoris filiae, quod vulgo Mechtildi Henrici III *natae tribuit; ad ann. 1056. Lib. I.*

omnibus actionibus elucet, a fastu etiam, qui illa tempestate inter Clericos invalescebat, paulo remotior fuisse majorique quam vulgo solebat vigilantia ecclesiam administrasse videtur. Hoc enim vel inde colligas, quod eum minus puduit conciones ad populum habere, quibus multum fructus illum præstitisse autor est Petr. Mersaeus. Scio plerosque iniquius de illo sentire, quasi in educando Henrico IV. paulo segnior fuerit. Sed eum ab hoc crimine facile absolvit Autor vitæ Henrici IV. cum Æneæ Sylvii historia Concilii Basiliensis editus, qui non tam Annoni, quam ceteris Imperii proceribus culpam tribuit. E Victoris Papæ bullis patet, illum sedis Apostolicæ summum Archicancellarium fuisse, quare etiam inter Cancellarios sanctos eum refert Mallinckrotius. Quo honore auctus fuisse videtur Goslariæ, cum conventui principum interesset: ibi enim ab Henrico III. & Victore Papa honorifice illum exceptum scribit Petrus Mersæus.

Petr. Mersæus.

Autor vitæ Henrici IV. cum Hist. Æneæ Sylvii edit. p. 103.

Mulinckrot. de Archicancell. & Cancell. Imperii p. 128. & 202.

Annus Christi 1056.

Henrici III. Reg. 18. *Imp.* 10. *Henrici IV. Reg.* 1.

Ab. V. C. 134.

Anni hujus infelicitas. *Marian. Scot. p. 451*

IAm annum tandem ingredimur MLVI, quem Henrico ultimum totique orbi funestum fuisse observant annales. Marianus Scotus infelicitatem hujus anni his verbis describit: *Iisdem temporibus multi diversarum provinciarum Principes perierunt: fames multas provincias afflixit, egestas, penuria undique prævaluit.* Eadem verba repetit Chronographus Saxo, insuperque addit, *multa hoc anno mala ubique evenisse*: quam publicam calamitatem Lamberto teste in memorabili ecstasi prævidit Guntherus Cancellarius Goslariensis Præpositus, de quo paulo post erit agendum. Certe non videor mihi dicere quicquam a veritate remotius, si hunc infaustum annum omnem Saxoniæ tunc eripuisse felicitatem dixero. Tam dira enim deinde successerunt tempora, tam ferales bellorum turbæ, ut pene pudeat communis patriæ dedecus revocare. Revertimur ergo Goslariam.

Chronogr. Saxo. p. 254.

Lamb. p. 370.

Victoris PP. bulla ecclesiæ SS. Sim. & Judae cócessa.

Vix novus annus illuxerat cum Henricus Imperator ecclesiæ SS. Simonis & Judæ nuper a se conditæ commodis pro virili intentus novum illi a Pontifice privilegium impetraret, quo non solum bona omnia illi confirmantur, sed ipsa quoque in tutelam pontificis suscipitur. Nimirum cum capellarum regiarum hæc inprimis esset prærogativa, ut ab omni jurisdictione Episcoporum exemtæ solis Imperatoribus & Regibus nullo medio subessent: (id quod de Francorum & Anglorum capellis palatinis ex chronico S. Petri vivi aliisque scriptoribus & regum chartis, nec non Innocentii decreto quod libri 15. epist. 225. extat, prolixe probat Carolus du Fresne.) eadem prærogativa hanc quoque ecclesiam donavit Victor II. cujus bulla omnem Episcopis jurisdictionem adimit, solam ecclasiasticam inspectionem relinquit, quæ tamen non minus deinde aliorum Pontificum literis illis detrahitur, ut infra pluribus patebit. Victoris hanc bullam etsi jam a Madero in lucem protractam, hic etiam inserendam putavi, inprimis cum autographum aliquantulum a Maderi recensione differat:

Carol. du Fresne Gloss. lat. tom. I. p. 780.

Mader. p. 224. antiqv. Brunsv.

Victor Episcopus Servus Servorum Dei *omnibus Christi fidelibus. Sancti propositi votum non solum divino effectu impletur, sed etiam humano suffragio adjuvatur. Sit autem notum omnibus S. Ecclesiæ filiis tam præsentibus, quam futuris, quia filius noster* * *carissimus, secundus Heinricus Imperator augustus quandam ecclesiam a se funditus constructam* * *in honorem sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ & beatorum Apostolorum* * *Symonis & Judae positam loco Goslaria ubi fratres sunt sub canonica degentes regula quibus præposuit* * Guntherium Cancellarium *suum tam pro animæ suae suaeque conjugis augustæ filiæ nostræ* Agnetis *remedio, quam pro salute etiam parentum suorum* Cunradi & Gisilae * *divae memoriae pio affectu piaque intentione sancto Petro ejusque Apostolicae sedi per scripturam propria manu signatam penitus concessit per manus nostras, scilicet indigni Vicarii ejusdem Apostolorum Principis, ut ipsa ecclesia posita sub apostolico jure in perpetuum libera & quieta persistat ab omni jure & dominio, ab omni lesione & molestia* * *suam integritatem habens in omnibus rebus & facultatibus quas modo habet in praedicto loco* Goslaria *in* Egeln * *in* Jeresleb *& in* Adesleb, *& in* * Scemmensteren *& in* Slansteren *& in* Valentro * *& in* Aldendorff *& in* Dingelsteren *& in* * Borestorff *& in* Ogtkersleve *& in* Balbria *& in* Walchesleve *& in* Herlingerode * *aliis quoque locis & villis & quæcunque in perpetuum habitura est, sive sint mobilia sive immobilia. Quod donum de manibus praedicti* * *carissimi filii nostri augusti suscipientes decrevimus per hoc nostræ apostolicæ autori-*

* *Mad. Charissimus scil. Heinricus.*
* *Mad. in honore.*
* *Simonis.*
* *Gunteberum.*
* *divinae*
* *suamq;*
* *&*
* *Scammensteen.*
* *Aldendorp, & in Dilgisteleb.*
* *Bunestorf & in Okkersleve & in Bavvria.*
* *aliisq;*
* *Charissimi*

toritatis privilegium omne munimen omne robur apoſtolicum eidem eccleſiæ S. Mariæ & SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ contribuere & condonare, ut integra in ſuis rebus ſuisque poſſeſſionibus conſtans in ſecula nullum metuat * *vel* *ab Imperatore vel a Rege vel ab aliqua perſona publica vel privata diſpendium vel detrimentum. Dignum tamen duximus eidem carisſimo filio noſtro auguſto ejusque ſucceſſoribus advocationem ipſius ſacri loci ea ratione relinquere, ut ſemper in poteſtate habeant ibi praepoſitos ſecundum Deum ordinare non autem ex bonis ipſis* * *alicui aliquid in proprium dare* * *ſeu in beneficium tribuere. At ſi contra prohibitionem noſtram quisquam eorum tentaverit agere, liberum jubemus eſſe præpoſito & Canonicis qui ibi pro tempore fuerint ſic omnimodo ad Romanam eccleſiam deinceps reſpicere, ut nihil metuant de imperiali vel regali conditione. Epiſcopus autem in cujus* * *diœceſi* *iſtius eccleſiæ conſtructum eſt monaſterium nihil in eo habeat juris aut poteſtatis præter eccleſiaſticum regimen & ſecundum canonica inſtituta Epiſcopalem poteſtatem. Statuimus igitur apoſtolica cenſura ſub divini judicii obteſtatione ut nulla poteſtas imperialis vel regia, eccleſiaſtica vel ſecularis vel* * *quaevis* * *quælibet hominum perſona magna vel parva* * *cujuscunque ſit ſexus vel* * *cujusq;* * *abeſt apoſtolica* *ætatis contra hoc noſtræ* * *apoſtolicæ corroborationis privilegium venire perrentet. Quisquis vero quæquæve, quod abſit fuerit usque ad condignam ſa-* * *ſanctius* * *ab hac prohibitione* *tisfactionem noſtri apoſtolici anathematis* * *vulnere ſaucius exiſtat. Qui vero* * *ab his probibitis ſe cuſtodierit & quicquid hic legitur illibatè obſervaverit plenam a nobis habeat benedictionem & a Deo ſempiternam ſalutem. Dat. V. Id. Jan. per* * *manum* * *manus Aribonis vice Annonis Archicancellarii Romanæ eccleſiæ & Colonienſis Archiepiſcopi. Anno* * *vero* * *ſecundo* Dom. Ppē *Victoris II.* Indict. X.

Rarior hujus diplomatis bulla [Aurea Roma.]

Appenſa vero eſt huic diplomati ratioris notæ bulla plumbea, altera facie exhibens Romam cum epigraphe

AVREA ROMA.

Circumſcriptis in orbem verbis:

† VICTORIS PAPÆ II.

altera Papam mitratum manuque clavem e cœlo protendentem addito titulo:

TU PRO ME NAVEM LIQUISTI SUSCIPE CLAVEM.

Quas imagines & inſcriptiones in ejus quoque numismatibus expreſſas obſervat Pallatius. Vbi tamen miro eum mitram Pontificis in tonſuram convertiſſe cum cetera omnia tam accurate noſtræ bullæ reſpondeant. Quod ut eo dilucidius conſtet, utramque damus depictam.

Tab. I. fig. 7. 8. 9.

Ceterum vel exinde etiam patet, quantopere eo tempore Pontifices majeſtatem imperii ad ſe rapere anniſi ſint. Nam aurea Roma titulus erat quo Imperatores paulo ante ſua ſigilla ſolebant exornare. Conſtitutioni enim Otronis III. Imperatoris a Goldaſto ſervatæ in autographo bulla eſt appenſa plumbea, cujus in altera parte ſcriptum:

ODDO IMPERATOR ROMANORUM.

In altera caput eſt hominis cum pilis criſpis cumque ſpatulis & inſcriptione:

AVREA ROMA.

vid. Zimmerm. Amœnit. hiſt. eccl. nerv. t. §. 58. p. 121.

vid. Culpiſ. Res Friderici III. Imperat. num. 5. Sigill. Frider.

Quem titulum ſuo ſigillo veluti poſtliminio reddidit Fridericus III. Imperator. Sed poſt Victorem eandem inſcriptionem bullis ſuis inſculpſit Nicolaus II. quemadmodum & Alexander II. imaginem ſuam, cum clavi cœlitus protenſa, variante tamen nonnihil epigraphe:

QUOD NECTES NECTAM QUOD SOLVES IPSE RESOLVAM.

A Victore Papa ad Henricum Imperatorem pergimus, qui conſtitutis Italiæ ſuperiorisque Germaniæ rebus in Saxoniam reverſus reſurrectionis Chriſti ſolennia Paderbornæ celebravit, inde ſubinde Goslariam' profectus de hinc Rheno transmiſſo ad Galliæ fines movit, ad congreſſum cum rege Francorum: a quo vero aſperioribus dictis offenſus ad tantam indignationem accenſus eſt, ut le ad ſingulare cum Rege certamen offerret, quam tamen fortunæ aleam Francorum rex ſubire veritus in Franciam ſuam fuga elabitur. Interea vero dum in illis locis verſatur Henricus Imperator, in Galliam deſcendit Victor Papa, & ut Albericus autor eſt, ab Imperatore glorioſe ſuſcipitur: in Saxoniamque, ut videtur, invitatur. Nam menſe Septembri Pontifex hic in Saxoniam deſcendit, Goslariæque noſtræ ab Imperatore tam ſplendido apparatu excipitur, ut Lambertus totius regni opes & principes in id collectos velit, quocum faciunt Gobelinus Perſona, Engelhuſius, Baronius, Schatenius aliiq; qui temporum horum annales condidere. Binos ergo Goslaria noſtra intra mœnia ſua vidit Pontifices, Leonem & hunc Victorem, utrumque Germanum, utrumque ceteris meliorem. Sed poſt illorum obitum ſucceſſere infauſta tempora, quibus papatus depreſſa majeſtate imperatoria ad *ἀχμὴν* plenis, quod ajunt paſſibus contendit. Ex eo tempore Gregorius VII. Paſchalis aliaque ho-

Pallat. l. c. p. 316. & 345.

Victor Papa Goslariæ inviſit ad Imperat.

Lamb. Schaffn. ad hunc. an. p. 379. Sigebert. Gembl. Chron. p. 599.

Alberic. Chron. p. 92.

Lambert. l. c. Gobel. Perſon. coſm. at. 6. c. 54. p. 262 Engelhus. Chr. p. 207. Schaten. l. 6. ann. Paderb. Part I. p. 546.

Heideg. hist. papat Period. 4. §. 79. p. 84.

hominum monstra Romanam sedem invadebant, de quibus non immerito usurpaveris illud πολυθρύλλητον *Sardi venales alter altero nequior.*

Dedo Comes Palatinus Goslariæ sepelitur *Lambert. Schaffn. ad h. a. p. 379. Spangenb Chronic. Sax. c. 175. p. 257. Chronic. Gozecens. p. 212.*

Interea Lamberto teste cruenta nece Poledæ interierat Dedi Comes Palatinus, cœnobii Gozecensis fundator, Adalberti Archiepiscopi Bremensis frater, cujus tamen cædem Chronicon Gozecense per errorem refert in annum ML. Mortem illi intulerat Clericus quidam Bremensis, quem Dedo fratris jussu ob sinistros mores custodiendum susceperat: hic enim sese in libertatem vindicaturus simulato obsequio Comitem aggreditur, & ictu improviso cum equum conscenderet, per ingvina adeo sauciat, ut ille ex equo defluens in terram, post breve votum exspiraret. Exangue igitur tanti principis corpus Henrici Imperatoris jussu Goslariam delatum in Ecclesia SS. Simonis & Judæ honorifice componitur, *luctuque & planctu maximo tumulatur.*

Henrici Imperatoris obitus. *Lamb. Schaffn. ad h. ann. p. 379. Dodechin ad ann. 1106. p. 466. ap. Pistor. T. 1. Contin. Herm. Contr. p. 337. Marian. Scotus ad h. a. p. 451.*

Sequente mense Imperator cum Victore Papa Goslaria Burfeldam, (alii Botfeldam, nonnulli Bochvelden) scribunt, proficiscitur, ubi dum versatur, & venationibus reipublicæ negotia interpungit, tristis rumor de clade Wilhelmi Marchionis & Dieterici comitis, quos contra Luiticos miserat, spargitur. Cujus rei dolore percussus cum immodicus insuper cervini jecoris esus accederet, morbo cœpit affligi, & vix septem dies superstes in complexu Romani Pontificis, Aquilejensis Patriarchæ, Ratisbonensis Episcopi, aliorumque principum ad plures abiit: Marianus Scotus ejus obitum ita breviter eloquitur: *Imperator his doloribus corde compunctus infirmari cœpit, & productus ad mortem, sapienti usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petens quibusdam predia ablata restituit, culpas relaxavit: filium suum Henricum Romani Pontificis tunc presentis ceterorumque Pontificum & principum electione regem constituit. His & aliis bene dispositis III. Non. Octobris vitam finivit presentem.* Eadem fere observat Dodechinus, nisi quod addit, Henricum IV. tunc octennem nondum baptismatis lavacro fuisse ablutum, quod tamen e superioribus constat falsum esse, cum omnino jam multo ante ab Hermanno Archiepiscopo Colonienſi sacro baptismate fuerit tinctus. Eadem ceteri quoque referunt annales, ut adeo mirum sit, Bruschio Imperatorem Goslariæ in complexu Pontificis Romani extinctum videri. Ceterum laudatissimus Imperator cui tot ornamenta accepta refert Goslaria ut inde conjicere ausus sit Cranzius Henricum III. Saxonem fuisse, etiam cum morte jam luctatus, amorem suum huic urbi nostræ testatus est, id imperans ut præcordia sua Goslariæ in nova ecclesia sepelirentur; reliquum exsangue corpus Spiræ gentili inferretur conditorio. Qua de re Engelhusius: *Henricus vero iste tertius moriturus, quia semper corde erat Goslariæ, ut viscera sua ibi reconderentur, petiit, reliquum autem corpus locaretur Spiræ, cujus extitit fundator.* Videtur hæc suo more e Langenii Saxonia hausisse, cujus ea de re hi extant versiculi:

Bruschius c. 6. de ep. sc. p. 879. Cranz. l. 5 Sax. c. 1. p. 105.

Engelhus. Chron. p. 200. sqq. Pomar. Chron. Sax. p. 209.

Hanc (Goslariam) *ita dilexit, dum Cesar & omnia rexit*
Partim Spirensi sic partem Goslariensi
Terris humatus jacet ecclesiis tumulatus.

Eadem etiam tradunt Chronicon Saxoniæ Pomarianum & Chronicon hujus ecclesiæ membranaceum, quod non dubito Langenio, Canonico hujus ecclesiæ visum. Ita enim ibi lego: *Idem quoque Imperator in argumentum veri amoris filiam suam Mechtildim virginem & postea bona fide & morte preoccupatus cor suum cum precordiis apud filiam suam hic in choro collocavit. Reliquam vero partem sui corporis in Spira disposuit tumulari. Quorum anime felices semper vivant beate per infinita secula seculorum Amen.* Et paulo ante: *In argumentum summe dilectionis primo filiam suam, posthec cor proprium cum precordiis in choro nostro tumulari devotius procuravit, quia propter loci distantiam hic integraliter sepeliri non poterat, unde & corpus ipsius sepultum est in Spira.* Denique eadem inculcat Bodo in Syntagmate de Gandersheimensi cœnobio, cujus vel locum notare suffecerit. Hos auctores vel ideo hac in re audiendos putaverim, quod constat Henricum Imperatorem Spiram non admodum dilexisse, nec Giselæ matris Sepulcrum ei magnopere placuisse. En enim Hermanni Contracti testimonium: *Imperator paschale festum* (1052.) *Nemeti egit, indeque* [ut ajunt] *locum patris matrisque sua sepultura praditum magis magisque parvipendens subiratus episcopoque loci illius infensus discessit.*

Bodo Syntagm. de Gand. p. 503.

Herm. Contr. p. 333.

Partem epigrammatis Henrici monumento Spiræ inscripti servavit Albericus:

Alberic. Chron. p. 93.

Cæsar tantus eras quantus & orbis
At nunc modico clauderis antro.

a quo tamen plane discrepat illud, quod Lehmannus habet:

Lehman. Chron. Spirens. l. 5. c. 21. p. 418.

Anno Dominicæ incarnationis 1056. *Henricus III. Non. Octobr. obiit. Annus hic:*

Unde non male colligere mihi videor, paulo recentioris ævi hoc esse, antiquo illi substitutum. Mireris autem qui factum sit, ut in Goslariensi basilica nullus appareat titulus, aut monumentum sepulcro Henrici impositum: nisi forte vetustate periisse illud credas.

Monumentum filiæ Cæsaris, quale?

Ea vero, quæ de Machtilde hac referunt hujus ecclesiæ membranæ haut paulo incertiora reddit ipsum monumentum lapidi incisum, in choro ecclesiæ præminens, cujus schema ad prototypum accurate expressum e regione damus contemplandum.

Sepultura Goslariensis & Spirensis

Antiquum esse lapidem non dubito, quamvis colores vestium per canonicos recensioris ævi illitos putem. Id enim

fieri ſolitum luculenter demonſtrat Tenzelius, ubi de monumentis Reinhardisbrunenſibus agit. Sed quænam ſub hoc ſaxo conditorium invenerit, non eſt adeo liquidum. *Chronicon Membranaceum* Goslarienſe vocat Mechtildin, Heinrici III. filiam, quam tamen ante patrem obiiſſe dicit. Quod ſi ergo liberos Henrici III conſideres, *Mechtildis* equidem inter ejus filias occurrit, ſed tantum abeſt, ut ea ante parentem obierit, ut potius poſt ejus demum obitum nupſerit Rudolpho Duci; alteram filiarum vocant *Juditham*, tertiam *Itham*, ſed & harum neutra turbato naturæ ordine ante patrem virgo obiit, cum illa nupſerit Salomoni Ungariæ regi (*) hæc Liupoldo II. Marchioni Stiriæ. *Adelheidin* quoque Abbatiſſam Quedlinburgenſem patrem morte prævenisſe; nemo facile conceſſerit, tantum abeſt ut Goslariæ ſepultam dicamus. Quod ſi igitur vel maxime aliam fingamus Henrici filiam (**) quæ forte ante parentem mortua Goslariæ invenerit conditorium, dubiam tamen hanc conjecturam redderet filiæ illius ætas, quæ plane non congrueret ad monumentum. Henricus enim Hermanno & Lamberto teſtibus nupſit Agneti Pictavienſi anno MXLIII. ex quo matrimonio prolem ſuſcipere non potuit ante annum MXLIV. Cum deinde Imperator obierit anno MLVI. auctumno jam appetente, omnino filiam ad minimum anno proxime antecedente expiraſſe oporteret, ex quo ſequeretur, eam vix undecim annos habuiſſe. En vero magnitudinem lapidis, proceræ fœminæ ſtaturam æquantis. Quæ cum ita ſint, iſta traditio de Mechtilde æque ac ceteris Cæſaris filiis omnino dubia eſt & ambigua. Quid porro ad filiam regis ſpectet corona, quid ſceptrum, quid templum in ſiniſtra, quod fundati templi ſignum eſt? At nulla filiarum Henrici templum noſtrum fundavit. Sed planiorem rem futuram credo, ſi obſervemus eandem fere effigiem in aditu templi ſupra januam majorem inter alias ſtatuas occurrere. Nam præter patronos eccleſiæ offert ſe ibi quoque Henricus Imperator, fundator eccleſiæ, & fœmina reginæ ſpecie, quæ tam accurate cum noſtro epitaphio coincidit, ut vix ovum ovo ſimilius videatur; utrumque ſaxum coronam, utrumque templum præfert. Non igitur immerito ſuſpiceris fundatorem & fundatricem his ſtatuis repræſentari, id enim forma templi, quam manu præfert, docere poterit. Qværitur autem, quamnam eccleſiæ fundatricem cum fundatore Henrico recte poſſimus appellare? Non certe Henrici filias, quæ tum, cum eccleſiæ hujus fundamenta locarentur, nullæ erant. Nec *Agnetem* Imperatricem id nominis ſibi vindicaſſe arbitror, quæ anno demum MXLIII. in torum Henrici conceſſit, cum jam anno MXXXIX eccleſia hæc extrui cœperit. Sed & *Cunihildis* prior Henrici conjux diem jam obierat anno MXXXIIX, priusquam de eccleſia noſtra fuerat cogitatum. Unde non immerito *Giſele* Conradi Imperatoris viduæ eam laudem tribuendam puto, quam in fundanda hac eccleſia cum filio ſimul elaboraſſe, vix dubitaverim. Admodum ut opinor, id foret perſpicuum, ſi charta fundationis tuliſſet ætatem, in iis certe, quæ extant, Henrici Imperatoris donationibus, ſemper fere *Giſele* fieri mentionem deprehendimus, etiam in Pontificum bullis, quarum aliquas jam in medium protulimus. Certe aut nullam, aut Giſelam tantum cum Henrico Imperatore fundatricis nomen ſibi tribuere poſſe, videtur perſpicuum. Atque hanc in ſtatua non minus illa, quam monumento noſtro repræſentari conjicio. Sed unde monumentum hoc *Giſele*, cum Spiræ eam quieſcere, teſtes locupletiſſimi ſint Hermannus, Lambertus, Marianus, aliique plures. Facilis profecto eſt reſponſio, ſi reſpiciamus Lehmanni Chronicon Spirenſe, ubi hæc legimus: Anno 1043. iſt Frau Gisla Käyſer Conradi Gemahl / und Käyſer Heinrich des dritten Mutter zu Goßlar todts verfahren / und zu Speyer begraben. Unde Goslariæ eam obiiſſe ſciat, non hic inquiro, eſſe tamen admodum probabile puto, cum Henricus anno MXLIII. totam hyemen Goslariæ exegerit ac natalem Chriſti æque ac Paſchatis feſtum celebraverit. Jam vero Giſela obiit d. XVI. Kal. Martii, ergo omnino Goslariæ obiit, cum non ſit dubium, quin filii aulam more ſuo & tunc ſecuta ſit. Quod ſi ergo Goslariæ defuncta eſt, nec dubitandum quidem videtur, quin cor ceteraque inteſtina Goslariæ ſtatim fuerint terræ mandata. Longum enim iter Spirenſe id poſtulare quodammodo videbatur. Solebant quoque jam eo tempore cadavera principum ita varie per eccleſias, quas præ ceteris per vitam dilexerant, dividi, ut vix ullum alicubi reperiatur integrum. Hæc ſi admittamus, non longe aberrare videmur a veritate, ſi hoc monumentum ab Auguſtiſſimo filio dulciſſimæ matris memoriæ, aut a Canonicis ſequentis ævi fundatrici grati animi cauſa factum dicamus. Quid canis in imo lapide ſibi velit, adhuc mihi incompertum eſt. Videant alii, quibus plus otii eſt.

Mortuo ſic laudatiſſimo Imperatore quem *alterum Karolum* cum auctore quodam vetuſto jure vocaveris, imperium eſſe cœpit penes ſexennem filium, qui cum per pueritiam nondum par eſſet moderandæ reipublicæ, creditus eſt Agnetis matris, virilis animi fœminæ, cujus prudentia ita quietum imperium permanſit, *ut nec bella pacem diſturbarent, nec claſſica quie-*

Henricus IV. patri ſuccedit.

Vid. Onuphr. Panv. l. 3. de Rom. Princ. p. 171.

Herm. p. 324. Lamb. p. 377.

p. 322. Contr. Herm.

Lehman. l. 5. c. 23. p. 419.

ap. Meder. p. 157. Antiq. Brunſv.

(*) *Hujus regis conjugem alii vocant* Sophiam Henrici III. filiam. *Gualter. Chron. Polit. ex Jo. Piſtor. p. 551.*

(**) *Chronicon enim Saxonie Pomarianum meminit Giſela quoque Henrici filie.*

Autor vi- *quietem rumperent, nec rapina graſſaretur nec te Henrici mentiretur fides, ſed adhuc juſtitia ſui vigoris IV. cum adhuc poteſtas ſui juris eſſet*: ut eleganter ob-
Æneas ſervat antiquus & ingenuus vitæ Henrici
Sylv. edit. IV. autor. Sed immatura regis ætas pro-
p. 103. ceribus jam tum rerum novarum cupidis primum peccandi impunitatem, deinde licentiam conceſſit, adeo ut ex illo tempore priſtina Saxoniæ quies in turbulentiſſimas civilium diſcordiarum procellas abierit, nec principes parere amplius, nec Auguſta mater imperare illis vellent: id quod idem autor præclare obſervat: *Hunc beatum*, inquiens, *regni ſtatum AGNES Imperatrix ſerenisſima virilis ingenii fœmina multum juvit, quæ una cum filio remp. pari jure gubernavit. Sed quoniam ætas immatura parum timori eſt, & dum metus languet, audacia creſcit, puerilis anni regis multis ſuggerebant animum ſceleris. Igitur quisque nitebatur majori ſe æqualis, aut etiam major fieri: multorumque potentia ſcelere crevit; nec legis metus ullus erat, quæ ſub rege parvulo parvulam auctoritatem habebat.* Quamvis autem Agneti adhuc imperii mole Bavariæ ducatus traderetur adminiſtrandus, tantum tamen abeſt, ut mutato Mariti conſilio ſæpius abfuerit, ut potius conſtantem ibi ſedem fixerit, ſi Lehmannus audiendus, ita referens: Nach tödlichen Abgang Käyſer Heinrich iſt Käyſer Heinrich der IV. und die Verwaltung und die Regierung des gantzen Käyſerthums in Frauen Agnes der Käyſerlichen Wittib Händen und Gewalt gelaſſen worden / welche zu Goßlar ihren Reſidentz und Hoff gehabt. Hæc Lehmannus, qui Agnetis prudentiam magnopere collaudat.

Lehman. l. 4. Chrō. Spir. c. 26. p. 422.

Anni Chriſti 1057. & 1058.

Henrici IV. Reg. 2. & 3.

Ab. V. C. 134. 135.

Saxonū tumultꝰ. Lambert. Schaffn. ad h. ann. p. 379. Abb. Urſp. p. 219. Spangenb Chron. Sax. c. 176. f. 258.

Quieta adhuc Saxonia & antiquæ fidei tenax fuerat, ſed jam mutato animo in propria viſcera ſævire hoc anno cœpit. Poſteaquam enim principes Luiticæ cladis adhuc memores dextro Marte contra perfidam hanc gentem pugnaverant; jam proſpero rerum ſucceſſu inflati duce Ottone Marchione victricia arma in regis perniciem convertunt, excuſſuri pueri imperium & alium e gente ſua ſibi ſumturi regem. Sed brevi poſt tempore retuſis a Regis cognatis rebellium viribus factio hæc cum ipſo Ottone exſpiravit.

Aventin. l. 5. Annal. Boj. p. 429.

Proximo anno Agnes Auguſta cum filio utramque peragrat Saxoniam, & habito Poledæ principum conventu, in Weſtphaliam regreditur, inde Merſeburgi paſchate celebrato in Bojoariam proficiſcitur, ex qua in ipſos Ungariæ fines movens nihil unquam facere prætermiſit, quod reipublicæ videretur prodeſſe.

Aventin. l. 5. Annal. Boj. p. 430.

Annus Chriſti 1059.

Henrici IV. Reg. 4.

Ab. V. C. 137.

Itinera Imperat.

JAm inſequente anno Rex cum Agnete matre in Germaniam redux & Aquisgrani circa Februarium verſatus Aprili menſe ulterius in Friſiam progreditur, & more majorum provincias obit, cum interea Saxoniæ principes occaſionem rei gerendæ aucuparentur, clanculumq; inter ſe habitis colloquiis imperii meditarentur ruinas.

Schaten. annal. Paderb. Part 1. l. 6. p. 549

Bucco Canon. Gosl. Halberſt Epiſc. creatur.

Inter hæc bellorum civilium conſilia eccleſia Halberſtadienſis ſub auctumni initia præſulem amittit Burchardum, cui ex eccleſia noſtra SS. Simonis & Judæ ſubrogatur Bucco Canonicus. Nomen ipſi verum hæſit Burchardi, quo & in vetuſtis Halberſtadienſium faſtis occurrit. Nihil enim iſtis temporibus erat familiarius, quam nomina paulo prolixiora contracti-
Winning. Chron. Ep. Halberſt. MSC. c. 12. Chronogr. Sax. p. 255
us eloqui. Quemadmodum enim Bernhardos Brunones, Cunrados Cunones, Eberhardos Eppones, Godefridos Godecones, Sigefridos Sizones, Arnoldos Annones; ſic & Burchardos Buccones ſolebant appellare. Quam tamen ſententiam
vid. Meib annot. ad Levold.
deſerunt Winningenſtad, eumque ſecu-
Northov. orig.
tus Sagittarius, qui id nominis ei gentile
Marckan p. 414.
fuiſſe aſſerentes eum e Buckorum Gosla-
tom. 1. rer.
rienſium familia prognatum tradunt, ſed
germ.
nulla veterum auctoritate ſubnixi. Nec
Winning.
video, quomodo hæc conſiſtere poſſint
l. c. Sagit.
cum iis, quæ Lambertus Schaffnaburgen-
p. 29. Hiſt.
ſis & Bruno in hiſtoria belli Saxonici tra-
Halberſt.
dunt, Burchardum hunc himirum Anno-
Bruno in
nis Archiepiſcopi Colonienſis conſobrinū
hiſt. belli
fuiſſe, de cujus genere paulo ante proli-
Sax. p. 106.
xius commentatus ſum. E quibus patet
ap. Freher.
Burchardum hunc aut patre aut matre e
tom. 1.
comitibus Woldenbergiis oriundo, uſum:
Script.
Facile tamen largior, illum Goslariæ ma-
Germ.
jorem vitæ partem traduxiſſe, inde enim
Apolog.
factum eſt, ut Goslarienſes paſſim popu-
Henrici
lares ejus audiant in Apologia Henrici
IV. ap.
IV. Cuicunque demum familiæ debue-
Freh. tom.
rit originem: id ſane inter omnes conſta-
I. Script.
re video, quod antequam Halberſtadii
Germ.
præſulis honorem eſt conſecutus, inter
hujus eccleſiæ clericos nomen ſuum profeſſus ſit: id quod tam verum eſt, ut fruſtra de eo dubites. Sed quando Lambertus Schaffnaburgenſis, Chronographus Saxo, Winnigenſtadius Sagittarius, aliiq; Bucconem præpoſitum Goslarienſem vo-
Chronogr. Sax. p. 255
cant: in eo procul dubio falluntur. Nam
Winning. in Chron. MSC.
ab anno MLV. usque ad MLX. munere hoc
Halberſt.
functus eſt Guntherus, ſeu Winitherius,
Sagittar. p. 29. Hiſt. Halberſt. Bruſch. c. 13. de Ep. n. 12. p. 1078
quod ſupra e Victoris bulla probavimus: Bucco autem anno MLIX. aut certe proxime ſequente Halberſtadienſis Epiſcopus creatus eſt: unde fieri non poteſt, ut præpoſitura eum ornatum dicas, niſi duos uno tempore præpoſitos eccleſiæ præfuiſſe velis, id quod omni conſuetudini repugnat.

pugnat. Quæ cum ita sint, necesse omnino est, ut aut Canonicum, aut Decanum fuisse credamus. De morte ejus violenta infra paulo accuratius agetur, quo nos nunc referimus.

Annus Christi 1060.

Henrici IV. Reg. 5.

Ab. V. C. 137.

Guntherus Goslariensiũ Præpositus Bamberg. Ep. creatur. *Mallinckrot. de Archic. & Cancel. Imp.*

HOc anno dum Henricus Rex in superioris Germaniæ finibus versatur Bambergensibus subtrahitur Episcopus, cui ex ecclesia SS. Simonis & Judae subrogatur Guntherus Præpositus Goslariensis Cæsarisque Cancellarius, Winitherii nomine toties in diplomatum recognitionibus celebris. De eloquentia ejus & multarum lingvarum cognitione supra accuratius fuit actum, ubi signum ejus Græcis literis exaratum in diplomate Henrici III vidimus. Ceteras ejus virtutes corporisque dotes hoc magnifico elogio complexus est Lambertus Schaffnaburgensis: *Guntherus Babenbergensis Episcopus (heu) immatura morte præventus prospera ac læta reversionis lugubrem omnibus exitum fecit. Decessit autem X. Cal. Augusti ætate integra & ad perfruendum hoc sæculo maxime matura, vir præter morum gloriam & animæ divitias corporis quoque bonis adprime ornatus. Natus erat ex primis palatii, privatis possessionibus præter Episcopatum affluentissimus, lingua promtus & consilio, literis eruditus tam divinis, quam humanis, tam staturæ & formæ elegantia ac totius corporis integritate ita cæteris eminens mortalibus, ut in illo Hierosolymitano itinere ex urbibus & agris spectandi ejus studio profluerent, & bene secum actum crederet, cui eum videre contigisset: unde cum positis eis in diversorio plerumque turba intemperans propter eum nimis molesta foret, compulsus est aliquoties a cæteris Episcopis ut in publicum procederet & obsidentem foris multitudinem suo spectaculo a cæterorum vexatione avocaret. Tantum hunc transitoriæ felicitatis splendorem vitæ innocentia & morum temperantia clariorem in eo cumulatioremq; faciebant; nam propter Deum contemnebat, ut infima quoque conditionis hominibus popularem se communemque præberet, & a servis suis plerumque maximas verborum contumelias inultus acciperet.* Nec prætereunda hic visio, quam idem memoriæ prodidit Lambertus: *MLVI Guntherus tunc temporis Cancellarius Imperatoris visionem vidit memoria dignam; Dominum in solio majestatis sua residere, & elevato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mortalitas subsecuta est principum regni. Eaque expleta vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso jam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato dicere circumstantibus: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Ceterum hunc Guntherum Præpositum hujus ecclesiæ aliquandiu fuisse, quamvis id taceant Jo. Cygneus & Bruschius certo tamen asserere possumus autoritate bullæ Victoris Papæ quam ad annum MLVI recensuimus, ubi hujus Guntheri Præpositi dissertis verbis mentio fit, additurque eum simul Cancellarii munus apud Cæsarem obiisse, unde patet, quanti viri, quamque honorati olim istud officium in hac ecclesia gesserint. Enimvero vix quinque anni in hoc præpositi munere decurrerant, cum hic laudatissimus vir, & si in aliud sæculum incidisset, nulli secundus, hoc anno Henrici III auspiciis hoc munus cum Episcopatu Bambergensi commutaret, cui postquam sex annos præfuerat, e terra sancta redux, quò cum Sigefrido Archiepiscopo Moguntino concesserat, in Carinthia anno MLXVI diem obiit supremum. Bambergæ, ubi honorifice in Choro S. Georgii terræ mandatus est, istud impetravit epitaphium:

Præsul Guntherus, ut eum totus prece clerus
Adjuvet, hortatur, cui multa dedisse probatur.

Jo. Cygn. in Prodrõ. annal. Bamb. p. 15 n. 5. Bruschi. c. 15. n. 5. p. 1098. Chronogr. Sax. p. 256

Succedit Werinherus, Comes Woldenbergensis.

Gunthero itaq; adulta jam ætate Bambergam abeunte, in præpositura Goslariensi successit Werinherus, Comes Woldenbergensis, quem hocipso anno invenio in membrana quadam ecclesiae SS. Simonis & Judae, qua clericus quidam Nuita ecclesiæ laudatæ *collaudante ejus advocato Imperatore videlicet Heinrico* bona nonnulla adscribit. *Haec* enim *traditio & pactio acta est Goslariae IIII. Non. Aug. astante Gunthero ejusdam monasterii venerabili præposito, & Meginzone decano, & Werinhero præposito cum ceteris fratribus ejusdem cœnobii.* Duos hic eodem tempore observabis præpositos Goslarienses, Guntherum & Werinherum, alterum episcopali honori destinatum, alterum hujus successorem designatum.

Annus Christi 1062.

Henrici IV. Reg. 7.

Ab. V. C. 139.

Henricus Rex Goslariæ agit.

JAm sub hujus anni auspicia Mindæ Rex versatus est, ubi eo præsente ac spectante ecclesia cathedralis ferali incendio conflagravit: omnibus illis ornamentis in favillas conversis, quæ tot seculis ante Carolus M. ejusq; successores eo contulerant. Hinc cum tantam cladem præclara liberalitate resarcivisset, Goslariam properat comitibus Hezilone, Hildesiensi, Egilberto, Mindensi, Immado Paderbornensi Episcopis, Sarachone Corbeiensi Abbate, Adelheida Abbatissa Gandersheimensi, Ottone Bavariæ Duce multisque aliis proceribus, ut patet e diplomate tunc Heziloni Hildesiensi dato, quod profert Schatenius, cujus clausulam more nostro addimus:

Chron. Mind. ap. Meibom. p. 560. Lecbeck. Chron. Schovv. p. 498. Watenst. Chron. Mind. p. 16. ap. Paulin.

Fride-



Vix puto nima in vetustis diplomatibus esse putaverim. Primo *enim nix qua alii* Comitum Woldi Woldenbroccenses, *alii demm* Bartuneslevii *alium* Gos*me comites Woldenbergenses Woldenbergensium nomen usurpurici, tot Hermanni, tot Ruda solo Doctissimo* Conrado Bertl

Bayerische Staats-Bibliothek

Schaten. l. 6. annal. Paderb. p. 556. part. I.

FRIDERICUS *Cancellarius vice* SIGEFRIDI *Archicancellarii recognovi. Data VII Idus Martii anno dominicæ incarnat.* MLXII. *Indict.* XV. *Anno autem ordinationis Domni* HENRICI *quarti regis* VIII. *regni vero* VI. *vitæ* XII. *Actum* Goslariæ *in dei nomine feliciter Amen.*

Henricꝰ Nec minus eccleſiaMontis S. Petri regem tunc præſentem ſenſit. Nam eodem menſe locupletata eſt prædio in villa *Partunlep*, in pago *Northuringia*, quod Chriſtophori comitis filius Dietmarus Imperatori ea lege tradiderat, ut huic eccleſiæ redderetur. Diploma nunquam editum & ex ipſo autographo deſcriptum ita ſe habet: eccleſiæ collegiatæ Montis S. Petri benefacit.

IN nomine ſanctæ & individuae trinitatis. HEINRICUS *diuina fauente clementia rex. Omnibus Xpi* m̃iq; *fidelibus. tam futuris quam præſentibus notum eſſe volumus. qualiter nos ob intervenium ac petitionem dilectæ genetricis noſtræ* AGNETIS. *imperatricis auguſtæ. quoddam prædium quod fuerat* CHRISTOPHORI *comitis. ſuique fratris* BENNONIS. *nri capellani. a filio & haerede ejusdem Chriſtophori* DIETMARO. *praeſente & collaudante fratre & haerede ſuo* Bennone *nobis traditum in villa* Partunlep *dicta in pago* nortduringun *in comitatu* VTONIS *marchionis ſitum. ad altare ſci* PETRI *quod eſt in orientali plaga uillae* GOSLARIENSIS. *in monte qui dicitur mons ſci* PETRI. *ab anteceſſore noſtro & genitore beatae in Chriſtum memoriæ* HEINRICO *imperatore primitus erectum. cum omnibus ſuis appendiciis. hoc eſt utriusq; ſexus mancipiis. areis. aedificiis. terris cultis & incultis. agris. pratis. paſcuis. campis. ſiluis. venationibus. molis. molendinis. aquis. aquarumq; decurſibus. piſcationibus. uiis. inuiis. exitibus & reditibus. quęsitis & inquirendis. cum omni utilitate quae vel nunc in eo eſt. uel a modo fieri poteſt. pro remedio eorundem parentum noſtrorum regnique noſtri & uitae proſperitate. in perpetuum tradidimus & condonavimus. ea uidelicet ratione- - - - - Liberam deinde poteſtatem habeant tenendi. commutandi poſſidendi. precariandi. vel quicquid ſibi placuerit ad uſum fratrum ibidem ſeruientium d̃o faciendi. Et ut haec noſtrae traditionis auctoritas omni tempore & quo ſtabilis maneat inconvulſa. hanc paginam inde conſcriptam manu propria corroborantes. ſigilli n̄ri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Domni Heinrici quarti.  regis invictiſſimi.

Fridericus Cancellarius uice Sigifridi Archicancellarii recognovi.

Data III. Idus Martii anno dnicæ incarnationis MLXII. Indict. XV. Anno autem ordinationis Domni *Heinrici* regis quarti VIII. regni vero VI. vitæ XII.

Actum Goslarię *in Dei nomine feliciter* AMEN.

Quanquam in hoc quoque diplomate obſervatam deprehendimus conſuetudinem, qua gentiles tituli nominibus haut adſcribi ſolebant: non infeliciter tamen, ut opinor, divinabimus, ſi comites hic intelligamus Woldenbergenſes, qui in vicinia noſtra olim excelſe admodum floruerunt, inter eos enim hoc tractu temporum Chriſtophorum & Bennonem video claros fuiſſe. Genealogiam illorum e monumentis antiquis eruere annis ſunt Auctor Chronici Montis Francorum & Fridericus Lucæ. Sed uterque ad antiquiora parum reſpexit. Placet igitur partem genealogiæ vetuſtioris horum illuſtriſſimorum Comitum adjicere, quam e diplomatibus obſervavi, annexa ſimul Doctiſſimi Conr. Berth. Behrens tabula, quam Catalogo Præp. Hildeſienſium inſeruit:

Genealogia

Comitꝫ Woldenberg

Chronic. Mont. Francor. p. 32, 38.

Meibom. pag. 358. & 359. tom. 3. rer. Germ. Luca atrium Comitum. Part. 2. pag. 245. ſqq.

Henricꝰ Rex ſubtrahitur matri.

Auctor. Contin. Herm. Contr. p. 338. Siegebert. Chron. p. 600. Abb. Urſp. p. 218 Alb. Stad. p. 235. L. Schafn. ad h. ann. p. 381. Aut. vitæ Henrici IV. p. 103. Lehm. l. 5. Chron. Spir. c. 26. p. 422. Avent. l. 5. annal. Boj. p. 432. Baron. ad ann. 1062. p. 300. tom. XI.

Goslaria ulterius in Friſiam progreſſus Henricus celebrato Trajecti paſchate urbes vicinas luſtrat & reflexo itinere deinde ad Inſulam Sviberti in Vbiorum dioceſin revertitur. Jam Saxonibus in turbido erat conſilium, idque agebant clanculum, ut ſub hac Regis impubere ætate ſe in libertatem vindicarent, regisque conſtringerent majeſtatem. Cum vero imperante Agnete matre votorum ſuorum ſummam ſe conſecuturos deſperarent, hanc ſudem ex oculis remoturi, cœperunt prudentiſſimam fœminam calumniis proſcindere, imperium illius accuſare, pueri quoque regis vicem dolere, quem oporteret ſub mulieris inſtitutione adoleſcere, denique palam dare operam, ut regem e matris complexibus eriperent, matrem abdicarent, ſibique vindicarent adminiſtrationem imperii. Prodere hæc principum molimina auſus eſt auctor vitæ Henrici IV. ita differens: *Ut omnia licentius facere poſſent, primò puerum matre ſpoliabant, cujus maturam ſapientiam graveſque mores metuebant, illud cauſantes, non decere regnum adminiſtrari ac fœmina, cum multa regina legantur adminiſtraſſe virili ſapientia.* Jam ſtabat ſententia, jam, qua ratione id fieret, cogitaverant. Hinc ſubornatam navim ad Sviberti Inſulam, quam Werdam Cæſaris nunc vocant, mittunt, [fallit ergo in loco Lehmannus] intereaque Anno Colonienſis Archiepiſcopus, Egbertus Marchio, & Otto Bavariæ Dux regem ſimulato officio adoriuntur, monent, indulgeret aliquando genio, & navim viſendi cauſa ſecum ad Rhenum egrederetur. Rex nihil minus, quam inſidias veritus, exit, in littore ambulat, navem ingreditur. Nautæ vero ad hoc ſubornati impulſis ſubito remis a littore ſolvunt, & adverſo Rheno regem deportant Coloniam. Statim regi fraus ſuboluit; veritus ergo ne principes hi vitæ ſuæ ſtruerent inſidias, ſubitaneo ſaltu e navi ſe in Rhenum demittit, nando experturus fugam: Sed Egbertus cum eum in magno vitæ diſcrimine videret conſtitutum, dato poſt eum ſaltu, manu prehenſum regem non minore periculo ſuo retraxit in navem. Sic puer multis verborum lenociniis delinitus Coloniam avehitur, ubi ſub Annonis tutela diutiſſime hæſit. Anno vero invidiam rei a ſe amoliturus id ſtatuit, *ut Epiſcopus quilibet, in cujus diœceſi rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti reſpublica pateretur, provideret & cauſis quæ ad regem delatæ fuiſſent, potiſſimum reſponderet.* Auguſta mater vero filii jacturam tam ægre tulit, ut miſſo rebus mundanis nuncio Romam paulo poſt ſe reciperet, inque cœnobio quodam precibus & ſacris meditationibus quicquid vitæ erat reliqvum exigeret: Quanquam alii eam ſecundis votis in thorum Welfi Marchionis Ateſtini & Altorfini comitis conceſſiſſe exiſtimant.

Octav. de Strada f. 413. de vit. Imperat.

Lucæ atrium comitum. part. I. p. 35.

Sub anni hujus exitum Henricus magno principum & epiſcoporum numero comitatus Goslariam noſtram ingreditur, naſcentis Chriſti ſolennia ea qua decet, devotione celebraturus, ſed ipſum feſtum Hezilonis Hildeſienſis Epiſcopi (quem Aventinus male vocat Bezelinum) & Wideradi Abbatis Fuldenſis ambitio adeo turbavit, ut res haut procul abeſſet a ſeditione, quæ tamen in præſens prudentia Ottonis Bavari extincta ſequente anno in tam exitiales flammas erupit, ut vix funeſtius quicquam Goslaria noſtra videatur vidiſſe. Rem narramus Lamberti verbis, qui tamen ſuo more annos a natali Domini auſpicatus has quoque turbas ad ſequentem annum retulit: *Rex natalem Domini Goslariæ celebravit. Ubi ipſa die, dum ad veſperam ſellæ epiſcoporum locarentur, inter camerarios Hecelonis Hildenesheimenſis Epiſcopi, & Camerarios Wideradi Fuldenſis Abbatis, gravis concertatio oborta eſt, & primo jurgiis, dein pugnis res geſta eſt, citoque ad gladios prorupiſſent, niſi Ottonis Ducis, Bajoariorum qui cauſam Abbatis tuebatur, auctoritas interceſſiſſet.*

Lamb. Schafn. ad ann. 1063. p. 381.

Tumultꝰ in eccleſia Goslar.

Annus Chriſti 1063.
Henrici IV. Reg. 8.
Ab. V. C. 140.

QUod ergo ſuperiore anno in favillis Horum ſuis extinctum eſt incendium, hoc ipſo tumultũ eo validius prorupit. Rex enim cum continuatio. jam adulto vere Goslariam reverteretur, & Spiritus ſancti effuſi memoriam feſtive recoleret, inter principes, qui officii cauſa huc confluebant, ipſi quoque denuo aderant *Hezilo* Hildeſienſis Epiſcopus & *Wideradus* Fuldenſis Abbas, cumque inter eos denuo de ſeſſionis ordine non conveniret, tantas jam in ipſo templo dedere turbas, tam multum ſanguinis profuderunt, ut pene Statii Papiniani verſus hic repetere debeam, quos de Pariſienſi laniena uſurpare ſolitus eſt Thuanus:

Excidat illa dies ævo, ne poſtera credant
Secula, nos certe taceamus, & obruta multa
Nocte, tegi propria patiamur crimina gentis.

Enim vero quid vetat diram rem narrare, quam perpetrare non erubuerunt viri infulis etiam & Pontificialibus conſpicui? Illuxerat Pentecoſtes feſtum, quod cum Imperator hac in eccleſia ſolennius celebrare conſtituiſſet, in ipſis feriarum vigiliis, cum ſellæ Epiſcoporum in eccleſia locarentur, inter Hezelini Epiſcopi Hildeſienſis & Wideradi Fuldenſis Archimandritæ miniſtros de primatu & proëdria lites, ſuperiore anno cœptæ nunc renatæ ſunt, quæ cum decidi aliter non poſſent, ferro diremtæ fuerunt, deteſtando profecto poſteris exemplo. In cauſas hujus litis luculenter, hoc eſt, ſuo more inquirit Lambertus: *Conſvetudo*, inquit, *erat in regno per multos retro majores obſervata, ut ſemper*

Cauſæ hujus tumultꝰ. *L. Schafn. ad ann. 1063. p. 382.*

ſemper in conventu Epiſcoporum Abbas Fuldenſis Archiepiſcopo Moguntino proximus aſſideret. Sed Epiſcopus cauſabatur, neminem ſibi intra diœceſim ſuam poſt Archiepiſcopum debere præferri, animatus ad hoc & opum gloria, qua antecеſſores ſuos longe ſupergrediebatur, & temporis opportunitate, quia Rege adhuc in puerilibus annis conſtituto ſinguli, quod ſibi animus ſuggeſſiſſet, facere impune poterant. Omnino equidem amplam nacti ſunt occaſionem ex tenera regis ætate ex ephebis nondum egreſſi. Qua fronte enim auſi alias eſſent, præſente Rege atque intuente, loco ſacris deſtinato tam immane facinus moliri. Attamen Lambertus nondum ſatis videtur explicaſſe, quo fundamento nixus Abbas Fuldenſis tantum honorem ambierit, ut ipſis Archiepiſcopis Electoribus anteire ſe debere putaret, cum nec Abbates quidem Caſſinenſes, Benedicti familiæ anteſignani, iſta dignitate reſplendeant. Optime rem tetigit Mallinckrotius, ex quo patet, Abbates Fuldenſes ideo hanc ſibi prærogativam vindicaſſe, quod Archicancellariatus munere apud Imperatricem fungi jam tum ſolerent, proximum propterea a Moguntino locum deberi ſibi rati, idem munus apud Cæſarem obeunte. Equidem ſi vetuſta monumenta conſulas, vix ullam reperies chartam, quæ titulum hunc ante annum MDLIX præ ſe ferat: ſi recte conjecit Kirchnerus. Enim vero videtur id Abbatum modeſtiæ tribuendum, quos jura ſua ſervare potius quam oſtentare voluiſſe exiſtimo. Diu enim ante iſthæc tempora Carolus IV. Imperator honorem hunc ratum habuit, ac Abbati Fuldenſium Henrico VII. autoritate regia confirmavit, anno circiter MCCCLXI. ut colligo ex F. Cornelii breviario Fuldenſi. Ne autem forte tum demum Abbates hunc honorem adeptos putes, diſerte ibidem additur: *Non dedit Carolus, ſed confirmvit, diu enim ante eum habuerant.* Et recte quidem; Nam multa ſunt, quæ perſvadent, jam Ottonis M. ætate, qua Moguntinis Archicancellariatus imperii proprius factus eſt, Imperatricis etiam Archicancellariatum ad Fuldenſium Abbatiam tranſiiſſe, ſiquidem etiam paulo poſt Lothario & Friderico imperantibus cum Colonienſi & Magdeburgenſi Archiepiſcopis de proëdria fuit certatum, cujus quidem quæſiti juris vix aliam rationem, quam hanc ipſam poteris excogitare. Vide, ſis, Browerum, Arnoldum Lubecenſem, Cranzium, & Mallinckrotium. Hæc tam funeſtæ contentionis origo, hæc procella, quæ hanc turbulentam tempeſtatem conflavit, accenſis nimirum in æmulationem animis, & nec Hezelone parem, nec Widerado ſuperiorem ferre volentibus. Indignum videbatur Hezeloni, quenquam ſibi intra diœceſeos ſuæ limites anteire, omniaque prius experiri certum erat, priusquam ſibi Præſuli Abbatem præferri pateretur. Occurrebat generis ſplendor, animum addebat divitiarum & opum magnitudo, quibus tunc unus omnium maxime florebat. Accedebat decretum nuper editum, quod his verbis ſignavit Lambertus: *Epiſcopus* (Anno Colonienſis) *ne invidiam facti mitigaret, ne videlicet privatæ gloriæ potius, quam communis commodi ratione hac admiſiſſe videretur, ſtatuit ut Epiſcopus quilibet, in cujus dioeceſi rex tunc moraretur, ne quid reſpublica detrimenti pateretur, provideret, & cauſis, quæ ad regem allatæ fuiſſent potiſſimum reſponderent.* Quoniam itaque illa tempeſtate Goslariam noſtram rex ſuo ſplendore illuſtrabat, quæ ad Hildeſienſium ſpectabat diœceſin: facile inſignis & ferme quieſcendi neſcius Hezelonis vigor excitabat hos mentis impetus, ut cedere ipſe tunc nollet, cum maxima reipublicæ negotia ſibi inoumberent. Denique & illud forſan ſvadebat Hezeloni hoc opus aleæ plenum ſubire, quod iſtam Abbatis prærogativam ſuis veluti limitibus circumſcriptam videbat. Autorem enim habeo Arnoldum Lubecenſem, a quo antiquo autore nolim temere diſcedere, quod Fuldenſis Abbas tunc demum ſiniſtram Regis tenere ſolitus ſit, ſi quando Moguntiæ comitia Principum celebrarentur; unde minus miror Hezelonem id juris in ſuam quoque diœceſin extendi noluiſſe. Locus Arnoldi ita ſe habet: *Fuldenſis eccleſia hanc habet prærogativam ab antiquis Imperatoribus traditam, ut quotieſcunque Moguntia generalis curia celebratur, Dominus Archiepiſcopus hujus ſedis a dextris ſit Imperatoris, Abbas Fuldenſis ſiniſtram ejus teneat.* Scilicet, ut in compendio rem expediam: clericis in turbido tunc erat conſilium, quorum ferocia crevit exemplo, evaſitque ea ut quasvis de ambitione ſua controverſias ſanguine putarent finiendas, ut præclare docent Dacherius, ab Arnoldo allegatus, DuCheſne, DuFreſne aliique. Ut prætermittam, quæ de Hiſpanis notant ſcriptores, apud quos iſto ſeculo eccleſiaſticæ etiam lites duello deciſæ ſunt. Mireris ergo Reutelium culpam hanc Hezelonis extenuare his verbis auſum: *Homo fuit, ecquis ergo a communi noſtra labe, qua labi eſt, eximi poterat?* Severior eſt cenſura Fabricii:

Sanguine profuſo maduere altaria templi
Quod juſſu factum eſt, Hezelo inique, tuo.
Si tibi commiſſæ curaſſes commoda plebis
Præſul; & Hildeſiis gloria magna fores.

Bombin. breviar. rer. Hiſp. ad ann. 1090.
Reutel. in Chron. Hillesheim. §. 19. *p.* 85. *ap. Paulin. in Synt. hiſt. Fabric. in glor. Fuldæ. p.* 106.

Quæcunque demum cauſa in Wideradi Ipſius perniciem Hezelonem armaverit: id ſane inter omnes conſtat litem hanc his ferlis deſcriptio.
in tantas flammas erupiſſe, ut eccleſia multo cælorum cruore maduerit, proque

ſolem-

Mallinck. c. 7. de Archicancel. Abb. Fuld p. 215.
Kirchner. de offic. & dign. Cancel.
F. Corn. breviar. Fuldenſ. p. 441. *ap. Paul. Syntagm.*
Arnold. Lubec. l. 3. Coron. Slav. c. 9. p. 319. *Cranz. l. 9 Sax. c.* 46. *p.* 167. *Mallinck. l. s. p.* 216.
Arnold. Lubec. l. c.
Dacher. in Spicil. tom. 8. p. 51 *& 55. Du Cheſne not. ad biblioth. Cluniac. p.* 160. *Du Freſne in Gloſſ. Lat. tom. 1. p.* 716. *& tom. 2. p.* 191.

solemnibus hymnis, horridus ubique personuerit morientium ululatus, ipso quoq; dæmone, ut hominum fama est, huic tragœdiæ applaudente. Multus in hac re enarranda est Lambertus, nitidissimus sui seculi scriptor, tantoque magis nobis audiendus, quanto minus Coævorum fides vacillat. *Anno* MLXIII, inquit, *Rex natalem Dni Goslariæ celebravit. Ubi ipsa die, dum ad vesperam sella Episcoporum locarentur inter camerarios Hecelonis Hildensheimensis Episcopi & camerarios Wideradi, Fuldensis Abbatis gravis concertatio oborta est, & primo jurgiis, dein pugnis res gesta est, citòque ad gladios prorupissent, nisi Ottonis Ducis Bajoariorum, qui causam Abbatis tuebatur, auctoritas intercessisset. Sequente anno Rex Pentecosten Goslariæ celebravit. Ibi dum ad vespertinalem Synaxin Rex & Episcopi convenissent, rursus de positione sellarum Episcopalium tumultus exoritur, non fortuita ut prius conversione, sed premeditata diu machinatione. Nam Episcopus Hildensheimensis accepta prius contumelia memor, Ecbertum comitem cum expeditis militibus retro altare occuluerat. Hi audito tumultuantium camerariorum strepitu ocyus advolant, Fuldensium alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, & de sacrario ecclesiæ inopinato periculo attonitos facile proturbant. Quibus illico ad arma conclamantibus, Fuldenses, quibus arma in promtu erant, facto grege ecclesiam irrumpunt, in medio chori psallentiumque fratrum manus conserunt, rem non jam fustibus, sed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam ecclesiam pro hymnis & canticis spiritualibus vociferatio adhortantium & ululatus morientium exauditur. Super altaria Dei tristes jugulantur hostiæ, passimque per ecclesiam sanguinis currunt flumina, non legali, ut quondam religione, sed hostili crudelitate profusa. Episcopus Hildensheimensis capto editiore loco, tanquam militari quodam classico, ut fortiter præliarentur, hortabatur, & ne loci religione ab armis terrerentur, suæ auctoritatis & promissionis titulum obtendebat. Multi utrinque vulnerati, multi occisi sunt, inter quos precipui erant Regenbodo signifer Fuldensis, & Bero Ecberto comiti carissimus miles. Rex inter hæc vociferans & sub obtentu regiæ Majestatis populum adjurans surdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus a suis, ut vitæ propriæ pugnæ excedens consuleret, vixque inter constipatam arctius multitudinem eluctatus in palatium se recepit. Hildensheimenses, qui instructi præmeditatique ad pugnam venerant superiores efficiuntur. Fuldenses, utpote quos inermes inopinatosque subito exortæ seditionis procella contraxerat, fusi fugatique, atque de ecclesia expulsi sunt. Fores illico obserantur. Fuldenses qui primo tumultu ad arma tollenda paulo longius discurrerant, frequentes armatique adsunt, atrium ecclesiæ occupant, aciem instruunt, ut de ecclesia progressos statim adoriantur.* Sed nox concertationem diremit, compendiariâ quoq; hujus facinoris narratiunculam auctor non minus fide dignus Bertold9 Constantiensis, qui imperante Henrico IV. vixit, habet, his comprehensam verbis: MLXIII. *cædes magna Goslare contigit in ecclesia, rege præsente.* Nec minus rem observarunt Annales Australes apud Freherum licet in chronologia errantes: *Ao. 1064. cædes magna facta est in Goslariensi monasterio, præsente rege & principibus ejus.* Sed & assentientes habeo membranas hujus ecclesiæ, e quibus nonnulla adscribo: *Anno* MoLoVIIo *Heinricus hujus filius suscepit Romanũ imperium & regnavit annis quadraginta novem, hic celebravit curiãin Goslar in festo penthecostes, & ipso die orta est maxima seditio hic in monasterio inter principes, & Bugo Halberstadensis episc. Deto comes palatinus, qui dedit huic ecclesie bona in Slanstede, & Dedenleve, interempti sunt & alii quam plures, & cantante choro hunc versum: hunc diem glorioſum feciſti, cantabat Demon in ſummitate monaſterii: hanc diem bellicoſum ego feci.* Denique his bene convenit cum auctore Chron. Stederburgensis, Historia MSC. de Episcopis Hildesiensibus, Winnigenstadio, F. Cornelio, Reutelio, Spangenbergio, Crusio, Munstero, Bangerto, Centuriatoribus, Chr. Arnoldo, Browero, aliisque.

Annal. Austra. apud Freher. l. 1. p. 317.

Chronic. Stederb. ad ann. 1063.

Hist. MSC. de vitis Episc. Hildes. c. 18. Winningenst. in Op. MSC. de Episc. Halberst. vita 12. F. Cornelii Brev. Fuldense p. 432. ap. Paulin. Syntagm. histor. Reutel. Chron. Hildesheimens. §. 19. p. 35. ap. eundem Spangenb. Chron. Sax. n. 223. Crus. l. 3. part. 2. c. 14. Annal. Suev. Munster. l. 3. Cosmogr. c. 79. Bangert. not. ad Arnold. l. 3. Chron. Slav. c. 9. p. 323. Centur. Magdeb. centur. 11. c. 10. p. 346. Chr. Arnold. hist. eccl. & her. part. 1. lib. 11. c. 2. §. 11. Brouver. l. 4. Antiqu. Fuld. c. 24. p. 294.

Monstro itaque simile videtur Langenium scriptorem domesticum hanc rem non magis habuisse compertam. Is enim Henrico V. tribuit, quæ quarti sub imperio evenisse omnes hi veluti ex compacto asserunt. En ejus Leoninos versiculos, invita Minerva factos: Errores nonnullorum notati.

Henricus quintus fuerat, qui fulsit ab intus
Multum virtute, quia rexerat omnia tute,
Hic rex edixit aulam, dum corpore vixit.
Multum magnatis de principibus generatis.
Tunc fuit occisa gens ingens Goslare visa.
Talis & exempli, quod sanguis ad ostia templi
Effluxit multus, qui postea mansit in ulnus.

Langen. p. 811.

Demon cantabat & in aëre vociferabat:

Cunctis hoc festum formari cæde molestum.

Nec minus obelisco notaverim annales, qui non modo Henricos confundunt, verum etiam Moguntiæ id contigisse perhibent. E quibus præ ceteris nominare libet Wilhelmum Malmesburiensem Albericum & Engelhusium. Nam ego potissimũ Lambertoo Schaffnaburgensi Chronicæ Australi Bartoldo Constantiensi & aliis hujus notæ scriptoribus credendum existimo, quos partim ipsius Henrici ætate vixisse, partim

Wilch. Malmesb. l. 2. de gest. Angl. c. 12. Alberic. in Chron. p. 82. Engelh. Chron. p. 199.

Berth. Constant. p. 343. ap. Urstis.

haut

haut procul ab illa abfuiſſe remque recenti tenuiſſe memoria conſtat, cum Wilhelmus Malensburienſis e quo ceteri ſcriptores fabulam illam Moguntinam hauſerunt, homo peregrinus rerumque Germanicarum non adeo gnarus ſit.

An dæmon in templo vociferarit?

Addunt vulgo ſcriptores novelli confligantibus hunc in modum clericorum militibus dæmonem horrendam boaſſe antiphoniam, & incondito ſono huic applauſiſſe tragœdiæ. Tradunt id annales membranacei ſæpius laudati, tradit Langenius, ſcriptor domeſticus. Immo ipſum oſtenditur illud foramen, e quo dæmonem clamaſſe ferunt, ante annos quidem non adeo multos reſarcitum, ita tamen, ut veſtigia illius ſatis notabilia appareant. Sed neſcio an traditio hæc ſatis firmo nitatur fundamento. Lambertus enim, qui totum certamen tam accurate deſcripſit, ut vix ullam prætermiſerit circumſtantiam, de hoc diabolico luſu ne verbum quidé addit, quod ſane mirum eſſet de monacho, quod hominum genus olim ejusmodi prodigia & oſtenta curioſe conquirebat. Porro nec Bertholdus Conſtantienſis, nec Autor Chronici Stederburgenſis, nec ullus Scriptorum veterum vociferationem hanc diabolicam memoriæ prodidit; ſolus Malmesburienſis de Moguntina ſtrage diſſerens, rem totidem verbis elocutus eſt. Quem deinde recentiores ſecuti ſunt. Sed quam fidem & diligentiam Malmesburienſis hac in re adſcribendum attulerit, quivis paulo acutior animadvertet. Abundet ergo quisque ſuo ſenſu, & per me credat quod libuerit. Mihi ſane Lamberti & Bertoldi coævorum hiſtoricorum ſilentium dudum ſuſpectam reddidit traditionem, quæ deinde poſteriorum ſcriptorum calamo tam frequenter excidit.

qui nam tunc fuerint occiſi?

Plerosque, quos tunc digladiantium inter ſe clericorum furor ad plures dimiſit, e plebe hominum, aut principum miniſtris fuiſſe exiſtimo. Neque non tamen in honoratiores quoque ſævitum eſt, e quibus præcipue Lamberto nominantur *Reginbodo ſignifer Fuldenſis & Bero Ecberto comiti cariſſimus miles*, quos quidem hac in eccleſia conditorium reperiſſe non dubito. His chronicon membranaceum & alia addunt Bucconem Halberſtadienſem Epiſcopum & Dedonem comitem Palatinum. Sed utrique temporum ratio repugnat: Dedo enim comes Palatinus, Friderici II. filius, cujus ſtemma genealogicum Meibomius in chronico Marienthalenſi confecit, jam anno MLVI. a Clerico quodam Bremenſi prope pagum Palethe nefarie trucidatus Henrici Cæſaris juſſu in hac eccleſia honorifice ſepultus eſt, juxta Lambertum Schaffnaburgenſem, quocum etiam facit Chronicon Gozecenſe a Madero editum, niſi quod illud in annum ML. ejus mortem rejicit, ordine temporum non minus refragante. Bucco vero Halberſtadenſis præſul, cum Saxones ſatis diu in Henrici IV. perniciem ſollicitaſſet, hujusque fortiſſimi Regis exitii cupidus & pudoris fideique oblitus, peſſime rei publicæ conſuluiſſet, Goslariæ demum anno MLXXXVII. aut ſequente a concurrente plebe, aut lapide, aut ſagitta ictus dignum ſuis conſiliis invenit exitum. Neuter itaque in hoc tumultu periit. Cujus hiſtoria demum pertexenda eſt. Cauſa igitur ad Regem delata, Hezilo, Ecberti Marchionis autoritate ſecurus omniumque ſententiis abſolutus facile judicium evaſit: Wideradus vero magna pecuniæ vi multatus domum reverſus in ſuorum incidit odium, multisque calamitatibus pene oppreſſus, tandem iter faciens pulvere ſuffocatus eſt, ut memoriæ prodiderunt Lambertus & F. Cornelius.

Meibom. not. ad Lerbecc. Chron. Schaunb. p. 523. Watenſt. chron. l. c.

Lambert. Schaffn. l. c. F. Cornel. in breviar. Fuld. l. c.

Poſt turbas has, quod reliquum erat æſtatis Rex pene totum Goslariæ in frequenti principum ſenatu exegit. Cumq; Egilbertus Mindenſis Epiſcopus eccleſiæ ſuæ ex cineribus reſuſcitandæ daret operam, arrepta occaſione Goslariæ regem Mindenſes convenit, ejusque opem imploravit; qui ſes eſt etiam precibus ejus annuens ob interventum & petitionem fidelium *ſuorum ſcilicet Annonis Colonienſis, Adelberti Hammaburgenſis, Engelharti Magadaburgenſis Archiepiſcoporum ac Burchardi Halverſtadenſis Epiſcopi & maxime ob juge & fidele ſervitium Egilberti* eidem eccleſiæ donat curtem *Lashaggeri*, (vel ut alii legunt, *Lashuggeri, Lezingehrn, Lezeringen*) in pago *Angeri* in comitatu *Ottonis* Ducis cum omnibus appenditiis rebus & utilitatibus. Diploma, quod integrum Chronico Mindenſi Piſtoriano ſubjectum eſt, quodque Mallinckrotio quoque Meibomio & Watenſtedio laudatur, ita finitur:

Henricus Rex Goslariæ constitutus in *Annonis Colonienſis, Adelberti Hammaburgenſis, Engelharti Magadaburgenſis Archiepiſcoporum ac Burchardi Halverſtadenſis Epiſcopi Mindenſis & maxime ob juge & fidele ſervitium Egilberti ap. Paul. Lasbaggeri, p. 17. Lashuggeri, Lezingehrn, Lezeringen Angeri Ottonis* *Mallinckr. de Archic. & Cancel. part. 2. p. 64.*

Fredericus *Cancellarius vice* Sigefridi *Archicancellarii recognovit. Dat.* XVI. *Kal. Aug. anno* MLXIII. *Indict. I. anno autem Henrici IV. Regis ordin.* III. *Regni vero* VI. *Actum Goslarie*

Meibom. not. ad Lerbecc. Chron. Schaunb. p. 523. Watenſt. chron. l. c.

Dum ſic Henricus Mindenſis eccleſiæ ruinas magna liberalitate reſtinguit, paulo poſt non minus Magdeburgi triſtis ubiq; eſt rerum facies: mortuo ſub auctumnum Engelhardo Epiſcopo, quem jam ante exercreatur eccleſia SS. Simonis & Judæ, quæ Goslariæ floret ad hunc honorem adſpiraſſe diximus, cum paucis menſibus ante Henrici liberalitatem erga Mindenſes approbaſſet, unde patet errare illos, qui hujus Archiepiſcopi obitum in antecedentem annum referunt. Sed & Merſeburgenſi eccleſiæ paſtore ſuo orbatæ tunc ex eadem eccleſia noſtra ſublectus eſt Wernherus præpoſitus Comes Woldenbergenſis, de quo parum tamen tradunt hiſtorici, niſi quod & ipſe fœdis adverſus Henricum Regem conſiliis nomini ſuo notam inuſſit, qua

Wernherus præpoſ. Goslar. Epiſcop. Merleb.

Brotuff. ap. Gualt. p. 1145. Bruno hiſt bell. Sax. p. 137.

qua de re paſſim Bruno, Chronicon Magdeburgenſe Meibomianum, & apologiæ pro Henrico IV. ſcriptæ autor prolixius egerunt.

Apolog. Henr. IV. p. 194. Chron. Magdeb. p. 288. ap. Meib. Cranz. in Saxon. paſſim.

Henrici Epiſc. Auguſtani miſerum fatum.

Finis hujus anni miſerabili exitu ſubtraxit Henricum Auguſtenſem adhuc Epiſcopum antehæc Goslarienſem præpoſitum, cujus adhuc conſiliis Agnes Imperatrix potiſſimum fuerat uſa. Rex enim, ut ſupra retulimus, neſcio in quam ſuſpicionem ab ejus inimicis adductus, illius diœceſin invadit, Falckenſteinenſem arcem expugnat, cumque ſe Epiſcopus dedidiſſet, tam male in eum animadvertit, ut ex Regis tentorio Auguſtam Vindelicorum relatus antequam urbem attingeret, animam efflaret.

Bruſch. c. 8. n. 29. p. 949. Sigism. religioſ. c. 11. part. 1. Chron. Eccleſ. Auguſt. ap. Piſtor. Lamb. Schaffn. ad ann. 1064. p. 384. Aventin. l. 5. annal. Boj. p. 432.

Henrico Rex nonam partem fiſci ab eccleſia SS. Simonis & Judæ redimit.

Inde finita expeditione Henricus in Ubiorum regiones cum Annone Archiepiſcopo regreditur, ubi ejus de eccleſia SS. Simonis & Judæ ſubinde cogitantis animum ſubiit, quod Henricus Pater nonam partem redituum fiſci ſui Goslarienſi a ſe extructæ eccleſiæ donarit. Miretur quisquam tam profuſæ largitionis fuiſſe Henricum, ut uni eccleſiæ nonam regii fiſci partem donarit niſi id abunde declararet diploma, jam jam proferendum. Nec tamen plane de hac Henrici Regis munificentia dicam an prodigalitate tacent auctores. Idem enim Herveldenſis quoque eccleſiæ Abbati Meginhero beneficii eum exhibuiſſe auctor eſt anonymus ille de inſtitutione Herveldenſis eccleſiæ ſcriptor, quem Maderus Lambertum Schaffnaburgenſem credit: *Ipſe*, inquiens, *aderat delicatus adhuc & innuptus Rex, dedicationi eccleſiæ reparatæ Herveldiæ, quam didicarunt Humfridus Magdeburgenſis Raſſo Nuenburgenſis & Hunoldus Mersburgenſis epiſcopi, cui cum conſenſu Bardonis Moguntiæ ſedis Archiepiſcopi, ſub abbate Meginhero, quem idem Hinricus ut ſanctum virum venerabatur, & ſociabat lateri ſuo, decimas etiam tributorum regalium donec viveret, concesſit.* At longe præſtantior Henrici fuit in eccleſiam noſtram liberalitas, quam tamen cum magno reipublicæ detrimento conjunctam deprehendit Henricus filius, idem quippe expertus, quod Francorum Rex Chilpericus non ſine ſtomacho conqueritur: *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter, divitiæ noſtræ ad eccleſias ſunt translatæ.* Quapropter hanc profuſam parentis ſui liberalitatem corrigendam ratus, dato in compenſationem prædio Reinſtede, reditus imperio debitos recuperavit. Luculentum hujus rei teſtimonium extat in chronico hujus eccleſiæ membranaceo, in quo hæc reperio: *Henricus etiam dedit nonam partem omnium bonorum ad fiſcum regium pertinentium, quod poſtea filius Henricus, dando largum prædium in Reinſtede, in recompenſam, in melius commutavit.* Omnium optime vero res elucebit ex ipſo diplomate Heinrici Regis quod cum quantivis pretii ſit, ſumma diligentia ex ipſo autographo deſcribendum atque hic proferendum putavi.

ap. Mad. p. 157. ant. Brunſv.

Greger. Turon. l. 6. cap. 46.

IN nomine ſcæ & indiuiduæ trinitatis: HEINRICUS diuina fauente clementia rex. *Notū eſſe uolum9 oñibus Xpi. ñriq; fidelib9. tā futuris. quā preſentib9. qualiter quondā dilectiſsimus ñr genitor. diuae memoriae. HEINRICVS imperator. nonam partē omnium bonorum ad ſuū fiſcum pertinentium. aecclīae dō. ſcīsq; Aplis* * *SIMONI & JUDÆ. in GOSLARIA conſtructae. ad augendū ſcilic&. ſiue meliorandum prebendā fratrū ibidē dō ſcisq; ſuis famulantium. pro remedio ſuę animae tradiderat. Nos autē cū perciperem9. hanc traditionē non tā praedictorum cfratrū utilitatib9 proficere. quā ñro regio honori. & commodo detrimentū fore. redimentes ſupradictā nonā partē. pro illa. ob remedium animæ prædicti patris ñri HEINRICI imperatoris auguſti cęterozq; parentum ñroz. nec non ob ñrę uitę. & animae incolomitate. prędium quoddā. REGENSTEDI dictū. in comitatu ADALBERTI. comitis. inpago. SVABA. ſitum. cū oñib9 appenditiis ſuiſ. hoc ê. utri9q; ſexus mancipiis. terris cultis. & incultis. areis. ædificiis. agris. pratis. paſcuis. cāpis. ſiluis. uenationib9. aquis. aquarūq; decurſibus. riuis. piſcationibus. molis. molendinis. uiis. & inuiiſ. exitib9. & reditib9. queſitis. & inquirendis. cū oñi utilitate quę ullom * inde prouenire poterit. ad prędictā Goslarienſē aecclām. in proprium donauim9. atq; tradidim9. Et ut haec ñra regalis donatio. ſiue traditio. ſtabilis & inconuulſa oñi permaneat aeuo. hanc cartam inde conſcribi.*

* ecclesiæ Deo sanctisq; apostolis.

* ullo modo.

ſcribi. manuq; propria ut ſubtus cernitur corroborantes. ſigilli nri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis



Fridericus cancellarius uice Sigefridi archicancellarii recognoui

Data III. Kl. JAN. Anno dñicę incarnat. M. LX. III. Anno autẽ ordinat. domi Heinrici qrti regis VIIII. Regni ũ. VII. actũ BVNNE. in di nomine felicit. AM.

Sigillum monogrammati e latere annexum oſtendit Henricum inbe:bem ſolio regio inſidentem, coronaque & pallio regio ornatum, dextra ſceptrum triumphale ſiniſtra pomum regium tenentem. Inſcriptio ita ſe habet: † HEINRICUS DI GRA REX. Sed rectius id lector diſcet ex ipſo ſigilli ſchemate, quod adjicere viſum eſt. TAB. I. Fig. 5.

Ceterum idem Henricus in ornandas eccleſias propenſior, teſte chronici membranacei auctore *in eadem eccleſia* dedicavit *ſarcophagum S. Valerii, quem fieri & ornari mirifice procuravit.*

Annus Chriſti 1064.

Henrici IV. Reg. 9.

Ab. V. C. 141.

Henricꝰ Goslar. e egit. *Lamb. Schaffn. p. 382.*

REx poſthæc potiſſimo anni tempore in inferiore Germania exacto, interea dum Anno Colonienſis in Italia verſabatur, ſub hyemem Goslariam divertit, & Chriſti natalitia, ſed & hyberna egit, morem ſecutus anteceſſorum, quibus provincias imperii pervolitare & in præcipuis urbibus feſta celebrare ſolenne fuerat. Occupaverat homines circa hæc tempora perſuaſio, de peregrinationum in Palæſtinam utilitate, quæ eo plurimorum animos flexit, ut, relicta dulciſſima patria, ſpontaneum ſibi exilium imperarent, & catervatim in extrema vitæ pericula ruerẽt. Hujus peregrinationis ſocietatem hoc anno petierunt etiam Sigfridus Moguntinenſis, Guntherus Bambergenſis, Wilhelmus Trajectenſis, Otto Ratisponenſis præſules, & ex minorum gentium clero & plebe hominum ultra ſeptem millia. Sed tanta multitudo, cœca religionis opinione quicquid audere parata, per innumera è luctata rerum diſcrimina latrociniis demum, morbis & naufragiis ad tam paucos redacta eſt, ut ex ſeptem millibus vix bis mille ad ſuos redierint Penates. Ipſe Guntherus, quem inter Goslarienſes Præpoſitos antea retulimus, ſuperatis tot longæ peregrinationis faſtidiis, cum jam in patriam tenderet, in Pannonia diem obiit ſupremum, melius ſane & ſibi & ſuis conſulturus, ſi patriæ affixus, ovibus ſibi creditis doctrina & exemplo præluxiſſet. Gunth. Epiſcopi Bamb. obitus. *Cont. Herm. Contr. p. 338. L. Schafn. ad h. ann. p. 381. Abb. Urſp. p. 219 Marian. Scot. ad h. ann p. 452 Sigeb. ad h. a. p. 600*

Circa eadem tempora religio Goslariæ nova ſumſit incrementa condita capella S. Cæciliæ, ea urbis regione, cui nunc Judæi nomen dedere in platea, quæ vocatur, Kornſtraſſe: quæ olim cum vicinis curiis Walkenredenſi cœnobio ſubjecta, nunc vero ſuis ſepulta ruinis vicinis tamen ædibus nomen reliquit, ut vocarentur die Pfaffen Hduſer. Fundata eſt hæc capella a Sidago, ejusque uxore Nalecha, quæ & Silburgis in literis Bernhardi Hild. Epiſcopi anno MCXLVII. datis appellatur, & Uſſone Comitibus Woldenbergenſibus, qui collectis undique Sanctorum reliquis & in hac capella dedicatis eam ab Hezelone Hildeſienſi epiſcopo inaugurandam curarunt. Ut vero fatear unde in rei hujus notitia profecerim, ipſum profero Hezelonis Epiſcopi Hildeſienſis diploma a doctiſſimo viro Jo. Georgio Leukfeld, Paſtore apud Gruningenſes vigilantiſſimo, amico meo conjunctiſſimo mihi oblatum, quo hanc capellam confirmat ſimulque de inauguratione a ſe peracta teſtatur: Capella S. Cæciliæ origo

IN nomine ſanctæ & individuae trinitatis. *Notum ſit omnibus tam preſentis quam futuræ ætatis, qualiter ego* Ethelo, *Hildenesheimenſis Dei gratia Epiſcopus Baſilicam quandam in villa* Goslar *a bonis & fidelibus quibusdam Chriſtianis, videlicet*

Sidago, *nec non uxore ejus* Nalecha, *consensu nostro libere fundatam & ad ungvem perfectam in honorem* sanctæ Trinitatis & glorioſiſſimæ crucis *& sanctæ Dei genetricis* Mariæ *nec non* S. Martini, S. Nicolai & S. Cæciliæ *omniumque sanctorum consecravi. Cui etiam Ecclesiæ & omnibus ibidem delegatis, seu etiam delegandis cunctisque ad eam venientibus illic commorantibus inde redeuntibus nostro Episcopali bamno pacem firmavimus, quatenus nulli fas sit vel pacem istam violare; vel præfatos ejusdem basilicæ structores, structorumve hæredes temere & absque justa & probabili ratione de rebus Ecclesiæ conturbare, aut quicquam de bonis & pertinentibus subtrahere. Præterea Episcopali nostra authoritate concessimus prænominatis hominibus baptisma in eadem ecclesia & sepulturas fidelium perpetuo fieri, ea tamen ratione & hoc pacto, ut quicunque ibi perspicitur servire, debeat a nobis & successoribus nostris altare legitime accipere, acceptumque non nisi nostro consensus judicio derelinquere. Hæc autem ut firma & in perpetuo inconvellenda tam a nobis quam a nostris successoribus sint, hanc cartam conscripsimus & sigilli nostri impressione insignivimus.*

Plures ut inde patet hæc capella sanctos habuit tutelares, ne tamen dubites quin hæc ipsa intelligatur, quæ olim S. Cæciliæ nomine hic celebris fuit: Satis manifesto hoc docet index reliquiarum huic diplomati subnexus:

Hæc autem sunt nomina Sanctorum, quorum Reliquiæ in ista continentur Ecclesia: primum de ligno Domini, spongia, de limteo, quod vocatur XXX. *de præsepio Domini, de Columna, qua flagellatus est, de sepulchro, de vestimento D. Mariæ, de virga Aaron, de virga Moisis, de tabula Moisis, de virga sancta, iterum de Virga Aaron, de capilli S. Petri Apostoli, de Barba S. Johannis Baptistæ, de Capite S. Andreæ apostoli, Hyppoliti Martyris, Vincentii Martyris, Basilii Martyris, Tiburtii Martyris, Cyriaci Martyris, Felicis Fortunati & Armatorii Martyrum, Tiburtii & Valeriani Martyris, Pelagii Martyris, Mauritii Thimotii, Symphoriani Martyrum, de Capillis Johannis Baptistæ, de digito Stephani protomartyris, Lamberti Martyris, de dente Pancratii Martyris, Christophori Martyris, Pantbaleonis Martyris, Blasii Episcopi, Christophori Martyris, Sebastiani Martyris, Chrysogoni Martyris, Cyriaci Martyris, Dionysii Martyris, de capite S. Georgii Martyris,* XL. *Martyrum & Lamperti Martyris, Hippolytæ Martyris, Cosmæ & Damiani, Blasii Martyrum, de digito S. Laurentii, Clementis Martyris, Justi Martyris, S. Martini Episcopi, Briccii & Nicolai, Gregorii Papæ, Valerii & de Vinculis S. Godebardi, de vestimento S. Oldaricii, Servitii Episcopi, de barba S. Nicolai, Lebrini, Gregorii, Innocentii Damasi SS. & de corpore M. Magdalenæ, Margarethæ, Gertrudis Agathæ, Luciæ, Barbaræ, Ottiliæ, Sophiæ, de capillis Mariæ Magdalenæ, Agathæ & de offertorio Sabinæ, Simodæ & Margarethæ,* Cæciliæ cui dedicata ecclesia, *Christianæ, Radegundæ, de baculo S. Petri, & de capillis ejus, Sanctarum Virginum, de Ciliaco, & dens ejus,* XXX. *Martyrum, Valentini Mart. S. Stephani Mart. Aurelii Mart. Romuli Martyris.*

Annus Christi 1065.

Henrici IV. Reg. 10.

Ab. V. C. 142.

Henricꝰ armis cingitur. *Cont. Herm. Contr. p. 338. L. Schafn. ad ann. 1065. p. 384 ap. Schard*

INterea Rex jam ex ephebis propemodum egressus transactis in Saxonia hybernis Adelberti inprimis consilio in solenni principum conventu armis cingitur: ejusque scutarius eligitur Dux Godefridus quod alii Wormatiæ, alii Goslariæ nostræ factum existimant. Mos nimirum hic totum per imperium erat solennissimus, ut principes juventutis ense non prius accingerentur, quam si ætas jam animum polliceretur ferendis armis parem. Quæ res magna solennitate, & præcipue in splendidioribus Imperii comitiis aut celebriori principum congressu peragi solebat. Chronicon Bigaugiense a Madero editum: *Wycbertus ergo patre orbatus hunc accedens ab eo donec donec adolesceret educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, urbe Tangermunde ab eodem Udone inbeneficiatur.* Alibi de Friderico Imperatore: *Imperator*, inquit, *Moguntiæ pentecosten celebravit, cum Regina & cunctis principibus, duos ibi filios suos gladio accinxit.* Ut taceam aliam in investitura comitum consvetam ensis traditionem de qua præclare, hoc est, suo more Carolus du Fresne. *Bertold Const. p. 343. Chron. Bigaug. p. 243. Chron. Bigaug. p. 266. Godofred. monach. p. 249. ap. Freher.*

Quo

Incendium Goslariense Henrici beneficiis restinctum.

Quo majore autem gaudio tunc aula perstrepuit eo funestior fuit Goslariæ nostræ facies conflagrante VI. Calend. Aprilis regali palatio, quod ita prolixe flammas suas disjecit, ut urbs non procul abesset a suis ruinis. Rex ergo Henricus, cum exeunte jam autumno Goslariam nostram rediret id egit præcipue, ut desolatum palatium, quod ipse sibi vel maxime in hospitiũ delegerat, quantocyus restitueretur. Una cum rege Goslariæ tunc fuit Albertus Bremensis Archiepiscopus, qui suo more ecclesiæ suæ incrementis intentus id impetravit, ut abbatiæ præcipuæ veluti Corbeiensis & Laurishamensis sibi donarentur. Corbeiensis cœnobii donatio jam pridem a Madero, Schatenio & Paulino edita hanc clausulam habet.

Contin. Herm. Contr. p. 338. Bertold. Const. p. 343.

Adelberti Archiep. Brem. aviditas.

Mader. Syllog. dipl. ad Ad. Bremens. p. 116. Schaten. l. 6. annal. Paderb. p. 564. Part. 1. Paulin. p. 467. Syntagm.

Sighartus Cancellarius vice *Sigefridi* Archicancellarii recognovi. Data XIV. Kalend. Novembris. Anno Dominicæ Incarnationis MLXV. Indict. III. Anno autem Domini Heinrici quarti Regis IX. Actum *Goslare* in Dei nomine feliciter Amen. Eodem die idem Adelbertus a rege Goslariæ accepit villam Sinziche sicut jam biduo ante curtem Tusburgh. Ut diplomata testantur ab eodem Madero recensit, qui & donationem Laurishamensis cœnobii profert, quanquam paulo ante regis adventum Mense Septembre datam *Opkerslevo*. Insatiabilem itaque fuisse oportet Adalberti aviditatem, dum uno tempore tot sibi bona voluit donari, quæ conjuncta sola pene Episcopum alere potuissent. Bene igitur actum, quod ausibus excidit rerum ecclesiasticarum heluo, exemplo posteris futurus, homines dum alienis injuste inhiant, sua interea amittere.

Henricus cur toties Goslariæ hæserit. *L. Schafn. ad an. 1066 p. 387.*

A Novembre, quo hæc acta sunt Henricus celebratis Goslariæ Christi natalitiis, quicquid reliquum erat hiemis hic transigebat, quod quidem Lambertus inertiam interpretatus aculeatis his verbis notat: *Henricus natalem Domini Goslariæ celebravit, ubi ab ipso jam initio autumni usque ad eam partem hyemis tanquam stativis castris se continuerat, sumtus habens regiæ magnificentiæ multum impares*: Sed profecto si rem penitius consideres, prudenti consilio Henricus hic frequentius hæsit. Satis jam suboluerat sapientissimo Principi, quo animo in se Saxones essent, non ignorabat, jam ad seditionem eos inclinare, in civile bellum erupturam, si ipse sua absentia occasionem capiendi consilia suppeditaret. Voluit ergo prudentissimus princeps coram, quid Saxones agerent, speculari, si forte sua præsentia eos a pestilenti consilio deterrere, animosque jam odiis ferventes in officio continere posset. Accedebant urbis nostræ munimenta, eo tempore retinendis hostibus satis idonea, accedebat vicinum castellum Hartesburgicum, non minus terrendis rebellibusaptum; unde profecto non consultum erat Henricum diutius hinc abesse: suaque absentia conjurantibus in suam perniciem principibus licentiam peccandi dare.

Annus Christi 1066.

Henrici IV. Reg. II.

Ab. V. C. 143.

Saxones Adelbertum curia expellunt. *Lamb. p. 387. Adam. Bremens. l. 4. c. 7. p. 114. Alb. Stad. p. 238. Henric. Wolter. Chron. Bremens. p. 43. Aventin. l. 5. p. 439. Aut. vit. Henric. p. 103.*

SUb hujus anni auspicium rex adhuc Goslariæ cum Adelberto Bremensi Archiepiscopo versabatur, cum jam occulta Saxonum odia, primum erumperent. Causa odii prætendebatur Adelberti præsulis qui remotis æmulis solus jam aulæ consulatum arcemque Capitolii possidebat, rapacitas, quæ cum non ferenda diutius proceribus videretur, armis jam putabatur reprimenda: Sed si paulo accuratius rem consideres, id inprimis audacem gentem ad arma videtur impulisse, quod regem jam adultiorem in se severius animadvertere viderent. *Quod illi non justitiam, sed injuriam putantes, & qui legem abjecerant lege constringi & qui per omne nefas ruebant, frena pati respuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel privatum facerent, consiliis incumbebant, non recolentes, se debere civibus suis pacem, regno justitiam, regi fidem*, ut conqueritur vitæ Heinrici Autor. Cui adstipulatur Autor belli Saxonici, Goldasto aliquando Rupertus Goslariensis vocatus, qui historiam hujus belli civilis in media barbarie non ineleganter composuit. E quo verba quædam hic juvat repetere:

Domni regis adhuc pueri gens effera laxis
Dum fluit imperiis, nec habebat jura timoris,
Non falsum vero, nec iniquum segregat æquo
Quod fuerat libitum sibi, quisque secutus
eorum
Ecclesias spoliant, viduis sua diripiebant
Pupillos miserosque premunt, ut cuncta gerantur:
Pauperis heredem statuit fortuna potentem.
Plus nocuit, qui plus potuit, lex nulla coërcet,
Fasque nefasque sibi fuerat cujusque voluntas.
Sed rex ut teneros superat virtutibus annos
Ante nimis laxas huic genti strinxit habenas,
Jura dedit, leges statuit, cohibenda coërcet
Ecclesiis, viduis miseris vi rapta requirit,
Nec fecit quisquam post hæc impune rapinam.
Talia quod populus tolerabat frena superbus,
Perdoluit, multumque timens, ne pœna sequatur
Tot malefacta sui, statuit contraria regi.
Viribus atque dolis furor hinc evenerat omnis
Hinc belli causæ veniunt sub imagine retti.

Auctor. hist. belli Sax. p. 202. ap. Reuber.

Triburæ itaque indictis comitiis Saxones conveniunt, multa de illatis sibi a Rege injuriis conqueruntur, Adelbertum tot turbarum facem & tubam denunciant, regique præsenti dant optionem, aut iple regni poneret insignia, aut Adelbertum Archiepiscopum tot annis sibi gravem cu-

ria expelleret. Quid ageret rex in tantas anguſtias a ſuis principibus redactus? Cedendum erat tempori, & Adelbertus ex aula dimittendus, qui vix e violentis principum manibus indecora fuga primum Goslariam deinde Bremam elapſus eſt.

Adam. Bremenſ. c.8. p.115. Hiſt. archiep. Brem. c.18 p 85. ap. Lindenbr.

Domum reverſus omnia in ſuam perniciem conſpiraſſe reperit. *Multæ enim inſidiæ*, ut ait Adamus Bremenſis, *multaque opprobria eorum adverſus Epiſcopum, qui eo tempore, cum nihil tutius haberet, Bremæ ſedit, quaſi obſeſſus & cuſtodia inimicorum vallatus.* Præ ceteris tamen omnibus Adelberto infenſus erat Magnus Saxoniæ Dux, qui collecta valida manu aperta vi in Adelbertum ſævire non dubitabat, jam Epiſcopatus bona diripere, jam caſtra expugnare; ſed & ipſam metropolin diuturna obſidione premere auſus. Adelbertus ergo his malis oppreſſus, cum in armis nihil eſſet conſilii, imminentem procellam fuga evitandam ratus, clam Goslariam conceſſit, & in prædio ſuo Loctuna (hodienum nomen retinet Lochten:) per ſemeſtre delituit, donec duris conditionibus cum Magno pacem contraheret. Fallit ergo

Wolter. Chron. Brem. l.c.

Wolterus, cum Adelbertum hoc adverſo tempore Goslariam in monaſterium ab Henrico Imp. conditum & eccleſiæ Bremenſi donatum ſe recepiſſe ſcribit, cum Goslariæ nunquam floruerit eccleſia, quæ eccleſiam Bremenſem ſuam agnoverit metropolin.

Craffto Goslarienſ. Præpoſitus. *Lamb. Schaffn. p. 387.*

Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ per iſthæc tempora præfuerat Craffto, vir, ut ferebat ſeculum, doctus & prudens. Cum autem hoc anno Miſnenſis Eccleſia funus vidiſſet Reginheri Epiſcopi, illi hic ipſe ſufficitur Craffto, jam ſolenni inaugurationis ritu a Wernhero Madgeburgenſi Epiſcopo inunctus, ſi fides chronico Magdeburgenſi a Meibomio in lucem prolato. Interea iter meditatur, ſarcinulas componit Miſnam abiturus, quum deſponſum & deſtinatum honore ſubitanea mors illi præriperet. Ferunt illum divitiis ſuis diu noctuque intentum, fractis faucibus domi ſuæ repertum exanimem, id quod multis iniquis ſuſpicionibus dedit occaſionem. Sed quis ignorat, quam curioſa in aucupandis ejusmodi prodigiis ætas illa fuerit.

Chron. Magdeb. p. 313. ap. Meib. T. 2. Sagittar. c. 4. Hiſt. Gosl. §. 13. Lezner. op. MSC. de monaſteriis c. 85.

Benno Goslarienſis Scholaſt. Epiſc. Miſnenſis. *Poſſevin. T. 2. Ap. par. p. 29. Meib. in Chronic.*

Fortuna itaque hanc promotionem fruſtrante munus hoc Epiſcopale Henrici Regis auſpiciis defertur Bennoni, quem Poſſevinus Brunonem per errorem appellat. Vir iſte ex illuſtri Comitum Woldenbergenſium proſapia oriundus diutius Magiſtri munere in eadem eccleſia Goslarienſi fuerat perfunctus, majore tamen fama quam laude. Partem ſtirpis comitum Woldenbergeſium jam Meibomius Berens & Auctor Chronici Montis Francorum dederunt. Cum tamen ad antiquiora tempora nemo horum adſcenderit, ipſius Bennonis Genealogiam ex luculentiſſimo illo diplomate quod ad annum 1062. protulimus, hic dabimus:

Riddagshuſano. p. 358. & 369. Tom. 3.

Chron. Mont. Franc. p. 32. Behrens Catal. Præp. Hildeſ. p. 10.

Wernerus Bennonis parens. Comes Wold.

Chriſtophorus Comes. 1062.	Benno Capellanus Henrici IV. Cæſaris, hic ipſe de quo nos agimus 1062.
Dietmarus 1062.	Benno 1062.

Vitam ejus multis miraculis claram fuſe deſcripſit Hieronymus Emſerus, quæ etſi admodm probatur Pontificiis, & cum aliis ejus ſcriptis recenſetur a Poſſevino, fabulas tamen & ſuperſtitionem in eo deprehendunt noſtrates, inprimis Zimmermannus & ὁ πᾶνυ Seckendorffius, qui ita de Emſero judicat: *Vellem, ut a pluribus legerentur inſulſi & ſuperſtitioſiſſimi literatoris, quem Luthero veluti Achillem opponit Maimburgius ineptus. Mihi, (Fateor) quicquid mitius de illo ejusque eruditione ſentiebam, lectio libri penitus excuſſit. Hic laudes Hildebrandi ſive Gregorii ſeptimi, exitioſi Germaniæ ac univerſæ eccleſiæ hominis, invenias c. 21. & ſeqq. Cui fere unus ex Epiſcopis Germanis Benno adhæſit; ſed habet Emſerus hujus perverſitatis ſocios. At ſi quis credat, quæ de Bennone cap. 25. & ſeqq. referuntur, illi perſuaderi poteſt, & venerationi eſſe, quicquid mendax Græcia & Judæorum & Turcarum abſurditas confinxit.*) Nec facile eum a ſuperſtitione abſolvet, quicunque verſiculos ejus legerit, quibus in fronte libelli cauſas, quæ eum ad ſcribendum impulerint, expreſſit. Ita enim ibidem canit:

Emſer. vita Bennon. edit. Lipſ. 1512. Poſſevin. Appar. p. 30. tom. 2 Zimmermann. admœnitat. Theol. nerv. 7. p. 646. Seckendorff. hiſt. Lutheranism. l. 1. Sect. 57. §. 161. p. 286

Dive pater Benno, pro vita ſuſcipe vitam,
Hoc hoſtimento nil mihi majus erat.
Tu mihi mortalem precibus producere vitam
Viſus, ubi medica deſtituebar ope:
Immortale tibi nomen vitamque repono,
Nam vives, ſcriptis, notior inde, meis.

A puero Benno Hildeſiæ educatus, a S. Bernwardo Wigeri cujusdam diſciplinæ traditur, ubi tam repente doctrinæ laude florere cœpit, ut omnes æquales ſuos & condiſcipulos anteiret. Specimen eruditionis ejus dedit Emſerus, unde ſimul conjectura de ſtudiis illorum temporum fieri poteſt, quare non erit ſupervacaneum, locum integrum adſcribere: *Benno, ut ætas illa erudita fuit, & humana colebat ſtudia, id quod ex pluribus ejus temporis viris diſertiſſimis & eorum monumentis videre licet. Ita Wigerus noſter puerum ſibi commiſſum non paſſus eſt a politioribus abhorrere ſtudiis, primoque in ducendis formandisque literarum apicibus antiquis, & qua hodie per Venetos impreſſores in uſum revocata ſunt, eum luculenter inſtituit, quemadmodum literæ manu ſua conſcriptæ & apud eccleſiam ſuam Miſnenſem in hodiernum diem usque ſervatæ facile arguunt.*

Emſer. l. c. c. 4.

deinde

deinde cum cucullum Hildeſiæ ſumeret,(*) teſte eodem Emſero, *ſacroſancta prophetarum volumina & utrumque teſtamentum ac patrum deſuper commentaria die noctuque ruminabat.* Nec poëtices laude caruit, (**) in qua tamen calamitate iſtorum temporum nihil artis, ingenii parum oſtendit: quod ſatis declarat epitaphium, quod S. Bernwardo Epiſcopo ſtatuit, ab eodem Emſero & autore Hiſtoriæ Hildeſienſis MSC. repetitum.

Emſer. l. c. cap. 7.

Emſer. l. c. hiſt. Epiſc. Hildeſ. MSC. c. 14

Hac tumuli foſſa clauduntur præſulis oſſa
Bervvardi miri magnificique viri.
Qui patriæ ſtemma radians velut inclyta gemma,
Acceptus Domino, complacuit populo.
Nam fuit eccleſiæ condignus Epiſcopus ille,
Quem Deus Emmanuel diligat & Michael.
Tandem bis ſenis, undeno menſe Kalendis,
Felix hanc vitam mutat in angelicam.

(*) *Rev. Frid. Lucæ part. 2. Atrii Comit. p. 1147.* Bennonem hunc primum monaſterii Gozecenſis Abbatem factum credit, provocans ad *Cel. Paulini Theatr. illuſtr. vir. Corbeiæ Sax. c. 40. § 1. p. 92.* Sed vereor ne uterque nomina confuderit: Benno enim Gozecenſis abbas qualis fuerit omnibus ferme antiquis auctoribus ignotum eſt. *Chron. Gozec. p. 208. itaque quendam monachum vocabulo Bennonem huic loco ordinaverunt Abbatem, qui unde vel quis fuerit, aut ubi finierit incertum habemus.* Quæ repetit *P. Langius p. 773. Chron. Citiz.* deinde Bennonem hunc non ex Gozecenſi monaſterio, ſed Goslarienſi eccleſia ad Epiſcopatum Misnenſem tranſiiſſe, patet e *Lamberto Schaffn.* auctore coævo. Vnde ſequi crediderim Bennonem illum Gozecenſem, a noſtro plane diverſum fuiſſe.

(**) Studium ejus poëticum laudat etiam *M. Martinus Heidenreich in Bennone redivivo p. 7.* Immo *rev. Georg. Heinr. Goezius in Epiſtola ad Cl. Olearium de Pſalmis eccleſiaſt.* ex *Georgii Goezii Opere* poſthumo Erbauliche Lieder-Betrachtung aſſerere videtur Bennonem Misnenſem, quem Cardinalem vocat, auctorem fuiſſe hymni: *Dies eſt lætitiæ* a Luthero translati & emandati in cantilenâ: Ein Kindelein ſo Loebelich. Sed dupliciter in *B. Georgii Goezii* opere aberratum eſt. Primo enim Benno Cardinalis, qui vitam Hildebrandi edidit, & Benno noſter, Misnenſis Epiſcopus, diverſiſſimi ſunt. Deinde B. auctor pro concione non allegavit Cardinalem Bennonem, ſed *Cardinalis Bona opus de Liturgiis*, ubi plura de compoſitione ejusmodi hymnorum videri poſſint. Error itaque non B. Goezio debetur, ſed ei, qui concionem excepit, ac edidit. vid. *Tenzel. Bibl. Curioſ. ann. 1705. p. 40.*

Hæc quidem veluti ſpeciminis loco ideo adſcribere placuit, ut ſcias, quæ facies bonarum literarum ea ætate fuerit. Inprimis cum Benno ea de cauſa huc evocatus ſit, ut Magiſtri munere fungeretur, hoc eſt, ut ſacram ſcripturam interpretaretur, bonasq; literas doceret. Fuit enim omnino tempus cum Goslaria noſtra omnis eruditionis & bonarum artium quoddam veluti domicilium eſſet, in quo adoleſcentes nobiliores a pueritia paulatim ad vitam clericalem ſolebant præparari. A qua tamen laude tunc demum deſcitum eſt, poſtquam Cleri faſtus artium & doctrinæ ſtudia in monaſteria relegaverat, ubi tam male exceptа ſunt ut relicta denique poſt tergum humanitate, immanis ubique barbaries invaleſceret. Ceterum in laudanda hujus eccleſiæ ſchola prolixi admodum ſunt Martinus Chemnitius, Petrus Philippi, & Johannes Leznerus. Præerat itaque illi tunc Benno, Magiſtri nomen ideo adeptus, quamvis Emſerus hunc titulum honori ejus doctorali, quo in Pariſienſi academia ornatus dicitur, tribuere malit. Sed ipſe tamen fatetur, Bennonem ideo Goslariam accerſitum, *quatenus novæ congregationi ſpiritalis armaturæ dux eſſet, & eccleſiaſtica eam diſciplina tyrociniis erudiret.* Magiſtri ergo ſcholarum dignitas in eccleſiis cathedralibus & collegiatis non alia olim fuit, quam quæ nunc vulgo ſcholaſtria, olim etiam Germanice Schulmeiſterey audivit, ut accurate docent Jacobus Petitus, Zegerus Bernhardus van Eſpen, Carolus du Freſne & alii. Goslariæ egit annis ſeptendecim, quos, ſi Emſerum audimus, crebris vigiliis, frequente inedia, aſſiduis precibus traduxit, eccleſiæ huic multis bonis e patrimonio ſuo conceſſis, de quibus literæ ejus & diplomata ſua adhuc ætate in tabulariis Goslarienſibus extiterint, quæ tamen, neſcio quo caſu nunc deſiderantur. Familiariter imprimis uſus eſt Annone præpoſito, cujus amicitiæ fructum tulit longe uberrimum. Anno enim MLXVII. ejus auctoritate Epiſcopatum Misnenſem impetravit, cui longo deinde intervallo præfuit. Dici vix poteſt, quam incredibilia de illo vulgo enarrare ſoleant, quot miracula commenti ſint, quantam laudem pietatis illi tribuant. Sed, niſi me omnia fallunt, nimia & pene anilis ſuperſtitio animum Bennonis occupaverat. Hinc Romano Pontifici, qui tunc ad faſtigium ſummum magnis paſſibus contendebat, tam mordicus adhæſit, ut perduellionis crimine cum Saxonibus ceteris ſe polluere & Henricum IV. imperio exuere non dubitaret: ut ſatis patet ex actis belli Saxonici: quæ ego quidem pietatis indicium non puto. Pontificibus tamen ſemper magnopere placuit, adeo, ut demum in Divorum numerum illum retulerint. Jam anno MCCLXXXV. quadraginta dierum indulgentias Beñonis ſepulchrum viſitantibus pollicetur Withego Miſnenſis Epiſcopus, cujus tabulas cum aliis, quæ huc faciunt, producit Zim-

Hamersl. Monach. p. 145. ap. Mader. Emſ. c. 11.

Scholae Goslarienſis elogium.

Chemnit. Concion. inaugur. Pædagog. Gandersh p. 1570. Petr. Philipp. Cleri Apoſtol. co. Catholici Aſſert. & Vindic. c. 5. §. 100 p. 71 Lezner. MSC. de monaſter. c. 85. Petit. a Pœnitent. Theod. p. 610. Zegerus Bernh. van Eſpen in Jure Eccleſiaſt. univ. part. 1. tit. 11. c. 4. p. 66. Carol. du Freſne in Gloſſar. med. & infim. Latinit. p. 346. & 741. tom. 2. Emſer. c. 13.

Canoniſatio S. Beñonis.

Conf. Fabric. Ann. Vrb. Miſn p. 27.

Zimmermann. p. 651. ſqq. amœnit. Theol. Luther. Tr. wider den neuen Abgott ꝛc. *Wittenb. 1524. 4. Fabric. annal. Miſn.*

Zimmermannus. Satis diu itaque peregrinationibus, precibus & anniverſariis cultus anno demum MDXXIII. & ſequente ab Hadriano Papa in Lutheranorum odium ſolenni ritu inter cælites refertur. Tandem autem, fugatis tenebris, Miſena in Bavariam avehitur, ubi hodienum dicitur in deliciis eſſe. Videantur B. Lutheri tractatus wider den neuen Abgott und alten Teuffel der zu Meißen ſoll erhaben werden. Fabricii annales Miſn. Fauſti Geſchichte der Stadt Meiſſen. Zimmermani amœnitates Theol. & quæ inſtar omnium eſt Seckendorffii Hiſtoria Lutheranismi.

ad ann. 1534. Zimmerm. amœnit. Theol. nerv. §169. p. 169. ſq. Seckendorff. l. c. Schlegel. hiſt. vet. Cellæ n. 95. p. 121.

Annus Chriſti 1067.

Henrici IV. Reg. 12.

Ab. V. C. 144.

Henrico Præpoſitus Goslarienſ. Spir. Epiſc. creatur.

ANnum ingredimur Chriſti milleſimum ſexageſimum ſeptimum, multorum Germaniæ præſulum morte funeſtum, ſed & ipſi Henrico regi parum felicem, cum magnam ejus partem lecto affixus exegerit. Primum quidem hoc anno in vivis eſſe deſiit Einhartus Spirenſis Epiſcopus, quem Hamerslebienſis monachus & Emſerus in Goslarienſium canonicorum numero pariter recenſent, ſed refragante annalium fide, ſiquidem Einhartum e Limburgenſi cœnobio Spiram provectum magno conſenſu tradunt autores. Huic autem defuncto e noſtra eccleſia, communi illo Epiſcoporum ſeminario ſubrogatur Henricus, Canonicus, ex illuſtri Comitum Scharfenbergenſium familia oriundus. Impenſior Regi cum Henrico hoc interceſſit familiaritas, quod eorum animi jam inde ab ineunte pueritia longo uſu coaluerant. Fidei ergo præmium tulit Epiſcopatum Spirenſem, non tam Annonis, aut ceterorum principum ſuffragiis, quam ipſa regis voluntate adjutus, ut aperte tradunt Lambertus Schaffnaburgenſis, Lehmannus, Philippus Simon & Bruſchius. Miro vero conſenſu & cenſoria ſeveritate ei notam, nurunt hiſtorici, illum tanto honori minime parem nec tam ad ſacra agenda, quam aulam & caſtra natum fuiſſe obſervantes. Addunt luxuriam, qua adeo Epiſcopatus bona abligurierit, ut omnes reditus vix illi ad ſemeſtre ſuffecerint. Denique, ne quid ejus infamiæ deeſſet, mortem illi tribuunt horrendam, non alius tamen ſubnixi teſtimonio, quam presbyteri cujusdam, qui eum divino judicio capitis damnatum, per quietem vidiſſe ſe, gloriabatur. Sed videor mihi cauſam tantæ invidiæ deprehendere. Nimirum, quod regi conſtanter adhærebat, Gregorii Papæ odium ſibi contraxerat, a quo ad interdictum vocatus, cum parere nollet diris devotus, & ferali execrationis fulmine percuſſus eſt. Quid ergo mirum, ſi autores partiú ſtudio in transverſum acti eum tot convitiis onerarunt? Nam temporum illorum hoc ferebat ratio, ut ſi qui rege paulo uterentur familiarius, aut Gregorii ſiniſtra conſilia minus probarent: ſtatim vulgo propudia ac omnibus vitiis polluti homines crederentur. His ergo addebant miſerabile mortis genus ut eo major veneratio Pontifici Romano accederet, ſi ejus adverſarios tam crudeli morte peremtos pateſceret. Hanc fortunam omnes illos ſubire oportuit, qui ad Regis partes paulo erant procliviores. In quorum numero erant Wilhelmus Epiſcopus Trajectenſis, Patriarcha quidam, legatus Apoſtolici maximus, Udo Archiepiſcopus Treverenſis, Eppo Citicenſis præſul, Godefridus Dux & Godebaldus, Burchardus præfectus Miſnenſis, Liupoldus Regis Conſiliarius, quos omnes horrenda morte vivendi finem feciſſe referunt Bruno monachus, eumque ſecutus Chronici Magdeburgenſis Autor, hac addita epicriſi: *Et cur cum* (Wilhelmum) *ſolum dico miſerabiliter obiiſſe? cum manifeſtum ſit, omnes fere Henrici familiares & fideles æque miſeras mortes incurriſſe, & eos miſeriores, qui fuerant illi fideliores, quod fides illa vere erat perfidia.* Nemini itaque mirum videatur, non mitius cum Henrico etiam Spirenſi fuiſſe actum, quem Regi quippe cariſſimum ac exoſum Pontifici peſſimis convitiis proſcindunt ſcriptores: ne Lamberto quidem excepto, qui ſe in Papam juſto propenſiorem tota bellorum Saxonicorum hiſtoria declaravit.

Bruno hiſt. bell. Sax. p. 131. ap. Freher. tom. I. Chron. Magd. ap Meib. tom. 2. p. 306.

Phil. Sim. hiſt. Epiſc. Spir. fol. 48.

L. Schafn. ad ann. 1057. p. 388. Lehm. l. 5. Chron. Spir. c. 41. p. 477. Phil. Sim. l. c. Bruſch. c. 6. n. 32. p. 871. ap. Gvalt. Baron. ad ann. 1075 p. 468. tom. XI.

Idem annus Osnabrugam quoque Epiſcopo orbavit, Bennone, quem & Werincherum vocatum in Osnaburgenſium annalibus deprehendimus. Succeſſorem a Rege, qui tunc Goslariæ noſtræ agebat adeptus eſt *Bennonem* Merſæo Bernhardum gente Svevum, quem e ſterili diu matrimonio parentum votis prodiiſſe ferunt. Jam ab ineunte ætate Goslariam miſſus in Scholam, quæ tunc eccleſiæ SS. Simonis & Judæ juncta erat, tam celeriter cœpit eruditionis laude efloreſcere ut non modo ſcholæ noſtræ moderandæ, ſed & Hildeſienſi paulopoſt præficeretur, donec in eadem eccleſia Præpoſituræ dignitate potiretur. Denique Oſnabrugenſi ſacerdotio auctus eſt ab Henrico Rege Goslariæ tum præſente, ipſo die Clementis, cujus memoria adeo illi ſacra fuit, ut & monaſterium quoddam B. Clementi devoveret. Altero Bennone Miſnenſi hic longe fidelior, nunquam regis partes deſeruit, certus, injuſte optimo regi tot lites moveri. Diutius cum eccleſiæ ſuæ præfuiſſet, Anno Chriſti MLXXXIIX. XI. Kal. Auguſti placide obdormivit tumulo conditus, hoc titulo prænotato, ex quo ſatis ætatis iſtius ignorantia elucet:

Benno olim Magiſter Goslarienſis. Osnabr. Ep. creatur. *L. Schafn. p. 388. Ertwin. Chron. Oſnabr. p. 207. ſqq. Cranz. l. 4 metrop. c. 38. p. 111. Merſæus de elect. eccleſ. p. 1576. Behrens Catal. prep. Hild. p. 2. Schaf. l. c. annal. Pad. p. 566.*

Quis ſim lecturi quid ſunt quandoque futuri
Dicite Præſul habe Benno perenne vale.

Quem

Quem mea spes struxit locus hic mea funera luxit
De Juli novies tres peragente dies.

Henrico Rex Goslariæ ægrotat. *Lamb. Schaffn. p. 388.*

Deficiente jam anno Rex Henricus, cui Bertha superiore anno in thorum concesserat, cum nova nupta Goslariam nostram reversus est & a festo Martini, in morbum relapsus, tota quæ superfuit, anni parte cum valetudine non rediit in gratiam, adeo ut nec sub Christi natalitia quidem lectulo pedem efferret. Multa inde aulæ otia, Henrico enim cum morbo conflictante, Saxones, spreto jam Rege, suo quævis arbitrio agebant.

Annus Christi 1068.
Henrici IV. Reg. 13.
Ab. V. C. 146.

Henrico Harzburgum aliaque castella munit. *Bertb. Const. p. 344. Ab. Ursp. p. 229. Bruno hist. bel. Sax. p. 105. Ab. Stadens. p. 248. Meibom. Epist. ad Frid. de Hemb. 1083.*

Sub hujus quoque anni initia Goslariæ versatus est Henricus totamque hyemem hic exegit. Jam Saxones, quæ animis adhuc abdita fuerant, magis aperte indies prodere, clandestinos inter se conventus indicere, debita regi servitia negare, regis famam ac existimationem imminuere & forti se invicem animo ad arma sollicitare cœperant. Rex ergo, cui hæc diutius celari non poterant, ipse quoque imperium suum firmaturus montes castellis præmunire positisque præsidiis firmare ausus est, id quod eo intolerabilius episcopis videbatur, quo pertinacius adhuc Regis ætatem fuerant aspernati. Inter hæc mu-nimenta in Goslariæ nostræ vicinia emi-nuit Hartesburgum, Crodonis olim simulacro infame, in cujus origine asserenda nonnulli ad tam antiqua tempora respiciunt, ut illud multo ante Christi natales conditum fabulentur, quod tamen merito in dubium vocat doctissimus Meibomius. Hoc castellum jam dudum desertum Rex denuo e suis ruinis resuscitabat, palatium ecclesiamq; ibi novam statuebat, tantisque hanc ornabat beneficiis, ut id inimicis ejus esset invidiæ. Rem præclare retulit Bruno monachus, scriptor Henrico parum æquus, cujus verba ipsa exhibeo: *Inter hæc omnia*, inquit, *jam abeunte adolescentia, mox ut Adelbertum Bremensem Episcopum nactus est consiliarium, ipsius suasionibus cœpit in diversis locis altos & natura munitos montes quærere, & in his hujusmodi castella fabricare, quæ si in locis competentibus starent ingens regno firmamentum simul & ornamentum forent. Quorum primum & maximum Hartesburg appellatum, quod ita forti muro & turribus & portis exterius munitum, ita regalibus ædificiis intus adornavit, tale monasterium in ipso construxit, tales ornatus in ipso monasterio collocavit, tales & tot clericos illuc undique congregavit, (*) ut aliquot Episcopales locos omni suo apparatu aquipararet, aliquot etiam transcenderet. Quicquid ornatus ecclesiastici quemlibet Episcopum magis decorum videbat habere, sive præcepto sive precibus acceptum suo monasterio studebat conferre.* Hanc itaque eccle-

Bruno hist. bell. Saxon. p. 105. tom. I. ap. Freher.

(*) Canonicos fuisse omnes veteres consentiunt. Peram Aquinatinus

siam & castellum Henricus magnopere ferebat in oculis, sæpiuscule illuc Goslaria divertens, ut plura ejus diplomata testantur. Sed splendidissimo operi Saxonum crudelitas non pepercit, nam quam primum res ad arma venit, hoc etiam castellum cum ecclesia in cineres verterunt.

substituit collegium mystacum virginum l. 5. p. 451.

Goslariæ præsens Henrico *Schaten. p. 568. l. 9. annal. Paderb. part. I. Paul. diss. de pagis p. 590. Syntagm.*

Interea dum Harzeburgum e ruinis suis feliciter renascitur, vergente jam in æstatem anno, Henricus denuo Goslariæ hæret, ut testatur luculentum diploma, quo Hezeloni Episcopo Hildesiensi comitatum Friderici & Conradi Comitum regia donatione addicit. Subscriptio, quam præferunt literæ, ita se habet.

BIBO *Cancellarius vice* SIGEFRIDI *recognovi. Data Non. Augusti. Anno dominicæ incarnationis millesimo* LXVIII. *Indict.* VI. *anno autem ordinationis domni* HEINRICI *quarti Regis, regni II. Actum* Goslariæ *in Dei nomine feliciter Amen.*

Sed & reliquam anni partem Goslariæ Henricus transegit, celebratis hic quoque Christi natalitiis; quo tempore *pacem & reconciliationem in populo apud Goslare regali edicto sub sacramento confirmatam esse*, scribit Bertoldus Constantiensis.

Bertold. Const. p. 244.

Annus Christi 1069.
Henrici Reg. 14.
Ab. V. C. 146.

Rex divortium cum uxore meditatur. *L. Schaffn. p. 388. Serrar. l. 5 rer. Mog. p. 751.*

Appetente jam vere Rex ad lustrandas more majorum provincias appulit animum, & paschate Quedlinburgi celebrato ad Rhenum deflexit, Coloniæ celebraturus pentecosten. Inde Wormatiam profectus, principes ad comitia evocavit, ubi nactus occasionem non modo animum uxorem e talamo dimittendi aperuit libetius, verum etiam Sigefridum Moguntinum archiepiscopum pollicitatione opis ad extorquendas Thuringorum decimas inescare cœpit, ut is thoc divortium suo suffragio adjuvaret. Hæc res quamvis fœda atque indigna videretur principibus; archiepiscopo tamen tanti spe præmii regis causam acrius quam modestius tuente, visum est omnibus, negotium ad Synodum Moguntinam, proxima post festum S. Michaëlis hebdomada futuram, differre.

Dedo Marchio a rege debellatur. *Lamb. l. c. Sagitt. l. 4. antiqu. Thur. c. 22 p. 321. Paul. annal. Isen. p. 16.*

Suspensa interea inter spem metumque Laureshami hærebat regina; Rex Thuringis decimas Moguntino negantibus imminebat. Interea Dedi Marchio Saxonicus ducta nuper Ottonis Marchionis vidua ditior redditus res novas moliebatur, omnes defuncti Ottonis facultates appetens, quas a diversis beneficii loco obtinuerat. Repulsam passus Regi succensere cœpit, per quem potissimum stetisse putabat, quo minus voti compos fieret. Hinc Thuringis, quos jam regi infensos noverat, ad armorum societatem pellectis, bel-

lum minari videbatur. At rex incredibili celeritate contracto exercitu Dedonis consilia antevertit, Thuringisque ab ejus societate facile abstractis bina Dedonis castella præsidiis munita Bichelingen & Schidingen, alterum in deditionem recepit, alterum manu expugnavit. Quo factum est, ut Dedo Marchio sustinendis Henrici armis imparem se animadvertens regi se permitteret, custodiamque brevem extremo periculo putaret anteponendam. Postremo Thuringis socio privatis & quidvis licet libertatis suæ causa facere ac pati paratis decimæ imperatæ sunt, Dedoque parte ditionis mulctatus e captivitate dimissus.

Rex in synodo spe divortii excidit. *Lamb. l. c. Serrar. hist. Mog. l. 5. p. 752.*

Aderat interea Synodo præfixum tempus, cum rex spei plenus iter e Thuringia Moguntiam versus jam suscepisset. Sed spem omnem ei e manibus extorsit Petrus Damianus Pontificis legatus, qui archiepiscopum gravissimis insperfis minis increpavit, quod regis animum in tam fœdo turpique negotio suo suffragio obfirmasset. Quo cognito rex abjecta divortii spe iter concitus in Saxoniam repetere statuit. Commotus tamen episcoporum qui ad synodum confluxerant, frequentia mutavit consilium, omnesque Francofurtum invitavit. Hic cum & legatum Pontificis ad concedendum divortium flecti non posse, & principes sibi obniti animadverteret, dissimulato in præsens odio uxorem in torum se pollicitus est recepturum, protinusque in Saxoniam nostram cum paucis militibus remeavit.

Rex Goslariæ conjugē honorifice suscipit.

His ita gestis *Regina*, ut Lamberti verbis narrationem absolvam, *cum cetera multitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumque ad eum Goslariam venisset, vix compulsus ille a familiaribus suis, ut ei obviam procederet, satis superque pro consuetudine eam benigne suscepit. Sed protinus refrigescente amore ad ingenium suum atque ad pristinum rigorem animi rediit, & quia consilia scindendi conjugii sepe jam tentata non processerant, statuit deinceps communicato cum ea solum regni nomine, sic eam habere, quasi non haberet.*

Hæc hactenus Lambertus cui soli debemus hanc narrationem. Cum vero in historia omni nihil possit contingere optabilius, quam si scriptorum testimonia cum genuinis diplomatibus reperiantur convenire: non potuit non mihi esse longe gratissimum diploma Henrici, quod omnes hujus anni res gestas veluti in compendio refert. Servatur id in luculentissimis ecclesiæ SS. Simonis & Judæ tabulariis, ex quo primum jam prodit in lucem ex autographo summa cura a me descriptum. Largitur quidem in eo Rex ecclesiæ huic villam Selnize sed simul exinde multa a Lamberto hactenus relata lucem possunt accipere. Primo enim in eo Bertham Henricus vocat thori regnique sui consortem, quod testimonio est, eum jam tum cum illa in gratiam rediisse: deinde de Herimanno Bambergensi episcopo fatetur, eum eo tempore communi principum consilio in curia omnia negotia administrare: quod obscure admodum tradit Lambertus, familiares tantum regis, presso nomine suggillans. Denique Henricus ipse refert, Dedonem marchionem perduellionis reum in custodia a se fuisse detentum, lytrique loco pluribus prædiis atque in his villa Selnize fuisse multatum, quod etiam a Lamberto, licet non tam luculenter fuit denarratum. Sed en ipsum cedro dignum diploma, aut si mavis folium Sibyllæ:

diploma Henrici, quo hæc omnia egregie illustrantur.

IN nomine scæ & indiuiduae trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia rex. *Cū animo diuino patris nri divae & augustae memoriae HEINRICI. in oēm religionem promptissimo. ob perpetuā & suam & nostram beatitudinē aecclām* GOSLARIENSEM *fundauerit. & ex suis reditibo inusus cottidianos frūm*prędia multa contulerit. nos consideratam eo rationem & piam uoluntatem familiarius amplectentes. eidē aecclāe ex uris copiis benefacere cogitamo. Quare in cōne seculū notū eeuolumo. quo pacto nos submonentibo & consilium dantibo fidelibo ūris. tum BERHTA thori reguiq; nri consorte. tum HERIMANNO babenbergensium epo. eo tempore in curia cōmuni principū ūror. consilio negotia oēia administrante. prędiū quoddā* SELNIEE *dictū. in pago* NICIEA. *sub comite sitū. eidē aecclae nra manu impropriū concessimo. Quod prędiū eidē loco olim a patre ūro collatū cū marchio* DEDO *sibi in concampio postulass&. possessū ac diu suo dominio mancipatū. eo quod nouis quibusdā tumultibo & bello temerario a nobis dissensiss&. tempo & pacē sibi redimendo. inter alia sub testibo compluribo nobis libens contradidit. Idem autem ut mos est dare regibo uel imperatoribo. sic dedimo. cū oēibus suis appendiciis. id est utriq; sexus mancipiis. areis. exitibus. & reditibo. agris. quesitis. & inquirendis. pratis. pascuis. aquis. aquarūq; decursibo. molis. molendinis. piscationibo. uineis. uinetis. aecclis. decimis.*

* *fratrum*

decimis. fluis. uenationib9. insuper siluã. uel foreſtũ. & cũ oñi utilitate qvç allomodo inde prouenire poterit. eo tenore. ut ſiue tenendũ ſit. ſiue pro utilitate aliqua comutandũ. liberã utriq; rei aeccla eadẽ habeat poteſtatẽ. Et ut haec nrae auctoritatis traditio firma & inconuulſa oñi tempore permaneat. hanc cartã inde conſcribi. & propria manu confirmantes ſigilli nri impreſſione ſignari juſſim9.

Signum domni Heinrici
regis quarti.
Adelbero cancellarius
uice Sigefridi archicancellarii recognoui.

Data. VII. Kl. NOũ. Anno dnicaę incarnat. Mill. Lxviiii. Indictione VIII. añoautẽ ordinat. domni HEINRICI XVI. Regni XIIII. actũ Merſeburg feliciter AM.

Pagus Nisizi quis? *Meibom. tom. 3. p. 105. Mad. antiq. Brunſv. p. 186. & 190. Ditm. l. 4.*

Pagus NICIZA partem quandam ſuperioris Miſniæ & Luſatiæ complexus eſt, ut obſervat Doctiſſimus Meibomius. In diplomate confirmationis epiſcopatus Miſnenſis quod Maderus edidit, vocatur NISIZI. In alia Johannis Papae bulla ab eodem deſcripta NISINEN, ſiue ut in variantibus eſt lectionibus NISEN, apud Dietmarum Merſeburgenſem NISENI. Laudatus Meibomius in hoc pago notavit burgwardia duo Woz & Biuſtrizi, villamque Scarpenberg, quibus nunc ex noſtro hoc diplomate licebit addere villam Selenize, quo facilius de pagi hujus ſitu judicare poſſint ii, qui rerum Miſnicarum hiſtoriam hodienum ſua induſtria dignam judicant.

Bibo Goslariensis Præp. Epiſc. Tullensis renunciatur.

Jam ut ad hujus anni hiſtoriam ex hoc jucundo diverticulo redeamus, Tullum quoq; inter hæc turbulenta Saxoniæ tempora ereptum ſibi epiſcopum flevit. Quod ideo obſervandum hic fuit, quod ex eccleſia SS. Simonis & Judæ defuncto ab Henrico ſublectus eſt Bibo Præpoſitus, vir eruditus, ut ferebat ſeculum, & in tantum vulgarem ſortem ſupergreſſus, ut dignus videretur, qui præter hujus eccleſiæ præpoſituram, Mallinkrotio auctore, togatae etiam militiæ principatum in palatio teneret, Cancellariique munere ſplendidiſſimo fungeretur. Ad Tullenſem epiſcopatum eum hinc tranſiiſſe magno conſenſu tradunt Monachus Hamerslebienſis, Emſerus, Leznerus Bucelinus & Mallinkrotius. In catalogo vero epiſcoporum Tullenſium, quem Joannes Chenu Bituricenſis edidit, una cum aliis exulat, quod tamen argumento eſt hunc catalogum non eſſe ſuis numeris abſolutum. Ut enim alia veterum taceam teſtimonia inprimis Gregorii VII Papæ, qui hunc Bibonem Tullenſem epiſcopum in quadam epiſtola ad Vdonem Treverenſem vocat Popponem, ipſe Lambertus præcipuus horum temporum ſcriptor nos ſuo ſuffragio juvat: *Tolleſe*, inquiens, *epiſcopus obiit, cui Bibo cancellarius ſucceſſit.* Nolim autem putes per Toloſam quenquam alium hic intelligendum locum, præter Tullum Lotharingiæ. Sæpius hanc ita vocant auctores, id quod jam alii notarunt. In ferali illo ſchiſmate Hildebrandino Bibo noſter conſtanter adhæſit Henrico, cujus etiam in ſynodo Wormatienſi cauſam adjuvit. Ceteras ejus res geſtas, deſerta ad huc hiſtoria Tullenſi, ignoramus. Pauca obſervat Bucelinus quae hic addimus: *Bibo vel Bipo, alias Poppo, miro cuculli amore, abdicato pontificatu illud denuo in cœnobio Divionenſi amplexus, inde petente clero, jubente Romano Pontifice, denuo extractus religioſiſſime præfuit: Obiit* 1107.

Ap. Bin. tom. 3. conc. part. 2. p. 278. Lamb. p. 389. Pallat. tom. 2. de geſt. pont. p. 372

Obſerva igitur, Lector amantiſſime, quot Cancellarios eccleſia SS. Simonis & Judæ protulerit. Ab ipſis ſane eccleſiæ incunabulis ad Friderici I. usque tempora vix ullum reperies hujus eccleſiæ præpoſitum, quin aut ſummum in palatio locum, aut a ſummo proximum obtinuerit. Immo tam frequentes in aula verſabantur, ut Fridericus Cæſar ideo bona præpoſituræ a ceteris canonicorum facultatibus ſeparata voluerit, quo nimirum eo expeditius reipublicæ operam poſſent navare. Patet id ex Friderici I. diplomate, cujus hic partem profero:

Plerique praep. Gosl. cancell. Cæſarii fuere.

Proinde noſtra auctoritate juxta fidelis noſtri *Adelboi* ejusdem eccleſiæ præpoſiti, & totius Capituli petitionem ſequeſtrationem bonorum præpoſituræ & præbendarum etiam ſcripto confirmamus, ut præſentibus & futuris omnis occaſio diſſenſionis utrinq; tollatur, *ita quod praepoſitus ad regni ſervitium expeditus habeatur.* — — — Hujus confirmationis teſtes ſunt *Conradus* Moguntinus archiepc. *Wicmannus* Magdeburgen. Archiepc. *Heinricus*

Bucelin. part. 1. Germ. S. p. 37. Mallinkr. p. 227.

Greg. l. 1. epiſt. 81.

ricus Leodien. epc. *Fredericus* Monaſterien. epc. *Heinricus* dux Bawariæ & Saxoniæ. *Albertus* marchio de Saxonia & alii quam plures.

Signum Domni *Frederici* Róm. Imperat. invict.

Ego *Criſtianus* cancellarius vice *Cunradi* Moguntinen. electi & archicancellarii recognovi. Acta ſunt hęc anno dominicę incarnat. M. C. LXIII. indict. XI. dat. Maguntię II. Id. April.

Noli ergo mirari, tam paucorum præpoſitorum apud nos ſupereſſe monumenta, cum rarius domi fuerint, ac plerumque inter purpuratos ſint verſati, eccleſiæ huic ſimulque reipublicæ eadem opera conſulentes.

Annus Chriſti 1070.

Henrici IV. Reg. 15.

Ab. V.C. 147.

Henrico Ottoni Bajoariç dicit *Lambert. Schaffn. p.390. Alb. Stad.p.243 Abbas Vrſp.p.220 Aventin. l.5.p.443. Andr. presb.p.22 Chron. Bau.*

INeunte hoc anno Henricus Rex in ſuperiore Germania ſubſtiterat, unde tamen exigentibus id imperii negotiis mox in Saxoniam reverſus eſt. Paſchate igitur Hildeſiæ, aſcenſione Domini Quedlinburgi, pentecoſte Martisburgi feſtis gaudiis majorumque more peractis, Moguntiam tendit, quo totius imperii proceres ad colloquium evocaverat. Præ ceteris tunc opibus florebat Otto Bojoariorum Dux, quem tamen neſcio quod iniquius fatum ſuum in incredibile regis odium adduxerat. Cum enim Enno quidam viliſſimus homo, telum ſibi in regis perniciem ab illo datum profiteretur, Rex indignitate rei commotus in ſolenni principum conventu Ottoni diem dicit, Goslariamq; vocat, atque ibi ſeculi illius perverſo more crimen ſingulari certamine diluere, jubet.

Otto Goslariá vocatus vadimonium deſerit & proſcribitur. *Chriſtian Knaut. antiqq. pag. Anhaltin. §. 10.*

Interea Rex hujus rei gratia in Saxoniam tendit, & menſe Julio Goslariæ Ottonem opperitur, novum ſubinde & a ſerevſtitutum Harzeburgi caſtellum inviſens, ubi & circa hæc tempora Ballenſtedenſi eccleſiæ præclarum dedit diploma, cujus hic clauſulam more noſtro reddimus:

Adelbero Cancellarius vice *Sigfridi* Archi-Capellani recognovit. Data VII Kal. Aug. Anno dominicæ incarnationis MLXX Indictione XI Anno autem Ordinationis Domini *Henrici* IV. Regis XIX. Regni vero XVII. Actum eſt Harzesburg feliciter in Dei nomine Amen.

Aventin. Annal. Boj. l.5. p.443. Lamb.l.c. Viſp. l. c.

Otto Bojoariæ dux morem Henrico gerens Goslariam quidem, ſed cum armata manu properabat, & antequam urbem ingrederetur, fidem publicam flagitabat, paratum ſe fore pollicitus, principum ſtare judicio, ſi id ſine ſuo periculo liceret. Quam conditionem cum Rex exacerbatus aſpernaretur, Otto Regi diffiſus, re infecta diſceſſit: Henricus ergo hoc in contemtum ſui interpretatus, magnopere commovebatur, erantque qui continuo perſequendum, in vincula conjiciendum & more majorum ſupplicium de eo ſumendum ſtatuerent. Sed conſilia hæc eluſit Ottonis aſtutia, qua amicos ſuos diem ſermonibus extrahere juſſerat, donec equi beneficio elaberetur. Convocato igitur principum ſenatu Rex Legem ſalicam, qua capitis ſupplicium in perduelles ſtatuitur, a ſcriba juſſit recitari, principesque jurisjurandi, quo reipublicæ ſaluti ſe adſtrinxiſſent admonitos ordine ſententiam rogat, quorum ſuffragiis Ottonem ducem proſcribit, & quædam ejus caſtella tum occupat ipſe, tum aliis Ottonis inimicis diripienda concedit. His malis itaque preſſus Otto, collectis copiis ſuis villas Thuringiæ regales devaſtat, indeque latius progreſſus, ad Eſchwegam Haſſiæ turmam Thuringorum ſibi occurrentem tanto proelio fundit, ut pauci extremam ſtragem evaſerint. Quid? quod idem exitium Goslariæ noſtræ imminuerit, cujus ſaluti timens Henricus *perlato ad ſe nuncio accepta in Hesche- Lamb. nemvvege cladis, omiſſis rebus aliis Goslariam Schaffn. concitus remeavit, nec inde unquam ante nata- ad ann. lem Domini abſceſſit, timens ſcilicet, ne tam p. 390. charam tamque acceptam ſibi villam, quam pro patria ac pro Lare domeſtico Teutonici Reges incolere ſoliti erant, hoſtes per abſentiam ejus, quod minitari & crebris uſurpare ſermonibus dicebantur, in favillas cineresque redigerent.* Patet ergo Henricum circa anni hujus finem natalem Domini hic celebraſſe, ubi etiam rogante Rudolpho Sveviæ duce profugi Ottonis ducatum contulit Welfoni Ottonis genero, qui tamen ſoceri calamitate intellecta, rupto matrimonii vinculo, filiam patri remiſit.

Ducatus Ottonis Welfoni datus. *Lamb. ad ann. 1071. p. 391.*

Adam. Bremens. l.4.c.25.p.124. Cranz. l.5. Sax. c. 4. p. 107. Bruno hiſt. bell. Sax. p.106. Vrſperg. p.220. Aventin. l 5. p.444.

Annus Chriſti 1071.

Henrici IV. Reg. 16.

Ab. V.C. 148.

Henricꝰ de ſecuritate Goslariç ſollicitꝰ. *Lamb. Schaffn. p. 391. Stumph. lib. 1. vit. Henrici IV. c. 23. Lenber. n. 789. de Stapula Magdeb.*

PRoximo anno Rex Goslaria ad opprimendum Ottonem profectus, ne interea inimicorum rabies durius in urbem hanc ſibi chariſſimam conſuleret, in præſidio reliquit præcipuos aliquot Saxoniæ Principes, multum ſua intereſſe ratus, ne Goslaria hoſtium furori exponeretur, in qua, ſi Stumphium audiamus, regni ſui inſignia, clinodia & theſauros ſervare ſolebat. Inde rebus ita conſtitutis in Bajoariam progreſſus eſt, provinciamque hanc, veritus ne turbæ ob novum ducem coorirentur, perluſtravit, ac cum Ottone inducias pactus tandem in Saxoniam ſuam rediit, ubi Otto Bavarus ceteriquè ejus ſocii Regis ſe clementiæ crediderunt.

Otto Canonicus Goslar. Conſtan-

Deficiente jam æſtate Henricus Moguntiam proficiſcitur, ubi Alexandri II Pontificis juſſu Synodum Epiſcoporum collegerat Sigefridus Moguntinenſis Archiepiſcopus

tienſis Epiſcop. creatur. *Concil. tom. 9. p. 1204. ſq. L. Schafn. ad h. ann. p. 392. ſq. Bruſch. c. 4. de Epiſc & Archiep. Germ. n. 42. p. 802 Jacob. Manl. Brigant. Chron. Ep. Conſtant. n. 35. p. 685 ap. Piſtor.*

pus: cujus acta brevius a Lamberto Schaffnaburgenſi relata plenius recenſentur a Tennagelio, Binio, Baronio, & reliquis Conciliorum collectoribus, nec non a rerum Moguntinarum ſcriptore diligentiſſimo Serrario. Præcipue ad hanc congregationem ſacerdotes compulerant Caroli Conſtantienſis Epiſcopi ſcelera, quippe cui Simonia, furtum & plura alia vitio dabantur a ſuis Canonicis: forte etiam ſatis hoc criminis videbatur, quod Regis a partibus conſtantius ſtaret. Quamvis autem objecta ſibi crimina Epiſcopus diligenter diluceret, ipſeque Rex ejus cauſam pro virili ageret: prævaluit tamen cleri ſententia, qua Carolus Sacerdotio privatus cauſa cecidit. Reverſus igitur Magdeburgum, ex qua eccleſia ad Epiſcopatum Conſtantienſem fuerat provectus, mœrore animi conſumtus eodem anno vivendi finem fecit.

Lamb. l. c. Bruſch. l. c. n. 41. Jacob. Manl. l. c. n. 36. Leznet. Op. MSC. de Monaſt. l. 15.

Dejecto igitur ab Epiſcopatu Carolo, ex Goslarienſi Canonicorum collegio Otto ſublegitur, quem & Ottonem de Gozlar vocavit Jacobus Manlius: *Hunc Rex recentis calumniæ exemplo deterritus confeſtim conſecrari fecit*, ait Lambertus Schaffnaburgenſis, *ne quis ſcilicet adverſus eum ſcrupulus denuo per dilationem conſecrationis oriretur.* Prudentiam, literarumque bonarum ſcientiam in eo deſiderant Scriptores, ipſius Henrici Regis teſtimonium afferentes, quem ad familiares ſuos dixiſſe perhibent: *Conſtantienſes noluiſſe retinere ſapientia & doctrina inſtructum Epiſcopum* [Carolum] *haberent ergo jam fatuum iſtum Ottonem.* Enim vero non adeo rudem & a literis plane inopem fuiſſe Ottonem, vel inde liquet, quod Obſequiale ſeu Officiale elucubravit, inter Scriptores eccleſiaſticos ideo relatus a Poſſevino. Eadem ergo fata eum ſubiiſſe veriſimile eſt, cum Henrico Spirenſi Epiſcopo. Scilicet quod Henrici Regis, hoc eſt, Reipublicæ cauſam tuebatur, iniqua ſcriptorum judicia expertus eſt. Quod eo certius aſſerere mihi videor, quod conſtat ſollicitante Gregorio Pontifice, adeo in ejus perniciem omnes interjecto tempore conjuraſſe, ut improborum invidiæ cedere, Conſtantiaque relicta denique imminentis periculi procellam exilio evitare cogeretur. Ejecto & profligato Henricus IV. Epiſcopatum Cilimbrenſem in exilii ſolatium dedit, quem tamen temporum injuria prohibitus nunquam adiit. In vivis eſſe deſiit Baſileæ anno MLXXVI excommunicationis Pontificiæ vinculis nec dum ſolutus, cum vix tribus annis eccleſiæ ſuæ tenuiſſet gubernacula, duos vero integros exilio, orbitate, miſeriaque exegiſſet.

Poſſevin. in Appar. p. 554. tom. 2.

Henrico filiolus naſcitur mox tabri fonte tinctus, properantibus fatis extingvitur.

Hæc dum Moguntiæ geruntur, Bertha, Regina, Henricum parentem facit elegantiſſimi filioli, qui vix baptismatis ſalu- Exanime corpuſculum Hartsburgum delatum in novo monaſterio conditorium reperit, inaudita poſtea tinctus crudelitate a Saxonibus violatum.

Serar. l. 5. rer. Mog. p. 755.

Annus Chriſti 1072.

Henrici IV. Reg. 17.

Ab. V. C. 149.

Adelbertus Bremens. Archiepiſcopus Goslariæ obiit. *L. Schafn. ad h. ann. p. 395. Adam. Bremens. lib. 4. cap. 32. ſqq. Alb. Stadenſ. ad h. an. p. 245. H. Wolter Chron. Brem. p. 46. Chron. Gozecenſe p. 214.*

SUb anni hujus exordium Rex ſuperiorem adhuc luſtrabat Germaniam, ex qua tamen Reipublicæ negotia & turbarum Saxonicarum metus eum in Saxoniam revocabant citius. Itaque ſub veris auſpicia Goslariam noſtram reverſus, ibidem totum exegit quadrageſimale jejunium, Adelberti inprimis Bremenſis & Wezelonis Magdeburgenſis conſortio delectatus, quod tamen mors hujus viri paulo poſt abrupit. Jam enim XVII. Kal. Aprilis Goslaria noſtra, quæ ſæpius antea Adelbertum hunc in aula ſe jactantem viderat, funus quoque hujus præſulis aſpexit, nulli hominum, quam ipſi Regi acerbius. Publicis imperii negotiis ad extremum usque halitum immerſus, parum de emendatione eccleſiæ ſuæ cogitaverat, homo nimis omnibus notus, ſibi ipſi ignotus, nec parem, nec ſuperiorem ferre aſſvetus; magnificus tamen princeps & poſteris ob prudentiam memorandus, ſi arrogantia & rerum alienarum ſtudium abfuiſſet. Exuviæ corporis Goslaria Bremam revectæ, dignis tanto viris exequiis terræ mandatæ ſunt.

Bert. Conſt. p. 345. Hiſt. archiep. Bremenſ. ap. Lindenbr. c. 18. p. 87. ſqq.

Reliquiæ Sanctorū Hartesburgum tráslatæ *Lambert. Schaffn. p. 395. Schaten. lib. 6. annal. Paderb. part. I. p. 574.*

Vulnus morte dilectiſſimi conſiliarii ſibi inflictum Rex ſuſcepto ad Rhenum itinere leniturus, Palmarum feſtum Coloniæ, Paſcha Trajecti celebrat, atque inde plurimis Divorum reliquiis veluti *S. Speo Confeſſore, brachio Juſti Simeonis, capite Anaſtaſiæ martyris* onuſtus, quas Aquisgrano Harzeburgum attulerat, Goslariam noſtram repetit, ſed celebrata ibi Aſcenſionis Dominicæ feſtivitate in qua & Ottonem Bavariæ Ducem in gratiam recepit, ſtatim Magdeburgum ad pentecoſtes ſolennitatem properavit.

Liemarg Gosl. Canonicus Bremens Archiep. creatur. *Henric. Wolter. l. c. p. 46. conf. Hiſt. archiepiſc. Brem. ap. Lindenbr. c. 19. p. 88.*

Dum ibi verſatur, in Adelberti nuper demortui locum ſubrogat Liemarum Bavarum, quem in eccleſiæ noſtræ Canonicis Hamerslebienſis monachus Emſerus & Leznerus numerant: certe eum *in ſereniſſimi Regis Henrici miniſterialibus clarniſſe*, auctor eſt Wolterus, unde non dubitamus illum Goslariæ, ubi Rex plerumque hæſit, diutius vixiſſe; forte & Canonicatus beneficio a Rege fuiſſe auctum. De ingenii ejus dexteritate omnes conſentiunt, præcipuusque in illo laudando eſt Lambertus, qui *optima ſpei juvenem, & omnium artium liberalium peritia apprime inſignem Liemarum vocat.* Nec minorem ejus conſtantia & in Regem infelicem fides merentur laudem.

Fidus enim illi fuit Achates, rebusque majoribus admotus mirâ fortitudine ejus æmulis ac inimicis se objecit, omnium consiliorum ejus sed & utriusqué fortunæ particeps, argumento fortunæ memorabili, singularisque fidei & constantiæ, quam nec in vinculis deposuit. Unde Henricus dato præclaro diplomate ejus fidem collaudavit, cujus priorem partem huc pertinentem adscribemus:

Lindenbr. privil. archiecc. Hamb. p. 144.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, HEINRICUS *Heinrici filius Imperatoris secundi divina favente clementia Rex. Exemplum justitiæ & honestatis a patribus nostris divæ memoriæ Augustis accipientes, tum ex proprio sensu per nos ipsos quæ sint justa ac Deo placita intelligentes, regiam nostram Majestatem decere perspeximus, ut fideles nostros, fidem ac justitiam ad nos servantes, dignis retributionibus muneremur. Quamobrem Liemarum sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ venerabilem Archiepiscopum nominis nostri præcipuum amatorem, atque optime de nobis merentem, dignum duximus, ut pro sua in nos fide egregia ac perpetua devotione magno munere donaremus. Cum enim gens Saxonum ob superbiam temeraria a nobis rebellione recederet & bellum adversum nos toto de - - - eo amplius sumeret. ille fidem semel nobis juratam pure & quam sancte conservans, suos ac sua, certe divitias magnas reliquit, separatus ab illis, atque ad nos veniens, lateri nostro fidus & irremotus comes toto illo tempore adfuit: nisi forte nostræ jussiones ac publicæ actiones aliquo ablegassent, aut propriæ ipsius utilitates & rationes ad horam hoc expostulassent, ut abesset, non illum tenuitas rei familiaris, non vitæ discrimina aliqua dimovere. Eodem bello Saxonico duabus pugnis gravissimis maximo periculo nobis adfuit, sed & apud sedem Apostolicam contra Hildebrandum perturbatorem orbis ---- magnis difficultatibus & anxietatibus legatione nostra functus est, tribus vicibus ad expugnandam urbem Romam & capiendam nobiscum venerat. Huic ob fidem in nos tantam, & voluntatem quam optimam, spontanea consideratione benefacere volentes ------. Data* X. *Calend. Julii, anno Dominicæ Incarnat.* MLXXXIII. *Indict.* VI. *anno autem ordinat. domni Heinrici* IV. *reg.* XXIX. *regni* XXVII. *Actum Romæ post urbem captam feliciter Amen.*

Video equidem in autoris incerti annalibus a Lindenbrogio editis, & ex parte a Madero repetitis pontificatus Liemari initia in annum MLXXVI. referri. Sed hoc tantum jactatur in vulgus, & nullum nisi ascribentis audacia præsidium habet. Adamus enim Bremensis ejus æqualis Bremam se venisse scribit anno Adelberti XXIV. qui cum A. C. MLXVII. concurrit, hoc est, ut ipse explicat, novissimis Adelberti temporibus. Quomodo vero novissimis: si novem integris annis adhuc in vivis fuit? Quare haut paulo rectius calculum eorum videmur sequi, qui & emortualem Adelberti & Liemari pontificatus auspicia in annum rejiciunt MLXXII. multis annalium veterum imprimis Lamberti testimoniis adjuti.

Mader. in append. ad Adam. Bremens. Adam. Brem. l. 3. Hist. eccl. c. 5. Id. l. 4. c. 26.

Annus Christi 1073.

Henrici IV. Reg. 18.

Ab. V. C. 150.

Saxones adversus Henricú conjurant.

ANnum ingredimur post millesimum septuagesimum tertium, quo diutius gliscens conjuratio uno impetu in optimi Regis fortunas erupit. Classicum canebat Bucco Halberstadiensis Episcopus, qui religionem obtendens & reipublicæ curam, Regem dilapidare ecclesiæ bona, Saxonicæ libertati insidiari, omnibusque se vitiis polluere clamabat. Sublato itaq; signo frequentes ad conjurationis societatem concurrunt Otto Bavariæ Dux, Hermannus Ottonis Saxonici Ducis frater, Regi jam tum ob Magni captivitatem infensus, Wezelo Magdeburgensis Archiepiscopus, Wernerus Merseburgensis, Imadus Paderbornensis, Hezilo Hildesemensis, Eilbertus Mindensis, Fridericus Monasterienſis, Benno Misnensis Episcopi: præterea Udo, Dedo, Egbertus marchiones, Fridericus comes Palatinus, Diedericus, Adelbertus, Otto, Conradus & Henricus comites, tantusque e nobilitate & vulgo numerus, ut putasses pro aris & focis certamen fuisse ineundum, cum tamen plerisque commoda propria magis quam publicum emolumentum essent propósita. Atque adeo Regi ab omnibus deserto in solo ferro erat consilium, quo etiam tam feliciter majestatem suam tuitus est; ut nisi ipse demum filius eripere parenti maluisset, quod majori cum pietate debuisset exspectare, in fumum abituri fuissent omnes inimicorum conatus.

Lamb. Schaffn. p. 397. Marian. Scot. p. 458 Bruno hist. bell. Sax. p. 106. Autor vita Heinr. p. 103. Otto Frinsing. l. 6. c. 34. p. 137. Alb. Stad p. 243. Ab. Vrsp. p. 221. Avent. l. 5 p. 444. Chron. August. ap. Freher p. 349. Bertold. Const. p. 345.

Jam

Saxonū poſtulata.

Jam certum erat Saxonibus, regis abjicere imperium, cum Henricus ſub æſtatis initia Goslariæ ſe cum ſuis contineret. Ad eum ergo ipſis Cal. Auguſti legatos mittunt ſocii principes, qui leges ei præſcriberent, quas ſi ipſe reſpueret, armis rem experiri conſtituerant. Hi ergo in Regis conſpectum admiſſi, Meginfredo interprete poſtulabant, ut ab expeditione, quam meditaretur, Polonica deſiſteret, caſtella extructa demoliretur, relicta Saxonia ad alios transferret imperii ſedem, bona, ſibi debita, quantocyus redderet, nihil ſine principum ageret conſilio, ac denique ejectis e palatio concubinis Reginam admitteret, id niſi feciſſet, alia ſibi capienda conſilia. Quis non videt uno ictu dejicere eos Regis majeſtatem voluiſſe? Quibus ſane ſi annuiſſet, ferociores redditi principes in tantas demum anguſtias eum fuiſſent redacturi, ex quibus eluctari nunquam potuiſſet. Cum igitur nec morem principibus gerere, nec armis experiri in procinctu liceret, incerto & ambiguo reſponſo ſuſpenſos dimiſit.

Lambert. p. 399. Auctor. hiſt. bell. Sax. l. 1. p. 202. ap. Reub.

Henrico Saxonū furorem fuga evitat.

Saxones hac re in furorem acti vix retineri poterant, quin Regem Goslariæ efferato animo opprimerent. Henricus vero cognitis Saxonum animis diutius Goslariæ latitare minus conſultum ratus, in vicinum caſtellum Harzeburgicum ſe ſubduxit, quem cognita fuga inſecuti Saxones caſtellum undique cingunt. Cæſar igitur tot malis preſſus miſit Bertoldum Carinthiæ ducem, qui pacis conditiones offerret, interea vero deluſis cuſtodiis cum ſuis moleſto itinere Herveldam elabitur, ubi contracto exercitu delectus inſtituit, principesque, quos adhuc ſibi fidos experiebatur, in genua prolapſus rogavit, ut Regis defenderent majeſtatem, & ſeditioſos fortiter inſequerentur.

Goslarienſiū fata in his turbis, *Lamb. Schaffn. ad h. ann. p. 404. Aventin. l. 5. annal. Bojic. p. 445.*

Interea dum vires Imperii Rex contrahit, Saxones in oppugnandis caſtellis occupantur, omnia late ferro flammisq; devaſtantes. Medios inter hos adhuc ſe tenebant Goslarienſes, in Saxonum tamen factionem proniores, niſi quod Bodo præfectus Regi occulte adhærebat. Præſidiarii igitur Harzeburgi milites ſæpius urbem noſtram vexabant excurſionibus, & hi viciſſim illatas ſibi injurias ulturi quosdam ex eorum numero, qui pactis induciis huc venientes Saxonibus ignaviam inter pocula exprobrabant, occiſos extra portas projiciebant, aut ut anonymus Reuberianus mavult, e patibalo ſuſpendebant. Tandem Goslarienſes a Bodone præfecto in inſidias deducti ab Harzburgenſibus tanta clade afficiebantur *ut non ratio, ſed fuſi ſanguinis horror & ſatietas occiſioni finem faceret* teſte Lamberto. Quam ſtragem Autor quoque Hiſtoriæ Belli Sax. eleganter expreſſit:

Hiſt. Belli Sax. lib. 1. p. 205. ap. Reuber.

Sic decertabant, (Harzburgenſes) *ſic hoſtibus ſuq; nocebant,*
Obſeſſique ſuos obſeſſores numeroſos
Tandem cogebant, quod pacem ſponte petebāt.
Pax ſed utrimque fide datur hac ſub conditione,
Si pactum abſentis firmaret gratia regis.
Abſcedunt aliis quoq; caſtris obſidiones.
Otia recluſis agitantur, & undiq; portis
Ibant pacifice quocunq; placebat utriſq;.
Sed brevibus ſpatiis durant hac commoda pacis,
Nec potuit veterem gens impia ponere fraudē.
Nam duo cum Juvenes deſcendunt arcipolenſes,
Et nova Goslariae voluerunt arma parare:
Capti, nudati ſunt, in cruce ſuntq; levati.
Gens fera ſic ſervas pacem quam tute petebas?
At quod ſperaſti, nec & hac impune tuliſti,
Nam tua pro geminis fleviſti funera centū.
Velox fama volat referens de pace ſoluta
Ad caſtellanos, & turpi morte ſuorum:
Qui ſperaſſe fidem Saxonum ſero dolentes,
Conſiliis agitant mala qua mercede rependant.
Denos ergo viros mittebant, qui pecus omne
Goslariæ campis abigunt, predam ſimulantes.
Quo facto: predam properanter ad eripiendā
Goslaria currunt pariter juvenesque ſenesq;
Sutores, fabri, piſtores, carnifices q;,
Militibus comites ibant in bella ruentes.
Vix extra villam pars agminis ultima venit,
Cunctaq; per latos procedunt millia campos:
In caſtellani centum de valle latenti
Procurrunt equites, mediosque feruntur in hoſtes:
Vt ſegetes grando maturas proterit olim,
Diſpergunt, cadunt, adverſos confodiuntq;,
Colla metunt gladiis, madet undique terra cruore,
Strataque tam latos texere cadavera campos.
Saxonum reliqui tam multa ſtrage ſuorum
Viſa, ſcuta retro facientes terga dedere,
Atque caballorum fodiunt calcaribus armos.
Pars ad vicinam tendebat currere ſylvam,
Pars fugit ad villam memor uxoriq;, domoq;.
Victores inſtant fugientes atq; trucidant.

Reliqvum anni tempus pacis conſiliis transactum eſt, cujus rei cauſa Gerſtungæ indicebatur principum conventus, ſed exacerbatis jam principum animis, res non perducebatur ad liquidum. Creſcebant potius indies in Henricum odia, adeo, ut de novo jam Rege eligendo cogitarent. Spes tamen erat, in gratiam eos cum Rege aliquando redituros, niſi Gregorius Papa, qui hoc anno Romanæ ſedi præeſſe cœperat, magis magisque eos in Reipubl. ruinas ſollicitaſſet.

Pax frustrata.

Annus Chriſti 1074.
Henrici IV. Reg. 19.
Ab. V. C. 151.

VAriis jam locis principes convenerant, de pace conſilia cum Regis legatis ineuntes; quæ demum cum Saxones Henrico ſe impares fore animadverterent haut procul ab Herveldia his legibus coaluit, ut Rex caſtella per Saxoniam

Pax reddita. *Bruno hiſt. bell. Sax. p. 110.*

dirueret

dirueret, Ottonem e patrio ducatu profugum restitueret, Saxones quoque extructa per Thuringiam munimenta solo æquarent. Itaque restituta pristina quiete Rex his rebus lætus Goslariam concessit, quo cum magnum principum agmen officii causa deduxit: & ne Saxonibus supereſſet suspicio, ipse exercitum, muneribus locupletatum dimisit. Ad implendas quoque pacis conditiones omnes regni principes VI Idus Martii Goslariam convocavit, ubi tamen pauci præter Saxones & Thuringos adfuerunt, quos re infecta dimisit, rem futuris reservans comitiis. Quam rem denuo memoriæ prodidit laudatus Anonymus:

Aucl. hist. bell. Sax. l. 2. p. 210. ap. Reuber

Rex igitur facta Saxonum deditione,
Supplicibus mitis, contrarius atque superbis,
More leonino, substratis hostibus, iram
Justum deposuit, commissaque cuncta remisit.
Ibat per patriam rex invictissimus illam,
Incorrecta regens, leges & jura reponens,
Restituens cunctis sua dudum despoliatis.
Hinc propriam sedem tendens ad Goslariensẽ,
Saxonum genti dat patria jura petenti,
Per totam patriam pacis jubet esse quietem,
Justo judicio causas componit & æquo.
Hic quoque militiam donat bene munere dignam.
Ad se custodes castrorum convocat omnes
Castraque reclusis jubet esse patentia portis.
*Primitus insignes donavit & Arcipolenses **
Muneribus meritis, auridat pondera puri,
Ingentesq; viros extollit honoribus amplis:
Virtutem laudat, bene gestaque pralia jactat.
Namq; solet virtus hominum committere majus,
Acrius atque calet, si laus sua facta sequatur.
Sic castellorum quoq; præsidia aliorum
Munera condigne dat pro quocunq; labore.
Sic ibi dispositis rebus, pacemq; fideli
Mente gerens, factisq; probans se transtulit inde.

* i. e. Harzburgenses.

Dum comitiorum Goslariensium injicio mentionem, non possum facere, quin ea quoque huc referam, quæ sine die & consule nonnulli referunt de Friderico Oldenburgensium Archicomite, qui ab Henrico hoc Imperatore ob neglecta comitia cum leone Goslariæ congredi jussus dicitur. Primus hanc fabulam vel confinxit, vel propalavit anonymus autor Chronici Rastedensis a Meibomio editi, cujus hæc est narratiuncula: *Postquam Comes Huno cum uxore sua & filio devote vixisset multis annis, contigit, ut Romanorum Imperator, qui tunc de prosapia Ducum Brunsvicensium, de natione Ducum Saxonia traxit originem, in opido resideret Goslaria, prope Hartonem, cum omnibus Principibus, Comitibus & Baronibus Teutoniæ, generale celebrare concilium decrevisset: ad quos omnes cum mandatum Imperatorium illuc veniendi pertransisset, Comes Huno, qui Deo magis, quam Imperatori militaverat, prepeditus orationibus & aliis bonis operibus, huic concilio Imperatorio nullo modo potuit interesse. Verum cum in die comparitionis requireretur absentia coram rege, a quibusdam detractoribus hujus Comitis Hunonis, bonis ejus operibus invidentibus, regalibus auribus ejus rebellio promulgatur. Porro Imperator susurronum detractionibus in furorem atrociter excitatus, sæpe dictum Hunonem Comitem edictis citatoriis iterato citaverat, addens ut secum unum fortem pugilem traduceret, qui contra suum fortem pugilem more Frisonum dimicaret. Erat pugil regis leo magnus & fortis, cui pauca dabantur stipendia victus pro eo, ut is minus ab ortu non exiret, qui dignus esset morte hujusmodi puniendus. Ad Comitem Hunonem cum tale indictum Imperatorium pervenisset, arrepto cum filio suo & magno Comitatus itinere, gaudenter se ad Imperatorem contulit, de divina misericordia non dissidens, quando bene Deus justum probando tentaret, & post tentationem remuneraretur in præsenti seculo, vel in futuro. Imperator ergo, viso Hunone, glorioso Comite, præcepit Frederico filio suo contra leonem fortissimum dimicare, & hoc in pœnam illius, quod cum omnes Principes & nobiles Theutoniæ ad suum citati concilium venissent, ipse tamen solus pre omnibus se absentare specialiter præsumsisset. Quo audito, dolore nimio consternatus primo, auxilium & gratiam quæsivit a Domino, orans, ut quemadmodum Deus Abraham, in immolatione filii sui probasset, & probato pepercisset: ita & ipse filio suo pro sua misericordia dignaretur parcere, & eum de morsu leonis mirabiliter liberare. Vovit igitur cum filio suo devote Domino, monasterium in honore beatæ Virginis construere, si tantum filius suus pugnaturus cum tam crudeli bestia triumpharet. Inter hoc Comes Fredericus leonem aggredi præcipitur, qui a patre ut se defendat viriliter confortatur. Dum autem leonem aggreditur, hoc attendit, quod subtilitas & consilium sapientis fortitudinem virium frangit, manipulum, quem secum ad similitudinem hominis armati acceperat, Leonem terruit, quam bestia non utens discretione, hominem armatum putaverat, & sic subtilitate, quam etiam ferro prosternitur, ac adolescens sine aliqua læsione de campo ubi triumphaverat, revertitur incolumis atque sanus. Imperator autem eum a duello revertentem utrisque brachiis apprehendit, cingulo militari succinxit, annulum tradidit, dans ei dona pro Triumpho, videlicet, bona sita juxta civitatem Soz. acien sem ad imperium pertinentia scilicet Huninckhoven, Betinckhusen, Lefarinckhusen, Bedickdorp, Sinerlacke, Mardighe, Iserlo, Aperne, Winsternen, Windickhusen, Brockhusen, Harinckdorp, Berder, Aschebergen, Buckenhusen, cum ecclesiis & cum omnibus ministerialibus, & vasallis, & cum omni proprietate, prout ad imperium liberaliter pertinuerunt, ulterius dando & destribuendo, ut ea possideant in perpetuum pleno jure. Contulit etiam & Comitiam suam, quam antea habuerat ab Imperio in pheudo, postea in perpetuum liberam, & de omni jure inpheodationis imperii ipsam exclusserat & exemit.* Eadem pene verba Chronico suo Oldenburgensium Archicomitum inseruit Joannes Schiphowerus; ex quibus deinde sua hauserunt

Chron. Rasted. ap. Meib. p. 90. sq. tom. 2. rer. Germ.

An Fridericus Oldenb. Goslariæ cum leone contenderit? *Schiphow Chron.*

runt Hamelmannus, Giſeckenius, Winckelmannus & alii plures. Verum cum nemo hiſtoricorum illius ſeculi hæc retulerit: tum hæc, tum quæ de Wicperto cum leone juſſu Henrici IV. Regis pugnante refert chronicon Bigaugienſe, fabulis lepidiſſimis annumeramus, inprimis cum jam tum hanc de Friderico fabulam egregie diſcuſſerint Ubbo Emmius, autor actorum Oldenburgenſium * & quem primo loco nominare debebam, Henricus Meibomius. Quis enim ſibi perſuaſerit, tam inhumanum Henrici Regis decretum, ſilentio prætermiſſuros fuiſſe ejus ætatis ſcriptores, *qui*, ut Meibomii verbis utar; *bile tumentes erga Imperatorem, calamum quoque in eum ſtringere, & omnia ejus qua juvenilia, qua virilia minus laudanda facta ad poſteritatem traducere non ſunt veriti?* Fallit ergo Raſtedenſis annaliſta more ſeculi, quo monachis quælibet fingendi æqua erat poteſtas, dummodo cœnobiorum ſuorum origines hoc ipſo eo mirabiliores facerent.

Oldenb. Arch. ap. Meibom. p. 132. ſq. tom. 2. rer. Germ. Chron. Bigaug. p. 244. Henr. Meibom. tom. 2. rer. Germ. p. 119.

* Ausführliche relation desjenigen ſo von Seiten des Fürſtl. Hauſes Hollſtein Gottorffs in puncto Oldenburg- und Delmenhorſtiſcher ſucceſſion contra das Fürſtl. Haus Holſtein Plön & conſortes bißher eingebracht worden. n. 2.

Gregorio Papa Regem ad interdictum venire jubet.

Henricus itaque Imperator, ad quem veluti ex diverticulo redimus, cum diutius Goslariæ hæſiſſet, Saxonesque urgerent caſtellorum demolitionem: conſtitutis rebus omnibus ad Rhenum & ſuperiorem Germaniam contendit. Aderant interea Gregorii Pontificis peſſimi mortalium & pacis germanorum publicæ turbatoris legati, ipſum Regem, quod inauditum antea fuerat, Romam ad interdictum venire jubentes. Quos Rex indignatus majeſtatem ſuam hoc pacto proculcari, Norimberga re infecta dimiſit.

Bertold. Conſt. p. 345. Lamb. p. 411.

Saxones Harzburgum crudelem in modum diruunt.

Saxones autem, qui caſtellorum demolitionem paulo ſegnius procedere animadvertebant, jam ad ingenium redeuntes, ipſi præter opinionem Regis caſtella invadunt, muros dejiciunt, nec ſacris, nec profanis parcentes. Præcipuum inter Regis munimenta Harzeburgum tunc fuiſſe, antea a nobis dictum eſt, idque Regi eo erat carius, quo propius aberat a Goslaria. Hinc ſplendido monaſterio, amploque Palatio illud exornaverat, ipſique filiolo nuper Moguntiæ ſibi nato ibi delegerat ſepulturam. At vero Saxones & iliud invadunt, & flammis ferroque adeo devaſtant, ut nec filioli oſſa violare & in parentis contumeliam e monumento projicere dubitarent. Quam rem præter autorem vitæ Heinrici, Ottonem Friſingenſem, Chronicon Stederburgenſe, Cranzium, Chronographum Saxonem his verbis non ſine ſtomacho refert Abbas Urſpergenſis: *Saxones caſtella illa, quæ rex dudū ædificaverat, funditus everunt, inter quæ præcipuum illud caſtrum, quod Zartesburg* (Hartesburg) *dicebatur, diruunt, monaſterium & clauſtrum Canonicorum, quod ibi erat, multa furentes audacia ſolo tenus dejiciunt: & (quod dictu nefas eſt) innocentis cujusdam filii Regis * ibidem ſepulti oſſa, in contumeliam patris de ſepulchro projiciunt.* Hunc finem habuit celeberrima Harzeburgenſis eccleſia, a Carolo Magno cœpta, a Conrado I. aucta, ab Henrico III. Goslariam translata, a filio vero Henrico IV. demum eo eventu, e ruderibus reſuſcitata, ut luculentum poſteris præberet documentum, quam nihil in rebus humanis firmum reperiatur aut ſtabile.

Lambert. p. 405. Marian. Scot. p. 454 Bruno hiſt bell. Sax. p. 111. Aut. vitæ Henr IV. p. 103. Otto Friſ. l. 1. c. 4. de geſt. Frid. p. 408. Cranz. l. 5 Sax. c. 5. p. 107. Chronogr. Sax. p. 260. Abb. Urſb. in Chron. p. 221. Aventin. l. 5. annal. Bojic. p. 450. Aut. hiſt. belli Sax. l. 3. p. 211.

* *primum liberum Henrici oſſa projecta putat Aventinus l. c.*

Henricus contra Saxones conſilia capit.

Henricus igitur nihil tale ſuſpicatus, jam dimiſſis pacis conſiliis denuo bello ſe parabat, & cum pontifice queſtus injurias, ut ſacris indiceretur ſacrorum violatoribus flagitabat. Quin immo Saxones quoque nonnulli peroſi ceterorum audaciam jam ad Regis partes deflectere videbantur, adeo ut præter Magdeburgenſem, Halberſtadienſem, Merſeburgenſem & Paderbornenſem præſules pauci admodum factioni amplius faverent. Ad quos debellandos Rex toto hoc anno conſilia inibat, omni fere ſuperiori Germania eam ob cauſam peragrata.

Bruno l. c. Cranz. l. 5. metrop. c. 8. p. 124.

Annus Chriſti 1075.

Henrici IV. Reg. 20.
Ab. V. C. 152.

Saxones victi.

OMnibus ad futurum bellum jam paratis Henricus Paſcha Wormatiæ egit, Saxones vero Goslariæ convenerant, ad quos Rex feciales miſit, qui bellum indicerent, niſi poſitis armis res per injuriam ablatas redderent continuo. Saxones eo nuncio perterriti multis ſe verbis purgabant, vaſtati Harzeburgi crimen in paucos eosque plebejos rejiciebant, rogabant denique, rem principum committeret arbitrio, aut palatinis legibus, quibus ſi convicti fuiſſent, paratos ſe fore aut Harzeburgum reſtaurare, aut quamlibet ſubire pœnam. Interea convenerat ad Bredingam Regis exercitus, tam robuſtus, ut parem vix unquam Germania viderit, quem Rex nihil cunctatus Beringam adducit, ubi Saxonum copias paulo ſegnius excubias agentes aggreſſus protracto in noctem prælio tanta clade affecit, ut plerique aut ferro occumberent, aut Unſtruta mergerentur, aut capti in Regis venirent poteſtatem. Udo Marchio & Merſeburgenſis Epiſcopus Regi ſe dediderunt, quorum alterum datis obſidibus dimiſit, alterum Laureshami cuſtodiæ mancipavit, ceteri principes evaſerunt incolumes. Caſtris occupatis tanta auri copia potitus eſt, ut non ad bellum profecti, ſed ad publicum epulum præbendum & oſtentandas opes occurriſſe viderentur.

L. Schaffn. p. 415. ſq. Bruno hiſt. bell. Sax. p. 115. ſq. Alb. Stad. p. 245. Ab. Urſp. p. 221. Ant. hiſt. bell Sax. l. 3. p. 211. ſq. Bertold. Conſt. p. 346.

Goslaria in gratiá recipitur. *Lambert. Schaffn. p. 420. Bruno. p. 118.*

Cæſis hoſtibus Rex victricia arma per totam Saxoniam circumferens, crebris excurſionibus militem locupletabat, omnia quaqua verſum depopulatus. Nec cum Goslarienſibus mitius fuiſſet actum, niſi Henrici clementia eorum delicto fuiſſet major. Cum autem loco ditiſſimo, qui toties ſibi præbuerat hoſpitium, faveret impenſius, ipſe cum paucis huc perrexit, civesque recepit in gratiam. Dimiſſo deinde exercitu, Goslaria Wormatiam tendit, ſequenti anno, quicquid turbarum reſtabat, compreſſurus.

Saxonū deditio. *Lamb. Schaffn. p. 423. Bruno p. 119. Avent. l. 5 annal. Bojic. p. 451.*

Inter hæc Saxones denuo delectus inſtituunt, & obfirmato ſubinde animo in Regis perniciem conjurant, Luitiorum, Slavorum & Polonorum freti promiſſis, qui auxilia ſua preſſis principibus offerebant. Miſſis tamen ad Regem legatis pacem orabant, quam Rex ea lege pollicebatur, ſi ſupplices ſibi facti rem principum arbitrio, futuris Gerſtungenſibus comitiis, permitterent. Sed principes cauſæ diffiſi tempus terebant longis deliberationibus, armis ſe vindicaturi, ſi occaſio ſuppeteret. Rex igitur contracto ſubito exercitu in Saxoniam rediit, ſuoque adventu adeo terruit conjuratos, ut pugnam recuſantes Epiſcopos aliquot arbitros peterent. Quibus impetratis res eo perducta eſt, ut omnes ſe regi dederent, & nominatim quidem Wernerus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Bucco Halberſtadenſis Otto Dux Bojoar. Hermannus comes Palatinus ceterique ingenui, quos Rex tolerabili cuſtodiæ creditos futuris comitiis reſervabat, ipſeque compoſitis Saxoniæ rebus exercituque dimiſſo redibat Wormatiam.

Annonis Coloniēſis obitus. *Lamb. ad h. ann. p. 426. Alb. Stad. l. c. Sigeb. ad h. ann. p. 602*

Sub anni hujus exitum pridie Nonas Decembris Colonia ereptum ſibi Annonem Archiepiſcopum flevit, quem ex eccleſia SS. Simonis & Judæ prodiiſſe ſupra diximus, licet P. Merlæus obitum ejus per errorem referat in annum * MLXVII. Monumento illatus eſt Sigebergenſi, quod ipſe ſibi delegerat, ubi hoc legitur ejus epitaphium:

Patribus egregiis ornata Colonia multis
Eccleſia ſpeculum miſit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo nova lux Annone ſecundo,
Qui per cuncta ſuo par erat officio.
Menſibus hoc denis annis octoque vicenis,
Quarta decembris eum lux tulit e medio.

Autor vitæ S. Annonis ap. Sur. tom. 7. d. 4. Decembr. Abb. Urſp. l. c. P. Merſæus de Elect. eccleſ. c. 1. n. 34. p. 1293.

* *Marianus Scot. p. 455. ejus obitum refert in annum 1077.*

Gedofred Monach. annal. p. 248. ap. Freher.

Procedente tempore, anno nimirum MCLXXXIII. per Johannem Cardinalem & Petrum Lunenſem Epiſcopum de tumulo elevatus & in Divorum numerum relatus in multis Romanæ eccleſiæ locis religioſe colitur, primus qui ex eccleſiæ noſtræ Canonicis hunc honorem adeptus eſt, cui & ſecundus deinde acceſſit Benno, Miſnenſis Epiſcopus, de quo jam ante plura commemoravimus.

Nec minus Bamberga per id tempus præſule ſuo Hermanno a Pontifice ſpoliatur, quod illo per Simoniam dicebatur intruſus. Huic ergo ex eadem eccleſia noſtra ſubrogatur Rupertus, Præpoſitus, omnium Regis conſiliorum particeps, ſed vulgo inviſus, quod Regis vitia dicebatur fovere. Quod tamen quo ſpectet facile apparet: ſcilicet peſſimus plebi videbatur, quod Regi adhærebat conſtantius, adeo ut ipſe quoque repudio Gregorio Papæ miſſo in Synodo Wormatienſi ſubſcriberet, ex quo tempore nunquam eo adduci potuit, ut Regem deſereret. Certe eum Epiſcopatu ſuo *ſumma cum laude fideliter & optime præfuiſſe* in vita ejus teſtantur Cygneus & Bruſchius, quod & vetus Chronici Carmelitarum apud Popardiam auctor apud Goldaſtum agnoſcit, cujus eſt æquum hoc & lene de Ruperto noſtro judicium: *Anno* MCXXVIII. *Rudibertus Bavenbergenſis Epiſcopus literis & ſapientia clarus habetur.* De eruditione ejus & poëtica facultate luculenter profecto teſtaretur poëma de hiſtoria belli Saxonici, quod una cum aliis vetuſtis ſcriptoribus ediderunt Reuberus & Goldaſtus, dummodo certius de ejus auctore conſtaret. Goldaſtus enim in Apologia pro Henrico IV. Hanoviæ MDCXI edita hunc ei titulum præfixerat: *Anonymi Epiſcopi ſive Abbatis, qui rebus geſtis interfuit, & nos* Rubertum Goslarienſem Præpoſitum *& poſtea Babenbergenſem Epiſcopum* hoc eodem anno factum fuiſſe opinamur de Henrici IV. Rom. Imperatoris bello contra Saxones Libri III.* Quæ conjectura Goldaſti ita deinde aliis placuit, ut & nuper admodum Doctiſſ. Burch. Gotthelff Struvius in bibliotheca hiſtorica ſelecta eidem Ruperto noſtro hoc poema tribuerit. Et ſane nihil in toto opuſculo occurrit, quod non optime ad Rupertum referri poſſit, qui & literarum laude tum clarebat & Henrico erat familiariſſimus, ut non adeo videatur incredibile, eum ad enarranda vindicandaque Henrici geſta animum calamumq; applicuiſſe. Nec multum obſtat nominum inſolita forma, veluti cum Goslariam *Gosſariam*, Hazrburgum *Arcipolin*, Heimburgum *Hennenberg*, Unſtrutam *Unſtardi* vocat. Concedendum enim id videtur poëtis, ut in nominibus propriis ad metrum ac euphoniam flectendis ludant. Accidit, quod tempus ſcriptionis egregie cum Ruperti hiſtoria convenit. Eodem enim anno abſolvit opus, quo Rupertus ad ſacerdotium Bambergenſe tranſiit; ceteras belli reliquias non addidit, cujus rei plana hæc eſſet ratio, cum forte metu Pontificis calamum deinde ab hoc genere ſcribendi abſtinuiſſe. Sed ut minus nobis in hac ſententia Goldaſti ſit præſidii, ipſe facit Goldaſtus, qui, neſcio quibus rationibus adductus, ſententiam hanc ſuam deſeruit, conjecturamque vero ſimillimam abdicavit. In diſſertatione enim Apologiæ ſuæ præmiſſa de hujus poëmatis auctore ita commentatur:

Ruperti præpoſ. Goslarienſis Epiſcopus creatur Bamb. *L. Schaffn. ad h. ann. p. 424. Chron. Auguſt. ap. Freher. p. 350. Pallat. de Geſtis Pontific. Rom. tom. 2. p. 372. Bert. Conſt. p. 345. Cygn. prodrom. annal Bamb. n. 7. p. 47. Bruſch. c. 15. n. 7. p. 1099. Goldaſt. diſſ. apol. Henrici IV. præmiſſ. p. 14.*

An auctor ſit poëmatis de bello Saxonico ap. Reub *Struv. bibl. Hiſt. ſel. c. p.*

* 1075. *quo hæc hiſtoria ſcripta eſt in ipſo regio comitatu.*

Ita

Ita eſt: vere anonymus iſte auctor, quicunque tandem ille fuit. Nam quod de Ruperto Præpoſito Goslarienſi adſcriptum eſt, nunc muto & factum nolim. Quippe memoriam meam decepit nominum Ruperti & Rolandi initialis affinitas. Rulandum autem quendam pro Henrico IV. Imperatore ſcripſiſſe, in rerum geſtarum monumentis legeram. Inde ad Ruperti conjecturam perveni, quod ſcirem in more hoc inſtitutoque imperatoris hujus poſitum fuiſſe, ut monachos clericosve bene de ſe dictis ac ſcriptis meritos episcopatibus & abbatiis remunearetur. Ex hac nota ſane Rupertus ille fuit, de quo Lambertus Hersfeldenſis Monachus, præter ſententiam collegii ſui ſchismaticus & Hiltebrandinus in chronico ſcribit ſub anno MLXXV. *Apparet autorem horum librorum, quisquis fuit rebus geſtis interfuiſſe, & in comitatu Imperatoris vixiſſe cum exiſtimatione aliqua & auctoritate. Lib. 2. non multum ab initio promittit alium librum, in quo ait ſe ſe delegatis Imperatoris ad Saxones miſſis, eorumque defectione & clandeſtina cum Saxonibus confœderatione exſecuturum. Id aut vehementer animi fallor, aut in aliqua pro Imperatore apologia factum oportuit. Ad eam opinionem me ipſa Auctoris verba perducunt, quæ ſic habent:*

Goldaſt. diſſert. de auct. in Apologia Henrici IV. editis. p. 14.

Sed quibus inducti primates artibus illi
Genti conſenſum tunc prabuerint ſceleroſum,
Hoc alias pateſit, mihi vita ſaluaque ſuperſit.
Nunc juvat ire viam directo tramite captam.

Ait nolle ſe in his libris de dolis & fraudibus, quibus principes ab Imperatore legati a gente Saxonum fuerint ſeducti & in partes diverſas tracti, quum ea res aliorſum pertineat; & alibi commodius explicanda ſit. In extremo libro 3. hortatur Imperatorem, ut principibus Saxonia in deditionem receptis (quod hoc anno MLXXV. *Goslaria contigiſſe Lambertus, Bertoldus & Bruno tradunt) clementer parcat & veniam benigniter indulgeat, ut hoc exemplo ceteri hoſtes commoveantur, ſi viderint, quid ſibi ſperandum ſit, ubi ad ejus miſericordiam ſupplices confugerint.* Hæc Goldaſtus, qui & cauſas ſubjicit, cur plerique qui tum pro Henrico ſcripſerunt, nominibus pepercerint, easque rejicit in Pontificis iras, quibus ſcriptores ejusmodi temporum iniquitate erant expoſiti. Nolim igitur hoc poëma certo tribuere Ruperto noſtro, quamvis ea conjectura, donec melior aliqua codicis fortaſſe emendati ope proderit, non plane videatur abjicienda. Ceterum ad meliora Rupertus noſter tranſiit anno Pontificatus ſui XXVI, qui Chriſti erat MCII, cum paulo ante eccleſiam ſuam cathedralem, Henrici II. opus, in buſtum cineresque ſubſidere vidiſſet.

Annus Chriſti 1076.

Henrici IV. Regis 21.
Ab. V. C. 153.

Comitia Goslarienſia.

ANnus hic, Saxonibus jam in ordinem coactis, multis rebus Goslariæ noſtræ geſtis celebratur. Henricus enim jam ſub ſuperioris anni exitum natalitia Chriſti Goslariæ celebrans principes ad comitia huc convocaverat, quibus tamen neſcio qua de cauſa pauci præter ducem Bohemiæ interfuerunt. Hi tamen filium Regis admodum puerum eligebant Regem, eique fidem jure jurando dicebant. Præterea Otto Bavariæ dux, quem adhuc inimiciſſimum fuerat expertus, filiis datis obſidibus, a Rege tunc in gratiam receptus & Saxoniæ cum ſummo imperio præfectus omnium ejus conſiliorum factus particeps, quæ tamen familiaritas non admodum fuit diuturna, documento egregio, nunquam eos ſolere certos evadere amicos, quorum inimicitiæ ex æmulatione coortæ ſunt. Solis adhuc Epiſcopis ſuccenſebat Imperator, quos viderat huc omni niſu contendere, ut imperii reditus ad ſe raperent, ipſamque Regis proculcarent majeſtatem: quod & ipſe aliquoties cum ſtomacho dicitur profeſſus. L. Schaffn. p. 427. Bruno hiſt. bell. Sax. p. 119. Bert. Conſt. app. ad Herm. Contract. p. 346.

Interea de Arhiepiſcopo Annoni ſubſtituendo cogitatum eſt, quem non aliunde rectius, quam ex communi Germaniæ ſeminario, puta, eccleſia SS. Simonis & Judæ petiturus ſibi videbatur Henricus. Pedum igitur & annulum tradidit Hildolpho, quem Canonicis Goslarienſibus præter Hamerslebienſem monachum Einſerum & Leznerum accenſent etiam Lambertus, P. Merſæus & Schatenius, nec obſcure hoc innuere videntur Monachus Nuſſienſis & Levoldus a Northov, qui illum antequam Colonienſis eccleſiæ gubernacula ſuſcepit, Henrici IV. Capellanum fuiſſe tradunt, quod ego de canonicis hujus regalis capellæ accipio, ubi præcipue Rex his temporibus, ſacris intereſſe ſolebat. Vir erat ſtatura humilis, vultu deformis, & nullis majorum imaginibus inſignis, unde plures illum tanquam quoddam antiquitatis monſtrum inconditis clamoribus & canticis perurgere ſolitos teſtatur Lambertus, ſed hos tamen naturæ fortunæque errores ipſe incredibili ſua prudentia & virtute correxit. Multus quidem in eo vituparando eſt Schatenius, Lamberti convitia ſuis augens, ſed illi ſolum opponimus. Merſæum, qui Hildolphum hunc XV. *annis eccleſiæ ſuæ ſumma cum virtute tum omnium laude præfuiſſe* fatetur, *ut verus Iſraelita, in quo dolus non fuit.* Quamvis igitur Colonienſes eum magno conſenſu repudiarent, nec a contumeliis quidem abſtinerent, forte quod illum Regi viderent paulo conſtantius favere: pervicit tamen Henrici voluntas, qui mirifica virtute labentis imperii molem ſuſtinens nihil agebat impenſius quam ne avito jure ſacrorum excideret. L. Schaffn. p. 427. & p. 429. P. Merſ. de elect. eccleſ. c. 1. n. 36. Schat. l. 6. p. 590. Part. I. Chron. M. Belg. ap. Piſt. p. 126. Lev. a Northov. catal. Archiepiſc. Colon. p. 6. Hildolfus Goslarienſ. Canonicus Coloniensis Archiep. creatur.

Cui quæſo eſt dubium, quin Henricus, Hildequi jam plerosque inimicos ſuos dextro Marte perdomuerat quietiore in poſterum imperio potuiſſet uti, niſi Gregorius Papa denuo claſſicum ceciniſſet? Verum inquibrandus Henricũ Romam citat.

L. Schaffn. ad h. ann. p. 427. Bruno p. 121. Mar. Scot p. 454. Sigebert. Gembl. p. 602. Bert. Conſt ad h. ann. p. 346. Henr. epiſt ap. Brunō. hiſt. bell. Sax. p. 122.

etus homo, qui jamdudum in provehendo papatu deſudaverat, omnesque anteceſſores ſuos ſceleribus anteibat, arrepta occaſione nunc ſerio de opprimendo Henrico cogitabat, ipſe faſſus, *aut mori ſe velle, aut Henrico IV. imperium eripere.* Tempus ergo adeſſe ratus, quo illi jura ſacrorum extorqueret, cum in tantis verſaretur fluctibus, ex quibus vix emergere unquam poſſet, miſit hoc anno, Goslariam legatos, Regem ad futuram Synodum Romanam poſtulantes, ut de objectis ſibi criminibus in clericorum ſynodo reſponderet, id niſi feciſſet, eum anathematis fulmine percuſſum iri. Rex pontificis impotentem arrogantiam miratus legatos protinus abire juſſit, ipſeque omnes regni Epiſcopos Wormatiam vocavit, ibi de hac cauſa conſultaturus. Convenerunt igitur dominica ſeptuageſimæ Epiſcopi XXIV, Abbates plurimi ac nominatim, ſi Stumphium audimus, Sigifridus Moguntinus, Udo Trevirenſis, Wilhelmus Trajectenſis, Herimannus Metenſis, Henrichus Leodienſis, Richardus Verdonenſis, Bibo Tullenſis, Huzmannus * Spirenſis, Burcardus Halberſtadenſis, Werenherus Strasbergenſis, Burckhardus Baſileenſis, Otto Conſtantienſis, Adelbero Wirzburgenſis, Rudbertus Babenbergenſis, Otto Ratisbonenſis, Elingardus Friſingenſis, Udalricus Eyſtettenſis, Fridericus Monaſterienſis, Eibbertus Mindenſis, Hezil Hiltiusheymenſis, Benno Oſenebrugenſis, Eppo Neapolitanus, ** Imardus Paderbrunnenſis: (quem tamen ex hoc numero exemtum & ante hanc Synodum obiiſſe mavult Schatenius,) Thiedo Brandenabrugenſis, Burckhardus Loſannenſis, Bruno Unenſis præſules, quibus & Liemarus Hamburgenſis Archiepiſcopus acceſſit. Interfuit etiam Hugo Cardinalis, qui allatis a Clero Romano literis Hildebrandum ambitus & perjurii poſtulavit, eundemque pleraque ſuperbe avareque adhuc egiſſe conqueſtus eſt, rogans patres conſcriptos, ut rejecto hoc peſſimo mortalium, alium deligerent tanto ſacerdotio digniorem. Re demum diutius deliberata omnium ſuffragiis Gregorius a Romana ſede detruditur, miſſis undiquaque epiſtolis, quibus repudium Gregorio miſſum eccleſiis indicaretur. Nec ſegnior his Pontifex accepto hujus Synodi decreto legatos hac de cauſa Romam deſtinatos inaudita contumelia affecit, Romanum clerum congregavit, multumque de illatis ſibi injuriis conqueſtus eo animos flexit, ut peſſima quævis in Regem ſtatuerent. Quorum ſententia fretus Gregorius Henricum multosque, qui cum ipſo ſenſerant, Epiſcopos diris devovebat, meliore Cardinalium parte ſubſcriptionem negante. Miſſæ tamen ab Hildebrando in Germaniam literæ atra bile pleniſſimæ, quibus vero ex profeſſo tunc reſpondit eruditus quidam vir, qui nomen ſuum prodere ob ſeculi infelicitatem non auſus eſt, licet a nonnullis Venericus Vercellenſis, ab aliis Walramus Numburg. credatur, cujus egregia Henrici IV. apologia dudum ab Huttenio, Schardio Goldaſto & Frehero in ſalivam publicam emiſſa eſt, quicquid ideo adverſarii obloquantur.

Henrici IV. promiſſam p. 20. ſqq.

Paulo poſt paſchatos feſtivitatem expiravit Wilhelmus Trajectenſis Epiſcopus, vir inſigni prudentia præditus, cujus tanta fuit in tuendo Henrico fides & dexteritas, ut male ideo Lamberto aliisque Hildebrandi paraſtatis audiat. Ei in Epiſcopatu ſucceſſit Conradus; quem Chronici M. Belgici auctor natione Svevum, Lambertus Moguntini Archiepiſcopi Camerarium vocant, Hamerslebienſis vero Monachus & Emſerus, qui Præpoſitorum Goslarienſium aut potius illuſtrium Canonicorum catalogum compilarunt, ex eccleſia noſtra SS. Simonis & Judæ ad Epiſcopatum tranſiiſſe ferunt, quibus & Leznerus ſuffragatur. Verum id pro certo aſſerere deſtitutus monumentis nolim. Quamvis me non parum Chronici Belgici auctoritate moveri fatear, in quo Conradus hic *Henricus IV. Cæſaris nutritius* audit. Fallor enim, aut id innuere vult Monachus Nuſſienſis, Conradum Trajectenſem a prima ætate in aula Cæſarea locum habuiſſe. Quod ſiita eſt, quis dubitet, eum ſacris deſtinatum Goslariæ, ubi præcipue Henricus ſedem ſibi fixerat, Canonicatum impetraſſe, atque ex hoc illuſtri ſeminario more ſeculi ad opimum Epiſcopatum provectum eſſe? Ex quacunque demum prodierit eccleſia tam fidus ſane fuit Henrici defenſor, ut ab Hildebrandinis non niſi ſcelere expugnari vincique potuerit, inter preces quippe & miſſarum ſolennia domi ſuæ a Friſone quodam ſicario percuſſus anno MXCVIII. VIII. Kal. Maji. Extat ejus luculenta pro Henrico oratio in conventu Gerſtungenſi anno M. LXXXV. habita, cujus ſummam refert Autor Apolog. Henrici, integram vero excerpſit Aventinus, atque itera a editione Goldaſtus cum aliis hujus farinæ auctoribus evulgavit. Sed ad patriæ tumultus redeundum eſt.

Conrad. Trajectenſis Ep. creatus an Canonicus Goslarienſis fuerit. L. Schaffn. p. 429. Chron. M. Belg. ap. Piſt. ad ann. 1075. p. & ann. 1098. p. Apol. Henr. IV. p. 197. Avent l. 5. ann. Bojor p. 282. Goldaſt. apol. Henr. IV. p. 48.

Saxones denuo conjurāt L. Sabafn. p. 435. Ab. Urſp. p. 221 Bruno p. 133.

Novæ hinc bellorum cauſæ: Rudolphus, Bertoldus & Welfus duces, Pontificis ſententiam veriti, a Regis partibus deſciverant, Principes, quos adhuc captivos detinuerat Henricus, plerosque dimiſerat, ipſe Bucco deluſis cuſtodibus, Halberſtadium jam redierat, nec Otto Bavarus Regi ſatis fidus videbatur. Unde factum, ut quæ nuper extincta videbatur, denuo reſpiraret factio: principesque eo apertius nunc conjurarent, quo ſplendidior videbatur conjurandi cauſa, a religione quippe petens præſidium. Rex igitur qui interea poſt Wormatienſem Synodum Goslariam reverſus diruta caſtella reſtauraverat, jam undique premi ſe videns, Oppenheimium conceſſit, ſpeculaturus, quid

* Goldaſt. Heriman. ** i. e. Numburgenſis. Schat. l. 6. ann. Pad. Part. I. p. 590. Benno Cardin. p. 90. vit. Hildebr. Anna Commen. l. 1. Alexiad. ap. Goldaſt. c. 35. Replic. Imp. p. 350. Hildebr. excommunicat Henricū

* Vid. de auctore hujus ap. Goldaſt. apologiæ

quid acturi essent principes. Hi autem Triburiæ cum Pontificis legatis congregati, jam de novo creando Rege consilia inibant, ne audituri quidem oblatas sibi ab Henrico conditiones, nisi Pontificem in causa sua judicem admitteret, ea de causa brevi in Germaniam vocandum; milites quoque omnes cum Episcopis Schismaticis exauctoraret, ministris a se commendatis uteretur, Wormatiam Episcopo restitueret, ad Papæ usque adventum Spiræ privatus degeret: si intra vertentem annum excommunicatione non solveretur, causa caderet. Denique si quicquam horum negligeret, se subjectione liberatos alium eligendi Regem plenam potestatem habituros. Quo se verteret Rex ab omnibus desertus, & ob excommunicationem tantopere vulgo invisus? Maluit itaque tempori cedere & cum Pontifice redire in gratiam, quam diutius tanta hominum odia sustinere. Hinc mense decembre per medias nives Alpium jugis molesto itinere superatis Canusium tendit, ubi tunc Gregorius morabatur.

Arx Steinberg Goslariæ imminens. *Lamb. ad h. a. p. 430.*

Diximus præmunita esse ab Henrico Rege castella, quæ retinendis in fide Saxonibus videbantur idonea: inter quæ cum & arx Steinbergensis olim Goslariæ imminens fuerit, placet de ea re Lambertum audire: *Solus* ita inquit, *adhuc Otto dux quondam Bojoariæ in castello Hartesburch residebat. Huic rex per totam Saxoniam vices suas & publicarum rerum procurationes delegaverat, dato insuper negotio, ut castellum in Hartesburg, & illud in monte qui dicitur Lapideus, qui proximus Goslariæ inminet, summa ope exstrueret. Ad hunc legatos dirigunt Saxones mandantes, ut omisso opere quod ad eversionem gentis suæ immemor patriæ immemor libertatis extruere aggressus sit, consilium potius perquirat ad ereptionem principũ quibus ip, e ut se dederent, vehementissimus autor fuerit.* Hæc Lambertus, qui prolixus admodum est in commemorandis tum Saxonicorum legatorum tum Ottonis orationibus, quibus & Otto ad partes Saxonum retractus, & Rex in restauranda hac arce impeditus est. Ne vero ignoret lector ubinam hæc arx olim stetit, sciat, montem illum qui ad occidentem urbi nostræ imminet, ad ipsaque mœnia radices exporrigit, hodienum vetus retinere nomen, vocarique, lapideum (der Steinberg) In eo arcem jam inde ab antiquissimis usque temporibus stetisse, tum fama docet, tum inprimis ex hoc Lamberti loco est perspicuum. Imo ejus ætas ipsas Goslariæ origines transcendit, dudumque ante conditam urbem inde prodierunt comites de Steinberg, hodiernorũ illustrium Steinbergiorum majores, qui ideo etiam Piermontii, peregrino nomine, vocati feruntur. Quemadmodum vero origo hujus arcis, ita & ruinæ sunt antiquissimæ. Sane in omnibus quas vidi literis & monumentis nec vola nec vestigium Steinbergensis arcis apparet, quod indicio est, illam jamdudum aut bellorum aut temporum injuriis in bustum consedisse. Hinc facile crediderim, vera esse, quæ Dn. Conr. Berth. Behrens in Steinbergiorum genealogia scribit: Busso von Steinberg (vixit anno 1024.) hinterließ von seiner Frau einer Gräfin von Alvensleben einen Erben Boldewin den Ritter / zu dessen Zeiten der Steinbrog verwüstet. Ex eo tempore deserta jacuere rudera, & post inauspicatos Henrici IV. conatus ne cogitasse quidem quisquam de instaurando hoc castello videtur: inprimis cum bona ad illud pertinentia pleraque interjecto tempore ad vicinas ecclesias & monasteria transferrentur.

Conr. Bert Behr. geneal. Steinb. c. 1. n. 4. 5. p. 3.

Anni Christi 1077. & 1078.

Henrici IV. Reg. 22. & 23.

Ab. V. C. 154. & 155.

HUc ubi sub hujus anni auspicia pervenit Henricus, supplex rogavit, ut admitteretur, sed semper frustra detinetur suspensus, donec per triduum sine calceis sæviente hyeme intra secundum murorum ambitum jejunus ad vesperam, forfices & scopas, ut Mamelsburiensis loquitur, in manu habens stetisset, angelisque, ut Benno ait, factus esset spectaculum: postea demum in conspectum arrogantis monachi admissus, ea lege absolutionem impetrat, ut Pontifici subjectus in concilio Augustano ad objecta sibi crimina responderet. Vix Canusio egressus fuerat Henricus, cum ad ingenium rediret Papa, fingens, Regem quidem impetrata absolutione cum cœlo, minus vero cum regno rediisse in gratiam, nihil ergo impedire, quo minus principes cœptam electionem persequerentur; quo factum est, ut principes Rudolpho Svevorum Duci Henrici Soror. rio coronam offerrent, eumque, Maguntiæ præsentibus Pontificis Romani legatis solenniter inungerent. Interea Itali perosi Papæ inauditam superbiam ignaviamq; Regi exprobrabant, qua Papæ supplex fieri non dubitaverit, eique obsequium omne inposterum negabant. Rex igitur cognitis Italorum animis paratum se ferebat omnia pacta cum Hildebrando inita rescindere, si bona fide sibi assisterent. Quod cum essent polliciti magnoque se numero offerrent, pacta rescidit; & fortissimum collegit exercitum.

Henricus ab Hildebrando ludibrio habitus absolutionem impetrat *Heidegg. hist. papat period. 4. §. 84. p. 88. L. Schaffn. p. 438. Alberic. p. 129. Chron Benno Cardin. vit. Hildebr. p. 93. Bruno p. 134. Apol. Henr. IV. p. 161.*

Inter hæc fama ad Henricum de principum perfidia allata est, qui graviter ferens, tantam contumeliam sibi inferri, relictis rebus omnibus protinus in Germaniam contendit, contractoque e Bohemis & Lotharingis exercitu, æmulo Rudolpho obviam progressus Wurzburgi ei magna clade intulit, atque sic de hoste triumphans Vimae coronam & Imperii insignia resumsit.

Rudolphus Rex eligitur.

At Gregorius quo labantem Rudolphi causam stabiliret, Henricum denuo ana-

Henrici cum Ru-

dolpho certamina. *Bertold. Conſtant. ad h. ann. p. 348.*

thematis fulmine percuſſit, quod Regi Goslariæ circa Martini feſtum hærenti nunciatum eſt, Rudolpho vero coronam regiam miſit hac nefaria inſcriptione notatam:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho

vel ut Helmoldus mavult:

Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa coronã.

Marian: Scot. p. 455. Sigeb. Gembl. p. 603.

quæ quidem in annum LXXX aliis referuntur. Redintegratur ergo bellum, Henricus ne Saxonum & Svevorum vires coirent, prohibere inprimis auſus eſt, & cum Saxonibus Melridſtadii tam cruenta & pertinace pugna contendit, ut utrique parti pro ſcribentium affectu vindicetur victoria. Cecidit tamen e Saxonibus Werenherus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, reliqui in fugam acti, Siffridus Moguntinus & Bernhardus Papæ legatus vivi in Henrici poteſtatem venerunt. Papa vero ipſe timidior factus a Saxonibus graviſſima epiſtola increpatur, quam integram ſervat Bruno Monachus.

Bruno hiſt bell. Sax. p. 140.

Annus Chriſti 1079.

Henrici II. Reg. 24.
Ab. V. C. 156.

hartvvicus Mag. deburg. Archiep. creatur an ex noſtra eccleſia?

ANnus qui ſequitur, magis minatus eſt bellum, quam attulit. Goslariæ quoq; noſtræ parum geſtum video niſi quod in cæſi Werenheri locum ex eccleſia SS. Simonis & Judæ ad Magdeburgenſem Archiepiſcopatum Rudolphi Regis auſpiciis evectus dicitur Hartvicus, quem in Goslarienſibus præpoſitis referunt Hamerslebienſis Monachus & Emſerus. Sed nolim his ſolis hac in re fidem habere. Chronicon certe Magdeburgenſe & Cranzius illum e nobilitate Francorum prodiiſſe, & Maguntiæ canonicum fuiſſe tradunt, cui illud addit præpoſituram Erphordienſem, de Goslarienſi canonicatu altum ubique ſilentium. Quare rem in medio relinquere, quam incertam audacius aſſerere malumus.

Chronic. Magd. ap. Meibom. p. 313. Cranz. l. 5. metrop. c. 16. p. 329.

Eodem anno Hildeſienſis eccleſia amiſit Hezilonem Epiſcopum, cui ſubrogatur Vto comes vulgo Alvenslebianus creditus. Ejus majores, quanquam omiſſo familiæ nomine accurate recenſet Reinhardus Abbas Reinhuſanus in charta fundationis monaſterii Reinhuſani a Dn. Leukfeldio edita, e qua hanc tabulam genealogicam excerpere placuit:

Vto Hildesh. Epiſc. creatur.

Reuter. Hilles. Chron. p. 86. Chron. MSC. Epiſc. Hildesh. c. 19. Lenkfeld. addend. ad Chron. Walkenred. p. 201.

Ezike & Elle *fratres Comitum Licha Domini Reinhuſæ & mature, ſuo deſtitutus herede, B. Petrum in Helmvvardishuſen ſcripſit heredem.*

Conradus (*) Heinricus. Hermannus. Vdo. *Hildeſ. Ep.* Rikenſe *clam rapta â Geroldo de Immenhuſen* Mathildis. *nupſit cuidam Principi Bavaro eumq; parentem fecit*

Fundatores cœnobii Reinhuſani.

Beatrix *conjux* Olgeri *Comitis de Wardbicke*

Olricus

Hermanni *Com. Winzenburgens.*

Heinricus *mature & miſere mortuus.* Hermannus *occiſus.*

Meinhardus. Piligrinus. *Wirzburgi ad curiam Imperialem occiſi & Reinhuſæ ſepulti.* Elica. Adelheidis. *Abbatiſſa.*

(*) *de hoc vide Apol. Henr. IV. ap. Freh. p. 197.*

Hic ergo Vto ad Hildeſienſem Epiſcopatũ Henrici Cæſaris auſpiciis fuit evectus, licet multis in hoc munere fluctibus jactandus, quippe juratus Egberti Marchionis hoſtis. Quæ ſimultates tanti ipſi conſtiterunt, ut omnium pene decimarum & opum ſuarum jacturam faceret. Vir tamen erat religioſus & pius, nec ulli ſuorum anteceſſorum ceſſurus, ſi fortuna ejus reſpondiſſet virtutibus.

Annus Chriſti 1080.

Henrici IV. Reg. 25.
Ab. V. C. 157.

PRoximo dehinc anno Henricus Rex Prælium de opprimendo æmulo ſerio cogitavit. Contracto enim validiſſimo exercitu nec rum Rexpectato quidem oportuno rei gerendæ gum ad tempore ipſa nivoſa hyeme in Saxoniam irrupit, Fatersh.

Bruno p. 145. Berthold. Conſt.. p. 350. Urſp. p. 223 Alb. Stad. p. 247. Chron. Saxon. 263

irrupit, ratus ſe imparatos Saxones facilius oppreſſurum. Caſtris igitur ad Unſtrutum flumen explicatis, tanto terrore omnia implevit, ut plures ante pugnam in Henrici caſtra tranſirent veluti Witekin, Wiprecht & Tidericus Geronis filius. Inter hæc, ducibus Rudolpho & Ottone, quibus belli iſtius ſumma demandata fuerat, aderant quoque Saxonum copiæ ex procinctu collectæ, quæ in in oppoſita fluminis ripa caſtra metatæ Regem tranſitu prohibere ſtudebant. Medius inter utramque partem animo erat Ecbertus Marchio, qui & ipſe cum cum legionibus ſuis in vicinis agris conſederat, ſpeculaturus prælii fortunam & victori acceſſurus. Ubi igitur omnes ad villam Flatesheim pugnæ ſe paraverant, ac Otto Saxonum Imperator locum tam oportunum prœlio delegerat, ut ipſe declivi monte occupato in hoſtes ſupinos tela certius mitteret: Henricus Rex conſilio non minus, quam armis præſtans ſubito aciem convertit, alasque nemine advertente ita circumduxit, ut Saxones Regem prius in terga ſua ſævire ſentirent, quam eum adeſſe cognoverant. Acriter utrinque pugnatum eſt. Cæſare pro gloria imperioque; Saxonibus pro vita ac libertate decertantibus. Victoriam tamen ambiguam reddidit par utrinque cæſorum numerus, adeo, ut nec hiſtorici quidem in eo conſentiant, utra pars victoria tum potita ſit. Bruno enim & Bertoldus, maledicentiſſimi illi ſcriptores, Saxonumque perfidiam veluti ipſam Dei cauſam nobis deſcribentes, adoreas Rudolpho Regi ſine omni hæſitatione tribuunt, tamque male exceptum Henricum ajunt, ut maximam copiarum partem, tum in prælio tum in fuga amiſerit. At Conradus Urſpergenſis, quem ſchiſmaticum vocant Pontificii, Saxones ait in primo ſtatim congreſſu terga dediſſe, regalem Rudolphi lanceam amiſiſſe, nihilque fere egiſſe, quam quod interea dum proelium ferveret, legis quædam pugnam deferens nebulis tecta in caſtra regia furtim irruperit, puerisque trucidatis pluribusque abreptis ſpoliis fuga ſibi conſuluerit. Hæc Vrſpergenſis, quem & Albertus Stadenſis & Chronographus Saxo ſequuntur. Pugnatum VI. Kal. Februarii, feria ſecunda. Quod prælium adeo placuit Hiltebrando Papæ, ut denuo excommunicationis ſententiam torqueret in Henricum, muneribusque & pollicitationibus novis Rudolphum adverſus optimum regem ſollicitaret.

Witekindus de Wulferbule decimas metallicas Goslariæ ab Henr. IV

Diximus Brunonis auctoritate ſubnixi, Witekindum quendam una cum aliis Saxonibus ante prœlium Flatesheimenſe ad Cæſarem tranſfugiſſe, qui Meibomio non videtur alius, ac Widekindus ille de Wolfferbuttle, fide in Ekbertum Marchionem præſtantiſſimus, quem Gertrudin Ecberti Marchionis ſororem ab Henrico Imperatore oppreſſam in integrum reſtituiſſe, veteres canunt annales. Ejus cum jam fecerimus mentionem, facturi videbimur operæ pretium, ſi quæ ab anonymo Chronici Ducum Brunſvicenſium auctore Maderiano, qui circa annum Chriſti MCCLXXX floruit, memoriæ de eo prodita ſunt, hic ſimul addiderimus. Ita autem ille: *Brunonis defuncti frater, qui Marchio dicebatur, genuit Elbertum & Gertrudim, que defuncto patre, & fratre a fautoribus Imperii interfecto hereditatem in Brunsvvick obtinuit. Cui fidelis erat inter alios miniſteriales Witekindus de Wulferbuttle, avus Eberti, patris Guncelini, patris Burchardi de Aſſeborch, adeo, ut pro eo obſes eſſet Henrico IV Imperatori. Cujus Witekindi fidelitatem & conſtantiam Imperator ipſe comperiens caſtrum Schartfelde,* decimam montis Goſlariæ, *officium imperiale in Polede, cujus proventus erant M. D libre ei jure contulit pheodali: que tamen cito vacabant Imperio, cum Witekindus tantam filiam genuiſſet.* Locum hunc peſſime a librariis habitum, vel primo ſtatim intuitu patet. Quid enim ſibi volunt ille Ecbertus, Gunzelinus & Burchardus de Aſſeborch? quorum abavum Witekindum illum fuiſſe ait? Equidem Meibomius Senior, qui Chronicon Ridagshuſenſe elaboravit, genealogiam quoque hujus Witekindi de Wolferbuttle inſeruit, eique filium tribuit Ludolphum, nepotem Ecbertum & Gunzelinum, pronepotes e Gunzelino Ecbertum, Burchardum & Gunzelinum, quos monaſterii Heiningenſis fuiſſe advocatos ac anno MCCXL vixiſſe ait. Sed quamvis eadem nomina in anonymo noſtro occurrant, non poteſt tamen cum hac genealogia narratio noſtri auctoris conſiſtere, ubi diſerte additur, Witekindum tantum filias genuiſſe. Huc accedit, quod advocatia Heiningenſis, Leznero teſte, non fuit penes nobiles de Wulferbuttle, ſed penes Aſſeburgios, unde & Henricus Meibomius junior iſtos tres advocatos monaſterii Heiningenſis Aſſeburgios vocat. Non igitur eſt dubium, quin autor Maderianus narrare voluerit, quinam e Witekindi poſteritate ſua ætate adhuc vixerint. Atque adeo recenſuiſſe Aſſeburgios, qui maternum genus ad illum forte retulerunt. Quid igitur ſi ita locum integrum reſtituamus: *Brunonis defuncti frater, qui Marchio dicebatur, genuit Ekbertum & Gertrudin, que defuncto patre, & fratre a fautoribus Imperatoris interfecto, hereditatem in Brunſvvick obtinuit. Cui fidelis erat inter alios miniſteriales Witekindus de Wulferbuttle* (: auus ex filia :) *Ekberti, avi Guncelini & Burchardi fratrum de Aſſeborch, adeo ut pro eo obſes eſſet Henrico IV. Imperatori &c.* Hic ergo Witekindus, ab hoſte quoque pretium fidei in dominam tulit longe uberrimum, acceptis in clientalem caſtro Schartfeld, officio Imperiali in Polde, & decima montis Goslariæ, quæ adhuc ad Cæſaris pertinuerant fiſcum. Hæc narratio nobis vel ideo accepta eſſe debet, quod

donoac cipit. *Meib. diſſ de metall. Hartzicis n. 30. Cranz. l. 4 Sax. c. 44 p. 104. Bunting. part. 1. p. 119. Meibom. Chron. Riddagsh p. 353. Mader. p. 12. antiq. Brunsv.*

nos

nos de statu metallorum Goslariensium, circa hæc tempora admonet, quum vulgo operas inter civilium bellorum strepitum egisse ferias referant, quod tamen falsum esse, vel inde licebit suspicari, quod Henricus decimas metallicas Witekindo huic in feudum contulit. Quid vero beneficii ei fuisset præstitum, si cessantibus metallariis, nulla e monte utilitas provenisset? Nec ausim vocare in dubium, quæ anonymus hic de Witechindo tot annexis circumstantiis refert, quamvis & solus hæc narret, & post annos ferme ducentos, cum auctor, quisquis fuerit, ipsum vidisse Henrici Imperatoris diploma, aut certe e coævo historico sua hausisse videatur.

Rudolphus Rex cæsus. *Ab. Vrsp. p. 224. Bruno hist. bell. Sax. p. 148. sq. Chronogr. Saxo p. 263. Engelhus. Chron. p. 204. Cranz. l. 5 metrop. c. 16. p. 129. & l. 5. Sax cap. 7. Marian. Scot. p. 456. Bertold. Const. p. 350.*

Appetente jam autumno, Rudolphus Rex perfidiæ pœnas dedit. Henricus enim licet aliquoties cladem acceperit, denuo tamen contracto exercitu, partem equitatus in Goslariensem agrum immittit omnia flammis & ferro devastans, ipse vero ad Elistrum hostiles exercitus operitur. Occurrit Henrico Rudolphus ceertior de victoria, quo fidentius Papa Henricum intra paucos dies, aut morituram, aut ad incitas redigendum, auguratus fuerat. Incredibili pertinacia ibi pugnatum est, donec Henricus castra deserere coactus, signum receptui dare jussit. Cecidit tamen in eo prælio Rudolphus multis vulneribus mortiferis confectus, amputata præterea dextra, qua fidem antea Henrico dederat. Saucius mortique jam proximus, divinam agnoscens nemesin, ad familiares suos conversus: *Videtis*, inquit, *manum dextram meam de vulnere sanciam. Hæc est manus, qua domino meo Heinrico fidem firmavi sacramento. Sed jussio apostolica pontificumque petitio me huc deduxit, ut juramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurparem. Qui ergo finis nos exceperit, videtis, quia in manu, qua juramentum peregi, mortale hoc vulnus accepi. Videant ergo hi, qui adhoc nos instigaverunt, quo nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitium mortis æternæ.* Hæc cum aliis Cranzius in metropoli, qui tamen in Saxonia veluti sui oblitus non modo verba mutat, verum etiam pro Merseburgo, ubi Rudolphus vivis excessit, Herbipolim substituit. Henricus igitur, remoto æmulo Goslariam venturus ad natalem Christi celebrandum dicebatur, sed Saxones, quo minus id fieret, objectis copiis suis prohibere pro virili moliebantur.

Annus Christi 1081.

Henrici IV. Reg. 26.

Ab. V. C. 158.

Henrico pontifici gravis. *Abb. Ursp. p. 225.*

Sequente anno Henricus oblatis variis conditionibus denuo pacem poscebat. Sed efferati Saxonum animi & recenti victoria elati constanter Regis desideria repudiabant. Quarum turbarum cum solum Gregorium animadverteret esse autorem, mutato consilio, jam non in Saxones amplius, sed in Italiam arma convertit, celebratoque Veronæ paschate omnia undequaque sibi subjecit, immo Romam quoque accessit, & Pontificem in urbe Leonina gravi pressit obsidione.

Sed dum Rex in ordinem cogit Pontificem, Saxones novis rebus student, Franciam Orientalem vastantes, tantaque ferocia Imperatoris amicos prementes, ut conclamate pene Henrici res viderentur. Nec segnius de novo Rege cogitant, quasi fabulæ superioris tristis catastrophe parum eorum res attriviset. Eligitur ergo Hermannus Lucelburgensis, vir sapiens & opulentus, qui deficiente jam anno Goslariam nostram deductus, incredibili omnium plausu a Sigefrido Moguntinensi Archiepiscopo in ipsa S. Stephani festivitate inungitur, ut tradunt Bruno monachus, Bertoldus Constantiensis, Gobelinus Persona, Chronicon Magdeburgense Meibomianum, Engelhusius, Schatenius, Sagittarius, unde miramur, cur Lehmannus, qui Brunonem & Bertoldum Constant. allegat, Maguntiæ hoc factum malit. Vix Rex audiebat Hermannus, cum Gregorius novam illi juramenti formulam mitteret, quam e Baronio huc transscribere nihil impedit:

Hermannus a Saxonibus electus Goslariæ coronatur. *Chron. August. ap. Freh. p. 351. Bruno hist. bell. Sax. p. 152. Bertold. Const. p. 351. Gobelin. Pers. ætat. 6. c. 54. p. 262. Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 319. Engelh. Chron. p. 205. Schat. Part. 1. l. 6. annal. Paderb. p. 605. Sagit. hist. Gosl. c. 5. n. 50. Lehman. Chron. Spir. l. 5. c. 35. p. 471. Baron. ad ann. 1082. n. 11.*

> Ab hac hora & deinceps fideli ero per rectam fidem Beatro Petro Apostolo ejusque Vicario Beato Gregorio, qui nunc in carne vivit, & quodcunque ipse mihi præceperit sub his verbis: PER VERAM OBEDIENTIAM fideliter, sicut oportet Christianum, observabo: De ordinatione vero Ecclesiarum & de terris vel censu quæ Constantinus Imperator vel Carolus S. Petro dederunt & de omnibus Ecclesiis vel prædiis quæ Apostolicæ sedi ab aliquibus viris vel mulieribus, aliquo tempore sunt oblata vel concessa, & in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum Papa, ut periculum sacrilegi & perditionem animæ meæ non incurram & Deo & S. Petro adjuvante Christo dignum honorem & utilitatem impendam. Et eo die quando illum primitus videro, fideliter per manus meas Sancti Petri & illius efficiar.

Videmus ergo aperte, quo spectarint tanti Gregorii conatus, nimirum ut Imperatores Romanos sibi subjectos & obnoxios haberet, & nobilissimas Italiæ provincias, quas a Constantino sibi donatas mentiebatur, impune raperet.

Annus Christi 1082.

Henrici Reg. 27.

Ab. V. C. 159.

INterea dum Henricus hæret in Italia, Hermannus quoque contractis regni viri-

nus Rex

Goslarię agit. *Bertold. præbyt.*

viribus, & Saxoniæ adminiſtratione Ottoni Duci demandata, itineri Italico ſe accingit preſſo Pontifici ſuppetias allaturus. Sed conſilium hoc ipſi excuſſit Ottonis ducis obitus, ex quo neſcio quid turbarum veritus, citius in Saxoniam regreditur, & propinqua jam æſtate, Goslariam cum magno principum agmine accedit: id quod ſatis aperte docet hujus Herimanni diploma Corbeienſibus & Hervordienſibus conceſſum atque hac ſubſcriptione munitum:

Schat. l. 6. ann. Paderb. part. 1. p. 608.

Signum Domni Herimanni Regis invictiſſimi.

Brun Cancellarius vice *Sigefridi* Archicancellarii recognovi. Data III. Non. Auguſti Anno dominicæ Incarnationis MLXXXII. Domni *Herimanni* Regis I. Indictione V. Actum coram multis principibus in palatio regio Goslare in Dei nomine feliciter Amen. *

* *Nota Lector. Hac ſcribens ſecutus ſum Schatenium, in quo hoc diploma prima vice legeram. Sed abſoluto opere & in ordinem redacto incidit in meas manus Paulini celeberrimi diſſertationum hiſtoricarum volumen, in quo idem diploma multo accuratius exhibetur. Ex eo didici, Schatenium autographo procul dubio non viſo eum alibi eum & in ſubſcriptione erraſſe. Ita enim lego in Paulini laudato opere:*

Paulin. diſſ. hiſt. 2. p. 25.

Signum Domini (*Schat. Domni*) Herimanni Regis invictiſſimi.

Brun Cancellarius ad uicem Sigifridi. (*Sch. Sigefridi*) Archicancellarii recognovi. Data III. Non. Auguſt. anno Dominic incarnation. MLXXXIII. (*Schat.* MLXXXII.) Domini (*Schat. Domni*) Herimanni Regis I. indictione V. Actum coram Principibus (*Schat: multis principibus*) in palatio regio Goslariæ (*Schat. Goslare*) in Dei nomine feliciter Amen.

Rectius ergo hoc diploma retuleris ad annum ſequentem, quod monere viſum eſt, ne mecum & alii errent.

Brun Cancel. larius.

Brun Cancellarius qui literas has recognovit, fugit oculos diligentiſſimi Mallinckrotii, in cujus catalogo Cancellariorum non occurrit. Proclive fuerit ſuſpicari, e Canonicis Goslarienſibus illum fuiſſe, ut plerique fere ceterorum Regum Cancellarii, inprimis cum conſtet Hermannum præcipue Goslariæ hæſiſſe, ex quo Saxoniæ præfuit: niſi forte idem eſt cum Brunone Cancellario, qui ſub Henrici V. Imperio literas aliquot recognovit, de quo pluribus egit laudatus Mallinckrotius.

Anni Chriſti 1083. & 1084.

Henrici IV. Reg. 28. & 29. Imp. I.
Ab. V. C. 160. & 161.

Henricꝰ capta Roma Imperator coronatur.

HIs annis Henricus Italicæ expeditioni feliciter ultimam manum impoſuit, nam expugnata urbe Leonina, fugato Gregorio, & Gviscardo Apuliæ duce compreſſo, ipſe Romam ingreditur, Gvibertum de gente Corrigia, qui Clementis III. nomen aſſumſit, Pontificem creat, quod ideo factum credit Pallatius, quod Corrigiorum familia origines ſuas Maximiliano I. teſte, referat ad Habsburgenſes comites, gente Germanos, quos adeo ſibi præ ceteris fidos fore Henricus exiſtimaverit. Hic ergo Papa Henricum Regem corona cinxit, & cum multa benedictione dimiſit.

Sigon. l. 9. regn. Ital. Pallat. geſt. Pont. tom. 2. p. 385.

Otto Friſing. fragm. de Hildebr. ap. Gold. apol. Henr. IV. p. 18. Sigeb. Chron. p. 615. Marian. Scot. p. 456. Baron. ad ann. 1084. p. 576. tom. XI.

Hildebrandus exul denuo excommunicat Henricum. *Dodechin p. 457. Bertold. Conſt. p. 355. Chron. Saxo. p. 265.*

Conſtitutis Italiæ rebus Henricus in Germaniam revertitur, ubi magnam reperit rerum omnium perturbationem. Sed cum non eſſet reſiſtendo, ſine ullo memorabili prælio tota æſtas transacta eſt. Interea Hildebrandus in exilium pulſus cognito Regis diſceſſu ad ingenium rediit, ac Albanenſem & Oſtienſem Epiſcopos miſit in Germaniam, qui Regem vix execrationis vinculo ſolutum denuo diris devoverent. Acceſſit horum alter Goslariam, ubi Hermannus Rex Natalem Domini celebrabat, & tot verbis in Henrici crimina invectus eſt, ut Saxones omnem Pontifici obedientiam offerrent, nec communicandum cum Henrico ſtatuerent: Scilicet cum olim pro Nerone pronunciaret Petrus: *Deum timete, Regem honorificate:* Succeſſor ejus, ut ſe ferebat, Gregorius hoc nequiſſimum tunc cudebat decretum: *Ut ſi Pontifex Romanus alicui offenſus fuerit pro delictis ſuis, ceteri non debeant ei eſſe amici, vel eum alloqui: alloqui unum eſſe ex illis, qui exterminare volunt eccleſiam Chriſti, quisquis amicus fuerit ei, qui eſt hujusmodi.*

Vid. apol. Henrici p. 160. ap. Freher.

Henricꝰ Aslovienſis Præpoſitus eccleſiæ SS. Simonis & Judæ fratres. Paderbornenſis creatur. *Cranz. metrop. l. 5 c. 23. p. 134. Gob. Per. ſon. ata. de 6. c. 33.*

Subtraxit præterea hic annus Popponem Paderbornenſem Epiſcopum, cui Hermannus Rex ex eccleſia noſtra ſubſtituit Henricum, prognatum e Comitibus Aſlovienſibus, quos eosdem cum Wincenburgiis Meibomius docet ex chronico Bremenſi, ubi Hermannus Wincenburgicus & Henricus de Aslo comites nominantur & Judæ fratres. Sed vix Paderbornam attigerat Henricus Aslovienſis, cum Henricus Imperator non ferens æmuli audaciá alium mitteret Henricum comitem de Werle, quem magno niſu repudiabat capitulum. Diutius ergo inter illos contentio interceſſit, donec cedente Henrico Henricus Werlenſis Epiſcopatum ſolus obtineret anno MXC. ex quo tempore eccleſiæ ſuæ ſumma cum lau-

N

Mallinckrot. de cancell. Imp. p. 69. Bruſch. c. 12. n. 14. p. 1067. de Epiſc. Schaten. p. 263. P. I. annal. Paderb. p. 615.

Schat. l. c. p. 629. Leznet. c. 85. MSC. de monaſter. Chron. Montis Franc. p 3. Bertold. Conſt. p. 355.

de præfuit annis XXXVIII. Alterutrum horú Henricorum ex eccleſia noſtra prodiiſſe certum puto: Sed utri hoc tribuendum, nondum conſtat inter Hiſtoricos. Schatenius, de Werlenſi ſuſpicatur: malim tamen cum Leznero & auctore chronici Montis Francorum pro Henrico Aslovienſi pronunciare, cum e Bertoldo conſtet, hoc anno, quo Paderbornam miſſi ſunt hi Epiſcopi, Hermannum quidem, minus vero Henricum Goslariæ ſubſtitiſſe: unde & probabilius eſt Hermannum ex collegio Canonicorum Goslarienſium quendam promoviſſe, quam Henricum.

Anni Chriſti 1085. & 1086.
Henrici IV. Reg. 30. 31. *Imp.* 2. 3.
Ab. V. C. 162. 163.

Comitia Goslari-

ANnus qui ſequitur Henrici trigeſimus a multis Synodis celebratur, tum pro Rege tum pro Pontifice habitis. Jam tum ſub antecedentis anni finem Hermannum Goslariæ celebraſſe natalem Domini diximus, huc cum ſub hujus anni auſpicia adveniret. Otto Oſtienſis Epiſcopus, pontificis legatus, magna contentio inter principes & Epiſcopos oritur, aliis Pontificem, Henricum aliis tuentibus. Tandem convocatis Gerſtrungam * principibus, in hoc omnes conveniunt, ut excomunicato Rege, Gregorio denuo fidem dicerent. Receſſum ſeu vocant horum comitiorum e Bertoldo huc referre placet:

Gerſtrungenſia. *Ab. Urſp. p. 226. Anton. apolog. Heinr. IV. p. 196.*

* *Abb. Urſp. Berchach.*

Goldaſt. tom. I. conſtit. imper. p. 243. Bertold. Conſt. ap. Urſtis. tom. I. rer. Germ. p. 355.

ERMANNUS REX nativitatem Domini Goslare celebravit, ad quem Oſtienſis Epiſcopus Apoſtolici legatus poſt Epiphaniam pervenit in Saxoniam & colloquio interfuit, quod Saxones contra Henrici fautores condixerunt, ut hoc illis probarent, ſe jure Henricum vitare, ut excommunicatum. Quod & facto colloquio decimo quinto die poſt Epiphaniam, firmiſſime probaverunt, ea videlicet ratione, quia Romanus Pontifex illum eis a ſe in Romana Synodo anathematiſatum literis denunciavit. Adverſarii autem eis objecerunt, quod Papa eum nequiverit excommunicare eo quod expoliatus non potuerit vocari, judicari ſive damnari. Ad hæc Saxones reſponderunt, ſe judicium ſedis apoſtolicæ nec debere retractare, nec poſſe: hoc cum illo potius tractandum qui illum damnaverit, non cum Saxonibus, quod damnationi ejus non interfuerint, quiſedis apoſtolicæ judicio nullam retractationem ſed obedientiam debuerint. Ita ergo ſoluto colloquio diſceſſum eſt ab invicem.

Henrico Imper. omnibus odioſus.

Hæc tum decreta ſunt, Wezilone Moguntino & Conrado Trajectenſi præſulibus nequicquam obnitentibus. Quid? quod ad arma in his comitiis ventum ſit, quibus periere duo comites, nec aliud fatú manſiſſet Udonem Hildeſienſem Epiſcopum, ejusque fratrem Conradum, niſi fuga evaſiſſent factionis Gregorianæ erudelitatem. Ceterum quam odio vulgo habitus tunc ſit Henricus Imperator, non obſcure præ ſe fert epitaphium Conradi Comitis Luzelburgenſis in cœnobio beatæ virginis ibidem conſpicuum:

Bruſch. Chronol. Monaſt. German. p. 56.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Quieſcit hic Comes Conradus. Hic cum inter ſeculi principes fama probitatis eſſet celeberrimus, ſepulcrum vitæ principis adiit amore divino ſuccenſus, indeque rediens, divina ſe vocante clementia, obiit peregrinus, ſepultus in terra decenter, non ſua: indeque anno dormitionis ſuæ de ſeculo hic fuit repoſitus, præſente conjuge ſua Clementia, per manus filiorum ſuorum Adelberonis, primicerii Metenſis, Henrici Comitis, Conradiq; Comitis, præſente Rodolpho Abbate filio Comitis, quem ipſe proviſorem & ordinatorem hujus loci ſtatuerat. Facta ſunt hæc regnante permiſſu Dei Henrico, tyranno damnato, *ac piæ memoriæ Gregorio pontifice Romano. Obiit autem ſexto Idus Auguſti anno Dominicæ incarnationis* 1086.

Concíliabulum Quedlinburg. *Bertold. Conſt. ad h. ann. p. 356. Gold. l. c. p. 244. Carolus de Viſch. bibl. ſcript. Ciſterc.*

Sequente paſchatos feſto ejusdem factionis principes Quedlinburgum conveniunt, in quo conciliabulo præter Hermannum Regem & legatum Apoſtolicum comparuerunt Gebhardus Salisburgenſis, Hartwigus Magdeburgenſis Archeipiſcopi, Adalbero Wurzburgenſis, Altmannus Paſſavienſis, Adalbertus Wormatienſis, Burchardus Halberſtadienſis, Werétherus Mersburgenſis, Gunther Citicenſis, Beſſo Miſnenſis Hartwicus Verdenſis, Hermanſius Metenſis, Reginhardus Mindenſis, Wigoltus Auguſtanus, Ciſterc.

Concil. tom. 10. p. 404. Serar. l. 5. ver. Moguntin. p. 790 Baron ad h. ann. p. 584. tom. XI. Synodus Moguntina.

ſtanus, Gebhardus Conſtantienſis & Henricus Paderbornenſis Epiſcopi, Eckbertus marchio, & Heinricus Craſſus qui in Henrici perniciem conſentientes Clementem Papam & Epiſcopos ab Henrico vocatos accenſis cereis diris devovent; Henrico imperium abrogant, omnesque inaudita audacia damnant, qui in Regis partes erant proniores. Quibus cognitis Imperator ſuarum quoque partium Epiſcopos Moguntiam vocat, acta Qvedlinburgenſia reſcindit, Gregorium denuo damnat, Clementi ſacerdotium confirmat: ſubſcribentibus huic decreto Wecilone Moguntino, Eilberto Treverenſi, Sigewino Colonienſi, Liemaro Bremenſi, Conrado Trajectenſi, Henrico Leodienſi, Udalrico Eichſtedenſi, Meginwardo Friſingenſi, Ottone Ratisbonenſi, Ruberto Bambergenſi, Hermanno Spirenſi, Ottone Conſtantienſi, Sigefrido Auguſtano, Gebehardo Pragenſi, Udone Hildeſienſi, Henrico de Werla Paderbornenſi, Erpone Monaſterienſi, Folcmaro Mindenſi, Bibone Tullenſi, Burchardo Baſileenſi, Ottone Strasburgenſi præſulibus, a quibus miro conſenſu Hermannus Rex, Ecbertus marchio, ceterique hujus factionis principes, hoſtes reipublicæ declarati, Henricus vero abſolutus eſt. Quæ patrum decreta Gregorium adeo excruciarunt, ut eo ipſo anno Salerni in exilio impuram animam efflaret, tantos conſcientiæ angores paſſus, ut cum extrema ſibi imminere animadverteret, vocato ad ſe Cardinali fateretur, *ſe valde peccaſſe, in paſtorali cura, quae ei ad regendum commiſſa erat, &, diabolo ſuadente, contra humanum genus odium & iram concitaſſe, poſtea vero ſententiam, qua in orbem terrarum diffuſa eſt, pro augmento Chriſtianitatis cœpiſſe dicebat. Tunc demum praedictum Confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem & totam Eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat, & tam cito induebat ſe angelica veſte, & dimiſit, & diſſolvit vincula omnium bannorum ſuorum Imperatori & omni populo Chriſtiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis &c.*

Alberic. Chron. p. 130.

Erpo Goslarienſ. Canonicus

Interea dum inter principes de pontifice & Rege contenditur, Friderico Monaſterienſi Epiſcopo, qui ſuperiore anno e vivis exceſſerat, ab Henrico Rege in in eadem Moguntinenſi Synodo ſubrogatur Erpo Ep. Goslarienſis eccleſiæ canonicus, Friderici ex ſorore nepos, ex illuſtri Megalopolitanæ nobilitatis familia oriundus: Rhemenſis quoque eccleſiæ aliquandiu Canonicus & Scholarum moderator. Hunc etſi ex Goslarienſi eccleſia prodiiſſe tacent Cranzius & P. Merſæus: diſerte tamen in catalogis præpoſitorum Goslarienſium ab Hamerslebienſi monacho Emſero & Leznero confectis reperimus. Nec ignorat hoc Schatenius, Erponem e canonicorum collegio, (quod per id tempus ſeminarium fuerit Epiſcoporum) Henrici Imperatoris ſtudio provectum, teſtatus: provocans ad faſtos Monaſterienſes: *Friderico*, inquiens, *in Monaſterienſi cathedra ſubrogatus Erpo e collegio Canonicorum Goslarienſium (quod per id tempus ſeminarium erat Epiſcoporum) ſed ſtudio ac favore Henrici Regis eoque Schismatic: labe notatus. Erat is ex ſorore Friderici nepos, ex illuſtri quoque Saxonum familia, ac poſt Canonicus Rhemenſis in eoque collegio ſcholarum moderator.*

Cranz. l. 5 Metrop. c. 29. p. 137. P. Merſ. de Eccleſiaſt. c. 6. n. 17. p. 1556. Schat. l. 6. annal. Paderb. part. 1. p. 612.

Inſequente anno MLXXXVI. Henricus in ſuperiore Germania hoſtes invenit Bojos & Svevos, qui junctis cum Saxonum gente armis regis exercitum prope Herbipolin ex improviſo adorti tanta eum clade affecerunt, ut quatuor hominum millia occubuerint, ceterique, turbatis ordinibus fuga vix evaſerint. Dici non poteſt, quantopere in Epiſcopos Henrici caſtra ſecutos ſævitum ſit, quot eorum ſacerdotiis privati exilioque ſint mulctati. Ne tamen ii, qui conſtantius adhuc cum Henrico ſteterant, ab adverſa factione plane opprimerentur, tanto contentius laborabat Imperator, ut eos muneribꝰ beneficiisq; in officio retineret. Erat inter hos Udo Hildeſienſis Epiſc. qui cum Saxonum conſilia nunquam probaſſet, regali prædio donatus eſt. Extant ipſæ Henrici tabulæ, e quibus id cognoſci poterit quas vel ideo integras addere placuit, ut appareat, quanto amore complexus ſit Imperator Goslariam noſtram. Cum enim totam prope viciniam Hildeſienſi eccleſiæ addiceret, ſolam ab hac conditione excepit Goslariam, & eccleſiam SS. Simonis & Judæ in Civitate noſtra florentem. En ipſum diploma:

Henricꝰ a Saxonibus cæſus. *Bertold. Conſt. p. 358.*

Vdonē Ep. Hild. regali prædio donat. *Schat. l. 7. p. 622.* Goslariā & eccleſiam SS. Sim. & Jud. non vult ab Imperio abalienari.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICUS *divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Omnibus Dei noſtrisque fidelibus tam futuris, quam præſentibus notum eſſe volumus, qualiter nos eccleſiæ Hildenesheimenſi mediante fideli noſtro* Udone *ejusdem Sedis Epiſcopo curtem noſtram nomine* Werla *& villas eodem pertinentes, nomine* Immenrothe & Jehthere, *cum omnibus appendiciis, id eſt mancipiis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decurſibus, molis & molendinis, campis, ſilvis & piſcationibus, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſeu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire, in proprium dedimus, excipientes de hac ipſa donatione clientes noſtros cum bonis eorum, & ſilvam, quæ dicitur* Harz, *cum foreſtali*

jure,& Goslariam cum bonis fratrum Goslarienſis Eccleſiæ. *Illa autem ſupra dicta bona pro manſis ducentis dedimus; ea videlicet ratione,ut ſi quid ibidem ultro ducentos manſos inveniret,nobis retineremus. Si quid minus, id ſupra dictæ Eccleſiæ aliunde ſuppleremus. Et ut noſtræ hujusmodi donationis autoritas omni ævo ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc cartam inde conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum domni *Heinrici* tertii Romanorum Imperatoris Auguſti.

* Ind. VIII. eſt

Herimannus Cancellarius vice *Wecelonis* Archicancellarii recognovit. Data; Calend. Januarii ac Incarnatione Domini MLXXXVI. Indictione * VIII. anno autem Domni *Heinrici* Imperatoris regni quidem XXXI. Imperii autem II. actum *Wormatiæ*, feliciter Amen.

Anni Chriſti 1088. 1089.

Henrici IV. Reg. 33. 34. *Imp.* 5. 6. *Ab. V. C.* 165. 166.

Hermanni Regis triſtis exitus. *Ab. Urſp. p. 226. Alb. Stad. p. 249. Auctor vitæ Henrici IV. p. 105. Engelhuſ. in Chron. p. 205. Avent. l. 5 annal. Bojic. p. 466. Chronogr. Saxo p. 270 Otto Friſ. l. 6. c. 35. p. 137. Chron. Auguſt. p. 354. ap. Freher. Alberic. in Chron. p. 138. Sigeb. Gembl. Chron. p. 607.*

OMnia adhuc proſpere Hermanno Regi evenerant, Saxonesque ejus rebus ſtuduerant tanta conſtantia, ut non dubitaverint armorum quoque fortunam ejus cauſa experiri. Precario tamen imperabat, nec diutius ſuis placere poterat, quam alius prodiret qui placeret magis. Inprimis Ecbertus Marchio, tot victoriis & longo bellorum uſu ferox, adſpernari jam ejus imperium & Saxonum animos pertentare cœpit. Nec feſellit eum opinio. Tanta enim ſubito facta eſt rerum converſio, ut qui paulo ante in Henrici odium Hermannum ultro accerſiverant, nunc eundem tanquam tragicum quendam regem deſpicatui haberent, & quia ſæpius in Manſfeldico agro, alii fetare hærebat, *alii regem*, per convitium appellarent. Quapropter Hermannus pertæſus tot moleſtiarum, venia ab Henrico impetrata, in Lotharingiam, tanquam in portum quendam, ſeſe ſubduxit, maluitque ultrò deſerere imperium, quam ab illo cum capitis & exiſtimationis ſuæ periculo deſeri. Nec effugit tamen priſtinæ rebellionis ſupplicium. Cum enim deinde caſtellum quoddam præmunitum oppugnaret, ac paulo incautius ſubiret mœnia: lapis ſive a fœmina projectus, ſive alio caſu avulſus, ex inproviſo in ejus caput defluxit, tantoque impetu fauces fregit, ut ſtatim diem obiret ſupremum. Licet alii eum; cum caſtellum quoddam victor ingrederetur, miro Dei judicio valvæ e cardinibus avulſa obtritum; alii in ludicra caſtelli cujusdam oppugnatione peremtum; alii denique ab Henrici Imperatoris amicis occiſum malint. Omnes certe in eo conſentiunt, Hermannum cruenta morte obiiſſe. Exuviæ ejus Metim delatæ ac procul habito omni regio apparatu terræ mandatæ ſunt: Documento poſteris egregio, illos planè omni meliore fortuna ſe privare, qui principes legitimo imperio privare conantur.

Cognito Hermanni caſu, tamque repentina rerum cataſtrophe, Henricus in ſpem recuperandæ inter Saxones priſtinæ autoritatis erectus eſt. Plures enim, qui ejus partibus adhuc iniquiores viſi ſunt, atque in his ipſe Egbertus Marchio, mutato conſilio ei obſequium ſpoponderunt. Conventum ea de cauſa VIII Id: Aprilis indixerant Goslariæ, ubi plurimorum conſilia togæ ac pacis non armorum ſocia videbantur. Bellum tamen reſumendum ſvadebat Bucco Halberſtadienſis Epiſcopus, bellorum civilium fax & tuba, & juratus Henrici hoſtis. Quem cum nec ceterorum principum auctoritas, nec civium noſtrorum minæ compeſcerent: res demum ad arma venit. Concurrunt cives, Bucco vitæ metuens, in vicinas ædes ſe recipit, obſidetur domus, Epiſcopus plebis animos modo promiſſis, modo minis nec quicquam flectens demum ad feneſtram accurrit. Sed vix eum cives conſpexerant, cum ſtatim tela in illum conjicerent. *Non id agente marchione*, ut ait Apologiæ auctor, *ſed tamen hoc factum approbante.* Unde accepto fatali vulnere in Ilſenburgenſe monaſterium relatus miramque præ ſe ferens pietatem, diem obiit ſupremum. Ineptiunt itaque qui cum Bruſchio eum Halberſtadii in ſeditione quadam peremtum putant. Nec minus errant, qui eum multo ante in famoſo illo tumultu, quem Hezilo Hildeſienſis Epiſcopus & Wideradus, Fuldenſis Abbas Goslariæ excitaverant, militum furore peremtum ferunt. Winnigenſtadius id cum temporum ordine nimis aperte pugnare animadvertens, non quidem tunc occubuiſſe illum, extremum tamen capitis periculum adiiſſe exiſtimat; ipſam vero ejus cædem, hoc anno demum contigiſſe fatetur. Producit quoque Herrandi Ilſenburgenſis Abbatis, *Paſſionem Buccononis*, ſed in Germanicam tantum a ſe verſam, & nimis hypotheſi ſervientem. Tota enim in purgando Buccone verſatur, quem nullus juſtus rerum æſtimator a perfidiæ crimine abſolvet. Non mirum tamen eſt, Bucconis clientem, & quod caput rei eſt, in

Bucco Halberſt. Epiſc. Goslariæ occiſus. Apol. Henr. IV. p. 214. & 218. ap. Freh. t. I. Chron. Stederb. p. 452. Ab. Urſp. p. 226. Chronogr. Saxo p. 270. Alb. Stad. p. 249. Avent. l. c. p. 467. Winningenſt. Chron. Halberſt. MSC. vit. 12. Sagit. hiſt. Halberſt. p. 34. Chron. Auguſt. p. 354. Bertold. Conſt. p. 361. Bruſch. c. 13. p. 1078. de epiſc.

in eadem ſede poſtea ſucceſſorem, patroni & prædeceſſoris ſui cauſam pro virili egiſſe, magisque Bucconis laudibus, quam rei veritati litaſſe. Plura Herrandi ſcripta, quod obiter moneo, a Poſſevino recenſentur, ſed nihil tamen de *Buccenis paſſione* ibi deprehendas. Poterit ergo iſte catalogus ſuppleri. Sed de Buccone ſatis.

Henrico Imper. ab Ecberto marchione cæſus. *Ab. Urſp. p. 227. Alb. Stad. l. c. Chronogr. Sax. p. 270. Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 117 Sagitt. hiſt. Egbert. march. c. Wolter. Chron. Brem. p. 47. Apol. Henr. IV. p. 218.*

Videbatur jam procella deſæviſſe, & Henricus finitis diuturnis litibus cum Saxonibus in gratiam propediem ſe putabat rediturum. Verum denuo occulte refragabatur Ecbertus, ipſe imperium anhelans omnemque Saxoniam, ut Henrico denuo repudium mitteret, ſollicitans, Eum non imperium intendere clamabat, ſed dominatum, idque facile perſvadebat principibus, qui Hermanno adhuc precario regnante, pro lubitu omnia egerant, & jam pene obſequium omne dedidicerant. Accedebant pontificis illecebræ, & vana ſpes, quæ illis in Ecberto ejusdem gentis homine ſita erat, quem civibus ſuis indulgentius præfuturum credebant, quam Francum. Hæc ſpe illecti ultro Ecberto curam reipublicæ demandabant, nec regis nomen illi fuiſſent denegaturi, niſi eodem fato, quo ceteri Henrici æmuli, paulo poſt fuiſſet extinctus. Hærebat tunc Imperator in caſtelli cujusdam obſidione, jamque in ſpe erat illo potiundi. At Ecbertus, irarum plenus, collectis ſuis, & ſociorum copiis, accurrit, ac Imperatorem viribus imparem eo adigit, ut caſtris non ſine clade ſolutis, ſignum receptui daret, reque infecta diſcederet. Cognitis itaque Saxonum conſiliis Henricus ſubito exercitum inſtaurat, & cladem ulturus, Saxoniam ingreditur. Omnia de hinc ferro flammisque devaſtata. Goslaria communem viciniæ ſortem Imperatoris clementia effugit. Nam paucis diebus hic commoratus, omnia ad ſummam tranquillitatem componit, uxorem quoque ac ſororem ſuam cum gynecæo apud nos relinquit, quæ tamen ut Thuringiæ propiores eſſent, Quedlinburgum deinde ſeceſſere. Ipſe cum juſto exercitu itinere in Thuringiam reflexo caſtrum Glichen haut procul Erfurto ſitum arcta obſidione incingit, milite præſidiario tanta fortitudine ſeſe defendente, ut ab Aſſumtionis Mariæ vigiliis ad Chriſti natalem usque fruſtra, ferveret obſidio. Interea Ecbertus, ut Imperatorem ab obſidione retraheret, Quedlinburgum obſidione urgebat, quo illius uxor ſe receperat: Cum vero Henricum nihilominus urgere oppugnationem animadverteret, demum de liberando caſtello ſuo ſerio cogitavit. Inſtabat jam anniverſaria Chriſti nati feſtivitas, præcipui quique Duces ac Principes, ſacris interfuturi è caſtris ſeceſſerant, gregarius quoque miles parum cautus ſegnius caſtellum urgebat. Hinc Ecbertus cum armata manu advolat, ipſoque feſti hujus pervigilio Imperatoris exercitum aggreſſus, ei vix tantillum ſpatium reliquit, intra quod tumultuariam ordinare aciem poſſet. Ingens committitur prælium. Burchardus Loſannæ Epiſcopus aquilam præferens in principiis occumbit, Liemarus Bremenſis Archiepiſcopus, quem ex eccleſia Goslarienſi prodiiſſe ſupra diximus, a Lothario Supplinburgenſi comite, qui poſtea ad imperium adſpiravit, captivus abducitur. Multi præterea capti, plures cæſi, plurimi a ſignis dilapſi fuga ſibi conſuluerunt. Ipſe Henricus, ne eandem ſortem ſubiret, nocturna fuga Merſeburgum ſe ſubduxit, parumque abfuit, quin ab inſequentibus hoſtibus obtereretur, niſi promiſſis ſuis eorum impetum repreſſiſſet. Noluit tamen Ecbertus victoriam prælii exitu terminare: ſed reducto ad nos exercitu totam Hildeſienſem diœceſin occupavit, ipſumque Udonem Epiſcopum, quem nullis minis ab Henrici partibus retrahere poterat, cepit, & ſatis diuturna cuſtodia fagitavit. Epiſcopus quo libertatem reciperet, multa offerebat marchioni, ipſamque urbem Hildeſiam ſe pollicebatur traditurum, ſi domum redire liceret. Paruit Ecbertus, acceptisque obſidibus Epiſcopum vinculis exolvit. Sed cum promiſſis eum minus ſtare deprehenderet, continuatis victoriis ferox, urbem ingenti animo oppugnat, unum ex obſidium numero in civium conſpectu capite plecti jubet, nec deſiiſſet Hildeſienſes premere, & forte Goslariam quoque noſtram tunc ab Henrico ſtantem pari clade affeciſſet, niſi Imperatorem cum exercitu adeſſe increbuiſſet. Hac enim fama perterritus Ecbertus obſidionem ſolvit, inſtaurandisque copiis dedit operam.

Vicinia noſtra bello turbata. *Bunting. l. c. Spangenb. Chron. Sax. c. 207. p. 330. Rentel. Chrō. Hildesh. p. 86. Chron. MSC. de Epiſc. Hildesh. c. 20. Apol. Henr. IV. p. 197.*

Fruſtra de pace tractatur. *Chron. Auguſt. p. 354. Bert. Conſt. p. 363.*

Adfuit intera Henricus cum inſtructiſſimo exercitu, tantoque terrrore Saxoniam omnem implevit, ut trepidi plerique de pace in medium conſulerent. Plures alii non ægre quidem ferebant, Imperatorem tamdiu pace oblata deliniri, quoad tempus rei gerendæ idoneum dilaberetur; re ipſa tamen id præcipue agebant, ut Ecberti dominatum in Saxonia firmarent, & Henricum cunctando perderent. Diu cum Imperatore de pace tractatum, juſſusque eſt ille cum pontifice Urbano in gratiam redire, Guibertum vero antipapam deſerere, ſi Saxones morem ſibi gerentes habere vellet. Pronus videbatur Henricus, ſi pontifex ad ſaniorem mentem rediret, cum illo de reconciliatione paciſci, neque enim quicquam rebus ſuis videbat eſſe magis neceſſarium, quam pacem. Verum cum Saxones majora quotidie concupiſcerent, quam ferre Imperator poſſet, tantum aberat, ut pax coaleſceret, ut potius Henricus a principibus deluſus re infecta in Svevlam cum ſuis rediret. Interea Sigefridus Auguſtenſis Epiſcopus cum urbe Auguſta Vindelicorum fidei erat ſervantiſſimus,

Wigoldus Ep. Auguſt. Goslariæ conſecratur.

Apol. Henr. IV. p. 219. Chron. August. p. 354. Ab. Ursp. p. 226. Chronogr. Sax. p. 270 Avent. l. 5 p. 467.

Guiberto quoque Pontifici ab Imperatore facto adhærebat, spreto Urbano, qui schisma turpissimum sua ambitione fovebat, alebatque. Minus æquo animo hæc tulit Welfus Bavariæ Dux, qui Svevis non nullis junctus Augustam Vindelicorum II. Id. April. noctu aggreditur, eam a præsidio male instructam admotis scalis transcendit, omnia aut igne absumit, aut militibus depopulanda relinquit, ipsum Episcopum inter aras Deo supplicantem in captivitatem abripit, nulli denique loco parcit, sive sacro sive profano. Statim schismatici de Episcopo Sigefrido subrogando cogitabant. Eligunt itaque Wigoldum quendam, hominem audacem & profanum, nostrâne an ecclesiæ Augustanæ majoris Canonicorum? Goslariæ certe a Sigefrido Moguntino Archiepiscopo solenni inaugurationis ritu initiatur. Unde Augustam profectus cum tertia feria ante cœnam Domini chrisma consecrasset, statim in morbum delapsus viribus deficere cœpit. Ex quo demum paucis a consecratione, diebus diem obiit supremum. *O quam bonus pastor*, inquit Apologeta Henrici, *& quam prudens familiæ Dei dispensator ille Wigoltus: qui utpote fur, ipse intravit in civitatem cum furibus & homicidis atque raptoribus, ut raperet, macta ret & perderet.*

Annus Christi 1090.

Henrici IV. Reg. 35. Imp. 7.

Ab. V. C. 167.

Ecberti cædes & pax Saxoniæ reddita. *Bertold. Const. p. 363. Sigeb. Gembl. p. 607. Abb. Vrsp. p. 227 Alb. Stad. p. 249. Chronogr. Sax. p. 270 Ant. vitæ Henr. p. 106. Sagit. Hist. Eccard. l. sect. 2. §. 4. Antiquit. Brunsv. n. 67. p. 34.*

Proximus annus halcyonia Saxoniæ post tot intestinas lites reddidit, sublato nimirum Ecberto Marchione, qui præcipue adhuc principes ab obsequio retraxisse, videbatur. Cum enim in eo esset, ut, absente Imperatore bellum cum Hildesiensibus redintegraret, qui ut autor vita Henrici loquitur, *fortunam Regis prospero ire cursu videntes in partes ejus se converterant præsumentes fiduciam & ex loci sui firmitate & ex regia subventione*,) & ex itinere sessus, ad molendinum quoddam Eisenbuttelense diverteret, quidam Imperatoris amici, re a molitore comperta, statim impetum in molendinum faciunt, marchionem nihil insidiarum suspicatum adoriuntur, & uno ictu perfodiunt. Quare non satis possum mirari, nonnullos adeo in loco errare, ut Ecbertum Eisenbergæ in dulcissima patria mea interemtum dicant. Atque adeo princeps & potentia, & opibus, & rerum gestarum gloria nemini secundus, ignominiosa morte perfidiæ pœnam dedit, felicior futurus, si quantum virtute, tantum fide & obsequio præstitisset. Tertius hic est Henrici æmulus, cruenta plane morte sublatus. Idem factum hoc ipso anno mansit Bertholdum Reinfeldensem, Rudolphi Regis filium, & Leutoldum Ducem Carinthiorum, satis infelici interitu notos, quorumque injusta rebellio Deo improbata brevitate, vitæ & turpitudine mortis apparuit: quippe cum nemo ferme eorum morte sua obierit. Capite factionis sublato, Saxonia statim Henrico Imperatori sine armis cessit. Brunsvicum & inprimis palatium Tanckwarodanum, pulsa Gertrude Ecberti sorore, occupatum, & Bavarico præsidio præmunitum: Ceteri Saxoniæ proceres, duce ac propugnatore orbati, & ipsi ad pacis consilia converti sunt. Denique reddita pace a bello aliquandiu cessatum, Saxonesque armis invicti, suis dissidiis superati ad obsequium redierunt.

Henricus Italiam ingreditur. *Chron. August. p. 354. Bertold. Const. p. 363.*

Restituta per Saxoniam quiete Henricus ubique victor Italiam proximo vere ingressus est, quam Mathilda Marchionissa virilis animi fœmina & pontificum vilissimum mancipium denuo vehementer conturbabat. Erat illa Bonifacii Marchionis filia, & Godofridi Ducis vidua, tantasque opes hæreditatibus contraxerat, ut in sola illa omnis spes pontifici sita esset. Adhæc Urbano Papa auctore ad secunda vota transiens Welfoni juniori nupserat, qui pari adversus Imperatorem odio flagrans nihil habebat antiquius, quam ut Urbani causam contra Gvibertum Antipapam tueretur omnesque Imperatori paulo æquiores opprimeret. Veritus igitur Henricus, ne omnis Augusta majestatis in Italia exspiraret, pacatis Germaniæ rebus Italicam expeditionem suscepit, & continuatis trophæis omnem ferme Lombardiam aut occupavit, aut intra metum & pudorem continuit. Sola Mantua oportunitate situs confisa, more suo Imperatoris arma contemsit. Toto tamen anno arcta obsidione incincta adeo rerum inopia laborare cœpit, ut extrema quævis pateretur. Plures equidem Imperatoris res tunc in Italia gestas luculenter admodum memoriæ prodiderunt, sed eorum tamen scriptis neglectis Pontificii scriptores Domnizonis aut Bertoldi Constantiensis lacunas haurire solent, tot mendaciis & odiis redundantes, ut naribus plane carere eum oporteat, cui non fœda commenta subolent.

Anni Christi 1091. & 1092.

Henrici IV. Reg. 36. & 37. Imp. 8. 9.

Ab. V. C. 168. & 169.

Saxoniæ calamitas. *Chron. Aug. p. 355 Bertold. Const. p. 365. Alb. Stadens. p. 249.*

Annis proxime insequentibus mira tranquillitate Saxonia nostra fruebatur, cum nemo jam supereresset amplius, obtruncato Ecberto, qui lacertos movere auderet. Sed eo gravius in his regionibus sæviebat fames, cui deinde pestis successit, adeo omnia ubique depascens, ut plures ecclesiæ sacerdotibus, cœnobia monachis, vici ac oppida civibus essent orbata. Terror ubique, pavor & plurima mortis imago. Unde nec Goslariam quidem nostram con-

communem hanc totius Saxoniæ fortunam effugisse existimaverim. Henricus Imperator interea in Italia rerum suarum satagebat, novis subinde victoriis auctus. Inprimis Mantuani, toto superiore anno obsidione satis molesta incincti, tunc demum victi ac debellati dedere manus. Ex quo felici armorum successu tantus terror Italorum animos percussit, ut non modo Romani Gvibertum, quicquid fulminabat Urbanus, sua sponte in urbem reciperent, verum ipse etiam Welfo rebus suis diffisus pacis cœperit videri amantior. Nec adspernatus est hanc conditionem Henricus. Siquidem indicto Veronæ principum conventu, quid animi esset Welfoni coram explorabat. Accesserat quoque ad hunc principum congressum Welffo Dux Bavariæ; sed cum paulo duriores offerret conditiones, re infecta discessum est. Non deerant scilicet, ut Augustensis Chronicæ Auctori observatum est, quibus in turbido erat consilium, *nullumque majus contingere infortunium posse videbatur, quam ab ecclesiasticis & civilibus quiescere rapinis, & ab incendiis & cædibus abstinere.*

Ab. Ursp. p. 227. Chron. Stederb. p. 452. Henrici in Italia victoriæ.

Novæ per Germaniam discordiæ. *Bertold. Const. p. 367. Chron Aug. l. c. Schat. l. 7. ann. Paderb. P. 1. p. 631. sq.*

Statim igitur ad arma reditum est, quibus ita semper præstitit Imperator, ut neque hostium insidiæ, neque conglobata Lombardorum vis eum terrerent. Urbanus papa ad extrema redactus in ultimam Hispaniam se subduxit. Romani non ignari, quam periculosam aleam subituri essent, si Augusto suo resisterent, jam leges ab illo non inviti susceperunt, Mantua, Florentia & ceteræ potentiores Italiæ civitates præsidiis Henrici tenebantur. Nulla plane Urbano spes erat reliqua, labantem auctoritatem suam suffulciendi, quam quæ ex Germanorum imminente discordia affulgebat. Existimabat enim id, quod res est, frustra se potentissimo Imperatori obniti, quamdiu Germanorum animi concorditer inter se congruerent; dissidiis intestinis divisos & factionibus fluctuantes facile se sub jugum missurum. Negotium itaque datur Gebhardo Constantiensi Episcopo, apostolicæ sedis per Germaniam legato, ut nulli parceret operæ, si forte proceres male reconciliatos ab Imperatoris partibus denuo alienos facere posset. Convocavit is superioris Germaniæ Episcopos, Urbano faventes, eosque partim minis, partim blanditiis eo adduxit, ut Pontificis causam serio jam susciperent. Superiore jam anno agitata inter orthodoxos consilia fuerant de alio rege deligendo, attamen ob potentiam schismaticorum intermissa. Nec felicius res hoc ipso anno successit, tot enim adhuc erant Imperatori addicti, ut nondum auderent orthodoxi (ita se vocabant Urbani complices) aperte omnes exuere obsequium. Ne tamen nihil egisse patres conscripti viderentur, Bertholdum Zaringensem totius Sveviæ Ducem consentientibus, suffragiis delegerunt. Quo ex dissidio quam detestanda malorum ilias secuta sit, nemo rectius vidit Chronicæ Augustensis auctore, cujus hic verba repetere juvat: *Imperatore in Italia regalibus negotiis occupato, Provincia Svevorum cladibus opprimitur: nulla timoris respectio, nulla ministris Domini erat reverentia; ubique sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, perjurium, tumultuatio, nulla bonorum Domini memoria, animarum inquinatio, nuptiarum inconstantia, mœchia & impudicitia.* Chron. Augst. p. 355. Infausta sane tempora, quibus ecclesiam dira schismata & errores, rempublicam intestinæ discordiæ, totam denique patriam tristis fames & pestis affligebant! Ut omittam tot prodigia & portenta de quibus omnium pene historicorum monumenta veluti ex compacto loquuntur. Oculis certe orbatum dixerim, qui ex hisce tam manifestis divinæ vindictæ indiciis communem seculi istius impietatem non deprehendat. *Conr. Lycosth. Chron. prodig. p. 241. apud Gvalt. vid. Avent. l. 7. p. 470.*

Anni Christi 1093. 1094.

Henrici IV. Regis 38. 39. *Imp.* 10. 11.

Ab. V. C. 170. 171.

Conradus patri rebellat.

DEnique hoc ipso anno ineunte, tempestas diu imminens uno impetu erupit. Hoc enim solum post tot calamitates restabat, ut in Imperatoris, armis invicti, perniciem proprii pars sanguinis conjuraret, & remotis tot æmulis, ipsi filii parentis fortunam limis oculis intuerentur. Primus hoc paricidio se polluit Conradus filius natu maximus, nec malæ omnino indolis adolescens, si meliores ipsi monitores contigissent. Sunt equidem, qui Conradum hunc excusantes, omnem culpam in Henricum patrem rejiciunt, nec asserere verentur, hunc rupto conjugii fœdere, Adeheidem uxorem non modo thoro ejecisse, verum etiam publice ministris suis ac amicis in stuprum & prostibulum obtulisse, quin immo ipsum quoque Conradum filium rem cum noverca habere jussum, ad quod facinus cum cohorruisset filius, & palam a patre abdicari se vitioque natum dici audivisset, statim defectionem esse molitum, desertoque patre ipsum diadema ambivisse. Auctor hujus commenti Dodechinus Monachus est, quem deinde facto veluti agmine secuti sunt Albertus Stadensis, & omnes fere illi, qui nuper id sibi negotii credidere-runt solum dari, pontifici ut placerent, quas fecissent fabulas. Quis vero sibi quæso persuadeat, Imperatorem suæ majestatis servantissimum adeo omnem rationem exuisse, ut conjugem sibi invisam veluti ad lupanaria relegarit? Quis porro credat patrem adeo sui dissimilem factum, ut ipsum filium ad incestuosum concubitum

Dodechin ad h. ann. p. 461. Alb. Stad. p. 249. Schat. l. 7. ann. Pad. p. 632.

tum pelliceret? Nihil hac de re Sigebertus, nihil Autor vitæ Henrici, nihil ceteri hujus ætatis ſcriptores cordati memoriæ prodiderunt, immo & Bertoldus quidem Conſtantienſis, qui omnes Cæſaris multo leviores nævos ſollicite deſcripſit, de hac calumnia ne verbum quidem. Abbas vero Urſpergenſis famam tunc ea de re per Romanum imperium ſine autore increbuiſſe obſervat, quam tamen nec ipſe quidem filius, patri licet rebellis, probaverit. Quod ut eo dilucidius conſtet, ipſa Urſpergenſis verba recenſere juvat: *Murmur* [ita loquitur] *quod per totum Romanum imperium patris ſui mores laniabat, quodque ipſum ſibi offenſa patris ac ſua ab illo diſceſſionis cauſa extitit, auribus propriis nunquam patiebatur inferri, ſemper illum Dominum ſuum & Cæſarem vel Imperatorem cognominans.* Hæc certo indicio ſunt, rumuſculum quendam obſcurum nequiſſimæ huic ſuſpicioni anſam dediſſe. Nec mirandum ſane eſt, Dodechinum, aliosque infenſiſſimos Henrici Imperatoris inimicos, quicquid ejus exiſtimationem minuere poſſe videbatur, avidis auribus hauſiſſe. Eſt enim ita natura comparatum, ut affectus migrent in calamum, eaque plerumque referantur, quæ præconceptis ſcriptoris opinionibus congruunt. Quod vitium mediæ ætatis monachis admodum familiare, quantos errores in omnem hiſtoriam invexerit, neminem credo ignorare, qui vel leviter in iſthoc ſtudio verſatus eſt. Si Chronici Anguſtenſis auctorem, quem ſatis ſtudioſum veritatis circa hæc ipſa tempora deprehendo, conſulas, longe aliam profecto defectionis iſtius cauſam Conrado extitiſſe apparebit. Nimirum *diſcordiam ex odiis & invidia tanquam fomite conflatam, usque adeo convaluiſſe* ait, *ut quidam perverſæ ſeditionis auctores cum Mediolanenſibus juxta Evangelica ſcandalorum præſagia filium Imperatoris Conradum regnare & in patrem malo inſtinctu ſuggeſſerint, non veriti divinam ſententiam: Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala, væ autem illi per quem veniunt.* Cui adſtipulatus vitæ Henrici IV. ſcriptor, *filium Imperatoris in Italia relictum a patre, a Mathilde perſuaſum* (*quem enim aſtutia fœminea non ſubvertat, aut decipiat?*) *junctum inimicis patris coronam ſibi impoſuiſſe*, ait, *regnum invaſiſſe, profanaſſe jus, confudiſſe ordinem, impugnaſſe naturam, quæſiviſſe patris ſanguinem: quia non niſi ſanguine patris regnare potuiſſet.* Signo ad novam rebellionem ſublato ſtatim accurrunt Mediolanenſes aliique Longobardi, ſemper infeſti Germanis, nec non ex ipſa Germania Bertholdus dux Sveviæ, Welfo dux Bavariæ, dudum novarum rerum ſtudioſi, qui junctis viribus Henricum in medio victoriarum curſu adeo retardarunt, ut omiſſa Mathilda, quam in ordinem jam coëgerat, in ipſum filium arma convertere teneretur. Nec ſatis ex voto Henrico res ſuccedebant; præterquam enim quod domeſticis malis admodum premeretur, & bona ejus exiſtimatio incredibili calumnia tentaretur, armis quoque parum felix omnem pene Longobardiam amiſit, nec prohibere potuit, quo minus Urbanus Pontifex ab exilio redux Romam veluti poſtliminio ingrederetur. Adeo paucos intra annos graviora a filiis paſſus eſt Imperator, quam a tot æmulis tanto temporis ſpatio ſuſtinuerat.

Abb. Urſp. p. 229.

Chron. Aug. ap. Freher. p. 355.

Autor. vitæ Henrici. p. 108.

Altius inter has turbas floruiſſe Goslariam, nullum plane mihi eſt dubium. Præterea enim quod communem vicinarum urbium ſortem mira felicitate effugiſſet, nec unquam ferveſcente bello Saxonico capta fuiſſet, aut exciſa: Jura jam tum exercebat monetandi, luculento libertatis antiquiſſimæ teſtimonio. Compertum id mihi eſt e genuino antiquitatis monumento, tabulis nimirum Routhardi Archiepiſcopi Moguntini, quibus fundationem Burſfeldenſis ratam hoc ipſo anno 1093. habuit. Præter alia enim jura huic cœnobio etiam concedens monetandi prærogativam: *Ibi etiam*, inquit, *publicum forum & percuſſura ad inſtar Goslarienſis monetæ cum omni forenſi jure pro abbatis diſponatur arbitrio.* Satis igitur luculentam apud nos floruiſſe oportet monetam, quam in exemplum aliis propoſitam videmus. Quin immo jam anno 1088 Liemarus Brem. archiepiſcopus in diplomate ſuo apud Lindenbrogium & ipſe mentionem fecerat *VIII librarum denariorum Golarienſium.* Unde & id recte colligere mihi videor, nullam per has regiones civitatem ſtandi fetiundique æris poteſtate prius donatam a Cæſaribus fuiſſe, quam Goslariam. Extat ſane, id quod e cl. Schlegelii literis didici, numus bracteatus Goslarienſis Henrici cujusdam Imp. nomen præ ſe ferens, cum Cl. Schlegelii numis Goslarienſibus propediem, ut ſpero, proditurus, quem vix alium, quam aut tertium, aut quartum interpretor, quos frequentius Goslariæ verſatos, pluraque civibus exhibuiſſe beneficia conſtat.

Moneta Goslarienſis.

Schat. l. 7. P. 1. p. 636. Lindenbr. privil. Hamb. p. 147.

Anni Chriſti 1097. 1098.
Henrici IV. Reg. 42. 43. *Imp.* 14. 15.
Ab. V. C. 174. 175.

ANnus demum MXCVII. poſt ſeptennem expeditionem Italicam Imperatorem Germaniæ noſtræ reddidit. Animadvertens enim totam pene Lombardiam ad impium filium tranſiiſſe, omniaque ſecus cadere, quam initio fortuna promiſerat; nec usquam ſe tuto verſari; ſubito per Alpes in Germaniam rediit, principes jam denuo fluctuantes in fide retenturus, novasque contracturus vires, quibus parricidali bello finem imponeret. Præterea & id operam dabat, ut Judæis ſuperioribus annis a cruce ſignata militia, quæ tunc primum in Orientem convolavit, nefanda quævis

Henricus ex Italia redux provincias obit.

Chron. Auguſt. p. 356. Berthold. Conſt. p. 376. Ab. Vrſp. p. 228. Alb. Stad. p. 281.

egr. p. q. ch. 3. ir. rer. unt.

quævis passis securitas restitueretur, ubi maxime videtur notatu dignum, quod ab Abbate Vrspergensi, Dodechino Alberto Stadensi & antiquo Chronographo Saxone ad hunc annum refertur, *eum nimirum Judæis* [Ratisponensibus] *qui baptizati fuerant, judaizandi ritum concessisse.* Hinc lustratis Ratisbona, Moguntia, Spira aliisque ad Rhenum civitatibus, Saxonicas quoq; provincias obivit, testante hoc diplomate, quod hoc anno Gronæ in antiquo Imperii palatio datum est. An viciniam quoque nostram sua præsentia illustraverit, ignoro. Id constat, non diu in Saxonia eum hæsisse, sed statim Moguntiam ad comitia properasse, ubi præter cætera quæ tranquillitatis reipublicæ restituendæ causa egit, Ruthardum quoq; Archiepiscopũ, barbarum Judæorum torrorem e sede Moguntina ejecit, subrogato Adalberto Cancellario suo, quicunque is demum fuerit: siquidem in Adalberone & Adelbertis, Henrici IV. Cancellariis, determinandis, ipsi Mallinckrotio aquam aliquantulum hærere animadverto. Exul Archiepiscopus deinde diutius in Thuringia & Hartesburgi in vicinia nostra egit, donec anno MCV. a filio Imperatoris Henrico V. invito patre in integrum restitueretur. Interea nullus pene erat in Germania Episcopus, qui non Urbano deserto Guiberto Pontifici adhæreret, nec metus ullus civilium armorum in toto imperio supererat. Solam Italiam Urbani Pontificis suasu Conradus in Parentem impius turbabat. Nec cessatum a calumniis, quæ plenis veluti plaustris ex Italia in Germaniam interebantur. Denique eo res pervenit, ut Conradus, omni exuta humanitate, hostili plane animo patris fortunis inhiaret, totumque Lombardicum regnum sibi soli nullo licet juris titulo usurparet.

Sax. p. 278 ad an. 1100 Gobelin. p. 264. at. 6. c. 55. Trithem. Chron. Hirsaug. ad h. ann.

Sallinc. krot. de archicanc & canc. Imp. p. 66. 67. 69. & app. p. 227. ff.

Anni Christi 1099 1100.

Henrici IV. Reg. 44. 45. *Imp.* 16. 17. *Ab. V. C.* 176. 177.

Henricus Imperator exhæreditato Conrado Henricum filium regem designat *Auctor vitæ Henrici p. 108. Abb Ursp. p. 228. Alb. Stad. p. 252. Chronogr.*

Simul ac igitur Henricus ea, quæ per absentiam suam turbata invenerat, pristinæ tranquillitati restituisset, id statim agere cœpit, ut Conradus ob rebellionis crimen omni successionis spe se excidisse sentiret. Convocatis itaque Aquisgranum Imperii proceribus, multum cum iis de filio conquestus est, filium scilicet suum hunc esse, qui omni non modo pietatis, sed & naturæ sensu amisso, in patris perniciem pessimo consilio conjuravit, hostium suorum castra secutus sit, regnum Italiæ a Romano Imperio avulsum sibi usurparit, immo ipsi vitæ parentis struxerit insidias, sibi scilicet, cui vitam, si a Deo discedat, unice deberet. Se igitur a filio exagitatum, nihil statuere in illum posse, quod tanto parricidio dignum esset. Nec facile de castigando illo fuisse cogitatum, si illum aut pudor, aut pietas ad frugem reduxisset. Jam vero id sibi providendum esse, ne sua licentia eum deteriorem redderet. Statuisse igitur, quod omni divino ac humano jure in filios degeneres liceret, & ab omni spe adipiscendæ hæreditatis eum penitus proscripsisse, serioque monere principes, ut si rempublicam salvam velint, repudiato Conrado, alteri filio Henrico, si quid sibi humanitus accidisset, fasces Imperii desponderent, ea demum lege, ut ille imperium, invito parente, nunquam se usurpaturum verbis conceptis juraret. Nemo erat in tanto consessu, quin æqua Imperatorem postulare fateretur. Hinc statim senatus consultum prodit, ex omni parte illius desideriis satisfaciens, Henricus filius in basilicam majorem traductus, solenni ritu Carolinæ sedi imponitur, Rex salutatur, diademate cingitur, juramentum quoque a filio dicitur, ea formula, quam ipse parens ut rebus suis provideret, conceperat. Sed putasses omnem fidem dudum ex terrarum orbe in exilium abiisse, & jurisjurandi religionem non diutius, quam præcipiti hoc sæculo momentum habere. Nam Henrico juniori non fuisse religionem, Conradum fratrem perfidia non æquiparare tantum, verum etiam multis parasangis anteire, satis declarant ea, quæ insequente sæculo gesta sunt Conradus vero, sententiam communi principum suffragio latam ægre ferens, vindictam anhelabat, Germaniam quoque suis armis tentaturus, nisi turbato naturæ ordine, ante patrem in ipso ætatis flore exaruisset, suo exemplo expertus, nunquam in cassum abire sententiam Dei, qua filiis impiis præproperam mortem & adversam fortunam minatur.

An Goslariæ fuerit hoc anno?

Referunt autores Henricum Imperatorem peracta filii coronatione in Saxoniam rediisse. An vero & Goslariam nostram veluti postliminio salutarit, aut quibus potissimum locis versatus sit autorum testimoniis & diplomatibus destiti ignoramus. Vidi equidem in Monasterio Grawenhoffiano tabulas Henrici annum hunc præterentes, ex quibus Goslariæ Henricum exeunte Januario fuisse colligas: sed fateor me ipsam membranam non vidisse, & in iis mentio fit Mathildæ reginæ, Conradi Osnabrugensis & Gerhardi Merseburgensis Episcoporum, quos circa hunc annum plane ignorant fasti Episcopales. Unde consilium initio ceperam diploma hoc plane omittere, ne merces adulterinas pro genuinis venditarem. Verum collatis aliis monumentis, plane mihi constitit, diploma quidem ipsum genuinum, annum tamen solum scribæ vitio corruptum esse, & loco MXCIX, substituendum MCXIX. ad quem annum ipsum diploma apparebit. Id quod in antecessum notandum duximus, ne quid temere in diplomatibus nostro arbitrio mutasse dicamur.

Nova rerum mutatio.

Paschatis festum Imperator Ratisbonæ

næ celebravit, nec eſt mihi dubium quin ceteras quoque ad Danubium atque Rhenum provincias veteti imperii more luſtraverit. Siquidem præcipiti jam anno Moguntiæ natalitia Chriſti egit. Sequens annus reipublicæ tranquillitatem redditurus videbatur ſublatis plerisque, qui diſſidiis adhuc materiam ſuppeditaverant. Obiit enim Vrbanus pontifex, quem haut diu ſupervixit Clemens Gviberti cognomine notus. Sed & ipſe Conradus, litium fomes, vivis exceſſit. Sed quaſi cum hydra negotium eſſet Henrico; ita non multo poſt Vrbano Paſchalis II, Gviberto alii antipapæ, Conrado Henricus frater ſucceſſere. Ex qua ſubita rerum mutatione non modo ſchisma in eccleſia magis magisque invaluit, verum etiam Imperium maxima detrimenta cepit, ut ſuo loco dilucidius patebit.

Anni Chriſti 1101. 1102.

Henrici IV. Reg. 46. 47. *Imp.* 18. 19.

Ab. V. C. 178. 179.

Salubria conſilia in Moguntinis comitiis agitata.

Chron. Hildeſ. ap. du Chesne tom. 3. ſcript. rer. Franc. Abbl. rſp. p. 241. Baron. ad h. ann. IV. Cave part 2. hiſt. literar. p. 235.

PRoximis annis Imperator ſollicite urbes ad Rhenum ſitas ordine luſtravit, Moguntiæ etiam ſolennem principum conventum habuit, quo in congreſſu multa de inſtauranda eccleſiæ concordia ultro citroque agitata ſunt. Erant qui Imperatori ſvaderent, velit demum cum Paſchale pontifice in gratiam redire, & miſſis legatis ſupplex abſolutionem flagitare. Sed his ab aliis repugnatum eſt, poſtulantibus, ut repudiato Paſchale alius ſubrogaretur, atque is quidem ſubrogaretur, in quem omnium eccleſiarum totiusque populi Romani ſuffragia coirent. Æqvum enim eſſe, ut qui in omnes ſacrum affectaret imperium, omnium ſuffragiis eligeretur, neminique obtruderetur invito. Re maturius deliberata, altero anno conſtitutum demum Imperatori eſt, profectionem Romanam ſuſcipere & cum Paſchale in gratiam redire, dummodo non plane iniqvis conditionibus id fieri poſtularet. Itineri præfixæ erant Kalendæ Januarii, quas deinde diſtulit, forte quod concilium Romæ per quadrageſimam habendum a Pontifice indictum cognoſceret, cujus decreta prius expectanda ducebat. Prodiit interea virulentiſſimus canon, quo Imperator omnesque Epiſcopi illi faventes non hæreſeos modo poſtulantur, verum etiam anathemate percuſſi ab eccleſia denuo jubentur exulare. Quæ ſententia Imperatori adeo moleſta vita eſt, ut damnatis pacis conſiliis, majori quam unquam cura de frangenda Romani Pontificis pertinacia cogitaret.

Henricus comes Aslovienſis Gosl.

Expertus eſt hanc Imperatoris Henrici indignationem Henricus Aslovienſis comes, pridem. Goslarienſis Canonicus, quem ſupra ab Hermanno rege ad Paterborvenſem eccleſiam malis auſpiciis provectum diximus. Cum enim anno MCII. mortuo Hartwico Archiepiſcopo Magdeburgenſi, Canonici invito ac refragante Imperatore eum præſulem ſibi ſumerent; tam ægre hanc audaciam tulit Cæſar, ut ſerio vetaret, ne quis eum agnoſceret Archiepiſcopum. Atque adeo Henricus noſter infauſto plane ſidere natus, ac altera jam vice auſibus excidens, exul in Saxonia egit, nec unquam ad Magdeburgenſem cathedram poſtliminio rediiſſet, niſi Henricus junior, prodita patris cauſa, illius quoque leges reſcidiſſet.

Canon. Archiep. Magdeburgenſ. creatur.

Dodechin p. 465. Gobelin. ætat. 6. c. 55. p. 264. Cranz. l. 5. metrop. c. 27. p. 156.

Schaten. annal. Paderb. lib. 7. Part. 1. p. 655. Chron. Magdeb. ap. Meibom. p. 321.

Anni Chriſti 1103 1104.

Henrici IV. Reg. 48. 49. *Imp.* 21. 22.

Ab. V. C. 180. 181.

Henricus Palæſtinam petere conſtituit.

EXtremum Henricianæ tragœdiæ actum adgredimur, qui nobis Imperatorem tanquam Davidem quendam Abſolonis ſcelere fugatum, in ſcenam producit. Peregerat Henricus Moguntiæ Chriſti natalitia, tanto pietatis ſenſu tactus, ut ſe, translato in filium imperio, ſenectuti ſuæ ex ſepulchro Chriſti ſolatium periturum polliceretur, idque palam ex ſuggeſtu denunciari juberet. Sed novis ſubinde diſſidiorum procellis imminentibus, ſatius putabat, ſe ipſum ad reipublicæ clavum ſedere, quam filio navem committere tempeſtatum, viarumque imperito, & cui cum ipſo navigio eſſet pereundum. Hinc Saxoniam hoc anno inviſit, motibus inteſtinis coucuſſam, quos cum pace in quadriennium facta conpeſcuiſſet, in Bavariam cum filio ad hyberna rediit. Sed vix reſtituta concordia Imperium aliquantulum reſoveri cœperat, cum ſtatim novæ ſeditiones ſubnaſcerentur. Bavariam inprimis turbulentis conſiliis miſcebat Sigebertus quidam comes Borchuſanus, mox tamen ab Henrici amicis extinctus. Sed eo gravius deinde incendium exarſit, cum Henricus filius a Patre deficeret, ſuamque regnandi libidinem ante pietatem & obſequium haberet. Auſi erant Epiſcopi nonnulli per Saxoniam, qui ſe orthodoxos jactabant, armis Henricum ſeniorem denuo adoriri, novasque ideo turbas concitaverant. Ad quas ſedandas Imperator cum filio properabat, ſperans ſe flammas inprimis ſcintillis facile oppreſſurum. Verum hanc ejus ſpem, ut jam dictum eſt, Henrici junioris parricidium eluſit, qui noctu clam e caſtris patris profugus, in Sueviam ſe ſubduxit, nec quievit prius, quam patri omnem dignitatem partim vi, partim dolo rapuiſſet, ipſaque lucis hujus uſura, ſuppeditata mœroris materia ſpoliaſſet. Qua de re annis proxime ſequentibus plura diſſeremus. Id ſane mihi perſuaſum eſt, ſi hoc parricidale factum in antiqua iſta ſecula incidiſſet, quibus

Novæ adverſus Henricū conjurationes.

Ab. Urſp. p. 242. Autor vita Henr. p. 189.

quibus quidlibet fingendi cuivis æqua erat potestas, poëtas non ab Hecuba aliqua, aut Priamo aut Oreste fabulosis nominibus, sed ab Henrico hoc, tragœdiis fere omnibus materiam fuisse petituros.

Annus Christi 1105.

Henrici IV. Reg. 50. *Imp.* 22.

Ab. V. C. 182.

Cur Henricus junior a patre defecerit? *Dodech. ad h. ann. p. 465. Autor vitæ Henrici p. 109. sq. Sigeb. ad h. an p. 611. Otto Fris. l. 7. c. 8. p. 143. Alber Chron. p. 193.*

SEquitur demum annus Christi post millesimum centesimus quintus, quo Henricus tot fortunæ procellas feliciter eluctatus ab ipso filio extrema passus est. Ferocienti juveni calcaria subjecerant Paschalis pontificis fautores, quorum monitu naturæ oblitus, rapere induxit animum, quod majori cum pietate debuisset expectare. Jam superiore anno patrem contra Saxones novam expeditionem molientem deserens in Sveviam abierat, persvalus a Pontificis amicis, Theobaldo Marchione, & Berengario comite, se aliquando regno excidere posse, si patri, excommunicationis vinculis adstricto, constanti adhæreret. Accessere Constantiensis Episcopi Gebhardi, quem legatum suum per Germaniam papa nominaverat, blanditiæ, a quo non Henricus junior tantum mense Januario in papæ amicitiam recipitur, sed & reliqui superioris Germaniæ proceres contra Henricum patrem sollicitantur. Certus itaque filius de principum affectu in Saxoniam tendit, & paschate Quedlinburgi celebrato Northusam indixit Episcoporum Synodum, ad quam omnes illi præcipue confluebant, qui ab Henrico seniore ejecti aut offensi fuerant. His cum Henricus consilia sua de patre opprimendo exposuisset, multisque verbis operam suam esset pollicitus, tantum invenit consensum, ut cum lacrymis rogarent, velit cœptis bona fide insistere. Omnes ergo episcopi, qui adhuc a patris partibus steterant, ad filium transeunt, Paschali Pontifici fidem jurant, sacerdotum conjugia damnant, Simoniam, [sic investituras a rege collatas vocabant,] proscribunt & Henrico Imperatori omne obsequium renunciant. Ita Henricus junior, ut Autoris antiqui verbis utar, *sub specie causæ Dei suam causam egit.*

Abb. Vrsp. ad ann. 1105. p. 243.

Autor Henrici vitæ.

Episcopi suspensi restituuntur Goslariæ. *Dodech p. 465. Gobel Person. p. 264. stat. 1. c. 55. Chron. Magd. ap. Meib. f. 325.*

Soluto conciliabulo Gebhardus Constantiensis Episcopus legatus apostolicus Goslariam tendit, ubi in ipso pentecostes sabbato ordines celebrans, per manus impositionem omnes, ab ordinibus vel ordinis executione suspensos, restituit. Quod & Ruthardus Moguntinus Heiligenstadii eodem die fecit. Tunc Gobelino & Chronici Magdeburgensis Autore testibus, Henricus quoque Asloviensis ab Henrico Imperatore a Magdeburgensi Archiepiscopatu rejectus a pontificis legato Goslariæ consecratur, & cum ad huc ultra subdiaconi ordinem nondum ascendisset, diaconus primum, deinde episcopus creatur: quod tamen Otto Frisingensis non Goslariæ sed *Martionopoli* * quo Rex junior post penitentiam concesserat, factum putat: licet ejus autoritatem, quippe exteri, vix horum patriæ nostræ scriptorum testimoniis anteposuerim.

Otto Fris. l. c. p. 143. * *Abbas Urspergensis l. c. vocat Mersburgum.*

Henricus junior male rem gerit.

Perfidus itaque patri filius rebus in Saxonia suo arbitrio constitutis Maguntiam cum copiis suis advolat, ubi interea pater delectum egerat: Sed a Rheni transitu prohibitus, Herbipolim accedit, ibique remoto episcopo Erlungo alium Rupertum, papæ amiciorem, substituit. Inde Norinberga, Cæsari fida urbe, expugnata, cum captivis Ratisbonam ingreditur, sed patre cum copiis suis auxilio Ratisbonensibus properante ultro filius ex urbe discedit, multis suorum in fuga amissis.

Henricus Rex per insidias ornamentis augustalibus spoliatur. *Autor vitæ Henrici p. 111. conf. Henr. IV. epist. ad Philipp. reg. Franc ap. Alber. Chron. p. 200. & autorem vitæ Henrici p. 120.*

Post hæc aucto exercitu pater castra ad Reginonem fluvium metatur, quem insecutus filius in altera ripa sua opponit: jamque dies pugnæ dictus erat, cum Henricus pater animadversa militum suorum perfidia, fuga se Confluentiam subduceret. Cognita patris fuga filius multo ferocior redditus multas urbes capit, episcopos ab Henrico patre constitutos exturbat, novos substituit adeoque Patri se præbet inimicum, ut omnes pristinos ejus æmulos longo post se intervallo relinqueret. Denique cum patrem in has redegisset angustias, curiam principum Maguntiam indixit, quo cognito pater, ipse quoque suos necessarios eo convocat, in principum arbitrio positurus, justene secum an pervide agatur. Filius autem cum facile prævideret fore, ut causa caderet: patrem, pœnitentis habitum mentitus adiit, gratiam supplex expetiit, dolere se simulans quod pessimos monitores secutus naturam exuerit, patremque deseruerit. Hæc optimus parens cum lacrymis audit, nullamque subesse fraudem, suspicatus, filium quovis supplicio dignum in gratiam recipit. Aderant jam Moguntinis comitiis destinati dies; Henricus itaque sarcinas componit, multisque copiis stipatus iter ingreditur. Comes patri adhærebat Henricus filius, multis verbis persvadens patri, ut copias dimitteret, quibus nihil opus esset, pace jam inter se restituta. Dimissis copiis ambo cum trecencis tantum militibus pergunt. Subornatur nuncius, qui Svevos & Bavaros cum ingenti multitudine Moguntiæ adesse mentiretur. Quo cognito Patri autor est filius, ut securitatis suæ causa castellum proximum ingrediatur; nec se exacerbatis hostibus committeret: pertentandos prius eorum animos: hinc se Moguntiam advolaturum, & quid rerum agatur exploraturum. Quibus cum credulus pater fidem haberet & castellum filii monitis delusus intraret, statim clausis portis prohibetur reditu & custodibus appositis in captivitate detinetur.

Abb. Ursp. p. 246.

Peracto scelere Henricus filius Moguntiam pergit, quo ipsis Christi natalitiis, præter Albanum episcopum, Apostolicum legatum, quinquaginta duo principes convenerant. Hi omnes autoritatem pontificis secuti optimum Imperatorem inauditum damnant, & Moguntinum Archiepiscopum cum Colonienſi mittunt, qui Ingelheimii captivo Henrico Imperii insignia extorquerent, mixtisque blanditiis minis eo adigerent, ut filio traderet imperium. Paruit Imperator necessitati, positisque ornamentis augustalibus, Deum summum contestatus est, sibi gravissimam fieri injuriam. In hanc catastrophen desiit tragœdia, quæ tot annos de Henrico acta fuerat: cum is tamdiu stetisset fortiter, ac invictus hucusq; turbulentissimum reipublicæ statum constanter sustinuisset.

An Henricus revera imperio excederit? *Schurzfl. diss. de eo quod expedit imperio, p. 13.*

Insignia Henricus, non Imperium posuerat: & falli videntur clarissimo Schurzfleischio, qui revera imperio exutum Henricum existimant, (1) quia non jure sed vi solum & mera iniquitate sustinebatur exauctorationis actus, (2) quia quod plenioris monarchiæ ingenium est, tam altis radicibus est nixum, ut nulla libidine labefactari, nullo ausu rapi, transferriq; debeat, (3) quia Henricus non habebat abdicandi animum; sed ad mortem usque vindicabat erepta sibi insignia. Quæ utinam paulo accuratius perpenderent, qui servientes hypothesi quævis stylo in optimum imperatorem indulgent.

Annus Christi 1106.

Henrici IV. Reg. 51. Imp. 23.

Henrici V. Reg. 1.

Ab. V. C. 183.

Henrici IV. obitus. *Ab. Ursp. l.c. Otto Frising. l.c*

Quam visi igitur ineunte hoc anno Principes Henricum juniorem in frequenti conventu Moguntino solenni ritu curarent inaugurandum: tantum tamen abest, ut Henricus pater animum abjecerit, ut potius nihil egerit impensius, quam ut pristinum honorem, quem sibi inimicorum insania extorserat, recuperaret. Facile ejus afflictæ fortunæ multorum animos in misericordiam flectebant, inprimis eorum qui coram ejus spectabant miseriam. Concurrebant igitur ad illum restituendum. Henricus Lotharingiæ dux, Henricus Leodiensis episcopus, præterea Colonienses, Leodienses, Juliacenses cives aliæque vicinæ urbes: nec dubium erat, quin amissum imperium animose suitset recepturus, nisi repentina mors ejus consilia impedivisset. Ipsis enim Nonis Augusti Leodii mœrore animi consumtus diem obiit supremum. Quam inauditum in hunc Imperatorem Pontificis odium fuerit: vel inde licebit colligere, quod a sepultura etiam illum excluserit, quam ne bestiis quidem negamus. Hinc fortissimus princeps in deserta capella Leodii per quinquennium stetit inhumatus, donec filius impetrata absolutione avito monumento inferri eum juberet. Conditorium ejus hoc titulo notatum est:

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCVI, HENRICUS QUARTVS SENIOR VII IDUS AUGUSTI OBIIT PATER HIC.

Henrici IV. elogium.

Rebus igitur humanis tanquam scena demum excessit Henricus IV. Augustus, quo neque fortiorem ullum ac meliorem nec infeliciorem principem humana potest memoria recordari. Quis enim tot ejus adoreas, tot trophæa, tot æmulos partim obtritos, partim justo bello triumphatos, vel ab inimicis commemorari audiat, quin simul animi ejus magnitudinem, præsentiamque suspiciat? Quis ejus labores pro republica susceptos, & in tuendis imperii juribus solertiam non miretur? Quis denique pietatem ac mansuetudinem satis idoneis laudibus celebrare se posse existimet? Sed assidua eminentis virtutis comes invidia tot æmulos ac juratos hostes excitavit, quibus debellandis vix Hercules par videbatur futurus. Fremebant pontifices nullo ejus facinore lacessiti, & modo fulmen in eum injuste vibrabant, modo classicum civilibus bellis canebant, modo ipsum ejus diadema ac dignitatem hostili animo petebant. Saxones initio soli, deinde & Svevi, mox tota Germania in ejus perniciem conjurabant. Non affinitatis jure illi devincti, affines, non episcopi beneficii memores, non principes homagii servantes erant. Ipsi filii, quos natura & conjunctio sangvinis in fide retinere debuisset, relicta omni post tergum humanitate in viscera parentis sæviebant. Enim vero parum hoc esset calamitatis, dummodo cum vita desiisset. Nam vix pejora cum vivum perpessum existimo, quam mortuo ab historicis, pontificis causæ servientibus, sustinenda sunt. Nullum est tam horrendum scelus, nullum tam inauditum flagitium, nulla impietas, cujus non postuletur ab adversariis. Puto itaque me cuivis æquo lectori in vindicando optimo principe satisfeciſſe. Æquo inquam Lectori, nam præjudiciis in transversum abrepto nunquam satisfiet. Ne quid ad Goslariam nostram pertinens omisisse videar, unicum nunc addo Brunonis convitium, quod tamen non secus, quam cetera ex suo ingenio hausit. *Quidam*, inquit, *de secretariis suis nomine Conradus, juvenis nobilitate & moribus insignis, si hoc solum Deum ei dedisset, ut consiliarius regis nunquam fuisset. Hic erat quadam die Goslariæ, certus se tam bene gratiam Regis habere, sicut tunc, quum eam habebat optime. Rex autem erat in Herzeburg castello, quo propter eos, qui facinorum ipsius erant conscii & fautores, nullus nisi nomine vocatus ascendebat. Mittit igitur Rex Goslariam, jubens, ut Conradus ad se citissime veniat, & nullum præter armigerum suum, qui se comi-*

Brunon. histor. de bell. Saxon. p. 103. ap. Freh. Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 290.

comitetur, aſſumat. Ille ſe putans ad aliquod conſilium, cui nulli præter ſe liceret adeſſe, vocari, ut fidem ſuam majorem oſtenderet, etiam plus, quam juſſus fuiſſet, fecit, & ipſe ſuus armiger factus cunctis incomitatus equitavit. Ergo veniens in ſilvam vidit inſidias, nec credidit eas ſibi paratas, tamen quod (utpote ſolus) tantam multitudinem timuit, Eccleſiam, quæ prope erat, celeriter petivit, Burchardus Misnenſis præfectus, hujus latrocinii ductor nequiſſimus, ad Eccleſiam ſequitur, eique ſi velit egredi, quod nihil mali patiatur, in ſua fide pollicetur. Ille quamvis ei nullam fidem haberet, tamen ſciens, quod ſi ſponte non exiret, Eccleſiæ non parcerent, exivit, ejusque ſe fidei commendavit. Quem ducentes in ſolitudinem, ſicut erant juſſi, crudeliter interfecerunt, & nec in ipſa morte ei, quare moreretur, indicaverunt. Nec unquam vere cognovit aliquis, quare fuiſſet occiſus, niſi quidam muſitabant, quod illi Rex imponeret, quod cum quadam concubina ſua jacuiſſet. Sed Rex, ut ſuſpicionem mortis ejus a ſe tolleret, auctores ejusdem mortis, quos latitare ad horam juſſerat, perſequi ab omnibus amicis ſuis imperat; & illum ſepeliri in loco fecit honorabili, ipſeque ejus ſepulturæ triſtis interfuit, & (ut ad omnia ſimulanda doctus erat) non parum lachrymarum fudit. Sed tamen nulli, quin eſſet, (ſicut erat) præcepto Regis occiſus, credibile fuit. Sed hæc quidem non egent reſponſione, quod e Brunonis fonte manarunt, monachi maledicentiſſimi, quique non tam rerum geſtarum veritatem, quam errantis famæ mendacia eſt ſecutus. His ergo Henrici hiſtoriam obſigno, proteſtatus, me ejus virtutes non ita verbis extollere, ut nullo vitiorum confinio læſas putem: (quis enim dubitet, eum in prima ætate, laxis diſciplinæ frenis, labi, errare ac decipi nonnunquam potuiſſe?) Sed ineuntis tamen adoleſcentiæ vitia tantis eum emendaſſe virtutibus conſtat, ut ſi mitius cum eo fuiſſet actum, omnium antiquiſſimorum gloriam fuiſſet ſupergreſſurus.

Annus Chriſti 1107.

Henricus V. Regis 2.

Ab. V. C. 184.

Henricus V. Goslariæ fulmine territus. *Alb. Stad. p. 259.*

POſteaquam itaque parens ad plures abierat: nullo prohibente, Henricus filius libere uſurpabat imperium. Hic ergo luſtratis ſuperioris Germaniæ provinciis, & paſchate Moguntiæ celebrato, in Saxoniam tendit, cujus de tranquillitate cum conſilia initurus eſſet, principes & epiſcopos Goslariam vocat. Sed durantibus adhuc comitiis celeberrimis, manifeſtum divinæ ultionis impius in parentem Henricus vidit exemplum. Noctu enim, quieſcente illo in palatio, horrida ſubito tempeſtas fulmen in cubiculum excuſſit, tam mirabili effectu, ut gladius cum baltheo & clypeo regali tactus ſit, & Rex in extremo digito pedis eodem ictu vulneratus, periculum vitæ adierit. Præclare rem refert Dodechinus: *Henricus Rex*, inquiens, *dum in Goslarienſi oppido conventum habuiſſet, & jura regni prout voluit diſpoſuiſſet, ſubito tempeſtas nimium horribilis fulgurum, coruſcationum, tonitruorum, exorta regem & omnem populum perterruit. Adeo enim vehemens fuit, ut enſem regalem perſtringens, partem non modicam in acumine cum baltheo clypei regalis abſumeret, coriumque interius clypei per partes in rugam converteret. Dicitur etiam, quod vulpeculum regi in maximo digito pedis dextri inflixerit, & hoc idem portaverit quamdiu vixiſſet.* Dodechino ſuffragatur teſtis domeſticus in Chronico MSC. membranaceo, quod cum Henrico V. deſinit, & hanc mirabilem tempeſtatem his verbis complectitur. *Anno gratiæ* MoCoVIo. *Heinricus Imperator predicti Heinrici filius regnavit annis viginti & uno. Hujus clypeus cum gladio dormientis hic in aula regis ictu fulminis eſt conſumptus.* Denique his adſtipulantur Chronographus Saxo, qui in ſequentem tamen annum rejicit & Gobelinus Perſona, qui a nonnullis hæc ad annum MCXI. referri obſervat. Hæc erant Henrici imperii auſpicia, ſatis inauſpicata, & futurorum malorum, ſi nonnullos audimus, prænuncia. Ceterum Henricum tunc Goslariæ egiſſe, ſi vel tacerent auctores, ſatis tamen declarat diploma ejus, Helmwardeshuſano cœnobio datum, ex quo ſimul patet Ottonem Bambergenſem, Burchardum Monaſterienſem, Udonem Hildeſienſem epiſcopos, Ludolphum Ducem, Hermannum Comitem, aliosque ſummos principes tunc regi adfuiſſe. Nos ex diplomate clauſulam, quam vocant, adjicimus:

Dodech. append. ad Marian. Scot. p. 466.

Chronogr. Saxo. p. 281. Gobel. cosmodr. æt. 6. c. 58. p. 266. Spangenb. Chron. Sax. c. 211. p. 345. Lehm. Chron. Spir. lib. 5. c. 42. p. 479. Schat. l. 7. annal. Paderb. p. 666. ſq. Part. 1.

Albertus *cancellarius vice Moguntini Archiepiſcopi* Rothardi *Archicancellarii recognovi. Data VII. Calend. Auguſti. Indictione XIIII. anno ab incarnatione Domini MCVII. regnante* Henrico *V. Rege Romanorum anno II. ordinationis ejus VIIII. Actum eſt* Goslariæ *feliciter in Chriſto Amen.*

Goslariæ Henricus in Weſtphaliam Friſiam & Gallias movit, & conſtitutis rebus omnibus Trecenſi quoque Synodo interfuit, ubi primum ſenſit majeſtatis ſuæ detrimentum, electione epiſcoporum in clerum translata: quam ſumma virtute Henricus parens ſibi adhuc vindicaverat. Exemplum quidem ejus in vindicandis Imperii juribus ipſe quoque Henricus V. ſectandum ſibi propoſuerat; ſed neſcio quo fato ſemper fruſtra fuerit, forte quod divina ultio ob violatum parentem cœptis ejus obeſſet. Atque adeo Henricus hic demum extorqueri ſibi a Pontificibus paſſus eſt jura ſacrorum, quæ ſucceſſores ejus profuſo multo ſanguine, recuperare nunquam potuerunt.

Concilium Trecenſe. *Concil. tom. 10. p. 754.*

Annus Chriſti 1108.
Henrici V. regis III.
Ab V. C. 185.

Henricꝰ rex monaſterio S. Geor. PRoximo anno Rex Henricus provincias Rheno vicinas luſtrabat, & Leodii, Maguntiæ ac Spira cum principibus frequenter inibat conſilia. Sub ipſa anni auſpicia Aquisgrani hæſit, ubi etiam Chriſti natalitia ſub anni ſuperioris exitum celebraſſe eum dicit Dodechinus, rectius, quam Urſpergenſis Maguntiæ. Litem enim facile dirimet vel hoc optimæ notæ diploma, quo Monaſterium montis B. Gregorii prope Goslariam, de cujus originibus antea diſputavimus inſigni liberalitate juvat:

gii bene-tacit. *Ab. Urſp. ad h. ann. p. 253. Dodech. p. 466.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia quintus Romanorum rex. *Quia regni noſtri adminiſtrationem divina gubernatione diſpenſari cupimus, dignum eſt, munificentiam, qui de humili nos exaltavit, ſumtis ab ejus largitate muneribus honoremus, ſic enim humilitatem noſtram ſcuto ſuæ protectionis ſperamus obumbrari, ſi & ex eo regnare, & regiminis noſtri ſucceſſum ejus gratiæ ſatagamus adſcribere. Unde tam præſentibus, quam futuris notum eſſe volumus, quia monaſterium S. Georgii prope Goslariam ſitum*, ab abavo meo fundatum quidem, ſed imperfectum *pro animæ noſtræ remedio --- cum omnibus ad id pertinentibus vineis ſcilicet, villis, mancipiis, pratis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, molendinis, acquiſitis & acquirendis in proprium tradidimus. Præterea ex regali noſtra munificentia comitatum ---ſitum in pago, qui dicitur Hertega terram quoque cum ſylvula circumjacente, quæ Aal dicitur, quicquid inter duas publicas vias, unam quæ Bennigerothe, alteram quæ Immenrothe ducit ad utilitatem inibi Deo ſervientium addimus. Quam traditionem, ne ab ullo futurorum Regum irritetur, & ſigilli impreſſione & regalis bann auctoritate communimus.*

Signum Domni *Heinrici*
Romanorum Regis invictiſſimi.

Albertus Cancellarius vice *Rothardi* Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovit. Data menſe Januar. Indictione I. anno Dominicæ incarnationis MCVIII. regnante *Heinrico* V. Rege Romanorum anno III. ordinationis ejus VIII. Actum eſt *Aquisgrani* in Chriſti nomine feliciter Amen.

Abb. Urſp. p. 253. Avent. rer. Bojic l. 6. p. Aquisgrano in ſuperiorem Germaniam diſcedit, Hungaricosque motus compeſcere auſus magno cum exercitu iſtas provincias ingreditur, ſed Colomanno, qui potiſſimum ob ejectum fratrem Alinum petebatur, fortiter ſe defendente, Poſonioque in caſſum obſeſſa rex re infecta in Germaniam rediit, *pactione tamen cum Colomanno prius facta*, ut autor eſt Aventinus.

Felicior interea Goslaria noſtra, ubi magis indies magisque cultus divinus more ſeculi efloruit. Inprimis hoc anno eccleſia mea SS. Petri & Pauli inter Parochiales recepta ab Udone epiſcopo Hildeſienſi certis limitibus deſcribitur, qui poſt tot ſecula hodienum ſervantur. Diploma hanc in rem jam tum ab Auctore Chron. Mont. Franc. editum hic quoque recenſeo:

Eccleſia SS. Petri & Pauli vulgo, Francomontana parochiæ limitibus circumſcribitur *Chron. Mont. Franc. p. 4*

IN nomine ſancte & indiuidue trinitatis & intemerate *genitricis beate Virginis MARIE. UDO DEI gracia Hildeneshei-menſis Epiſcopus notum eſſe volumus omnibus* CHRISTI *noſtrique fidelibus, tam futuris quam preſentibus, quia per peticionem & interventum optimorum civium Goslarienſium, ob devotum ſervicium eorum circa nos ſemper benivolum, & inſtinctu aliorum fidelium noſtrorum, eccleſie S. Petri Frankenberc omnes fines ville Goslarienſis occidentales a* plateis *que dicuntur* Berningi Werenheri Biermanni *iisque ad* regis

capellam

capellam & S. Marie, & ad terminum predicte B. Petri eccleſiæ, *cum univerſis que in his partibus noſtri epiſcopalis juris & poteſtatis ſunt, vel eſſe poterunt, videl. jura baptizandi, infirmos viſitandi, oleo ungendi, ſepeliendi, ceteraque eccleſiaſtice cure attinencia, excepta ſinodali poteſtate, ſub teſtimonio ac conſcientia bonorum virorum, qui ſunt Conradus prepoſitus, Fridericus pr. Uldaricus miniſter de Hildenesbem, Ameco, Bernhardus, Arichin, Widego, Bernhard, Marcolf, Segenbrecht, Meino, Tidico, Brun, Heriman, Adelman, Balderam, Berelm, Jemmico, Gerhard, Ruder, Benico, Mannico, Liudolf, Alico, Adelbard, Reinzo, pontificali poteſtate proprie donavimus, confirmavimus, perpetuo jure retinenda & habenda conceſſimus, ea ſcil. condicione atque ratione, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, aut imperator, ſive Rex, ſeu quelibet judicialis, vel potentis perſona, magna vel modica, hoc donum demere, alienare, ſeu ullo modo turbare aut inquietare preſumat, ſed preſata eccleſia hanc tradicionem cum omni manſuetudine eternaliter teneat. Quod autem hoc noſtrum pontificale datum inconvulſum, ratum quoque & firmum ſempiterno maneat evo, hoc privilegium ſcribi ac ſigilli noſtri impreſſione mandavimus ſignari. Datum eſt autem III. IDo MAI. Anno quidem Dominice incarnacionis M°C°VIII°. Indict. VIII. anno vero V. HEINRICI REGIS III°. factum Goslarie feliciter* AMEN.

Platea quam vocat *Berningi* hodienum audit die Bärenſtraſſe: & procul dubio a primario quodam incola *Berningo* nomen accepit, ut plateæ quoque *Werenheri* & *Biermanni*, unde fabulis accenſeo narratiunculam nonnullorum de urſa quam inſequentem catulos interceptos hanc aliquando percurriſſe, domumque, cui inhabitabat is, qui rapuerat, adiiſſe & edita aliquot infantum ſtrage captam nomen huic plateæ reliquiſſe, vulgares nonnullæ ſchedulæ & homuncionum narratiunculæ ferunt, fiſæ pede urſæ, hyperthyro cujusdam domus ſuffixo.

Platea Berningi unde nomen ſortita ſit?

Novæ huic eccleſiæ procul dubio liberalitate ſua præcipue ſubvenit quidam Albertus Bolen, idque inde colligere mihi videor, quod primus fere in illa conditorium invenit. Liquet ſane hoc ex antiquiſſimo ejus epitaphio quod hic ſubjicio:

Albert⁹ Bolen eccleſiæ Frankenberg benefactor.



ALBERT°
BOLEN° O$\bar{e}$.
CUJ9° AĪA°
REQESCAT.
IN PACE.
A. M. C. XI.

[Addita ſunt Boleni inſignia, ſcutum nimirum arcu interſectum, & quinque roſis exornatum.]

Extat hoc monumentum in pariete capellæ, choro annexæ, quæ hodiæ Sacelli loco eſt, atque ab hoc ipſo Alberto Bolen videtur fundata. Ceterum rarius quidem hæc familia in meis diplomatibus occurrit: militarem tamen & equeſtrem illam fuiſſe, conſtat mihi ex diplomate Ottonis Hildeſienſis epiſcopi, eccleſiæ montis S. Petri conceſſo, in quo teſtes allegantur:

Halco* *major prepoſitus.* Volradus *montis prepoſitus* Heydenricus *Cellerarius*, Hagerus *ſcolaſticus*, Arnoldus *de Wereberg Canonici Hildeſienſes. Nobilis vir comes M. de Sladen.* Ecbertus *Camerarius*, Conradus *Marſcalcus* Erneſtus *pincerna*, Aſchwinus *de ſtenberg.* Conradus *de Slevede*, Albertus Bole, Ludolphus *de Cramme*, *milites & alii equo Halcomplures. Actum* Hildenſem, *anno incarnat. Dni Mo.CCo. LXXo. iijo. Kal. exnlat. Septembr. confurmatinis nre anno ſexto.*

* *Supplendus inde Catalogus Prep. Hildeſienſ. a cl. Conr. B. Behrens editus, e quo Halberſtadenſium Hildenſem, anno incarnat. Dni Mo.CCo. LXXo. iijo. Kal. exnlat. Septembr. confurmatinis nre anno ſexto.*

En igitur alium Albertum Bolen; unde conjicias, Alberti nomen Bolenis æque ac Walmodiis Tidelmi, Aſſeburgiis Burchardi, Steinbergiis Aſchwinici, Borchtorpiis Alardi gentile fuiſſe.

Annus Chriſti 1109. 1110.
Henrici V. Reg. 4. 5.
Ab. V. C. 186. 187.

His añis cum variis expeditionibus occupatus Rex in aliis provinciis detineretur, vix quicquam memoratu dignum Goslariæ noſtræ geſtum eſt. Modo enim in Colonienſes ſævitum, modo cum Polonis certatum modo in Bohemos Hungarosque arma converſa ſunt, irrito plerumq; ſucceſſu, niſi quod ex Hungaria reconcinnata pace rediit. Deniq; Rex erepta ſibi ſacrorum jura ægre ferens, in ipſam Italiam movit, magno exercitu ſtipatus, cui e noſtris quoque

Variæ Henr. V. expeditiones. *Urſperg. p. 253. ſq. Dodech. p. 468. Otto. Friſ. l. 7. c. 14. p. 146.*

Gobelin. Perſ. l.c. Chronogr. Saxo. p. 282. Alb. Stad. p. 259. Albe-ric. p.208.

que regionibus interfuerunt Vdo Hildeſienſis Epiſcopus & Hermannus potentiſſimus Wincenburgi comes. Plura de hac celeberrima expeditione, in qua flos Germanicæ nobilitatis militabat, ſciret poſteritas, niſi *Davidis Scoti*, quem pro hiſtorici munere Rex Wurzburgo ſecum traxit tres libri intercidiſſent.

Voſſ. t. 2. de hiſt. Lat. p. 394.

Ebbo Præpoſ. Goslar. Wormatienſ. creatur. *Bruſch. c. 7. n. 34. p. 915. de Ep. Chron. Laurish. ap. Freher. t. 1. p. 82. Lezn. Op. MSC. de monaſt. c. 85.*

Vitæ interea conceſſerat Wormatienſis Epiſcopus, cui ex noſtra eccleſia ſubrogatur Ebbo, monachus primum Laurishamenſis, ubi & S. Nazarii corpus inventum oſtendit, quamvis in Laurishamenſi chronico a Freherо evulgato, ubi illa de S. Nazario referuntur per *πρόληψιν* Wormatiénſis Epiſcopus videatur appellari. E Laurishamenſi monacho Goslariæ Canonicus ac Præpoſitus factus eſt, ut præter Bruſchium antiquum docet epigramma ab eodem nec non & Leznero ſervatum.

*Lorchonum * conſors prius, Ebbo, poſt tamen exors,*
Goslarie ſedes, acceptas liquit & edes
*Wormatiam venit, populi quo ſcandala demit, **
Preſulis & partes ſanctasque exercuit artes.
Unde beatorum ceſſerunt regna polorum,
*Ebboni patri dilecto credite fratri, ***

Vir erat ſapientia doctrina & virtute non vulgari præditus, unde anno MCX. in comitiis Wormatienſibus Epiſcopus Vangionum electus a Treverenſi Archiepiſcopo Brunone conſecratus eſt, poſt quinque annorum pontificatum mortuus anno MCXV.

* *ita vocat Laurishamenſes, Leznerus habet* Lorrnhens.

** *Leznerus habet* flevit.

*** *Hi bini verſiculi deſunt apud Leznerum.*

Annus Chriſti IIII.

Henrici V. Reg. 6. Imp. 1. Ab. V. C. 188.

Henricꝰ bene rem gerens Romæ coronatur. *Otto Friſ. l. 7. c. 14. p. 146. Meibom. diſſ. de Jure inveſt. p. 174. tom. 3. Lehman. l. 3. c. 42. p. 432.*

HEnricus ſuperiore anno Italiam ingreſſus jam hoc ſequente ipſam Romá acceſſit, ubi cum ſecum Græca fide agi animadverteret Pontificem ejusque Cardinales inveſtituras Epiſcoporum audacius flagitantes & coronationem negantes, Alberti poſtea Moguntini Archiepiſcopi juſſu in cuſtodiam miſit. Romani equidem hoc injuriam ſuam interpretati in Germanos fecerunt impetum, multos trucidarunt, ipſumque Regem ægre ex urbe elapſum vulnerarunt. Nec minus tamen Rex flammis ferroque in hoſtes ſæviit, adeo, ut Paſchalis pertæſus malorum juri inveſtitrarum ultro renunciaret, Regemque ſecuritatem ſibi pollicitum, ſolenni ritu, cæſareo diademate ornaret.

Otto Friſing. l. 7. c. 14. p. 146. Alberic. p. 212.

Henricꝰ Goslariꝫ

Imperator corona potius reditum per Alpes in Germaniam paravit, & Spiram ſecedens convocatis Imperii principibus, Epiſcopis & Abbatibus, patrem excommunicationis vinculis jam ſolutum, incredibili pompa terræ mandavit, mortuo, ut opinor, præſtiturus pietatem, quam vivo denegaverat. Luſtratis deinde Rheni provinciis ſub exitum anni rediit Goslariam ubi Chriſti natalitia magna ſolennitate celebravit. Acceſſit tunc ad palatium Udo Marchio, qui Ulrico Stadenſis comitatus adminiſtratori litem moverat de libertate, cui ut ſervitutem probaret, ſententiam rogavit, an licite poſſet vindicare mancipium ſuum ubicunque inveniret, cumque reſponſum eſſet, quod poſſet, Udo Olrico in Regis conſpectu inflixit alapam, quæ res valde commovit Imperatorem, & gravi pœna fuiſſet vindicata niſi partium æqualitas litem finiviſſet, ut multis docet Albertus Stadenſis.

comitia habet. *Urſperg. p. 255. Lehman. chron. Spir. l. 5. c. 43. p. 415 Sigon. l. 10. de regno Ital. Alb. Stad. ad h. ann. p. 261. ſq.*

Annus Chriſti IIII2. IIII3.

Henrici V. Regis 7. 8. Imp. 2. & 3. Ab. V. C. 189. 190.

INeunte hoc anno Rex adhuc verſatus Goslariæ, Sigefridum Comitem Palatinum ante triennium cuſtodiæ manci-Imperapatum principum rogatu dimiſit & in cletor mentiæ teſtimonium filiolum tuncilli natum e baptismatis lavacro ſuſcepit. Sed turbis non diu duravit reconciliata oratia. Cum immiſcenovis enim per id tempus Udalricus quidam tur. Saxoniæ princeps naturæ debitum reddi- *Spangeb. Chron.* diſſet, & Imperator provincias principe deſtitutas imperii fiſco vindicaret: Siffri- *Sax. p. 351.* dus hæreditatem ſibi deberi ratus multas *c. 213. Abb.* dedit turbas totamque Saxoniam querelis *Urſperg.* implevit. Protinus igitur ad arma con- *p. 255. ſq.* currunt Lotharius Dux Rudolphus Marchio, Ludovicus Thuringus, Fridericus Palatinus, Wigbertus & Ludovicus comites, Reinhardus Halberſtadienſis Epiſcopus, Otto Ballenſtedius, & ne ſequior ſexus libertatis Germanicæ videretur negligentior acceſſit etiam Gertrudis, potentiſſima Imperii princeps Henrici Comitis Northeimenſis vidua, quibus occculte favebant Moguntinus, Colonienſis & Salisburgenſis Archiepiſcopi, & complures alii Germaniæ principes Henrici Imperium peroſi. Acceſſit malo Paſcalis Papæ perfidia, qui ruptoſœdere poſt Henrici ex Italia diceſſum Romæ Cardinalium & clericorum ſynodum convocaverat, & jam palam jura inveſtituræ flagitare denuo occœperat: unde nova Epiſcoporum in Henricum odia exarſerunt.

His ergo malis impeditus Imperator Seditioſequente anno Erfurtum indixit princi-ſos pripum comitia: quo cum Saxones venire cipes nollent, in armis ſalutis ſpem ſibi poſitam comperatus, continuo delectam manum miſit, ſcit. quæ conjuratorum prædia invaderet, flam- *Urſp. p. 256* misque & ferro devaſtaret: ipſe cum juſto *Trithem.* exercitu ſecutus Halberſtadienſem dioe- *Chron.* ceſin ingreditur, Hornburgum caſtrum *Hirſaug.* & Brunsvicum capit, Halberſtadii vero *ad h. ann.*

mœnia

ingenia dejicit. Inde cùm ad Rheni provincias discederet, lætum accepit nuncium, Wigebertum & Sistridum occisos & Ludovicum ad deditionem compulsum esse. Quo prospero rerum successu lætior Imperator Wormatiam digressus, Albertum Moguntinum quem classicum cecinisse ferebant, custodiæ mancipavit. Inde reversus in Saxoniam sub anni exitum Goslariæ diutius consedit, ut testatur Schotenius.

Annus Christi 1114.
Henrici V. Reg. 9. Imp. 4.
Ab V. C. 191.

Lotharig dux in gratiam recipitur. *Otto Frisi. l. 7. c. 15. p. 147. Spangenb. l. c. Ursp. p. 257.*

OBtritis factionis capitibus Saxonia paululum quievit; unde Imperator Goslaria Bambergam superiore anno jam deficiente concessit, Christi natalitia celebraturus. Inde Moguntiam ad comitia processit, ad quæ totius Imperii principes evocaverat. Accessit huc etiam Lotharius dux, qui ad saniorem mentem redierat. Criminis ergo sui sibi conscius supplex ad Imperatoris pedes provolutus veniam rogat, quam etiam principum rogatu impetravit, jussus tamen nudis pedibus & vili veste, qua rei solebant incedere, Imperatoris indignationi satisfacere.

Bruning. Goslar. Decanus Hildes. Episc. creatur. *Brusch. c. 11. n. 19. p. 1044. Bucelin. Germ. s. p. 46. Rewel. p. 86. Chron. MSC. Ep. Hildes. c. 20.*

Interea ad meliora transiit Udo Hildesiensis Episcopus multis per vitam fluctibus jactatus. Eique ex ecclesia SS. Simonis & Judæ, tanquá communi Germaniæ seminario sublegitur Bruningus Decanus Goslariensis, vir multis eximiis virtutibus ornatissimus. Sed non diu præfuit, nec unquam Episcopi titulum usurpavit, quoniam subtilioribus conscientiæ stimulis agitatus ab Alberto Moguntino, qui paschalis Papæ captivitatem svaserat, conservari nolebat. Certe Reutelius & Chronicon meum MSC. Hildesiensium Episcoporum illi quatuor annos, Bruschius vero & Bucelinus unicum tantum mensem tribuunt, postea enim omissa sacerdotij sui spe in S. Bartholomæi monasterio Sultensi divinis speculationibus reliquum vitæ tempus exegit. Unde patet cur Cranzius eum ex Episcoporum numero exemerit.

Nova Saxonũ rebellio. *Gobelin. ætat. 6. c. 88. p. 267. Spangen. c. 214. Chron. Sax. p. 353. Ursp. p. 257*

Paulo post superiora Moguntiæ comitia nova erupit Saxonum conjuratio: adeo facile tunc in Imperatorem arma sumebantur. Societati se jungebant principes fere omnes, præter Conradum & Fridericum Svevos, Henrici ex sorore nepotes & Godofridum Palatinum. Ne autem Imperatori quid moliantur, citius suboleret occultis inter se colloquiis cœperunt coire; & simulatis officiis Imperatori adimere suspiciones, donec data oportuniore occasione illum veluti ex insidiis adorirerentur. Nec caruit res eventu. Imperatore enim in Frisios movente conjurati tempus adesse rati vindicandi injurias, occultam conspirationem in apertum bellum convertunt. Henricus itaque omissis Frisiis Coloniam sibi rebellem oppugnat, sed irrito conatu unde soluta obsidione omnia libere flammis ferroque devastat, & locupletatum exercitum reducit in superiorem Germaniam novis sociorum auxiliis augendum. Interea Colonienses Episcopus lacertos movere, Andernacum & ceteras regi fidas urbes expugnare, ceteri conjurati Tremoniam capere, Monasterium in suam redigere potestatem, ejectoque Burchardo Episcopo alium obtrudere Theodoricum Wincenburgensem, omnia denique per Westphaliam turbare. Rex sub auctumnum cognita tanta principum ferocia cum Justo exercitu redit in Westphaliam, & arma præcipue vertit in Fridericum comitem Arnsbergensem, qui conjuratorum res maxime firmare credebatur. Hujus ditiones misere devastat, Susato mulctam ingentem extorquet, & hostibus submotis, quo minus periculi esset, in media Westphalorum regione fortissimum castrum extruit, firmoque munit præsidio: incertum tamen, quo nomine novum propugnaculum appellaverit. Sunt qui Wevelsburgum intelligunt, sed castrum hoc non ab Henrico Imperatore, sed ab ipso Friderico Arnsbergensi premunitum tradunt Gobelinus Persona, Cranzius, Ægidius Gelenius, & celsissimus monumentorum Paderbornensium autor. Transgressus denique Henricus Visurgim, & regiones vicinas depopulatus victorem exercitum in hyberna reducit, ipseque Goslariæ in palatio extrema anni exigit. *Gobel. l. 6. Cranz. l. 6 metr. c. 9. p. 147. Æg. Gelen. l. 3. hist. S. Engelb. c. 42. Monum. Paderb. p. 133. sq. ed. 1*

Annus Christi 1115.
Henrici V. Reg. 10. Imp. 5.
Ab. V. C. 192.

NOn diu duravit hæc Saxoniæ quies, proceribus quippe ab intercalari pace statim ad arma revocatis. Goslariæ tunc Impertor in hybernis agebat & natalitiis Christi festivo gaudio peractis omnes Saxoniæ principes ad comitia evocaverat, si forte æstuantes eorum animos ad mitiora consilia flectere posset. Inprimis Adelgotum Archiepiscopum, Magdeburgensem adesse jusserat, causamque dicere, quod Wipertum comitem perduellionis reum ac in silvarum recessibus latitantem in diœcesin suam receperit & Lubborchi passus sit habitare. Huic Cæsaris imperio plures paruere, alii sive quod causæ diffiderent, sive quod minus proclives ad pacem essent, vadimonium deseruere. Accessit tamen Adelgotus. Sed vix limina urbis nostræ salutaverat, cum statim certior ab amico fieret, id agi ut non modo privetur sacerdotio, verum etiam in vinculis habeatur, quare si se salvum vellet, fugam quantocyus capesseret. Quo periculo territus, nocte intempesta urbe egressus, & Magdeburgum clam dilapsus est. Ægre id tulit Imperator, con- Comitia Goslariensia. *Abb. Vrsp. p. 257. Dodechin p. 409. Cranz. l. 5 Sax. c. 36. p. 130. Gobel. æt. 6. c. 58. p. 267. Alb. Stadens. p. 263. Chron. Bigaug. p. 253. Spangenb. Chron. Sax. p. 354*

vocatoque principum senatu multum de conjuratorum audacia conquestus est, se nimirum palam ab omnibus exagitari, principes suo vivere arbitrio, non Augustorum edicta, non comitiorum scita, non salubria monita eos amplius vereri, eo demum rem abituram, ut plane Cæsarea majestas evanesceret. Indigna res visa principibus, omniumque suffragio decretum est, ut a conjuratis supplicium more majorum sumeretur. Hinc Adelgotus absens proscriptus, Reinhardus Halberstadensis episcopatu exutus, Fridericus Arnsbergiæ Comes dignitate privatus, ipsa denique conjuratio armis comprimenda visa est.

Prælium ad sylvam Welphonis.

Damnatis itaque pacis consiliis protinus utrinque ad arma concurritur. Imperator Walhusæ delectum instituit, Saxones quoque copias, quas poterant instructissimas contrahunt. Vicinæ nobis provinciæ inprimis Episcopatus Halberstadiensis igne ferroque vastantur, Brunsvicum occupatur, inde armis in Thuringiam conversis Orlamunda quoque, obsidione premitur. Verum has Cæsaris victorias uno deinde impetu prælium ad Welphonis Sylvam in Mansfeldico agro commissum retardavit. Cum enim Lotharius ceterique fœderati ibi stativa haberent, Imperator veluti ex improviso eos oppressurus cum justo exercitu advolat. Componuntur acies, classicum canitur, tantaque pertinacia pugnatur, ut diutius anceps prælium videretur. Saxonum ordines Lotharius, Imperatoris agmen Hoierus Mansfeldicus circumvolabat. Denique cum hic in principiis occubuisset, statim inclinari Cæsareorum acies cœpit: In quos tanto sævitum est, ut pauci fuga salutem quærerent. Eum conflictum post hominum memoriam acerrimum annales etiam ecclesiæ SS. Simonis & Judæ membranacei signant his verbis: *Hic*, (Henricus V) *postmodum contra Saxones in Welpeholte dimicavit, & victoriam perdidit, Domino sic volente.* Sed & trophæo victoriæ hujus memoria ad posteros transmissa legitur. Monumento enim in campo erecto viri paludati statuam imposuere, dextra quidem cæstum; sinistra scutum præferentis; idque *signum adjutoris* vocarunt. Verum cum imperita plebs & ad superstitionem proclivis idolum sibi inde fingeret, ac trophæum sub sanctæ Jodutæ nomine precibus & oblationibus propitiaret; Wernerus Mersburgensis Episcopus molem dejiciendam & idololatriæ subtrahendam materiam existimabat.

Lotharii victor Goslariæ agit.

Potitus victoria Lotharius regio plane dominatu se inter Saxones ferebat. Hinc triumphans Saxoniam ingressus Goslariæ nostræ tanquam in antiquo imperii domicilio consedit. Aderant illi legatus apostolicus, principesque eodem fœdere connexi, quorum in congressu ipsis B. Mariæ natalibus plura reipublicæ negotia transegit. Id tamen inprimis sollicite tunc actum est, ut Episcopi ab Imperatore constituti, quos schismaticos vocabant, sedibus suis expellerentur, subrogatis aliis orthodoxis, hoc est, qui in Pontificis servitia essent proniores. Hæc Helmoldus & qui historiæ Francicæ tomis insertus est, chronici Hildesiensis auctor, memoriæ prodiderunt. Imperator vero cognita suorum calamitate Moguntiam atque inde ad recuperandam Mathildæ hæreditatem in Italiam est profectus, ex qua biennio demum transacto in Saxoniam rediit.

Helmold. l. 1. c. 40 p. 989. Chron. Hildesh ap du chesne tom. 3. script. Francic. Dodech. p. 469.

Annus Christi 1117.
Henrici V. regis 12. *Imp.* 7.
Ab. V. C. 194.

Richenbergensis monasterii initia *Chronic. Stederb. ad h. ann. p. 453. Meibom. tom. 3. rer. Germ. p. 352. Lazner. l. 2. MSC. Chron. Hildes. p. 52. Reutel. p. 87. Chron. Hildes.*

Turbulentis hisce Saxoniæ temporibus in vicinia nostra, quod mireris, de augenda religione sedulo cogitatum est. Hoc ipso enim anno, nisi chronici Stederburgensis aliorumque computus fallit, monasterium Richenbergense fundari cœpit, B. Mariæ Virginii ut ex diplomatibus æque ac sigillo ecclesiæ antiquissimo patet, sacrum, quod ex septentrionali plaga urbem nostram respicit, atque unum omnium maxime & splendore ædis, & opibus & disciplinæ integritate floret. Conditorem suum agnoscit Petrum quendam de Richenberg, quæ familia equestris eo ipso loco, ubi nunc monasterium hoc floret nobilitatis suæ sedem habuit. Ipse *Petrus* Subdiaconi tunc ordine insignitus, inter Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Canonicos celebratur, quemadmodum & *Johannes* quidam de *Richenberg* Vicarius ejusdem basilicæ in membranis occurrit: ut adeo hanc familiam sæpius nobis Canonicos aut Vicarios dedisse existimem. Verum nemo plus splendoris in genus suum videtur intulisse, quam Petrus noster, qui cum familiam suam ad paucos redactam haut procul ab interitu esse sentiret, prædium suum applaudente matre in religiosorum domicilium convertit, illudque aliis bonis suis ditavit, ac adeo impositio illi de se nomine, laudabili consilio memoriam sui æternitati consecravit. Hoc pietatis delubrum paucis initio fratribus videtur habitatum. Nam licet & præposito & advocato statim cœperit subesse; non prius tamen penitus in ordinem redactum est, quam anno MCXXXI. quo Bernhardus Hildesiensis Episcopus, convocata Synodo, novellam coloniam ordini Canonicorum Regularium B. Augustini adstrinxit, quorum antiquissimum habitum ex binis hujus ecclesiæ sigillis cognosces, quæ ideo adjeci. Nihil vero de monasterii natalibus ex conjectura profero. Ipsum extat Bernhardi diploma, quod diserte annum MCXXXI, *annum inchoationis ecclesiæ Richenbergensis* vocat, ut ipsæ tabulæ, quas ad annum hunc integras, producam aperte docebunt. Minus ergo videbimur hallu-

Tab. II. Fig. 3. 4.

hallucinari, ſi laudatum monaſterium anno MCXVII. conditum, anno MCXXI. dedicatum & paucis fratribus addictum, ac demum anno MCXXXI. penitus perfectum & ſuis numeris abſolutum dixerimus. Eſt & Reichenberga, Bavariæ inclytum cœnobium, quod ideo monendum duxi ne quis illud cum noſtro confundat, cum & illud Bavaricum ſæpiuscule Richenberga vocetur. Aventinus enim Lambertum Gerochum, cujus opuſcula de Antichriſto & Gregorio VII. extant, vix aliter quam Richenbergenſem appellitat, eum apertum ſit, Reichersbergenſem fuiſſe. Id quod obſervandum duxi, nón ut reprehendam, ſed ne reprehendar.

Lambert. Gerochs utrum Richenbergenſis, an Reichersbergenſis. *Avent l. 6 p. 508. ann. Bojic. & paſſim.*

vid. & Sagittar. intr. in Hiſt. Eccleſ. c. 26. p. 689.

Catalogus Præpoſitorũ Richenb.

Catalogum Præpoſitorum, qui a prima monaſterii origine ad noſtra usque tempora, præfuerunt hunc ex diplomatibus excerpſi:

Gerhardus. Goslarienſium Archipresbyter anno 1117. fit Præpoſitus Richenbergenſis anno 1142. ſimul Præpoſitus Stederburgenſis.

Ludolphus 1151. 1154. 1155. 1157. deponitur anno 1161. Chron. Stederb. p. 454.

Conradus 1163.

Rudolphus 1171.

Lambertus 1173. 1178. 1181.

Johannes. 1200. 1209. 1216. 1223.

Tiderieus. 1251.

Henricus. Pater Patrum S. Auguſtini per Alemanniam. 1275. 1277. 1288. 1289. 1291. 1292. 1293.

Bodo jam anno 1290 Henrico adjunctus ſolus 1297. 1298. 1299. 1304. 1305. 1306. 1308.

Friderieus., *Bodo.*, *Hermannus* de Gradu. } Præpoſiti Richenbergæ cõmorantes. 1311.

Fridericus ſolus 1312.

Henricus. 1314.

Bodo. 1315. 1316. 1317. 1321.

Hermannus. 1323.

Bertholdus. 1333.

Johannes. 1334. 1335.

Bertholdus. 1137. 1338. 1341.

Ludolphus. 1350.

Hinricus. 1352.

Ioannes 1366. 1368.

Bertholdus. 1387.

Ludigerus. 1388.

Her Arend Proveſt to Richenberg. 1395.

Hinricus 1415.

Johannes Clovekorn. 1420. 1427.

Rembertus. 1435.

Johannes 1450. 1457. 1461. 1464. 1466. 1467. 1473.

Henricus. 1480.

Borchardus Wildeshuſen. 1485.

Godefridus Prior des Cloſters unſer leven Fruwen tom Richenberge. 1500.

Gerhardus. 1517. 1520. 1533. 1536. 1537.

Johannes Regis ſeu Konningk prior 1538. 1551. 1553.

Ludolphus Prior. 1554. 1557. 1558. 1559. 1560. 1561.

Johannes Pater. 1594. 1565.

** Poſt reſtitutam diœceſin Hildeſienſem.

Henricus Brumlovven. profeſſus in Hamersleben, Præpoſitus conſtitutus an. 1644. ob. 1659.

Joannes Hochhauſen / in ſenectute decrepita electus 1659. eodem anno ob. Hamerslebii.

Theodorus Streven / Profeſſus in cluſa Everhardi Archidiœceſ. Trevir, electus 1659. regiminis pertæſus reſignavit 1661.

Henricus Steckelenus profeſſus in Dalheim, anno 1661. electus ad nativum monaſterium electus prælatus redire coactus, commiſſarius etiam & Generalis ordinis factus eſt, ſenex admodum obiit, Richenbergæ reſignavit 1669.

Johannes Chriſtophorus Oldenkopff. electus 1669. Iponte tamen depoſito regimine ao. 1681. paſtoratum Ahrbergenſem adminiſtrandum ſuſcepit, quo rurſum depoſito Paſtor Dincklarienſis factus obiit demum ao. 1692.

Wilhelmus Zilles profeſſus in Sulta prope Hildesheim electus aõ. 1681. laudabiliter præfuit annos 12.

FRANCISCVS WILHELMVS BVSCH electus anno 1694. qua fide & induſtria huic monaſterio præſit, docent templum, ædes, aliaque opera ejus laudabilia, atque perficienda; vitam ei & valetudinem integram apprecamur!

Anni Chriſti 1118. 1119.

Henrici V. Reg. 13. 14. *Imp.* 8. 9.

Ab. V. C. 195. 196.

Henricꝰ Goslariç Saxones in gratiã recipit. *Chron. Hild. ap. du Cheſne tom. 3. rer. Francic.* p.

OBierat inter hæc Gelaſius pontifex, cui inito Cæſare Romani ſubrogarunt Guidonem Viennenſem Archiepiſcopum, rejecto Burdino, quem Cæſar omni niſu promotum ibat. Sed & Germania inter diverſa ſtudia fluctuabat. Unde Imperator magnis itineribus ex Italia in Saxoniam advolat, habitoq; Goslariæ principum conventu ad mitiora conſilia converſus tam luculentis conditionibus principes in ſuas partes illexit ut Lotharius dux, Rudolphus Marchio, Friedericus Palatinus pluresque alii ad ejus caſtra tranſirent. Chronicon equidem Hildeſienſe, quod inter hiſtoriæ Francicæ ſcriptores editum eſt hoc refert in annum proxime ſequentem, ſed malim id de hoc anno accipere. Suppetit enim diploma Henrici Monti S. Georgii datum, in quo hi principes omnes teſtium loco adducuntur, cum aliis quibusdam Episcopis, quos Henricus invito Papa creaverat, quod ideo dignum putamus quod integrum hic appareat:

Benefacit Monaſterio Montis S. Georgii.

ENRICus divina favente clementia quartus Romanorum Imperator Auguſtus. *Noverit omnium tam praeſentium, quam futurorum induſtria, qualiter nos divinæ inſpirationis provocati admonitu & principum noſtrorum conſilio monaſterium in monte S. Georgii poſitum canonicis ibi inſtitutis clauſtrali ambitu adornare, ejusque faculiates ſylva quadam quæ Aal dicitur, decreverimus ampliare. Huic autem concesſioni idoneos adhibuimus teſtes, quorum nomina hæc ſunt,* Conradus (*) *Osnabrugenſis Epiſcopus,* Gerhardus (**) *Merſeburgenſis Epiſcopus alii quoque principes,* Luderius *Dux,* Rodolfus *Marchio,* Fridericus *Palatinus,* Wipertus *Comes,* Henricus *Marchio* Fridericus *Comes*, Hermannus *Comes Eppo hajus loci procurator. Hoc etiam* Mathildis *regina ſua corroboravit præſentia. Ut autem hujus concesſionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa permaneat, hanc chartam inde conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione jusſimus inſigniri. De Goslarienſibus etiam civibus hos habemus teſtes.* Fogelinus *ſcilicet & frater ejus* Lanfridus, Herwardus, Segebertus, Volkmarus, Lucemannus, Odelbertus, Bernardus *& fratres ejus,* Amego *& filii ejus,* Bruningus *& frater ejus,* Acco, Tecelinus, Bennecho, Wicelinus, Benno. *Hoc autem factum eſt tempore* Pilegrini *S. Georgii præpoſiti nec non etiam* Egelberti *præpoſiti.*

* *De hoc vid. Ertwin. Chron. Ep. Oſnab. p. 209. Cone. Barth. Behrens: Catal. prap. Hild. ſ. 2.*

** *Intruditur per epiſcopum Theodor. cum Ciſtenſem & Adelgoto Archiep. Magdeb. haud diu tamen vixit. Brouff. ap. Gualt. p. 1146.*

Signum Henrici.



Bruno Cancellarius recognovi vice Archicancellarii.
Data autem Goslariæ MCXIX anno incarnationis Domini XII. Kal. Februarii.

Bertold, Hild. Ep. creatur. *Reutel. p. 87. Chron. Hildesh. Chron. Hildesh. Epiſc. MSC. C. 21.*

Nec minus eccleſia Hildeſienſis hoc anno nova cepit incrementa, epiſcopum quippe nacta Bertoldum, poſtquam Bruningus noſter faſces depoſuerat, virum eo non imparem loco, & genere & moribus optabilem antea præpoſitum majorem cathedralis eccleſiæ Hildeshemenſis, qui monaſteria per dioeceſin ſuam diligenter reformavit ipſe quoque novas eccleſias conſtruens, quarum ſuo loco aliquot retetemus. Septendecim annis cum præfuiſſet Epiſcopatui, anno MCXXX. diem obiit ſupremum.

Cranz. l. 6. metrop. c. 7. p. 146. Behrens Catal. prap. Hild. p. 3

S. Sepulcri Goslarienſ. origo.

Eo magis quoque creſcebat in Saxonia monaſteriorum numerus, quo plures ſubinde ordines reigioſorum naſcebantur. Hoc ipſo enim tempore cœperunt Templariorum, Hoſpitaliorum & Teutonicorũ ordines, qui cum initio non niſi tuendis peregrinis & excipiendis hoſpitibus eſſent deſtinati: poſtea in equitum numerum admiſſi, late ubique ſe per Germaniam & Saxoniam inprimis diffuderunt, Goslariæ quoque noſtræ condito monaſteriolo, quod S. Sepulcrum vocabant, ſed dudum ferali incendio extincto;

De ejus origine nihil mihi adhuc neque in diplomatibus, neque in annalibus occurrit. Id tamen ſcio, ſubfuiſſe illud Ordini Johannitarum Equitum, ſubjectumq; Commendatori Supplinburgenſi, ut plura docent diplomata, e quibus ſuo loco nonnulla apparebunt. Fallere itaque dicas Leznerum, qui de Domo hac ita commentatur: Das Cloſter aber zum Heiligen Grabe vor Goßlar in der Vorſtadt vor dem Voits Thor gelegen iſt etwan zum priorat auf Münche geſtifftet / iſt ein kleines aber wohlerbauetes Clöſterlein und ſonderlich mit vielen ſchönen herrlichen und guten gewölbeten Kellern wohlangerichtet / alles mit conſens und Bewilligung des Rahts zu Goßlar. Commendatores, Priores & Proviſores hos e tabulis collegi:

1240. *Gunzelinus* ſacerdos, proviſor S. ſepulcri.

1291. *Fr. Lud.* D. S. Hoſpitalis Hieroſolymitani Comendator in Goslaria 1290. vocatur & *Fr. Ludolphus* de S. ſepulcro. 1291. 1293.

1301. *Werenboldus* Comendator S. ſepulcri.

1357. Graff Ruprecht von Mansfeld Comter zum Heiligen Grab.

1400. (circiter) *Thomas Hornius* Prior S. Sepulcri.

1408. Her Hinrick Wendeburg Prior to Sünte Johannes binnen Bronſchwick / und des hilligen Grabes to Goßlar.

1489. *Jo. Dornten.* De i gratia indubitatus Prior S. Sepulcri, depoſitus 1497.

1497. *Joannes Wuſtrau.* Prior S. Sepulcri.

Anni

Anni Christi 1120. 1121.

Henrici. V. Regis 15. 16. *Imp.* 10. 11.

Ab. V. C. 197. 198.

Saxonia quieta. *Chron. Hildes. ap du Chesne. tom. 3. Abb. Vrsp. p. 263.*

Sublata litium materia & præcipuis factionis Saxonicæ capitibus ad obsequium reductis, non parum provinciæ nostræ refocillari videbantur. Miramur ergo Abbatem Urspergensem hanc procerum reconciliationem chronici Hildesiensis nostrique diplomatis testimonio firmatam plane ignorare, & solius Friderici Palatini meminisse, qui a reliquorum societate ad Imperatorem defecerit, æternis tamen cruciatibus ideo punitus. Hinc Cæsari in Saxoniam hoc anno tendenti nullum honorem habitum, ipsos proceres rejecto Imperatore mutuo fœdere coaluisse, quosvis hostes, quosvis latrones suis armis à finibus arcere statuisse, Cæsareanos milites, qui in Thuringiam prædatum exiissent, fame ad deditionem compulisse, ipsum Imperatorem pudore anxium per Rhenum in Lotharingiam rediisse perhibet. Atque adeo Saxones veterem aristocratiæ formam, quam dudum expetiverant, penitus sane instaurassent, si vera Urspergensis referret: inprimis cum ipsa quoque jura sacrorum permissu Pontificis usurparent, Episcopos renunciarent, Shismaticos sedibus exturbarent, omnibusque summæ potestatis beneficiis frueruntur. Sed quis credat Lothario Duce, Rudolpho Marchione, Friderico Palatino & tot aliis Comitibus ad Henricum deficientibus, reliquos Saxones, minus potentes, ab armis non destitisse? Aut ergo Urspurgensis lapsus est, aut Saxonica seditio intra paucos hoc anno stetit. Albertus sane Stadensis, Chronographus Saxo, aliique scriptores, qui Urspergensis etiam verba plerumque retinere solent, hæc plane omittunt. Ut adeo non temere suspicari mihi videar, Urspurgensem hic errorem commisisse.

Saxones denuo Imperiū Henrici abjiciunt. *Abb. Vrsp. p. 264. Chron. Hildesh. l. c.*

Verum tamen ea pax sequente statim anno inferale bellum commutata. Lotharius enim, Dux Saxoniæ, licet in gratiam cum Imperatore rediisse videretur, exercitum tamen non dimisit, ex omni parte speculaturus occasionem, dominatum suum inter Saxones firmandi. Hinc primo quidem in monasterienses, qui Theodoricum Episcopum a Saxonibus sibi obtrusum ejecerant, arma convertit, qua in expeditione cum jam acies urbi imminerent, subito coorto incendio, tota pene civitas in bustum consedit. Nihilominus tamen victores Theodoricum devastatæ sedi immisere. Interea Imperator de Saxonum fide securus, Moguntinum Archiepiscopum, pontificis legatum causæ suæ iniquissimum premit Moguntiamque gravi obsidione urget, jamque in spem venerat illa potiundi. Sed episcopus his viribus sustinendis impar, nihil habuit antiquius, quam ut Saxones in causam suam trahe-ret. Facile currentibus calcar additum. Lotharius enim jam tum ad bellum redintegrandum proclivis, statim cum instructissimo exercitu advocavit, eumque tam prope in Imperatoris conspectum adduxit, ut Rhenus solum castra distingueret. Jam signum prælio datum, jam acies compositæ erant & Duces utrimque jam per ordines volitabant, cum principum quorundam suasu de litibus sopiendis cogitaretur. Convenere in eo, ut delectis duodecim viris, causa cognoscenda committeretur. Denique Herbipoli iis legibus pax coaluit, ut regalia Imperatorem manerent, ecclesiis sacrorum jura restituerentur, a prædonibus & publicæ quietis turbatoribus supplicium sumeretur, suum cuique veteri justitiæ lege redderetur, pontifici denique excommunicationis Cæsareæ causa relinqueretur.

Cœnobii Backerodani origines. *Reutel. p. 87. & 105. Chron. Hildesh. ap. Paul. Lazn. l. 2. Chron. Hildes. MSC. c. 42. Paul. Epist sing. ap. Tenzel dial. mensi. an. 1691. p. 684*

Interea dum sic animi in diversa trahuntur, omniaque odiis ac discordiis fervent; unica cura Bertholdi Hildesiensis Episcopi fuit, diœcesin ecclesiis & monasteriis augere. His ipsis enim annis novum surrexit cœnobium Backerodanum, quod & Bartholdesrodanum a conditore audivit, quippe ab ipso Bertholdo Episcopo religionis studiosissimo suis fructibus exstructum, & B. Augustini familiæ datum eo quidem instituto, ut fratres æque ac sorores sub unius præpositi cura eodem hospitio uterentur, quem morem non satis laudabilem singulari epistola erudite evolvit Christianus Franciscus Paulini. Verum cum centum & viginti novem annis huic ordini præbuisset hospitium: demum collapsa disciplina, ac pudicitia plane profligata, istud monasterium a Johanne Episcopo Cisterciensibus e cœnobio Ilsenhagensi ferali incendio pulsis concessum est, qua de revolutione hujus monasterii ipsum diploma Johannis Episcopi suo loco erit proferendum.

Richenbergensis ecclesiæ dedicatio. *Chron. Stederb. p. 458.*

Sed & Richenbergem ecclesiam nuper conditam insequente hoc anno Bertholdus inauguravit, licet de ipsa solennitate parum nobis constet, quod Chronici Stederburgensis Auctor paucis duntaxat verbis, hoc est, suo more rem signat potius quam exponit. Primus ecclesiæ hujus curam sub Præpositi nomine suscepit Gerhardus, Archibresbiter Goslariensis, vir religiosus ac integer, atque ideo interjecto tempore ad Stederburgensis quoque cœnobii collapsam disciplinam in integrū restituendam adhibitus. Advocatia functus est Hugoldus quidam, quem e Richenbergiorum equestri familia oriundum eo minus dubitaverim, quo certius e Bernhardi Episcopi tabulis constat, fundatorem jura hæc, familiæ suæ quam diu floruerit, reservasse. Rara certe viciniæ nostræ felicitas, quæ inter medios bello-

rum civilium fluctus & turbulenta principum conſilia ſola ferme beneficiis paci ac togæ propriis efforuit, & nova ſubinde religionis ac pietatis cepit incrementa.

Anni Chriſti 1122. & 1123.

Henrici V. Reg. 17. 18. *Imp.* 12. 13.

Ab. V. C. 199. 200.

Henricꝰ V. Imp. jura ſacrorum amittit. *Abb. Vrſp. p. 267. Otto Friſ. l. 7. c. 16. p. 148. Alb. Stad. p. 263. Engelh. p. 218. Gobel. at. 6. c. 58. p. 267. Chronogr. Sax. p. 285 Martin. Polon. p. 572. Baron. ad ann. 1122. p. 151.*

PRæcipiti demum ac prope deficiente hoc altero Goslariæ noſtræ ſeculo, pax toties civilibus diſcordiis diſſoluta, plane Germaniæ reddita eſt, Imperatore ſcilicet Pontifici & Patri ad extremam usque vitæ lineam ſubirat. Ex quo enim Romæ fama de Herbipolenſi conventione increbuit, miſſi ſtatim in Germaniam Lambertus & Gregorius Cardinales, qui Imperatorem, ut cum Pontifice in gratiam rediret, partim minis, partim blanditiarum lenociis flecterent, & ſacrorum ſimul jura, quæ baculi & annuli vulgo vocant, extorquerent. Quid ageret Imperaror ab omnibus deſertus, ſuisque parum gratus? Præſagiebat jam animus, niſi pontificis poſtulationi morem gereret, novo aclonge difficiliori bello ſe implicatum iri. Ante oculos ei veſabatur, exemplum parentis nulla alia de cauſa oppreſſi, quam quod labentis imperii molem tanta conſtantia ſuſtinuiſſet. Denique & virili prole ſe videbat carere, nec ſpes affulgebat, fore, ut in ſua gente imperii auguſti decus continuaretur. Tempori itaque ceſſit, & Pontificis voluntati. Ideoque ſacrorum jura dimittere, quam perpetuis bellorum fluctibus jactari maluit, facinus eccleſiæ Chriſti pene exitiale auſus, ſiquidem ex eo tempore papalis dominatus ad ultimum potentiæ apicem nullo prohibente provenit Transactum negotium Wormatiæ IX. Cal. Octobris, & ne ſcilicet tam præclaræ rei memoria unquam vileſceret, tabulis commiſſum, & convolanti plebi in publico agro propoſitum eſt, quæ cum ab Urſpergenſi, Engelhuſio aliisque ſcriptoribus recenſeantur, nolo tantum gentis noſtræ dedecus hic repetere. Id modo notandum duxi, Henricum Imperatorem, hujus transactionis memoriam etiam diplomatibus ſuis propagaſſe. Extant enim apud Schatenium ejus tabulæ, Cappenbergenſi monaſterio conceſſæ, quibus hæc veluti æra ſubnotatur: *Schat. l. 7. annal. Paderb. p. 703. tom. 1.*

Data anno Dominicæ incarnationis MCXXIII *Indict.* XIII *apud Lobuiſſen, quando Dominus Imperator, annulum & baculum remiſit, durante adhuc eo anno.*

Ceterum id boni ex tam infelici ac propudioſa pace ad Saxones Goslariamque noſtram redundavit, ut a tot bellorum cladibus, calamitatibusque publicis per aliquos annos reſpiraret, & reddita priſtina ſecuritate veluti revireſceret.

ANTI

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM ET VICINARUM REGIONUM LIBER II.

AB ANNO CHRISTI
MCXXIIII AD MCCXXIII.
IMPERANTIBUS
HENRICO V.
LOTHARIO II.
CONRADO III.
FRIDERICO I.
HENRICO VI.
PHILIPPO & OTTONE IV.
Nec non
FRIDERICO II.
CÆSS. AUGG.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

TAB. III. ad LIB. II.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 3

Fig. 5.

Fig. 9.

Fig. 6.

Fig. 8.

Fig. 7.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM PRÆCIPUE ECCLESIASTICARUM

Liber II.

DE REBUS

Seculo tertio Goslariæ gestis

Ab Anno Christi 1124 ad 1223.

Seculi hujus facies.

Absoluto jam primo Antiquitatum nostrarum libro, in seculum Goslariæ tertium deferimur, quod ab anno reparatæ salutis MCXXIV. ad annum usque MCCXXIII. decurrit, & mira rerum varietate se commendat. Quemadmodum enim sub seculi superioris auspicium Saxonum Imperatorum stirps exatuit, penes quam diutissime decus imperii fuerat: ita & hoc seculum, simulac cœpit, Francorum Salicorum abrupit familiam, quæ adhuc præter Conradum tres Henricos Cæsares dederat. Extinctis Salicis Saxones videbantur ad imperium postliminio redituri: inprimis cum in Lotharium Saxonem, potentissimum Germaniæ principem, omnium pene procerum vota concurrerent. Sed cum sine mascula prole obiret laudatissimus princeps: Svevi rerum potiebantur, ex Hohenstaufiorum genere oriundi. Hi vel ideo summopere videntur commendandi, quod jura a Pontificibus erepta pro virili sua parte vindicare annisi sunt. Sed tamen res semper caruit successu, sive quod Germani jam servitutem suam amare cœperant, sive quod ipsa fortuna iniquior eorum consilia elusit. Quapropter deplorandam intuemur hujus seculi faciem, quo pontifices Imperatoribus insultabant, Imperatores diris devovebantur, & quoties Papæ libuit, ab Imperio rejiciebantur. Inde tot urbium cadavera, tot clades Germanorum, ex quibus per longa tempora vix patria respiravit. Quantam, o bone Deus, vastitatem bella inter Ottonem & Philippum Cæsares gesta his regionibus intulerunt? quantum sanguinis a Friderico I. & II. fusum est? quos Pontifices in tantum suorum odium adduxere; ut illis cum proceribus suis non secus, ac cum hostibus perpetuo fuerit decertandum. Tandem quo minus Pontifici quicquam esset ab Imperatoribus & regibus periculi, nova excogitata est eos opprimendi ratio. Scilicet sub religionis specie principes jussi sunt, in regiones sanctas peregre abire, & S. Sepulcrum ab infidelibus occupatum recuperare. Illuc ergo potentissimi quique principum magno numero confluebant, illuc fortissimi perducebantur exercitus, illuc denique ipsi Imperatores & reges per mille pericula penetrabant. Unde factum demum est, ut re plerumque male gesta, totius Europæ vires languescerent, pontifices vero eo audacius ad potentiæ ἀκμὴν grassarentur, quo minus sibi videbant resisti posse. Goslariæ quoque hoc seculo non semper una erat eadem-

demque conditio. Nam Imperatores quidem, qui per hoc ſeculum rerum potiti ſunt, de illa exornanda non parum fuere ſolliciti: nihilominus tamen & clades paſſa eſt deplorandas ab Henrico Leone, ejusque filio Ottone Imperatore: documento egregio, nihil eſſe ex omni parte beatum. Sed hæc dilucidius patebunt, ſi, quæ hoc ſeculo contigerunt ſigillatim innuerimus.

Anni Chriſti 1124. & 1125.

Henrici V. Reg. 19. & 20. Imp. 14. & 15.
Lotharii II. reg. I.
Ab. V. C. 201. & 202.

Henrici V. obitus. *Abb. Vrſp. p. 271. ſq. Sigeb. Gemblac. ad ann. 1126. p. 621. Otto Friſ. l. 7. c. 16. p. 148. Anſelm. ap. Alber. p. 249. ſq.*

PRimi itaque, quos ſignavimus, anni ultimi ſimul erant Henrico V. Imperatori. Nam poſteaquam res per Belgium ipſamque Germaniam feliciter compoſuerat, & Bambergæ, habitis principum comitiis, bellum in Ludovicum Craſſum decreverat: ipſe cœpit paulatim viribus deficere. Hinc anno Chriſti MCXXV. tanta ubique peſte per orbem invaleſcente, ut plusquam tertia hominum pars abſumta dicatur: ipſe quoque Imperator eandem mortalitatis legem Trajecti implevit, cum per aliquod tempus exquiſitos ex dracunculi morbo dolores perſenſiſſet. Hic finis fuit Henrici, principis audacis quidem, ſed minus felicis, præclaro documento, quam nunquam impune parentes violentur. Exangue corpus Spiram devectum, & avito monumento illatum, hoc epitaphio honoratum eſt:

Abb. Vrſp. p. 272. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 42. p. 480.

Heinricus V. dictus junior Romanorum Imperator anno dominicæ incarnationis MCXXV. *X. Kal. Auguſti obiit. Filius hic.*

Quod ſi ergo ultima verba epitaphiorum Heinricorum & Conradi colligas, ſequens naſcetur verſiculus:

Alb. Stad. p. 264.

Filius hic: pater hic: avus hic: proavus jacet iſtic:

Quemadmodũ & Auguſtarum monumenta, hunc gignunt hexametrum:

Hic proavi conjunx: hic Heinrici ſenioris.

Lotharius Saxo creatur Rex.

Poſtquam igitur regia Salicorum ſtirps in Henrico V. defecit: imperii decus poſt aliquam principum æmulationem poſtliminio rediit ad Saxones. Quamvis enim Conradus Svevus regnum ſibi deberi exiſtimaret, major tamen principum pars conſenſit in Lotharium, Geverhardi Qverfordiæ dynaſtæ filium, & Saxoniæ ducem, qui omnes horum temporum Principes potentia & virtute longe antibat. Hunc ergo Aquisgranum deductum, & in Caroli ſolio conſtitutum, Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus ſolenni ritu inunxit; rejecto interim Conrado Hohenſtauffio, quod illum Pontifici parum favere deprehenderant: cui tamen fortuna imperium poſt Lotharii obitum reſtituit.

Anni Chriſti 1126. & 1127.

Lotharii II. Regis 2. & 3.
Ab V. C. 203. & 204.

LOtharius ergo ſimul ac imperio potitus eſt, in Bohemos movit, adverſus Sobeslaum ducem, in cujus locum Bohemos Ottonem Moraviæ marchionem ſubrogaverat. Sed conſilia hæc fortuna ſefellit. Nam quamvis Epiſcopi & Principes certatim auxilia ſubmitterent: Sobeslaus tamen Regis exercitum tanta clade affecit, ut plures Epiſcopi & Principes, qui caſtra ſecuti fuerant, deſiderarentur. Ferunt nihilominus Sobeslaum victorem, rebus ſuis diffiſum, Lothario ſe dedidiſſe, & ſupplicis habitu Regis impetraſſe clementiam.

Lotharius Goslariæ contra Conradum & Fridericum arma convertit, agit. Goslariæ *Gobelin. ætat. 6. c. 59. p. 268. Otto Friſing. l. 1. c. 20. p. 417. de geſt. Frider.*

Accepta clade Lotharius in æmulos ſuos ſed haut meliore ſucceſſu; Norinberga per ſemeſtre ſpatium caſſo opere obſeſſa. Hinc proximo anno in Saxoniam regreſſus reſurrectionis feſtum Goslariæ celebrat ibique multa graviſſima imperii negotia expedit, quæ quidem nominatim a Buntingio recenſeri dicit Coerberus; ſed fruſtra, cum hic nihil plane ea de re obſervet, niſi quod Lotharius paſcha Goslariæ egerit. Rectius ergo rem expedit Ekſtormius, in Chronico ſuo Walkenredenſes proferens literas Hujesburgenſes & Walkenredenſes, e quibus patet, Adelheidem, Comitiſſam Clettenbergenſem, fundandi a ſe cœnobii Walkenredenſis & initi cum Hujesburgenſi cœnobio pacti impetraſſe confirmationem. Clauſulam literarum ideo adjicimus, quoniam ex illis patet, quinam tunc principes regi adfuerint:

Gesta hoc eſt Goslariæ in præſentia Ludgeri, *Regis & Reginæ* Rechinze *coram teſtibus prædicto Abbate Fuldenſi (Henrico) & advocato noſtro* Friderico *palatino comite, & advocato Fuldenſis eccleſiæ* Gosmaro, & Chriſtiano & Erneſtone.

Ekſtorm. l. c. p. 12. Cent. Magd. cent. 12. c. 6. Walkenr. p. 7. ſq.

quod & Walkenredenſe ſcriptum confirmat his verbis:

Religioſa fœmina *Adelheidis*, marito ſuo quondam Comite a Klettenberg Volcmaro jam Deo inſerviente in Huſeborg, Deum cupiens ſibi facere hæredem, Walkenreden in villa, quæ ſibi ceſſerat, magna ex parte Huſeburgenſibus ſatisfactis, fœminæ prædictæ aliis bonis traditis, ipſum locum Walkenreden, villas Immenroda, Schwansdorff, & Hunderoda cum conſenſu Abbatis in Huſeborg & Palatini, qui fuerat Advocatus Monaſterii præfati, libertate plena, favente Rege Luthario & Richenſe Regina obtinuit Goslariæ.

Hæc Ekſtormius, ſimul notans nævum quen-

quendam Centuriatorum Magdeburgenſium, qui Walkenredenſis cœnobii originem referentes, monaſterium hoc aſſignant agro Goslarienſi, a quo tamen octo milliaribus abeſt. Apparet autem has literas etiam viſas fuiſſe Buntingio, aut certe ejus emendatori Meibomio qui eadem pene refert in Chronico Brunsvicenſi, niſi quod Goslariæ hoc factum fuiſſe, omiſit memorare.

Mazo Verdenſis Epiſc. Præpoſitus Goslarienſ.

Interea eccleſia SS. Simonis & Judæ, quæ apud nos floret, circa eadem tempora Verdæ dedit Epiſcopum Maſonem, aliis Mazonem vocatum, quem inter præpoſitos eccleſiæ noſtræ referunt Hamerslebienſis monachus apud Maderum, Emſerus & Leznerus, Bruſchius vero Canonicum tantum Goslarienſem vocat. Paulo parcius ejus mentionem fieri apud hiſtoricos deprehendimus, unde electus potius, quam ordinatus videtur Bruſchio & Cranzio, cujus hæc pauca de Mazone adſcribere juvabit: *Verdenſis eccleſia paulo ante hæc tempora Pontificem habuit Maſonem, ordine XXV, qui, ut ex ſcriptis ſuis colligi poteſt, non diu præfuit eccleſiæ, quia Thietmarus ſucceſſor ſuus eum dicit Epiſcopum deſignatum. Obiit IIX Calend. Novembris. Hujus Epiſcopi ordinationem Theodolphus Mindenſis præpoſitus & fratres ſui pro certis beneficiis, ſibi ab Eccleſia Verdenſi collatis, facta conventione donaverunt eccleſiæ Verdenſi prædia in Ghelderſen, in Borſtele, in Elſe, in Holtenbutiel, in Ballande & in Norta. Et quoniam magis electus erat, quam plena auctoritate gubernans, vix meruit in numero pontificum collocari. Quia tamen numeratum in eis accepimus hunc dedimus ei inter alios locum.*

Bruſch. c. 14. Epit. de Epiſc. n. 25 p. 1088 Cranz. metrop l. 6 c. 19. p. 153.

Plures Electi ex eccleſia Goslarienſi.

Fuit nimirum tunc tempus, quo Imperatoribus & Papis adhuc inter ſe de inveſtitura certantibus, epiſcoporum conſecratio ſæpius differri ſolebat. Quamvis igitur promoti interea habitu epiſcopali uterentur, & eccleſiæ bona adminiſtrarent: non poterant tamen uti *paramentis* & *mitris* ſine ſpeciali indultu pontificis. Hi, ut eſt in Romano ceremoniali, vocabantur *Electi*, de quibus pluribus egit Wilhelmus Neubrigenſis. Illud autem dolendum eſt, quod electi paulo rarius olim Epiſcoporum catalogis adſcripti ſunt: inde enim factum eſt, ut complurium perierit memoria, quos noſſe eruditorum intereſſet. In horum numerum refero *Wilhelmum Epiſcopum Veronenſem, Herebertum Leodienſem, Udalricum Argentinenſem, Cononem Friſingenſem, Landolphum Trevirenſem, Richolphum Moguntinum*, & alios, quos ex hac eccleſia noſtra prodiiſſe teſtantur Præpoſitorum Goslarienſium catalogi, quos tamen fruſtra in Epiſcoporum indicibus quæras. Forte ergo inter turbas, quas Gregorii VII. Henrici IV. Rudolphi Sveyi & Hermanni Lucelburgenſis æmulatio dedit, hi Epiſcopi electi quidem: ſed poſtea prævalente altera parte rejecti fuerunt, nominibus quoque eorum ex Epiſcoporum diptychis eraſis. Quod & aliis contigiſſe ſatis teſtantur tam variantes inter ſe Epiſcoporum catalogi.

Cerem. Rom. l. 1. ſect. 10. Wilhelm. Neubrig. l. 2. c. 22. citat. a. Carol. du Freſne.

tom 2. Gloſſ Lat. p. 223.

Annus Chriſti 1128.
Lotharii II. Regis 4.
Ab. V. C. 205.

Imperator turbis ſuperioris Germaniæ componendis inſudat.

DE hinc in ſuperiore Germania componendis turbis, quas Conradus dabat, inſudavit Lothatius. Nam celebratis ſuperiore anno Wurzburgi Chriſti natalitiis: ulterius progreſſus, urbes quæ ejus Imperium aſpernabantur ad officium reducere conſtituit: Spiram itaque diuturna obſidione premit. Sed fruſtra, ſiquidem ſub hyemem exercitum reducere enim oportuit: proxime ſequente tamen anno redux urbem expugnavit. Ulmam quoque, & ſi quæ aliæ Conrado favebant, ſub ſuam redegit poteſtatem. Interea Thuringiam novis bellis involvit Albertus Moguntinus Archiepiſcopus, qui decimas ſibi deberi ratus, priſtinasque renovans lites, Thuringos multis incurſionibus infeſtabat, donec hi collectis plusquam viginti hominum millibus, armis novas has exactiones abolendas ſtatuerent. Quo cognito Archiepiſcopus, oblata pace, decimarum juri reſignavit.

Abb. Vrſp. p. 277. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 47. p. 459. ſqq. Spangenb. chron. Sax. c. 217. p. 365.

Richenbergenſ. cœnobii augmentum.

Multo quietiores hæ regiones agebant, in quibus ſacro cultui deſtinatæ ædes magnis beneficiis cumulabantur. Certe Richenberga hoc anno a veterano quodam milite, quem in Converſorum numerum receperat, & Decano quodam Hildeſienſi aliquot beneficiis aucta eſt, quæ Hildeſienſis Epiſcopus his literis rata habuit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis & ſanctæ Dei Genetricis Amen. *Quoniam non ſolum, qui Deo famulantur, ſed etiam, qui famulos Dei diligunt, fovent & quibus poſſunt conſolationibus ſublevant, æternæ beatitudinis ſibi præmium præparare non dubium eſt*, ego Bartoldus *Dei gratia Hildenesheimenſis Epiſcopus omnes in diœceſi meæ divino miniſterio inſiſtentes viſceribus caritatis amplectens, fideliter fovens, notum fieri volui omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris qvam præſentibus, quod quidam veteranus miles Epiſcopalis curiæ, ac cognomine - - - tactus pœnitentia peccatorum ſuorum, ſeculo renunciare & in Richenbergenſi cœnobio ſub obedientiæ vinculo, in ſpirituali militia*

tia hanc corruptibilem vitam claudere cupiens, decimam unam in pago qui Lesse dicitur, quam a me sicut ab antecessoribus meis Episcopis jure beneficii susceperat, eo conditionis tenore, ut eam Richenbergensi Ecclesiæ darem, meæ potestati resignavit. Annui itaque voluntati ejus, & eandem decimam ad augmentum præbendæ fratrum ibidem Deo famulantium tam pro anima mea, quam pro ipsius dedi, quo facto venerabilis presbyter & nostræ Hildenesheimensis Ecclesiæ Decanus decimam unam in villa quæ Thornetehusen vocatur cum manso uno in eadem villa sito ad Hildesheimensem pertinentem Ecclesiam, quam ipse tunc sub gratia beneficii gubernandam possedit præfatæ Richenbergensi Ecclesiæ donati a me petivit ea videlicet recompensatione, ut decima prius Richenbergensi data suæ Ecclesiæ in concambium daretur, petente & hoc ipsum etiam Gerhardo *ejusdem Ecclesiæ provisiore. Hujus igitur concambii actio secundum petitionem provisoris utriusque Ecclesiæ auctoritate mea confirmata est. Atque ut a nullo unquam rescindi aut annulari queat, privilegii hujus conscriptione & sigilli mei impressione roborata præsentibus omnibus fratribus & canonicis nostris, meam in hac re sententiam suo assensu confirmantibus, quorum nomina subscripta sunt*, Bernardo *præposito summi Monasterii*, Bertoldo, *præposito Monasterii S. Crucis*, Conrado *præbytero*, Brunone *Diacono*, Udone *Diacono*, Thiderico *Subdiacono.*

Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo vigesimo octavo Indict. V. regnante *Lothario* III. Romanorum rege anno regni ejus tertio. *

* al. quarto.

Dedicatio montis S. Georgii. *Chron. Stederb. p. 453 ap. Meibom.*

Nec minus S. Georgii mons hoc anno novum recepit splendorem, si recte capio Chronicon Stederburgense, in quo hæc lego: *Anno MCXXIIX dedicatum est monasterium S. Georgii.* Nam nullus dubito, quin hunc ipsam montem S. Georgii intellectum velit, cum nullum in vicinia floreat monasterium, quod a S. Georgio nomen impetrarit; Stederburgense vero chronicon rarius in ejusmodi rebus ultra has regiones progrediatur. Non itaque plane aberraverimus, si monasterium hoc quod Conradus inceperat quidem, sed minus perfecerat, ab Henrico V. demum suis numeris absolutum & sacra æde exornatum: jam vero hoc anno a Bertoldo Hildesiensium Episcopo solenni ritu consecratum & divino numini dedicatum dicamus. Nisi forte antiquam capellam, quæ jam ab Henrici Aucupis temporibus in arcis Georgimontanæ mœnibus stetisse videtur, ab Henricis resuscitatam atque adeo a Bertoldo hoc anno consecratam malis.

Annus Christi 1129.
Lotharii II. Reg. 5.
Ab. V. C. 206

Lotharii cum Conrado contentiones. *Chron. Vrsp. p. 277 Chron.*

INterea Lothario adhuc negotium facessebant Conradus & Fridericus, Sveviæ duces, quibus plurimæ Sveviæ & Rheni urbes favebant: Lotharius vero quo majestatem suam adversus æmulos tueretur, ducatum Franconiæ Conrado ademit, & Wurtzburgensibus restituit, Spiram quoque denuo aggressus, undique per superiorem Germaniam infesta arma circumtulit. Nec segnior Conradus Svevus rebus suis firmandis animum intendit. Nam susceptio in Italiam itinere, omnes istas Transalpinas provincias adversus Lotharium sollicitat, Lombardiæ urbes in partes suas perducit, adeoque benevolos sibi homines Italos reddit, ut Modoyci corona regia cingeretur. A nemine Lotharius certiora sibi auxilia spondere poterat, quam a Clericis, quibus erat deditissimus. Hinc multis verbis apud illos de Conradi conatibus conquestus, facile obtinuit, ut Honorius Pontifex, nec non Moguntinus, Treverensis & Magdeburgensis Archiepiscopi Conradum diris devoverent. Scilicet diuturno usu erat compertum, nihil esse ad opprimendos æmulos efficacius, quam excommunicationis fulmen, quo simul ac quisquam fuerat ictus, statim ab omnibus tanquam quoddam piaculum deferebatur. Hinc & Conradum eodem pacto debellare erat animus, qui tamen hac excommunicatione insuper habita, Meginherum Treverensem Archiepiscopum, in Italia captum, Parmæ diutissima detinuit, donec oculorum lumine ex afflictione amisso in custodia diem obiret supremum: Lotharius deinde Goslariam mense Junio progressus frequentissima hic principum comitia egit, quibus ut e Lotharii diplomate a Madero & Schatenio prolato patet, interfuerunt *Adelbertus* Moguntinus, *Adelbertus* Bremensis, *Norbertus* Magdeburgensis, *Conradus* Salzburgensis Archiepiscopi, *Bertoldus* Hildesiensis, *Sigewardus* Mindensis, *Ecbertus* Monasteriensis, *Meingotus* Merseburgensis, *Fredericus* Palatinus Comes de Somerischenberg *Herr-*

monti se. renti ad h. ann. Otto Fris. l. 7. c. 17. p. 148. & lib. de gest. Frider. c. 16. sqq. p. 415. sqq. Gesta Trevirens. ap. Leibn. t. 76. p. 222 sqq.

Comitia Goslariensia. *Schat. l. 8. annal. A. Paderb. p. 720. part. 1. Mader. p. 227. antiq. Brunsv. qv. Mader. hardus Paderbornensis, Udo Citicensis; * Mader. Scrib. * * Siverdus.*

* * *Mader. Somerischenberg.*

*** Mader. Hermannus.

Hermandt *** Landgravius, *Conradus* Marchio *Adelbertus* Marchio, comes *Sifridus* de Homborg, *Udo*, *Ludevvicus*, *Conradus* de Plötzke, *Burcardus* de Lucca, *Burcardus* de Werdere, *Albertus* de Wernigerod, *Ludolfus* de Valckenstidde, *Henricus* Wiperti, *Vitekindus* de Svalenberg, *Burcardus* de Cunradesberge aliique plures. qui in isto diplomate occurrunt *Dato id. Junii anno incarnationis dominicæ 1129. Indict. VII. anno II. regni Lotharii III. Romanorum regis IV. Goslariæ.* Nemo equidem veterum, quantum novi, horum comitiorum injecit mentionem, ut adeo cum ignarissimis, quid tunc in illis actum sit, sciamus: non tamen est dubium, quin præcipue sententias rogaverit Lotharius, quomodo consilia Conradi Svevi, qui ferocior indies reddetur, frangenda essent. Hoc tamen mihi constat, eodem mense Lotharium Goslariæ confirmasse commutatione aliquot bonorum, quam ecclesiæ SS. Simonis & Judæ & Richenbergensis inter se pactæ sunt. Qua de re testatur sequens inedi-tum adhuc diploma: quod ex ipso autographo accurate descriptum profero.

Lotharii confirmatio concambii inter ecclesiã SS. Sim. & Judæ & Richenbergensem.

IN nomine sancte & indiuiduç trinitatis. Lotarius dei fauente clementia tercius romanorũ rex invictissimus. *Quia regni mei administrationẽ deo gubernante dispensari cupio. & humilitatẽ meã scuto suę protectionis obumbrari exopto. ministerio ejꝰ oñes deuote insistentes uiscericꝰ caritatis amplectens. fideliter fouens. ob amorẽ suũ oñimodis semper consolationibꝰ subleuabo. Sit igitur notũ oñibꝰ Xpi fidelibꝰ. tam futuris. quã prẽsentibus. quod cum sententia mei consensꝰ Eilbertꝰ goslariensis ẽcclę prẽpositꝰ & Liudolfꝰ de VValetingeroth ejꝰdẽ ẽcclę aduocatus. Richenbergensi ẽcclę racione cõmutationis allodiũ quoddã. totã videlic& uillam Botingeroth cũ oñibꝰ utilitatibꝰ: ad eã pertinentibꝰ. agris scilic&. siluis. pratis. pascuis. aquis. aquarumve decursibꝰ. molendinis. & duos mansos in hanentorp impropriũ tradiderunt. ea uidelic& recompensatione. ut Gerhardus Richenbergensis prẽpositus. & hugolt ejꝰ aduocatꝰ. totũ prẽdiũ quod eadem ẽcclesia possederat in uilla. quę liventide dicitur. nouẽ scilic& mansos. cũ oñibꝰ utilitatibꝰ ad eos pertinentibꝰ. & dimidiũ molendinũ juxta eũ montem situ. qui herseberg * uocatur. nice cõmutationis suę ẽcclę in perpetuã proprietatẽ reponerent. Hujꝰ itaq; concambii actio in prẽsentia mea secundum petitionẽ utrioq; prẽdicti prẽpositi consumãta est. utroq; advocato astipulante. & robur firmitatis ejꝰ spondente. assistentibꝰ etiam nonnullis, quorũ nomina subter annotari uolui. Prẽterea prẽfatus Liudolfus de VValetingeroth tres mansos in huneringeroth. quos a munificentia regni mei jure beneficii habuerat, michi resignauit. ut eos sępe jam dictę richenbergensi ẽcclę & ejꝰ prẽpositꝰ cõmutationis institutione conferrẽ. pro quibus ab eodẽ prẽpositꝰ. & suo aduocato. legitimo concambio tres alios mansos in uilla quę Juthere uocatur recepi. quos rursũ eidem Liudolfo inpossessionẽ beneficii restitui. Ut igitur hęc concambia rationabiliter acta. a nullo unquã rescindi. aut annullari queant. priuilegii hujus conscriptione & sigilli mei impressione. ac regalis bañi confirmatione communiui. Nomina uero eorũ qui prẽsentes aderant sunt hęc. Liudolfꝰ filiꝰ Liudolfi de Waletingeroth & Ludgerꝰ frater ejꝰ. Eico de Sledem. & nichingus filius ejꝰ Roupertus de Haltesleue. Christianꝰ de Routenburg. Counradus de hagen. Eric de blanchenborg. Bernhard & Friderꝰ frater ejꝰ. Godefridꝰ de Vlechtorp. Friderꝰ de Bardevvic. Bejo de liuneburg. Liudolfus de dalem. Eipo de Brunesvvic. Cives goslarienses. Herizo. Gunterus. fratres Gerhardi prẽpositi. Tiderꝰ barbatꝰ.*

* Herzberg.

Signum domini Lotarii tercii romanorũ regis invictissimi.

Dhietmarꝰ notariꝰ regis uice Adelberti maguntini archiepiscopi & archicancellarii recognoui.

Sigillum: † LOTHARIVS, DEI GRATIA, ROMANORVM. REX.

Data xv. Kal. JVLII. Indict. vii. anno incarnationis dominicę M.° C.° XXVIIII.° regnante Lotario tercio romanorũ regẽ, anno regni ejꝰ quarto, actum est Goslarię feliciter amen.

In

Elbertus Præpoſitus Goslarienſis.

In hoc diplomate, quod Richenbergenſis Conventus in ſuis locupletiſſimis tabulariis aſſervat, mentio fit *Elberti* Goslarienſis Præpoſiti, qui etiam in catalogis Hamerslebienſis monachi & Emſeri occurrit, & Numenſium Epiſcopus creatus dicitur. Sed quem Numenſem intelligant Epiſcopatum, nondum mihi licuit expiſcari. Ejus tamen mentionem etiam fieri video in Chronico eccleſiæ SS. Simonis & Judæ membranaceo, ubi male audit, quod reliquias aliquot ab Henrico Imperatore ſanctius in crypta collocatas inſpicere alibique locare non dubitaverit; qua de re ipſum placet audire hujus chronici compilatorem: *Collocavit etiam Henricus Imperator in altari crypte quasdam reliquias reverenter, quas poſtea Bnardus Hildens. Epiſcopus cum Elberto eccleſie prepoſito irreverenter videre & alibi locare voluit, quod ambo excecati fuerunt.* *

* Bernardum *Hildeſienſem Epiſcopum ſenio confectum oculorum uſu ſenſim privari cœpiſſe, autores fatentur.* Reutelius *ſane p. 88. Chron. Hild.* Bernardus (*inquit*) in ſenio tandem oculis fere privatus, nihil tamen de priſtino zelo, fide & vigilantia reniſit. *En igitur miracula fingendi pruritum! Cœcitatem nimirum Bernardi a ſenio profectam, ſtatim reliquiarum violationi tribuerunt, ut his rebus eo major conciliaretur reverentia.*

Nec minus memoria dignus eſt Ludolphus de Waletingerod, advocatus eccleſiæ SS. Simonis & Judæ illuſtri Comitum Woltingerodanorum familia oriundus, & multis apud Lotharium honoribus functus, ut autor eſt Leznerus, qui & familiam iſtam huic ſchemati incluſit:

Ludolphus de Waletingerod. Advocatus eccleſiæ SS. Sim. & Judæ. *Leznerus l. 3. c. 21. Chron. Hildeſ. MSC.*

Familia hujus Comitis e Leznero.

WOLTING. *Dynaſta Woltingerodanus*
Conj. Richſa *filia Erneſti Woldenbergenſis.*

Henricus.	Ludolphus I. *Canonic. Hildeſ.*	Burchardus. Conj. *nobilis Dorſtadiana*	Ludigerus.	Hojerus.
Mathilda *nupſit Ludolpho comiti Woldenbergenſi.*	Burchardus. *teſtis adducitur in diplomate Alberti Eberſteinenſis monaſterio Lambſpringenſi dato* 1162.	Hojerus. *ibidem occurrit teſtis.* 1154.	Ludolphus II. Luitgerus.	

Hi Henrico V. adfuerunt anno 1112, *poſtea interfuerunt comitiis Brunſvicenſibus* 1130. *& ſæpius teſtes laudantur in diplomatibus Lotharii, inprimis monaſterio Sigebergenſi conceſſis ao.* 1137. item 1129.

Ludolphus *obiit ἄωρως anno* 1167.

Luitgerus *occiſus* 1164. *inter Staufenburgum & Herzbergam, & ſepultus Poleda.*

Hæc eſt ſplendidiſſima iſta Woltingerodenſium familia, quæ olim diutiſſime in vicina arce Harlinsberg & præcipue in *caminata Woltingerodana* nobilitatis ſuæ ſedem habuit: quam tamen deinde aut ipſi Woltingerodani aut certe Woldenbergenſes comites his extinctis in egregium Ciſtertienſis familiæ monaſterium commutarunt, & ſequiori dederunt inhabitandum, ſub quibus hodienum in vicinia floret, priſtinumque retinet Woltingerodæ nomen. Cum autem Leznerus in condenda hac Genealogia nonnihil humani videatur paſſus, operæ pretium fuerit nonnulla addere, quæ dudum in diplomatibus obſervavi. Primo itaque dubito, an Ludolphus II. recte dicatur Burchardi filius, cum in diplomate noſtro aperte audiat *filius Ludolphi & Ludgeri frater:* deinde nec magis ferendum videtur, quod Ludolphum hunc ſine maſcula prole obiiſſe dicit. Vidi enim hujus Ludolphi literas, quarum partem hic infero:

Dubia nonnulla genealogica.

Nos *Gerhardus* Dei gratia montis S. Georgii Præpoſitus & *Ludolphus comes de Waletingerod* ejusdem eccleſiæ advocatus, nec non *Arnoldus* de Borchtorp vice advocatus ibidem &c. . . . . Teſtes vero coram quibus hæc diviſio facta eſt ſunt hi: *Ludolphus comes & filius ejus Ludolphus, Wernherus filius ſororis Dni Ludolphi, Bruniggus* filius *Tietmari, Bernardus* de Puggenſtide, *Ridagus* de Lochtene, *Wernherus* & *Luitgerus* frater ejus de Dornte, *Robertus* de Dortunæ, *Lodevvigus* & *Witego, Hartmannus* & *Wichelo*, Villicus Epiſcopi, omnes hi de Oſtfridesheim, *Lodevvigus* Villicus Epiſcopi de Heriggen. Iſti & alii quam plures cum univerſis utriusque villæ compagenſibus. Anno incarnationis dominicæ milleſimo centeſimo quadrigeſimo ſecundo. Indict. IIII. II. Kal. Julii. Actum *Goslariæ* feliciter.

Ex his literis patet non ſolum quod *Ludolphus*

phus præter Goslariensem etiam montis S. Georgii advocatiam gesserit, verum etiam quod filium sibi genuerit cognominem. Denique Adelhogi literæ in eodem monasterio occurrunt, in quibus anno MCLXXII adhuc testes se offerunt *Ludolphus advocatus ecclesiæ S. Georgii & Borchardus frater ejus*, ex quibus sequitur & fratrem huic *Ludolpho* tribuendum *Borchardum*, nec non anno MCLXXVIII in ejusdem Adelhogi literis mentio fit nonsolum *Ludolphi & Borchardi fratris, sed & Luitgeri filii Ludolphi.* Unde licebit Lezneri catalogum ita in ordinem redigere:

WOLTING *Dynasta*
Woltingerodanus.

Helmdagus 940. fil. Widechindi monachus Groeningensis. (*) * *Paulin. Chron. Otberg.* p. 200.

Heinricus.	Luidgerus.	Ludolphus. 1130.	Hojerus.	Burchardus.
Mathilda.	Burchardus, 1154.	Hojerus *quem testem laudari etiam video in diplomate Henrici ducis Saxoniæ Richenbergensibus dato 1154. ubi vocatur Hagerus.*	Ludolphus. *advocatus Goslariensis ecclesiæ & Monasterii montis S. Georgii, sæpius cum fratre Luidgero testis occurrit in diplomatibus Lotharii obiit ao. 1153. teste Chron. Stederburg. p. 454. reliquit filios*	Luidgerus. 1130

Hoyerum 1180. 1185 1188. *vid. Lindenbrog. priv. Hamb. p. 168.*	Ludolphum *ultimum forte suæ stirpis. Testis adducitur in binis Henrici Saxoniæ & Bavariæ Ducis literis Richenbergensi ecclesiæ concessis anno 1154. 1157. 1172.* In alio diplomate Henrici Leonis a *Lambecio in mantissa libri 2. Orig. Hamb. p. 79.* edito falso scribitur *Adolfus.*	Boz. sive Borchardum. *testis occurrit in a. 1172. 1178. 1180. 1188.*

Mathildis.
Abbatissa Gandersheimensis. Paulin. chron. Ottberg. p. 201. Syntagm.

Burchardus Canon. Hild. 1181.	LUIDGERUS ante patrem videtur obiisse

Sed hæc quidem de Ludolpho hoc sufficiant. De advocatia ecclesiæ SS Simonis & Judæ nos infra ex instituto plura differemus.

Lotharius Goslariæ egit. *Chronogr. Saxo p. 287.*

Ceterum sæpius hoc anno Lotharius Goslariæ videtur egisse, nam nisi fallit Saxo Chronographus etiam pascha Goslariæ festivis gaudiis peregit, unde patet, quantopere Imperatores illorum temporum hosce sylvarum amarint recessus.

Annus Christi 1130.

Lotharii II. Reg. 6.
Ab. V. C. 207.

Comitia Goslariensia. *Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 128.*

CIrca purificationis festum Lotharius Goslariæ celeberrima principum comitia egit, quibus interfuerunt *Norbertus* Magdeburgensis Archiepiscopus, *Udo* Citizensis, *Anselmus* Havelbergensis, *Bernardus* Hildesiensis, *Obertus* Cremonensis Episcopi, *Geraldus* & *Anselmus* Cardinales, *Albero* Abbas Neuenburgensis, *Henricus* dux Bavariæ & Saxoniæ *Fridericus* Comes Palatinus, *Conradus* Marchio Wetinensis, *Conradus* Marchio Ploetzkensis, *Ludovicus* comes Thuringiæ, *Florens* Comes Hollandiæ, *Ludolphus* Comes de Woltingerода, *Bernardus* Vicedominus Hildesiensis, *Wichekindus* Svalenbergiæ comes, quibus Meibomius addit *Arnoldum* Abbatem Bergensem. Quæ autem in tam frequenti principum conventu fuerint acta, tacentibus historicis ignoramus. Id sane constat, *Paulin.* ditissimam Abbatiam Alslebiensem in Salæ ripa, cum adjacente oppido Alslebia, quam Nortbertus ab Irmengarde Marchionissa suo ære coëmerat, ejusdem Nortberti rogatu a rege ecclesiæ Magdeburgensi fuisse junctam, qua de re confectas Lotharii tabulas allegant Buntingius Meibomius & Paulini. *Meibom. Chron. Bergens. p. 298. Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 327. Otberg. p. 201. Syntagm.*

Pentecosten Rex Quedlinburgi festivis gaudiis peregit, ubi simul contra Hermannum de Wincenburg, qui Burchardum de Luckenem, comitem Frisiæ, Lotharingii posique legatum nefarie occiderat, bellum decernitur. Nullus in vicinia nostra Comitatus opulentior, quam Wincenburgiorum erat, qui in altissima munitissimaque arce inter Aleveldiam & Gandersheimium nobilitatis suæ splendidissimam sedem habuerunt: & præter plurimos pagos etiam Alveldiæ *MSC.* Hermanni Winnenburg de Wincenburgii posque legatum nefarie occiderat, bellum nadecernitur. Nullus in vicinia nostra Comitatus opulentior, quam Wincenburgiorum *p. 471.* erat, qui in altissima munitissimaque arce *Lezner.* inter Aleveldiam & Gandersheimium no- *l. 3. cap. 3.* bilitatis suæ splendidissimam sedem habue- *Chron.* runt: & præter plurimos pagos etiam *Hild.*

Chron. Mont. Seren. p. 11. Chron. Gozecenſ. p. 235. Chron. Bigaug. p. 257. Engelhuſ. p. 223. Spangenb. Chron. Sax. c. 217 p. 365. Chronogr. Saxo p. 288. Mader. antiqv. Brun. p. 227. Meibom. p. 329. tom. 1. rer. Germ.

Alveldiæ civitati imperarunt, quibus etiam vulgo addunt Thuringiam; ſed qua fide eruditiſſimis Thuringorum hiſtoricis diſcutiendum relinquimus. Certe plurima ſunt autorum teſtimonia, quæ nobis tale quid perſvadent, & neſcio etiam, annon per *Hermannum Landgravium*, qui in Lotharii Diplomate anno 1129. apud Maderum occurrit, hic ipſe intelligatur Hermannus Wincenburgicus. Plures ſane eum poſſediſſe facultates in Thuringia, patet e Marci Wagneri Frimarienſis libello rariore, quem ita inſcripſit. Auszugk des vhralten / ritterlichen / adelichen Geſchlechts der Thangel aus den elteſten Authoribus, Codicibus, Monumentis, Fragmentis, Actis, Chronicis, Manualibus, Feldregiſtern / Grabſchrifften / Verträgen / urkundlichen Briefen und andern antiquitatibus, ſo viel derer in bibliothecis in Europa zu befinden / mit beſondern Fleiß in ordnung zuſammenbracht ꝛc. Jenæ 1582. 4. In hoc libello enarrato Hermanni hujus facinore, & arcis Wincenburgenſis excidio ita pergit laudatiſſimus auctor: Nachdem die Veſtung mit dem Sturm erobert iſt worden / hat man derer / ſo darinnen begriffen / zum teil mit dem Schwerd gerichtet / zum teil herauſſer' auff das gericht auff Reder legen laſſen / zum teil ins Elend verweiſet / und was für Lehngüter in Düringen man funden hat / ſind dem Landgraten Ludewigen / welcher Ludovici des Springeres Son geweſen vom Käyſer erblich mitgetheilet und gegeben worden. Weil aber Landgraf Ludwig ſo auch Lotharii Tochter Hertzogen zu Sachſen zur Ehe gehabt / geſtreng / auffrichtig / weis und mächtig ward / iſt er von Lothario mit der Landgrafſchafft Düringen belehnet worden / und mit 12. Graffen / ſo er zu Hoffgeſind hat brauchen ſollen / darunter auch haben ſeyn die gantze Ritterſchafft in Düringen / und ihm ſchweren und angeloben müſſen / wie es denn in allen Landen breuchlich / daß weñ ein neuer Regent antritt / beyde ober und unter ihm billig huldigen. Hæc Wagnerus, antiquitatum ſcientiſſimus, qui utinam ipſa monumenta, quibus uſus eſt nominaſſet, nihil forte hac de re dubium aut incertum reliquiſſet. Hoc autem certius eſt & a Meibomio probatum, quod Aslovienſes comites inde deſcenderint. Cum igitur hi comites ab antiquiſſimis usque temporibus libertate eſſent uſi, & poſtea neminem agnoſcerent ſuperiorem, quam Romanorum Imperatores & Reges, Riddagus, neſcio quo religionis fervore a Ludovico Pio impetravit, ut inveſtitura Comitatus ſui impoſterum ab Hildeſienſibus Epiſcopis dependeret. Mortuo vero ſine virili prole Riddago, Cuno frater ejus ægre ferens hanc mutationem, diu equidem repugnavit, ſed tamen neceſſitate coactus, demum acquievit, cujus exemplum deinde & poſteri ejus ſunt ſecuti. Verum interjecto tempore Dietericus Wincenburgicus, cum animadverteret Udonem Hildeſienſem Epiſcopum magnis turbis implicitum, omnibusque Saxoniæ principibus inviſum eſſe, litem hanc veterem renovavit, nec unquam eo potuit adduci, ut feudum ab Epiſcopo recognoſceret. Quo cognito Henricus Imperator id dederat operam, ne Udo Epiſcopus, quem adhuc ſibi admodum fidelem erat expertus hoc anteceſſorum ſuorum jure excideret, miſſoq; legato Dietricum monuit, ne legitimi ſui Epiſcopi imperio ſe ſubtraheret, alias fore, ut armis in ordinem cogatur. Dietricus autem, cui ſe in priſtinam libertatem vindicare erat animus, legationis juribus inſuper habitis, Cæſaris legatum gladio transverberavit. Unde a Moguntino Archiepiſcopo diris devotus & ab Henrico Imperatore proſcriptus, omnium odium incurrit, ac in Bavariam ſeceſſit; donec multorum interceſſionibus ea lege provinciis ſuis & eccleſiæ reſtitueretur, ut conderet monaſterium, & in poſterum Epiſcopum Hildeſienſem Dominum feudi agnoſceret. Sed litem pro tempore ſedatam denuo reſuſcitavit Hermannus Wincenburgius, cum quo ipſa familia expiravit. Hic enim cum potentia omnes majores ſuos anteiret; jura avita poſtliminio ſuæ ſtirpi reſtituere auſus eſt: cumque Lotharius Rex miſſo legato Burchardo de Luckenem amice eum ab inſtituto dehortaretur, ipſe in furorem converſus legatum nihil tale ſuſpicatum per ſuos interemit. Inde flammæ toti familiæ exitiales exarſerunt. Nam Lotharius collecto milite ſubito arcem Wincenburgum, in qua latebat Hermanus, aggreditur, & diuturna demum obſidione capit, ac funditus evertit, ipſumque Hermannum morti deſtinat. Principum tamen precibus mitigatus, mutato conſilio, Blanckenburgenſi comiti illum dat cuſtodiendum, donec principum ſuffragiis de illo feratur ſententia. Horum igitur judicio omnibus ditionibus ſuis exutus, & patria ejectus diutiſſime in exteris regionibus hæſit: mortuoque Lothario redux factus Homborgenſem hæreditatem adiit, & tandem anno MCL. Hartwici Bremenſis Archiepiſcopi opera comitatum recepit Wincenburgenſem. *Contractus* ea de re cum Epiſcopo Hildeſienſi factus his capitibus abſolvitur: ut Hermannus comitatum gentilem ab Epiſcopis Hildeſienſibus in feudum reciperet, ſuam hæreditatem Homburgenſem cum ducentis manſis ab Hildeſienſibus recognoſceret, utraque arx Wincenburgenſis & Homburgenſis Epiſcopo, quoties opus eſſet pateret, ad confirmandam quoque ſuperioritatem Epiſcopi Hermannus Epiſcopo arcem Homburg per unam noctem inhabitandam concederet, & ſequente die eam ab Epiſcopo in feudum reciperet, miniſtri comitis omnes Epiſcopo fidem jurarent, ipſeque comes Epiſcopo centum marcas purioris argenti

Cauſa ſupplicii.

numé-

numeraret. Hunc contractum VIII. Id. Maji anno dominicæ Inc. MCL. initum autographum vidit Leznerus, ex quo ob inſignem raritatem potiora excerpere placuit: quemadmodum & totam hanc narrationem eidem potiſſimum me debere profiteor; licet non ignorem, rem aliter ab aliis ſolere referri. Sed & eodem anno Hermannus in Conradi Cæſaris diplomate occurrit quod infra integrum apparebit, ex quo patet, eum ditionibus ſuis eſſe redditum. Inprimis autem ineptire videtur Engelhuſius, qui Hermannum Comitem occiſi Domini ſui Udonis marchionis pœnas dediſſe ſcribit. Sic ergo Hermannus ditionibus ſuis avitis reſtitutus quidem, divinæ tamen vindictæ paulopoſt luculentum dedit exemplum. Cum enim fracto conjugali fœdere miniſtri cujusdam ſui uxori abſente marito ſtuprum intuliſſet, ipſe cum conjuge ſua uterum gerente ab eodem equite in thoro eſt interfectus, nullo relicto dignioris ſexus hærede, ditionesque hæ ad Hildeſienſem Epiſcopatum redierunt. Partem familiæ jam dedit Meibomius, a quo tamen nonnihil diſcrepare videtur Leznerus, qui unum eundemque dicit Hermannum, qui Burchardum de Luckenem occidit, & qui ipſe ob ſtuprum nobili fœminæ illatum, occiſus eſt, cum Meibomius duos faciat. Placet integram Wincenburgenſium ſtirpem hic e Leznero dare additis tamen ſubinde, quæ ipſe paſſim obſervavi:

Lezn. l. c.

Engelhuſ. l. c.

Familia Wincenburgenſis.

Meibom. Chron. Mariens. p. 256. conf not. ad Leibecc. Chron. Schawenb. p. 529.

CVNO Comes de Wincenburg.

Richardus

In pugna Iburgenſi a Pipino Rege Francorum captus a. D. 752. ſuſcepta religione Chriſtiana liberatus a. 755.

Conjux. N. *e nobilitate Francorum.*

Bardo, *Caroli M. in aula educatus interfuit obſidioni Brunsbergi & comitatum Wincenburgenſem recipit, a. 779.*

Conj. Richardis e *nobilitate Francorum.*

Riddagus I. *unus conjuge ſua fundat monaſterium Lambſpringenſe & a Ludovico Pio Hildeſienſium Epiſcoporum vaſallus conſtituitur a. 838. Bunting. part. 1. Chr. Brunſv. p. 35.*

Conj. Himilda.

Richburgis *prima Abbatiſſa Lambſpringens.*

Cuno II.

Hermannus I. *obiit ἄπαις.*

Riddagus. II.
Conj. Adela *de Freden.*

Meinfriedus *ob. 899.*
Conj. Becca *de Wöldenb.*

Adolphus

Idda *nupſit Alberto Caſelburgenſi.*

Heinricus I. *interfuit prælio Martisburgens. nec non torneamentis Magdeburg. 937.*
Conj. N. *de Wunſtorff.*

Paterna *nupſit Hermanno Northeimenſi.*

Dietericus I. *obiit a. c. 987.* Conj. Adela *de Wunſtorff.*

Wipertus

Hermannus III, *Ob. 1039. ἄπαις.*

Dietricus II.

Henricus II.
Conj. Mathilda *de Gleichen.*

Hermannus II. *in Fl. Leina ſubmerſus a. 1001.*

Dietricus III, *occidit Henrici IV. Imp. legatum 1088.*
Conjux. Comitiſſa Machtildis Vtonis Hild. Ep. Soror. in Bavariam aliquandiu ſeceſſit.

* *

* Hermannus IV. *

Mechtilda *nupſit* wilhelmo *de Daſſel.*

Con radus de Wincenburch *obiit Alſel. de.* 1112. occurrit in literis Bernhardi Hild. Ep. 1147.

Vlricꝰ 1150

Theodoricus IV. *Canonicus deinde Epiſc. Monaſter.* 1116. *interfuit comitiis Brunſv.* 1130. *Hunc errore nominis Vrſpergens. Henricum Meibom. p. 256. Fridericum vocant.*

Ludolfus 1116

Heinricus *Asloviens. in literis Lamſpr.* 1117. *ſub nomine Heinonis. Interfuit torneamentis Gotting.* 1119. *legatus fuit in cauſa Adelberti Archiep. Brem. & Henrici ſuperbi* 1125. *obiit* 1127. *mature * & miſere.*

Hermannus V. *occidit Lotharii legatum* 1130. *proſcribitur & in exilium abit, reſtituitur tamen* 1150 *occiditur in bello* 1156.

Henricus de Aslo 1142. 1143.

Hermannus 1142. 1143. 1144

Conj. Lucardis de Stade.

Hermannus V.

Otto *cujus meminit Chron. Slavor. & mortis ſereni obiit* 1187. *Chron. Stederb.*

Cuno III *ante patrem obiit.*

Conj. Mathilda *de Leuchtringen.*

Mathilda *poſthuma in cœnob. Lambſpr. educata nupſit equiti cuidam* 1149. *cum marito una nocte obiit*

Anna *in cœnobio Lambſpr. educata nupſit Ludolpho de Pleſs,* 1178.

N. *Vxor Henrici Comitis de Svarzb. vid. Schlegel. de numis Blanckenburgens. lit. b. Hiſtor. Erpheſord. 6, 26.*

N. *Vxor Magni Burtzii Danorū Ducis mox marito luminibus orbato in Germaniam redux a famulo quodam naſo truncatur Pontan. l. 5. rer. Dan. p. 216.*

Hedwigis *monialis Gandersh.*

Hæc eſt illuſtris Wincenburgenſium familia, quæ olim diutiſſime & fortitudinis & divitiarum laude floruit. Sunt equidem multi, qui Daſſelenſes & Wincenburgicos eandem agnoviſſe proſapiam putant, ſed multis hanc fabulam refutavit Leznerus. Crediderim itaque non modo ſimilitudinem inſignium, quæ utrobique cornua cervina diverſis tamen coloribus præferunt, verum etiam nominum Aslovienſis & Daſſelenſis cognatam pronunciationem hunc errorem peperiſſe. Nam Aslovienſes ex Wincenburgica ſtirpe enatos ſupra, ubi de Henrico Aslovienſi Paderbornenſi Epiſcopo egimus, e Lindenbrogio & Meibomio eſt obſervatum.

Leznerus. Chron. Daſſel. l. 1. c. 7 p. 7. Eckſtorm. Chron. Walkenr. p. 309.

Idem annus, qui Wincenburgenſi familiæ ſatis funeſtus extitit, ſubtraxit etiam Hildeſienſibus Bertoldum Epiſcopum, cum ſuperiore anno Qvedlinburgi eccleſiam S. Servatii præſente Imperatore ſolenni dedicationis ritu conſecraſſet. Succeſſor ipſi datus eſt Bernardus Rotenburgenſis comes, eruditiſſimus & ſapientiſſimus, qui tanta reverentia ad Epiſcopatum acceſſit, ut nunquam ſine horrore infulam geſtaret. Unde Cranzio vir præſtans & Deo plenus audit. Diœceſin ſuam plurimis monaſteriis, principatum Wincenburgenſis Comitatus acceſſione auxit. Sed non eſt nunc nobis integrum ejus laudes accuratius penſitare, cum aliquoties ejus in ſequentibus mentio fiat.

Ep. Hild. MSC. c. 23. Bruſch. de Epiſc. c. 11. p. 1044.

Bernhardus Hildeſienſiū Epiſc. creatur. *Chron. mont. Ser. p. 10. & 11.*

Chron. Sax. p. 218 Reutel. p. 87. Cranz. l. 6 metr. c. 21. p. 154. Chron.

Annus Chriſti 1131.

Lotharii. II. Regis 7.

Ab. V. C. 208.

NAtalitiis Chriſti, vertente ſuperiore anno Gandersheimii celebratis, Lotharius ſub hujus auſpicium denuo Goslariam noſtram divertit, quod quidem mirum obſervatum eſt hujus ævi hiſtoricis. Teſtes tamen ſatis locupletes ſunt ternæ Lotharii literæ, quibus uno eodemque die Richenbergenſe monaſterium beavit. Primæ confirmant ea omnia, quæ Petrus Subdiaconus & Canonicus eccleſiæ SS. Simonis

Goslarię agens Richenbergenſi monaſterio benefacit. *Dodechin p. 471.*

monis & Judæ huic a ſe conditæ eccleſiæ dotis loco obtulerat: ſecundæ ipſum monaſterium in imperialem protectionem recipiunt. Tertiæ canonicis iſtius eccleſiæ concedunt jus patronatus, quod vocant, in Gerſtede, & poteſtatem inveſtigandi metalla, & quævis alia mineralia. Stylus horum diplomatum idem ubique apparet. Placet ergo unum tantum ex ipso autographo huc adſcribere, cum, quæ in ceteris continentur, in hoc pleraque repetita obſervem:

IN nomine ſcę & individuę trinitatis Lotarius diuina fauente clementia tercius romanorum rex invictiſſimus. *Collatã nobis a dño temporalis regni adminiſtrationẽ per manũ nrãm proſpere diſpenſari poſſe credim9. ſi ęterni regni deſiderio ęccliis dei pacis ſimul & utilitatis ſolatio ſubſidiari ſtuduerim9. Unde notũ eſſe uolum9 cunctis Xpi fidelib9. tam futuris quã preſentib9. quod petente dilecto ac fideliſſimo ñro Gerhardo richenbergenſi prępoſito & advocato ejus hugolto. aliisq; ej9dem ęcclę fidelib9 deuote flagitantib9. ipſã ęcclam uidelic& richenbergenſem ſcę Marię perpetuę uirginis honori conſecratã in nrãm protectionẽ ſpeciali dilectione ac tuitione conſouendã. propter amorẽ & uenerationẽ ejusdẽ glorioſę genitricis dei ſuſcepim9. & ei oblationẽ quam fidelis dei famul9 Petrus ſubdiacon9. & Scorum SYMONIS & JUDÆ canonic9 in goslaria. in die primę dedicationis ad rationẽ dotis obtulit. tam pro ſe quã pro matre ſua, quę preſens aſtitit. & conſenſu ſuo bonũop9 filii ſui confirmavit. nec non pro aĩa patris ſui ſimulque pro oñib9 cognatis ſuis. uiuis & defunctis. totã ſcilic& uillã bemingerod. cuj9 termini ſunt pal9 quę adiacet uillę botingerod. & publica uia quę de goslaria ducit Hildenesbeim quę jure patrimonii ad eũ pertinuit. cum oñib9 utilitatib9 ad eã pertinentib9. mancipiis. ędificiis. areis. agris. pratis. paſcuis. ſiluis. aquarumve decurſib9. piſcationib9. molendinorũ locis. & quinq; manſos in loco qui ſtapelen dicitur. cũ ſiluis. pratis. paſcuis. ad eos pertinentib9. nec non in gerſtide manſum & dimidiũ perpetua ſtabilitate confirmam9. Poſſidet autẽ preſata ęccla prędia in his locis. in bemigerod. in botiggerod. in ſtapelen. in himeriggerod. in hanendborp. in goslaria in gerſtide. in bredenheim. in Thorniten. in Thornithehuſen in emeleriggerod. in Nawn. in laggenize. in badenhuſen. in hagehuſen. in waldenhuſen. in pokkenhuſen. in osdageshuſen. in buckeneim. in bultheim tres manſos cũ oñi ac pleno jure. in maledem. in ſilegem. in diureshuſen. in ebbiggerod. in kantiggerod. in ſelede duos manſos cũ oñi ac pleno jure. in herre. in walmoden. in ſleden. molendinũ ſitũ juxta fluuiũ qui Oukare dicitur. in machtereſcheim. in bedigge. in lieuerikestorp. in grauestorp. montem quoque noertberch preſatę ęcclę contigũ. cuj9 termini ſunt a riuulo ſcobike. usq; ad riuum qui grana dicitur. quem tam ab ęccla goslarienſi, quã a principib9. cęterisq; compromincialib9. partim concambio. partim coemptione conquiſiuit. Pręterea quęcumq; mobiliũ ſeu immobiliũ rerũ liberalitate regũ conceſſione pontificũ. largitione principũ. oblatione fideliũ. ſeu legitima coemptione. uel coñutatione aliisue quibuscumq; juſtis modis modo poſſidet. uel in poſterũ rationabiliter acquiſierit. regalis banni coñunim9 confirmatione. & ne qua ęcclęſtica ſecularisue perſona ſuper biis ſeu aliis ubicumq; ſitis poſſeſſionibus aufferendo. minuendo. impediendo. fratres in ſupradicta richenbergenſi ęccla deo ſeruientes perturbare. aut ulla penit9 importunitate moleſtare preſumat. juſſim9 hanc paginã inde conſcribi. & ſigilli ñri impreſſione conſignari. Hujus actionis teſtes ſunt hii. Liudolfus fili9 Liudolfi de Waietingeroth. & Liudeger9 frater ej9. Eiko de Sledem. & Nithing9 fili9 ej9. Roupert9 de haltesleue. Chriſtan9 de Rodenburch. Conrad9 de hagen. Vit de blanchenbourg. Bernhart & frater ei9 Frederic9. Godefrid9 de Vlechtorp. Frederic9 de bardewich. Bejo de lunenburch. Ludolfus de dalem. Eppo de Brunes-*

wie. Ciues goslarienſes. herizo. guntherus. fratres Gerhardi prepoſiti. Tiderico barbato. Lanco. Reinoldo.

Signum domni Lotarii tercii romanorũ regis inuictiſſimi.



Thietmaro notario regis uice Adelberti maguntini archiepi & archicancellarii recognoui.

Data Goslarię VII. IDUS Februarii Indict. IX. anno dnicę incarnat. M.° C.° XXXI.°. regnante Lotario tercio romanorum rege. anno regni ejo VII.° in dei nomine feliciter amen.

Nævi quidam Buntingiani.

Ejusdem notæ cetera quoque ſunt hac die data Lotharii diplomata, niſi quod in uno eorum teſtis occurrit etiam Poppo de Blanchenburg. Verba quoque ubique fere eadem ſunt, niſi quod tertio adjicitur conceſſio libertatis inquirendi metalla, quam ad confirmanda ea, quæ ſupra diſſeruimus hic adjiciendam putavi:

Lotharii Richenb permittit mineralia fodere.

Adjicimus præterea, ſi ſuccedente tempore in ſylvis, montibus, campis, ſive locis aliis eidem eccleſiæ appropriantibus mineram aliquam cujuscunque etiam metalli reperiri contigerit, proprietatem illius totam a nullo etiam homine decimandam ipſi eccleſiæ Richenbergenſi & fratribus inibi Deo ſervientibus pro veneratione gloriosæ virginis Mariæ in cujus honorem dicta eccleſia fundata eſt & conſecrata, & pro remedio animæ noſtræ regali munificentia liberaliter elargimur &c.

Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 128.

Ceterum ex his diplomatibus multis locis corrigi poterit Buntingius, qui ſæpiuscule in nominibus fallit. Brunſvicenſibus enim comitiis ſuperiore anno inter alios dicit interfuiſſe Ludolphum Woltingerodanum cum filiis Ludolpho & Ludgero, ſed ex his diplomatibus patet Ludgerum non filium hujus Ludolphi ſed fratem fuiſſe. Porro Ecckonis Slademenſis comitis filium vocat Neideck, qui rectius hic appellatur Nichingus. Forte etiam Didericus de Badendicke cujus meminit, non eſt alius, ac Fridericus de Bardewic, qui in his literis occurrit. Quod hic ὡς ἐν παρόδῳ notandum exiſtimavi.

Synodus Leodienſis.

Baron. ad ann. 1131. n. 7. p. 218. Tom. XII. Otto Friſ. l. 7. c. 15. p. 149. Chron. montis

Goslaria Imperator Leodium diſceſſit, ubi XI. Calend. Aprilis Innocentium Papam cum innumeris fere imperii proceribus honorifice excepit. Dici non poteſt, in quam ſervitutem ſe Rex demiſerit. Pontifici enim alba equa vecto ipſe pedibus obviá procedens altera manu frenum prehendit, altera virgam tenet ad incitandam equam. Deſcendenti deinde Papæ ſtapetes tenuit; eumq; magna veneratione veluti manibus levavit in ſolium. Hic ergo primus Imperatorum, quem non armis, ſed fictis beneficiis pontifices ſibi ſubjicere auſi ſunt. Innocentius itaque, ne ſcilicet plane habiti ſibi honoris videretur immemor, Lothario ejusque conjugi in conſeſſu XXXII. Epiſcoporum & LXXIII Abbatum coronam impoſuit. Sequente quadrageſimali jejunio in congreſſu omnium qui aderant ſacerdotum, Synodus habita eſt, in qua Anacletus Antipapa diris devovetur, clericorum connubia prohibentur, Otto Halberſtadienſis Epiſcopus, cui Honorius papa ſacerdotium abrogaverat, * reſtituitur, Godehardus quoque Hildeſienſis Præſul Sanctus deſignatur. Sed & Lotharius Pontificem extorrem ope ſua indigere animadvertens, palam cœpit commemorare, in quam indigentiam Imperatores Epiſcopalis inveſtituræ jactura conjecerit, quamobrem omnino videri neceſſarium, ut quantocyus hæc jura reſtituantur, quibus jam inde ab imperii Germanici auſpiciis majores eſſent uſi. Dici non poteſt, quam hæc poſtulatio Romanorum animos turbaverit. Deprehendebant enim, jam uno momento ſe inveſtituræ juribus excidere, quæ tot annorum cruentis bellis ſibi vindicaſſent. Hinc tergiverſari cœperant, & diſceſſum parare, cum ſeſe objiceret S. Bernhardus, qui tum & ſanctitatis & prudentiæ fama totam Galliam Germaniamque impleverat. Hic enim longa oratione facile perſvaſit Lothario, ne litem tanto eccleſiæ detrimento diutius protractam & vix extinctam denuo e cineribus reſuſcitare auderet. Quibus Bernhardi verbis permotus, aut, ut rectius dicam, novarum turbarum metu deterritus Lotharius tempori demum ceſſit, contentus pontificem ſaltem de raptu indigniſſimo a ſe admonitum. Rem præter Ottonem Friſingenſem & Abbatem Urſpergenſem optime retulit Autor vitæ S. Bernhardi: *Soluto concilio Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit. Et honorifice quidem ſuſceptus eſt: ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importune Rex reſtitit, tempus habere ſe reputans oportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ejus prædeceſſore Heinrico per maximos*

Seren. p. 12. Ad. Stader. p. 265. Chron. Bigang. p. 258. Chron. magn. Belg. ap. Piſtor. t. Vit. S. Bern. l. 2. c. 1. Petr. Diacon. Chron. Caſin. l. 4 c. 99. Dodech. p. 471. Concil. tom. 10. p. 987. Pallat. tom. 2. geſt. Pont. p. 518. ſqq.

* *Bulla Honorii eſt apud Winninſtad. Chron. MSC. Ep. Halberſtadienſ. Epiſc. XVI Petr. Diac. l. 4. c. 99. Chron. Caſinenſ. Otto Friſ. l. 7. c. 18. Abb. Vſp. p. 277 Anivita S. Bernhardi l. 2. c. 9.*

maximos quidem labores & multa pericula Romanaeccleſia vendicarat. Ad quod verbum expavere & expalluere Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum effendiſſe quam declinaverant Rome. Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit Sanctus Abbas (Bernhardus) *Audacter enim reſiſtens Regi verbum malignum, mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.* Prolixe quoque rem refert fragmentum ab illuſtri Leibnitio inter Acceſſiones hiſtoricas vulgatum, in quo etiam illuſtriſſimorum canonicorum, qui tunc Leodienſem eccleſiam frequentabant, catalogus texitur. Sed præterea quod annus falſo aſſignatur MCXLIII. plurimi quoque ibi recenſentur principum filii, qui nunquam extitere, ut ipſe notat illuſtr. Leibnitius.

Leibn. T. I. p. Acceſſ.

Finita Leodienſi Synodo & Innocentio cum Bernardo ad Clarevallenſe monaſterium digreſſo Lotharius ad celebrandam reſurrectionis Chriſti ſolennitatem cum Matthæo Apoſtolico legato aliisque principibus Treverim conceſſit; ibique coortas de novo Archiepiſcopo turbas ſedare annisus eſt. Quod anonymus autor de geſtis Treverorum ita prodidit memoriæ: *Pulſus ergo Roma Gallias Innocentius petiit, ubi cum legati Treverorum adeuntes, ut electionem ſuam firmare & proficere non differret, poſtulabant. Quibus ipſe reſpondit, ut alium ad hoc idoneum, quem vellent, eligerent. Nam Brunonem nec ipſi nec alterius eccleſiæ filii Epiſcopum habere potuiſſent. Hoc reſponſum apud Leodium in* XLma *acceperunt. Sequenti paſcha cum Rex Lotharius omnesque principes Treverorum Treberi convenisſent, pars Cleri N. alii Adelberonem eligebant, principes tamen & populus acriter repugnabant, qua diſſenſione per continuum annum pertracta tandem juſſu apoſtolico & imperio regali ſedata, altero paſcha inthronizatus eſt Adelbero. Anno Dominicæ incarnationis* MCXXXII.

Geſta Treverorum 2. ap. Leibn. p. 124.

Lotharius cum aliis Saxoniæ Epiſcopis comitatus adhuc fuerat etiam Bernardus præſul Hildeſienſis, qui in ſynodo Leodienſi B. Godehardi conſecrationem ſollicite egerat. Verum ſub menſem Junium in diœceſin ſuam redilt, & ſalutatis in vicinia monaſteriis, Goslariæ quoque præſens, idem officium præſtitit Monti S. Georgii, cujus jura omnia ipſe luculento diplomate confirmavit.

Bernhardus Hildeſienſ. Ep. Goslariæ agit.

Teſtes fuerunt hi Canonici Hildesheimenſes: *Bruno* Scholaſticus, *Tidericus* Diaconus, *Gerardus* Præpoſitus Richenbergenſis & eccleſiæ S. Georgii: *Guntherus* presbyter, Decanus ejusdem eccleſiæ. Cives Goslarienſes: *Herezo*, *Hizelo*, *Acco* de Canteleſen & alii quamplures. Anno Dominicæ Incarnationis M°C°XXXI°. Indict. VIII. Anno II. Pontificatus mei II. Idus Junii. Actum *Goslariæ* in eccleſia S. Georgii Martyris feliciter *Amen*.

Præpoſiti Montis S. Georgii.

Cum videam hic mentionem fieri Gerardi præpoſiti Montis S. Georgii, non incongruum videtur, integrum hic ſuppeditare eorum Catalogum, qui hoc & ſequentibus ſeculis iſti celeberrimo monaſterio cum laude præfuerunt, ab ipſo Rev. Dno. Bernardo

Curiæ Griſonum præpoſito digniſſimo, & antiquitatum ſcientiſſimo ex diplomatibus excerptum: & a me quibusdam locis auctum:

Pilegrinus.
Egelbertus
Gerardus 1130.
Benno. 1133. usque 1155.
Conradus *de Homburg*. 1172. 1181.
Witekindus. 1190.
Eggehardus. 1191. 1194.
Burchardus. 1204.
Henricus. 1233.
Hermannus. 1237.
Reinaldus. 1245.
Hermannus *de Hildenſem*. 1259. 1270.
Bertholdus. 1275. 1281.
VVitekindus. 1292. 1293.
Hermannus. 1301. 1304.
Burchardus. 1304.
Conradus. 1334.
Johannes. 1342.
Anno. 1349.
Johannes Præpoſ. Dei gratia Canonicorum regularium eccleſiæ Montis S. Georgii prope muros Goslariæ. 1350.
VVitekindus. 1366. (1355. 1364.
Arnoldus. 1391.
Hermannus. 1403. 1420.
VVilhelmus *de Ahuſen*. 1446.
Johannes *Witte*. 1460.
Conradus *Engelhardus*. 1468. ſq.
Rudolphus *Becker*. 1487.
Hermannus. 1493.
Theodoricus *Wilken*. 1505.
Henningus *Pannenſchmidt*. 1512.
Cosmus *Hartmann*. 1522.
Joachimus *Hæger*. 1553.
Erasmus *Stapenbach*. 1556.

Curiæ Griſonum poſt recuperatam ab Epiſcopis diœceſin

Conradus *Gotten*. 1644.
Liborius *Hennepöle*. 1659.

BERNHARDUS GOEKEN.

Huic catalogo quatuor diverſa ſubjicio hujus eccleſiæ ſigilla, notatu digniſſima, nec adeo hic prætereunda. Primum eſt ipſius monaſterii, ſiſtitq; in ſuperiori parte templum magnificum, quinque turribus ornatum: in inferiore equitem cataphractum cum dracone pugnantem, cum perigraphe † S. ECCLESIE, SCI. GEORGII APUT. GOSLARIAM. Egregie hoc ſigillum illuſtrat illa, quæ Leznerus de hac eccleſia refert: Alte und wolbewanderte leute geben mit beſtande den bericht / daß in dieſen landen keine zierlicher Kirch / als die ſo auf dem Georgensberge vor Goßlar geſtanden / ſoll geweſen ſeyn. Wie das auch aus den Abriß zum Grawen Hofe / ſo daſelbſt noch vorhanden / klärlich zu erſehen iſt. Sie ſoll fünff zierliche Thürmer /

Sigilla Montis S. Georgii. *Tab. III. Fig. 1.*

Lezn. l. 2. chron. Hildeſ. MSC. c. 33

mer/ und zwene Chor übereinander gehabt haben/ so sollen auch in der obern Kirchen 18. und in dero untern Kirch 18. zierliche schöne und wohlbereitete Altaria gehabt haben/ sonderlich sollen dieselben alle mit schönen vergüldeten Taffeln besetzt gewesen seyn. Secundum, tertium & quartum sigilla S. Georgium sistunt, diverso habitu situque. Atque istud quidem stantem paludamento indutum, dextra vexillo draconi insultantem, sinistra tenentem scutum aquila exornatum, cum perigraphe † S. PPI MO- *Tab. III. Fig. 2.* TIS. SCI. GEORGII. APVT. GOSLARIAM. Ejusdem fere commatis est alterum paulo minus, nisi quod S. Georgius in illo *Tab. III. Fig. 3.* leo tectus in hoc nudo capite apparet, vexilli loco hastam vibrans in draconem Epigraphe: † S. PPOSITI. MO TIS. SCI. GEORGII. APVD. GOSLARIAM. Non dicam jam de raro S. Georgii schemate in his sigillis obvio. Vix enim alibi hunc symbolicum sanctum aut stantem aut vexilliterum reperies. De aquila modo conjecturam meam proferam. Quamlibet fecerim sponsionem, ea notari hujus ecclesiæ originem. Sane enim gentilitium insigne S. Georgii non potest esse, nec ad monasterii insignia eam facile retuleris. Quamobrem tacite indicare videtur, monasterium S. Georgii ab Imperatoribus Romanorum fundatum exornatumque esse. Id quod facile mihi concedes, si quæ superiore libro de hujus monasterii originibus disputavi, relegeris. Ultimum licet ceteris minus, elegantia tamen reliqua facile superat. Quamobrem & illud non putavi omittendum. Notabis in illo S. Georgium equo generoso insidentem, hastaque cominus petentem draconem cum perigraphe: † sigillum prepositi montis sci Georgii. *Tab. III. Fig. 4.*

Richenbergense monasterium perficitur.

Nec minus Richenbergensis ecclesia hoc anno suis numeris absoluta efflorescere altius cœpit. Petrus enim Subdiaconus, Canonicus ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, cum incrementis hujus a se conditi monasterii pro virili sua parte promovendis daret operam: Circa hoc ipsum tempus Bernardum Episcopum Hildesiensem adiit, atque illo hoc impetravit diploma, quo ipsum monasterium in certum veluti ordinem redigitur:

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Bernardus *Dei Gratia sanctæ Hidenesheimensis Ecclesiæ Episcopus. sancti propositi vota non solum Episcopali debent patrocinio sublevari, sed etiam suffragio usque quaque corroborari. Notum igitur esse volumus, tam futuris quam præsentibus, quod fidelis Dei famulus* Petrus Goslariensis Ecclesiæ Subdiaconus *igne divini amoris accensus, Ecclesiam in honore sanctissimæ Dei Genitricis & perpetuæ virginis* Mariæ *in patrimonio suo in loco, qui* Richenberg *dictus est, ædificare desiderans cum* Elffero *venerabili præsbytero &* Elvehone *cognato suo Hildenesheimensis, Ecclesiæ fratrum conventum convenit, quatenus accepta ab Episcopali potestate, secundum Canonicæ institutionis rationem ædificandi licentia animi sui votum Ecclesiæ firmaret consilium. Congratulantes igitur universi Fratres, tam juniores, quam seniores, ipsius bonæ voluntati communi consensu hoc salubre dederunt consilium, ut eadem Ecclesia pro qua construenda consulti fuerant, hac forma institueretur, ut quicunque in ea ad serviendum Deo ejusque piæ Genitrici Mariæ congregarentur, secundum regulam Augustini, religioni communis vitæ subjacerent, atque in electione Præpositi, si quando is, qui loco & populo inibi coadunato præerat, vel mortis necessitate interveniente, vel alia qualibet de causa a Prælationis officio canonice amotus discederet, liberam eligendi haberent facultatem & non alius ibi nisi quem fratrum concors societas vel pars sanioris consilii in eodem claustro vel in eodem præposito quemcunque in Christo militantem elegerit substituatur. Si vero, (quod absit) in electione fratres inter se discordaverint, auctoritate Episcopali sanioris partis electio confirmaretur & adversæ partis præsumptio comprimeretur, & ut nulli fratrum; post exhibitam regulariter professionem sine licentia de præfato claustro liceret discedere, vel alium habitum assumere. Verum ut prædicta Ecclesia ab omni jure & Dominio ab omni læsione & molestia in perpetuum inconcussa & quieta persisteret, integra in suis rebus, suisque possessionibus in sæcula constans, nulla potestas imperialis vel regia, ecclesiastica vel sæcularis vel quævis hominum persona, cujuscunque sit sexus, vel conditionis vel pietatis, imperitando, dominando, perturbando eam molestare præsumeret. Sed Episcopus spirituali gubernatione & ecclesiastico regimine, canonice moderando disponeret.* De Advocato *vero eidem ecclesiæ substituendo communis consilii sententia provisum est, ut si in cognitione Domini* Petri *vir-*

tutis

tantæ ſtrenuitatis & induſtriæ reperiretur qui loco tutando & conſervando commodus haberetur, Advocatia ejusdem ſacri loci ob amorem & reverentiam Domini Petri *ejus fidei committeretur. Si autem res in contrarium relaberetur, liberum eſſet Præpoſito & fratribus ibidem pro tempore Deo ſervientibus alium idoneum in loco ejus ſubrogare & auctoritate Domini Epiſcopi id ipſum ſalubriter confirmare. Quoniam igitur hujus rei inſtitutum Hildenesheimenſis Eccleſiæ conſilio fideliter eſt inchoatum, & eadem admittente Deoque favente alacriter pro tempore conſummatum, non abs re viſum eſt, ut hujus formæ inſtitutio rata, inconcuſſa & irreciſa maneat, Epiſcopali Banno & ſigilli ejus impreſſione rem ſtabiliter roborare, petente hoc ſæpe jam dicto Domino* Petro *in generali Synodo a me in Monaſterio* Beatæ Mariæ *Hildenesheimenſi* II. *Idus Junii ſolemniter celebrata, & ordinem inchoationis, inſtitutionis & conſummationis ejusdem Eccleſiæ ſcriptis digeſtum propria manu dextræ meæ cunctis videntibus porrigente.*

Anno incarnationis Domini MCXXXI. Indictione IXna regnante Lothario Romanorum Rege, Anno vero Regni ejus VII. Aõ. vero Pontificatus mei II. *Anno etiam ejusdem inchoationis Richenbergenſis Eccleſiæ* actum eſt feliciter.

Ex his Bernhardi literis ſatis manifeſte patet cui ordini adſtricti ſint Richenbergenſes, Canonicorum nimirum Regularium S. Auguſtini, quem hodienum profitentur. Vnde miramur Leznerum Richenbergenſe monaſterium, Benedicti familiæ adſcribere, cui nunquam nomen dediſſe compertum eſt.

Leznerus Chron. Corb.

Deficiente jam propemodum anno hæ regiones novum accepere Sanctum Godehardum nimirum Hildeſienſem Epiſcopum, cujus Canonizatio, quam vocant, in Rhemenſi Synodo Nortberto Magdeburgenſi Archiepiſcopo & Bernardo Hildeſienſi Epiſcopo prenſantibus decreta eſt. Hinc cœlitum numero adſcriptus & in multis regionibus magna veneratione cultus eſt, adeo ut Bavari, Weſtphali, Saxones ad ejus tumulum quotannis magno numero confluerent, precibusque & oblationibus hunc Divum ſibi ſtuderent propitiare. Ut omittam jam eſſe nonnullos, qui Gothæ celebris Thuringiæ urbis nomen ab hoc Godehardo arceſſunt, quod ejus effigiem in inſignibus præferat; cum inſcriptione S. GOTHEHARDUS & in circulo: SIGILLVM CIVIVM IN GOTA, qnod tamen non tam etymologiam, quam Godehardi venerationem indicat, quæ etiam ex ſtatua S. Godehardi & monaſterio & Auguſtinianorum ibidem quod S. Godehardum tutelarem habuit, elucet.

Godehardus inter Sanctos relatus.

Concil. tom. 10. p. 979.

Tenzel. dial. menſtr. 1689. p. 745.

Anni Chriſti 1132. 1133.
Lotharii II. Reg. 8. 9. Imp. 1.
Ab. V. C. 209. 210.

Lotharii Cæſ. expeditionem

INeunte anno MCXXXII. Lotharius luſtrata Saxonia ad expeditionem Italicam ſe accingit, profugum ex urbe Innocentium reſtituturus, & Imperialem inde reportaturus coronam. Quamobrem Italicam ſervente æſtate iter aggreſſus, e Saxonia per Sveviam ducit exercitum. Sed moram ipſi objiciebat Auguſta Vindelicorum, cujus cives Regem in mœnibus ſuis degentem ſubito bello laceſſebant, unde urbs iſta accenſa & direpta magnum paſſa eſt detrimentum. Sedato tumultu Lotharius iter proſequebatur: verum conſilia ejus denuo Conradus Svevus eluſit, qui cognita Regis expeditione, relicta Italia, quam ſibi adhuc vindicaverat, per multas ambages in Germaniam regreſſus eſt. Hinc Lotharium dividere exercitum, & partem cisalpinis regionibus præſidio relinquere, partem ſecum retinere oportuit. Tandem multis laboribus moleſtiisque ſuperatis ſub exitum anni per Alpes in Italiam penetrávit, & natalitia Chriſti in villa, quam Medicinam vocant, celebravit.

Otto Friſ. l. 7. c. 18. p. 149.

Monaſterium D. Godehardi Hildeſiæ conditum.

Interea Godehardi nuper in Divorum numerum relati apud nos fervebat religio. Nam Bernardus Epiſcopus, poſtquam Papæ conſenſum impetraverat, hoc anno aperto ejus tumulo oſſa de terra levavit, magnoque populi concurſu publicæ venerationi expoſuit. Adjiciebantur etiam miracula, quibus adeo inclareſcere dicebantur ejus reliquiæ, ut integer de iis proſtet libellus, a Browero inter *illuſtria ſua Germaniæ ſidera* relatus. Tandem, ne tanti viri memoria unquam vileſceret, Bernardus Epiſcopus monaſterium novum Hildeſiæ molitus eſt, familiæque Benedictinorum inhabitandum dedit, cui tutelarem ac patronum aſſignavit S. Godehardum. Diploma Bernhardi, cum nunquam adhuc lucem aſpexerit e Lezneri ſchedis hic proferre minus dubitavi:

IN nomine ſanctę & individuę Trinitatis. BERNHARDUS *Dei gratia & Beatæ Mariæ Virginis dignatione ſanctæ Hildesheimenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Conditoris mei beneficiis juſtum eſt, me nullatenus ingratum exiſtere, quin imo honorificentiæ ejus per adminiſtrationis mei pontificalis officii eccleſias exſtruere, exſtructas vero ut divinis laudibus jugiter illuſtrentur, fideli ſollicitudine procurare. Unde notum facio univerſis Chriſti fidelibus, tam futuris quam præſentibus, qualiter pro animæ meæ remedio, communicato fratrum meorum conſilio, aliorumque Chriſti fidelium auxilio locum quendam extra murum civitatis noſtræ in auſtrali parte ſitum quarto præſulatus mei anno excolere cæpit, quem divino honori & S. Mariæ Virginis ac S. Godehardi Epiſcopi & Confeſſoris venerationi ſpecialiter articulavi. Qui videlicet locus cum adhærente ſibi ab aquilone prato a quodam noſtræ Eccleſiæ miniſteriali* Theodorico *nomine jure proprietatis antea poſſeſſus, mihi ab eo cum omnibus pertinentiis ſuis ad hoc ipſum aſſignatus eſt conſenſu hæredis ſui, filii ſcilicet* Theodorici, *impenſis ei viginti quatuor libris argenti, ſeptuaginta vero marcis pro molendino in eodem loco ſecus ripam Indiſtriæ poſito. Verum quia idem Deo dignus Confeſſor S. Godehardus, ante Pontificatum in Monachica profeſſione laudabiliter converſatus eſt, viſum eſt mihi valde competere ut in loco illi ſpeciatim dicato divinæ ſervitutis religio ſic ordinaretur, quatenus quicunque ibidem militaturi aggregarentur, ſecundum regulam S. Benedicti in Monachica ordinis profeſſione inſtituantur. Ea propter jactis in eodem loco templi fundamentis quasdam Religioſas Monachici ordinis perſonas ibi coadunavi, quibus etiam Abbatem præfeci nomine* Fridericum. *Hoc igitur meæ devotionis ſtudium Deo (ut ſperamus) mediante inchoatum ut ratum & inconcuſſum impoſterum permaneat, ejusdem Dei & Domini noſtri auctoritate & beati* Petri *principis Apoſtolorum ſanctiq;* Godehardi *Epiſcopi, ac noſtra divina vobis dignatione conceſſa poteſtate in perpetuum ſtabilimus & confirmamus, ſtatuentes ut nullo deinceps tempore vel locus ipſe a qualibet cujuscunque dignitatis perſona in alios uſus redigatur, vel alterius profeſſionis religio ibidem perpetuis temporibus irrefragibiliter obſervetur. Decernimus etiam ut defuncto ejusdem venerabilis loci Abbate, ſive ab officio prælationis quocunque juſta occaſione canonica amoto, fratres ejusdem Cœnobii liberam habeant facultatem ſecundum regulam S. Benedicti ad paternitatis honorem quamlibet idoneam eligendi perſonam de ſuis, ſi reperta fuerit, ſin autem ex alio quovis Monaſterio ſui ordinis ---- Sane quoniam eundem locum per interceſſionem beati* Godehardi *optato futuris temporibus incremento tum in divinæ ſervitutis laudabili amplificatione, quam etiam in poſſeſſione prædiorum ac decimarum omniumque rerum neceſſariarum proficere ſperavi, prædia Eccleſiæ jam collata, itemq; omnia quæcunque deinceps venerabilis locus conceſſione Pontificum, largitione principum ac oblatione fidelium ſeu aliis iſtis modis, Deo donante poterit adipiſci, præſentis paginæ teſtimonio communita, firma & illibata ſemper conſiſtere volumus, eorum qui ibidem in Dei famulatum aggregati fuerint, neceſſariis uſibus omnimodis profutura. Et quia Monachalis vitæ ſancta converſatio libertatem & vacationem a ſtrepitu curarum ſecularium exigit, in hoc quoque ſanctis Monachis providentes ſancimus, ut ipſi cum Abbate ſuo ab omni terreno ſervitio liberrimi, inoffenſe debita ordinis ſui quiete perfruantur, unde etiam ambitum curiæ totum in quo Eccleſia illa fundata conſiſtit, a jure & poteſtate advocati abſolventes, liberam ab omni ſeculari cujuscunque perſonæ ditione, ſed ſub manu Abbatis regendam conſiſtere volumus. Reliquorum vero prædiorum eccleſiaſticorum advocatum volumus, ut Abbas cum fratribus ſui conſilii maturioris eligat, eique illorum tuitionem pro ſalute animæ ſuæ injungat, non in beneficium, ſed tanquam commiſſum permanſurum, ſi patronus pius fuerit: ſin autem alii committendum, nec in poſteros cujuscunque beneficii more tranſiturum. Si qua igitur impoſterum eccleſiaſtica ſecularisve perſona his noſtris conſtitutionibus ullatenus contraire temptaverit, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, ſciat ſe anathematis gladio a ſanctæ Eccleſiæ communione ſegregatam di-*

vinæ

vinæ ultioni in perpetuum subjacere. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus ipsum quoque competenti honore ac necessariarum rerum subministratione consilio aut bona voluntate, vel etiam propriis laboris devotione promovere cupientibus, ipse Deus ac Dominus noster Iesus Christus suæ benedictionis gratiam largiatur: ac S. Mariæ Virginis, Sanctique Godehardi confessoris intercessione adjutos & protectione munitos æternæ beatitudinis gaudiis aggregare dignetur. &c.

Catalogus Abbatum hujus Monasterii.

Subjicio Abbatum catalogum, qui ex eo tempore monasterio huic præfuerunt, ex ejusdem Lezneri Chronico Hildesiensi adfecto: qui eum e multis monumentis magna industria conquisivit.

I. *Fridericus* Conventualis Fuldensis electus anno Chr. MCXXXVI. scholam in monasterio florentissimam aperuit, bibliothecam copiosam collegit & capellam S. Nicolai prope monasterium suum condidit, obiit in itinere Romano MCLV.

II. *Arnoldus* Conventualis monasterii S. Godehardi eodem anno electus, monasterium multis opibus locupletavit, luculenta privilegia ab Alexandro Papa anno MCLXXVIII Indict. II. VI. Kal. Febr. impetravit: nec non anno MCLX. Brunonem Hildesiensem Episcopum eo induxit, ut omnia Bernardi Episcopi beneficia confirmaret, his inter alia, verbis usus:

> Omnia etiam quæ piæ memoriæ prædecessor meus Bernhardus Episcopus eidem novellæ plantationi tam in ecclesiasticis, quam in secularibus rebus seu institutis contradidit, & privilegio suo dato firmat, ego inconcussa penitus & in omnia tempora rata permanere decerno. Quod si aliquis huic nostræ confirmationi violenter seu fraudulenter obviare attemptaverit, quod absit, dispereat de terra memoria ejus, & deleatur e libro viventium, nisi congrua satisfactione resipiscat. &c.

Obiit MCLXXXI. est sepultus prope altare S. crucis.

III. *Theodericus* Conventualis S. Godehardi eodem anno electus, obiit MCLXXXVIII.

IV. *Bruno* Conventualis S. Godehardi, obiit MCCIV.

V. *Henricus* Conventualis S. Godehardi eodem anno electus jus obtinuit, quotannis in capella S. Nicolai tempore quadragesimali Synodum convocandi, cui interesse tenebantur Plebanus cum suis, Molendinarius cum suis, & habitantes in loco Walke & in molendino & ædes sex proximæ capellæ S. Nicolai. obiit MCCVIII.

VI. *Volcardus* eodem anno electus in peregrinatione sacra Hierosolymitana obiit. MCCXIX.

VII. *Werenhardus* Conventualis S. Godehardi an. MCCXXVIII in Frisia periit.

VIII. *Ludolfus de Goltern* cum multis ædificiis monasterium ornasset obiit MCCXXXVIII pone altare S. Viti sepultus.

IX. *Hermannus* Conventualis S. Godehardi obiit MCCXII.

X. *Theodoricus* obiit MCCLXXXI.

XI. *Hildebrandus* multis prædiis suo ære coëmtis monasterium ditavit, , obiit MCCXCIII, coram altari S. Benedicti sepultus.

XII. *Eilhardus* anno MCCCXIII ab Henrico Episcopo omnium privilegiorum obtinuit confirmationem. Obiit MCCCXXII.

XIII. *Walterus* pretiosam mitram multis gemmis distinctam conficiendam curavit, cui hæc inscripsit:

Walterus mitram mihi præsul contulit istã.

obiit anno MCCCXXIX, & ad altare Benedicti reperit conditorium.

XIV. *Burchardus* obiit MCCCXLIV.

XV. *Walterus II. de Wetberge* post biennium obiit anno MCCCXLVI.

XVI. *Theodoricus de Harlsen* Hildesiensis, multa ecclesiæ suæ salubria constituit, confirmata ab Vrbano Papa. Obiit MCCCLV.

XVII. *Arnoldus II.* ob provectam ætatem insignia abbatiæ anno MCCCLXXIX. posuit.

XIIX. *Henricus Pepperſack* anno MCCCCXXX ex Abbatia S. Godehardi ad monasterium S. Michaëlis transiit, ubi simili honore per annum perfunctus obiit MCCCCXXXI. *Chron. S. Michaël. ap. Meibom. p. 523.*

XIX. *Henricus de Gotelheim* Conventualis & deinde præpositus Corbeiæ, insigni vultus & corporis dignitate, prudentia etiam subacta præditus, unde plurimis controversiis decidendis adhibitus est. Obiit MCCCCXXXIV, coram altari S. Viti sepultus.

XX. *Helmoldus de Westphal* Hannoveranus ab Alberto Imperatore anno MCCCCXXXIX d. x. Febr. impetravit literas, quibus monasterium hoc in Imperatoris & Imperii tutelam receptum est: munitionem quoque Hildesiensis urbis non parum promovit, obiit demum anno MCCCCLXI.

XXI. *Heinricus* Conventualis S. Ægidii Brunsvicensis, postea electus S. Michaëlis, sed a Cardinale Nicolao de Cusa depositus & Abbas S. Godehardi renunciatus, autor fuit ut monasterium reformaretur. Obiit MCCCCLXV.

XXII. *Lippoldus de Stemme* Conventualis Hujesburgensis postea S. Godehardi Abbas. A Paulo Pontifice obtinuit privilegium, quod κατ' ἐξοχὴν vocarunt *notabile*. Monasterio demum plurimis ædificiis auctо ipso electionis suæ die diem obiit supremum anno MCCCCLXXIII.

XXIII. *Bertramus Bredenbek* Conventualis S. Godehardi obiit MCCCCXCIII.

XXIV. *Henningus* Conventualis S. Godehardi, cum monasterium suum multis oneribus pressum pristinæ libertati restituisset,

tuiſſet, obiit demum anno MDXXXIII. Ferunt tunc quendam, qui huic monaſterio multis modis fuerat moleſtus, morti jam proximum, multisque e morbo cruciatibus afflictum exclamaſſe:

O Bernarde o Bernarde

Du greiffſt mich an viel zu harte!

nec prius placida morte obiiſſe, quam ab hoc Abbate abſolutionem impetrarit: Sed fabulæ ſunt ſeculum olentes.

XXV. *Vdalricus Mollerus* vir ultra ſeculum doctus obiit MDLV.

XXVI. *Albertus Duven* obiit MDLXV.

XXVII. *Hermannus Dunkhuſen* Bockemenſis, quicquid hujus ſeculi erat reliqvum in dignitate hac exegit. Ex quo tempore, qui præfuerunt huic monaſterio, huc non videtur ſpectare.

Prolixior equidem eſt hæc de monaſterio S. Godehardi digreſſio, ſed tamen, ut ſpero, minus ingrata Lectori futura, ob inſignem hujus cœnobii celebritatem, & Bernhardi fundatoris ſingularem in ſacra ædificia propenſionem, quæ ex innumeris fere ejus literis elucet. Nam Richenbergenſe quoque monaſterium hoc anno illius expertum eſt clementiam. Cum enim *Hanendorp* ad hanc eccleſiam ſpectaret, Gerhardus præpoſitus obtinuit ab Epiſcopo, ut ſibi eccleſiam ibidem ædificare, & parochialibus qui adhuc Thorntenſem eccleſiam frequentaverant propria parochia uti liceret. Quid? quod ipſe Bernhardus perfectam jam eccleſiam hoc anno conſecravit, dato in rei memoriam hoc diplomate, ex autographo deſcripto: Eccleſia Hanendorpienſis initia.

IN nomine ſcę & individuę trinitatis. Bernardus di gratia Hildenesheimenſis eps. Notum facimus cunctis fidelibus tam futuris quam preſentib9. quod uenerabilis Gerhard9 Richenbergenſis prępoſit9 creditã ſibi ęccleam in Richenberch in oñi honore & religione decenter promouere. & ab oñi inuaſione tam extrinſecus quã intrinſec9 fideliter coñunire deſiderantes. licentiã a me expetiit. ut in quodã prędio prędictę richenbergenſis ęccleſię in pago qui Hannentorp dicitur ęccliam conſtruendi. haberet poteſtatẽ. aſſerens huj9 rei effectũ in tutelã prędiorũ ęcclię in Richenberch eidẽ pago circumiacentiũ uſq; quaq; profuturũ. Conſiderans igitur ego epiſcopali ſollicitudini omnimodis competere. ęcclas non ſolũ ędificare. ſed etiã ędificatis neceſſarię defenſionis patrocinia prouidere. petitam ędificandi licentiã libenter indulſi. conſtructamq; in hannentorp ęcclam ſimul cum adjacenti cimiterio ęccleſiaſtico more dedicaui. interfuerunt ſane eidẽm dedicationi Arnold9 de thornthunnen & frater ei9 Luideger9 cum ſuis conciuib9. qui pertinaciter affirmabant, ciues de hannenthorp ſuę ęclę in thornthunne juſtę ſubjectionis debitores exiſtere. Verũ ego pręſenti quęſtione inter utrosq; cives diligenter uentilata. certiſſime comperi. prędictos cives de hannentorp ęclę in Heriggen parochianos ſemper fuiſſe. nec unquã ab eodem debito canonice abſolutos. igitur epiſcopali eos auctoritate a ſubjectione ęclę in thornthune in perpetuũ liberrimos judicavi. atq; ut debitũ ſuũ ęclę in heriggen perſoluerent fideliter mandare curaui. Cęterũ prędict9 uenerabilis Gerhardus prępoſit9 exegit a me. ut ejusdem ciuib9 graciã baptizandi & ſepeliendi ibidẽ. id eſt in hannenthorp habere concederem. Viſum igitur mihi fideliſſimi amici precib9 annuere. ſimulq; oñib9 qui aderant conſentientib9. quod petebatur conceſſi. pro quo ſtatim dimidiũ manſũ in hannenthorp quo eandẽ ęcclam ipſo die dotauerã inproprietatẽ ęcclę in Heriggen contuli. quatenus utilitas inde proueniens pro debito ej9dem populi concambii uice fieret ſupplementum. aſtipulante domino Brunone archipresbytero. ad cui9 curam eadem parochia pertinebat. & pręſentis pactionis perpetuã ſtabilitatẽ ſpondente ſub teſtib9. qui pręſentes fuerunt. & huj9 rei ordinem uiderunt & audierunt. quorum nomina ſubter ſunt notata. Ne vero prędictos ciues in hannenthorp ſuper hac re quiſpiã deinceps inquietare. moleſtare. perturbare pręſumat. banni mei auctoritate pręſentis paginę conſcriptione ac ſigilli mei impreſſione eos in perpetuum coñuniui. Teſtes fuerunt hii. Gerhardus prępoſit9 richenbergenſis ęcclę. Rudolfus & Heinric9 presbyteri. Germar9 diacon9. Thieppolt9 presbyter goslarieñ. Benno presbyter de heriggen.

Laici liberi. Aſcholf9. & Helmold9. Cono de hottenen. & frater ei9 Witikind9. Theodoric9 fili9 hugoldi aduocatus richenbergenſis. Miniſteriales Ecwerdus & frater ej9 Walter9 de Toſſem. Bernhard9 camera-

merari9. arnold9 capellarius. cives de Hannenthorp. & cives de thornthunen & alii complures.

Anno dni M°.C°.XXXIII°. indict. XI^a Nonas Novembris actum feliciter amen.

Annus Christi 1134.

Lotharii II. Reg. 10. *imp.*2.

Ab. V. C. 211.

Lotharii coronatio. *Otto Frisi. l.7 c.18. p.149.*

LOtharius imperator, qui adhuc in Italia stabiliendi Innocentii pontificis causa egerat, jam superiore anno redierat in Germaniam, Augusta dignitate coronaque auctus, in qua tamen suscipienda majestatis suæ parum memor videtur fuisse, si vera præfert pictura, quæ vulgo de hac Lotharii coronatione explicatur. Pontifex enim fastu inaudito Cæsarem, cui animam debebat, coram throno suo prostratum depingi curaverat, hac addita superba epigraphe:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores.
Post homo *fit* papæ, *sumit quo dante coronam.*

Eo scilicet processerant Pontificum Romanorum opes, ut qui antea Imperatores experti fuerant beneficos, & subinde plures Italiæ provincias eorum largitione acceperant, jam nunc ipsi hisce imperii spoliis Imperatores sibi Vasallos & beneficiarios reddere auderent. Redux igitur Imperator ex Italia & natali Domini Mersburgi celebrato, Danis quoque ad obsequium flexis, reliquam hyemis partem Goslariæ in palatio exegit: Ipso adhuc mense Aprile præsens, quo cum Alberto Moguntino & Nortberto Magdeburgensi Archiepiscopis, multisque Marchionibus ac Saxoniæ proceribus celebre Eltenense monialium collegium donatione *duorum talentorum ex Duisburgensi censu traductorum* auxit. Buntingius ex tanto numero procerum, qui tunc Imperatoris aulam sectabantur, haut incongrue videtur colligere, Lotharium comitia Goslariæ tum celebrasse. Nam & ipse se refert ad diploma, quo monasterium S. Ægidii, quod Brunsvici floruit confirmatur. *Bunting. Chron. Brunsv. part. 1. p. 120.*

Comitia Goslariensia. *Schat. l.8. P.1. annal. Paderb. p.737.*

Eodem tempore, cum Lotharius adhuc ageret Goslariæ, Gandersheimense illustre collegium Abbatissam amiserat Bertam, dudum a Paderbornensi Episcopo consecratam, in cujus locum cum concors Capituli suffragium subrogasset Luitgardim: Lotharius non ratam modo habuit hanc electionem, verum etiam Bernhardo Hildesiensi Episcopo dedit negotium, ut eam solenni ritu apud nos velaret, autoribus Bodone & Reutelio.

Luitgardis Gandersheimensis Abbatissa Goslariæ consecratur.

Bodo. Synt. Abb. Gandersh. p. 504. ap. Meib. l. 2. Reutel. p. 88. ap. Paulin. Synt.

Solutis comitiis Lotharius Goslaria Halberstadium discessit, ubi tanto splendore paschatis festivitatem egit, ut vix unquam luculentius majestatis suæ dederit experimentum. Nam Magnum Daniæ Ducem qui sibi in frequenti principum corona fidei juramentum dixerat, & in solenni pompa prætulerat gladium, Regem coronari jussit. Insequente mense Majo Qvedlinburgum divertens, negotiatoribus istius urbis luculenta concessit privilegia, ut nimirum per totum Imperium a vectigalibus essent liberi præterquam Coloniæ, Thilæ & Burdewici. Sed placet ipsum audire Lotharium, cum & nos ejus verba spectare videantur:

Magnus Rex Daniæ coronatur. *Chron. mont. Ser. p.12. sq. Chron. Bigang. p. 258. Conring. de fin. Imp p.208. sq.*

Goslarienses Magdeburgens. & Quedlinburgenses in Imperio a vectigalibus liberi. *Mader. p. 231. antiqa. Brunsv.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, LOTHARIUS *divina favente clementia, tertius Romanorum Imperator Augustus &c. Sicut confirmationis nostræ auctoritatem apud successores nostros vigere, & irretractatam manere justum est, ita non minus convenit, eandem auctoritatis vicissitudinem & assensum nostris præbere Prædecessoribus, videlicet, ut ab ipsis conservata conservemus, & legitime confirmata confirmemus. Proinde tam futurorum quam præsentium noverit industria qualiter Nos, ob interventum dilectissimæ Consortis nostræ Imperatricis* Richinsæ, *ac venerabilis Abbatissæ* Gerburgis, *suggerente Marchione* Adelberto, *cæterisque curiæ nostræ fidelibus, Negotiatores de* Quitelineburgk, *eodem modo, quo Prædecessores nostri Reges & Imperatores habuerunt, sub nostram recipimus tuitionem, ac per omnia in legitimis concessionibus eorum vestigia, sicut justum est, tenentes, concedimus eis, ut per omnes nostri Imperii mercatus, ubique suum libere exerceant negotium, & tali deinceps lege & justitia vivant*, quali usi sunt & utuntur, Negotiatores de Goslaria & Magdeburgo, Imperiali ac Regali nostrorum Antecessorum traditione & confirmatione, *omnino ex ista parte Alpium, in omnibus locis, Theolonei exactionem ipsis remittentes & indulgentes, exceptis tribus*, Colonia, Thile & Bartinwich. ---- &c.

Quis Goslarienſib9 & Magdeb. hoc beneficiũ conceſſerit? *Schlæpk. hiſt. Bardevv. part 1. c. 2. p. 20. Werdenh. part. 2. c. 21. p. 148. ſq. de Reb. ſp. Hanſeat.*

Iisdem ergo juribus cives Quedlinburgenſes frui juſſit, quibus gaudebant Goslarienſes & Magdeburgenſes, ut nimirum nemini telonia ab iis exigere liceret præterquam Colonienſibus, Bardewicenſibus & Tilenſibus, ubi maxime opima videntur fuiſſe Imperatorum vectigalia, quæ non temere minuenda putarent. Et Magdeburgenſes quidem hoc inſigni privilegio auxit Otto Magnus *anno* DCCCCLXXII *Indict. III. anno regni ſui XXXV, Imperii autem VIII.* quod deinde ſuo aſſenſu firmavit Conradus Saliquus *II. Non. Febr. Ind. VII. anno MXXIV.* Quis autem Imperatorum Goslariæ noſtræ idem beneficium conceſſerit, nondum liquet. Lotharius ſane id anteceſſoribus ſuis tribuit, ex quo patet a temporibus ſatis antiquis noſtrates hoc jure uſos fuiſſe: quod deinde præclaris literis confirmavit Fridericus II. infra a nobis ſuo loco afferendis.

Conrad. Canon. Goslarienſ. Archiep. Magdeb. creatur. *Chron. mont. Ser. p. 13. Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 328.*

Quedlinburgo Imperator Merſeburgum diſceſſit, ubi IIX. Id. Junii flebilis multis occidit Nortbertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, incredibili ſanctitatis laude conſpicuus, unde & hominum fama & voluntas Pontificis eum in Divorum numerum retulit. Succeſſor ipſi e noſtra eccleſia datur Conradus, Lotharii neceſſarius, ex illuſtri Querfurtenſium comitum ſanguine oriundus, qui a puero adeo laudandam bonis literis operam dederat, ut jam dudum iſte honor ipſi deſponſatus fuerit. Chronicon Montis Sereni, Magdeburgenſe, & plerique qui ejus vitam dedere, in eo ſibi conſtant, quod antequam ad hoc honoris faſtigium evectus eſt, Canonicus Madeburgenſis eccleſiæ fuerit: quocum tamen præpoſituram etiam Goslarienſem conjunxit, ſi audimus Spangenbergium, & Goslarienſium Præpoſitorum Catalogos. Querfurtenſium ſane familia tanto amore complexa eſt noſtratem eccleſiam, ut ſæpiuscule illuſtres eorum filii in iſta optimarum artium ſtudia haurirent, aut ſacro aliquo munere perfungerentur, quemadmodum etiam Wilhelmus Comes teſtatur, qe quo eundem Spangenbergium ſuo tempore audiemus.

Spangenb. l. 2. chron. Querfurt fol. 252.

Anni Chriſti 1135. 1136.

Lotharii II. Reg. 11. 12. *Imp.* 3. 4.

Ab. V. C. 212. 213.

Conrad. & Fridericus Sveviæ duces in gratiam recepti. *Schat. l. 8. p. 724. ann. Paderb. Part. 1.*

PRoximo anno, [quemadmodum etiam ſub exitum ſuperioris] Lotharius pacando imperio, & debellandis Svevorum ducibus dedit operam. Vnde miramur quod Schatenius jam anno MCXXX. Conradum & Fridericum ſopitis diſſidiis cum Lothario in gratiam rediiſſe dicat, cum Otto Friſingenſis diſerte hoc poſt Lotharii ex Italia reditum factum eſſe obſervet, ipſeq; Schatenius ſui oblitus, hæc ipſa denuo repetat ad annum MCXXXV. Bellum ſane iſtud non prius confectum eſt, quam hoc ipſo anno, quo Conradus & Fridericus ad incitas pene redacti, & ob pontificis excommunicationem ab omnibus deſerti, S. Bernhardo autore ad pacis conſilia animum converterunt. Inprimis vero ad mitiora eos compulit Henricus Bavariæ Dux, Lotharii gener, qui uti eo tempore facile omnes opibus & potentia anteibat, ita tantis cladibus Hohenſtaufiõs affecit, ut vix usquam ſatis tuti eſſent. Tempori itaque cedendum rati in ſolenni curia Bambergenſi juri ſuo ſvaſu S. Bernhardi renunciarunt; facileque imperatoris impetrarunt clementiam, quanquam necdum quidem in ejus conſpectum venire auderent donec Mulhuſæ congregatis imperii proceribus ſupplicum habitu ad Imperatoris genua provoluti Imperatricis Richenſæ rogatu anteactorum veniam impetrarent, & a Conrado Magdeburgenſi Archiepiſcopo excommunicationis vinculo ſolverentur. Ex quo tempore Lotharius quietiore republica uſus literis & bonarum artium ſtudiis reſuſcitandis & diſciplinæ eccleſiaſticæ revocandæ vacavit, ſiquidem plura veterum medicorum Arabum & Maurorum ſcripta in latinam linguam tranferri curavit, quanquam fabulam videtur ſapere, quod jus Romanorum tot intermiſſum ſeculis, & diu ſepultum in tribunalia ſtudio & opera Irnerii JCti reduxiſſe vulgo perhibetur, ſiquidem nemo veterum hæc memoriæ unquam prodidit.

Otto l. 7. c. 9. 149. Sc. 11. l. c. p. 732. Urſperg. Chron. p. 277. Avent. l. 8 ann. Boj. p. 424. Chron. mont. Ser. p. 15.

Renatæ parum per Lotharium. *Conring. c. 21. ſq. de orig. jur. Germ. p. 75. ſq. Bart. Nihuſ. Irnerius Col. 542.*

Sequente anno, qui Chriſti poſt milleſimum & centeſimum fuit trigeſimus ſextus, Lotharius luſtratis Rheni Weſtphaliæque provinciis, monaſteriisque magnis ubique beneficiis auctis, proxima Petri & Pauli Apoſtolorum natalitia Goslariæ celebrabat, ubi ad eum rediit *Anshelmus* Havelbergenſis Epiſcopus quem ad Conſtantinopolitanum Imperatorem legatum miſerat, quanquam ipſam legationis cauſam omiſit, qui hæc tradit, Saxo Chronographus. Quo igitur eo magis conſtet, quid Anshelmus tunc Imperatori Goslariæ retulerit: placet hunc defectum ſupplere ex Engelhuſii chronico, qui ex libro virorum illuſtrium ordinis ciſtercienſis lib. 1. cap. 3. hæc obſervat: *Anshelmus primum Havelbergenſis Epiſcopus poſt modum Ravennenſis Archiepiſcopus a Lothario Chriſtianiſſimo Romanorum Imperatore ad Johannem Conſtantinopolitanæ urbis Imperatorem apocriſarius miſſus, ut ſubtiliter diverſarum religionum ſtatuta ſcrutaretur, vidit in monaſterio, quod Pantocraton, id eſt, omnipotentis dicitur, DCC. fermè monachos ſub regula B. Antonii Domino militantes. In Monaſterio quoque, quod philoantropon, id eſt amantis hominum vidit D. Monachos ſub regula S. Pachymei Domino ſervientes.*

Lotharii legatum redeuntem Goslariæ audit. *Spangerb. c. 219. Chron. Sax. p. 220. Chronogr. Saxo p. 293. Engelhuſ. Chron. p. 220.*

Denique ducatu Saxoniæ Weſtphaliæ, & Lotharii Angariæ Henrico genero Bavariæ duci per in Italiã manus tradito, ceterisq; rebus Germaniæ expediinſigni prudentia conſtitutis denuo in Italiã tio-

am

am movit, quod Anacletus antipapa & Rogerius Siciliæ tyrannus novas turbas dare cœperant. Verum properantibus fatis ſuis extinctus, nunquam vivus rediit in Saxoniam. *Dodech. p. 472.*

Anni Chriſti 1137. & 1138.

Lotharii II. Reg. 13. Imp. 5. & Conradi I. Ab. V. C. 214. & 215.

Lotharii geſta in Italia.

PRæterlapſo igitur anno Lotharius in Italiam movens tanto terrore ubique hoſtes percuſſerat, ut ſpes eſſet eum rebus ex animi ſententia confectis rediturum. Expugnato enim caſtro Gardiæ, ulterius progreſſus Cariſtallum cepit, Cremonenſes Mediolanenſibus infeſtos proſcripſit, eorumque oppida evertit, Papiam ingenti pecunia multatam recepit in gratiam, Bononienſes & Æmilienſes in deditionem accepit, & exercitum per hyberna diviſit. Appetente deinde vere Henrico genero cum parte exercitus in Tuſciam Campaniamque dimiſſo, ipſe in Apuliam penetravit: ubi Bario, Troja, Gargano, Siponto, Buralo, ceterisque oppidis expugnatis Rogerium tota Apuliæ provincia exuit. Bello itaque cum magna gloria confecto, ipſa Roma pacata, reditum in Germaniam maturavit. Sed vix Tridentinam vallem attigerat, cum adverſa valetudine correptus, aliquandiu decumberet. Inde ulterius progreſſus in villa Bretina extinguitur, V. Non. Decembris anno Regni XIII, Imperii V. Corpus in Saxoniam revectum, non quidem Brounſvichi, ut putat Chronici Laureshamenſis autor, ſed Lothariæ regiæ, quod monaſterium ipſe in Helmſtadienſi agro condiderat a Richenſe Imperatrice conditur hoc addito epitaphio, anno MDCXVIII. inventum primus in Lucem protulit Meibomius, diverſum ab illo, quod jam dudum retulit Spangenbergius:

Otto Friſ. l. 7. c. 20. p. 150. Abb. Urſp. p. 277. ſqq. Chronogr. Saxo. p. 293. ſq. Alberic. Chron. p. 279. ſq. Chron. montis Ser. p. 15. Chron. Bigang. p. 259. Dodech. p. 472.

Ejus obitus.

Chron. Laureſh. p. 59. tom. I ap. Freber.

Ejus Epitaphium *Jo. Henr. Meib. not. ad Henr. Roſle Herlingsberg. p. 798 tom. I rer. Germ. Spangenb. c. 219. Chronogr. Saxo p. 369. conf. Luca Petr. Comitum p. 1137.*

LOTHARIUS DI. GRAo
ROMANORVMo IMPERA
TORo AVGVSTVSo
REGNAVITo ANNOSo
XIIIo MENSES IIIo DI
ESo XII. OBIITo AVTEMo
IIo NONASo DECEM
BRISo VIRo INo XPOo FIDELIS
SIMUSo VERAXo CONSTANSo PA
CIFICUSo MILESo IMPERTER-
RITVS
REDIENSo AB APVLIAo SAR
RACENISo OCCISISo ETo E
JECTISo

Hæc eſt lamina illa plumbea, cum Lothario recondita qua *actus ejus deſcriptos* dicit Otto Friſingenſis, quanquam vix noſtræ reſpondeat expectationi, cum præter emortualem diem & annum & quædam Imperatoris elogia vix quicquam in ſe contineat. Ceterum dici vix poteſt, quantis elogiis eum exornent illorum temporum Scriptores, cum in ceteros Imperatores pene omnes virgas ſoleant expedire. Nimirum princeps erat, qualem ea tempora optabant, in ſacrum ordinem propenſior, in pontificem Romanum indulgentior, antiquæ denique ſuperſtitionis, quam Imperii jurium, ſervantior: armis tamen & prudentia nulli ſecundus, & vere incomparabilis futurus, niſi in turbulentiſſima iſthæc Germaniæ tempora incidiſſet.

Otto Friſ. l. 7. c. 20. p. 150. Abb. Urſp. p. 277. Chronogr. Saxo. p. 293. Alberic. Chron. Chron. Bigang. Dodech. p. 472.

Lothario itaque ſub anni ſuperioris exitum defuncto, nova procella imminere videbatur Germaniæ, ſiquidem potentiſſimi erant æmuli, qui Auguſtæ dignitati inhiabant, Henricus nimirum ſuperbus Bavariæ Saxoniæque dux & Conradus Svevus, tam ſibi invicem infeſti, ut vix unquam ab armis quieſcerent. Henricus enim inveteratum in Hohenſtauffios odium a Lothario veluti hæreditarium ſuſceperat, totisque viribus in opprimenda eorum potentia deſudaverat. Tantis præterea utebatur opibus, ut elatius ſoleret gloriari: *Regnare ſe a mari usque ad mare, id eſt a Dania usque in Siciliam.* Nimirum totam Bavariam, Saxoniam, Tuſciam quoque & Apuliam partim hæreditate, partim ſoceri, partim denique Pontificis beneficio obtinuerat: Præterea jam regni inſignia, decedente Lothario, acceperat ſervanda, quæ ægre videbatur redditurus. Denique quamvis imperii dignitas non ſucceſſione amplius ſed electione ſoleret conferri, Henricus tamen neminem putabat regno ſe propiorem, quoniam in thorum ſuum Lotharii filia conceſſiſſet. Quare ad Cæſaream dignitatem conſequendam omnia conſilia referebat, certoque ſibi animo imperium deſponderat. Nec minus Conradus Hoſtenſtauffius in novam ſpem imperii erigebatur. Plerique enim proceres, nimiam Henrici Bavari potentiam pertimeſcentes, Conrado occulte favebant, nec facile videbantur eo poſſe adduci, ut illi offerrent imperium, cui facile tunc eſſet ſe opprimere. Pontifex etiam Romanus, qui tunc primas in electione partes ſibi vendicabat, in Conradum, quam in Henricum videbatur propenſior, quod minus ab illo quam ab hoc ſibi metuendum exiſtimaret. Denique ut Henricus Lotharii affinitate ita Conradus Salicorum genere ſe tuebatur. Cum igitur pari uterque & voluntate & jure uteretur, difficilis admodum erat electio. Facile tamen quivis prævidere poterat, odia hæc inter Gvelphos & Hohenſtauffios gliſcentia alterutri familiæ exitialia futura.

Lites poſt Lotharii obitum.

Otto Friſ. l. 7. c. 23. p. 152. & l. 1. de geſt. Frid. c. 22. p. 418. Abb. Urſp. p. 279.

Conrado ergo ac Henrico regnum anhelantibus, proxima pentecoſtes feſtivitas novis comitiis erat præſtituta, ut tunc principes conſulerent in medium, & Lothario alium ſubrogarent; quem e republica judicarent. Sed veriti principes, ne Henricus ex mora ſumeret animos; aut extorqueret tunc, quod fruſtra nunc ambiret;

Electio Conradi

Dodech. p. 472. Otto Friſing. l. c. Urſperg. l. c.

Chron. mont.Ser. p. 16. biret, mutato consilio per quadragesimale jejunium Confluentiæ conveniunt, nec diu cunctati Conradum Sveviæ ducem excluso æmulo regem salutant, ipso præsente Theoduino Cardinale, apostolicæ sedis legato, & pontificis consensum pollicente. Continuo ergo Conradus a Theoduino solenni ritu inungitur. Principes quoque aversati Henrici elatos animos certatim ad Conradum transeunt. Interea Henricus minari, Regem contemnere, & palam electionem tanquam vitio factam traducere: imperii præterea insignia retinere pertinacius, quibus restituendis dies isti dicebatur, qui Petro & Paulo Apostolis sacer est. Veritus tamen principum severiorem sententiam, insignia quidem remisit, ipse tamen regem adspernatus in conspectum ejus venire recusavit: hinc subinde ad comitia Augustana vocatus, accessit equidem, sed ingenti militum agmine stipatus, unde rex ad decertandum impar Herbipolin discedere coactus est, ubi in frequenti principum consessu Henricus violatæ majestatis reus judicatur.

Chron. Bavar. p. 24.

Henricꝰ superbꝰ Goslariæ

Sequenti nativitatis Christi festo Conradus in Saxoniam festinavit, Goslariæque principum conventum egit, ubi capitale odium, quod Lotharius Imperator in Hohenstauffios effuderat, primum in Henrici Bavari fortunas vindicatum est. Nam notarunt Otto Frisingensis, Abbas Vrspergensis, Aventinus, Spangenbergius aliique quam plures, Henricum tunc omnibus provinciis suis exutum, atque Saxoniam quidem Alberto Vrso, Bavariam vero Liupoldo Austriaco datam fuisse. Si Helmoldum, Albertum Stadensem, Cranzium & Trithemium audimus, causam fingebant tunc principes non decere unum eundemque principem duos ducatus possidere: Sed quo jure hoc nitatur, non est meum nunc indagare. Otia mihi jam fecit doctissimus Schurzfleischius, qui in litium inter Gvelphos & Hohenstauffios agitatarum origines insigni perspicacia & dexteritate inquisivit.

Chron. Hirsaug. p. 259. Chron. Austral. ap. Freher. p. 319. Helmold. l. 1. c. 54. p. 131. Avent. l. 6 p. 498. Spangenb. c. 220. p. 371 Chronogr. Saxo. p. 294. Alberic. p. 282. Andreas Ratisb. *Otto Fris. l. c. 23. Abb. Ursp. in Aventin. p. 459. Helmold. l. 1. c. 54 p. 131. Cranz. l. 6 Saxon. d. p. 141. Trithem. Chron. Hirsaug. ad ann. 1138. Schurzfl. diss. de Henr. Leone p. 123 Richenbergense monasterium bulla papali munitum.*

Hoc concitato ac turbulento rerum statu per Saxoniam ecclesiæ tamen nostræ sibi de securitate plurimum prospiciebant. Hinc Richenbergense monasterium, quod adhuc insignem senserat Lotharii Imperatoris aliorumque principum & Episcoporum clementiam, ipsum quoque Romanum Pontificem hoc anno benevolum experiebatur. Id quod satis declarat hoc luculentum Innocentii diploma:

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio GERHARDO *Reichenbergensis Ecclesiæ præposito, & ejus fratribus Canonicam vitam professis tam præsentibus quam futuris* IN PPM * *Religiosis desideriis facile accommodare debemus assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. hujus rei gratia dilecti in Domino filii vestris petitionibus clementer annuimus & Richenbergensem Ecclesiam, in qua divino vacatis servitio, præsentis scripti patrocinio communimus statuentes ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam in eodem loco perpetuis temporibus irrefragabiliter conservetur, adjicientes etiam, ut nemini vestrum post factam ibi professionem & habitum religionis assumtum absque prælati sui licentia ad locum alium liceat transmigrare. Quascunque præterea possessiones, quæcunq; bona idem venerabilis locus, in præsentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione, regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis in perpetuum & illabata permaneant. Decernimus ergo nulli omnino hominum fas sit, præfatam vestram Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptavarit secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sangvine Dei & Domini nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus*

* *in perpetuum.*

& hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud ſupremum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.



Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſſ.

† Ego Conradus Fabianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſſ.

† Ego Gerardus pbr. Cardinalis tt. S. Crucis in Jerlm. ſſ.
† Ego Godefridus pbr. Cardinalis tt. S. Veſtinæ ſſ.
† Ego Lucas pbr. Cardinalis tt. SS. Johannis & Pauli. ſſ.
† Ego Theodewinus S. Rufinæ Epcs ſſ.
† Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum ſſ.
† Ego Gvido Diac. Cardinalis S. Angeli ſſ.
† Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicolai in Carcere ſſ.

Datum Laterani per manus Almerici Stae Romanæ Eccleſiæ Diac. Card. & Cancellarii Apoſtolicæ ſedis. Indictione III. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, Pontificatus vero Dni INNOCENTII PP. II. Anno IX°.

Goslarię incendium.

Interea vero dum vicinum monaſterium ſucceſſibus ſic fruebatur ad invidiam usque felicibus: urbem ipſam eo gravior affixit calamitas. Nam ignis, neſcio quo caſu erumpens in civium ædes furere cœpit, nec prius flammam extingvere licuit, quam major pars urbis in cineres & buſtum eſſet redacta. Quod infelicius fatum cum aliis quoque Germaniæ urbibus Argentorato, Moguntia, Spira, Hala Saxonum commune habuit noſtra Goslaria, ut autor eſt Albertus Stadenſis, & qui ex illo repetit Spangenbergius, qui tamen ad annum MCXXXVI rem refert, ſecus ac Sagittarius, annum ſignans MCXXXVIII, uterque corrigendus ex ipſo Alberto Stadenſi, qui iſthæc incendia anno MCXXXVII contigiſſe auctor eſt.

Alb. Stad. p. 261. Spangenb. c. 218. p. 368. Sagit. c. 5. Hiſt. Gosl. §. 8.

it, totamque, quam late patet, Saxoniam ſub ſuam redigit poteſtatem. Nec ſegnior in vindicanda ditione ſua Henricus cum inſtructiſſimo exercitu in has regiones penetravit, & proſtratis Alberti viribus ipſum regem, qui ei ſubſidio venerat, tantopere exterruit, ut belli aleam ſubire veritus, pacis conſilia meditaretur. Concordia demum inter eos hac lege coaluit, ut Albertus Marchiam Brandeburgicam, quæ tunc extinctis Marchionibus ad imperium redierat, acciperet, Henricus autem quiete in poſterum Saxonia frueretur. Non diu tamen pacis iſtius fructum Henricus tulit, quippe qui in Bojoariam a Luipoldo Auſtriaco turbatam rediturus, Quedlinburgi repentina morte expiravit.

Chron. mont. Ser. p. 16. Cranz. l. 6. Sax. c. 8. p. 141. l. 6. c. 16. p. 151. metrop

Annus Chriſti 1139. 1140.

Conradi III. Reg. 2. 3.

Ab. V. C. 216. 217.

Bellum inter Henricū Superbum & Albertū Urſum. *Otto Friſ. l. 7. c. 25. p. 153. Helmold. l. 1. c. 56. p. 134.*

SUccedit annus Chriſti milleſimus centeſimus & trigeſimus nonus, continuis bellis inter Albertum Vrſum Ballenſtedenſem & Henricum ſuperbum geſtis turbidus. Ex quo enim hic infeliciſſimus princeps principum ſuffragio provinciis ſuis exciderat: ille ducatum Saxoniæ aditurus in munitiora caſtella arma vertit, Luneburgum, Bardewicum, Bremam aliasque civitates capit, Adolphum Schawenburgicum, Henrico fidum ditionibus exu-

Deficiente jam propemodum anno Conradus Rex Goslariæ natalitia Domini celebravit, principumque comitia irrito licet ſucceſſu habuit, ſi auctor Chronici Montis Sereni & Chronographus Saxo audiendi ſunt. Uterque enim nihil tunc de reipublicæ ſtabilitate tractatum eſſe, curiamque, indignantibus nonnullis defluxiſſe, Regem vero integrum menſem otio hic & genio indulſiſſe, refert. Modeſtius tamen de hoc congreſſu ſentit Albertus Stadenſis, cujus verba juvat adſcribere: *Anno Domini MCXXXIX Conradus Rex natalem Domini Goslariæ celebrat, & ibi cum principibus de concordia regni tractat.* Sed ex ipſa horum auctorum inſpectione patet, intelligenda eſſe comitia ſuperiore anno circa

An comitia hoc anno habita ſint? *Chron. mont. Ser. l. c. Chronogr. Saxo. p. 295. Alb. Stadenſ. p. 270.*

circa eandem feſtivitatem Goslariæ habita. Nam Albertus Stadenſis addit, Henricum Bavarum ſolutis comitiis Saxoniam armis repetiiſſe, qui tamen jam ante hujus anni feſtum natalitium XIII. Cal. Octobris diem obierat ſupremum. Mirari ergo ſubit, hiſce auctoribus non rectius conſtitiſſe, quænam in iſtis comitiis fuerint acta. Nam nec Conradus rex re infecta diſceſſit, ut Chronogr. Saxo & Lauterbergenſis exiſtimant, nec de reſtituenda imperii concordia tractatum eſt, ut Alberto Stadenſi videtur, ſed Henricus Bavarus proſcriptus, ſuisque provinciis exutus fuit, ut paulo ante diximus.

Bellum adverſus Welphum geſtum. *Dodech. p. 473. Tritheim. Chron. Hirſaug. ad h. ann. J. Cravus ap. Mad. p. 93. Chron. mont. Ser. p. 17. Chron. Bigang. p. 259. Engelhuſ. Chron. f. 226.*

Anno proxime inſequente Conradus Rex conventibus principum Wormatiæ & Francofurti habitis adverſus Welphum Henrici Leonis tutorem, qui amiſſam Bavariam repetebat, bellum decrevit. Hinc anniverſarium reſurrectionis Chriſti feſtum Herbipoli agit, futuræq; expeditioni ſe accingens oportunitatem locorum ubiq; ſpeculatur. Tandem nivoſa jam hyeme Welphum ad Winspergam aggreſſus, eum in fugam ſubito convertit, ipſoq; caſtello diuturna obſidione potitur. Quibus cognitis Conradus Magdeburgenſis Archiepiſcopus ceterique Saxoniæ principes, qui Welphi & Henrici cauſæ favebant, cladem ejus ulturi in Albertum Urſum, Saxoniæ denuo imminentem, arma convertunt, pluriumasque ejus munitiones veluti Groningam, Anhaltum, Gobelenzam, Withecham deſtruunt, totamque Ballenſtedienſem regionem depopulantur.

Anni Chriſti 1141. 1142.

Conradi Reg. 4. 5.

Ab. V. C. 218. 219.

Guelphicæ familiæ detrimenta. *Otto Friſ. l. 7. c. 26. p. 145. Chron. mont. Ser. p. 17. Chron. Bigang. p. 259. Alb. Stad. p. 271. Andr. Ratisb. chron. Bav. p. 25. ſq. Engelh. chron. p. 226.*

PRoximis annis lites adhuc fervebant Bavaricæ, quas Welphus & Luipoldus inter ſe agitabant. Omnia tamen ſecus accidebant Welpho. Quamvis enim hoc ipſo anno vita excederet Luipoldus Auſtriacus, qui Bojoariæ adhuc maxime infeſtus fuerat; Rex tamen fortunam ſuam ſecutus, ſtatim in principum conventu Bojoariam adjudicabat Henrico Luipoldi fratri; & ut ejus res firmaret, ſimul nuptias ei obtulit Gertrudis, Henrici Superbi viduæ, quæ ſimul jus, quod in Bojoariam habebat, in virum transferebat, licet ipſa paulopoſt expiraret. Præterea in vivis eſſe deſierat Richenſe Lotharii regis vidua, magnum Guelphicæ familiæ firmamentum. Saxones denique, qui Henrici junioris & Welphi cauſam adhuc defenderant, pertæſi tot moleſtiarum, cum Rege redierant in gratiam, ea lege, ut Henricus Leo Saxonia contentus, Bavariam Henrico Auſtriaco concederet. Unde adverſariorum potentia oppreſſus Welphus, licet invitus & indignabundus familiam ſuam pene opprimi vidit & ad incitas redigi.

Floruerat interea in Richenbergenſi eccleſia Gerhardus Præpoſitus, tantæ vir induſtriæ & prudentiæ, ut tenues monaſterii res brevi temporis intervallo ad ſummam extulerit felicitatem. Cum autem in Stederburgenſi cœnobio haut parum vetus diſciplina deſereretur; Bernhardus Hildeſienſis Epiſcopus ſæpius conſilia de reſtituenda ibi priſtina pietate verſabat. Nemo itaque ipſi occurrit huic rei aptior, quam Gerhardus Præpoſitus Richenbergenſis, quem ita huic monaſterio dedit præpoſitum, ut Richenbergenſis tamen eccleſiæ curam non omitteret. Paucis rem ſignavit chronici Stederburgenſis auctor apud Meibomiū: *Anno* inquiens, MCXLII *Gerhardus Richenbergenſis Præpoſitus eccleſia in Stedereburg a Bernhardo Hildenſemenſi epiſcopo prælatus præficitur & ſpiritalis religio per eum inibi confirmatur.* Ipſe quoque Meibomius in vita alterius Gerhardi Stederburgenſis præpoſiti, hujus quoque Gerhardi meminit, quem tamen ſub Lothario Imperatore vixiſſe ait, quod quidem de Richenbergenſi Præpoſitura intelligendum videtur, ſiquidem Reutelius eum hoc demum anno ad præpoſituram Stederburgenſem acceſſiſſe refert. Certe ſæpius etiam poſt hæc tempora illius mentio fit in Richenbergenſis monaſterii tabulariis. Vnde recte mihi conjicere videor, nunquam illum ab hujus eccleſiæ cura ſeſe abdicaſſe. Quod etiam ex Stederburgenſi chronico patet, ubi mortuo Gerhardo anno MCL. ſucceſſiſſe dicit Ludolfum. Diutius ergo Richenbergam oporteret præpoſito caruiſſe, ſi Gerhardus Stederburgum migrans iſtius monaſterii curam depoſuiſſet.

Gerhardus Richenb. P. P. Stederburgenſi ſimul præficitur monaſterio. *Chron. Stederb. ap. Alem. f. 453. Meibom. tom. I. rer. Germ. p. 436. Reutel. p. 88. chron. Hilleſh.*

Anni Chriſti 1145. 1146. ſqq.

Conradi III. Regis 8. 9. ſqq.

Ab. V. C. 222. 223. ſqq.

ANni hi admodum quieti extiterunt hiſce regionibus. Saxonibus enim Conrado Regi reconciliatis, ſatius erat Welpho temporibus cedere, ſeque intra fortunæ mediocritatem continere, quam ancipitem belli aleam denuo experiri. Conradus Rex more majorum provincias obiens juri dicundo præerat. Nec Goslariæ noſtræ quicquam memorabile contigiſſe reperio, niſi quod monaſterium S. Georgii anno MCXLV. paulo durius ſubiit fatum. Incendio enim ex improviſo coorto, maximam artem conflagravit, ſi audimus Chronicon Stederburgenſe, quanquam in ipſis Curiæ Griſonum tabulariis nullum extat hujus cladis veſtigium.

Monaſt. S. Georgii conflagrat. *Chron. Stederb. p. 453.*

Anno MCXLVII Bernhardus Hildeſienſis Epiſcopus jus Patronatus Capella S. Cæciliæ, de cujus origine ſuperiore libro egimus, Woldenbergenſibus comitibus luculento diplomate confirmavit. Jam tum diximus, Woldenbergenſem Comitem

Jus patronatus capellæ

capellæ S. Cæciliæ comitibus Woldenberg confirmatum.

hujus capellæ hoc eſſe parentem, atq; hinc cum fratre *Vffone* jus patronatus in illa obtinuit. Eo vero mortuo, jus devolutum eſt ad *Sidagũ Vffonis* Comitis filium, Canonicũ Goslarienſẽ, qui tamen ſuffragante fratre ſuo juniore, illud conceſſit *Rudolffo* Vertheconis Comitis Woldenbergenſis filio. Eam igitur ceſſionem non modo *Bertholdus* ſed & ceteri Epiſcopi Hildeſienſes *Bernhardus*, *Bruno*, *Hermannus* & *Berno* ratam habuerunt. Jam Bernhardi bullam a Leuckfeldio ſervatam integram addo, in qua hoc præcipue notari meretur quod Sidagi *fundatoris* uxor non *Nalecha*, ut in illo *Hezelonis* diplomate ſed *Syburgis* vocatur:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. BERNHARDVS *ſanctæ Hildesheimenſis Eccleſiæ Epiſcopus; Si Eccleſiis per parochiam meam conſtitutis ſalubriter providero, ad perpetuæ felicitatis gaudia percipienda mihi profuturum, liquido cognoſco. Notum igitur fieri volo univerſis fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quomodo Canonicus quidam Goslarienſis nomine* Sidagus *capellam, quam Parentes ſui*, Odo *videlicet pater ſuus*, & Sidagus *patruus ſuus*, & *uxor ejus Syburgis in honorem Domini noſtri JEſu Chriſti*, & *ſanctæ Mariæ, ſanctæq; Cæciliæ Virginis honorifice ſuis ſumptibus extruxerant*, & *a venerabili Prædeceſſore meo Hicetone Epiſcopo dedicari impetraverant, quamque jam dictus* Sidagus *decedentibus de hac vita parentibus tam patre quam patruo, in jus poſſeſſionis hæreditaria lege ſuſcepit, cuidam cognato ſuo viro illuſtri Rudolpho filio Vertheconis, nec non & conjugi ſuæ Fritherindæ, ſimulque proli eorum conſenſu & adſtipulatione fratris ſui Bodonis legitimi Mundiburgi & hæredis donavit, ita videlicet, ut quicquid Dominii, juris, poſſeſſionis in eadem Eccleſia habuit, hoc plenarie deinceps ad eundem Rudolfum & uxorem ſuamque prolem, ſpectaret. Fecit autem hanc donationem tempore reverendi prædeceſſoris mei Berchtoldi Epiſcopi, qui proximus ante me Hildesheimenſem Eccleſiam regebat, quam poſt obitum ejus ego Domino auctore gubernandam ſuſcepi, & tempore Herimanni Advocati in eorum præſentia ſimulque omnium civium Goslarienſium. Deinde cum poſt obitum Domini mei Berchtoldi Epiſcopi ego cathedram ejus Domino diſponente ſuſcepiſſem, veniens ad præſentiam meam idem* Sidagus, *& ſecum eundem cognatum ſuum Rudolphum uxoremque & filios ejus adducens, donationem, ſicut jam dictum eſt, prius ab eo factam fuiſſe recognovit, atq; eam ibi rurſum innovans iteravit. Cæterum ego pro dilectione ipſius Rudolfi eandem donationem banno meo, ne quicquam eam irritam faceret, firmavi, & eidem Eccleſiæ gratiam, quam conſecrator ejus Hiscelo Epiſcopus conceſſerat, videlicet ſi ſacerdos ibi conſtitutus, a me vel meo miſſo altare ſuſciperet, omnes fundatores, extructores & poſſeſſores ejusdem Eccleſiæ libere ſepeliendi & parvulos eorum baptizandi facultatem haberet. Addidi præterea ex auctoritate mea poteſtatis, ut quicunque ibidem ſervitium Dei frequentare voluerit, nullus presbyterorum civitatis ei moleſtiam inferat, & Sacerdo ibi Canonice conſtitutus, ægrotos, ad quos fuerit invitatus viſitet, parvulos ſibi allatos baptizet, & ſi quis ſe ibi tumulari petierit, locum ſepulturæ accipiat. Vt igitur hæc inconvulſa ſerventur, & a nullo unquam divellantur, ſed perpetuo inconvulſa permaneant, banno meo & privilegii hujus conſcriptione ac ſigilli mei impreſſione firmavi. Sunt autem teſtes in quorum præſentia hæc acta ſunt:* Gerhardus *præpoſitus Richenbergenſis & Monaſterii ſancti Georgii & Goslarienſium Archipresbyter.* Bruno *Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Petri.* Johannes *Presbyter Canonicus Hildenesheimenſis.* Benno *decanus monaſterii ſancti Georgii. Laici vero:* Othelricus & Herimannus *filii ſæpe dicti Rudolfi*, Bodo *filius Herezonis & fratres ejus* Widekinus & Herezo. Thidericus *de domo.* Gerhardus *niger.* Lothevius *de* Heringe, Gunterus *de* Breitenheim, Berchtoldus *de* Werra, Wernerus *de Elvethe. Cono de Hildesheim. Conradus de Wincenburch.*

† SIG. BERNHARDI EPCI. HILDENESHEIMENSIS.

Anni Christi 1150. & 1151.

Conradi III. Reg. 13. 14.

ab. V. C. 227. 228.

Expeditio Conradi infelix in Palæstinam.

Otto Fris. l. 1. de gest. Friderici cap. 44. p. 451. Martin. Polon. p. m. 373. Andr. Ratisb. p. 26. Baron. ad

ALiquot annorum otium nobis fecit Conradi Regis longinqua in Palæstinam expeditio, religionis quidem causa, irrito tamen conatu suscepta. Quamvis enim anno MCXLVII. tanto apparatu istud bellum adgrederentur Conradus & Ludovicus, ille Germaniæ, hic Galliæ Reges, *ut* Ottonis Frisingensis testimonio, *nec flumina ad navigandum, nec camporum latitudo ad insedendum visa sint sufficura:* omnis tamen in fumum abiit solertia, exercitu partim itineris molestiis, partim maris inclementia, partim fœdis Constantinopolitanorum Cæsarum insidiis detrito. Putasses tot millia hominum ideo tantum a papæ emissariis cruce fuisse insignita, ut sub alio sole cœloque barbarorum ludibrio & crudelitati exponerentur. Sed malumus hic mirabilia Dei judicia cum S. Bernhardo mirari, quam curiosius indagare, quænam fuerit tam inopinati successus ratio. *ann. 1147. p. 354. Tom. XII.*

Hinc re infecta reversus superiore anno Conradus multis locis comitia' principum habere & de resarcienda orientali clade consilia agitare cœpit, nec ecclesiarum studere commodis oblitus. Fuldæ enim hoc anno versatus, ubi ministerialium coërcuerat audaciam, ecclesiæ SS. Simonis & Judæ *ob regni firmam stabilitatem & animæ suæ suorumque parentum perpetuam salutem* dono dedit villas Wischeribe & Wivelinge, quas jam a Conrado II. Hartzburgensi ecclesiæ collatas minus recte tradit Chronicon MSC membranaceum. Sed nævum hunc, quem nec doctissimus Sagittarius evitavit; quæ supra primo antiquitatum nostrarum libro eluimus. Hic vero ipsum proferre juvat Conradi diploma, diligenter cum autographo collatum, ex quo res omnis dilucidius apparebit. Conradus Rex eccles. SS. Sim. & J. benefacit.

* * *

IN nomine sancte & indiuidue trinitatis. Cunradus diuina fauente clementia romanorum rex secundus. *Quoniam diuina pcordiamte misericordia cteris mortalib9 quodamodo supereminemus. oportet. ut cuj9 precellim9 munere. illi omnino pareamus in operatione. Ea propter oim̃ium fideliu nrorum tam prsentium quam futurorum nouerit industria. qualiter nos ob regni nri firmam stabilitatē & animę nrę nrorumq; parentum perpetuam salutem. uillam quę dicitur WISCHERIBE. nec non WIVELINGE. cum oim̃ib9 quę ibidem nri juris erant. ecclesię nostrę in Goslaria. quę a nris antecessoribus fundata ee cognoscitur. in proprietatē donauim9. & lege in perpetuum ualitura ei confirmauim9. Decernimus ergo & regia auctoritate pcipim9. ne aliquis successorum nrorum regum seu imperatorum. aut alia quelibet persona magna siue parua hanc nram donationem infringat. Sed fratres in eadē ecclesia deo seruientes easdem uillas cū oim̃i utilitate quę inde prouenire potest. ad usum prebendarū suarū jure perpetuo sine alicujus contradictionis molestia possideant. Siquis autem quod absit hujus nrę donationis edictū ausu temerario infringere temptauerit. centū libras auri purissimi componat. quarum partem dimidiam camerę nrę. reliquam u° prędictę ecclesię & fratrib9 persoluat. Et ut hęc oim̃i stabilitate in posterum rata permaneant. hanc inde cartam scribi & sigilli nri impressione insigniri jussimus. manuq; propria corroborantes. qai prsentes aderant testes subternotari fecimus. Quorum nomina sunt hęc. Hartwicus Bremensis archiepc. Otbelricus Haluerstatensis epc. Sigefrid9 Wirzeburgensis epc. Wibald9 Corbeiensis abbas. Comes Herimannus de Wincenburch. Ludewicus prouincialis comes thuringię. Comes poppo de henimberch & frater ejus comes Bertolfus. Marquardus de Grucnbach. comes Godefridus qui & aduocatus Fuldelsis. & frater ejus Poppo comes. Sibodo de Scartvelde & filius ejus Sibodo. Tibertus de Spileberch. Reimbodo de Rockinge. Widekin9 advocat9 Goslariensis. Wolframus de Wertheim. Gyso de Huttenburch. Adelbertus de dasberch. Meinbardus de Muleburch.*

burch. VVortwinus de ſtaden. comes Arneſto de Hohenburch. Heinricus caſtellan9 de Altenburch. Godefrid9 de Linden.

Signum Domini Cunradi Romanorum ſcdi Regis inuictiſſimi. Ego Arnoldus Cancellarius uice Heinrici Moguntini Archiepi & archicancellarii recognoui.

Anno dnicę incarnat. M.C.L. regnante Cunrado Romanor rege II. anno vero regni ej9 XIII°. indic. XIII^a. Data fuldę in CHRISTO ſęliciter AMEN.

Conrad' Goslariç bellum contra Henricũ Leonem molitur. *Helmold. l. 1. c. 72. p. 166. Cranz. l. 6 Sax. c. 13. p. 145. Sagittar. Origg. Brunſv. p. 42. ſq.*

COnrado igitur Rege per ſuperiorem Germaniam rempublicam conſtituente, Saxoniæ noſtræ triſtiora imminebant ab Henrico Leone: licet hæ flammæ in ipſo primo conatu ſupprimerentur. Conceſſerat in ejus torum Clementia Zaringenſis, ex quo connubio opibus auctus denuo cœpit de repetenda Bavaria cogitare. Delectu itaque militum habito & uxore in Saxonia relicta ipſe in Sueviam profectus Heinrico Auſtriaco bellum intulit, tam indulgentem expertus fortunam, ut Henricus Auſtriacus bello ſuſtinendo impar, Conradi Regis auxilia imploraret. Interea Albertus Vrſus, Henrici Leonis æmulus, parte oneris Auſtriacum levaturus, ſubito Saxones cœpit ſollicitare, ipſumque Conradum Regem, ut cum ſuis copiis in Saxoniam deſcenderet, incitare. Paruit Conradus monitori, tempus adeſſe ratus, quo ultima plaga Guelphicæ familiæ eſſet percellenda. Sed Henrici fortuna æque ac prudentia Regis conatus facile eluſit. Cum enim Rex Goslariæ noſtræ copiis contrahendis vacaſſet, ſubito equidem Brunſuicum Henrici metropolin obſidione cinxit ſperans ſe facile cives imprudentes oppreſſurum. Henricus vero Leo cognita ſuorum neceſſitate publice juſſit denunciare, ſe ſolennem conventum in certa urbe celebraturum, intereaque aſſumtis tribus fideliſſimis mutato habitu iter aggreditur, & noctis beneficio per medias hoſtium cuſtodias dilapſus quinto die Brunſuici comparet, ſuisque reddit animos. Unde Conradus non auſus ulterius progredi, (Heiningæ enim adhuc cum exercitus parte ſubſtiterat) Goslariam re infecta diſceſſit, copiasque per hyberna diviſit. Brevibus licet paulo obſcurioribus verbis rem complexus eſt Albertus Stadenſis: *Conradus rex*, inquiens, *conventum habuit apud Wurceburg, & dux Saxoniæ* (Henricus Leo) *ibi non venit. Nam Dux*, (Henricus Auſtriacus) *ei oppoſitus erat* (in ducatu Bavariæ) *ideoque ducatum voluit obtinere Suevia. Et dux* (Henricus Auſtriacus) *frater erat regis* (Conradi uterinus) *& vitricus Ducis* (Henrici Leonis). *Duce exiſtente in Suevia, & vitricum impugnante, rex tetendit Goslariam Bruneſvvic arrepturus. Dux mutata veſte cum tribus venit Bruneſvvic & rex rediit*, (re infecta Goslariam). Nec alias turbas innuere videtur Chronicon Stederburgenſe: in quo ad annum MCLI iſthæc occurrunt, *Guerra inter ducem Henricum & Marchionem Adelbertum, ita ut ad pugnam dux circiter quinque millia fortiſſimorum virorum, Marchio mille quingentos contraxerit.*

Albert. Stad. p. 274.

Chron. Stederb. p. 454.

Gerhardi Richenbergenſis Præpoſiti obitus. *Chron. Stederb. l. c. Spangenb. Sax. c. 221. p. 374.*

Interea eadem anno MCL Richenbergenſibus & Stederburgenſibus ſubtrahitur Gerhardus Præpoſitus, vir in tantum laudandus, in quantum pietas & rei familiaris prudentia intelligi poſſunt. Richenbergæ ipſi Ludolphus, Stederburgi Azo ſubrogantur, ut Chronici Stederburgenſis auctor memoriæ prodidit, quamvis eodem anno 1150. Bebehardum quendam Richenbergenſes præpoſitum fuiſſe didicerim e literis D. Conr. Berth. Behrens. Eccleſias ſuas dereliquit tempore alieniſſimo, & quo tam inaudita frugum ſterilitas has regiones affixit, ut modium ſiliginis X. ſolidis, quadrans VI. talentis veniiſſe, obſervent cladum ejusmodi publicarum catalogi.

Viſitatio eccleſiarum Goslarienſium.

Quo magis autem ſæviebat fames eo gravius Bernhardus Episcopus diœceſis ſuæ commodis erat intentus. Nam anno proxime inſequente totam luſtrans vicinam, noſtram quoque civitatem ingreditur, quanquam, ſi vera fatear, in hac eccleſiarum viſitatione magis bonorum & opum, quam pietatis incrementa videtur ſpectaſſe. Binæ in Curiæ Grisonum Monaſterio literæ Bernhardi ſupersunt, hac occaſione datæ, quarum finem adjicio:

Hujus rei teſtes ſunt Canonici majoris

eccleſiæ Goslariæ: *Bertoldus* presbyter, *Herimannus* presbyter, *Bovo* ſubdiaconus, *Rembertus* ſubdiaconus. Actum *Goslariæ in forenſi eccleſia*: Anno incarnationis Dominicæ MCLI. Teſtes vero hujus rei ſunt hi: *Arnoldus* majoris eccleſiæ præpoſitus & Canonici: *Iohannes* presbyter, *Eſicus* Diaconus, *Benno* præpoſitus montis B. Georgii, *Heinricus* ejusdem eccleſiæ decanus & Canonici *Wicbertus*, *Winmarus*, *Iſelbertus*, *Azo* [*an is, quem Stederburgenſem præpoſitum hoc anno renunciatum dicit cognomine chronicon.*] presbyteri - *Luidolphus* Richenbergenſis præpoſitus, & *Elferus* presbyter, *Gunterus* præpoſitus de Heninge, *Lambertus* diaconus Capellanus meâs, Laici: *Adelbertus* Marchio, *Luidolphus* Comes (: *Woltingerodanus*:) Rodericus de Gundersleve-Goslarienſes: *Adelricus*, filius *Rudolphi* de Capella, *Theodoricus* de Domo, *Wulfingus*, *Reinoldus* & frater ejus *Arnoldus*. Miniſteriales Hildenesheimenſes: *Cono*, *Iſer*, *Erneſtus* Dapifer, *Conradus* Pincerna, *Ecbertus* Marſcalcus, *Volcoldus*, *Conradus*, *Fridericus*, *Hiſcelcus*, *Lodewigus*, *Bertoldus*, *Wetego*, *Wigmannus*, *Berchtoldus* Oſterodenſis, *Geltolphus* & *Lunthartus*. Actum *Goslaria in monte S. Georgii* martyris: Anno incarnationis Dominicæ MCLI Indict. XIV, XII. Calend. Aprilis. Amen.

Ringelheimenſe monaſterium Benedictinis addicitur.

Lezn. l. 2. c. 53. citrõ. Hildeſ. MSC. Reutel. Chron. Epiſc. Hildesh. p. 88. Chron. S. Michaël. Hildesh. p. 519. tom. 2. ap. Meibom. Bunting. part. 1. chron. Brunſv. p. 141.

Sed omnium maximam & notatu dignisſimam reformationem hoc anno ſubiit Ringelheimenſe cœnobium, quod Diœceſi Hildeſienſi hoc anno accesſit, cum adhuc principum filiabus hospitium præbuiſſet, ſummaq; libertate fuiſſet uſum. Cum autem, nescio quo caſu, hujus eccleſiæ fortunæ inclinari, ipſa quoq; diſciplina monaſtica collabaſcere paulatim cœpiſſet: Conradus rex Abbatiam hanc ea lege donavit Bernhardo Episcopo, ut dimiſsis virginibus coloniam S. Benedicti ordinem profeſsam ſubrogaret. Miſsi ergo ex cœnobio S. Michaelis Hildeſienſi *Rudolphus* Abbas aliiq; fratres, qui disciplinam ibidem ad S. Benedicti regulas inſtituerent. Ex quo tempore Ringelheimenſe monaſterium adeo ad priſtinum ſplendorem adſpiravit, ut hodienum pleraq; alia ſui ordinis in diœceſi Hildeſienſi anteire videatur. Buntingius equidem iſtam hujus monaſterii revolutionem in annum rejicit MCLIV, quo Bruno Hildeſienſi ſedi jam præerat, primumq; Abbatem vocat *Rutigerum*, a quo discedit Leznerus annum aſsignans MCXL, ſed omnium certisſime res patet ex ipſis Conradi Regis tabulis a Conrado Bertholdo Behrens viſis, datisq; anno MCLI, III. Cal. Auguſti.

Behrens Catal. Præpoſ. Hildeſ. p. 3.

Annus Chriſti 1152.
Conradi III. Reg. ult.
Friderici I. Reg. I.
Ab V. C. 229.

ANnum ingredimur a milleſimo quinquageſimum ſecundum, repentino Conradi regis obitu luctuoſum. Cum enim hic optimus princeps Germaniæ ſummam tranquillitatem reſtituiſſet, Italiamq; denuo à Rogerio Siciliæ Tyranno vexatam ingredi paraſſet, poſt tot triumphos exciſosq; terrores reipublicæ Bambergæ morbo ſubitaneo correptus XV. Cal. Martii exſpiravit: ita, ut quædam præbiti veneni in corpore apparerent notæ, in crimen venientibus Medicis Italis, qui a Rogerio ad hoc ſcelus emti credebantur. Seu fatalem ſeu conflatam inſidiis, ut aliqui prodidere, obierit mortem: vitam certe laudatiſſimam egit, ſalute reipublicæ tanquam ſuprema lege ſibi propoſita, quamvis familiæ Guelphicæ oppreſſio multorum meruerit cenſuram, quod ultio iſthæc privato odio magis, quam publicæ vindictæ data viſa eſt. Corpus exanime Bamberga Laureshamum perve-ctum digno conditorio infertur, quanquã & Spirenſes & Bambergenſes hujus Imperatoris exuvias ſibi vindicent. Epitaphium ejus hoc vulgo circumfertur:

Conradi regis obitus.

Otto Friſ. l. 1. c. 63. de geſt. Frid. p. 446. & l. 7 Chr. c. 35. p. 166. Dodech. p. 474. Otto de S. Blaſ. c. 4. p. 198.

Qui veſtes geritis pretioſas, quæ ſine fine
Non proventuras accumulatis opes:
Diſcite, quam paucis opibus poſt funera ſitis
Contenti, ſaccus ſufficit atq; lapis.
Conradus jacet hic, qui tot caſtella, tot urbes
Poſſedit, tumulo clauditur iſte brevi.

Lehman. chron. Spir. l. 5. c. 49. p. 457. ſq.

Mortuoitaq; Conrado Imperium defertur Friderico, ejus ex fratre nepoti, conſiliorumq; omnium, ſed & belli ſacri ſocius, cui ipſe morti proximus imperii inſignia obtulerat, filiolumq; Fridericum ob immaturam ætatem imperio minus aptum commendaverat. Et eo proniori-bus quidem principum ſuffragiis itum eſt in Fridericum, quo major affulſit ſpes, fore, ut hæreditaria, quæ Guelphi & Gibellini adverſus ſe invicem exercebant, odia tandem aliquando imminuantur, cum Fridericus paterno ſanguine Gibellinos, materno Guelphos attingeret, ut præcipue obſervat Abbas Vrſpergenſis. Hinc a principibus conſentiente voto Aquisgrani deductus ab Arnoldo Colonienſi Archiepiscopo corona regia cingitur, præſentibus Hilino Treverenſi, Henrico Leodienſi, Ottone Friſingenſi, Ortlero Baſileenſi, Henrico Conſtantienſi & Friderico Monaſterienſi præſulibus, ipſo quoq; Henrico Leone duce & Alberto Marchione.

Fridericus cognomine barbus Imperator eligitur.

Schat. l. 8. annal. Paderb. p. 789 P. 1. Otto Friſ. l. 2. c. 1. de geſtis Friderici. p. 447. Abb. Vſp. p. 282. Gunther. l. 1. Ligur. p. 280. ſq. ap. Reub. Otto de S. Blaſio c. 5. p. 118.

Peractis Coronationis ſolennibus Fridericus peragratis Rhenanis civitatibus per Weſtphaliam Saxoniam ingreſſus, viciniam noſtram ſalutavit. Menſe enim Majo Regem Goslariæ noſtræ egiſſe de-

Rex Goslariæ agit.

cet

cet ejus diploma præposito & Canonicis montis S. Georgii concessum, quo omnia hujus monasterii bona in Suanenbec suo consensu firmavit. Literæ quæ præter alios testes etiam Annonem Goslariensem Advocatum memorant, datæ sunt Goslariæ anno Incarnationis Dominicæ MCLII. id. Maji.

Comitia Mersburgensia. *Helmold. l.1.c.73. p.167. Chron. mont.Ser. p.25.sq. Otto Frisi. l.2. gest. Frider. c.5.p.441. Cranz.l.5 Dan.c.31. Spangenb. c.222. Sax p.375. Cunth.l.c. p.252.sq. Schat.l.c. p.78. Paderb.*

E Saxonia nostra Rex Merseburgum ad comitia habenda properat. Nihil ibi habuit antiquius, quam exitiale odium, quod inter Austriacum & Saxonem Henricos adhuc intercesserat, extinguere; sed neutro juribus suis cedere volente, res non est ad liquidum perducta. Alia in his comitiis felicius transacta constat. Suenonem enim, Canutum & Waldemarum de regno Daniæ litigantes, Fridericus felici industria compescuit, Magdeburgensibus de Archiepiscopo eligendo in factiones euntibus ipse Wigmannum Numburgensem Episcopum inconsulto papa præfecit, Alberto Vrso Marchiam Brandeburgicam dedit, Bohemicas controversias decidit, magnoq; nisu asseruit imperii majestatem. Ceterum principum, qui his comitiis interfuerunt nomina e Corbeiensi diplomate a Schatenio prolato patent. Testium enim loco adscriptos deprehendes: *Suenonem regem Danorum, qui ibidem regnum suscepit de manu Domni Regis, Knut, alterum Danum, qui ibidem regnum in manum Domni Regis refutavit, Hartvvigum Bremensem Archiepiscopum, Othelricum Halberstadensem Episcopum, Burchardum Argentinensem Episcopum, Wicmannum Citicensem Episcopum, Danielem Pragensem Episcopum, Bernhardum Patherbornensem Episcopum, Heinricum Mindensem Episcopum, Heremannum Ferdensem, Anshelmum Havelbergensem, Emehardum Mechelembergensem, Wikkerum Brandenburgensem, Marquardum Fuldensem Abbatem, Heinricum Heresfeldensem Abbatem, Arnoldum Niemburgensem Abbatem, Heinricum Ducem Saxoniæ, Domnum Welphonem avunculum ejus, Conradum Marchionem de Misnia & filios ejus, Marchionem Adelbertum & filios ejus.*

Anni Christi 1153. 1154.
Friderici I. Reg. 2. 3.
Ab V. C. 203. 231.

Fridericus studet conciliare Duces

FRidericus Rex interea nihil non agebat, quod ad conciliandos Henricos Austriacum & Saxonem, restituendamq; pristinam Germaniæ tranquillitatem videbatur pertinere. Quamobrem comitiis passim institutis, sæpius causam hanc agitavit; sed semper spem fefellit eventus, vadimonium deserente Austriaco, & quævis experiri parato, priusquam tam opimo Bavariæ ducatu excideret. Felicius sequente anno inveteratæ hæ lites sublatæ sunt. Fridericus enim Rex Saxoniam pacifice ingressus, ipso quadragesimali jejunio Goslariæ comitia ad dirimendam hanc controversiam indicit, cui cum more suo denuo se subtraheret Henricus Austriacus, Regis principumque sententia Bavariæ Ducatu exutus, solaq; Austriæ marchia cum Ducis titulo contentus esse jussus est. Atque adeo Goslariæ Henricus avitum ducatum recepit, quem ibidem pater aliquot ab hinc annis amiserat. Attamen in ipsam patrimonum sui possessionem non est prius immissus, quam Cæsar ex Italia, in quam hoc anno expeditionem susceperat, rediret. Vnde ab Andrea Ratisbonensi, Chronographo montis Sereni, Auentino aliisq; Saxoniæ Bavariæque Scriptoribus conventus hic Goslariensis omittitur, restitutioque Heinrici refertur in annum MCLVI, quod tamen de executione tantum decreti Goslariensis intelligendum est. Comitiorum certe Goslariensium, in quibus Henricus communi principum suffragio in integrum restitutus est, meminit etiam Guntherus in Ligurino:

Tandem instante pio vehementer Saxone Regi,
Ac repetente suum penitus sine fine ducatum,
Quem castris adeire suis Rex ipse parabat;
Goslariam proceres & partem litis utramq;
Evocat, hic, patruo causam fugiente, nepoti
Reddidit evictum, servato jure, ducatum.

Austriæ & Saxoniæ. Henr. Leo in comitiis Gosl. Bavaria recipit. *Otto Frisi. l.2. c.11. de gest. Frid. p.452. Abb.Vrsp. p.283. Spangenb. c.222. Chron. Sax.p.376 Sagittar. Origg. Brunsv. p.43. Schlœpk. part. I. Chron. Bardev. c.13. p.183. Gunther. l.1. Ligur. p.299. ap. Reuber.*

Ex eo tempore, quo Bavariam legibus recuperare studuit Henricus, titulo quoq; suo eam cœpit adscribere, cum paulo ante Henricus Austriacus hoc dignitatis nomen usurparet, quod Schurzfleischio teste non prius dimisit, quam anno MCLVI. Henricus Leo juri suo in Marchiam orientalem antea ducatui Bavariæ lege beneficiaria obnoxiam renunciavit. Interea tamen ut jus suum testaretur Henricus Leo, ipse quoq; ut dixi Bavariæ titulo usus est. Luculentur hoc testantur binæ ejus literæ, quibus hoc anno ecclesiæ Richenbergensi bona nonnulla partim ab aliis tradita addicit, partim ipse pro animæ suæ remedio liberaliter offert. Earum alteras ob insignem testium numerum multaque, quæ continet, notatu digna hic placet recensere integras, ex ipso autographo accurate descriptas:

Henrico Leo Richenbergensibus benefacit. *Schurzfleisch. dissert. de Henrico Leon. p.14. not. * **

IN nomine scę & indiuiduę trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia dux Saxonię & Bawarię. *Quoniã deus cũ sit oẽnipotens potestatis sue regimen nobis aliquatenꝰ cõmunicare dignatꝰ est. ualde congruũ arbitrari debemꝰ. munificentiã eiꝰ quanta possumꝰ deuotione regratiare. quatinꝰ diuinitꝰ concessa beneficia*

cia possimus uberius conseruare. & aliquantã boni meriti portionẽ ipso clementer amministrante noris aiabus prẽparare. Hujus rei gratia contuli ẽcclẽ Richenbergensi pro aiẽ meẽ remedio de justa patrimonii mei hæreditate duos mansos in Ramtiggerode sitos cum universis utilitatibus ad ipsos pertinentibus. qui fuerunt beneficium cujusdam ministerialis mei Godefridi filii Lendikonis. de rivo qui Ruma dicitur. sed ipse michi eos ad hoc ut ẽcclẽ conferrẽ resignavit. Verũ quia beatissimẽ genitricis dei patrocinio me uberius contutari exopto. visũ est michi consentientibus in hoc ipsũ ministerialibus meis id superaddere. ut quicquid juris & proprietatis possederã in monte qui vulgo Nortberch dicitur prẽdictẽ ecclẽ in possessionẽ legitimẽ hereditatis ex integro contraderẽ. quatinꝰ memoriam meam cunctis mihi consistentibꝰ prẽsentibꝰ & futuris imposterũ cum benedictione relinquerẽ. Dedi igitur ẽcclẽ Richenbergensi quicquid in prẽdicto monte propriũ habui. cuiꝰ termini sunt a torrente qui dicitur Schobike usq; adriuũ qui appellatur Grana. prẽsente prẽposito eiusdem ẽcclẽ Ludolfo. itemq; Annone ministeriali meo. aduocato Goslariensi. & Herezone ciue goslariensi. quorũ uterq; in eodẽ monte beneficiũ a me possederat. ipsisq; donationẽ meã suo consensu collaudantibꝰ. Proinde ad perpetuã hujus largitionis confirmationẽ prẽsentis paginẽ testimoniũ sigilli mei impressione fideliter cõmunitũ prẽposito & ecclẽ contradidi. contestans; omnes prẽsentes & futuros. ne quisquã heredũ meorũ hanc meã donationem rescindere aut irritã facere prẽsumat. Quod si sciens hujus rei ueritatem contraria temptauerit. nisi se correxerit, justi judicis JESU CHRISTI & sctæ genitricis eiꝰ uirginis Mariẽ quẽ ejusdẽ ecclẽ principalis contutatrix est. ultioni subjaceat. Testium qui presentes fuerunt hẽc sunt nomina. Clerici ericus archidiaconꝰ

de Richenberg *diaconi*
Liudolphus prẽpositꝰ. & fratres ejus Gerhardus & Rudolphus

mõtis sci georgii *presbyter* *de Scõ Jacobo*
Benno prẽpositus. & Wicbertus. Tidericus. Laici liberi.

de vualtiggerod
Liudolphus comes. & fratres ejus Burghardus & Hagerus. Bern-

hildenesheimensis *de Werniggerod* *de menerischeim* *de Svvalen.*
hardus uicedominus. Adelbertus. Liuthardus. uolcouin,

de lippa *de Scildeberg* *de getlide*
hermannus. Geroggus. Widego. & frater ejus

de hagen *de Riudim*
Adelhartus. Guncelinus. Eggebertus filius Haoldi. &

de burne *de burchtorpe* *de Dorstide*
Johannes filius Haoldi. Adelhardus. Arnoldus.

de heimburg *de vvida* *de hertesberg*
Ministeriales. Anno Heinricus. Liuppoldus

de osterrod *de Wulferbutele* *de gustidde.* *de derse*
Wernerus. burchardus. hermannus. Tiedolfus.

de osterrod *de brunsvic* *de*
Liuchardus. Liudolphus filius Baldewini. Ecbertus

Wulfer bu te le
& Borchardꝰ filii Borchardi. Henricus filius Annonis

de uolcmariggerod *Eremberti*
fredericus. Basilius. alexander rudolphus filii

de Stenfen boreh *de Derdsheim*
Herewigus. Bertoldus. Erenbertus. Edo. Wite-

rein-

de Goslaria *de Liuneborch* *de*
Kindus & Herezo fratres. Walmodus. Sigebodo

pagim *de othberch* *de*
frater bertoldi. Cunnemannus. Bercholdus. Liudol-

pagim *de heere* *de vvalmoden*
fus filius bertholdi. Volcmarus. Tidelinus. Ti-

de vverele *de gerdine* *de Eimbike* *de Bomkenhuſen*
adolfus. Gerhardus. Arnoldus. Madelgero.

de nankeſſem
& frater ejus Eilardus. Hartmannus. Urbani gos-

rodolphi. *filius Herezonis*
larienſes. Odelricus filius. Bodo. & Giſelbertus

frater ejus. & filii ejus Garſilius. bodo. & Herezo

Wicburgis
Liuddagus & Tidolfus frater ejus. Volcmarus filius.

aduocatus richenbergenſis
Thiedericus. & fratres ejus Erenbertus & Tidolfus.

cujus fuit beneficiū
Arnoldus. & fratres ejus Henniko & Thiedolfus. Herezo.

conradi. *albus* *officialis.* *officialis*
Conradus filius. Hermannus. fridericus. bene

ameconis *Wolffiggi*
& filius ejus benno. Thiedericus filius. Bodo filius. Ro-

niger *filius vvalderi*
dolfus. adalwardus. Aluoldus. fridericus & fratres ejo

linarius *aurifex* *linarius*
honoldus & heinricus. Reinwardus. Wernerus. Godeſcalco.

linarius *albus* *lapicida* *filius Wicelonis*
reinzo. Thiedericus. Thiedericus. Godefridus. Landfri-

dus. & filii ejus Landfridus & broder. Eliko. Rick-

nicalar *ruffus* *ruffus* *filius odelrici*
bertus. Wizelo. Volcmarus. Robertus. Rodolfus. odel-

albus *campanarius*
ricus. Heinricus. Hartmannus. Godwinus. Eluizo

niger *de ſcō vito* *parvus* *follicularius.*
Gerhardus. bernhardus. Hawardus. Hizelo. Ro-

ſcutarii *aurifex* *ſellarius* *pugil*
celinus & Achilles. Thancmarus. Ode. Gerwar-

gener dominę de celem, & ipſe *de oſterrod*
dus. Wildinus. Liuderus. Hugoldus.

fucarius
Wideking. thancwardus. & alii quamplures.

Anno dominicę incarnationis M.°C.°LIIII.° Indict. IIa. III.° Non. Jun. tercio anno Frederici regis. primo uero Brunonis epi Hildenesheimenſis, actum goslarię feliciter Amen.

Ex

Ludolphus Woltingerodanus.

Ex hac tabula præstantissima cum alia tum hoc inprimis constat, recte a me Ludolpho Woltingerodano ejusdem nominis filium tribui. Cum enim Ludolphus pater teste chronico Stederburgensi jam superiori anno discesserit, jam vero hoc ipso anno Ludolfus de Waletingerod testem egerit, necessario sequitur, illum filium reliquisse Ludolphum.

Bernhardi Hildesiensis epc. obitus. *Chron. mont. Ser. p. 26. ad a. 1153. Chronog. Saxi ad a. 1154. p. 304 Chron. Bigang. p. 261. ad ann. 1153. Cranz. metrop. l. 6 cap. 41. p. 264.*

Inter hæc superiori anno ad immortalem vitam transierat Bernhardus Hildesiensis episcopus cujus ob insignem dicœceseos suæ curam sæpius fecimus mentionem. Plerique qui ejus vitæ extrema referunt, hoc simul videntur annotare, quod paulo ante discessum suum sacerdotio renunciarit, idque mihi fit eo verisimilius, quod constat, illum senio confectum tantam sensisse virium imminutionem, ut etiam oculorum amiserit acumen. Chronicon montis sereni & Chronographus Saxo: *Bernhardus Hildensemensis episcopus ab episcopatu absolvitur & moritur.* Eodem pene loquendi genere utitur chronicon Bigaugiense: *Bernhardus Hildesheimensis episcopus relaxatur & moritur.* Denique Cranzius diserte eum ob cœcitatem muneri sacro valedixisse perhibet: in eo tamen falsus, quod id anno pontificatus decimo factum autumat. Nam alia omnia docent diplomata æque ac loca e Chronicis montis Sereni & Bigaugiensi prolata; Certe anno MCLII. eum adhuc episcopi dignitate interfuisse consecrationi Adelheidis Gandersheimensis Abbatissæ, docent Reutelius, Bruschius & Chronicon Episcoporum Hildesiensium MSC. Quamobrem rectius eum paucis ante obitum suum mensibus sacerdotale munus posuisse existimaverim. Ceterum

Ei succedit Bruno Præpos. Montis S. Petri Gosl.

successorem nactus est Brunonem, Hildesiensis ecclesiæ Decanum, & Montis S. Petri apud nos præpositum, virum non prætereundum, qui antecessoris sui per omnia pressit vestigia, suamque diœcesin exemplo, pariter & doctrina, quantum ferebat temporum infelicitas, illustravit.

Annus Christi 1155.

Friderici I. Reg. 4. Imp. I.
Ab. V. C. 232.

Friderici gesta per Italiam.

INeunte hoc anno Fridericus Rex in Italia egit, coronam Cæsaream more seculi a Pontifice suscepturus. Quibusvis hunc enim itineris molestiis felici constantia superatis civitatibusque, quæ Imperium Germanorum excusserant, ad officium reductis XIV. demum Cal. Junii Romæ ab Hadriano Pontifice corona cingitur, indignante populo Romano, & se inconsulto id fieri posse, negante. Hinc ex Italia in Germaniam reflexo itinere, mense Octobre Ratisbonam ingressus frequentissima habuit principum comitia, quibus sententia ante biennium in Goslariensi conventu lata rata habetur, & Henricus Leo a vito Bavariæ ducatui restituitur, Austria cum ducatus titulo relicta Henrico ejus vitrico. Sequente etiam anno XV. Cal. Octobris eadem causa Ratisbonæ denuo agitata decretumque superiore anno factum executioni mandatum est. Ut multis retulerunt Aventinus, Andreas Ratisbonensis, Otto Frisingensis aliique hujus notæ scriptores, inprimis autor Chronici SS. Udalrici & Afræ, qui diploma quoque Friderici Imperatoris servavit, plenius tamen & emendatius recensitum in Austria Cuspiniani & Hundii metropoli, ex quo patet pedibus in hanc sententiam iisse *Piligrinum Aquilejensem Patriarcham Eberhardum Archiepiscopum Salzburgensem, Ottonem Episcopum Frisingensem, Chunradum Episcopum Bambergensem, Hartmannum Brixiensem Episcopum, Hartmannum Ratisbonensem & Tridentinum Episcopum, Dominum Welffonem, Ducem Chunrādum fratrem Imperatoris, Fridericum filium Regis Chunradi, Hermannum ducem Carinthiæ Marchionem Engelbertum de Salburg. Istriæ Marchionem Albertum de Padem, Dietpoldum, Heinricum Palatinum Comitem de Rheno, Ottonem Palatinum Comitem & fratrem ejus Fridericum & alios quam plures.*

Ann. Aventin. l. 6 p. 505. Andreas Ratisb. Chron. Otto Fris. l. 2. de gest. Frider. c. 22. 27. 28 p. 464. 469. Spangenb. c. 223. p. 376. sq. Chr. Sax. p. 376. p. 305. Alb. Urst. p. 292. p. 283. Avent. l. 6 p. 505. Andreas Ratisb. Chron. mont. Ser. p. 27. & 30. Chron. SS. Udalr. & Afræ p. 339. sq. ap. Otto de S. Blas. c. 6. p. 198. Hund. metrop. tom. 1. p. 113. Conf. Tenzel. dial. menstr. 1689. p. 558.

Sed dum in exteris moror, ad res domesticas mihi video redeundum. Oportune itaque se mihi offert ecclesia SS. Simonis & Judæ, ad quam ipsam quoque fructus aliquis rediit Italicæ profectionis a Friderico I. susceptæ. Cum enim occasione arrepta istius ecclesiæ Canonici Pontificem de novis privilegiis sollicitarent: Adrianus votis illorum annuens omnia jura privilegiaque ecclesiæ luculento diplomate instauravit, & illustrem urbis nostræ sacrum locum in peculiarem suscepit tutelam:

Adrianus Pontifex Ecclesiæ SS. Sim. & Judæ privilegia instaurat.

ADRIANUS Episcopus Servus Servorum Dei. *Dilectis filiis Canonicis Goslariensis ecclesiæ tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum effectum. Justa postulantibus indulgere vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulatis clementer annuimus & præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem*

dem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda, possessionem videlicet quam habetis in Slansteten, *quam felicis memoriæ prædecessor noster papa* Victor *secundus inter alias ecclesiæ vestræ possessiones vobis suo privilegio & vestris antecessoribus confirmavit, possessionem quoque in* Wischeribe *quam inclitæ recordationis* Conradus *secundus Romanorum rex ad usus fratrum Domino inibi famulantium pro remedio animæ suæ concessit vobis & successoribus vestris auctoritate sedis Apostolicæ confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorũ gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi præsumtionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemtoris nostri JEsu Christi aliena fiat atq; in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. amen.*



† Ego *Adrianus* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus *ss.*

† Ego *Hubaldus* presbyter Cardinalis tt. S. Praxedis *ss.*
† Ego *Manfredus* presbyter Cardinalis tt. S. Savinæ *ss.*
† Ego *Julius* presbyter Cardinalis tt. S. Marcelli *ss.*
† Ego *Octavianus* presbyter Cardinalis tt. S. Cæciliæ *ss.*
† Ego *Heinricus* presbyter Cardinalis tt. SS. Nerei & Achill. *ss.*
† Ego *Guido* Diac. Card. S. Mariæ in porticu *ss.*
† Ego *Johannes* Diac. Cardinalis SS. Sergii & Bachi *ss.*
† Ego *Gerardus* Diac. Cardinalis S. Mariæ in vita lata *ss.*
† Ego *Odo* Diac. Cardinalis S. Nicholai in carcere tulliano *ss.*

Datum *Sutrii* per manum *Rolandi* S. Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis & Cancellarii XVI. Kal. Junii Indict. III. Incarnationis Dominicæ anno MCLV. pontificatus vero Domini *Adriani* PP. jjjj. anno I*mo.*

Adelbertus Marchio

Nec minus Adelbertum Marchionem eadem ecclesia hoc anno experta est beneficum. Extat enim ejus diploma notatu dignissimum, quo Niutæ cujusdam libertatem ratam habet, quod subjicere me non piget: ecclesiæ SS. Sim. & Judæ benefacit.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Eà præcipue oportet scripto commendare facta, quorum ad posteros necessaria est memoria. Ego Marchio *Adelbertus* notum volo esse omnibus Christi fidelibus, hoc privilegium legentibus vel lecturis, quod quidam Christi fidelis *Niuta* (*) nomine ad altare in honorem Domini nostri *Jhesu* Christi ejusq; genitricis perpetuæ virginis *Ma-*

(*) *Ex ipsis Niutæ literis quæ extant, patet eum Clericum uxoratum fuisse, contestali enim & liberis nepotibusq; suis jura nonnulla reservat, cum se in literarũ exordio Clericũ vocet.*

riæ & beatorum apoſtolorum *Symonis* & *Judæ* & *Matthiæ* & SS. *Martyrum Ruſtici* & *Venantii* nec non & electorum. Confeſſorum *Valerii & Servatii* in *Goslar* conſtructum *iij* manſos cum *Vij* areis ſuisque pertinentiis in proprium delegavit & contradidit ſitos in villa, *Handorp* nominata, conſentiente quidem & collaudante hærede ejus & eccleſiæ advocato videlicet *Henrico iij* Imperatore *ij* ceterisq; quorum collaudatio vel teſtimonium ad hoc erat neceſſarium. Tradidit autem eo pacto, ut eccleſia prædictum prædium poſſideat, ſed prædictus *Niuta* in beneficium ab eccleſia obtineat, poſt eumque contectalis illius *Frumut* ejusq; filii filiorumq; proximi filii poſt quos eccleſiæ penitus vacet. Interim vero quicunq; illorum prædictum prædium eccleſiæ in beneficium obtineat ſingulis annis in inventione protomartyris *Stephani* ſtatutum cenſum id eſt *ſolidum* unum eccleſiæ perſolvat per quem ei poſſeſſionem ſuam recognoſcat. Quod ſinguli ſuis temporibus fideliter compleverant. Poſſedit itaque eccleſia prædictum prædium plus quam per octoginta annos usq; ad mea tempora quieta poſſeſſione & jam omnibus defunctis, qui ad beneficium deſignati erant omnino vacat eccleſiæ. Unde ego Marchio *Adelbertus Goslarienſis eccleſiæ poſt Regem advocatus* comesq; Cometiæ in qua prædicta poſſeſſio ſita eſt, illam eccleſiæ Gosl. recognoſco, & banno regio in placito provinciali confirmo & privilegii mei atteſtatione & ſigilli mei impreſſione corroboro, ut eccleſia poſſeſſionem ſuam utpote penitus ſibi vacantem libere poſſideat, nullusq; illorum ſucceſſor vel meus, nullusq; alius, eam de prædicta poſſeſſione inquietate præſumat. Aut ſi quis illam de ea pulſare attemptaverit, ob teſtimonium hoc veritatis viſum ſponte deſiſtat, vel invitus ſuccumbat. Nomina autem teſtium qui huic confirmationi affuerunt hæc ſunt: *Rudolfus* de Snetlingen, *Burchardus* comes de *Valkenſtein*, *Frithericus* de Hacaburnen, *Luiderus* de Grebene, *Volcmarus* de minori anegre in esleve, & ejus filii *Conradus*, *Gero*, *Otto*, *Ruothardus* de Snetlingen. *Erpho* de Snetlingen & ejus frater *VVilhelmus*, *Luiderus* de Snetlingen. Widekinus de Snetlingen & alii de Snetlingen eorum conſimiles, *Bruno* de Sethorp & alii ipſius conſimiles, *Fridericus* de Wideſtorp & alii liberi de Wideſtorp & de Daldorp, *Everhardus* de Reinſteden & alii liberi in eadem villa manentes. *Tidericus* de Aſchersleve, *Arnoldus* de Redere *Burchardus* de Gerſtorp & ejus filius *Ruotholfus*, *Frithericus* de Gatersleve & *Eico* ejus concivis, *Elvericus* & *Gevehardus* & alii Schephenen de Winningen, *Fridericus* de Hardeſtorpus, *Huſvvardus* de Hacaburnen, *Heinricus* de Annendorp *Fridericus* & ejus frater *Luiderus* de Eilwardeſtorp, *Burchardus* de Wilmarſtorp, *Otto* & ejus frater *Conradi* filius *VVichoch* & ejus frater *Sigelogus* & *Adelgozus* & alii nobiles, *Bruno* de Gutenſtein & *Bernhardi* filii de Spelingen, *Iſo* & *Adelbertus* frater ejus de *Querenbeke*, *Burchardus* Comes de Valkenſtein, *Eſicus* de Burnenſtede, Cono de Wipera; Comes *Bethericus* de Gibelenza & ejus frater, *Elveri us* de Merengen, *Conradus* de Dromthorp, *Gardolfus* de Hathamersleve, *Eckehardus* de Burnim & filius fratris ejus *Heinricus*, *Rothericus* de Gundersleven & frater ejus *Rothardus*, *Guntherus* de Wigeleven & nepos ejus *Radulfus*, *Adelbertus* de Orsleven, *Hildevvardus* de Emmenthorp, *VValtherus* de Arnſtede & *Conradus* & Adelbero filii patrui ſui, Willehelmus & *Othelricus* de Amersleve, *Gerharde* de Thietvorde. Data in *Aſchersleve* Anno Dominicæ incarnationis MCLV.

Adelbertus Goslariensis eccleſiæ advocatus. *Vid. Knaut. antiqv. Ballenſt. c. 30. p. 114.*

Eſt hic Adelbertus Marchio Soltwedelenſis & Brandenburgenſis Ottonis filius, cujus cum Henricis ſuperbo & Leone agitatas lites ſupra attigimus ſæpiuſcule. Hujus literas vel ideo placuit adjicere, quod nos de Aduocatia eccleſiæ SS. Simonis & Judæ præclare inſtruunt. Primo exinde diſcimus, ipſos Imperatores hujus eccleſiæ eſſe advocatos: Eo enim nomine diſerte hic appellatur *Henricus* IIII. Imperator cujus patrem id muneris ſibi & ſucceſſoribus retinuiſſe, patet etiam ex *Leonis* & *Victoris* Pontificum literis ſuperiore libro a nobis relatis. Deinde & hoc ex illis colligimus, præter Imperatores etiam alios delectos fuiſſe hujus eccleſiæ patronos, qui ſe *Goslarienſis eccleſiæ poſt regem advocatos*, hoc eſt Imperatoris in advocatia vicarios vocabant. Cum enim reipublicæ negotia Imperatoribus crebras imperarent profectiones, nec illis ſemper in eccleſiæ hujus conditionem liceret coram

ram intueri: potenti cuidam principi aut Comiti id muneris ſolebat demandari, quibus tamen tantum abeſt ut eccleſiæ bona in rapinam ceſſerint, ut potius nihil inconſulto Imperatore illis liceret agere. Lothario imperante hoc munere fungebatur *Ludolphus Comes Woltingerodanus*, de quo jam ante plura pleniore manu dedimus. Huic tantæ religioni erat quicquam imprudente Lothario agere, ut ne auderet quidem concambium inter eccleſiam hanc & Richenbergenſe monaſterium initum approbare niſi accederet Lotharii ſuffragium. Quamvis autem non dubitemus, a Ludolpho plures alios huic muneri præfuiſſe, nullius tamen ex eo tempore ſuperſtes eſt memoria præter Adelberti hujus Marchionis. Poſt illum vero haut veriſimile eſt, multos alios huic muneri eſſe admotos. Cum enim ſucceden-te tempore adeo invaleſceret Advocatorum audacia, ut in infeſtum hominum genus peſſimasque Harpyas degenerarent, conſultum viſum eſt Imperatoribus Advocatorum hujus eccleſiæ jura partim penitus extinguere, partim ita ſuis circumſcribere limitibus, ne eccleſia inde quicquam caperet detrimenti. Qua de re paulo poſt ad Friderici diploma cum cura diſpiciemus. Patet inde, quid ſentiendum ſit de eorum ſententia, qui illuſtri Steinbergiorum familiæ hujus eccleſiæ advocatiam hæreditariam fuiſſe aſſerunt. Plane enim hoc pugnare videtur cum diplomatibus, quæ hoc munus ab imperatoribus non ſingulari cuidam familiæ, ſed modo his modo aliis demandatum docent. Et certe, cum jam Boldewini Steinbergii qui anno circiter MXXX. floruit, temporibus nobilis hæc advocatia a Steinbergiis ad alios translata dicatur: alterutrum ſtatuendum videtur, illam aut nunquam aut brevi admodum tempore penes hanc familiam fuiſſe. Conſtat enim eccleſiam SS. Simonis & Judæ anno MXL inchoatam & vix anno ML fuiſſe perfectam. Id quod ipſe ſibi obſtare animadvertit Dnus Conradus Bertholdus Behrens. Quamobrem in eam adducor ſententiam, ut credam, Illuſtres Steinbergios olim non quidem eccleſiæ ipſius; attamen bonorum quorundam ad hanc eccleſiam pertinentium advocatos fuiſſe. Ita enim & Principes Anhaltini & Comites Wernigerodani & Slademenſes & nobiles de Wedesdorp & Hadmersleven aliæque plures per Saxoniam illuſtres familiæ advocatiæ jura in variis hujus eccleſiæ bonis obtinuerant. Forte igitur & Steinbergii ejusdem generis fuere hujus eccleſiæ advocati, quod non attendens Leznerus aut alius genealogiæ ſcriptor ipſam ſubſtituit eccleſiæ advocatiam: eamque per errorem Steinbergiis aſſeruit hæreditariam.

An nobilis hæc advocatia Steinbergiis fuerit hæreditaria. *Conr. Bertb. Behr. geneal. Steinb. c. 1. n. 5. p. 3.*

Richenbergenſibus &

Ex civitate in viciniam deferimur, ubi Richenbergenſe æque ac Montis S. Georgii monaſteria novis juribus ac privilegiis hoc anno aucta deprehendimus. Cum enim plures tunc ea tenerentur perſuaſione, ac ſi mollius in monaſteriis quam alibi oſſa quieſcerent: non pauci etiam ex civitate in vicinis his monaſteriis exuvias ſuas deponendas deſtinabant. Repugnantibus vero plebanis noſtris, Epiſcopus demum Bruno ſuis tabulis ſub certis legibus rem permiſit. Diplomata utriusque eccleſiæ eodem fere verborum ordine conſtant, niſi quod Richenbergenſe teſtes quosdam habet adſcriptos, qui in altero non comparent.

Monti S. Georgii privilegia augentur.

Illorum hæc ſunt nomina: *Rainoldus majoris eccleſiæ præpoſitus & Montis S. Mauritii & Montis S. Petri Goslariæ, Hermannus* Decanus, *Eſico Archidiaconus Goslarienſis*, *Eggehardus* præpoſitus de *Embieke* * *Bertoldus* Archidiaconus de Herrige, *Franco* Abbas S. Michaëlis ** *Fridericus* Abbas S. Godehardi, *Lindolphus* præpoſitus Richenbergenſis, *Benno* præpoſitus S. Georgii, *Gunther* præpoſitus de *Heyninge*, *Hartwardus* præpoſitus de *Lammeſpringe*, *Tanckerus* de Sulzia & cæteri complures. Anno Dominicæ incarnationis MCLV. Indict. III. II. Nonas Februar. Actum *Hildenesheim* feliciter Amen.

Ex his teſtibus maxime videtur, celebrandus *Rainoldus* Daſſelenſis Comes, e præpoſitura Hildeſienſi majori nec non S. Mauritii & Montis S. Petri Goslarienſis ad Ubiorum Archiepiſcopatum evectus. Patre uſus eſt Ottone Comite Daſſelenſi, matre Salome Pleſſenſi. Cum autem pater peregre abiiſſet, tantoque abfuiſſet tempore, ut plerique illum exiſtimarent periiſſe: Rainoldus ſvaſu Adelhogi Goslarienſis canonici bonis literis navavit operam in quibus tantum profecit, ut ſubito eminere, ſummisque honoribus dignus haberi cœperit. Nam præpoſitura majori & S. Mauritii Hildeſiæ ornatus id quoque impetravit, ut tertia apud nos accederet Montis S. Petri, in quarum adminiſtratione ita ſe geſſit, ut omnibus ſe facile probaret. Certe non veteres tantum eccleſias ſuis opibus ſtabilivit, verum etiam novas condidit, inprimis eccleſiam collegiatam S. Johannis Hildeſienſem, quam deinde collapſam paulatim reſtituit Hartbertus Epiſcopus. Non potuit ergo ejus prudentiæ fama latere diutius, qua compulſus Fridericus Imperator non modo illum Cancellarium ſuum creavit, verum etiam id dedit operam, ut Archiepiſcopatui Colonienſi admoveretur. Quod quo tempore factum ſit mira ſunt ſententiarum divortia. Petrus Merſæus illum ſacerdotium hoc impetraſſe dicit anno MCLXIX. Sed utrobique typographi oculos fefellit numerus. Certo enim conſtat,

Reinold. Præp. montis S. Petri Gosl. poſtea Colonienſis Archiep. *Lezn. l. 1. Chron. Daſſelenſ. c. 7. fol. 7. 8. Petrus Merſæus de elect. eccleſ. c. 1. n. 44. p. 1300. Mallinck. de Archic. & Cancel. Imp. p. 75. Levold. & Northof. Catal. Archiep. Colon. p. 7. Gromb. catal. Eccleſiaſt. Colon. p. 15. ap. Meib. Radev. l. 1. de geſt. Frider. c. 18. p. 487.*

* *Omiſſas a Lezn. l. 6. c. 3. Chron Daſſelenſ. & Einh.*
** *Meibom. tom. 2. rer. Germ. p. 519. Gelen. Sacr. Col. p. 248. Behrens p. 3. Catal. Præp. Hildeſ. Lezn. l. 2. Chron. Hild. MSC. c. 6.*

ſtat, Friderico illi in expeditione Italica ſuccumbenti, anno MCLIX. ſubrogatum Reinoldum noſtrum, qui ipſe quaque Imperiali comitatui tum intererat. Ex eo tempore perpetuo Friderici adhæſit partibus, omniumque ejus conſiliorum fuit particeps, quod adeo ægre ferunt adverſæ partis hiſtorici, ut eum ſchiſmaticorum anteſignanum mundique ruinam vocent. Cujus cognominis originem ſatis, ut videtur, fabuloſam pandit Chronicon Monti Sereni; *Quem quidem talem futurum eſſe, ipſe de ſe cum puer eſſet, prophetante, ordinator omnium Deus modo mirabili declaravit. Fertur enim, quod cum in ſcholis Hildenesheim puer nutriretur, quodam tempore ſcholaribus in meridie quieſcentibus, iſte inter ceteres dormiens, repente hujusmodi vocem emiſit: Ego ſum. Quod cum ſæpius repeteret, Magiſter qui præſens erat, nec dormiebat, eum percontari ſtuduit, dicens: quis es tu? tum ille reſpondit; ego ſum ruina mundi; Exinde a coætaneis ſuis ruina appellatus eſt.* Obiit demum in Italia anno MCLXVII.* Ne autem ſola diplomatis ſuperioris autoritate videamur aſſerere, Rainoldum hunc eccleſiæ Montis S. Petri apud nos Præpoſituram geſſiſſe, en & aliud ſubjicimus, ab ipſo Rainoldo confectum, ex quo res eo dilucidius conſtabit. Aſſervatur id in Richenbergenſium tabulariis, atque eccleſiæ huic omnes ſylvas in monte Nortberg addicit, quæ adhuc ad Reinoldum tum ex majoris eccleſiæ, tum ex Montis S. Petri præpoſitura ſpectaverant.

Chron. mont. Ser. p. 31. Chronic. montis Ser. p. 35.

* *Male Lexnerus Reinoldi obitum refert in ann.* MCLXXXI

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. RAINODLUS Dei gratia majoris eccleſiæ in Hildenesheim præpoſitus. Noverit univerſitas Chriſti fidelium tam futurorum quam præſentium, quod fidelis amicus noſter *Luidolphus* Richenbergenſis præpoſitus commiſſæ ſibi eccleſiæ utilitati proſpiciens, cum fratribus ſuis humili poſtulatione a nobis impetraverit, ut in monte ipſis contiguo qui *Northberg* dicitur, quicquid ad jus noſtræ diſpenſationis pertinebat, ipſis obtinendum concederem ea videlicet interpoſita pactione, ut ipſi deinceps de *Richenberg* de *Bettingerod*, de *Hunerigerod* de *Bennigerod*, de *Stapelen* lignorum cæſioni in nemore circumjacenti ex integro renunciarent. Annuentes igitur eorum petitioni, omne quod ad noſtræ proviſionis officium ſpectabat, *tam ex præpoſitura majoris eccleſiæ, quam & S. Petri Goslariæ nec non, & parochialis eccleſiæ in Herrige* præpoſito Richenbergenſi & fratribus ejus perpetuo poſſidendum contulimus, conſentiente Domino meo *Brunone* venerabili Hildenesheimenſi Epiſcopo, & Canonicis utriusq; Eccleſiæ hujus rei negotium ſuo aſſenſu promoventibus. Ut autem hujus concambii ratio prædictis fratribus in poſterum rata & inconvulſa permaneat præſentis paginæ teſtimonium conſcribi fecimus, quam adnotatione teſtium, ac ſigilli noſtri impreſſione communimus. Sunt autem hi: *Eilardus* & *Lambertus* majoris eccleſiæ Canonici, & *Bertholdus* Archidiaconus de Herrige, *Volkoldus* & *VVerenboldus* & *Henricus Anglicus*, Canonici Montis S. Petri. Laici miniſteriales *VVicpertus Tidericus* filius ejus, *Everhardus* frater ejus, *Hermannus* de Herren, *Berevvardus*, *Conradus*, *Bertholdus*, *Hartmannus*.

Annus Chriſti 1156.
Friderici I. Reg. 5. Imp. 2.
Ab. V. C. 233.

Pax per Imperiũ. *Chron. mont. Ser. p. 30. Otto Friſ. l. 2. de geſt. Frid. Dodech. p. 474.*

QUo turbulentiores adhuc per imperium tempeſtates ſævierant: eo gratior hoc anno cœpit tranquillitas, ex quo Henricus Leo cum vitrico redierat in gratiam. Nullus erat in Germania Imperatori hoſtis, ac ne æmulus quidem, adeo ut ætas aurea Germaniæ noſtræ videretur rediiſſe. Hinc Imperator, poſitis in tempus armis ad pacis ſtudia converſus juridicundo per provincias præerat, rara ſeculi felicitate, quam vix patrum memoria poterat recordari. Nec minus nova familiæ Friderici illuxit fortuna. Nam cum ſuperioribus annis Pontificis ſuaſu priori conjugi dediſſet repudium, jam ad ſecunda vota tranſiturus poſt pentecoſtes anniverſariam feſtivitatem Herbipoli duxit Beatricem, Burgundionum Comitis Reinaldi filiam, quam admodum caram ſemper habuit, quæque numeroſæ prolis cum fecit parentem.

Præpoſitura hoc temporis tractu in eccleſia SS. Simonis & Judæ apud nos fungebatur *Adelhögus* Tiderici Dorſtadiani dynaſtæ filius Arnoldi, cui *Varia Barba* cognomen fecerat; frater, de cujus familia ſuperiore libro quædam in ſcenam produximus. Cum hoc autem generis ſplendore ipſe maxima conjunxerat virtutum ornamenta. A primis enim annis ad ſcholas hujus eccleſiæ traductus, & cooptatus in clerum Goslarienſem tantopere ſe doctrina & pietate commendavit, ut a Canonicatu

Adelhogo Præp. SS. Sim. & Judæ. Lezn. c. 85 Op. MSC. de monaſt. & lib. 2. Chron. Daſſel. c. 1. p. 19. Rent. Chron. Hillesh. p. 90.

Bruſch. c. 11. de Ep. Germ. n. 24. p. 1047.

nicatu paulo poſt ad præpoſituram adſpiraret, quam diutiſſime magna cum laude geſſit, dignus præ ceteris viſus, qui anno MCLXXI ab Hildeſienſi Clero Epiſcopus peteretur.

Ut & montis S. Petri.

Dudum hæc de Adelhogo ſcripſeram cum ſeſe offerrent mihi aliquot diplomata, e quibus Adelhogum hunc ſimul præpoſituræ montis S. Petri præfuiſſe didici. Alterum ipſius Adelhogi eſt, datum anno M.C.LXVII. in quo ſe vocat *Adelhogum Præpoſitum in monte S. Petri Goſlariæ*, alterum Hermanni Hildeſienſis Epiſcopi, cujus partem adſcribo.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HERMANNUS divinæ ordinationis munimine Hildeneſemenſis Epiſcopus. Sicut ex officii noſtri debito monemur eccleſias per dioceſin noſtram conſtitutas idoneis miniſtris ordinare, ita nichilominus ſollicitudini noſtræ competit utilitatibus fratrum inibi Deo famulantium in quantum poſſumus conſulere. Noverit igitur tam futurorum quam præſentium Chriſti fidelium univerſitas, quod nos juſtis petitionibus familiarum noſtrarum *Adelogi* videlicet eccleſiæ beati Petri Goslariæ Præpoſiti, nec non & *Henrici eccleſiæ Sci Stephani in Bremis Præpoſiti ac præfatæ eccleſiæ canonici* annuentes ---- Ut igitur hæc confirmationis ſanctio rata in perpetuum maneat hanc paginam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. In præſentia eorum qui ſupter notati ſunt. *Benno* Præpoſitus de Monte S. Georgii. *Johannes* præpoſitus de Bakkerod. *Reinollodus* Decanus de Monte Beati Petri. *Conradus* Canonicus majoris eccleſiæ in Hildeneshem. *Hildebrandus* Canonicus de monte beari Mauricii. *Bertoldus* de eccleſia Scæ Crucis. *Volbertus* --& Canonici B. Georgii. *VVerenboldus* & *Robertus* Presbyteri. *Johannes* & *Hermannus* diaconi. *Elias*, *Hermannus*, *Erkenbertus*, *Hilleboldus*, *Teodericus*, *Bertoldus* Subdiaconi, & canonici de eccleſia B. Petri. Acta ſunt anno Dominicæ incarnationis M° C° LX° VIIII° Indictione II.

Henricq Præp. Bremenſ Canonicus montis S. Petri.

Excelſe ſane circa hæc tempora floruiſſe oportet hanc eccleſiam, quippe quæ tum tot illiuſtres aluit canonicos. Nam in eodem diplomate præter Adelhogum Præpoſitum mentio quoque fit Henrici, quem cum Archiepiscopalis eccleſiæ S. Stephani Bremenſis præpoſituræ præeſſet non puduit ſimul canonicatu in hac Petrina eccleſia frui, ſuoq; titulo hanc dignitatem adſcribere.

Adelbertus Marchio in Rich. liberalis.

Pari felicitate Richenbergenſe Monaſterium per hæc tempora fortunatum ſuarum incrementa cepit. Huc enim refero diploma Adelberti Marchionis, quo manſum unum in Aſtfeld ab Ottone fratre ſuo huic eccleſiæ oblatum eſſe, ſuffragio ſuo teſtatur.

Notum ſit univerſis fidelibus, qui præſentem paginam inſpexerint, quod ego *Adelbertus* Marchio Brandeburgenſis manſum quendam in *Aſtvelde* ſitum, quem frater meus *Otto* bonæ recordationis pro ſe ſuisq; familiaribus eccleſiæ S. Mariæ in *Richenberge* obtulit, eidem eccleſiæ fruendum libere & absque omni contradictione concedo, ne quis ergo de cetero jam dictam eccleſiam ſuper eodem manſo quoquo modo infeſtare præſumat, ſuper hoc negotio præſentem literam dedi, quam appenſione ſigilli mei corroboravi. Hujus rei teſtes ſunt *Comites*, de *Zvetin*: *Gunzelinus* & frater ejus *Heinricus Bodericus* de Thornes, *Hermannus* Cameratius *Henricus* Præpoſitus S. Sebaſtiani, *Godofridus* Notarius *Hinricus*. Actum Halberſtadt die Martini Papæ.

Annus Chriſti 1157.

Friderici I. Reg. 6. Imp. 3.

Ab. V. C. 234.

Friderici Imp. Goslariæ Henrico Leoni donat comitatum Utonis. *Mader. p. 120. ant. Brunſv.*

COntinuata adhuc per imperium tranquillitate, Imperatori optimo nihil erat antiquius, quam principum potentiorum animos beneficiis ſibi demereri. Hinc ipſis novi anni auſpiciis Goslariam non paucis comitatus principibus adiit, & Henricum Leonem, qui Auſtriæ ſuperiore anno fecerat jacturam, comitatu Vtonis & foreſto in montibus Hercyniæ donavit. Præclare hoc docent ipſius Friderici literæ, a Madero ſervatæ, ex quibus ſimul colligitur, qui tunc principes imperatori apparuerint. Teſtium enim nomina hæc ſunt: *Wikmannus* Magdeburgenſis Archiepiſcopus, *Hartvvicus* Bremenſis Archiepiſcopus, *Bruno* Hildesheimenſis Epiſcopus, *Albertus* Machio, *Fridericus* Dux Svevorum, *Dedericus* Marchio, *Fridericus* Palatinus Comes de Witelmesbach & frater ejus *Otto* junior, *Fridericus* Palatinus Comes de Summerſcheborg; Comes *Henricus* de Witin, Comes *Otto* de Rabensberch, *Florentius* Comes Hollandiæ, Comes *Bertolfus* de Andechſe, Comes *Boppo* de Blanckenburg & filii ſui

ſui *Conradus* & *Sigefridus*, *Ludolphus* de Daſſele, * frater Cancellarii, *Marquardus* de Grumbach, *Lutardus* de Meinersheim, *Henricus* de Wida *Lupoldus* de Hirtzberg.

annal. Paderb.

Beneficium Richenbergenſibus exhibitum.

Brouv. l. 14. annal. Trever. Schaten. tom. I. l. 8. p. 808. Literæ hæ Friderici a Rainoldo cancellario, de quo ſupra egimus recognitæ ipſis prodierunt Calendis Januarii. Vnde patet, errare Browerum eumque ſecutum Schatenium, qui Imperatorem ſub initia hujus anni Treveris egiſſe exiſtimant, niſi forte Goslaria ad Moſellæ regiones ſtatim eum diſceſſiſſe credamus.

Huic ſplendido, tot principum conventui interfuit etiam Bruno Hildeſienſis epiſcopus, qui ſolutis comitiis Richenbergam movens quarto hujus anni die liberalitatem Emmicæ cujusdam Goslarienſis monaſterio huic præſtitam diplomate ratam habuit, quod quia civium noſtrorum in res ſacras propenſionem declarat, hic integrum damus:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. BRUNO Dei gratia Hildenesheimenſis epiſcopus. Quia divina diſpenſatione eccleſiarum nobis regimina commiſſa ſunt, noſtri intereſt officii fidelium vota, quæ præveniendo aſpirat Deus non ſolum piis exhortationibus excitare, verum etiam noſttæ auctoritatis munimine confirmare. Proinde notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod religioſa mulier *Emmica* nomine, de Goslarienſi civitate tam pro remedio animæ ſuæ, quam pro dilectione filiorum ſuorum, quos in Richenbergenſi eccleſia divino ſervitio mancipaverat, de rebus ſuis eidem eccleſiæ manſiunculam unam, quæ *Cram* vocatur, delegavit, & maritum ſuum *Adelvvardum*, ut & ipſe aliam tantundem ſolventem dimidiam videlicet libram ibidem conferret, pia exhortatione commonuit, unanimi igitur conſenſu prædictas oblationes Deo & Beatæ Mariæ Virgini in Richenberg obtulerunt, hac interpoſita pactione, ut quamdiu viverent, quocunque tempore præpoſito & fratribus conveniret, ipſis amminiſtrantibus eis ad ſervitium impenderetur, poſtquam vero viam univerſæ carnis ingreſſi fuiſſent in utriusque anniverſario memoria eorum fideliter ex hoc celebraretur. Super hoc diligentiſſima circumſpectatione ſibimet in poſterum providentes humili poſtulatione a nobis exegerunt, quatenus Banni noſtri auctoritate prohiberemus, ne aliqua perſona præfatam ipſorum oblationem, ut neceſſitatis & utilitatis obtentu aut cambitione, aut venditione, ſeu quoque modo ab eccleſia abalienare præſumat, ſed ſicut conditum eſt ad præbendam fratrum ſine contradictione annuatim proficiatur. Annuentes igitur eorum petitioni, auctoritate Dei ac Banni noſtri' interminatione hujus rei pactionem confirmamus, & ne in poſterum a quoquam temerarie immutetur, præſentis paginæ teſtificatione ac ſigilli noſtri impreſſione communimus, teſtes hi ſunt: *Ludolphus* Præpoſitus, *Joannes* Presbyter, & *Jocelinus* Subdiaconus, Capellani Epiſcopi, & *Henricus* Præpoſitus fratres Richenbergenſes, *Ecbertus*, *Lambertus*, *Bernhardus*, *Bertoldus*, *Elvizo*, *Sigebardus*, *Conradus*, *Gerhardus* Presbyteri, *VVigandus*, *Bruniggus*, *Gerbardus*, *Erenbertus*, *Rodolphus*, *Otto*, Diaconi. Et cæteri fratres & Laici miniſteriales, *Jordanis Muſcaleus*, *VViſcelo*, *Simon* & cæteri quam plures.

Actum in *Richenberg*. Anno Dominicæ incarnationis MCLVII. Indict. v. iiij. Non. Januarii.

Menſe quoque Aprile ad idem divertens monaſterium etiam civium Goslarienſium largitionem his notatu dignis literis confirmavit:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. BRUNO Dei gratia S. Hildensheimenſis eccleſiæ epiſcopus. Juſtum eſt & epiſcopali prudentiæ competit, pia fidelium deſideria non ſolum effectui mancipare, verum etiam ne temeraria vexatione perturbentur, debitæ auctoritatis munimine confirmare. Hujusque rei gratia notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quam præſentibus, quod quidam bonæ converſationis homo, *Azzo* nomine, natione Romanus, civis *Goslarienſis*, ſupremæ remunerationis intuitu in *Richenbergenſi* Eccleſia, oratorium in honore Beati Andreæ conſtituens, in ipſius conſecratione domum unam pro remedio animæ ſuæ obtulit, & ut per ſingulos annos in anniverſario dedica-

* *Omiſſus a Leuntero lib. 1. c. 7. Chron. Daſſel. fol. 7. cum aliis quos obſervat Behrens catal. Præp. Hild. p. 3.*

ficiat,

tionis die utilitas inde proueniens ad augmentum præbendæ fratrum proficiat, si & memoria ipsius parentumque suorum fideliter ipso die habeatur, a venerabili prædecessore meo *Bernardo*, qui hoc oratorium dedicavit, pia devotione confirmari impetravit. Hujus igitur benevolentiam plerique fidelium de Goslariensi civitate pia æmulatione testantes, de rebus divinitus sibi collatis ad honorem Dei & utilitatem Richenbergensis Ecclesiæ aliquid impendere destinaverunt, & exhortatione fratris, *Baldungi*, cui hospitii receptio commissa erat, ut fons qui ab orientali parte monasterii fluit, per officinas claustri diduceretur, alacriter exoptaverunt. Verum quia ipsorum oblatione in unum collecta sumtus, qui ad hoc perficiendum necessarii erant, minus sufficere videbantur, eadem pecunia pro honestate in alios usus est redacta. Ne autem fideles qui hæc ecclesiæ contulerant, sua spe omnimodo frustrarentur, placuit fratrum concordiæ, ut domus, quam quidam *Wulferus* civis Goslariensis pro dilectione filii sui Deo & Beatæ Mariæ ante donaverat, talentum annuatim solvens, ad servitium fratribus convenienti tempore impendatur, & ut ipso die memoria omnium eorum, qui ad hoc elemosynas suas largiti sunt, specialiter habeatur, annuente eodem *Wulfero*, prædictæ oblationis autore & cæteris coadjutoribus suis in hoc ipsum unanimiter consentientibus. Hujus igitur rei pactionem ex rogatu fidelium auctoritate Dei ac Banni nostri muniminatione confirmamus, & ne a quoquam immutetur præsentis paginæ testificatione ac sigilli nostri impressione communimus. Testes hi sunt: *Ludolphus* præpositus, *Azzo* presbyter, *Ecbertus* custos, *Lambertus* presbyter, *Conradus* Scholasticus, *Gerhardus* Cellerarius, *Gozelinus* Capellanus episcopi, *Wigandus*, *Rodolphus* Diaconi, & cæteri fratres. *Baldungus* Laicus frater, *Wulferus*, *Tidericus*, *Reinardus*, qui supra dictam domum *S. Andreæ* dimidio talento ad providenda hospitibus luminaria acquisierant, sed eam prius pro dilectione fratrum ad impendendum eis ministerium resignaverunt, ut memoriam sui & fidelium suorum amicorum fideliter habeant.

Actum in *Richenberg*. Anno Domini MCLVII. Indict. V. Kal. Maji.

Friderici. cus de. nuo Gosla. riæ præ. sens Ri. chenber genses in tute.

Inter hæc Imperator lustratis ad Rhenum provinciis in Poloniam moverat adversus Boleslaum ducem, qui excusso imperii jugo pulsoque fratre Lobislao tributum annum recusabat. Sed pertinacem animum adeo cito fregit Friderici felicitas, ut supplex duo millia marcarum imperatori, principibus mille marcas, & Augustæ xx. marcas auri, & curiæ cc. argenti dare cogeretur. Victricibus itaque lam sucopiis in Germaniam reductis, ipse Goslariam rediit illustri aliquot principum comitatu stipatus, ibique præter alia quæ sapienter egit, ecclesiam quoque Richenbergensem in tutelam suscepit, dato hoc optimæ notæ diplomate, quod ex autographo descripũmus: scepit. *Radevic. l. 1. c. 2. sqq. p. 477.*

IN nomine scę & indiuiduę trinitatis. Fredericus diuina fauente clementia romanorum imperator & semper augustus. *Imperii administrationem quam diuino nutu collatã nobis esse credim9. in uirtute dei per manũ nr̃am prosperari confidimus. si ęcclarũ quieti simul & utilitati prouidere cur auerimus. Vnde tam futuris quã prędentib9 Xpi & imperii fidelib9 notũ esse uolum9. quod expeditione Rainaldi cancellarii & hildenesheimensis ęcclę prępositi. Kmi * ñri nec non & Liudolfi Richenbergensis prępositi & ejusdẽ ęcclę fideliũ supplicationẽ ipsã ęcclã uidelicet richenbergensẽ. in honore perpetuę uirginis MARIE fundatã. ob amorẽ & reuerentiã eiusdẽ intemeratę dei genitricis & spem ęternę remunerationis. specialiter tuendam & manutenendam suscepimus. & ei quęcumq; mobilium seu imobiliũ rerũ sub antecessoribus ñris regib9 siue imperatorib9. aut ex deuotione fundatorũ suorum. seu liberalitate regum. concessione pontificũ. largitione principũ. oblatione fideliũ. seu legitima coemptione uel coñutatione. aliisq; quibuscunque justis modis usq; ad tempora ñra possederint. uel in posterum rationabiliter acquisierint. in fundis. areis. agris. siluis. pratis. pascuis. molendinis. molendinorũ locis. aquis aquarũq; decursib9. terris cultis & incultis. quomodocumq; sitis stabili muuimento confirmam9. Possidet autẽ*

* karissimi.

autē preſata ęccla prędia in his locis. in Beniggerod. in botiggerod. in Stapelen. in huneriggerod. in banendhorp. in gosloria. in Gerſtide. in Bretenheim. in Thorniten. in Thorntthebuſen. in Emeleriggerod. in Naun. in Laggenizze. in Badenhuſen. in Hagebuſen. in Waldenhuſen. in bokkenhuſen in osdhageshuſen. in Bukkenem. in bultheim. in maledem. in Silegen. in Diureschhuſen. in Ebbigerod. in Kanctigerod. in Seleden. in herre. in Walnoden. in ſeleden. molendinū ſitū juxta fluuiū qui Ouckare dicitur. in bivvende. in Niendorp. in Puggenſtide. in magdersheim. in Bediggen. in lieverikeſtorp. in Gravesdorp. montē quoque Nortberch preſatę ęcclę contiguū. cujus termini ſunt a riuulo Scobike usque ad riuū qui Grana dicitur. tam ab ęccla goslarienſi quam a principibus. cęterisq; comprouincialibus. partim concambio partim coemptione conquiſiuit. Imperiali igitur auctoritate ſancim9 atq; pręcipim9. ne quę eccleſiaſtica vel ſecularis perſona jus prędicti montis ſeu alias poſſeſſiones in prędictis locis ſitas a ſupradicta richenbergenſi ęccla pręſumat alienare. & fratres ibidem deo ſeruientes & pro tempore & neceſſitate loci ad cōmunem utilitatē ſuper bis poſſeſſionib9 ſuis aliquid ordinantes quoquo modo audeat impedire. Et ut hæc ñra imperialis ſanctio cūi ęuo ſtabilis & inconuulſa permaneat, hanc paginā inde conſcriptā corroborantes ſigilli ñri impreſſione juſſim9 inſigniri. Huj9 nrę actionis teſtes hii ſunt. Bruno hildenesheimenſis epūs. Uichmann9 Magdeburgenſis archiēp9. Herimann9 fardenſis epūs. Heinric9 dux Saxonię & Bavvarię. Adelbert9 marchio, Luidolf9 comes de waltiggerod. Liudolf9 comes de daſſele. Marquard9 de Grombach. Walther9 dapifer. hildebrand9 pincerna. Hartmannus Camerarius.

Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego Rainoldus cancellarius uice arnoldi Maguntini archiepi & archicancellarii recognoui.

Data VII. Kal. Julii. Anno Dominice incarnationis M°C°LVII° Indictione V*a*. Anno autem regni Domini *Frederici* ſexto Imperii vero tercio. Actum *Goslare* in Dei nomine feliciter Amen.

Ecſtorm. Chron. Walkenr. ſec. 1. p. 50.

Eodem anno, teſte Exſtormio, Fridericus I. Goslariæ in palatio Cæſareo agens Monaſterium Walckenredenſe in imperii protectionem ſuſcepit, deditque ipſi quartam partem montis *Rammelsberg* Goslariensis cum libera poteſtate permutandi res & bona ſua cum ſacri Romani Imperii ſubditis: ſed manſem illo tacente ignoramus, dubiumq; eſt utrum in hoc an in altero illo principum conventu, quem incunte hoc anno Goslariæ egit Fridericus tam inſigne Walkenredenſibus dederit diploma.

Anni Chriſti 1158. 1159.

Friderici I. Reg. 7. 8. *Imp.* 4. 5.

Ab. V. C. 235. 236.

Imperator Mediolanenſis

NOvum interea Friderico Imperatori Mediolanenſes faceſſunt negotium, qui potentia ſua freti, denuo e fide deſciverant, multis Lombardiæ civitatibus in ſceleris ſocietatem adiniſſis. Adeo per hæc & ſequentia ſecula inter hos & Cæſarem aut bellum, aut belli præparatio, aut infida pax fuit, notatumque eſt Conrado Vrſpergenſi, Saxonicis Imperatoribus ſemper eos fuiſſe æquiores, quam Suevis, quibus nunquam fidem ſervaſſent. Fridericus igitur peragratis provinciis, rebusque ad tranquillitatem ubique compoſitis, expeditionem hanc magno animo aggreſſus, poſt pentecoſtem per Tridentinas fauces penetrat, nunquam ſe Italiam fidam habiturum, putans, ſi nomen usquam ſtantis maneret Mediolani. Caſtra ejus ſecuti ſunt Arnoldus Moguntinus, Fridericus Colonienſis, qui tamen paulo poſt extinctus Rainoldo præpoſito Hildesheimenſi & Goslarienſi, locum fecit, Hillinus Treverenſis, Conradus Eyſtadenſis, Damicho Pragenſis, Hermannus Verdenſis, & Godehardus Herbipolenſis Epiſcopi, inter principes præterea Bohemorum Rex, Henricus Leo, Fridericus dux Sveviæ, Henricus

nenſes domat. *Abb. Vrſp. p. 284 ſqq. Gunther. in Ligur. l. 7. Radevic. l. 1. c. 25. ſq. p. 491. Rob. a Monte p. 636.*

ricus dux Auſtriæ tantusque e flore Germanicæ nobilitatis numerus, ut ultra centum armatorum millia compleverint, quibus deinde Cremonenſes cum XXX. millibus militum & Epiſcopo ſuo Oberto, Papienſes quoque & Novarienſes cum delecta manu acceſſerunt. Hac pulcherrimo exercitu, cum plerasque Lombardiæ civitates imperio ſuo ſubjeciſſet, denique in Mediolanenſium quoque mœnia victrices aquilas convertit, illaque tam arcta obſidione premit, ut cives menſe ſequente Imperatoris ſe clementiæ ſupplices permiſerint.

Facta transacta erant omnia. Sed non diuturna fuit iſta tranquillitas Mediolanenſibus nimis ſubito ad ingenium redeuntibus. Vnde Imperator, reflexo itinere Mediolanum denuo tam operoſa & cruenta obſidione cingit, ut ultima cives paterentur. Sed dici non poteſt, quam eos armaverit mixtus, deſperationi furor. Cum enim nullam ſibi pollicerentur victoris clementiam, id ſaltem ſolatio ſibi fore exiſtimabant, dummodo non inulti perirent: Hinc tanta fortitudine dicam an audacia patriam tuebantur, ut Imperator in tertium annum caſſo opere mœnia quateret, nec niſi multo ſuorum fuſo ſanguine infeſtæ urbis potiretur.

Eadem tempeſtate *Bruno* Hildeſienſis Epiſcopus rogatu Comitum Woldenbergenſium Rudolphi poſteris jura Patronatus eccleſiæ S. Cæciliæ Goslarienſis confirmavit. En ejus tabulas: Confirmatio juris patronatus Capellæ S. Cæciliæ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. BRVNO Dei gratia Hildenesheimenſis Epiſcopus in perpetuum. Si ea, quæ a venerabilibus prædeceſſoribus noſtris ad honorem Dei & decorem domus ejus canonice ſunt promulgata, ſtuduerimus promovere, atque ut in ſuo vigore ſtabiliter permaneant, providere, & officii noſtri debitum nos credimus exſolviſſe, & ad promerenda cœleſtis remunerationis gaudia, id ipſum nobis ſalubriter debere conducere, inde eſt, quod conſtitutum felicis memoriæ domini & deceſſoris noſtri *Bernhardi* Epiſcopi ſuper Capella quadam, quæ Goslariæ ſita eſt, canonice promulgatum, præſentis ſcripti privilegio roboramus, & perpetuo irrefragibilem authoritatem habere decernimus. Cujus quidem conſtitutionis ſeries & veritas jamdudum nobis cognita, & noſtri quoque teſtimonii, qui tunc temporis Eccleſiæ beati Petri adminiſtrationem procuravimus, adſcriptione roborata, ita ſe habet: --- Quidam Canonicus Goslarienſis nomine *Sidagus* Capellam, quam parentes ſui, *Odo* ſcilicet pater ſuus, & *Sidagus* patruus ſuus, & uxor ejus *Syburgis* in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti & Sanctæ Mariæ, Sanctæque Cæciliæ virginis, honorifice ſuis ſumptibus extruxerant, & a venerabili Domino *Hezilone* Epiſcopo dedicari impetraverant, quamque idem *Sidagus* decedentibus ex hac luce parentibus tam patre quam patruo in poſſeſſionis ditionem jure hæreditario ſuſcepit, cuidam cognato ſuo, viro commendabili *Rudolfo*, filio *Vertheconis*, nec non & conjugi ſuæ Tritherindæ ſimul proli eorum, conſenſu & aſtipulatione fratris ſui Bodonis, legitimi Mundiburdi ſui & hæredis, legitime donavit, ita videlicet, ut quicquid Dominii, juris, poſſeſſionis in eadem Eccleſia habuit, hoc plenarie deinceps ad eundem Rudolfum & uxorem ſuam & prolem ſpectaret; Fecit autem hanc donationem, tempore piæ revidationis Domini Berchtoldi Episcopi, in præſentia Hermanni Advocati, ſimulque nominatiſſimorum civium Goslarienſium. Poſtmodum autem cum venerabilis Dominus & deceſſor noſter *Bernhardus* Epiſcopus ſanctæ Hildenesheimenſis regimen ſuſcepiſſet Eccleſiæ, veniens in præſentiam ejus jam dictus *Sidagus*, nobis tunc in ordine noſtro præſentibus, donationem prætaxatam recognoſcendo innovavit. Super qua re idem Dominus & deceſſor noſter authoritatis ſuæ conſcripto privilegio, donationem illam legitime celebratam confirmavit, & eidem Eccleſiæ gratiam, quam ab Anteceſſoribus ſuis eatenus habuerat, clementer indulſit. Videlicet, ut cum ſacerdos inibi domino miniſtrans altare de manu Epiſcopi & ejus miſſi canonice receperit, omnes Eccleſiæ fundatores extructores & poſſeſſores ſepeliendi mortuos ſuos & baptizandi parvulos, inibi habeant facultatem; Addidit præterea ex Authoritatis ſuæ poteſtate, ut liceat, volentibus inibi divinum officium frequentare, ſacerdoti ægrotos, ad quos fuerit invitatus, viſitare, parvulos quoscunque ſibi allatos baptizare, & mortuos ſepelire. Ut autem hæc tam memorabilis viri conſtitu-

tio, & noſtra in id ipſum confirmatio, omni ævo firma & inconvulſa permaneant, donatio quoque illa nihilominus inquietudine perpetuo careat, auctoritate Dei Patris & Domini noſtri Jeſu Chriſti, in virtute Spiritus Sancti conſtituimus & ſub anathematis interpoſitione definimus. Statuentes etiam, ut quæcunque bona, quascunq; poſſeſſiones eadem Eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, nemo audeat invadere, diripere, vel quibuslibet vexare moleſtiis. Si quis igitur hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere ire præſumſerit, anathematis ſe intelligat vinculis innodatum, quoad & canonicam & legitimam cum condigna pœnitentia exhibuerit ſatisfactionem. amen. amen. amen. Hujus conſtituti noſtri teſtes ſunt: qui ſubnotantur. *Benno* Præpoſitus Eccleſiæ S. Georgii; *Werno* Presbyter, *Bertholdus* Diaconus, Hildenesheimenſes Canonici, *Gocelinus* Subdiaconus S. Mauritii, *Ruthericus* de *Egisheim. Egelmarus. Herbordus* & ex Goslarienſi Clero & populo copioſa multitudo.

† Sig. Brunonis Hildenesheim. Epss.

Datæ Goslariæ in Eccleſia Beati Georgii jjj. Kal. Auguſti feliciter Amen.

Annus Chriſti 1160.

Friderici I. Reg. 9. Imp. 6.

Ab V. C. 237.

Schiſma in Romana eccleſia. *Pallat. tom. 2. de geſt. Pontif. p. 592. ſq. Otto de S. Blaſio app. ad Otton. Friſing. c. 13. p. 202. Radevic. l. 2. c. 43. p. 531. Concil. Tom. X. p. 1387. ſqq. Abb. Vrſp. p. 290. Radevic. l. 2. cap. 70. p. 553.*

INterea dum Mediolanenſibus imminet Imperator: nova tempeſtas eccleſiam æque ac Italiam conturbat. Exceſſerat nimirum e vivis Adrianus Papa, in cujus locum alii ſubrogabant Rolandum, qui Alexandri III. nomen aſſumſit, alii Octavianum tituli S. Cæciliæ Cardinalem Presbyterum, quem Victorem IV. appellabant: Vtriusque nomen occurrit in bulla Hadriani eccleſiæ SS. Simonis & Judæ conceſſa, ſuperiusque relata ad annum MCLV. Imperator qui ſe eccleſiæ Romanæ ferebat advocatum, ne malum latius ſerperet, rem judicio permiſit Papienſis concilii, in quo Alexander communi patrum ſuffragio damnatus & Victor pontifex renunciatus eſt. Ex literis Friderici a Radevico recenſitis patet, in hujus concilii ſententiam præter Cæſarem iviſſe *Peregrinum Aquilejenſem patriarcham cum ſuffraganeis ſuis, Arnaldum Moguntinum Archiepiſcopum cum XIV. ſuffraganeis ſuis, Artvicum Bremenſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis, Reinaldum Colonienſem Archiepiſcopum cum XIV ſuffraganeis ſuis, Hellinum, Trevirenſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis, Wichmannum Magdeburgenſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis, Biſuntim Archiepiſcopi legatum & epiſcopum Baſileenſem, Arelatenſem Archiepiſcopum, Lugdunenſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis, Viennenſem Archiepiſcopum cum ſuffraganeis ſuis, Henrici Anglorum regis legatos, Regis Ungarorum legatos, Regem Boemorum, Regem Danorum, Guidonem Electum Ravennatenſem, Epiſcopum Firminum, epiſcopum Ferentinum, Epiſcopos Mantuanum, Pergamenſem & Faventinum, Abbatum vero & archipresbyterorum multitudinem innumerabilem multarum regionum, praterea Longobardorum inæſtimabilem multitudinem, & universos fere principes Romani imperii tam Teutonici quam Italici, tam in urbe quam extra urbem.* Cauſa igitur cum cecidiſſet Alexander, ad fulmina converſus, Victorem Papam excommunicatione ferit, nec ſegnior Victor eandem execrationis formulam in Alexandrum retorquet. Hinc utrinq; per legatos ſollicitati epiſcopi & principes, qui partim huic partim illi factioni adhærentes, nec ab armis quidem abſtinuere manus, inprimis cum Imperator quovis periculo ſuo ſervare Victorem ſtatuiſſet. Sic Petri ſcilicet ſucceſſores gladios vibrabant, quos ſemel malo omine in Malchum expediverat Petrus, ſic lacerabant eccleſiam, obliti iſtius, a Chriſto pronunciatæ ſententiæ: *Reges gentium dominantur eis: & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ſic.* *Luc. XXII. 25. 26.*

Inter has turbas ad quietiora tranſiit Bruno Hildeſienſis epiſcopus, cui e canonia S. Crucis proxime inſequente anno ſubrogatus eſt Herimannus præpoſitus, vir pius, devotus & omnium, quas ætas illa ferebat artium ſtudiis perpolitus: ſed paucos annos eo ſacerdotio perfunctus. Sunt equidem, qui pontificatum ejus diuturniorem exiſtimant: ſed alter alterum videtur decepiſſe. Nam diplomata longe aliud loquuntur. Vide nos paulo poſt ad Adelhogi epiſcopi initia. Hermannus Hildeſienſis Epiſcop. *Chron. Mont. Ser. p. 32. Chron. Bigaug. p. 262. Rensel. p. 83.*

Lezner. l. 2. Chron. Hild. MSC. c. 4.

In idem tempus referenda eſt Monaſterii novi operis origo, cujus ut olim magna fama fuit, ita & hodienum ſplendor non plane nullus eſt. Fundator in vetuſtis monumentis celebratur Volcmarus, Goslarienſis advocatus, quem auctor Chronici Montis Francorum cum Leznero *Volkmarum de Lichtenſtein*: Sagittarius cum Novi chronographo vulgari Goslarienſi *Volkmarum de Waldenſtein* appellant. Neutri ep. Volcmarus Goslarienſis advocatus fundat monaſterium *Lezn. l. 2. MSC.*

Monumentum Volcmari de Wildenstein ejusq; uxoris Lickæ, nobilissimi conjugum paris, a qvo fundatum est monasterium novi Operis. ad ann. 1160. Lib. II.

№ 6.

tri recte. Extat enim hodienum in templo hujus monaſterii Volcmari uxorisq; ejus monumentum, quod depingi fecimus accurate. In eo hanc notabis perigraphen.

Gemonaſt. & l.2.c.51. Chron. Hild. MSC. Chron. Mont. Franc.p.4 Sagittar. c.1.hiſt. Gosl.§.17.

Conſepulti. ſunt. hic. ſtrenuus. miles. dns. Volcmarus. de Wildenſteyn. et licke. uxor ejus. fundatores. et. dotatores. Hujus. monaſtery. qui. flouert. circa. annos. -- M. CC. quōr. ānie. requieſcāt. in pace.

Hoc monumentum ſtatim poſt obitum Volkmari poſitum non dixerim facile. Nam & literæ tantam ætatem non ferunt, & ipſa inſcriptio aliud non obſcure præ ſe fert. Quid enim illud: *Qui floruerunt* quidni ipſum emortualem annum adjectum legimus? Quid illud: *circa annos MCC*? Cur tam ambigue tempus annotatur? Cur numerus tantum rotundus adjicitur? Attamen cum procul dubio a monialibus hujus monaſterii rerum ſuarum gnaris lapis hic in Volkmari bene de ſe merentis memoriam poſitus ſit: fidem omnino meretur. Ex Wildenſteynenſium itaque familia, teſte hoc lapide oriundus fuit Volkmarus noſter cujus inſignia gentilitia tam monumentum, tum ſigillum Borchardi de Wildenſtein ſiſtit, in fronte hujus libri depictum. In advocatia Goslarienſi Volcmarus ſucceſſit Annoni de Heimborg anno circiter MCLIX, ex quo tempore ſæpius illius in diplomatibus mentio fit. Annis enim MCLXXII. & MCLXXVIII. Adelhogi Hildeſienſis epiſcopi tabulis ſubſcripſit. Sed & anno MCLXXXVIII. teſtes inter apparet in binis Friderici I. Imperatoris diplomatibus, quæ ſervat eccleſia SS. Simonis & Judæ. Apparet hinc, fruſtra hujus monaſterii natales vulgo referri in annum MCLII, cum eo tempore Volkmarus nondum fuerit Advocatus Goslarienſis, ſed Anno de Heimborg, qui illo ipſo anno teſtis allegatur in diplomate Henrici Leonis, in aliisque ejusdem Ducis literis adhuc anno MCLIV. Advocatus Goslarienſis audit. Sed ſatis de Volcmaro. Ipſum monaſterium ab eo conditum virgines aluit Ciſtercienſis ordinis, non Benedictini, ut nonnemo nuper aſſeruit. In bullis enim pontificum vocatur *Monaſterium beatæ Mariæ novi operis Goslarien. Ordinis Ciſtercien. Hilteſemen. dioc.* Cur monaſterium B. Mariæ vocetur, non eſt obſcurum: Tutelarem quippe primariam habuit B. Mariam virginem. Idque tria teſtantur ſigilla, duo præpoſiti cum perigraphe: †. SIGILLUM PREPOSITI. NOVI. OPERIS. IN. GOSLARIA, tertium abbatiſſæ cum inſcriptione: † SIGILLUM ABBATISSE. NOVI. OPERIS. IN. GOSLAR, quorum primum Mariam throno inſidentem ſtellamq; illam prodigioſam magis apparentem, & provolutum in genua, ut conjicio, Volcmarum fundatorem; ſecundum ſolam Mariam cum Jeſulo, tertium Mariam e cœlo proſpicientem & orationibus vacantem monialem ſiſtit. Præterea tantopere hoc Mariæ patrocinio delectati ſunt moniales Novi operis, ut & nomen inde aſſumſerint *Conventus de Orto* * *S: Mariæ*, quod occurrit in diplomate Hartberti Hildeſienſis epiſcopi, intra recenſendo ad annum MCCXIV. At unde novi operis nomenclatura, quam hodienum hoc monaſterium retinet, vocatum quippe Das Cloſter zum neuen Werck item das neuwerckiſche Cloſter? Nota quidem phraſis ICtorum eſt: *Novum opus denunciare*, a qua nomen fortaſſe hujus monaſterii derivari poſſet, niſi id tantus monaſteriorum, idem nomen gerentium numerus prohiberet. Monaſteria enim novi operis ut ex hiſtoricis æq; ac diplomatibus mihi conſtat, Horuerunt Halberſtadii, Halæ Saxonum, Erphordiæ, prope Northuſam, Hamburgi, forte & alibi locorum, quæ quidem omnia ab actu denunciati novi operis nomen ſortita eſſe, vix puto eſſe veriſimile. Malim itaq; credere, Volcmarum id nominis ideo impoſuiſſe novo monaſterio, quod ſibi de inſigni hoc bono opere nimium gratularetur. Barbaris enim ſeculis *Opus* idem erat ac *eleemoſyna*, *& quicquid ſacris impendebatur ſumtuum*, ſiquidem principem inter bona opera locum hæc in eccleſias liberalitas tenere videbatur. Sane hæc vox in hoc ſignificatu occurrit in epitaphio Berthæ Vxoris Adelberti Marchionis Italici, quod ex Vghello profert Carolus du Freſne:

Exulibus miſeris mater charisſima manſit,
Atque peregrinis Opus *ſemper tribuit.*

Novum itaque opus idem eſſe puto, ac *novum ſpecimen boni operis & liberalitatis in rem divinam.*

* *id eſt: horto.*

Tab. III. fig.5.

Ughell. tom. I. Ital. S. p. 856. ap. Car. du Freſn. tom. 3. Gloſſ. Lat. p.51.

En vero Præpoſitos hujus monaſterii, quorum quidem memoria in diplomatibus fuit ſervata:

Catal. præpoſitorum novi operis.

Henricus Minneke captus ob hæreſin Manichæorum 1222. combuſtus 1225.
Johannes. 1227. 1230. 1233.
S. ... *Præpoſitus Novi operis 1236.*
Johannes. 1251. 1258. 1259.
Henricus. 1272. 1275.
Albertus. 1281. 1293, quo obiit.
Tidericus. 1293. 1296. 1297. 1298. 1301. 1305. 1311. 1314. *Vixit adhuc 1331. & vocatur:* Tidericus quondam præpoſitus novi operis in Goslar.
Ludolfus. 1324. 1325.
Henricus. 1337.
Olricus. 1352.
Hermannus. 1355.
Johannes. 1399.
Herman Provest des Cloſters tom nüen Warcke binnen Goßlar. 1518.
Joſt Schram / Proviſt des nygen warckiſchen Cloſters. 1556.

Tab. III. fig.1.& 6.

Tab. III. fig.7.

Anni Chriſti 1161. 1162.

Friderici. I. Reg. 10. 11.
Ab V. C. 238. 239.

SEquentibus annis apud Mediolanum debellatum eſt. Novis enim ſupplementis auctо exercitu, in tertium annum ferebat obſidio, civesque ad tantam ſunt adacti famem, ut nec a canibus abſtineciunt. rent. Ad extremum reſipiſcentes ſupplicesque facti impoſitis jugulo gladiis & crucibus manu protenſis ſe ſuaque omnia imperatori permittunt. Obtulerant quidem imperatori pacificationem, qua ſe pollicebantur totum foſſatum planaturos, mœnia turresq; omnes deſtructuros, trecentos obſides daturos, quoscunq; eligeret imperator, tribus annis in cuſtodia tenendos, præterea Poteſtatum, quem vellet Imperator, ſive Teutonicum ſive Longobardicum ſe recepturos, omnia regalia dimiſſuros, pecuniam ſoluturos, palatium Cæſari, ubicunque juberet ſive extra pomœria ſive intra urbem excitaturos, nec unquam invito imperatore munitiones inſtauraturos, quin nec cum ulla quidem civitate fœdus inituros, tria hominum millia ex civitate dimiſſuros, & Imperatorem denique, quamdiu id liberet, inter mœnia recepturos. Verum cum tergiverſari Imperatorem, principumque diſcrepare ſententias animadverterent: mutata ſubito ſententia deditionem fecerunt. Et Calendis quidem Martii Conſules, ſequenti die dominica milites, tertia die reliqui cives urbe egreſſi imperatoris ſe permiſere arbitrio, quos ea lege in gratiam recepit Imperator, ut dſletis mœnibus urbe omnes emigrarent, foſſisque ſolo æquatis darent obſides. Demum ut omnem illis peccandi occaſionem ſubtraheret, ſplendidiſſimas quasque ædes disjecit, aratrumque civitati induxit. Adeo odium certaminibus ortum ultra metam durat, & ne in victis quidem facile dimittitur, neque ante inviſi eſſe deſinunt rebelles, quam eſſe deſierunt.

Mediolanenſes deditionem faciunt. *Burch. notar. epiſt. ap. Freh. tom. I. p. 236. Otto de S. Blaſ. c. 16. p. 203. Abb. Vrſp. p. 291. Godofr. Mon. p. 239. ap. Freher. Chron. mont. Ser. p. 32.*

Apud nos nihil per hos annos memorabile actum reperio, niſi quod Chronicon Stederburgenſe *Ludolphum* præpoſitum Richenbergenſem munere ſuo ac dignitate orbatum ait, licet cauſam hujus exauctorationis ſileat. Succeſſit ei Conradus, cujus anno MCLXIII. mentio fit. Vide Catalogum ſuperiore libro a nobis traditum. Ludolfus præp. Richenbergenſis deponitur. *Chron. Stederb. p. 454.*

Annns Chriſti 1163.

Frideric. I. Reg. 12. Imp. 9.
Ab. V. C. 240.

IMperator per hæc tempora ex Italia redux omnia turbata invenit, & Alexandro Papæ faventia. Imprimis ingenti ſcelere ſe polluerant Moguntini, qui occiſo Archiepiſcopo ſuo Arnoldo, Conradum ſubrogaverant. Hinc cauſa in principum comitiis tum Wormatiæ, tum Moguntiæ cognita, ſeverius in urbem animadvertit, & perduellionis reis ad capitis ſupplicium poſtulatis, ceterisque gravi aere multatis, urbem dejectis mœnibus in ſolitudinem convertit: Conrado quoque Archiepiſcopo pulſo ſubſtituit Chriſtianum Cancellarium ſuum, virum ultra ſeculum eruditum. Sic Moguntia civibus orbata per multos annos deſerta ſtetit, donec cum Ottonis Imperatoris venia cives nova moliri mœnia & ad priſtinum ſe erigere ſplendorem cœperunt. Mogunt. tia deleta. *Chron. mont. Ser. p. 35. Godefr. Monach. annal. p. 239. Chron. Auguſt. p. 360. Serar. rer. Mogunt. l. 1. c. 7. p. 21 & l. 5. p. 822.*

Conradi Chron. Mogunt. ap. Renber. 452.

Lætior multo ex hoc Wormatienſi conventu rediit Adelhogus præpoſitus SS. Simonis & Judæ, qui non modo bona præpoſituræ a cetero eccleſiæ patrimonio ſegregari obtinuit, ut ſupra docuimus, verum etiam eccleſiam Jersleven-ſem ab aliis occupatam luculento diplomate ab Imperatore recepit, quod adſcribimus, inprimis cum in his ipſis comitiis, quibus Conradus Archiepiſcopus Moguntinus Sacerdotio privatus eſt, Chriſtianus Cancellarius ejus ſucceſſor ſe vice Conradi illud recognoviſſe fateatur. Friderici Imp. Adelhogo Gosl. Præp. eccleſiæ Jerslebienſem reſtituit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. FRIDERICUS *divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Sicut a divina gratia gratam retributionem indubitanter expectamus, ſi nos eccleſiis Dei ſpontanea voluntate temporalia bona noſtra largimur & concedimus, ita nimirum, ſi altaria recuperamus & eccleſiis reſtituimus, dignam mercedem ab ipſo Deo nobis reddendam ſperamus & credimus. Ea propter cognoſcant univerſi fideles Imperii præſentes & futuri, qualiter eccleſia in* Gersleven *ab eccleſia Goslarienſi & ejus præpoſitura, cui de jure pertinet, multis retro annis per negligentiam fuit alienata, & a quibusdam violenter & injuſte detenta. Contigit autem, quod dilectus & fidelis noſter* Adelous *prædictæ Goslarienſis eccleſiæ præpoſitus de dampno eccleſiæ & præpoſituræ ſuæ graviter dolens gravem querelam in curia noſtra in præſentia principum coram Majeſtate noſtra depoſuit, & cauſa ipſa ſecundum veritatem diſcuſſa, per ſententiam & judicium curiæ optimuit, quod præfata eccleſia in* Gersleven *Goslarienſi eccleſiæ & ejus præpoſituræ pleniter eſt cum omni integritate adjudicata & reſti-*

reſtituta, ipſisque invaſoribus ſecundum juſtitiam penitus abjudicata & interdicta. Nos itaq; præfatam eccleſiam rationabiliter & legitime recuperatam noſtra Imperiali auctoritate Goslarienſi eccleſiæ *& ſupra memorato præpoſito* Adeloo *reſtituimus & confirmamus, ſtatuentes & imperiali edicto præcipientes ne in prædicta eccleſia aliquis de cætero eccleſiam Goslarienſem vel ejus præpoſitum, ſive ipſius ſucceſſores moleſtare vel impedire, vel grávare præſumat. Quod ſi quis temerario auſu facere præſumſerit, decem libras auri puriſſimi pro pœna componat, dimidietatem cameræ noſtræ, reliquam partem prædictæ eccleſiæ Goslarienſi inferendam. Quod ut verius credatur & ab omnibus inviolabiliter obſervetur, præſentem inde paginam conſcribi & impreſſione ſigilli noſtri inſigniri juſſimus, adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt :* Gero *Halberſtadenſis Epiſcopus*, Cunradus *Wormatienſis Epiſcopus*, Marquardus *Fuldenſis Abbas*, Cunradus *Palatinus Comes Rheni*, *Comes* Emigo *de Limingen*, *Comes* Symon *de Sarbrugga*, Ulricus *de Hærnungen & alii quam plures.*

Signum Domini *Friderici* Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego *Criſtianus* Cancellarius vice *Cunradi* Moguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXIII. Indictione XI. regnante Domino *Friderico* Romanorum Imperatore invictiſſimo, anno regni ejus XI. Imperii vero VIII. Datum *Wormatiæ* V. Kal. Auguſti.

Gerhardus Cellarius Richenbergenſ. Stederburgum migrat. *Chron. Stederb. ap. Meib. p. 454. Meib. in vita hujus Gerhardi p. 436. rer. Germ.*

Vergente jam in auctumnum anno Imperator cum conjuge, ſuarumque partium Epiſcopis in Italiam remeavit, veritus, ne forte ſe abſente Transalpini novas darent turbas, Victoremque Pontificem a ſe conſtitutum ægrius ferrent. Interea vero dum in exteris regionibus hæret Imperator : e Richenbergenſi eccleſia Stederburgum ad capeſſendam præpoſituram diſcedit *Gerhardus* Cellarius, vir prudentiſſimus, & magna eruditionis fama inſignis, tantique ab Imperatore & Henrico Leone habitus, ut ſæpius legationis munere ab iis ornaretur, omniumque conſiliorum ab hoc inprimis fieret particeps. Invitus equidem in ſe recepit onus, quod præſagiret animus, fore, ut rei familiaris curis intento ad pietatem excolendam parum temporis relinqueretur. Sed vicit tamen Hildeſienſis Antiſtitis voluntas, quæ eum vel reluctantem ad hujus cœnobii gubernacula traxit. Spectatam fidem non modo eccleſiæ ſuæ teſtatus eſt, quam pene e fundamentis inſtauravit, verum etiam Henrico Leoni, cujus cauſam diligenter legatus egit apud Imperatorem. Ad plures abiit an. MCCIX, multis ærumnis ac moleſtiis per vitam ſuperatis. Scripſiti inſignem hiſtoriam Stederburgenſem, in qua, Meibomio teſte, Monaſterii iſtius fundationem, incrementa & adverſitates ſecundum annorum ſeriem diligenter annotavit. Sed nondum lucem vidit commentariolus, præter breve iſtud fragmentum de Henrico Leone editum primum Helmſtadi MDCXIV, 4. deinde ibidem inter opuſcula Hiſtorica a. MDCLX, tandem vero in rerum Germanicarum tomos relatum doctiſſimiſque obſervationibus illuſtratum a Meibomio filio, quod vel ſic tamen autoris loquitur inſignem prudentiam. Totum equidem opus polliceri nonnullis viſus eſt index operum ab Henrico Meibomio edendorum opuſculis hiſtoricis præmiſſus, ſed ſpes iſta adhuc decollavit, cum nullum Meibomius aliud dederit Stederburgenſe chronicon, quam ἀδέσποτον illud ſub eadem tamen Gerhardi tempora compilatum. Illo vero Meibomius uſus eſt tum alibi, tum inprimis in emendando & locupletando Buntingio & neſcio an ex illo petita ſint, quæ ad annum M. occurrunt de munitiſſima arce Stederburgenſi, & Attilæ exercitu a præſidio Stederburgenſi ita ad internecionem cæſo, ut Attila cum ſeptem ſociis vix evaſerit. *Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 110.*

Chronic. ejus Stederburg. inſc.

Annus Chriſti 1164.

Friderici I. Reg 13. *Imp.* 10.

Ab V. C. 241.

Turbæ per Germaniam.

SUccedit annus MCLXIV, quo ubique armorum fulgor hominum oculos perſtrinxit. In Italia nova malorum cauſa ſubnaſcebatur ex Victoris Antipapæ obitu, cui contra Alexandrum alter ſubrogatus fuerat Guido, Cremonenſis, Paſchalis III. nomine notus, non minus a Friderico *Otto de S. Blaſ. c. 17. p. 204.*

Chron. ment. Ser. p. 33. Gobelin. at. 6. c. 60. p. 271. Chron. Auguſtenſe p. 360. Helmold. l. 2. c. 4. p. 220.

rico quam Victori defenſus. Omnibus ergo Lombardiæ civitatibus ad arma recurrentibus Fridericus ſub auctumnum in Germaniam redit, novas vires adverſus rebelles contrahit, exercitumque longa expeditione attritum inſtaurat. Per Slaviam ſua ſigna circumferebant Henricus Leo & Adelbertus Marchio, tantam provinciis iſtis inferentes ſolitudinem, ut ſuis incolis propemodum nudatæ novis ex Belgio coloniis eſſent replendæ. Rhenum turbabat Conradus Palatinus, Colonienſibus imminens, quanquam intra paucos menſes confectum bellum eſt, Conrado Colonienſibus minus ſe parem fore exiſtimante. Copioſiore ſanguine Arensbergenſe bellum Weſtphaliæ ſtetit, omnibus videlicet hujus regionis Epiſcopis & principibus contra Henricum comitem Arensbergenſem fratricidam arma capientibus. Arce enim munitiſſima exciſa, ipſe comes captus & ditionibus exutus eſt quanquam deinde ab Imperatore reſtitutus.

Inter has Germaniæ tempeſtates halcyonia tamen agebat vicinia noſtra. Illud potius dans operam, ut eccleſiis ſua conſtaret felicitas. Id curæ quoque erat Adelhogo præpoſito SS. Simonis & judæ, qui quantum augendo poſtea Epiſcopatui Hildeſienſi, tantum per hæc tempora ornandæ eccleſiæ Goslarienſi incubuit. Licebit hic proferre ternas hujus Adelhogi literas, ſine conſule quod ajunt, & die datas, quarum alteras Richenbergenſia, alteras eccleſiæ SS. Simonis & Judæ tabularia ſervant. Primis concambium, quod vocunt, inter ſe & Richenbergenſes inſtitutum confirmat: Adelhogi Præp. Gosl. acta nonnulla.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ADELHOGUS Dei gratia Goslarienſis Eccleſiæ præpoſitus. Noverit univerſitas Chriſti Fidelium, tam futurorum, quam præſentium, quod fidelis amicus noſter *Conradus* Richenbergenſis Eccleſiæ Præpoſitus cum fratribus ſuis devote a nobis expetiit, ut in monte ipſis contiguo, qui *Northberg* dicitur, quicquid ad jus noſtræ diſpenſationis pertinebat ipſis obtinendum concederemus, ea videlicet interpoſita pactione, ut ipſi deinceps de *Benniggerod*, de *Bottigerod*, de *Stapeln*, de *Hunnigerod* lignorum cæſioni in nemore circumjacenti renunciarent. Annuentes igitur eorum petitioni, quicquid in prædicto monte a Domino Imperatore beneficiario jure ſusceperamus, Eccleſiæ ipſorum libere poſſidendum conceſſimus, ſed & concambium quod canonici noſtri in Eccleſia Sanctorum Simonis & Judæ quam ab Imp. gubernandam tenemus ſuper eadem re fecerant, Nec non & imperiale privilegium ſuper hoc ipſis contraditum, noſtra quoque adſtipulatione confirmamus, ut ergo hæc noſtra actio in poſterum permaneat rata præſentis paginæ teſtimonium cum adnotatione teſtium ipſis donamus. *Balduinus*, *Erembertus*, *Hereboldus*, *Bertoldus*, *Vdo*, *Canonici Goslarienſis* Eccleſiæ, *Thiletus* de Werre, *Benedictus* de Goslaria.

Succedant aliæ, quibus cum Capitulo Eccleſiæ ſuæ SS. Simonis & Judæ aliquot bona commutavit:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit fidelium univerſitati, quod Ego A. Goslarienſis Præpoſitus concambium cum fratribus meis feci, quod ſi quis ſucceſſorum meorum infringere attemptaverit veritatis ſcripto reprimatur. Igitur pro quatuor manſis quos in *Besingroth* habebant ſedecim ſolidos de æreis in quocunque loco elegerint in concambium deſignavi conſentiente & id confirmante beneplacito Imperatoris. Et ut hoc ratum omni tempore permaneat & ſcripto notavi & proprio ſigillo confirmavi.

Denique juvat ſubjicere tertias alia quidem occaſione conſcriptas, quibus, Capitulum hujus Eccleſiæ reditus quosdam Adelhogo reſignat, acceptis in compenſationem manſis aliquot in Hedesleve & Einerizze:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Rationabili Præpoſitorum voluntati ſubditos conſentire & ſubditorum utilitati prælatos providere, & ordo ſubjectionis & ſublimitas exigit prælationis, præſertim in his quæ aut honori eccleſiæ aut uſui profutura noſcuntur. . Vnde noverit univerſitas fidelium Chriſti quibus hæc ſcripta fuerint præſentata, Goslarienſis Eccleſiæ canonicos quosdam reditus in loco nemoroſo videlicet

licet *Gotingerod*, quos inter alia eidem eccleſiæ in uſum fratrum Imperialis beneficentia clementi benignitate largita eſt, multo tempore poſſedisſe, & de his ſtatutum cenſum, id eſt XX. *ſolidos Goslarienſis monetæ* per ſingulos annos recepiſſe. Quia vero ejusdem Eccleſiæ Præpoſito nomine *Adelboo* prædicta poſſeſsio viſa eſt ad uſum ſuum fore magis congrua petivit a fratribus ſuis ejusdem fieri concambium offerens pro ea duos manſos uſibus fratrum utiliores, de quorum utraque VIII. *Halverſtadenſis* vel æquivalentis *monetæ* in cenſu ſtatuto per ſingulos annos perſolvebantur & quorum unus in villa *Einerizze* vocata, alter vero in alia quæ *Hedesleve* dicitur ſitus demonſtrabatur. In hoc ergo fratres Præpoſito conſentientes tum pro ipſius voluntate, tum pro ſua ipſorum utilitate univerſa quæ in loco prædicto videlicet *Gotingerod* ſui juris erant in ſilva ſive in paſcuis in agris cultis ſive incultis cum ædificiis & omni utilitate quæ eis inde jure provenire potuit ad uſum Præpoſituræ reliquerunt, pro quibus duos prædictos manſos in poteſtatem ſui juris tenendi, utendi, præcariandi ſive in melius commutandi a manu ipſius Præpoſiti receperunt. Ad hujus autem rei atteſtationes placuit Præpoſito cum univerſis fratribus hæc ſcripto commendari & ſigillo Eccleſiæ ſanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ inſigniri. Ego *Adelbous* Goslarienſis Eccleſiæ Præpoſitus confirmo, toto conſentiente Capitulo.

Has literas ut integras darem facile me movit tum Adelhogi celebritas, tum quod nullæ ſuperſunt ante hæc tempora tabulæ ab ipſis præpoſitis, aut Canonicis noſtris conſignatæ, licet Emſeri adhuc ætate plures in hac eccleſia extiterint a *Bennone* Magiſtro conſcriptæ, quas amiſſas magnopere lugemus.

Emſer. vit. Bennon. 6.13.

Annus Chriſti 1165. 1166.

Friderici I. Reg. 14. 15. *Imp.* 11. 12. *ab. V. C.* 242. 243.

Goslaria cum principibus adverſus Henricum Leonem conjurat. *Helmold. l. 2. c. 7. Chron. Slav. p. 216. Chron. Siederb. p. 455. Cranz. l. 6. c. 21. ſq. Sax. paſſ.*

NOn diuturna erat ea tranquillitas, qua adhuc Goslaria noſtra medias inter procellas fruebatur. His ipſis enim annis, cum omnes Saxoniæ Weſtphaliæque principes in Henrici Leonis perniciem conjurarent, ipſa quoque urbs hæc principum cauſam probavit, & in fœderis iſtius venit ſocietatem. Nulla equidem pravior cauſa ſuberat, quamobrem bellum iſtud decernerent, præterquam nimia Henrici Leonis potentia, cui recuperata Bavaria, accepta Wincenburgenſi & Aſlovienſi hæreditate, Slavia denique per domita, nihil videbatur ad regnum, niſi Regis nomen deeſſe. Scilicet aſſidua e minentioris fortunæ comes invidia eſt, magnisque opibus nihil ſolet citius deeſſe, quam vicinorum favor. Interſerebatur tamen cauſa, eccleſiæ bonis inhiare Henricum, & plura eum concupiſcere, quam ferat eccleſiæ libertas. Nec occaſio videbatur deeſſe illum opprimendi, cum Imperator in Tranſalpinis regionibus hærens opem ferre ſocio & amico principi non poſſet. Ex compacto igitur ad arma concurrunt Wicmannus Magdeburgenſis, Hermannus Hildesheimenſis Epiſcopi, Ludovicus Landgravius Thuringiæ, Albertus Marchio Brandenburgenſis ac filii ejus, Otto Marchio Camburgenſis & fratres ejus, Albertus Palatinus Sommersburgenſis, Otto Comes Aslovienſis, Chriſtianus Comes Oldenburgenſis, Witekindus de Daſenberg, pluresque alii Saxoniæ Principes, quibus ex urbibus acceſſit Goslaria, quæ ad tantam jam potentiam invaluerat, ut Brunſuicum contra illam præmunire neceſſe habuerit Henricus. Omnibus ad bellum paratis ſubito Henrici invadentes ditiones, Adeslebiam firmiſſimum ejus propugnaculum vineis operibusque claudunt, ex altera parte Oldenburgenſis comes Brema expugnata omni regione iſta potitur. Sed nulla fortunæ aſperitate territus Leo viras, quantas res ferebat, contrahit, omnemque quam late patet Magdeburgenſem Archiepiſcopatum & Thuringi provincias ferro flammaque devaſtat. Inde ulterius progreſſus in Bremenſes ditiones, Bremam expugnat, omnibusque quæ ſibi erepta fuerant, recuperatis militem crebris excurſionibus locupletavit. Simul ac fama horum motuum percrebuerat: Fridericus Imperator veritus, ne quid ſe abſente reſpublica detrimenti caperet, ſevero edicto imperavit Saxonibus, ut ab armis deſiſterent, remque ſuæ procerumque permitterent ſententiæ. Sed alia omnia agebant principes, qui damnatis pacis conſiliis majori longe quam ante pertinacia bellum moliebantur, inprimis cum plures ſubinde ad partes ſuas viderent inclinare, adeo ut tota fere Saxonia Weſtphaliaque teſte Helmoldo adverſus Henricum ſtaret.

Inter hæc belli conſilia nec eccleſiarum tamen curam poſuit *Hermannus* Hildeſienſis Epiſcopus. Extant enim ejusdem literæ, quibus jus patronatus Capellæ S. Cæciliæ Woldenbergenſibus conceſſum ſuo ſuffragio ratum habuit:

Jus patronatus Capellæ S. Cæcil. Woldenber. confirmatum.

Teſtes *Adelbogus* Præpoſitus Goslarienſis,

ſis, *Werino* Canonicus S. Mariæ in Hildenesheim, *Berno* Diaconus, *Engelbert*, Presbyter, & Canonicus Goslarienſis. *Fridericus* Comes de Poppingiburg, *Hart* de Burnen, *Vlricus* de Goslar, *Vlricus* de Riemen, *Conradus* & Erneſtus, pincernæ & Dapiferi.

Annus Chriſti 1167.

Friderici I. Reg. 16. *Imp.* 13. *Ab. V. C.* 244.

Goslaria ab Henrico Leone obſeſſa. *Helmold. l. 2. c. 9. p. 230. ſq. Chron. mont. Ser. p. 34. Chron. Stederb. p. 455.*

SEquente anno in Goslariam noſtram præcipue bellum ſæviit. Henricus ei hostis Leo ægre ferens tam vicinam urbem fœderi Saxonico ſe junxiſſe, arctiſſima eam obſidione tenuit, omnesque vias, ne quid commeatus intrare poſſet, interclusit. Et quanquam fortiſſimæ turres foſſæ ac muri, quibus præmunita erat, eam facile ab iſtorum ſeculorum bellandi artibus tutam præſtarent: tanta tamen cives confecit fames, ut prope abeſſent a deditione. Inprimis cum tanta ubique per hos annos eſſet frugum ſterilitas, ut famem validiſſimam ad ſuperiorem annum notent faſti Stederburgenſes. Hinc omnia armis turbata. Caſtra Henrici deſtructa & in ſolitudinem verſa, inprimis Haldeslebia & Niendorpium, nec minus Henricus inimicis ubique imminebat Qua de re audire placet Helmoldum: *Fervebat autem ſeditionum ſæva tempeſtas per omnem Saxoniam, contendentibus ſcilicet univerſis Principibus adverſus ducem, & facta ſunt captiones militum, & demembrationes, & everſiones urbium, atque domorum, & incendia civitatum. Et addita eſt Goslaria principibus, & præcepit dux cuſtodiri vias, ne quis frumentum induceret Goslariæ, & eſuricrunt valde.*

Friderici geſta in Italia. *Abb. Vrſp. p. 294. Helmold. l. c. Gobelin. Coſmod. ætat 6. c. 60. p. 271. Aventin. l. 6. ann. Boj. p. 513. Godefr. Monach. p. 241. ap. Freher.*

Interea Fridericus in Italia hærens Romanis Alexandro Papa faventibus gravis erat. Acri enim prælio cum illis congreſſus tanta eos clade affecit, ut Helmoldus ad duodecim Romanorum millia cecidiſſe ferat, quem cæſorum numerum auget Godefridus Monachus, e XIII. armatorum millibus vix bis mille rediiſſe in urbem, teſtatus. Inde urbem captam & ſuorum ſtrage territam facile intrat, Alexandro Pontifice pulſo Paſchalem ſedi Petrinæ imponit, omnesque eo adigit, ut ejurato Alexandro Paſchali fidem darent. Sic omnia Friderico fluebant ad votum, ſpesque nova affulgebat fore ut jura a Pontificibus Imperio erepta aliquando recuperaret, niſi Alexandrum expertus fuiſſet inimicum, virum ambitioſum tamque acrem pontificiæ παντοκρατίας defenſorem, ut nihil eſſet Gregorio ſimilius. Victoriis tamen ejus non parum & ipſa malignior fortuna interceſſit: Nam ſive quod ferventius Italiæ cœlum minus ferret Germanus miles, ſive quod Romanorum accederet ſcelus, peſtis in Friderici exercitum ſævire cœpit, quæ tam ſubito invaluit ut præter gregarium militem e principibus quoque ſuccumberent Fridericus dux Sveviæ, Welfo junior, Fridericus Comes de Rodenburg, Henricus Tubingenſis, Berengarius Comes de Salzbach, Epiſcopi præterea Spirenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Leodienſis, Verdenſis (quem Vrſpergenſis & Aventinus Verdonenſem vocant) & Citicenſis deſiderarentur.

Anni Chriſti 1168. 1169.

Friderici I. Reg. 17. 18. *Imp.* 14. 15. *Ab. V. C.* 245. 246.

Principes Henrico Leoni reconciliati. *Helmold. l. 2. c. 11. p. 233. Alb. Stad. p. 291. Cranz. l. 6. c. 25. p. 153. Sax. Godefr. monach. p. 242.*

REbus ergo in Lombardia ad ſummam tranquillitatem compoſitis, novoque pontifice contra Alexandrum firmato, Fridericus cum exercitus reliquiis in Germaniam revertitur, ad compeſcendos Saxones, qui bellum contra Henricum Ducem ſuſceptum obfirmato animo perſequebantur. Principes igitur Bambergam (Albertus Stadenſis, Bomeneburg, alii Francofurtum ſubſtituunt) vocatos acriter increpuit, quod ſe abſente arma capere turbasque dare auſi eſſent. Cauſa deinde cognita Leoni ablata quævis reſtituit, Principibus quietem imperavit, Hartwicum denique Bremenſem & Conradum Lubecenſem ex Epiſcopatibus ſuis profugos in integrum reſtituit, atque adeo auctoritate ſua facile obtinuit, ut ab armis abſtinerent.

Daſenburgum tallioſorum rapinis adſuetum. *Helmold. lib. 2. cap. 11. Chron. Slav. p. 234. Cranz. l. 6. Sax. c. 26. p. 153. Spangenb. c. 228. p. 384.*

Nec ullus quidem repertus eſt in tanto procerum numero quin in ſententia Cæſaris lubens acquieverit, præter Witekindum Daſenburgicum Comitem, ferocem virum, & ab ineunte adoleſcentia ſorum rapinis adſuetum. Hic enim eo ægrius Goslariensium hoc prædas agendo ſe locupletaverat. Accedebant & inveteratum adverſus Ducem odium, a quo ob latrocinia aliquando captus & in vinculis fuerat habitus, & munitiſſima arx in prærupta petra eminens, qua confiſus non deſiſtebat ducis provincias depopulari. Itaq; Henricus totas vires in Witekindum convertit, eumq; in arce Daſenburgica tam arcta obſidione incinxit, ut ne pedem quidem arce efferre præſidiariis liceret. Omnes tamen machinæ caſtro adhibitæ fruſtra erant, cum ob nimiam altitudinem arietes mœnibus admoveri non poſſent. Itaq; mutato conſilio dux evocavit Metallitoſſores Goslarienſes, qui cuniculis per montis viſcera actis fontem, quo ſolo utebantur obſeſſi ſubtraherent. Quo facto hoſtes compulſi ſe dediderunt, gregarioq; milite dimiſſo, Comes in Henrici venit poteſtatem. Sed placet audire ipſum Helmoldum in componendis his temporibus egregium: *Cæteris ad pacem reductis hunc ſingularem ferum obſedit in caſtro Daſſenburg. Sed cum omnem obſidionis & machinarum violen-*

olentiam mons eluderet, misit dux & vocavit viros industrios de Rammesberg [est hic mons apud nos metalli feraciſſimus] *qui aggressi rem difficilem & inauditam perfoderunt montis Dasenberg radices & interiora montis colluſtrantes repererunt puteum, unde castellani hauriebant aquam. Quo obturato defecit aqua castellanis & necessitate constrictus Witekindus dedidit se & castrum in potestatem ducis. Cæteri dimissi dispersi sunt unusquisq; in terram suam.*

Turbæ in Italia ex bicipite Pontificatu natæ. *Godefrid. Monach. p. 243. Ap. Freher. Pallav. tom. 2. de gest. Fr. I. p. 630. Jac. Phil. Elipp. Bergom. Chron. lib. 12. fol. 211. Append. ad Radevic. p. 510. ap. Vsing.*

Interea vero dum pacis consiliis Fridericus in Germania occupatur, per Italiam totam classicum adversus eum canebat Alexander papa, eo ferocior, quod binis adversus se electis pontificibus superstes erat. Tertius tamen ei quoque opponebatur Johannes Strumiensis, Vngarus, cui Calixto III nomen inditum. Verum hunc aspernati Itali, fide fracta, arma adversus Imperatorem minabantur, nisi cum Alexandro Pontifice, cujus honori novem Alexandriam condiderant, rediret in gratiam. Quamvis autem Fridericus ad omnes fortunæ conversiones esset interritus: maluit tamen prius pacis consilia experiri, quam imparatus denuo in Italiam moveret. Evocatis igitur Bambergam regni proceribus, multisque de pace in medium consultis, ad Pontificem Bambergensem Episcopum, & quos ex Gallia ideo accersiverat, Abbates Cisterciensem, cum certis conditionibus missit, interea vero Imperium in familia sua firmaturus, id obtinuit a principibus, ut Henricum filium, quinquennem puerum Regem dicerent, juratoq; fide Aquisgrani solenni inaugurationis ceremonia initiarent.

Annus Christi 1170.

Friderici I. Reg. 19. Imp. 16.
Ab. V. C. 247.

Comitia Goslariensia. *Albert. Stad. p. 291. Schaten. lib. 9. ann. Pa. derb. p. 451. Rentel. p. 87. Chron. Hildesh. p. 88. ap. Paulin.*

Annus proximus Goslariæ reddidit Fridericum, si Alberto Stadensi fides est, qui celebrem tunc curiam hic habitam perhibet, sed nimis breviter, cum quæ tunc ibi gesta sint, memorare supersederit. Vnde non male conjicere videtur Schatenius, Imperatorem Italico bello denuo intentum fumantes adhuc Saxonum motus comprimere studuisse, qui ab Henrico Leone se læsos questi sint. Hermannum certe Hildesiensem Episcopum tunc interfuisse his comitiis obscure subinnuere videtur Jacobus Reutelius, Doctissimo Paulini editus, cujus hæc sunt: *Hermannus Præpositus ad S. Crucem intra Metropolim, vir nobilis, pius & prudens, nulliq; non acceptus, inprimis Friderico I. Imperatori, quem publico nomine ad comitia Goslariensia abeuntem accepit orator facundissimus.* Facile eo adducimur, ut credamus, de his ipsis comitiis esse sermonem, cum ex quo episcopatum tenuit Hermannus, Fridericus vix unquam præterquam hoc anno, principum conventum Goslariæ legatur egisse: quippe semper fere in Italia cum Mediolanensibus & papis colluctatus. At non multum exinde superstes Hermannus Episcopus: Reddita enim Saxoniæ quiete quam ipse quoq; contra Henricum Leonem arma capiens turbaverat, more sæculi nævos suos sacra peregrinatione in Palæstinam suscepta expiare cupiens, hoc ipso anno itineri se accinxit. Sed vix mari se commiserat, cum exorta subito tempestate naviq; in petram illisa, omnium sarcinularum suarum faceret jacturam, & vix ipse arrepto asseri nudus aquarum vim evaderet. Sed quid ad obfirmandum animum religione validius? aut quando facilius fortunæ injurias concoquimus, quam si sacrorum causa eas videmur subiisse? Idem ergo animi erat Hermanno, qui licet ad incitas redactus propositi tamen tenax peregrinationem alacrius persequebatur stipem Hierosolyma usque ostiatim colligendo. Visis vero & lustratis ibi antiquitatum monumetis, cum iter in patriam repeteret, proximo anno febri extinctus ad supremam istam Jerusalem omnium nostrum matrem evolavit.

Hermanni Episcopi obitus. *Rentel. Chron. Hillesh. p. 88. ap. Paulin.*

Atque hic non possum non notare rem maximi erroris & multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam Chronicon Stederburgense ejus obitum refert in annum MCLXIX, quod quidem propius abest a veritate. Sed alii quantum differunt? Bruschius enim & Reutelius emortualem Hermanni annum signant millesimum centesimum septuagesimum quartum, Chronicon meum MSC Episcoporum Hildesiensem MCLXXVII. Sed vereor (quod pace eorum diligentiæ dixerim) ne omnes decepti sint. Suppetunt enim Adelhogi, qui Hermannum secutus est, diplomata jam anno MCLXXII. data, aliudque anno MCLXXIII. Richenbergensi ecclesiæ concessum, cujus subscriptio facile errorem ostendit:

Actum anno Domini MCLXXIII. Indictione VI. Pontificatus Domini *Adelhoi* Hildesheimensis XXIV. Episcopi anno tertio in Dei nomine feliciter Amen.

Nonnullorum errores notati. *Chron. Stederb. p. 455. Brusch. de Episc. & Archiep. c. 11. n. 23. p. 1046. sq. Rentel. Chron. Hillesh. p. 88. Chron. Hildesh. Episc. MSC. c.*

Quod si ergo annus MCLXXIII. fuit Adelhogi tertius, proniſſime inde fluit, Hermannum aut anno MCLXX exeunte aut certe initio anni MCLXXI. rebus humanis excessisse.

Redierant interea ex Italia Bambergensis Episcopus & Abbates, quos de pacis negotio Imperator ad Romanos miserat; sed obscuro & ancipiti responso dimissi. Imperator igitur post pentecostes anniversaria VI. Idus Julii Fuldam accessit, principumque ibi curiam egit. Cognito autem pertinaci inimicorum animo, pacis consiliis dimissis, armis finire schisma decrevit, palam professus, nunquam se

Friderici Alexandro pontifici inimici. *Godefrid. Monach. p. 243.*

pro Apostolico Rulandum (Alexandro id nominis ante pontificatum hæserat) habiturum. Ex quo tempore Calixti causa constantius suscepta, Alexandri impotentem arrrogantiam palam detestatur., Cisterciensibus quoque, qui huic nimis videbantur favere, Germania excedere jussis.

Annus Christi 1171.
Friderici I. Reg. 20. *Imp.* 17. *Ab. V. C.* 248.

Comitia Goslariensia. *Godofr. Monach. p. 243. Chronogr. Saxo. p. 309.*

Quieta per id tempus Saxonia nostra. Nam non solum motus omnes Imperatoris beneficio conquieverant, verum etiam Henricus Leo peregrinationem in palæstinam religionis caussa susceperat, multis e nobilitate secum ductis. Hinc Imperator Coloniam ingressus istis quoque compescendis turbis operam dabat. Festo deinde Martino Episcopo sacro Goslariam convocatis proceribus comitia habuit, in quibus præcipue causa acta Bernardi Ascanii & Bernburgensis, quem Fridericus comitatu Plozke mulctatum volebat. Sed quæ demum sententia lata sit in principum senatu, non apparet, nisi quod rem in Johannis Baptistæ diem dilatam dicit Chronographus Saxo: *Fridericus Imperator in nocte S. Martini Goslariæ curiam tenuit, in qua patrimonium Bernhardi comitis, filii Marchionis Adalberti, quod dicitur Plozke exegit, ex quo gravis inter Imperatorem & fratres ejusdem comitis dissensio orta, usque in Festum S. Johannis Baptistæ est dilata.* Videtur quoque tunc Fridericus ecclesiæ SS. Simonis & Judæ prohibuisse ne ornamenta sacra pignori cuiquam opponerent. Huc enim refero diploma, quod sine consule & die in vetusto copiali hujus ecclesiæ occurrit: *Spang. p. 385. c. 221. Lucæ atrium Comit. part. 1. p. 92.*

FRidericus Dei Gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Propositi nostri est, & simul imperialis clementiæ serenitas expostulat, ut Ecclesias Dei & quælibet loca religiosa, specialius tamen ea, quæ ab antecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus fundata sunt & constructa, pio amplectamur affectu ac ea quæ ab eorum largitate, seu aliorum quorumlibet donatione ipsis collata fuerunt, diligenter conservare. Volentes igitur Ecclesiæ Goslariensi, cujus thesaurus & ornatus per diversorum hominum petitiones ad impignorandum frequenter concedi solebat, & sic processu temporis in oblivionem cadere, & ab ecclesia alienari, mature, prout nostra interest, consulere & solerter providere statuimus, & autoritate imperiali ac sub obtentu gratiæ nostræ Canonicis Ecclesiæ Goslariensis tam futuris quam præsentibus districte præcipimus, quod nec custos nec vicem custodis gerens, seu quispiam alius propter aliquorum petitionem, vel forte instantiam burgensium, aut aliorum quorumlibet, sive etiam nostram, quicquam de ornatu ecclesiæ exponendum concedat, quem nec etiam personæ nostræ ad impignorandum ullo modo concedi volumus.

Adelhogus Præp Gosl. Hildes. Episc. creatur. *Cranz. l. 7 metrop. c. 3. p. 171. Brusch. c. 11. de Ep. n. 24. p. 1047. Reuter. p. 90. Chron. Hillesh.*

Interea ad Hildesiensem Episcopatum ex ecclesia nostra SS. Simonis & Judæ transit Adelhogus Dorstadianus: hujus ecclesiæ Præpositus, consentientibus Canonicorum Hildesiensium suffragiis electus, Vir præstans & in locupletando Episcopatu suo, ornandisque ecclesiis perpetuus. In eo hoc inprimis miratur Cranzius, quod, quanto minime potuerit, se implicarit aut rebus Imperatoris, aut factionibus Heinrici Ducis qui diversis itineribus tunc ecclesiam afflixerint. Quod tamen nescio, an satis ad veritatem videatur accedere, cum in obsidione Brunsvicensi omnino castra Philippi contra Henricum Leonem sit secutus. Quanto autem pauciora ejus in historiis occurrunt vestigia, tanto frequentiora se offerunt monumenta, quæ illius in ornandis tuendisque ecclesiis sollicitudinem loquuntur. Pietatem quoque ejus istorum temporum hominibus solennem satis declarat peregrinatio exemplo antecessoris sui ad loca sacra suscepta, in qua tamen ipse longe felicior extitit, cum ad gregem suum incolumis redierit, & diuturno tempore adhuc præfuerit ecclesiæ. *Chron. Episc. Hild. MSC. c. 15*

Primo statim hujus sacerdotii sui anno rata habuit ea, quæ antecessores de jure patronatus ecclesiæ S. Cæciliæ statuerant. En enim ejus diploma:

Jus Patronatus capellæ S. Cæciliæ confirmatú Wolfenbergensib9



IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ADELHOGUS *Dei gratia Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopus in perpetuum. Debitum officii nostri nos ammonet, modis & omnibus & invitat, ut quæ ad honorem Dei & decorem domus ejus a nostris sunt prædecessoribus canonice constituta, in suo studeamus vigore conservare, & adversus quorumlibet quorumque ingenio insultantium, calumnias, perpe-*

pectuo communire. Inde est, quod suadente justitia, simulque devotissimorum nobis Odelrici & Rudolfi, *honoratorum Goslariensium civium instantia compellente, constitutum piæ recordationis* Bernhardi, Brunonis, Heremanni *Hildenesheimensium Pontificum super capella quadam, quæ Goslariæ sita est, seriatim promulgatum, præsentis scripti privilegio innovamus, & perpetuo irrefragabile robur habere, pontificiali authoritate decernimus. Cujus constitutionis tenor ita se habet: --- Quidam Canonicus Goslariensis nomine* Sidagus, *capellam, quam pater suus* Odo, *& Sidagus patruus suus, ejusq; uxor* Syburgis *in honore Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei genetricis, sanctæque Cæciliæ virginis, honorifice suis sumptibus exstruxerant, & a venerabili Domino* Hezelone *Episcopo, dedicari impetraverant, cuidam cognato suo viro commendabili* Rudolfo *filio* Vertheconis, *nec non & conjugi suæ,* Friderindæ, *simulque proli eorum consensu & collaudatione Bodonis fratris sui legitime hæredis & Mundiburgii suijure hæreditario dudum ad se devolutum legitime donavit, dominiumque & possessionem in eos & eorum successores, consona legum & Canonum authoritate transfudit. Fecit autem hanc donationem tempore felicis memoriæ, Domini Bertholdi Episcopi, in præsentiam Heremanni advocati, simulque nominatissimorum civium Goslariensium. Postmodum vero eadem donatione in præsentia Domini Bernhardi Episcopi, solenniter innovata, idem venerabilis Pontifex auctoritatis suæ conscripto privilegio eam confirmavit, atque eidem capellæ privilegia, quæ a suis decessoribus obtinuerat, indulsit & confirmavit. Videlicet ut cum sacerdos inibi Domino ministrans, altaris curam de manu Episcopi aut Archidiaconi receperit, omnes ejusdem Ecclesiæ legitime possessores sepeliendi mortuos suos, & baptizandi inibi parvulos, liberam habeant facultatem. Et hac quoque Pontificali auctoritate constituit, ut liceat quibuscunque volentibus, ad sacra ibidem missarum solemnia convenire sacedoti ægrotos ad quos fuerit invitatus, visitare, parvulos quoscunque ipsi oblatos baptizare & mortuos sepelire. Postremo super iisdem capitulis, ut supra prælibavimus, venerabilium* Brunonis & Heremanni *Episcoporum confirmationes emanaverunt. Unde & nos ipsorum vestigia persequentes statuta eorum innovando firmamus, atque in omne ævum robur irrefragabile obtinere decernimus, adjicientes, ut quæcunque bona, quascunque possessiones, toties dicta Ecclesia juste & canonice in præsentiarum possidet, aut in posterum auxiliante Deo, quibuscanque juris cogniti titulis, poterit adipisci, nemo audeat invadere, diripere, vel quibuslibet vexare molestiis. Si quis ergo hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, anathematis se intelligat vinculis innodatum, quoad & authoritati, quam offeadit, & Ecclesiæ, quam læsit, canonica emendatione suffecerit. Amen. Testes rogati viderunt & audierunt:* Werno *Præpositus S. Mauritii.* Johannes *Præpositus Bakenrodensis,* Godofredus *Præpositus in Einbeck,* Erembertus *Decanus Goslariensis.* Erpo. Conradus, *Diaconi majoris Ecclesiæ.* Bruno *Sacerdos,* Henricus *Subdiaconus S. Mauritii.* Herebordis Udo. *Goslarienses Canonici, &c.*

† Adelhogus Hildenesheimems. Episc.

Actum in Ecclesia S. Georgii. Anno Domini M.C.LXXI. Indict. IIII. Anno primo Pontificatus Domini Adelhogi XXII. Hildenesheimensis. X. Kal. Octobr. in Dei nomine feliciter amen. Datum Ringelheim VI. Kal. Octobr. per manum Gocelini Notarii. *Godefr. Monachus. p. 243. Schaten. p. 837. l. 8. Part. 1. annal. Paderb.*

Annus Christi 1172. 1173.

Friderici I. Reg. 21. 22. *Imp.* 18. 19.

Ab. V. C. 249. 250.

Friderici de Papæ injuriis questus.

PRoximo anno Imperator Wormatiæ congregatis principibus multis verbis injurias exposuit, quibus adhuc Imperium fuerit exagitatum ab Alexandro Pontifice atque Italis, eo progressis audaciæ, ut jam non amplius de se opprimendo, sed de ipso Occidentali Imperio ad Constantinopolitanos Cæsares transferendo cogitarent. Quanquam autem adversæ partis historici hanc contumeliam ab Alexandro Pontifice avertere, pro virili laborant: nescio tamen an non id credere nos oporteat Imperatori, cum tanta inter Alexandrum hunc & Manuelem intercesserit familiaritas, ut de ecclesia Græca Latinæ concilianda inter eos consilia agitata vulgo fateantur Pontificum biographi. Certo

Certe quis credat Manuelem Imperatorem, eo tempore, quo maxime Græcis inviſi erant Latini, eccleſiam Græcam ad Romanæ formam reformaturum fuiſſe, niſi hæc ipſa illi conditio fuiſſet oblata? Sed bene eſt, quod nec ipſi quidem hoc diſſimulent Pontificii! En enim Pallatii verba: *Venere etiam Manuelis Imperatoris Graecorum legati, oblationem renovantes uniendi Latinos & Graecos, ac Alexandrum praſenti moleſtia liberaturi. Summa tamen legationis erat, ſi ei corona Imperii occidentalis tunc jure Friderico adempta, Graeca daretur, ut utriusque Imperii aquila conſociarentur.* En ergo conſilia! unde apparet, qua fronte hoc obtegere audeant Baronius, Allatius & hujus farinæ ſcriptores alii. Reigitur ad principes in comitiis Wormatienſibus relata omnes continuo magnopere indignati, ſubſidio Imperatori promiſſo, novam decreverunt in Italiam expeditionem.

Pallat. de Geſt. Pont. part. 1. p. 530.

Monaſterio Montis S. Georgii privilegia conceſſa.

Interea Adelhogus, poſtquam ſuperiore anno Epiſcopatui Hildenſemenſi fuerat præfectus, jam ad cœnobiorum augmentum ſtudia ſua convertit. Primo omnium ejus benignitatem apud nos ſenſit Monaſterium Montis S. Georgii, quod ſervat ejus literas his teſtibus munitas:

Teſtes vero hi ſunt: *Werno* major præpoſitus, *Johannes* Backenrodenſis Præpoſitus, *Beino* Scholaſticus majoris Eccleſiæ. Laici: Comes *Sigebodo* de Scarfeld, *Ludolphus* advocatus eccleſiæ S. Georgii, *Borchardus* frater ipſius, *Sifridus* de Aldendorp, *Olricus* de Elvelde, *Cono* de Hesle. Datum III. Non. Octobr. Anno Domini MCLXXII. Indict. V. regnante *Friderico* Imperatore XXIo. regni ejus. Actum *Hildensheim* feliciter Amen.

Martinus Tuſculanenſis Epiſc. Cardinalis Goslariæ præſens.

Sequente anno Goslariæ fuit Martinus Tuſculanenſis Epiſcopus, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Cancellarius & Apoſtolicæ ſedis legatus. Ad hunc ſe contulit Adelhogus Hildeſienſis Epiſcopus multis ſuorum nobilium comitatus. Cumque ſic Goslariæ verſaretur, non ipſe modo Richenbergenſem Eccleſiam nuper, ut videtur, in cineres redactam & denuo inſtauratam ſolenniter conſecrat ſuaque beneficentia exornat, verum etiam civium noſtrorum liberalitatem inſigni diplomate ratam habet, cui ipſe quoque inter teſtes ſubnotatus eſt Martinus Cardinalis. En illud ex ipſo autographo deſcriptum!

* * *

IN nomine ſanctę & indiuiduę Trinitatis. ADELHOGUS *Dei gratia Hildenesheimenſis epiſcopus in perpetuum. Debitum officii noſtri nos ammonet, modis omnibus etiam invitat, ut eccleſiis Dei ſollicitudini noſtrę commiſſis, paterna diligentia provideamus: atq; in iis Deo jugiter famulantium ſtipendia, prout ipſo opitulante oportunitas ſe nobis optulit, ſtudioſa devotione adaugeamus. Inde eſt* quod ęccleſiam ſanctę Dei genitricis, quę eſt in Richenberg, die qua eam per conſecrationis miniſterium diuino cultui mancipavimus, videlicet VI. Idus ſeptembris *duobus manſis in* Ebbingherode *dotavimus, cum omni eorum jure & utilitate in perpetuum habendis. Cives quoque Goslarienſes eidem eccleſię fundum, qui* Galgberch *vulgo dicitur, unanimi conſenſu legitima donatione contulerunt. Quas donationes epiſcopalis banni auctoritate ſub anathematis interminatione roboratas preſentis ſcripti privilegio confirmamus, ſtatuentes, ut hęc & quęcunque bona pręmemorata ęccleſia in preſentiarum tam in civitate* Goslaria, *quam extra juſte & canonice poſſidet, aut in futurum quibuscumque legitimis tytulis poterit adipiſci, nemo audeat invadere diripere, aut ab ea temere alienare, ſeu quibuscunque vexare moleſtiis. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, Dei omnipotentis indignationem & eccleſiaſticę diſciplinę animadverſionem ſe noverit incurriſe, quoad & auctoritati quam offendit, & eccleſię quam leſit, condigna ſatisfaciat emendatione. Teſte Domino* Martino *Tuſculanenſi epiſcopo, Sanctę Romanę eccleſię cancellario, & Apoſtolicę ſedis legato.* Wichando *Sci Michaëlis Abbate;* Heinrico *Heimingenſi prepoſito.* | Gerhardo! *Stiderburgenſi. Johanne* Baccenodenſi: Erpone. Liutoldo *Canonicis. Doñs* Erneſto. Cunrado. Udone. Hermanno, *miniſterialibus noſtris.* Volckmaro *Goslarienſi Advocato.* Tiderico *advocato Richenbergenſis eccleſię*, Marcolfo. Radolfo, *civibus Goslarienſibus & aliis multis.*

Actum

Actum anno Domini M.C.LXXIII. Indictione VI. Pontificatus Domini *Adelboi* Hildenesheimensis XXIVti episcopi anno tercio in Dei nomine feliciter *Amen.*

Data *Goslariæ* per manum *Gozelini* Notarii Id. Septembris.

L.S

Martinus Tusculanensis Cardinalis, ab Onuphrio Panvinio prætermissus cujus in hoc diplomate mentio fit, iisdem mandatis instructus reliquam etiam Saxoniam perlustravit. Quedlinburgi sane sui memoriam hoc testimonio reliquit. Martinus Tusculanens. reliquam Saxoniam perlustrat.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam futuris scriptum istud aliquo tempore legentibus, quod ego MARTINVS TVSCHVLANUS Episcopus & Romanæ Ecclesiæ Cancellarius & Apostolicæ sedis legatus veni ad monasterium *Quidilingeburghi* propter controversiam, qua inter venerabilem fratrem nostrum *Geræonem*, Halberstadensem Episcopum, & *Adelheidam* ejusdem loci Abbatissam versabatur pro dedicatione cujusdam ecclesiæ in urbe sitæ, quam Episcopus alterius diœcesis ex ipsius vocatione consecravit, auctoritate privilegiorum suorum & exemplo prædecessorum munita. Privilegia itaque ipsius Monasterii coram nobis afferri fecimus, & allata fuerunt tria *Johannis, Sylvestri & Innocentii*, summorum Pontificum autentica, bullata, in quibus continebatur, ut ab omni jurisdictione Episcopali ipsum monasterium liberum esset, excepto Romano Pontifice, & legatis ejus, & liceat habitatoribus ejusdem monasterii Episcopum, unumcunq; voluerint, vocare, qui spiritualia omnia eis administret. Si quis autem Episcopus ipsi privilegio contraire voluerit, provideat, quid faciat. Hæc nos vidimus, & super hujusmodi testimonium perhibemus.

Monasterii Woltingerodani initia.

Hoc tractu etiam temporum, nisi fallit quorundam sententia, monasterium condi cœpit Woltingerodanum, quod hodienum in vicinia nostra, post ferale incendium pulcherrime nuper instauratum, virginibus Cistercienſi Ordini devotis hospitium præbet. Conditores vulgo feruntur Hojerus & Borchardus Comites de Woldenberg. Sed tum nondum ad hos Woltingerodana dynastia devoluta fuerat, superstitibus nimirum adhuc Ludolpho & Borchardo Woltingerodanis. Quamobrem aut in recentiora tempora recipiendæ sunt hujus cœnobii origines, aut certe auctoribus tribuendæ Ludolpho huic & Borchardo Woltingerodanis, qui videntes, stirpem suam secum abruptum iri, id forte ceperunt consilii, ut caminatam suam, hoc est, arcem moore seculi in monasterium converterent, sibique ac majoribus suis Deum hoc bono opere propitiarent. Sed certiora liceret proferre, si Friderici Imperatoris & Alexandri Pontificis diplomata, quibus hoc novum cœnobium, teste Leznero, confirmarunt, in manus nostras venissent. Sed non contigit hanc mihi adire Corinthum. Ceterum insignia hujus monasterii in auro scuto præferunt S. Mariam virginem rubro indumento velatam, Abbatia vero signo utitur pelicani argentei in aurea area. Celebriores aliquot Abbatissas alii loco reservamus.

Leznerus lib. 2. Chron. Hild. MSC. c. 15. Paulin. Cheron. Osterg. p. 20.

Annus Christi 1174. 1175.

Friderici I. Regis. 23. 24. *Imp.* 20. 21.
Ab V. C. 251. 252.

Expeditio Friderici in Italiam.

SUccedunt anni Italico bello turbulenti & quibus Saxonicorum motuum sparsa semina constat. Imperator enim tot Alexandri Pontificis & Italorum contumeliis affectus, id dabat operam, ut quanto posset maximo exercitu illatas sibi injurias vindicaret. Ut plurimum igitur in superiore Germania versatus, principum opem implorabat, Saxonicarum rerum cura permissa Henrico Leoni, qui per id tempus e Palæstina reversus, non minus provide in contrahendis totius Saxoniæ viribus laborabat. Adulta igitur jam æstate cum copiosissimo exercitu per Alpes in Italiam penetrans, tanto terrore conjuratorum animos percussit, ut plurimis oppidis in deditionem açoeptis, ipsi Alexandriæ ad-

Godefr. Monach. p. 245. ap. Freher. Abb. Vrsp. p. 296. Abb. Stad. p. 292. Arnold. Chron. Slav. l. 2. cap. p. 265. Otto de S. Blasio. mo. p. 208.

moveret exercitum. Sed in fumos omnes hi conatus abiere. Colluvies enim quæ in novam hanc urbem confluxerat, tanta audacia ſe defendit, ut tota hyeme caſſo opere Imperator mœnia Alexandrina quaſſaret. Interea Lombardicæ civitates denuo conjurantes in Imperii perniciem, magno ac valido collecto exercitu, fecialibusque miſſis aperte Imperatori bellum indicebant. His cognitis Fridericus, ſoluta ſubito Alexandrina obſidione totum exercitum perduellibus oppoſuit, magnisque itineribus progreſſus tam prope ad caſtra eorum acceſſit, ut vix ſagittæ jactu ab iis abeſſet. Secuta ſtatim eſt ingens hoſtium trepidatio, adeo ut ad caſtra Imperatoris proſtrati, nudis gladiis cervicibus impoſitis, cladem & ſupplicium deprecarentur. Pax ergo iis legibus convenit, ut induciis Alexandriæ in menſem Majum permiſſis, reliqui conjurati fidem ſacramento darent. Quo facto dimiſſa parte exercitus ipſe cum ceteris Papiam recurrens æſtiva ibi habuit. Sed vix Itali parte oneris aliqua ſe videbant liberatos, cum ſtatim rediret ad ingenium, Imperatori palam denunciantes, ſe ſibi conſilium capturos, niſi Alexandrinos in pacis ſoeietatem admitteret. Imperatore vero ægre ferente ſibi a ſuis ſubditis leges præſcribi & plane id recuſante, nova gliſcere cœpit Lombardorum conjuratio, eo pernicioſior Regi, quo pauciores ſecum copias retinuerat.

Henricꝰ Leo Imperatorem deſerit.

Remoram quoque Imperatori haut minimam objecit Henricus Leo, Saxoniæ & Bavariæ dux, qui cum ſuo exercitu Fridericum in medio rerum gerendarum curſu deſtituit, rediitque in Germaniam. Plurimæ equidem hujus ſubitaneæ deſertionis cauſæ adferuntur, ſed diſcrepantes admodum, & ut videtur, partim a Pontificis mancipiis, partim ab obtrectatoribus Henrici confictæ. Sunt enim, qui Henricum pecunia corruptum dicunt, alii religionis ſenſu tactum excommunicationis pontificiæ fulmen expaviſſe malunt. Nec deſunt denique, qui ideo Henricum ab Imperatore alieniorem factum exiſtimant, quod Goslariam noſtram, quam ſuis ditionibus adjici, indefeſſis precibus rogaſſet, impetrare haut potuerit. * In eo ſane conſentiunt omnes, eum cum ſupplex ad pedes procideret Imperator, ejusque peteret ſubſidia, ob provectam ætatem & virium languorem expeditionem quidem hanc conſtanter eſſe deprecatum, aurum tamen & argentum large obtuliſſe. Quod ſi ergo rem æqua lance ponderemus, non excommunicatio tantum pontificis, quam nimis metuebat optimus princeps, verum etiam metus inſidiarum, quas ipſi vicini ſtruebant, & Goslariæ noſtræ negatio, eum ab hac expeditione videntur abſterruiſſe. Sed maximo malo ſuo. Inde enim incredibile iſtud odium enatum eſt, quod tantopere demum ejus fortunas afflixit, ut ex ingenti illa felicitate ad extremam pene relaberetur inopiam. Miramur ergo Andreæ Ratisbonenſis ineptias, qui ideo Fridericum Leoni ſuccenſuiſſe autumat, quod hic cum ingenti multitudine Regi auxilio progreſſus in Italiam, precibus imperatoris flecti nequiverit, ut pacatis modo rebus ipſe cum ſuis domum reverteretur.

Avent. l. 6. p. 514. Abb. Vrſp. p. 296. Arnold. l. 2. c. 15. hiſt. Slav. p. 265. Autor hiſt. de Landgr. Thur. c. 19. Cranz. l. 6 Sax. c. 35. p. 159. Gobel. ætat. 6. c. 60. p. 272. Cranz. metrop. l. 7 c. 1. Lerbeck. Chron. Schaunb p. 505. Chron. mont. Ser. p. 44.

Andr. Ratisb. p. 29. Chron. Bavar.

* Solus e veteribus hoc prodidit memoriæ *Otto de S. Blaſio* c. 23. p. 209. *Dux Henricus, utpote ſolus ad ſubveniendum imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goslariam ditiſſimam Saxoniæ civitatem jure beneficii pro donativo ad hoc expetiit. Cæſar autem tale beneficium ſibi invito extorqueri ignominioſum exiſtimans, minime conſentit. Pro quo Henricus iratus ipſum in periculo conſtitutum recedens reliquit.* Hæc *Otto* auctor luculentus & non contemnendus Hiſtoricus judicio *Barthii* lib. 9. c. 11. ad V. Cui e recentioribus ſuccinunt *Brunnerus* part. 3. annal. Boj. lib. 13. p. 498. *Auctor apologiæ de Advocatiis Imperii* cap. 9. p. 319. *Leuber*, Stapulæ Magdeb. n. 798. *Sagittar.* p. 48. Origg. Brunſv. *Meibom.* in notis ad Gobelin. ætat. 6. cap. 60. p. 364. ut adeo non plane rejiciendum ejus teſtimonium exiſtimem.

An Goslariam expetierit Henricus?

Annus Chriſti 1176. 1177.

Friderici Reg. 25. 26. *Imp.* 22. 23. *Ab. V. C.* 253. 254.

Imperatoris cum Lombardis initium prælium Godefr. Monach. p. 247.

FRidericus igitur Imperator ab Henrico Leone deſertus alia auxilia ſpecu. lari, nunciisque per Germaniam directis, principes de novis ſupplementis ſollicitare cœpit. Acceſſit igitur cum inſtructiſſima manu Philippus Colonienſium Archiepiſcopus, cui & Arnoldi Treverenſis & Hermanni Monaſterienſis copiæ ſe junxerant. Exercitus hic ſimul ac Alpes ſuperaverat, Imperatoris copiis cumis ſe jungebat, & ſatis quidem firmus videbatur ſubmovendis hoſtibus. Sed priusquam ex longinqui itineris moleſtiis requieverat, ſtatim Lombardi cum innumera multitudine occurrunt, tantaque ferocia Imperatoris caſtra adoriuntur, ut a tertia hora ad nonam usque pugnatum ſit. Non magis unquam, quam eo tempore Friderici fortitudo apparuit, qui mediis immixtus hoſtium turmis, ſtrenui non minus militis, quam fortiſſimi Imperatoris partes exequebatur, adeo nullum ſubterfugiens periculum, ut equo ſagittis perfoſſo, in terram efflueret. Fortuna tamen fefellit optimi Imperatoris conſilia, aciesque ejus, quæ adhuc fortiſſime hoſtium impetus ſuſtinuerat, fama demum Fridericum cecidiſſe mentiente, inclinari ac terga vertere cœpit. Adeo rumor de Imperatoris obitu ubique invaluerat, ut Imperatrix

trix posito regio cultu pullam vestem sumeret: verum paulo post Imperator, qui mira virtute ex hostium agmine se expedierat, famam reipsa confutavit. Jam ordines instaurabantur, jam novi instituebantur delectus, Christianus quoque Moguntinus cum copiis suis Bononia accesserat: & res ad novum spectabat bellum, cum Episcopi & principes pertæsi tam diuturnæ & infructuosæ militiæ Fridericum Imperatorem ad pacis consilia flectere anniterentur. Hinc diu ultro citroque habitis colloquiis pax demum certis legibus inter Imperatorem & Alexandrum Pontificem coaluit, ipseque Imperator in conspectum Pontificis admissus, supplex, ejurato Antipapa, veniam & solutionem ab excommunicatione impetravit. Sunt, qui Imperatori insultasse Alexandrum, cervicibusque pede conculcatis, acclamasse ferunt e psalmo: *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem*, eamque narrationem integris commentariis nonnulli defenderunt, quibus & accedunt Artopocus & Wagenseilius. Sed aliis hoc, quicquid est, fabulam sordere visum est, inprimis Baronio, Georgio Remo, Fortunato Ulmo, Felici Cantelorio aliisque plurimis, quorum hic indagare & examinare rationes, quid esset aliud quam extra orbitas vagari. Hoc tamen minime videtur ferendum, quod pontificii Lutheranos theologos vulgo solent hujus mendacii autores postulare. Perficta enim aut potius nulla fronte Schatenius: *Quapropter nostrorum heteredoxorum commentum est, Imperatorem Barbarossam, dum pontificis pedes exoscularetur, dixisse: Non tibi sed Petro. Ad quæ Pontifex responderit: & mihi & Petro; atque inde, proculcato collo Imperatoris, dimisse: Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Diaconem — Sero tandem tempore Lutheri hac fabula in odium pontificis conficta; satisque eam exploserunt Baronius, Gretzerus aliique scriptores.* Poteratne Schatenius vel per somnium quicquam cogitare insulsius? Sic ergo a Lutheranis confícta dicantur, quæ jam circa annum MCCCLXXXV. obscure quidem memoriæ prodidit Joannes Capistranus, tantoque consensu inculcant Jacobus Philippus Forestus, Joannes Nauclerus Marcus Antonius Sabellicus, Joannes Stella, Papyrius Massonus, Petrus Justinianus, Franciscus Sansovinus? Quid quæso Pallatius tantos in hac historia agit triumphos, quid Alexandri hanc audaciam impotentem arrogantiam Josuæ colla captorum regum proculcantis facto comparare ausus est, si a Lutheranis confícta est hæc assertio? Quid Venetorum imagines crepantur, quas hodieque extare oculatus testis est Fabricius? Eant ergo manibusq; & pedibus, quod ajunt, hanc a se contumeliam amoliantur pontifici; id tantum negare non poterunt, pontificem hunc incredibili erga Imperatorem usum fuisse superbia, quam referre placet e Chronico Montis Sereni: *Anno* MCLXXVII. *Alexander Papa in vigilia B. Jacobi, præsentibus Cardinalibus, & infinita multitudine Episcoporum & Abbatum & Principum secularium & populorum, Venetiis ante monasterium S. Marci Imperatorem in osculo reconciliationis suscepit, mortuo jam Paschali anti-papa, & Johanne, qui ei successit depositio. Et hæc dies reconciliationis ab ipso Papa & Imperatore & clero & populo solemnissime peracta est. Hujus autem concordiæ reformandæ præcipuus cooperator fuit Wichmannus Archiepiscopus, cujus industria Imperatoris animositas ad tantam mansuetudinem deducta est, ut in condemnationem erroris sui coram summi Pontificis pedibus prosterneretur. Fertur autem, quod cum sublevandi eum Papa moram faceret, Tidericus Orientalis Marchio, qui cum Imperatore aderat, quasi cum querela & redargutione exclamavit, cur imperialem auctoritatem tanta injuriæ subjecisset? Papa vero idioma Teutonicum non intelligens, inquisivit, quid diceret Alemannus? Quod cum didicisset festinus accedens, Imperatorem sublevavit, & ad osculum suum erexit.* *Chron. mont. Ser. p. 42.*

An Imperoris collo insultarit Alexander? *Sagittar. Introd. in hist. eccl. t. 2. p. 630. Cranz. de fœd. Imper. l. 11. p. 39. Schat. l. 9. p. 145. Fid. Gerh. Præf. Confess. Cathol. Palu. de gest. Pont. tom. 2. p. 333. sq. Fabric. Orat. de auct. Hist. Ital. p. 9.*

Italis pacatis vicinia nostra novo bello Novæ cœpit conflagrare, principibus in Henrici adversŋ Leonis perniciem palam conjurantibus. Henricũ Cassicum cecinit Vlricus Halberstadiensis Leonem Episcopus, ideo duci infensus, quod ejus turbæ. studio ante aliquot annos sacerdotio suo privatus fuerat. Huic ergo magno numero ex Saxonia æque ac Westphaliæ se jungunt principes, & in his Wigmannus Magdeburgensis & Philippus Colonienſis Archiepiscopi, tanto felicius nunc se Ducis potentiam eversuros sperantes, quo magis nuper Fridericum Imperatorem offendisset. Nec dubium est quin ipsa quoque Goslaria nostra, Brunsuici æmula denuo in principum venerit societatem, imprimis, cum superiore bello a Duce illatæ molestiæ adhuc illi observarentur. In vetustis sane effigiebus, quibus Henrici Leonis clades provinciarumque direptio depingitur, Goslaria quoque sub Schemate felis apparet, addita epigraphe: *Arnoldus l. 2. c. 18. p. 268. Cranz. Sax. l. 6. c. 38. sq. p. 161. Chron. mont. Ser. l. 6. Bunting. Chron. Brunsv. part. 1. p. 158.*

Goßlar des pferds viel genossen /
Jst doch seyn worden verdrossen.

Primus tamen, ut dixi, gladium vagina vacuum extulit Vlricus Halberstadiensis qui præmunito Hornburgensi castro præsidium quoque imposuerat multis eruptionibus Henrici provinciis molestum. Henricus his cognitis Leonis instar, impatiens injuriarum, e Slavia cum exercitu suo in has regiones redit, everſoque novo munimento, Episcopo dira quævis interminatur, nisi quietus esset. Sed vix pedem dux retulerat cum statim munitionem hujus oppidi denuo moliretur Vlricus Episcopus. Cum vero copiæ Henrici, operas turbaturæ, accurrerent,

tantam

tantam earum ſtrage edidit, ut terga dare fuerint coactæ.

Annus Chriſti 1178.

Friderici I. Reg. 27. Imp. 24.

Ab V. C. 255.

Philippus Coloniensis Archiep. Henricũ bello premit. *Otto a S. Blaſio. c. 24. p. 209. ſq. Arnold Lubec. l. c Cranz. l. c Gobel. ætat. 6. c. 60. p. 272.*

His ſucceſſibus elati ducis hoſtes, elatius ſe gerere, animoſiusq; in ejus provincias arma vertere cœperunt. Anteſignanus horum erat Philippus Colonienſis, veteranus jam miles, & in Italia tot ſtipendia meritus. Hic repeturus Aslovienſem hæreditatem, ditionibus ſuis egreſſus, totam Weſtphaliam ad Viſurgim usque, armis flammisque depopulatus eſt, nulli parcens loco, neque ſacro neque profano. Exuſta deinde Huxaria, Viſurgim tranſiens, plurima caſtella pari celeritate in deditionem accepit. Omnia denique permiſſa militibus, qui depopulationibus, immanitate & ſpurcitie vel cum barbaris in certamen venire potuiſſent.

Chron. Montis Ser. p. 43. Godefr. Monach. p. 247. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 156. Chron. Stederb. p. 455.

Henrici Leonis querelæ apud Imperatorem.

Ab armis adhuc abſtinebat Henricus, ſatis gnarus, quam exacerbatus adverſus ſe eſſet Fridericus Imperator. Satius ergo exiſtimabat fore, ſi expectato Imperatoris ex Italia reditu, legibus experiretur cum hoſtibus, quam ſi turbis his ferro reſiſtere auderet. Sed fefellit optimum principem opinio. Etſi enim cum Friderico, cui Spiram obviam prodierat, multis conqueſtus fuerat de acceptis a Colonienſi injuriis: Imperator tamen occultata adhuc ira, utrique diem dixit, idus Januarii, idque more tam inſolito, ut Henricum, qui fidem ejus imploraverat, juberet adeſſe, & cauſam dicere de omnibus, quorum apud ſe eſſet poſtulatus. Scilicet ex quo Imperatorem alienum ab Henrico ſenſerant principes, certatim omnes ejus animum occupare, invidiamque Henrico conflare cœperant, multa conqueſti de impotenti Leonis dominatu, de habendi cupiditate inexplebili, de Epiſcoporum violatis juribus, raptis poſſeſſionibus, interceptis hæreditatibus, de potentia denique ejus tanta, quæ Imperio non modo verum ipſis etiam exteris eſſet metuenda. *Arnold. l. 2. 24. p. 275.*

Dum vero omnia ad ſociale bellum adverſus Henricum Leonem videbantur ſpectare, alia mens erat Burchardo Woltingerodano Comiti, qui eccleſias potius, quam milites ſuis facultatibus locupletare malens, Richenbergenſi Canoniæ hoc anno dedit decimam in Aſtifeld. Diploma Ahelhogi, quo hanc donationem ratam habet, cum egregie illuſtret Woltingerodanorum ſtemma genealogicum, integrum hoc loco placet adſcribere: Borchardus Comes Woltingerod. eccleſiæ Richenbergenſi benefacit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. ADELHOGUS Dei gratia Hildenesheimenſis eccleſiæ humilis Epiſcopus. Ea, quæ diebus noſtri præſulatus, omnipotentis Dei favente clementia, ad ſervitutis Chriſti promotionem per noſtri miniſterii ſtudium conferuntur, æquum ducimus literarum tenacitati committere, quatenus ad poſterorum notitiam ſine dubietatis obſtaculo valeant pervenire. Ea propter præſentis ſcripturæ documento, tam præſentium quam futurorum Chriſti fidelium ſinceritatem noſſe volumus, qualiter nos pro veneratione atque honore glorioſæ & intemeratæ virginis Dei genitricis *Mariæ*, ob remedium animæ noſtræ atque obtinendam peccatorum remiſſionem decimam in *Aſtvelde*, quam illuſtris vir *Burchardus de Waltingerod* a nobis in beneficio tenebat, ab ipſo atque a *Burchardo* de Emiſſen, & *Widegone* de Gerike, ac *Conrado* de Nicke, qui per illum ac poſt illum conſequenter feudali jure eam obtinuerant, plenarie abſolutam, ac nobis reſignatam eidem Dei genitrici *Mariæ* in *Richenberg* ac fratribus cæterisque fidelibus inibi deſervientibus in augmentum præbendæ ipſorum cum omni jure attinente perpetuo contulimus. Quia vero *Liudolphus* frater prænotati *Burchardi* in ipſa decima ſe quiddam juris habere licet irrationabiliter affirmabat, decem mercarum pretio redemptum, una cum filio ſuo *Liutgero*, quicquid ſibi addicere in ea jus eſt nobis integerrime reſignavit. Hanc igitur noſtræ collationis donationem præſentis paginulæ ſcripto roborantes perpetuis ſeculis valere decernimus, & auctoritate Dei omnipotentis ſub banno beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtro, ut a poſteris noſtris rata, ſtabilis atque illibata conſervetur, divini Numinis atteſtatione confirmamus. Si qua vero perſona hanc noſtræ auctoritatis donationem, ſive donationis confirmationem auſu temerario violare præſumſerit, niſi reatum ſuum quantocius emendare curaverit, iram Dei ejusque glorioſæ matris ſe incurſurum, & horrendæ ultionis pœnam in extremi examinis die ſe indubitanter ſubiturum eſſe cognoſcat. Omnibus vero, qui hanc collationis noſtræ gratiam inconvulſam ſervare curaverint, divinæ

pie-

pietatis indeficiens adſit protectio, & ſanctiſſimæ Dei genitricis pro eis perpetua non deſit interceſſio Amen. Actum in civitate *Hildesheimenſi* IX. Kalend. Auguſti. Anno Dominicæ incarnationis MCLXXVIII. Indict. XI. anno vero ordinationis noſtræ octavo, in nomine Domini feliciter Amen. Teſtes autem hi ſunt: *Bertoldus* præpoſitus major, *Conradus* Decanus, *Bertoldus* ſacerdos, *Berno* Magiſter ſcholarum, *Bruno* Cantor, *Berengerus* Præpoſitus S. Crucis, *Gerhardus* Præpoſitus Stiderburgenſis, *Johannes* Præpoſitus Backenrodenſis, *Bertoldus* S. Crucis Decanus, *Walterus* Decanus S. Mauritii, *Richmannus* & *Hinricus* Canonici ejusdem eccleſiæ. Laici: *Fridericus* Comes de Poppenburg, *Teodericus* Comes de Emme, *Bertoldus* vice Dominus, *Leopoldus* Advocatus, *Ecbertus* Camerarius, *Sifridus* de Aldendorp, *Liudolphus* de Herre, *Liupoldus* de Stockem, *Volckmarus* Advocatus Goslarienſis, *Teodericus* Advocatus ejusdem eccleſiæ, & alii quam plurimi honorabiles viri, præſente *Lamberto* venerabili ejusdem loci præpoſito, & *Rodolpho* Cellerario quibus & hæc donatio ad opus ipſius eccleſiæ aſſignata eſt.

Data per manum *Johannis* Backenrodenſis Præpoſiti prænotato loco ac tempore in CHRISTI nomine *Amen*.

Annus Chriſti 1179.

Friderici I. Reg. 28. Imper. 25.

Ab V. C. 227.

Comitia Wormatienſia in cauſa Henrici Leonis. *Godefr. Monach. p. 247. Arnold. l. 2. c. 24. p. 276. Stero. Ctr. Sax. c. 250. p. 300. Kurt. Conr. Brunſv. part. 1. p. 156. Magdeburgenſia. Godefr. in Chron. manu. Ser. p. 44. ſq.*

VIx annus novus illuxerat, cum Wormatiam convenirent principes, ad comitia, quæ in Henrici Leonis cauſa Imperator in Idus Januarii indixerat. Omnes Henrici æmuli, ſecuri quippe de Imperatoris favore, magno numero eo confluxerant, totque accuſationes adverſus ducem protulerant in medium, ut facile omnes colligerent, minus æque cum Henrico actum iri. Henricus quamvis laceſſitus, cauſa optima uteretur, minus tamen tutum putabat irato & inſenſo judici cauſam ſuam permittere: magnoque malo ſuo vadimonium deſerebat. Dici non poteſt, quantopere hoc offenſi ſint principes, Cæſaris auctoritatem ſuſque deque habitam conqueſti, omnique induſtria hortati Imperatorem, ut de abſente diceret ſententiam.

Imperator quamvis obfirmato iſthoc Henrici Ducis animo non minus eſſet offenſus: putabat tamen de tanto principe nihil præcipitanter eſſe ſtatuendum, novisque indictis comitiis Magdeburgum Henricum ad dicendam cauſam venire jubet, alias fore, ut abſens proſcriberetur. Eo inter accuſatores Henrici acceſſerat quoque Theodoricus Luſatiæ Marchio, tantopere inſenſus duci, ut ſingulari ſe certamine demonſtraturum profiteretur, Henricum Leonem Slavos in Luſatiæ ſuæ ruinam armaſſe. Sed nec hic quidem judicio ſe ſtitit Henricus, multo minus duelli aleam ſubire auſus eſt, indecorum ratus, cum impare congredi.

Goslarienſia in quibus damna.

Magdeburgenſi quoque conventu re infecta diffluente, tertium dies Henrico dicitur Goslariam, ubi niſi præſentem ſe ſiſteret, abſens quoque eſſet damnandus. Sed videbatur ſapientiſſimus princeps oblivnem calamitatis ſuæ ſenſum amiſiſſe, adeo conſtanter toties vocatus, comitiis intereſſe renuebat. Hinc cum tertium jam deſereret vadimonium, collectis principum ſuffragiis abſens damnatur, ducatibus Saxoniæ & Bavariæ, omnibusque provinciis, quas lege beneficiaria ab Imperio tenuerat, exuitur, hoſtisque imperii palam declaratur. Relictæ tamen illi Brunſvicenſis ac Luneburgenſis ditiones, quæ ad liberum ac nulli obnoxium Guelphorum patrimonium tum pertinebant, ad quas adeo proſcriptionis formula non poterat extendi. Sic feliciſſimus princeps poſt tot triumphos domitamque Slavorum terram in id evectus faſtigium, ſuper quod aſcendi vix poteſt, provectiore demum ætate omnibus provinciis ſuis excidit, in tantum in illo a ſe diſcordante fortuna, ut cui antea ad victoriam terra defuerat, deeſſet propemodum ad habitandum. Ducatus Saxoniæ ceſſit Bernhardo Anhaltino comiti, Bavaria Wittelsbachio Palatino, nec Philippus Colonienſis aliique principes ſibi hac occaſione deerant, qui ſinguli ſibi vindicantes nonnulla id effecerunt, ut Henricus nihil præter Cis Veleranas Saxoniæ provincias retineret.

Arnold. l. 2. c. 25. p. 282. Chron. Stederb. p. 455.

Signo ad bellum dato omnes Heinrici hoſtes palam ad arma concurrunt, inprimis Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, qui infeſto agmine provincias trans-Veleranas aggreſſus omnia veluti una ruina involvit. Interea Vlricus Halberſtadienſis Epiſcopus quo citius ducis ſubditos a fide abſtraheret, optimum principem excommunicationis vinculis innectit, quibus non prius eum exſolvit, quam ad pedes Epiſcopi provolutus, veniam rogaret. Quæ facies tunc eccleſiæ his regionibus fuerit, facile ex hoſtium Henrici immanitate conjicies. Philippus certe Colonienſis

Pilippus Colon. expeditionem ingreditur.

Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 160.

tanta crudelitate in victos ſæviit, ut ſacras etiam virgines militi in ſtupra permitteret. Quam rem non ſine ſtomacho refert Arnoldus Lubecenſis, hujus tragœdiæ ſpectator: *Philippus*, inquiens, *Colonienſis contracto exercitu ſecundam expeditionem inſtauravit, habens in ſuo comitatu illos, quorum ſecta Rote dicitur. Rurſumque in manu valida pertranſivit omnem terram Ducis, & timuerunt omnes a facie ejus. Facta autem ſunt abominabilia multa & gravia in profectione illa, eò quod viri iniqui filii Belial, qui comitabantur cum eo ſceleratiſſimi eſſent, & ſceleribus perficiendis inexplebiliter inſiſterent. Facta ſunt autem cœmiteriorum depradationes, eccleſiarum exuſtiones & multa loca religionis deſtructa ſunt, ita, ut quod dictu gravius eſt, ſponſas Dei quaſi captivas abigerent, & eas proſtituendo templa Dei non manu facta libidinoſe polluerent. Quis non gemat, quod ſacerdoti ſacroſanctis myſteriis aſſiſtenti non pepercerunt, ſed impingentes in eum nec dum bene completis ſacramentis calicem de manu ejus rapuerunt? Multa etiam alia ſceleratiſſimi illi perpetrarunt, qua pro enormitate nefas fuit ſcribere, & nimis venenata auribus fidelium infundere.* Eadem repetit Chronicon Stederburgenſe; *Imperator cum Colonienſi Archiepiſcopo & univerſis pene regni principibus ducem Henricum cum univerſa terra ſua miſerabili clade afflixit, ita, ut nec cœnobiis, nec eccleſiis, nec prabendis fratrum, nec ulli ætati, vel ſexui parceret, & ipſum Ducem proſcripſit.*

Henrici Leonis victoria. *Chron. mont. Ser. p. 43. Arnold. l. 2. c. 27. p. 283. Cranz. l. 6 Sax. c. 39. p. 163. & l. 6. metr. c. 35. Paulini annal. Iſenac. p. 24. Gobel. ætat. 6. c. 60. p. 273. Godofr. Monach. f. 247.*

Fervebat jam civile bellum, nihilque conſilii ſupererat Henrico, quam id dare operam, ne inultus periret. Collectis igitur copiis primo in Thuringiam Haſſiamque irrupit, unde Mulhuſa & Northuſa aliisque urbibus direptis, hoſtibusque dextro Marte profligatis, Ludovicum Thuringiæ Landgravium cum fratre Hermanno compluribus que aliis principibus magno militum numero in captivitatem ſecum abripuit. Id quod alii tamen in ſequentem annum ſolent rejicere. Inde Bernhardum Comitem Lippenſem cum inſtructiſſimo exercitu miſit in Weſtphaliam, ex qua Philippus Archiepiſcopus, oppidis præſidio firmatis, diſceſſerat. Hic ergo cum Simone Teklenburgico Comite congreſſus ad Harsfeldiam tantam ſtragem edidit, ut profligato exercitu, ipſe Teklenburgenſis catenis conſtrictus a victore ad Henricum Ducem raperetur. Nec victoria hujus prælii exitu terminata. Comes enim Lippienſis, ut erat bello acerrimus, victricia arma longe lateque per Weſtphaliam circumtulit, oppidis partim expugnatis, partim receptis in fidē, partim in ſolitudinem buſtumq; converſis. Interea Vlricus Halberſtadienſis Epiſcopus, ipſe quoq; redierat ad ingenium, & cum infeſto agmine Ducis ingreſſus provincias, villas exurere, homines æque ac pecora abigere, omnia denique hoſtili animo depopulari cœperat. Contra hunc miſſa delecta manus, quæ Halberſtadienſes copias in fugam converſas tanto conatu inſecuta eſt, ut in urbem cum illis eodem impetu penetraret. Cives flammas & incendia veriti ignem ubique extinxerant: attamen reperto a gregario milite torre & in domum conjecto, tantum ſubito erupit incendium, ut ſplendidiſſimis quibusq; ædibus templisque in cinerem verſis, Epiſcopus ipſe vix flammam effugeret, captus cum pluribus aliis, & ab Henrico aliquandiu in vinculis habitus.

Annus Chriſti 1180.
Friderici I. Reg 29. Imp. 26.
Ab V. C. 257.

Henrici proſcriptus. *Chron. mont. Ser. p. 44. Godofr. Mon. p. 247. Arnold. l. 2. c. 24. p. 276. Chron. Bicarg. p. 264. Erdesvic. Chron. Osnabr. p. 212. Cranz. l. 7 metr. c. 21. p. 181.*

Succeſſibus adhuc fruitus fuerat Henricus ad invidiam usque felicibus; nemoque illum impune laceſſiverat. Sed ſequentes anni, quibus ipſe Fridericus Imperator partem maximam ſcenæ agebat, mira facta eſt rerum converſio. Deprecantibus equidem Pontifice Galliæque ac Angliæ Regibus eo ſe flecti paſſus fuerat Cæſar, ut extremæ ſententiæ pronunciationem in Geilhuſana comitia differret. Sed adeo occalluerat Henricus, ut nullis nec monitis, nec precibus, nec minis ad parendum poſſet adduci. Convenerunt itaque Arnoldus Treverenſis Wigmannus Magdeburgenſis, Sifridus Bremenſis Archiepiſcopi, Conradus Wormatienſis, Rudolphus Leodienſis, Bertramus Metenſis, Arnoldus Oſnabragenſis Epiſcopi; Conradus Fuldenſis, Adolphus Hersfeldenſis Abbates, Lotharius præpoſitus Bunnenſis, Ludovicus Landgravius Thuringiæ, jam e cuſtodia dimiſſus, & Palatinatu Saxoniæ auctus, Bernardus Anhaltinus, Duratibus Saxoniæ & Angariæ locupletatus, Godofridus Dux Lotharingiæ, Fridericus Dux Sueviæ, Otto Marchio Brandenburgenſis, Theodoricus Marchio Luſatienſis, Dedo Comes de Greip, Sifridus Comes de Orlamunda, Robertus Comes de Naſſovv, Emicho Comes de Linningen, Engelbertus Comes de Monte, Theodoricus Comes de Hoſtaden, Gerhardus Comes de Nurbec, Henricus Comes de Arinsken, Hermannus Comes de Rauensberg, Henricus Comes de Kuop, Wernerus Comes de Wittiniſtein, Widekindus de Waldeck, Fridericus de Anfurde, Hartmannus de Buttingen, aliique complures, quorum ſuffragiis & conſiliis hoc ſenatus conſultum conditum eſt, *ut quoniam Henricus eccleſiarum Dei & nobilium imperii libertatem, poſſeſſiones eorum occupando, & jura eorum imminuendo, graviter oppreſſerit, ex inſtanti quoque principum querimonia, & nobilium plurimorum, citatione vocatus, majeſtati Imperatoris preſentari contemſerit: Preterea in eccleſias Dei & principum nobiliumque jure & libertate graſſari non deſiterit,*

tam

*tam pro illorum injuria, quam pro multiplici contemptu Imperatori exhibito, ac præcipue pro evidenti reatu majeſtatis, quo ſub feudali jure legitimo trino edicto, ad Cæſaris audientiam citatus ſe abſentaſſet, nec aliquem pro ſe miſiſſet reſponſalem, proſcriptionis incurreret ſententiam, contumax judicaretur, ac proinde tam ducatus Bavaria, quam Weſtphalia & Angaria, quam etiam univerſa, quæ ab Imperio tenuerit beneficia ipſi abjudicarentur, Cæſariique juri addicerentur & poteſtati.** Quæ quidem proſcriptionis formula, diſſerte occurrit in diplomate Friderici, quo Colonienſi Archiepiſcopo Weſtphaliæ ducatus addicitur. Notari hic meretur, auctorum diſcrepantia, qui comitia ob Henricum habita diverſimode admodum recenſent. Veluti & hanc curiam, in qua dux proſcriptus eſt, non Gelenhuſæ, ſed Ingelheimii habitam putat Chronici Bigaugienſis auctor.

* *Videatur diploma* Friderici *Philippo Colonienſi Archiepiſcopo datum, apud* Limnæum *tom. 5. Jur. publ. addit. 37. p. 174. Gelenium de admiranda ſacra & civili magnitudine Colon. l. 1. p. 73. Schaten. lib. 9. annal. Paderb. part. 1. p. 850.* Frideric. Lucæ *part. 2. atril. Comit. p.* 990.

Henric. Goslar. Thuring. atque gravis eſt. Chron. mont. Ser. p. 45. Chron. Bigaug. p. 284. Cranz. l. 5. Sax. p. 84. Arnold. l. 2. c. 30. p. 288. Auct. de Landgr. Thuring. c. 21. p. 2. Engelhuſ. p. 435. Cybelin. ann. 1. c. 4. p. 272. Chron. Sigeb. p. 415.

Dicta extrema ſententia, totius imperii vires Henrico Duci oppoſitæ ſunt, qui tamen pro generoſa animi ſui magnitudine contra fortunam ſpei inſiſtens, fortiſſime generis ſui decus tuebatur. Hinc Goslariam noſtram, quam ſibi infeſtam fuerat expertus, primo omnium aggreſſus, ſolles ſtando æri deſtinatos incidit, officinas metallicas maximo civium detrimento deſtruxit, urbem ipſam commeatu prohibuit, tamque arcte obſedit, ut fame propemodum marceſcerent incolæ. Inde ulterius progreſſus, Mulhuſam aliasque Thuringiæ urbes afflixit, Northuſanis præcipue infenſus, quorum urbem triſti incendio delevit, nec ipſi quidem parcens principali ſanctimonialium monaſterio, quod jam inde ab Henrici Aucupis temporibus ibidem floruerat. Sunt equidem qui Ludovicum & Hermannum Landgravios Thuringiæ tunc ab Henrico interceptos volunt, ſed ſuperiore anno id factum alii cenſent. Certe in comitiis Geilenhuſanis cum aliis principibus interfuit Ludovicus, utrum vero jam e vinculis dimiſſus, an nondum captus fuerit, alii videant. Chronici Bigaugienſis auctor hoſce principes in præſidio Goslariæ relictos, ibiq; ab Henrico devictos captosque perhibet ad annum MCLXXXII. Sed neſcio quid de hujus Monachi fide in tota hac narratione ſentire debeam, cum temporum rerumque ordinem adeo perturbet, ut ne a contradictionibus quidem abſtineat. Hanc vero Ducis fortunam magnopere commutavit Fridericus Imperator. Qui circa Jacobi Apoſtoli nativitatem has regiones cum validiſſimo exercitu ingreſſus Henrici clientes adeo perterruit, ut pleriq; poſitis armis ad eum dilaberentur, ne iis quidem exceptis, qui a Duce ingentibus honoribus fuerant ornati. Simulac enim Lichtenbergenſe caſtellum in Cæſaris venerat poteſtatem, ſtatim ſecutæ ſunt Heimburgum Leuenburgum, Blanckenburgum, Regenſteinium aliæque plures. Has omnes Imperator præſidiis ac munimentis firmavit, aliasque quoque dudum dirutas inſtauravit, veluti Harzeburgum & Biſchoffesbergam ut adeo Henricus Leo his ditionibus exutus in inferiores ad Albim regiones confugere ſit compulſus.

Sub Mariæ Virginis natalem Imperator Brunſvice Saxonia in Bavariam remeavit, ubi Ottonem Wittelsbachium Ratisbonæ ſolenni ritu Ducem Bavariæ renunciavit. Interea vero exercitui præerat Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, qui cum ceteris, qui caſtra ſua ſequebantur, Epiſcopis & principibus, veluti Arnoldo Trevirenſi, Adelhogo Hildeſienſi, Sifrido Paderbornenſi, Hermanno Monaſterienſi, Arnoldo Osnabrugenſi, Annone Mindenſi, Theodorico & Ottone Comitibus de Hoſtadin, Hermanno Comite de Ravensberg, Alberto Comite de Everſtein, Witekindo Comite Waldeccenſi, cum Comitibus denique Hallermundanis & Daſſilienſibus, Brunſvicum arcta obſidione cinxit, tamque fortiter oppugnavit, ut poſt bimeſtre Imperatori ſe traderet. cum capitur. *Chron. mont. Ser. l. c. Arnold. l. 2. c. 34. p. 293. Diploma Phil. Col. ap. Schat. l. 9. Part. 1. p. 853. Otto de S. Blaſ. c. 24 p. 210.*

Hæc dum in vicinia geruntur Henricus Transalbinas poſſeſſiones firmaturus, capta Sigeberga Lubecam, Stadam ceteraq; caſtra muniebat. Revertebatur vero interhæc in has regiones Imperator, cujus de adventu cum vix fama increbuiſſet, ſtatim ejus fidei ſe permiſere *Hircaberg* [Hertzberg] *Stonfenburg; viri etiam nobiles de Waltingeroth*, [Burchardus & Luidolphus] *de Scartfelt, de Dannenberg, de Ilfeld, ſe cum caſtris ſuis tradiderunt*, ut pene nihil in his regionibus Henrico reliquum maneret. *Chron. mont. Ser. p. 45. ſq.*

Publicū imperii vectigal Goslariæ

Inter hæc belli civilis incendia, quibus tum inferior hæc Saxonia flagrabat, Goslaria licet rerum ſuarum multa pateretur detrimenta; non deſiit tamen de libertate ſua contendere, tamque fortiter omnes potentiſſimi Principis minas ac inſultus ſuſtinuit; ut multa via b Imperio ſe pateretur divelli. Nec conſultum videbatur Cæſari urbis facere jacturam, ex qua ampliſſimorum vectigalium redibant proventus. Certe in hac urbe eo tempore Cæſaris floruiſſe telonium, patet e diplomate ipſius Friderici, quo inter alia clementiæ ſuæ documenta eam quoque libertatem Wormatienſibus concedit, ne Goslariæ aliisque Imperii locis vectigalia ſolvere cogerentur. Notatu digna ſunt Imperatoris verba; quæ ex ipſo diplomate huc deſcribo :

Item ſub hac pœna ſtatuimus (ſicuti privilegio prædeceſſorum & proavi noſtri Henrici IV. divi Imperatoris indultum

Friderici Imperator rem bene gerit in vicinia noſtra. *Lehman. Chron. Spir. l. 4. c. 22. p. 356*

legitur)& eis imperiali autoritate confirmamus, ut cives Wormatienſes in locis Imperio pertinentibus nullum teloneum perſolvant, nominatim in his, Francofordia, Boppardo, Hamerſtein, Tramoniæ, Drutmundæ, Goslariæ, Angeræ, Numagiæ, Dusburgiæ & in reliquis locis ad Imperium ſpectantibus. Similiter earundem civitatum ſeu oppidorum cives nullum apud Wormatienſes perſolvant teloneum, ut hæc æqua viciſſitudo intra loca Imperio ſpecialiter pertinentia, & inter Wormatienſes perpetuo inviolata permaneat.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnat. M.C.LXXX. Indict. V. regnante Domino Friderico Imp. glorioſiſſimo, Anno regni ejus 33. Imperii vero 31. Datum apud civitatem Argentinenſem. 3. Non. Jan. feliciter. Amen.

Annus Chriſti 1181.

Friderici I. Reg. 30. *Imp.* 27.

Ab V. C. 258.

Henricꝰ Leo Transalbianis provinciis exuitur. *Chron. Lubec. ap. Meib. p. 396. t. 2.*

PRoximo anno vicinia noſtra pacata, bellum ad Albim tranlatum eſt, ad quem fluvium Henricus adhuc fixam ſedem tenebat. Parte igitur exercitus Bardewici relicta, ipſe Imperator ad Albim progreſſus eſt, ubi in tanto periculo verſabatur Henricus, ut vix navicula Stadam ſe recipere poſſet. Trajecto deinde Albi fluvio Imperator Lubecam copiis operibusque clauſit, evocato ſimul Waldemaro Danorum Rege, qui mari ex altera parte urbem premeret. Ultima cum parterentur obſeſſi, miſſo ad Imperatorem legato, Epiſcopo ſuo, magnopere rogarunt ut quosdam e ſuis ad ducem pateretur abire, qui ſi ſe jure jurando ſolveret, paratos ſe fore Imperatoris ſuſcipere præſidium. Annuente igitur Henrico, urbs ea lege ſe dedidit, ut firmatis privilegiis, Fridericus cives ſuo jure vivere permitteret. Expugnata Lubeca tota Transalbiana regio deditionem fecit: miſeroque principi nihil erat reliquum quam Stadenſis comitatus, minutum ſcilicet terræ punctum ex tam immenſis opibus. *Arnold. l. 2. c. 34. p. 293. ſq. Cranz. Vandal. l. 6. c. 13. Schlegk. hiſt. Bard. part. 1 c. 13 p. 195. ſq.*

Philippi Colonienſis geſta. *Gerhard. Stederb. p. 430.*

Interea Brunſvici cum parte exercitus hærebat Philippus Colonienſis, more ſuo ſacra ac profana eadem crudelitate turbans, *vaſtator hoſtilis*, (verbis utor Gerhardi Stederburgenſis) *& impius exactor, nec cœnobiis, nec eccleſiis parcens, qui impietatis ſuæ efficaces executores de partibus occidentis adduxerat.* Inde cognito felici rerum ad Albim ſucceſſu, Fridericum ſecutus, Stadam, unicum ſcilicet Henrici refugium, armis occupatam Archiepiſcopo Bremenſi reddit. Unde Henricus omnibus provinciis ſuis exutus extorris vagabatur per Saxoniam donec in publicis Imperii comitiis certis legibus partem patrimonii reciperet.

Richenbergenſis monaſterii incrementum.

Inter has viciniæ noſtræ turbas halcyonia tamen egiſſe videntur noſtrates eccleſiæ, inprimis Richenbergenſis, quæ rebus ſuis præclaro concambio cum Tiderico & Eſchvvino de Walmoden inito proſpexit. Contractum diplomate firmavit Adelhogus, ob teſtes inclytos memorabili, quod ideo integrum ſubjicere non piget.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. *Adelhogus* Dei gratia ſancte Hildenesheimenſis Eccleſie epiſcopus. Quia ſecuritatis ſue inſtrumentis Eccleſia deſtituta nonnunquam rerum ſuarum detrimentis afficitur ipſa neceſſitate perdidicit, ut ſi quos faceret celebres poſſeſſionum contractus, actionis ſue monimenta, que antiquitate temporis in oblivionem labi poterant. literarum tenacitati comendaret. Eccleſiam itaque *Richenbergenſem*, cui ex integro benevolentia noſtra ſemper patuit. in nulla ſui parte immunitam eſſe volentes: notum facimus Chriſti fidelibus poſteris & preſentibus. quod *Lamberti* prepoſiti ejusdem eccleſie, fratrumque inibi Deo ſancteque Genitrici ejus, & perpetue Virgini *Marie* famulantium petitione bona, que *Tidericus* & *Eschwinus* filii *Tedilini* de *Walmoden Kattingerodm* beneficio a nobis habuerunt, ipſis eadem bona in manum noſtram reſignantibus. cum monte quodam adjacente, qui *Neilenberg* appellatur. & omni alio uſu fructu. Richenbergenſi Eccleſie in proprietatem perpetuam contulimus. pro quibus iidem pueri videlicet T. & E. X. manſos cum omni utilitate attinente quos memorata Eccclesia, in villa quæ *Nann* vocatur, proprietatis jure poſſidebat eadem predia, fratribus illius Eccleſie in manum noſtram dimittentibus. in beneficium a nobis receperunt. Ut igitur hoc noſtre auctoritatis factum inconvulſum perhenni ſtabilitate perſeveret. neve aliqua Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona quavis temeritate preſumat infringere paginam iſtam ſigilli noſtri charactere communimus. Teſtes: *Gerhardus* Prepoſitus Stiderburgenſis. *Conradus* Prepoſitus Montis S. Georgii, *Rodolphus* Abbas de Ringelheim; *Eilbertus* Cano-

Canonicus majoris Eccleſie in Hildenesheim; *Lothewicus* Capellanus Epiſcopi. *Vdo* & *Tietmarus* Canonici Goslarienſes. *Erneſtus*. *Tidericus* Hallenſis. Item *Tidericus* & fere omnes Canonici de Monte S. Georgii. *Alexander* Capellanus Abbatis de Ringelheim. Comites: *Burchardus* de Waldenberge. *Adhelbertus* de Everſteine. *Edbelgerus* de Ilvelde. *Tidericus* de Inſula. Cives Goslarienſes: *Rodolphus* de Capella; *Odelricus*, Dives. *Odelricus* filius ejus; *Adelbertus Widego*; Comes *Sigebodo* de Scartfelde. & frater ejus *Bertoldus*. *Rotberdus* advocatus de Northuſen. *Burchardus* de Eimiſſen. *Unargus*. *Egelmarus*. *Fridericus*. *Steppo* de Mandere. *Widego* de Heringo; *Burchardus* & *Widekindus* de *Wolfferbuttle*. *Iſo* de Berwinkele. Miniſteriales Hildenesheimenſes. *Conradus* de Werre. *Bartoldus* de Werre. *Abrahamus*.

Anno Dominice Incarnationis MCLXXXI. Indictione XIVta. Regnante *Fridberico* Imperatore ſemper Auguſto. Imperii ejus anno XXX^{o} XII. Kalend. Maji. actum feliciter *Amen*.

Præclare hoc diploma prodere videtur nomina aliquot nobilium virorum, quos Chronici Montis Sereni autor cum caſtris ſuis ad Fridericum Imperatorem transiiſſe dicit. Eſt enim Edelgerum de Ilefeld, Sigebodonem & Bertoldum de Scartfeld, qui cum iſto tempore vixerint, non eſt dubium, quin ſint iidem, quos innuit Chronici laudati auctor.

Anni Chriſti 1182. 1183.

Frideric. I. Reg. 31. 32. *Imp.* 28. 29. *Ab. V. C.* 259. 260.

Henrico Leonis exilium. Jam ad ultima pervenerat Leo, omnibus amiſſis provinciis etiam iis, ad quas proſcriptionis formula non pertinebat. Statuebat itaque optimus princeps fortunæ cedere ac ſuppliciter Cæſaris implorare fidem, ut ſe in partem aliquam fortunæ reſtitueret. Sed fruſtra fuit Henricus. Imperator enim jam non tem eſſe integram, reſpondit, nec ſibi licere ea rengere, quæ in frequentiſſimo principum ſenatu fuerint decreta, ſe tamen id daturum operam, ut principes experiretur æquiores, dummodo poſito faſtu ad proxima comitia accederet. Paruit Henricus Cæſaris conſiliis, cumque in Quedlinburgenſi conventu in caſſum de reſtitutione ejus fuiſſet actum, denuo in Erphordenſi cauſam ſuam commendavit, provolutusque ad pedes Cæſaris, ſupplex rogavit, ut patrimonii ſui partem reciperet. Cæſar equidem tanti principis miſericordia adeo commovebatur, ut obortis lacrymis eum de terra levaret, jubereq; bene ſperare. Principum tamen ſuffragio Brunſvicenſes & Luneburgenſes ditiones ea demum lege recipiebat, ſi triennium in exilium iret. Hæc ſcena fortunæ in Leone. Quem enim antea adeo extulerat, ut ab Hadriatico ſinu ad Codanum usque Oceanumq; Germanicum omnia ſub ſuis ſignis poſita teneret, eundem paulo poſt adeo depreſſit, ut extoris patria, omnibusque avitis ditionibus exutus, in Anglia apud ſocerum aliena vivere quadra cogeretur.

Sax. p. 45.

Henr. Leon. exilium. Arnold. Lubec. l. 3. c. 3. p. 381. Cranz. l. 6. Sax. c. 41. p. 11. Sagittar. hiſt. Barbi. c. 8. §. 13. Helmoldus. ad Gerhard. Steinh. p. 43. Chiſtr. Monach. p. 44.

Frideric. geſta. HEnrico apud Anglos degente, ſumma tranquillitate hæc regiones fruebantur, ruinasque e ſexennali bello reliquas inſtaurabant. Interea Imperator ceteris Imperii negotiis dabat operam, habitoque Moguntiæ principum conventu id imprimis agebat, quo pacto Italica pax penitus eſſet conſtituenda. Adfuere etiam Regis Angliæ legati, pro Henrico Leone rogantes Brunſvicenſium & Luneburgenſium provinciarum reditus ad vitam decoram ſuſtinendam. Et promiſſi quidem illi, ſed ſententia tamen de exilio repetita. Autor etiam eſt Cranzius arcem Woldenbergenſem, cujus comites ab Henrico Leone ſteterant, hoc anno a Friderico Imperatore dirutam fuiſſe; verum id ſuperiore anno non quidem ab ipſo Friderico ſed Philippo Colonienſi factum exiſtimaverim, cum ceteri hiſtorici Fridericum hoc anno ſuperiorem, præcipue Germaniam perluſtraſſe conſtanter aſſerant.

Cranz. l. 6. Sax. c. 42. p. 165

Pax Conſtantienſis facta. Sequente anno Fridericus Conſtantiam profectus, denuo de reconciliandis Italis cogitabat, evocatisque Lombardorum legatis VI. Cal. Junii pacem cum iis certis legibus compoſuit. Reperiuntur paſſim tabulæ illæ *de pace Conſtantiæ* vulgo dictæ, multorum etiam commentariis illuſtratæ, in quibus equidem urbibus Lombardicis aliquid indultum, ſed ita tamen, ut auctoritati quoque regiæ ſancte ſimul in futurum cautum ſit.

Sigon. l. 14. de reg. Ital. Conring. de fin. Imp. cap. 11. p. 147. Mallinekrot. de archiv. & Cancell. Imp. p. 78.

Annus Chriſti 1184.

Friderici I. Reg. 33. *Imp.* 30. *Ab. V. C.* 261.

Imperator ſe ad iter in EAdem firmandæ pacis cura Imperatori etiam ſequenti anno ſtetit. Cum enim

Palæſtinam præparat. *Abb. Vrſp. p. 297. Chron. Bigang. p. 266. Otto de S. Blaſio c. 26. p. 210. Godofr. Monach. p. 249.*

enim jam tum animum induxiſſet, ultimum in Syria dare fortitudinis ſuæ documentum, id inprimis providebat, ne res turbatas filio Henrico relinqueret. Hinc per pentecoſtes feſtivitatem celeberrimum Moguntiæ principum conventum habuit, in quo tantus imperii ſplendor emicuit, ut non niſi principes ac Marchiones miniſterialium munera obirent. Confluxerant ad ſolennem hanc curiam præter Germaniæ proceres ultra quadraginta hominum millia, quos cum mœnia non caperent, in ſuburbano agro palatia, tentoria aliaque temporaria opera extruebantur, totæque dies omnis generis voluptatibus dabantur. Inprimis feſtivitatem augebat ſolennis ritus, quo Imperator tunc Henricum & Fridericum filios gladio cingebat. Sed eam pompam mox turbavit ſubitanea procella, quæ adeo ſævire cœpit, ut non tantum omnia hæc opera ruerent, verum ipſa quoque urbs magnum pateretur detrimentum. Reliquam anni partem Imperator in Italia exegit, ubi cum Lucio Pontifice, qui Alexandro ſucceſſerat, de utriusque Imperii, tum Orientalis, tum occidentalis ſalute agebat, atque id inprimis ad illum referebat, qua ratione periclitantibus eccleſiæ Orientalis rebus eſſet ſubveniendum.

Capella S. Viti fundatur. *Lezner. c. 90. Opp. MSC. de monaſt. Annal. Corbeienſ. ap. Paulin. p. 398.*

Circa hæc tempora condita apud nos eſt Capella S. Viti, quæ olim in Septentrionali urbis plaga magna religione frequentata, nunc vero penitus ſubverſa portæ tamen, quam attingit, nobile ac perpetuum a ſe nomen reliquit. Originem, teſte Leznero, debuit celeberrimo Corbeienſi collegio, quod uti S. Viti venerationi inprimis ibat conſultum, ita nec noſtram urbem hujus Sancti patrocinio cultuque voluit carere. Forte eandem capellam ſubinnuunt faſti Corbeienſes, a celeberrimo Paulini editi, in quibus ad hunc eundem annum hæc video obſervata: *Capella S. Viti fundatur.* Non ignotam enim horum annalium auctori fuiſſe hanc apud nos capellam, docet annus MCCCXCVIII. ubi ejus diſerte fit mentio. Jam inde ab initio Corbeienſis cœnobii id tanquam palmarium habitum eſt iſtius decus, quod S. Viti reliquias poſſideat. Hæc enim poſſeſſio id attulit Abbati Wicpolto, ut Cunradus Rex anno MCXLVII. per aureum annulum eum cum ſucceſſoribus crearet *Advocatum Lipſanorum S. Viti*, quo titulo nuper admodum uſus eſt in diplomate Auguſtiſſimus Leopoldus Imperator. Cum igitur capellarum ornamenta eſſent reliquiæ, noſtræ quoque capellæ quasdam Viti reliquias Corbeia donavit. Nam iſtis claram hanc Capellam fuiſſe docet Leznerus: Aus dieſem hält man es für gewiß / daß S. Viti Leib von Pariß aus Franckreich gen Corbay ſoll kommen ſein / aber dagegen rühmen ſich andere an andern örtern auch / daß ſie nicht weniger davon etwas haben / als zu Holdesleben in Dürringen / item in den Clöſtern Schima / Wibbrechtshauſen / Fredelsheim / Marienaw / zu Goßlar in einer Cappel S. Veits Capelle genant. Item zu Ußler / Hardeſſen / Erbſen / und an ſolchen örtern allen / will man etwas von S. Veit gehabt haben / das machet dan bey vielen ſeltzame gedancken.

vid. Paulin. Synt. p. 513. 532. 395. & diſſ. hiſt. 3. Lezner. Chron. Corbeienſ. c. 19.

Annus Chriſti 1185.
Friderici I. Reg. 34. Imp. 31.
Ab V. C. 262.

Diſſidia in Imperio ob Epiſc. exuvias *Arnold. Lubec. l. 3. c. 5. p. 333. Godefr. Monach. p. 249. Cranz. lib. 6. Sax. c. 50. p. 170. Meibom. deſſ ſing. tom. 3. rer. Germ. p. 185.*

PEr hæc tempora, dum Imperator in Italia hærebat, ſumma rerum in Germania erat penes Henricum filium, quem dudum pater in ſpem Imperii inungi juſſerat. Verum ut erat hic princeps ſeverus, & gravis vitiorum exactor, ita facile cum Epiſcopis, quorum liberior juſto vita tum erat, colliſus eſt. Inprimis negotium ipſi faceſſebat Philippus Colonienſis Epiſcopus tot victoriarum trophæis clarus, qui adſpernatus Regis adoleſcentiam tantos ſibi ſumſerat ſpiritus, ut mercatores Duisburgum transvectos ſpoliari juberet: ac ſubinde ad dicendam cauſam evocatus, palam profiteretur, *neminem poſſe duobus Dominis ſervire.* Vix lites hæ exſpiraverant, cum ſtatim novæ renaſcerentur ex antiquo jure, quo Imperatores Epiſcoporum & Abbatum demortuorum exuvias ſibi ſolebant vindicare: Quamvis enim tam antiqua eſſet hujus moris origo, ut jam tum a Ludovico IV. & Conrado I. Augg. uſurpatum teſtetur Eckehardus: cœperunt tamen ſub hæc tempora Epiſcopi huic quoque juri inhiare, quaſi parum actum eſſet in opprimenda Imperatorum majeſtate, inveſtituræ jutibus ſubtractis, niſi & hoc fructu fiſcum ejus defraudarent. Largam hæc cauſa ſecutis temporibus præbuit litigandi materiam, vocato in partes Lucio papa, qui tamen exeunte hoc anno morte occupatus ſucceſſori Vrbano litem integram reliquit.

Eckeh. de caſ. Monaſt. Sang. c. 1. p. 20. Conf. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 67. p. 536.

Godefridus præpoſitus Gosl. Ratisbonenſis Ep. creatur. *Lezner. c. 85. Opp. MSC. de Monaſt. Wig. Hund. metrop. Salisb. p. 63. n. 26. Baron. ad ann. IIII. p. 81. tom. XII.*

Præpoſitura eccleſiæ SS. Simonis & Judæ ab Adelhogi diſceſſu functus adhuc fuerat Godefridus, quem Leznerus cum Hamerslebienſi monacho ac Emeſero ad Epiſcopatum Ratisponenſem tranſiiſſe refert; Sed nimis parce ejus apud ſcriptores mentionem fieri deprehendo. Wig. Hundius, qui omnes Salisburgenſis provinciæ Epiſcopos egregie admodum deſcripſit, hujus quoque Godefridi Ratisbonenſis vitam tetigit, eumque non modo Præpoſitum Goslarienſem vocat, verum etiam dubitanter licet, autorem pronunciat Chronici illius ſoluta æque ac pedeſtri oratione conſcripti, & ſub Godefridi Viterbienſis nomine editi a Piſtorio. Qua de re ipſum audire præſtat Hundium: *Godefridus Regis Cunradi III. Capella-*

nus & Notarius & Friderici Imperatoris I. & Henrici filii ejus Cancellarius fit Episcopus Ratisbonensis anno 1185. 14. Calend. Julii, qui statim sequenti anno electionem Ratisbonensibus resignavit 11. Calend. Martii, cum non integrum annum præfuisset. Exstat hujus Episcopi Chronicon ligata solutaque oratione satis emendate scriptum, impressum Basileæ 1559. Fuit hic Gotfridus etiam præpositus Goslariæ in numero XX. Hujus Gotfridi Aventinus in Annalibus non meminit, ac non parum dubito de hoc, quoniam Gotfridus historicus Viterbiensis cognominatus est, Procul dubio in hanc sententiam Hundium adduxit vulgaris assertio, qua Godefridus quoque Viterbiensis Cancellarii munus apud Fridericum I. obiisse creditur. Sed ut vera fatear, nunquam mihi eorum placuit sententia, qui ita statuerunt. Quis enim credat, sacris scriniis præfuisse hominem peregrinum & studiorum causa e patria absentem, nullo præterea publico officio præterquam presbyteri ordine conspicuum? cum tam splendido muneri non nisi famæ celebrioris & conscientiæ integratæ viri præficerentur, qui vel Episcopi jam essent vel eo certe jam honore essent ornati, ex quo facilius ad Episcopatus possent adspirare. Hinc dubitare aliquando cœpi de Transalpina Godefridi origine, inprimis cum Doctissimo Sagittario sit observatam, illum Hadr. Valesio vocari Godefridum *Viturviensem*, quod Germanicam sonare videtur Godefridi patriam. Imo Pallatius ipse Italus, Godefridum hunc vocat *Vitembergensem*, quod manifesto Germanicum est. Sed quid certi statuamus in tanta hujus ævi ignorantia? In Friderici Imperatoris diplomatibus ab anno 1173. usque ad annum 1183. frequentissima equidem est Godefridi Cancellarii mentio, sed cuinam Godefrido tot recognitiones tabularum tribuendæ sint, ambiguum facit Godefridorum eodem tempore viventium numerus, qui omnes Cancellarii fuisse feruntur. Mallinckrotius suspicatur de Godefridò Wurzburgensi Episcopo, qui Bruschio & Spangenbergio ex illustri Piesenbergiorum familia oriundus videtur, cum tamen in Constitutione Pacis Constantiensis frater ejus Ludovicus comitem se vocet de *Olsestre*. Hunc Arnoldus Lubecensis vocat *virum prudentem & eloquentem, qui etiam secundum datam sibi, gratiam peregrinationem memoratam* [Hierosolymitanam a Friderico Imp. susceptam] *ex magna parte rexerit*: quocum in eo consentit etium Bruschius, qui eum *eximia virtute doctrina & sapientia fuisse præditum ait.* Hunc ergo tot diplomatum recognitionibus celebrem *Godefridum* esse existimat Mallinckrotius, id tamen simul observans, eundem sibi cum hoc videri illum Godefridum, cujus meminerit Hundius. Quid si ergo Godefridum Præpositum nostrum Ratisbonensem primo Episcopatum adeptum, inde vero ad Herbipolensem transiisse dicamus. Nondum enim vertente anno Ratisbonensi sedi eum præfuisse, sed sequente statim anno MCLXXXVI. electionem resignasse, Hundius testatur. Eodem vero tempore Wurzburgensem sedem occupavit Godefridus. Quamvis enim Munsterus id referat in annum MCLXXXIV; satis tamen constat, quam familiare illi sit in numeris hallucinari. Nec minus errare videntur Bruschius & Spangenbergius, qui Godefridum anno MCLXXXII. ad Episcopatum Wurtzburgensem evectum volunt. Cum enim Bruschii ipsius sententia quatuor tantum annis præfuerit Episcopatui, anno vero MCXC ad Antiochiam e lethali febri, quam ex nimio æstu contraxerat, obierit, necessario sequitur, illum anno circiter MCLXXXVI. Herbipolensi ecclesiæ præesse cœpisse. Sed Delio hic natatore opus esse nobis fatemur.

Brusch. de Episc. & Archiep. cap. 9. p. 990. Spangenb. lib. 2. c. 16. p. 95. chron. Henneb.

Anni Christi 1186. 1187. 1188.

Friderici I. Reg. 35. 36. 37. *Imp.* 32. 33. 34.

Ab V. C. 263. 264. 265.

Vrbanus Pontifex Germaniam denuo turbat.

NOvas ingredimur turbas, quibus denuo pontificum impotens dominandi libido Germaniam involvit. Successerat enim Lucio Papæ Lambertus Mediolanensis Archiepiscopus, gentile adversus Imperatorem exercens odium, & adeo quietis impatiens, ut non Vrbanus amplius, quod nomen susceperat, sed Turbanus vulgo vocaretur. Non dissimulat hoc Abbas Vrspergensis, quem Schismaticum ideo vocare ausus est Pallatius: *Sane*, inquiens, *Mediolanensis Archiepiscopus ipsos* (Cardinales) *secule deduxit usque Ravennam, quem & ipsi in Papam elegerunt, dictusque est Vrbanus III, quem multi* Turbanum *vocaverunt, eo, quod cum esset Mediolanensis natione, in odium Imperatoris volebat turbare ecclesiam, quæ jam pauliſper quietem acceperat, sed nutu Dei percussus interiit.* Quatuor præcipue indignandi causas obtendebat Pontifex, primo quidem, quod Cæsar Mathildis hæreditatem sibi retineret, quam D. Petro deberi existimabat; deinde, quod Episcoporum emortuorum exuvias successoribus subtraheret; porro, quod Abbatissas nonnullas disciplinæ minus diligentes removisset, denique, quod Episcopos more majorum suorum ecclesiis obtrudere esset ausus. Pontificis causam in Germania nostra inprimis susceperat Philippus Colonienſis, legatus Apostolicæ sedis ideo renunciatus, qui ecclesias ceteras circumeundo, plerosque sacri ordinis viros adversus Imperatorem sollicitaverat, adeo ut res jam ad seditionem videretur vergere. Quo cognito Imperator, relicta Italia, ubi Henrico filio Constantiam, Regis Siciliæ filiam matrimonio junxerat, indignabundus in Germaniam rediit, omnibusque Alpium acces-

Abb. Vrsp. p. 298. Arnold. lib. 3. Chron. Slav. c. 16. sq. p. 333. sq. Pallat. tom. 2. de gest. pont. p. 664. sq. Cranz. lib. 6. Sax. cap. 51. p. 171. Chron. Augustan. p. 363

ceſſibus præſidio firmatis, ne quis ad papam e Germania ulla de cauſa poſſet accedere, Epiſcoporum comitia Geilenhuſam indixit, quo omnes venire juſſerat, præter Colonienſem, quem conſtabat eandem cum Papa tibiam inflare. In hoc ſolenni conventu multis conqueſtus eſt Imperator de Pontificis injuriis, quod auſus eſſet Mathildis patrimonium repetere, quod jure exuviarum ſe prohiberet, quod denique advocatis debitas eccleſiarum decimas abrogaſſet, omnemque ad ſe rapere Imperii majeſtatem anniteretur. Quo facto ſuavit Moguntinus, rem ad Pontificem referre, & Epiſcoporum nomine eum monere, ut ne diutius, quæ juſte peteret Imperator, deneget. In cujus ſententiam cum eſſet ab omnibus itum, epiſtola conſcribitur ad Pontificem, omniumque Epiſcoporum ſigillis firmatur, Papa vero lectis literis obſtupuit, tantam tam ſubito factam eſſe animorum converſionem: ac irarum plenus ad priſca anteceſſorum arma concurrit, certus, Imperatorem anathematis fulmine percutere, niſi Ravennatenſes, ne id apud ſe fieret, obſtitiſſent, ipſeque ſequente ſtatim anno morari inter homines deſiiſſet.

Philippus Colonienſis eccleſias Germaniæ & in his quoque Goſlarienſem ſollicitat adverſus Imperatorem. *Godefr. Monach. p. 250. ſq. Cranz. l. c. Chron. mont. ſer. p. 51.*

Confectum videbatur negotium, mortuo Urbano Pontifice, ſed videbatur tantum. Philippus enim Colonienſis Epiſcopus, non deſiſtebat claſſicum adverſus Imperatorem canere, id ſibi negotii ratus ſolum dari, ut Friderico jura ſua vindicanti obniteretur. Ideo palam tuebatur cauſam Volcmari, quem Pontifex invito Cæſare Treverenſibus Archiepiſcopum obtruſerat, eccleſias quoque legati Apoſtolici munere obiens, id dabat operam ut eas adverſus Imperatorem concitaret. Apud nos quoque idem egiſſe Philippum, ſatis aperte docere videtur diploma Friderici paulopoſt proferendum, in quo palam indignatur Imperator, quod eccleſia SS. Simonis & Judæ, nemini niſi ſibi ſubjecta, legatum Apoſtolicum nimio honore ſuſceperit, omniaque jura ſacrorum illius arbitrio ſubmittere non eſſet verita. En enim ipſa Imperatoris verba: *Veruntamen culpis præditorum canonicorum aliquando merentibus, dignam erga ipſos indignationis materiam inde concepimus, quod antiquam & conſuetam Goslarienſis eccleſiæ libertatem de novo turbare præſumpſerunt, ſervam & tributariam illam facere volentes, dum legatum Domini Apoſtolici tanta, ut audivimus, reverentia in eadem eccleſia receperunt, pecuniam ſuam illi conferentes, divina quoque auctoritatis ejus interdicto dimittentes. &c.* Accedebat belli apparatus, quo Archiepiſcopus Coloniam foſſis turribusque præmunire cœperat, manifeſto indicio, majora ſe concupiſcere & moliri. Quare Imperator acrius cœpit contra hos papæ clientes inſurgere, principibus prolixa oratione periculoſa eorum conſilia exponere, Coloniam commeatu & frumento intercludere, Volmarum ejusque complices imperio ejicere, paucis ita ſe gerere, ut certiſſimum bellum quisque præſagiret.

Denique hæc conſilia interturbavit tri- Frideriſtis ex oriente rumor, qui de conclamatis cus regni Hieroſolymitani rebus increbuerat. paſſagi- Fridericus enim quemadmodum jam du- um inire dum decreverat in oriente quoque expe- parat riri armorum ſuorum fortunam; ita ſerio *Godefr.* jam rem cœpit animo agitare, cum Sala- *Mont.* dinum Chriſtianis extrema minari cogno- *p. 251.* ſceret. Poſitis itaque de bello Colonienſi *Abbas* conſiliis habitoque Norimbergæ princi- *Vrſp. p. 301* pum conventu, non modo pacem publicam *Arnold.* luculenta lege ſancivit, quam integram *l. 3. c. 28.* ſervavit Urſpergenſis, verum etiam de *p. 356.* concordia inter ſe & pontificem reſarcien- *Otto de* da agebat: atque id negotium poſtea *S. Blaſ.* Moguntiæ in ſolennibus principum co- *c. 32. p. 213.* mitiis expeditum fuit, idque eo facilius, *Gobelin.* quod Clemens III. Pontifex abſente im- *ætat. 6. c. 60.* peratore & ſub alio cœlo militante pa- *p. 273.* rum ſibi metuendum noſſet. Certe jura *Pallat.* exuviarum tunc non dimiſiſſe imperato- *tom. 2. de* rem, indicio manifeſto ſunt ea, quæ poſt *geſt. pon-* Henrici VI. demum obitum Otto IV. & *tif. p. 677.* pontifex inter ſe pacti ſunt. Reddita *Meibom.* pace Fridericus crucem ſacræ expeditio- *diſſ. ſing.* nis teſſeram ſuſcepit ab Henrico Cardinali *p. 186.* Albanenſi, vel ut alii malunt, a Godefrido *tom. 3. rer.* Herbipolenſi epiſcopo, profectionis iſtius *germ.* ſocietatem petentibus Friderico Duce Sveviæ, Imperatoris filio, Epiſcopisque præterea Patavienſi, Ratisbonenſi, Herbipolenſi, Tarantaſio, Veſontinenſi, Monaſterienſi, Baſileenſi, Tullenſi, Hildeſienſi, Oſnabrugenſi, Miſnenſi, ut & Florentio Hollandiæ comite, Bertoldo comite de Andechs, Hermanno Badenſi, Ottone Burgundo Bertholdo Zaringenſi, Alberto Habsburgenſi, Henrico Solmenſi Gosberto Aperimontenſi Roberto Naſſovio, Adolpho Holſatio Theoderico Clivenſi, aliisque pene innumeris, qui omnes miro religionis ſenſu tacti, accepta cruce ſacræ huic, ut audiebat, militiæ nomen dabant.

Anni interea expiraverant Henrici Leonis exilio præfiniti, unde hic ſub hoc ipſum tempus in Germaniam rediit, certa ſpe fretus, fore, ut longo defunctus exilio mitiores principum animos experiretur. Hinc Imperator, ne quid turbarum Henrico filio relinqueret, per æſtatem comitia indixit Goslariæ, in quibus tum de futura expeditione, tum de Henrici Leonis cauſa ad principum ſenatum referebat. Sed denuo judices minus æquos ſenſit princeps optimus, ſive quod cum Philippo Colonienſi, quocum in gratiam jam redierat, contra Imperatorem ſenſiſſe viſus eſſet, ſive quod Bernhardus Saxo provincias reſtituere detrectaret. Quæcunque demum cauſa fuerit, pronunciata certe ſententia fuit admodum mira, optique conceſſa Henrico, aut ſacra bello ſocium ſe daret, aut dignitatis pateretur

Comitia Goslarienſia in cauſa Henrici Leonis. *Arnold. l. 3. c. 28. p. 356. Gerhard. Stederb. p. 431. Cranz. l. 7. Sax. cap. 1. Meibom. not. ad Gerh. p. 439.*

immi-

imminutionem, aut denuo e patria triennium abeſſet. Re penſitata, ultimum elegit princeps antea hoſtium jam fortunæ ſuæ contemtor, maluitque ad Anglos redire, quam aut dignitate avita excidere, aut denuo iter ingredi Aſiaticum, cujus jam dudum moleſtias deguſtaſſet.

Friderici. cus eccleſiam SS. Simonis & Judæ.

In iisdem comitiis Imperator omnia mira ſolertia conſtituens non ſine indignatione percepit eccleſiam noſtratem SS. Simonis & Judæ multas adhuc clades tum ab advocatis nonnullis tum ab aliis perpeſſam. Placuit itaque indulgentiſſimo principi has injurias abolere, adeoque plenam in libertatem vindicare hanc eccleſiam, ut nemo quicquam ſibi juris in eam audeat arrogare. Diploma Friderici auro contra carum jam tum equidem ſeorſim in lucem prodiit: attamen quoniam exemplaria dudum diſparuere, & non niſi in pauciſſimorum manibus ſunt: operæ pretium videtur illud hic quoque recenſere & quidem ex ipſo autographo præſtantiſſimo: dæ in libertatem plenam vindicat.

IN nomine ſanctę & indiuiduę trinitatis. Fredericus diuina fauente clementia romanorum Imperator & ſemper iuguſtus. Cum ad oñium eccleſiarum protectionẽ jure debeamus intendere, maxime tamen ad eas conſervandas quę nobis ſpeciali ratione ſemper fuerunt & ſunt obnoxię, ñra uerſatur intentio. & ut illas quę ab anteceſſoribꝰ ñris imperatoribꝰ & regibꝰ fundatę ſunt & conſtructę. pio ſemper amplectamur affectu. quatenus deo in eisdẽ deſeruientes perſonę. pro ñra & imperii incolumitate. tanto deuotius dñm exorent. quanto ab exteriorum incurſu imperiali fuerint auctoritate protecti. Ea propter oñium Chriſti fideliũ & imperii cognoſcat uniuerſitas. de beneplacito & immobili uoluntate ñra hoc eſſe. ut fratres Goslarienſis eccleſię in ea libertate & honore permaneant. quod uidelicet in domibꝰ eorũ & curtibꝰ clauſtralibꝰ. nullus aduocatꝰ nec aliqua perſona ſecularis pręter ñram propriam perſonam. aliquid juris uel judicii habeat. ſiue in poſterum ſibi uſurpare pręſumat. Volumus etiam. & auctoritate imperatoria mandando pręcipimus. quatenus quicunque in periculo uitę conſtitutus in domum clauſtralem confugerit. ibi ab oñi perſecutore & judice ſecurus permaneat. nec inde eum quisquam uiolenter educere pręſumat. nec aliquis pręter ipſum canonicum aliquem de familia canonici judicet. Conſiderantes pręterea. quod theſaurus & ornatus eccleſię goslār. per diverſorũ hominũ petitiones ad impignorandũ frequenter concedi ſolebat. & ſic proceſſu temporis in obliuionẽ cadere. & ab eccleſia contigit alienari. mature prout ñra intereſt conſulere & eidẽ eccleſiæ ſolerter prouidere uolentes. ſtatuimus. & auctoritate imperiali. ac ſub optentu grę nrę canonicis ęccleſię gosl. tam futuris quam preſentibꝰ diſtricte pręcipimꝰ. quod nec cuſtos. nec uicẽ cuſtodis gerens. ſeu quiſpiam alius. propter aliquorũ petitionẽ. uel forte inſtantiã burgenſiũ. aut aliorum quorumlibet. ſiue etiam ñram quicquã de ornatu ęccleſię gōsl. exponendũ concedat. quẽ nec etiam perſonę ñrę ad impignorandũ ullom° concedi uolumꝰ. Illud etiam prędictis canonicis indulgemꝰ. ut quotiescumque civitatẽ Goslar. quam prę cęteris honoramꝰ & amplectimur. curiam non celebraturi intrauerimꝰ. oñes curtes clauſtrales. canonicorũ uidelicet ęccleſię Goslar. ab oñium hoſpitũ qui nobiscũ uenerint manſione uel introitu prorſus iñunes exiſtant. nec quisquã de familia ñra uel aliꝰ aliquis eos ſuper hoc ullatenꝰ inquietare pręſumat. Si u° ad curiã celebrandã prędictã ciuitatẽ nos adire contigerit. marſcalkus. ſiue camerarius noſter in curia clauſtrali aliquẽ ex principibꝰ locandi poteſtatẽ habeat. ita tamen. ut ſine equitatura. & absq; oñi leſione & incoñodo domeſtici decenter in eadem domo maneat. Perlata quoq; ad nos importunitate. quã in bona ęccleſię ñrę Gosl. aliquando exercere pręſumpſerint aduocati. uel uillicationes ejus locando. quod nihil ad eos. uel hereditates litonũ ęccleſię ſibi uſurpando. uel etiam manſos ęccleſię nouis collocando colonis. nos hęc illicita de cętero fieri autentico prohibentes edicto. nullã permittimꝰ aduocatis ad talia perpetranda poteſtatem. Cum enim de jure aduocatorũ corã nobis in palatio goslar queſtio moveretur. de cōmuni principũ conſilio ſententiatũ fuit. quod in bo-

nis ęccleſiarũ aduocati nichil juris haberent. niſi tantum in trib9 caſib9. in furto uidelicet. in pugna. & in raptu. & oḿes alię queſtiones eſſent ad yconomum ſeu uillicum ęccleſię referendę. Nos ergo commoditatib9 ej9dem ęccleſię conſulentes conſtituimus. ut ſuper bona ſua quę ſunt in uilla Werre. ſeu alia quęcumq; in poſterum juſtę acquiſitionis titulo poterit adipiſci. onera aduocatorũ carentia. nemo debeat aduocatus haberi. nec alius quam yconom9 ęccleſię. cui coḿiſſa fuerint. aliquid in eis ordinandi poteſtate perfruatur. Cum igitur jam ſepedicta ęccleſia. cuj9 libertatẽ gloriã coronę ĩrę reputamus. ſolummodo ad nos habeat reſpectum. ideo ſtabilius in ſuo jure deſideram9 eã permanere. nolentes. ut aliquis in eá poteſtatiuas man9 extendat. & ut nullus epiſcoporũ aliquẽ de canonicis ęccleſię gosl. excommunicandi uel diuina ibidem prohibendi. ſine conſilio & conniuentia ĩra poteſtatem habeat. decernimus. & inuiolabiliter obſervari pręcipim9. Verumtamẽ culpis prędictorũ canonicorum aliquando merentib9. dignã erga ipſos indignationis materiã inde concepim9. quod antiquã & conſuetã goslar. ęccleſię libertatẽ de nouo turbare pręſumpſerũt. ſeruã & tributariã illã facere uolentes. dum legatũ dni apoſtolici tanta ut audiuim9 reuerentia in eadem eccleſia receperunt. pecnniam ſuã illi conferentes. diuina quoq; auctoritatis ejus interdicto dimittentes. Quia vero goslar eccleſia ut dictũ eſt ad nullũ in mundo niſi ad imperatorẽ uel regem romanorũ debet habere reſpectũ. & null9 in ea interdicendi diuina poteſtatẽ habeat, niſi pri9 habita ĩrę permiſſionis licentia. ſuper hoc facto grauiter merito commoti fuimus. quod ita tunc primum per ipſos fratres fuerit ancillata. & ne de cetero tale quid eis contingat. omni qua dignũ eſt diſtrictione prohibemus. Accidit pręterea nt ęccleſia goslár per procuratores ſuos in ſolempni curia ĩra querimoniã corã nobis deponeret. quod bona ſua in uilla bernesdorp. uiginti uidelicet manſos & unũ. monachi de Lutere uiolenter & injuſte detinerent. cum tamen ipſa ęccleſia gosl. eadẽ bona titulo juſtę acquiſitionis adepta fuerit. exhibito ſuper hoc nobis autentico ſcripto domini HEINRICI Rom Impris quarti. Nos itaq; juris ratione hoc dictante. de conſilio & ſententia principum ęccleſiam gosl. reſtituim9 & procuratores ej9 nomine eccleſię per camerarium ĩrum in poſſeſſionem mittentes. eis jam dicta bona perpetuo poſſidenda confirmauim9 & confirmam9. Hęc igitur oḿia. ſicut ab anteceſſorib9 nris regib9 & imperatorib9 ęccleſię goslár ſunt indulta. ita & nos indulgemus. & ut nulla omnino perſona: magna uel parua. ſecularis vel eccleſiaſtica in poſterũ ea retractandi ſeu euacuandi. habeat auctoritatem. pręſenti pagina ſigilli ĩri impreſſione ſignata muniendo roboramus. Si quis autem auſu temerario contra hęc nrę donationis inſtituta uenire temptauerit, noſtrę indignationi tamquam re9 leſe majeſtatis perpetuo ſubjacebit. Hujus rei teſtes ſunt. Adelhogus Hildenſem. epc. Tidericus Haluerſtadenſis epc. Tidericus liubicenſis epc̃. Albert9 de Gronbach. Albertus de Hiltinburch. Burchard9 de waldenberch. Ludolfus de peine. Ecbertus de wulferbutele. Volcmar9 aduocatus gosl. & alii quam plures.

Signum Domini Frederici romanorũ imperatoris inuictiſſimi.

Ego Johannes cancellarius uice Conradi moguntini archiepi & archicancellarii recognoui.

Acta ſunt hęc añó dñicę Incarnationis M.° C.° LXXXVIII. indict. VI. regnante dno Frederico Romanorũ imperatore glorioſiſſimo. Anno Regni ejus xxxiii. imperii uero xxxvii. Data Goslarię. vi. Id9 Auguſti.

Hoc

Hoc ultimum est insignis amoris documentum, quod passagium initurus huic ecclesiæ reliquit. Alias quidem hæc ecclesia tabulas servat eodem die consignatas, in quibus iidem ferme testes occurrunt *Adelbogus, nimirum Haldensem epc. Tidericus Halberstadensis epc. Tidericus Lubicensis epc. Johannes imperialis aulæ cancellarius, Rodolphus protonotarius. Albertus de Grombach. Albertus de Hiltenburch. Burchardus de Waltinberch Liudolfus de peinen. Ecbertus de Wolferbutele, Volcmarus advocatus & alii quam plures.* Sed & celeberrimus Paulini allegat literas Friderici eidem ecclesiæ hoc anno concessas, quæ an eædem sint cum iis, quas modo adscripsi, non dixerim. In nostris sane non occurrit Burchardus de Woltigerode, sed Burchardus de Waldenberch. Nec ulla advocati Gandersheimensis sed Goslariensis hic mentio fit. Videtur igitur vir doctissimus de alio diplomate loqui, quod nondum perlustravi. Attamen facile his omnibus palmam præripit hoc, quod jam ex autographo dedimus, quo tam bene de ecclesia SS. Simonis & Judæ meritus est laudatissimus imperator, ut eum veluti alteram conditorem suum & parentem justa pietate veneretur, id quod & majores ejus effigie testati sunt, in summi chori fenestra depicta, atque hanc præferente epigraphen:

Paulini Chron. Corbeg. p. 1.

FRIDERICUS PRIMUS IMPERATOR
DOTAVIT PRIVILEGIIS ET
EXEMTIONE.

Annorū ie sub-scriptio-nem tio.

Ceterum tria præcipue adhuc de hoc diplomate monendus videris, Lector benevole. Primo enim observabis annos in clausula notarii oscitantia esse transpositos, id quod sæpius factitatum, ex innumeris patet imperatorum tabulis. Hinc cum legeris hic scriptum: *anno regni ejus XXXIII. imperii vero XXXVII.* Ita restituendi numeri erunt: *anno regni ejus XXXVII. imperii vero XXXIII*: tum recte se omnia habebunt.

Sigillum huc di-plomati annexū.

Deinde notatu dignum est sigillum integrum adhuc & optime servatum. Sistit hoc Cæsarem coronatum, throno insidentem, dextraque sceptrum in lilium crucemque desinens; sinistra globum cruce ornatum tenentem, cum epigraphe: † FREDERICꝰ. DEI. GRATIA. RO. IMPERTAOR. AVGS. De eo forte alibi si Deo visum fuerit, agemus pluribus.

Advocatium & Oeconomi & villici quinam?

Postremo nec id dissimulandum videtur, has literas multum lucis fœnerare *advocatorum* æq; ac *œconomorum* seu *villicorum* nominibus, quibus nihil frequentius in antiquis monumentis occurrit. Et de advocatis quidem hujus ecclesiæ jam antea quædam monuimus, cum Adelberti marchionis, *Goslarieñ ēcclię post regem advocati* diploma ad annum MCLV proferremus. At horum hic fieri mentionem pene dubitaverim, cum eorum munus in eo potissimum consisteret, ut Cæsaris nomine ecclesiæ jura tuerentur, aliorumque prohiberent rapinas. Potius diploma hoc notare videtur minorum gentium advocatos. Adeo enim horum numerus procedente tempore augebatur, ut nullus propemodum esset mansus nullum prædium ecclesiarum, quod non peculiarem haberet agnosceretque advocatum. Hujus generis advocatorum magnum nunc inire liceret numerum, nisi jam tum a Carolo du Fresne, Paulini, aliisque cum cura de iis fuisset actum. Cum autem initio id illis datum esset negotii, ut has facultates a rapinis aliorum defenderent: res circa hæc tempora in tantos degenerave-rat abusus, ut adversus nullos magis, quam advocatos ecclesiis advocato opus esset. Id quod patet ex tot pontificum & episcoporum tabulis multarū de hoc infesto hominum genere querelarum plenis, quarum jam aliquas protulere Conringius & Paulini. Visum igitur fuit sapientissimo Imperatori in his Goslariensibus comitiis nimiam advocatorum avaritiam coërcere, & his veluti certis limitibus eorum circumscribere munus.

Carol. du Fresne part. I. Gloss. Lat. p. 86. Paulin. diss. sing. p. 560. sq. Conring. cens. dipl. Lind. c. 16 p. 312. Paulin. l. c. p. 548.

[1] ut nullam in curtes claustrales haberent jurisdictionem.
[2] ut nullas imposterum suo arbitrio villicationes elocarent.
[3] hæreditates ecclesiæ litonum sibi ne arrogarent.
[4] mansos quoque ecclesiæ novis colonis ne locarent.
[5] in ecclesiæ facultatibus nihil exercerent jurisdictionis, nisi in causis furti, pugnæ atque raptus.
[6] In facultatibus denique, quas imposterum acquisitura esset ecclesia, ut & in bonis Werrhensibus plane omni jure carerent.

Hisce enim in rebus potissimum sese adhuc Advocatorum rapacitas exeruerat. Villicationes nimirum aliis pro lubitu solebant locare, maximam partem fructuum sibi retinere, hæreditates litonum ecclesiæ debitas sibi vindicare, colonos pro lubitu mutare, paucis: ita se gerere, ac si in proprio fundo dominarentur.

Carol. du Fresne part. I. Gloss. Lat. p. 82.

Oeconomos seu *Villicos* quoque tangit hoc diploma, quos cum Advocatis confundi, notavit clarissimus Paulini a Lehmanno, Goldasto, Bangerto, Knichenio, Paurmeistero aliisque plurimis. Existimarunt enim, Advocatos non modo juri dicundo præfuisse, verum etiam curam habuisse rei familiaris & redituum. Sed proculdubio in errorem eos deduxit vetus loquendi mos, quo nomina hæc interdum solebant confundi. Sic Matthæus Parisiensis de Imperatore Friderico II: *Summus*, inquit, *secularium Oeconomus & protector ecclesiæ Christi, efficax & validus fautor S. Galli, sed inimicus.* Et paulo post Regem quoq; rer.

Oeconomi seu Villici quales. *Lehm. l. a. Chron. Spir. c. 36. p. 140. sq. Goldast. not. ad Burchard de casib. S. Galli. p. 131. tom. I. Alem.*

nis ęccleſiarũ aduocati nichil juris haberent. niſi tantum in trib9 caſib9. in furto uidelicet. in pugna. & in raptu. & oñes alię queſtiones eſſent ad yconomum ſeu uillicum ęccleſię referendę. Nos ergo commoditatib9 ejdem ęccleſię conſulentes conſtituimus. ut ſuper bona ſua quę ſunt in uilla Werre. ſeu alia quęcumq; in poſterum juſtę acquiſitionis titulo poterit adipiſci. onera aduocatorũ carentia. nemo debeat aduocatus haberi. nec alius quam yconom9 ęccleſię, cui coñiſſa fuerint. aliquid in eis ordinandi poteſtate perfruatur. Cum igitur jam ſepedicta ęccleſia. cuj9 libertatẽ gloriã coronę ñrę reputamus. ſolummodo ad nos habeat reſpectum. ideo ſtabilius in ſuo jure deſideram9 eã permanere. nolentes. ut aliquis in eá poteſtatiuas man9 extendat. & ut nullus epiſcoporũ aliquẽ de canonicis ęccleſię gosl. excommunicandi uel diuina ibidem prohibendi. ſine conſilio & conniuentia ñra poteſtatem habeat. decernimus. & inuiolabiliter obſervari pręcipim9. Verumtamẽ culpis prędictorũ canonicorum aliquando merentib9. dignã erga ipſos indignationis materiã inde concepim9. quod antiquã & conſuetã goslar. ęccleſię libertatẽ de nouo turbare pręſumpſerũt. ſeruã & tributariã illã facere uolentes. dum legatũ dni apoſtolici tanta ut audiim9 reuerentia in eadem eccleſia receperunt. pecuniam ſuã illi conferentes. diuina quoq; auctoritatis ejus interdicto dimittentes. Quia vero goslar eccleſia ut dictũ eſt ad nullũ in mundo niſi ad imperatorẽ uel regem romanorũ debet habere reſpectũ. & null9 in ea interdicendi diuina poteſtatẽ habeat, niſi pri9 habita ñrę permiſſionis licentia. ſuper hoc facto grauiter merito commoti fuimus. quod ita tunc primum per ipſos fratres fuerit ancillata. & ne de cetero tale quid eis contingat. omni qua dignũ eſt diſtrictione prohibemus. Accidit pręterea nt ęccleſia goslãr per procuratores ſuos in ſolempni curia ñra querimoniã corã nobis deponeret. quod bona ſua in uilla bernesdorp. uiginti uidelicet manſos & unũ. monachi de Lutere uiolenter & injuſte detinerent. cum tamen ipſa ęccleſia gosl. eadẽ bona titulo juſtę acquiſitionis adepta fuerit. exhibito ſuper hoc nobis autentico ſcripto domini HEINRICI Rom Impris quarti. Nos itaq; juris ratione hoc dictante. de conſilio & ſententia principum ęccleſiam gosl. reſtituim9 & procuratores ej9 nomine eccleſię per camerarium ñrum in poſſeſſionem mittentes. eis jam dicta bona perpetuo poſſidenda confirmauim9 & confirmam9. Hęc igitur oñia. ſicut ab anteceſſorib9 nris regib9 & imperatorib9 ęccleſię goslãr ſunt indulta. ita & nos indulgemus. & ut nulla omnino perſona: magna uel parua. ſecularis vel eccleſiaſtica in poſterũ ea retractandi ſeu euacuandi. habeat auctoritatem. pręſenti pagina ſigilli ñri impreſſione ſignata muniendo roboramus. Si quis autem auſu temerario contra hęc nrę donationis inſtituta uenire temptauerit, noſtrę indignationi tamquam reo leſe majeſtatis perpetuo ſubjacebit. Hujus rei teſtes ſunt. Adelhogus Hildenſem. epc. Tidericus Haluerſtadenſis epc. Tidericus liubicenſis epc̃. Albert9 de Gronbach. Albertus de Hiltinburch. Burchard9 de waldenberch. Ludolfus de peine. Ecbertus de wulferbutele. Volcmar9 aduocatus gosl. & alii quam plures.

Signum Domini Frederici romanorũ imperatoris inuictiſſimi.

Ego Johannes cancellarius uice Conradi moguntini archiepi & archicancellarii recognoui.



Acta ſunt hęc añó dñicę Incarnationis M.° C.° LXXXVIII. indict. VI. regnante dno Frederico Romanorũ imperatore glorioſiſſimo. Anno Regni ejus XXXIII. imperii uero XXXVII. Data Goslarię. VI. Id9 Auguſti.

Hoc

Hoc ultimum eſt inſignis amoris documentum, quod paſſagium initurus huic eccleſiæ reliquit. Alias quidem hæc eccleſia tabulas ſeruat eodem die conſignatas, in quibus iidem ferme teſtes occurrunt *Adelhogus, nimirum Hildenſem epc. Tidericus Halberſtadenſis epc. Tidericus Liubicenſis epc. Johannes imperialis aulę cancellarius, Rodolphus protonotarius. Albertus de Grembach. Albertus de Hiltenburch. Burchardus de Waltinberch Liudolfus de peinen. Ecbertus de Wolferbutele, Volcmarus advocatus & alii quam plures.* Sed & celeberrimus Paulini allegat literas Friderici eidem eccleſiæ hoc anno conceſſas, quæ an eædem ſint cum iis, quas modo adſcripſi, non dixerim. In noſtris ſane non occurrit Burchardus de Woltigerode, ſed Burchardus de Waldenberch. Nec ulla advocati Gandersheimenſis ſed Goslarienſis hic mentio fit. Videtur igitur vir doctiſſimus de alio diplomate loqui, quod nondum perluſtravi. Attamen facile his omnibus palmam præripit hoc, quod jam ex autographo dedimus, quo tam bene de eccleſia SS. Simonis & Judæ meritus eſt laudatiſſimus imperator, ut eum veluti alterum conditorem ſuum & parentem juſta pietate veneretur, id quod & majores ejus effigie teſtati ſunt, in ſummi chori feneſtra depicta, atque hanc præferente epigraphen:

Paulini Gen. Lutg. p. 2.

FRIDERICUS PRIMUS IMPERATOR
DOTAVIT PRIVILEGIIS ET
EXEMTIONE.

Annorũ ista lab. ſcriptio-natio.

Ceterum tria præcipue adhuc de hoc diplomate monendus videris, Lector benevole. Primo enim obſervabis annos in clauſula notarii oſcitantia eſſe transpoſitos, id quod ſæpius factitatum, ex innumeris patet imperatorum tabulis. Hinc cum legeris hic ſcriptum: *anno regni ejus XXXIII. imperii vero XXXVII.* Ita reſtituendi numeri erunt: *anno regni ejus XXXVII. imperii vero XXXIII*: tum recte ſe omnia habebunt.

Sigillum huic diplomati annexũ.

Deinde notatu dignum eſt ſigillum integrum adhuc & optime ſervatum. Siſtit hoc Cæſarem coronatum, throno inſidentem, dextraque ſceptrum in lilium crucemque deſinens; ſiniſtra globum cruce ornatum tenentem, cum epigraphe: † FREDERIC9. DEI. GRATIA. RO. IMPERTAOR. AVGS. De eo forte alibi ſi Deo viſum fuerit, agemus pluribus.

Advocatium & Oeconomi & villici quinam?

Poſtremo nec id diſſimulandum videtur, has literas multum lucis fœnerare *advocatorum* æq; ac *œconomorum* ſeu *villicorum* nominibus, quibus nihil frequentius in antiquis monumentis occurrit. Et de advocatis quidem hujus eccleſiæ jam antea quædam monuimus, cum Adelberti marchionis, *Goslarieñ ẽcliç poſt regem advocati* diploma ad annum MCLV proferremus. At horum hic fieri mentionem pene dubitaverim, cum eorum munus in eo potiſſimum conſiſteret, ut Cæſaris nomine eccleſiæ jura tuerentur, aliorumque prohiberent rapinas. Potius diploma hoc notare videtur minorum gentium advocatos. Adeo enim horum numerus procedente tempore augebatur, ut nullus propemodum eſſet manſus nullum prædium eccleſiarum, quod non peculiarem haberet agnoſceretque advocatum. Hujus generis advocatorum magnum nunc inire liceret numerum, niſi jam tum a Carolo du Freſne, Paulini, aliisque cum cura de iis fuiſſet actum. Cum autem initio id illis datum eſſet negotii, ut has facultates a rapinis aliorum defenderent: res circa hæc tempora in tantos degenerave-ratabuſus, ut adverſus nullos magis, quam advocatos eccleſiis advocato opus eſſet. Id quod patet ex tot pontificum & epiſcoporum tabulis multarũ de hoc infeſto hominum genere querelarum plenis, quarum jam aliquas protulere Conringius & Paulini. Viſum igitur fuit ſapientiſſimo Imperatori in his Goslarienſibus comitiis nimiam advocatorum avaritiam coërcere, & his veluti certis limitibus eorum circumſcribere munus.

Carol. du Freſne part. 1. gloſſ. Lat. p. 86. Paulin. diſſ. ſing. p. 560. ſq. Conring. cenſ. dipl. Lind. c. 16 p. 312. Paulin. l. c. p. 548.

[1] ut nullam in curtes clauſtrales haberent jurisdictionem.
[2] ut nullas impoſterum ſuo arbitrio villicationes elocarent.
[3] hæreditates eccleſiæ litonum ſibi ne arrogarent.
[4] manſos quoque eccleſiæ novis colonis ne locarent.
[5] in eccleſiæ facultatibus nihil exercerent jurisdictionis, niſi in cauſis furti, pugnæ atque raptus.
[6] In facultatibus denique, quas impoſterum acquiſitura eſſet eccleſia, ut & in bonis Werrhenſibus plane omni jure carerent.

Hiſce enim in rebus potiſſimum ſeſe adhuc Advocatorum rapacitas exeruerat. Villicationes nimirum aliis pro lubitu ſolebant locare, maximam partem fructuum ſibi retinere, hæreditates litonum eccleſiæ debitas ſibi vindicare, colonos pro lubitu mutare, paucis: ita ſe gerere, ac ſi in proprio fundo dominarentur.

Carol. du Freſne part. 1. Gloſſ. Lat. p. 82.

Oeconomos ſeu *Villicos* quoque tangit hoc diploma, quos cum Advocatis confundi, mi ſeu notavit clariſſimus Paulini a Lehmanno, Villici Goldaſto, Bangerto, Knichenio, Paurmeiſtero aliisque plurimis. Exiſtimarunt enim, Advocatos non modo juri dicundo præfuiſſe, verum etiam curam habuiſſe rei familiaris & redituum. Sed procul dubio in errorem eos deduxit vetus loquendi mos, quo nomina hæc interdum ſolebant confundi. Sic Matthæus Parisienſis de Imperatore Friderico II: *Summus*, inquit, *ſecularium Oeconomus & protector eccleſiæ Chriſti, efficax & validus factus eſt inimicus.* Et paulo poſt Regem quoq; rer.

Oecono mi. Lehm. l. 2. Chron. Spir. c. 36. p. 140. ſq. Goldaſt. not. ad Burchard de caſib. S. Galli. p. 131. tom. I.

nis ęccleſiarũ aduocati nichil juris haberent. niſi tantum in trib9 caſib9. in furto uidelicet. in pugna. & in raptu. & oḿes alię queſtiones eſſent ad yconomum ſeu uillicum ęccleſię referendę. Nos ergo commoditatib9 ej9dem ęccleſię conſulentes conſtituimus. ut ſuper bona ſua quę ſunt in uilla Werre. ſeu alia quęcumq; in poſterum juſtę acquiſitionis titulo poterit adipiſci. onera aduocatorũ carentia. nemo debeat aduocatus haberi. nec alius quam yconom9 ęccleſię. cui coḿiſſa fuerint. aliquid in eis ordinandi poteſtate perfruatur. Cum igitur jam ſepedicta ęccleſia. cuj9 libertatẽ gloriã coronę ſirę reputamus. ſolummodo ad nos habeat reſpectum. ideo ſtabilius in ſuo jure deſideram9 eã permanere. nolentes. ut aliquis in eá poteſtatiuas man9 extendat. & ut nullus epiſcoporũ aliquẽ de canonicis ęccleſię gosl. excommunicandi uel diuina ibidem prohibendi. ſine conſilio & conniuentia ſira poteſtatem habeat. decernimus. & inuiolabiliter obſervari pręcipim9. Verumtamẽ culpis prędictorũ canonicorum aliquando merentib9. digná erga ipſos indignationis materiá inde concepim9. quod antiquá & conſuetá goslar. ęccleſię libertatẽ de nouo turbare pręſumpſerũt. ſeruá & tributariá illá facere uolentes. dum legatũ dni apoſtolici tanta ut audiim9 reuerentia in eadem eccleſia receperunt. pecnniam ſuá illi conferentes. diuina quoq; auctoritatis ejus interdicto dimittentes. Quia vero goslar eccleſia ut dictũ eſt ad nullũ in mundo niſi ad imperatorẽ uel regem romanorũ debet habere reſpectũ. & null9 in ea interdicendi diuina poteſtatẽ habeat, niſi prio habita ſirę permiſſionis licentia. ſuper hoc facto grauiter merito commoti ſuimus. quod ita tunc primum per ipſos fratres fuerit ancillata. & ne de cetero tale quid eis contingat. omni qua dignũ eſt diſtrictione prohibemus. Accidit pręterea nt ęccleſia goslár per procuratores ſuos in ſolempni curia ſira querimoniã corá nobis deponeret. quod bona ſua in uilla bernesdorp. uiginti uidelicet manſos & unũ. monachi de Lutere uiolenter & injuſte detinerent. cum tamen ipſa ęccleſia gosl. eadé bona titulo juſtę acquiſitionis adepta fuerit. exhibito ſuper hoc nobis autentico ſcripto domini HEINRICI Rom Impris quarti. Nos itaq; juris ratione hoc dictante. de conſilio & ſententia principum ęccleſiam gosl. reſtituim9 & procuratores ej9 nomine eccleſię per camerarium ſirum in poſſeſſionem mittentes. eis jam dicta bona perpetuo poſſidenda confirmauim9 & confirmam9. Hęc igitur oḿia. ſicut ab anteceſſorib9 nris regib9 & imperatorib9 ęccleſię goslár ſunt indulta. ita & nos indulgemus. & ut nulla omnino perſona: magna uel parua. ſecularis vel eccleſtaſtica in poſterũ ea retractandi ſeu euacuandi. habeat auctoritatem. pręſenti pagina ſigilli ſiri impreſſione ſignata muniendo roboramus. Si quis autem auſu temerario contra hęc nrę donationis inſtituta uenire temptauerit. noſtrę indignationi tamquam reo leſe majeſtatis perpetuo ſubjacebit. Hujus rei teſtes ſunt. Adelhogus Hildenſem. epc. Tidericus Haluerſtadenſis epc. Tidericus liubicenſis epc̃. Albert9 de Gronbach. Albertus de Hiltinburch. Burchard9 de waldenberch. Ludolfus de peine. Ecbertus de wulferbutele. Volcmar9 aduocatus gosl. & alii quam plures.

Signum Domini Frederici romanorũ imperatoris inuictiſſimi.

Ego Johannes cancellarius uice Conradi moguntini archiepi & archicancellarii recognoui.



Acta ſunt hęc año dńicę Incarnationis M.° C.° LXXXVIII. indict. VI. regnante dno Frederico Romanorũ imperatore glorioſiſſimo. Anno Regni ejus XXXIII. imperii uero XXXVII. Data Goslarię. VI. Id9 Auguſti.

Hoc

Hoc ultimum est insignis amoris documentum, quod passagium initurus huic ecclesiæ reliquit. Alias quidem hæc ecclesia tabulas seruat eodem die consignatas, in quibus iidem ferme testes occurrunt *Adelhogus, nimirum Hildensem epc. Tidericus Halberstadensis epc. Tidericus Liubicensis epc. Johannes imperialis aulę cancellarius, Rodolphus protonotarius. Albertus de Grombach. Albertus de Hiltenburch. Burchardus de Waltinberch Liudolfus de peinen. Ecbertus de Wolferbutele, Volcmarus advocatus & alii quam plures.* Sed & celeberrimus Paulini allegat literas Friderici eidem ecclesiæ hoc anno concessas, quæ an eædem sint cum iis, quas modo adscripsi, non dixerim. In nostris sane non occurrit Burchardus de Woltigerode, sed Burchardus de Waldenberch. Nec ulla advocati Gandersheimensis sed Goslariensis hic mentio fit. Videtur igitur vir doctissimus de alio diplomate loqui, quod nondum perlustravi. Attamen facile his omnibus palmam præripit hoc, quod jam ex autographo dedimus, quo tam bene de ecclesia SS. Simonis & Judæ meritus est laudatissimus imperator, ut eum veluti alterum conditorem suum & parentem justa pietate veneretur; id quod & majores ejus effigie testati sunt, in summi chori fenestra depicta, atque hanc præferente epigraphen:

Paulini Goslar. p. 21.

FRIDERICUS PRIMUS IMPERATOR
DOTAVIT PRIVILEGIIS ET
EXEMTIONE.

Annorū insubscriptio ratio.

Ceterum tria præcipue adhuc de hoc diplomate monendus videris, Lector benevole. Primo enim observabis annos in clausula notarii oscitantia esse transpositos, id quod sæpius factitatum, ex innumeris patet imperatorum tabulis. Hinc cum legeris hic scriptum: *anno regni ejus XXXIII. imperii vero XXXVII.* Ita restituendi numeri erunt: *anno regni ejus XXXVII. imperii vero XXXIII*: tum recte se omnia habebunt.

Sigillum huic diplomati annexū.

Deinde notatu dignum est sigillum integrum adhuc & optime servatum. Sistit hoc Cæsarem coronatum, throno insidentem, dextraque sceptrum in lilium crucemque desinens; sinistra globum cruce ornatum tenentem, cum epigraphe: † FREDERICꝰ. DEI. GRATIA. RO. IMPERTAOR. AVGS. De eo forte alibi si Deo visum fuerit, agemus pluribus.

Advocati & Oeconomi & villici quinam?

Postremo nec id dissimulandum videtur, has literas multum lucis fœnerare *advocatorum* æq; ac *œconomorum* seu *villicorum* nominibus, quibus nihil frequentius in antiquis monumentis occurrit. Et de advocatis quidem hujus ecclesiæ jam antea quædam monuimus, cum Adelberti marchionis, *Gotlarieñ ẽcclię post regem advocati* diploma ad annum MCLV proferremus. At horum hic fieri mentionem pene dubitaverim, cum eorum munus in eo potissimum consisteret, ut Cæsaris nomine ecclesiæ jura tuerentur, aliorumque prohiberent rapinas. Potius diploma hoc notare videtur minorum gentium advocatos. Adeo enim horum numerus procedente tempore augebatur, ut nullus propemodum esset mansus nullum prædium ecclesiarum, quod non peculiarem haberet, agnosceretque advocatum. Hujus generis advocatorum magnum nunc inire liceret numerum, nisi jam tum a Carolo du Fresne, Paulini, aliisque cum cura de iis fuisset actum. Cum autem initio id illis datum esset negotii, ut has faculta tes a rapinis aliorum defenderent: res circa hæc tempora in tantos degenerave rat abusus, ut adversus nullos magis, quam advocatos ecclesiis advocato opus esset. Id quod patet ex tot pontificum & episcoporum tabulis multarū de hoc infesto hominum genere querelarum plenis, quarum jam aliquas protulere Conringius & Paulini. Visum igitur fuit sapientissimo Imperatori in his Goslariensibus comitiis nimiam advocatorum avaritiam coërcere, & his veluti certis limitibus eorum circumscribere munus.

Carol. du Fresne part. 1. gloss. Lat. p. 86. Paulin. diss. sing. p. 560. sq. Conring. cens. dipl. Lind. c. 16 p. 312. Paulin. l. c. p. 548.

[1] ut nullam in curtes claustrales haberent jurisdictionem.
[2] ut nullas imposterum suo arbitrio villicationes elocarent.
[3] hæreditates ecclesiæ litonum sibi ne arrogarent.
[4] mansos quoque ecclesiæ novis colonis ne locarent.
[5] in ecclesiæ facultatibus nihil exercerent jurisdictionis, nisi in causis furti, pugnæ atque raptus.
[6] In facultatibus denique, quas imposterum acquisitura esset ecclesia, ut & in bonis Werrhensibus plane omni jure carerent.

Hisce enim in rebus potissimum sese adhuc Advocatorum rapacitas exeruerat. Villicationes nimirum aliis pro lubitu solebant locare, maximam partem fructuum sibi retinere, hæreditates litonum ecclesiæ debitas sibi vindicare, colonos pro lubitu mutare; paucis: ita se gerere, ac si in proprio fundo dominarentur.

Carol. du Fresne part. 1. Gloss. Lat. p. 82.

Oeconomos seu *Villicos* quoque tangit hoc diploma, quos cum Advocatis confundi, mi seu notavit clarissimus Paulini a Lehmanno, Villici Goldasto, Bangerto, Knichenio, Paurmeistero aliisque plurimis. Existimarunt enim, Advocatos non modo juri dicundo præfuisse, verum etiam curam habuisse rei familiaris & reditūum. Sed proculdubio in errorem eos deduxit vetus loquendi mos, quo nomina hæc interdum solebant confundi. Sic Matthæus Parisiensis de Imperatore Friderico II: *Summus*, inquit, *secularium Oeconomus & protector ecclesiæ Christi, efficax & validus fautor S. Galli, est inimicus.* Et paulo post Regem quoq;

Oecono mi seu villici quales. Lehm. l. 2. Chron. Spir. c. 36. p. 140. sq. Goldast. not. ad Burchard S. Galli, p. 131. tom. I. rer. Alem.

Bangert. quoque Francorum vocat *S. Dionyſii ſpe-*
ad Helm. *cialem Oeconomum & patronum.* Quamvis
& Arn. autem nomina haut raro confuſa pateat:
p. 338. Officia tamen ipſa Advocatorum & Oe-
Richen. conomorum ſemper habita ſunt diverſa.
c.4. de Cui probando vel ſolum ſuffecerit hoc Fri-
jure territ derici diploma, quod Advocatorum &Oe-
§. 394. conomorum partes accurate diſtinguit, il-
Paurm. lis jurisdictionem in cauſis furti, pugnæ
l.2. de ju- & raptus, his quæſtiones in re familiari
risd. Imp. obvias tribuendo. Quocum faciunt & an-
Rom. c.10. tiquæ Conradi III. Regis literæ: *De reditibus*
n. 24. *S. Remigii per Villicum & ſcabinos placi-*
Math. *tabit præpoſitus ſine Advocato:* nec non char-
Pariſ. ad ta, Adalberonis Epiſcopi Metenſis: *Ceterum*
ann. 1245. *teſtati ſunt, abbatis vel villici mei eſſe ar-*
Carol. du *bitrii, ut legitime ac libere, quicquid libuerit*
Freſne l.c. *ſine advocato poſſent placitare, de terris, de*
tom. 3. *domibus*: En Advocatoru n & Villicorum
p. 1337. munera tam accurate diſtincta, ut accu-
Schurzfl. ratius non poſſent. Quod autem offici-
diſſert. de um fuerit Oeconomi ſeu Villici, ipſa no-
Vitrio. mina indicant: ſcilicet procuratores e-
eccleſ. p.4. rant poſſeſſionum eccleſiaſticarum, quibus
Jacob. negotium datum fuit colendi prædia, re-
Godofr. ad ditusque, qui ex iis obveniſſent, curandi,
tit. cod. atque adeo hoc agendi, ut omnis iſta o-
Theod. de pera utilis fructuoſaque eſſet, ut erudite,
bonis Cle- hoc eſt, ſuo more docet Schurzfleiſchius.
ricorum. Sic & Gloſſaria Villicum interpretantur
actorem, exactorem villæ penſionum, Inſula-
rium, diſpenſatorem vel gubernatorem οἰκόνο-
μον οἰκόνομον ἐπὶ τῆς χώρης. Nec aliæ ſunt
curtes villicales in antiquis tabulis obviæ,
quam quæ villicorum ejusmodi diſpenſa-
tioni ſuberant. Ceterum obſervamus eos
quoque vocatos eſſe *Majores.* Diſerte e-
nim charta Conradi Regis anno MCXL.IV.
id. Februarii Wormatiæ data apud Piſto-
Chron. rium ita loquitur de villicis Abbatiæ Sta-
Magn. bulenſis: *Communi itaque principum noſtro-*
Belg. ap. *rum & generalis curia noſtra, que Leodii ce-*
Piſt. p.162. *lebratur, conſilio, obtentu etiam ejusdem Ab-*
tom. 1. *batis Wibaldi judicari fecimus, quod nullus*
Conf. *judex, qui Scultetus dicitur, nullus villicus,*
Schurzfl. *qui vulgariter Major vocatur, miniſterium ſu-*
l.c. p.5. *um diutius habere & retinere valeat, niſi quam-*
dm Freſn. *diu cum gratia Abbatis deſervire queat, ſed*
tom. 2. p. *quotiescunque juſſus fuerit reddere, ſine con-*
359. & tom. 3. *traditione reddat, nec filius poſt obitum patris*
p. 1337. *per hæreditatem repetat.* Hoc ſenſu etiam
occurrit *Majoria*, quæ medii ævi ſcripto-
ribus notat villam cui Major ejusmodi ſeu
villicus præeſt, unde Germanorum voces
Chron. natæ videntur: Ein Mayer / ein Hoff-
Magn. mayer / eine Mayerei / ein Mayerbrieff etc.
Belg. ap. Verum eadem fata manebant villicos, ſeu
Piſt. p.162. Oeconomos, quæ Advocati ſubierunt.
vid. Ecke- Scilicet, quod ſuccedentibus temporibus
hard. jun. nimis a priſtina innocentia deflecterent,
de Caſib. de eccleſiarum facultatibus geno indul-
monaſt. S. gerent, tempus potius venationibus fal-
Galli ap. lerent, quam obeundis agris impende-
Goldaſt. de rent, eo demum res rediit, ut publicis
ſcript. Imperatorum ac Regum edictis eſſent co-
Alii rer. ercendi, quale etiam eſt illud Conradi
germ. c.4. III, e quo paulo ante nonnulla excerpe-
p.28. re placuit.

Sed nimis forte diu & ad tædium usque lectoris nos Harpyæ iſtæ eccleſiarum detinuerunt. Ad res igitur noſtras demum redeundum eſt. Cumque Goslarienſis eccleſiæ felicitatem paulo anteſimus mirati, tranſire juvat ad Richenbergenſes, qui & ipſi quoque a *Nicolao de Berle* miniſteriali Epiſcopi Hildeſienſis novo hoc anno beneficio aucti ſunt, quod Adelhogus Hildeſienſis Epiſcopus datis tabulis ratum habuit. Richenbergenſ. augmentum.

Huic facto intererant: *Gerhardus* Præpoſitus de Stederburg, *Geruncus* Canonicus S. Crucis, *Gerfridus* de Hoſenbrugge Canonicus. Canonici de Richenberg: *Benno*, *Johannes*, *Theodolphus*, *Iberioldus*, Capellanus præpoſiti Gerhardi. Laici: *Bodo* de Homburg, *Burgardus* de Heimerſen, *Fridericus* de Rothen, *Tidericus* de Ordenberg, *Gerardus* cognatus Epiſcopi, *Lippoldus* de Eſcherte, *Johannes* de Deſſeleſſen, *Tidericus* de Golthorne, *Henricus* filius ejus, *Hugo* de Inſula, *Conradus* de Lyndeche, *Gotſcalkus* de Oſterode, *Hermannus* frater ejus & alii multi. Datum anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo, in civitate *Hildensheimenſi*, quarto idus Maji.

Annus Chriſti 1189.

Friderici I. Reg. 38. *Imp.* 35. *Ab. V. C.* 266.

JAm hoc anno Imperator rebus ad ſummam tranquillitatem ubique compoſitis, ſummam rerum demandavit Henrico filio, ipſe vero futuræ peregrinationi magna induſtria ſe accinxit. Delectui inſtituendo luſtrandoque exercitui urbem deſignaverat Ratisbonenſem, ad quam S. Georgii feſto properans, magnam invenit cruce ſignatorum multitudinem, quæ ad triginta propemodum hominum millia crevit. His cum ſe principum copiæ jungerent, tam inſtructus completus eſt exercitus, qui par toti orienti videbatur futurus. Ratisbona ergo Imperator cum exercitu ſuo ſecundo Danubio Auſtriam pervectus, Presburgi pacem exercitus publico edicto ſanxit, ulteriusque progreſſus per Ungariam, & novis cohortibus ſubſidiariis ab Ungarorum Rege auctus ad Bulgariæ usque fines felici itinere perrexit, tam diligens coërcitor diſciplinæ militaris, ut Belgradi per Petri & Pauli feſtivitatem ſtativa habens ab equitibus quibusdam Alſatieis violatæ pacis ſumeret ſupplicium. Bulgarorum provinciam ſimul ac fuerat ingreſſus, omnia ſibi adverſa expertus, nonniſi ſummis exantlatis laboribus iter per has regiones emenſus eſt. Inde miſſis ad Conſtantinopolitanum Regem legatis tranſitum per Græciam rogavit, ſed fruſtra. Legatos enim aliquandiu ſatis liberaliter habitos, poſt ubi in ſuſpi- Friderici Imp. in Palæſtinam movet. *Godofr. monach. p.253. ſqq. Tagenon. deſcript. expedit. Aſiat. p.6. ſq. ap. Freher. in append. tom. 1. rer. Germ. Martin. Polon. p. 374. Alb. Stad. p.296. Abb. Urſp. p.303. Chron. mont. Ser. p.53. Arnold. Lubec. l.3. c.29 p.557 Gerhard. Sted p.481*

Otto de S. Blas. c. 32 sqq. p. 213. sq Gobelin. Person. aet. 6. c. 60. p. 273. Paniel. de ord. Joh. Hieros. l. 2 p. 56. sq.

suspicionem iniquam a Bulgaris essent adducti, Rex in carcerem detrusit, idque dare cœpit operam, ut Imperatorem transitu prohiberet. Hinc Imperator superato molesto per Bulgariam & Macedoniam itinere, Græciam intravit tantoq; terrore percussit Isaacum Regem, ut dimissis legatis bellum deprecaretur, omniaq; futuro itineri subsidia promitteret. Sed cognita Græca ejus fide Imperator ulterius progressus montem Constantinopoli imminentem insedit, adeoq; afflixit urbem, ut datis obsidibus pacem peteret, navesque transportandis copiis offerret. Quot hominum vero millia antequam Constantinopolin ventum est, perierint, satis aperte patet ex Taginone, qui hodœporicon confecit istius peregrinationis. Nec multo fructuosius reliquum bellum fuit, ut merito subeat mirari, tot clades non deterruisse homines a sacra militia. Sed videtur Heideggerus omnium optime observasse causas, quamobrem crucem prædicare, totumque Christianum orbem sedibus suis excitare non destiterint Pontifices. *Diversæ longe*, inquiens, *fuerunt belli illius* [sacri] *suasoriæ causæ, avaritia pontificum, dominandi libido, perfidia, & oppressio Christianorum principum. Ablegatis in Orientem per speciem pietatis principibus proclive papa fuit vacua in aula dominari cum ambitioni avaritiæque Pontificum totus se Occidens aperiret, & ad frenandam domandamq; eam, exhaustis ejusmodi expeditionibus principum subjectorumque opibus, impares posthac essent. Immensam etiam pecuniarum vim crucesignatæ huic militiæ pontificibus conciliarit, Certe Innocentius Papa*, [ita Matthæus Paris, Monachus Albanensis, Anglus, Histor. Major, p. 200 loquitur.] *ad expeditionem terræ sanctæ, ut dixit, ad occultandam suam avaritiam, infinitam pecuniam ab ordine Cisterciensi extorquere proposuit.*

Heidegg. period. 4. h. P. papat. p 95. sq.

Interea dum omnes Europæ nationes miro pietatis sensu in Orientem confluunt, nec iis quidem plane defuit religionis propagandæ studium, qui domi intra patrios Lares remanserant. Inprimis in vicinia nostra hæc sententia stetit Arnoldo Dynastæ Dorstadiano, Variæbarbæ nomine claro, qui cum e Conjuge sua Bina gente Æthiopissa nullam dignioris sexus prolem sustulisset, nobilitatis suæ sedem Newenburgum, in celebre virginum cœnobium convertit, quod hodienum Dorstadianæ familiæ inclytum nomen retinet. Honori id consecratum est SS. Trinitatis, virginibusq; frequentatum, quæ S. Augustini regulis se adstringebant. Tanquam singulare quicquam annotavit Leznerus, quod olim virgines Dorstadianæ non nisi ejusmodi preces usurparint, quæ solam sanctissimam triadem alloquebantur, neglectis sanctis, quibus nec imagines quidem multas in templo suo dedicarint. Quod si ita est, mirari sane non oportet, in tanta seculi caligine apud nonnullos tamen tantam emicuisse lucem, ut vanum sanctorum cultum agnoscerent: Quales etiam tunc fuisse Waldenses, quos pestes ecclesiæ vulgo existimabant, constat ex Æneæ Sylvii historia Bohemorum, aliisque rerum ecclesiasticarum scriptoribus. Sed alia facies esse cœpit hujus monasterii, ex quo anno MCCCCLXXIX virgines reformationem subierunt, & canonissarum S. Augustini susceperunt institutá.

Monast. Dorstadiani origines.

Æn. Syl. c 35. p 50. sq. Illac. Cat. test. verit. l. 15. p. 1499. sq. Ulser. de success. eccles. c. 8.

Annus Christi 1190.

Friderici I. Reg. 39. Imp. 36.
Henrici VI. Reg I.
Ab. V. C. 267.

HYeme in Thraciæ solitudine exacta, Fridericus Imperator cum copiis suis fretum intra pontum Euxinum & mare sacræ Ægeum trajecit: cum interea Franci, successu Angli, Itali, ac Belgæ classibus incredibilem multitudinem hominum adveherent, ipsique Philippus & Richardus, ille Franciæ hic Angliæ Reges ad sacrum bellum accederent. Exercitu in Asiam transmisso Armeniæ regiones Turcarumque provincias aggreditur; multisque licet præliis lacessitus, semper tamen victor evadit, donec expugnato Iconio Soldanus pacem, datis obsidibus, peteret, liberumque per Armeniam transitum permitteret. Sed vix Ciliciam ingressus fuerat laudatissimus Imperator, quem merito *magnum* vocat Guilielmus Brito, cum nimium fervorem solis in fluvio Cydno * restincturus, gurgite abreptus expiraret, licet alii equo in fluvio offendente delapsum, inter manus sublevantium extinctum malint. Hunc finem habuit Imperator virtuti similli-mus, omnibus belli ac togæ dotibus eminentissimus seculi sui, qui pro nulla re magis, quam Imperii majestate, arisque ac focis dimicavit. Plurimorum equidem iniquos calamos expertus est, veluti Saxonis Grammatici, qui *hominem fallacissimum* appellare ausus est; sed facile ejus virtutes vindicabunt Radevicus, Petrus Blessensis, aliique hujus ævi scriptores, qui insuper habito Pontificum judicio, id dederunt operam, ne quid aut falsi scriberent, aut veri non scriberent. Exuviæ corporis Antiochiæ primum sepultæ, postea in Germaniam revectæ Spiræ inter ceteros Imperatores locum invenerunt. Orbatus igitur optimo duce exercitus belli summam commisit Friderico filio, qui tamen editis aliquot virtutum specimenibus ipse quoque in ætatis flore morbo correptus exaruit. Vnde incondita multitudo a signis dilapsa cuneatim in patriam rediit, omnisque expeditio hæc operosa in fumum abiit.

*Otto de S. Blasio. l. c. p. 215. Godefr. Monach. p. 258. Arnold. l. c Guil. Brito l. 4. Philip. p. 27. & 82. Chron. mont. Ser. p. 55 sq. * Chronic. Australe vocat Celeph. vid. p. 320. Barth. ad Guil. Brit. l. c. p. 275.*

Radevic. l. 2. c. 76. p. 556. Petrus Blessens. Ep. 169.

Inter hæc infausta Orientis bella, quæ Henrico pene ad incitas redegerant Germanos, Leo alta pace fruebatur Germania, Henrico armis

provincias ſuas recuperare ſtudet. *Gerh. Stederb. p.431. Arnold. l.4.c.1. p.384. Cranz.l.7 c.2. Meib. not. ad Gerh.Sted p.439. & hiſt.Bard. p. 63. Schlæpk. Chron. Bardevv. part.1.c.13 p.203. ſeq.*

Rege, qui per abſentiam patris Imperio præerat, id potiſſimum agente, ut cum Epiſcopis rediret in gratiam. Hujus rei cauſa Moguntiæ, Francofurti & Norimbergæ ptincipum comitia habuit. Sed non diuturna fuit iſta tranquillitas. Henricus enim Leo, cognito uxoris Mechtildæ obitu, & pertæſus diuturni exilii ante præfinitum tempus rediit in Germaniam, eoque magis maturabat iter, quo durius in provincias ſuas a Rege conſuli audiverat. Circa anniverſariam S. Michaëlis feſtivitatem Bremam veniens ab Hartwico Archiepiſcopo liberaliter ac honorifice exceptus & Stadam deductus eſt. Qua urbe potitus ſtatim collegit copias, tantaque celeritate, Hamburgum, Plonam, Izehoam, Lubecam Lauenburgum aliasq; urbes ac provincias recuperavit, ut eodem fere rumore Henricus & veniſſe & bellum paraſſe & victoria potitus nunciaretur. Inprimis Bardewicum antiquiſſimam urbem ob perfidiam vero nimis ſibi inviſam a fundamentis adeo diruit, ut vix veſtigium priſtini nitoris reliquerit. Repentino hoc terrore circumlato principibus nec conſilii recte expediendi facultas, neque belli feliciter gerendi occaſio erat, credebaturque Henricus in ſpem priſtinæ fortunæ reſurgere, inprimis cum maxima pars Germani exercitus in Oriente ſub alio ſole peregrinaretur: minorque manus adeſſet Henrico Regi, quam quæ Leonis conatibus reſiſtere poſſe videbatur.

Henricꝰ Rex Goslarię obſidionem Brunſvicenſem decernit *Gerhard. Sted.p.431 Vetus Chron. Rithm. ap. Meib. not. ad Gerhard. p. 440.*

Cum igitur jam terribilis toti Saxoniæ imminere videretur Henricus Leo, arma quoque Henricus Rex corripuit, odio in Leonem nulli ſecundus. Convocatis itaque circa feſtum Martini Goslariam Saxoniæ principibus, de impediendis Leonis ſucceſſibus conſilia captavit, junctisque ſibi Bernhardi Ducis, Conradi Moguntini & Adelhogi Epiſcopi Hildeſienſis copiis Brunſvicum obſidione incinxit. Quod autem Henricus, Leonis filius mature urbi de cibariis proſpexerat, nec quidquam Rex profecit. Converſus tamen in adjacentem agrum, omnia flammis ferroque devaſtavit, exercitum excurſionibus locupletavit, ejectoque, ne nihil egiſſe videretur, Hartwico Archiepiſcopo Bremenſi, re infecta rediit Goslariam: Henricum Regem Goslariæ tunc contra Leonem comitia habuiſſe, præter Gerhardum Stederburgenſem, teſtatur quoque vetus Chronicon rhytmicum:

Dher junghe Koninc Heynrich
Dhes Vater hatte weſen Frederich/
Dher dher Veydhe ni vergaz
Durch dhen angebornen haz/
Wider ſinen mach Heinriche:
Dha iȝ pleph an Frederiche/
Dha began iȝ der junghe algelich
Durch daz Hertȝoge Heinerich
E dher zit ȝo Lande quam/
Vor groſ obel her daz nam:
Der ward ſin Vigent offenbar/
und dachte in Verterben gar/
Von aller ſiner Herſchaph.
Vüllen rat im darzo gaph/
Von Meinze der Biſchoph
Das zu Goslere einen Hoph
Leyte Koninc Heynrich. &c.

Henricꝰ Leo Regi reconciliatus. *Gerh. Sted.l.c. p. 431.q. Arnold. l.4. c.3.p.387. Cranz.l.7 Sax.c.3. p.175.& Vandal. l.6.c.31. Lerbic. Chron. Schaumb. p.507. Bunting. part. I. Chron. Brunſv. p.171.*

Animus erat Henrico Regi expeditionem in Italiam ſuſcipere, tum coronam a Papa more ſolito ſuſcepturo, tum a Tancredo præreptam Siciliæ partem recuperaturo quam ex dote conjugis ſibi deberi ferebat. Quod autem facile animadverteret; iter ſuum ab Henrico Leone retardari, denuo convocatis Goslariæ principibus ad pacem cœpit eſſe pronior, quæ tandem multis ultro citroq; miſſis legatis iis legibus Fuldæ coaluit, ut Leo in partem fortunæ reſtitueretur, Lotharius filius obſes daretur, Henricus alter filius expeditioni Italicæ intereſſet, Lewenburgum ſolo æquaretur, Adolphus Schaumburgicus, ſi ex Oriente rediret, ditionibus ſuis reſtitueretur, Lubeca deniq; inter Henricum & Adolphum divideretur. Addit Arnoldus, de mœnibus quoq; Brunſvicenſibus, ut quatuor locis deſtruerentur, conveniſſe; quod & re ipſa præſtitum putat Hermannus Lerbeccius: ſed tacet hoc Gerhardus Stederburgenſis unde ſententiam iſtam non tam veram, quam ex rumore natam ſuſpicatur Sagittarius. Hoc ſane conſtat, nihil horum præſtitiſſe Henricum Leonem, utpote qui facile animadvertebat, rebus in Apulia conſtitutis, Regem in ſe denuo arma converſurum. Obiit etiam paulo poſt Lotharius, obſes Regi datus. Qua de cauſa Henricus quoq; alter filius, qui in Apulia adhuc fecerat ſtipendia clam ſe e caſtris Regis ſubtraxit, multaque eluctatus pericula Brunsvicum ad patrem rediit.

Adelhogo Hild. Epiſc. ſucceſſit Berno. *Prap. mont. S. Petri. Goslar.*

Sub finem quoq; hujus anni ad ſuperos exceſſit Adelhogus Hildeſienſis Epiſcopus, qui paulo ante e Paleſtina factus redux Brunvicenſi quoq; obſidioni interfuerat.

Hujus viri ſolicitudo in ornandis eccleſiis ſatis elucet ex tot ejus diplomatibus, quorum aliquot jam in medium protulimus, quanquam ejus conatus in comitatu Daſſelenſi ad epiſcopatum ſuum transferendo non æque omnibus probantur. Succeſſorem nactus eſt Bernonem, Decanum Hildeſienſis eccleſiæ majoris, & Montis S. Petri Goslarienſis præpoſitum quo nomine teſtis loco ſubſcripſit anno 1184. Vir fuit religioſiſſimus & multis beneficiis eccleſiis exhibitis clarus, ſed neſcio, qui factum ſit ut tam parum de eo referant Hildeſienſium annales. Facile quidem nobis ratio conſtaret ſi audiendus eſſet Cranzius, Qui Bernonem vertente anno ſtatim diem obiiſſe ſupremum exiſtimat. Sed huic refragantur alii, inprimis Reutelius,

Cranz. l.7. metr. c.17. p.174

Reutel. Chron. Hillesh. p. 90. ap. Paulin. Synt. Leyner. l. 1. Chron.

telius, qui licet conjectura sua nixus annum ejus emortualem signat MCXCVIII. Certe anno MCXCIV. consecrationem S. Bernvvardi a Papa Cælestino impetravit, ex quo colligimus, haut paulo diutius, quam quidem Cranzius existimat, illum ecclesiæ suæ præfuisse, qua de re ad annum MCXCVI. dispiciemus.

Dassel. c. 7. f. 7. lib. 2. cap. 1. p. 19.

Præpositura Montis S. Petri instauratur. Pistel. l. c. Leyn. cap. 85. de monast. Brusch. de Episc. & Archiep. c. 11. n. 25 p. 1047.

Non penitus tamen Goslariæ nostræ Berno putandus est defuisse. Præposituram enim Montis S. Petri, cui ipse antea præfuerat quæque multarum facultatum fecerat jacturam ipse pro virili instaurasse, amissasque opes redemisse fertur. Placet ea de re audire Reutelium: *Præposituram S. Petri Goslariæ valde depauperatam & a secularibus direptam pristino nitori, valori & dignitati suæ restituit, Dictatore summo Pontifice sub pœna fulminis sacri, ne quis antiquæ hujus præposituræ bona alienaret, seu sub quocunque pretextu auferret.* Quæ si vera sunt, procul dubio has clades e bello sociali contra Henricum Leonem suscepto retulit hæc ecclesia. Cum enim vice plus simplici tunc vexata sit Goslaria, non est dubium, quin nec mitius cum hac ipsa ecclesia fuerit actum, quæ extra urbis pomœria constituta omnibus exposita erat hostium rapinis. Inepti vero Leznerus, quando Bernonem id operæ ecclesiæ SS. Simonis & Judæ præstitisse existimat, quæ ita ab omni jurisdictione Episcopi erat exemta, ut ne diœcesiana quidem jura ulla Hildesiensium Episcoporum agnosceret. Sed a Bruschio videtur deceptus, qui *præposituram regiam Goslariensem* a Bernone *instauratam ac amplissimis proventibus donatam* in tantum refert, nec addit utra præpositura sit intelligenda.

Conradus Goslar. Præpositus. *Apolog. Archiep. Colon. 1679. in additam. n. 5. p. 7.*

Eodem anno præpositi munus in ecclesia SS. Simonis & Judæ gessit Conradus, quem aliud agens nuper demum reperi in diplomate quodam Henrici VI. Regis, ecclesiæ Colonienſi concesso, & Apologiæ Archiepiscopi Colonienſis contra Senatum Colonienſem editæ anno 1659. inserto. Ipsum enim diploma ita finitur

Testes sunt hujus rei *Conradus* Moguntinensis Archiepiscopus, *Wichmannus* Megideburgensis Archiepiscopus, *Otto* Bamberburgensis Archiepiscopus * *Tirritius* ** Halberstadensis Episcopus *Sifridus* Abbas Hirsfeldensis, *Conradus Goslariensis præpositus Henricus* Præpositus Sci Mauritii in Moguntia, *Brunø* Præpositus B. Mariæ ad gradus in Colonia, *Bernhardus* Monasterienſis Præpositus, *Conradus* Palatinus Comes de Rheno, *Otto* Marchio Burgundiæ, *Otto* Dux Bohemiæ, *Albertus* Marchio Misnenſis, Marchio *Dedo* Comes, *Rappo* de Werthenio, *Gerhardus* Comes de Loij, *Wiricus* Comes de Hochsteden, *Rupertus* de Durus, *Cuno* de Mintzenberg, *Trussardus* de Costenburg, *Conradus* de Aubiler, & alii quam plures.

* forte legendum episcopus

**) al. Tiderc. us.

Signum Domini *Henrici*, invictissimi Romanorum Regis & semper Augusti.

Acta sunt hæc apud *Franckfordiam*, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo nonagesimo. Indictione septima, VIII. Kalendas Aprilis, regnante Domino *Henrico* glorioſissimo Romanorum Rege, semper Augusto. Anno regni ejus vicesſ. primo. Ego *Theodoricus* vice Domini *Conradi* Moguntinæ sedis Archiepiscopi & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Datum per manum Magistri *Henrici*, Aulæ imperialis Prothonotarii.

Annus Christi 1191. 1192.

Henrici VI. Reg. 2. 3.

Ab. V. C. 268. 269.

Belli in Oriente successus.

FErvebat adhuc in Oriente bellum sacrum, quamvis feliciores illius successus non solum Friderici Sveviæ ducis obitu verum etiam dissidiis inter proceres, Regem inprimis Angliæ Richardum & Leopoldum Austriæ ducem coortis, non parum impedirentur. Angliæ enim Rex cum Austriaco collisus vexilla hujus, ubicumq; fixa fuerat, evulsa projeceratin cœnum, unde in reditu cum ad focum sedens servili habitu assam perdicem verteret, a Leopoldo captus & Henrico Regi traditus est. Quam etiam ob rem Leopoldus a Cælestino Papa, Regem in expeditione sacra interceptum indignante, excommunicatus est.

Otto de S. Blasio. p. 215 sq. Stero in Annal. ap. Canis. Chron. August. p. 563. Guil. Brito lib. 4. Philipp. p. 81. sq. Barth. ad Brit. l. c. p. 272. sq. Arnold. l. 3. c. 36. p. 356. Pertus Blestens. epist. 143. 144. 145. & 146 Godefr. Mon. 260. Abb. Vrsp. p. 304. Signitudo. gon. lib. 15. de bell. Ital.

Nec minus Germania nostra bellorum apparatu tunc occupabatur. Pacata enim Saxonia & expeditione in Italiam suscepta, Henricus Rex cum ingenti exercitu, XVIII. Calendas Maji Romam ingressus coronam & benedictionem a Cælestino pontifice cum Constantia sua impetrabat. Qua in solennitate mira eluxit Pontificis arrogantia, qua eo processit Pontifex ut coronam manibus suis impositam pede iterum ex capite imperatoris excuteret, significaturus scilicet dare, custodire, conservare & auferre coronam, si causa exigeret, esse in manu pontificis, ut nugatur Baronius, pro Henrico in I- merito ideo tractatus a Lehmanno. Nec cus in I- prætereunda hoc loco censura Pallatii: talia *Coronam* inquientis, *triduo respuit, ne coro-* rem ma- *naret Henricum, quod malleo ferreo reposce-* le gerit. *ret malum aureum. Dedit tandem: utinam Godefr. modestius dedisset. Elevato namque Cælestinus Monach. pede ex capite adorantis Henrici coronam de- p. 259. cusit. Sic ponere & deponere Reges solent ty- Abb. rani, non pontifices. Nunquam in solido stat Vrsp. humana superbia quæ immanitas est, non ma- p. 304. Si- gnitudo.* Quo facto Imperator ulterius in gon. lib. 15. Apuliam progressus arma vertit in Tancredum, qui provincias a Wilhelmo Si- Ital.

culo

culo Henrici ſocero relictas invaſerat. Sed nimis adverſam fortunam tunc experiebatur: nam præterquam quod Henrici Leonis filius fortiſſimus juvenis fuga e caſtris elapſus, in Saxoniam redierat: mors quoque ſubtraxerat Philippum Colonienſem, veteranum militem, cujus conſiliis potiſſimum adhuc fuerat uſus. Inprimis vires ejus maxime attriverat obſidio Neapolitana, qua diutius protracta lues exercitum invaſit, tam violenta, ut maxima pars militum periret, ipſeque Rex lectulo affixus ægre mortem effugeret. Soluta itaque obſidione, & imperatrice capta hoſtium proteſtati relicta, in Germaniam illi erat redeundum. Felicior inter ea Goslaria noſtra, quæ pietatis & religionis mira ſubinde vidit incrementa. Capellam S. Cæciliæ a majoribus ſuis fundatam maximi faciebant Comites Woldenbergenſes, idque præcipue dabant operam, ut ornamentis & exiſtimatione ſanctitatis magis magisque efflorеſceret. Cujus pietatis non aliud ferebant præmium quam jus patronatus, quod & *Berno* Hild: Epiſc. hoc anno familiæ huic confirmavit. En literas Epiſcopi, in quibus *Rodolphus* Comes Woldenbergenſis vocatur Civis Goslarienſis:

Phil. Bergom. Chron. l. 224. fol. 224. Baron. ad ann. 1191. n. 10. Roger. annal. Angl. ann. 1191. Lehm. lib. 5. c. 68. p. 548. Pallat. tom. 2 de Geſt. Pontif. p. 685. Otto de S. Blaſio. c. 37. p. 217

Jus patronatus Capellæ S. Cæciliæ confirmatus Woldenbergenſibus

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. BERNO *Dei gratia Hildenesheimenſis Epiſcopus in perpetuum. Pontificalis eſt officii eccleſias Dei paternæ ſollicitudinis cura protegere, atque utilitatibus earum promovendis & paci conſervandæ vigilanter proficere. Ea propter notum eſſe volumus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod nos petitione fidelis & dilecti noſtri* Rodolfi, civis Goslarienſis, *nobilis Viri, Capellam S. Cæciliæ, quæ legitimæ ſuorum progenitorum donatione ipſum contigit, cum omnibus ejus juſtitiis & poſſeſſionibus in Dei & noſtram protectionem ſuſcipimus. Statuentes, ut juxta prædeceſſorum noſtrorum venerabilium Virorum* Bertholdi, Bernhardi, Brunonis, Heremanni, Adelogi *Hildenesheimenſis Eccleſiæ Pontificum conceſſionem, præfatæ capellæ ſacerdos de manu Epiſcopi aut ejus reſponſalis dono altaris canonice inveſtitus, omnes ejusdem Eccleſiæ fundatores, extructores, & poſſeſſores ſepeliendi & parvulos eorum baptizandi absque omni contradictione habeat facultatem. Licet præterea volentibus ibi divinum ſervitium frequentare, ſacerdoti ægrotos, ad quos invitatus fuerit, viſitare, parvulos quoscunque ſibi oblatos baptizare, & mortuos ſepelire. Decernimus etiam & quæcunque bona, quascunque poſſeſſiones eadem Eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, nemo audeat invadere; diripere, vel quibuslibet vexare moleſtiis. Si quis igitur hanc noſtræ conſtitutionis paginam noſtro ſigillo roboratam ſciens contra eam venire temptaverit, ſciat ſe anathematis vinculo obligatum, niſi condigna pœnitentia legitimam ſatisfactionem exhibuerit. Hujus rei teſtes ſunt:* Burchardus *Hildenesheimenſis Canonicus*, Ekchardus *montis S. Georgii Præpoſitus &c. &c.*

† BERNO Dei gratia Hildenesheimenſis Epiſcopus.

Datum in monte S. Georgii per manum Ekchardi ejusdem Eccleſiæ Præpoſiti. A. D. I. M. C. XCI. anno Pontificatus primo.

Brunſvicum denuo frustra obſidetur. *Gerh. Stederb. p. 433. Aleibom. adh. l. p. 443. ſq. Sagittar. Orig. Brunſv. lib. 5. p. 53.*

Vix attigerat Germaniam Imperator, cum ſtatim illi adeſſent Henrici Leonis legati multis verbis fugam Henrici junioris excuſantes. Sed implacabilis in præſens, totis viribus injuriam hanc ſe ulturum reſpondit. Novum ergo bellum Henrico Leoni paratur, concitante inprimis Adolpho Holſatiæ comite, qui per id tempus e Palæſtina redierat, omnesque fere Transalbinas urbes ab Henrico Leone occupatas ipſamque Stadam recuperaverat. Sublato ſigno ſtatim accurrunt Dietericus Halberſtadienſis & Berno Hildeſienſis Epiſcopi, nec non Witekindus Abbas Corbeienſis, qui magna nobilium aliorumque militum manu Brunſvicum denuo oppugnare ſtudebant, caſtris in villa Leiſordana ad Ocram poſitis. Sed cum Imperator cum novis ſubſidiis diu fruſtra expectaretur, in caſſum obſidio protracta eſt, nihilque actum a præſulibus, quam quod pagos nonnullos diriperent, omnemque pene Brunſvicenſem agrum vaſtarent. Tandem cum lentum videretur bellum hoc futurum, eique conficiendo impares ſe cenſerent Epiſcopi, de induciis conſilia cœperunt agitare, quæ tandem Gerhardi Stederburgenſis induſtria, legationis munus tunc obeuntis, certis equidem conditionibus datæ, non diu tamen durarunt.

An-

Anni Chriſti 1193. 1194.
Henrici VI. Reg. 4. 5. *Imp.* 3. 4.
Ab. V. C. 270. 271.

In Henricum Imp. conſpiratio. *Gobſr. Mon. p. 260. Annal. Bel. c. 114. Merſaeus cat. epiſc. Leod. p. 150. Lercl. chron. Alberic. p. 515.*

CUm turbæ in vicinia ex Henrici Leonis conatibus coortæ vix paululum conquieviſſent, novæ ſtatim lites inter Epiſcopos, & Henricum Imperatorem recruduerunt. Occaſio ſubnata ex electione Alberti Leodienſis Epiſcopi, quem Imperator non modo ex epiſcopatu ſuo ejecerat, verum etiam immiſſis percuſſoribus interfeciſſe dicebatur. Id facinus cum palam Imperatori plerique objicerent: ſtatim ad vindicandam injuſtam necem concurrebant Henricus Lovanienſis Dux, Bruno Colonienſis Archiepiſcopus, Henricus Dux Arduennæ & Limburgi, Conradus Moguntinus, aliique plures Epiſcopo imprimis ſanguinis neceſſitudine junĉti, qui inito fœdere imminebant Imperatori. Sed hic periculoſæ plenum opus alex ſubire veritus pacis conditiones obtulit certisque pollicitationibus delinitis principum animis expeditionem in Italos denuo ſuſcepit.

Henricus Leo in gratiam recipitur. *Gerhard. Stederb. p. 434. Arnold. Lubec. l. 4 c. 20 §. 4 ſ. Cranz. l. 7 metrop. c. 41 §. 12. Lunting. p. 1. l. Chron. Bunſv. p. 172. Spangenb. c. 235. p. 405. Sagittar. Gerſ. Evang. p. 55. Ab. Stad. p. 277. Cuſp. Nauclerg. l. 4. ver. Anglo. 30. Aventin. l. 7. p. 523.*

Priusquam tamen hanc expeditionem aggrederetur, in gratiam recepit Henricum Leonis filium, qui paulo ante auſpicatiſſimo matrimonio ſe junxerat Agneti, Conradi Comitis Palatini filiæ, quam peramanter Aventinus vocat Clementiam. Mira ſatorum clementia hoc conjugium coaluerat. Cum enim Philippus Franciæ Rex nuptias ejus ambiret, Agnes vero plane ab hoc Rege abhorrere ſe fateretur; abſente patre & imprudente, a matre evocatur Henricus Leonis filius, cui primitus dem deſponſa fuerat, nuptiæque feliciter conſummantur. Comes Palatinus poſtero die vocatus probavit factum, ratumque habuit, indignante licet Imperatore, & ut tabulæ ſignatæ reſcinderentur, monente. Conradus itaque ſtatim adiit Imperatorem, factum excuſat, rogatque quoniam infectum fieri nequiret, ut generum ſuum in gratiam reciperet, & amicum potius habere mallet, quem fortiſſimum adhuc inimicum eſſet expertus. Impetrata genero venia, Henricum quoque Leonem ſenio jam fatiſcentem adiit Conradus, rogatque ut ſupplex fieret Imperatori, quo tranquille exigere poſſet, quod reſtaret ætatis. Dictus huic negotio dies Salfeldiæ, quo cum Leo proficiſceretur, ab equo excuſſus in terram, crura læſit, & dolore prohibitus eſt, quo minus dicto die ſe ſiſteret. Imperator equidem initio denuo contemtum ſe exiſtimans, non parum excanduit, comperto tamen Leonis caſu ultro ipſi proceſſit obviam, multisque ultro citroque habitis colloquiis non modo eum in gratiam recepit, verum etiam Henricum juniorem Palatini honoribus decoravit, ea tamen lege, ut expeditioni Italicæ denuo intereſſet. Albertus Stadenſis quidem hæc refert in annum MCXCIV, ſed cum hoc ipſo anno Henricus Palatinus Imperatori in Italia militarit, neceſſario ſequitur, cum jam anno MCXCIII. Regi fuiſſe reconciliatum.

S. Bernwardi Canonicatus & miracula. *Chron. Hild. MSC. l. 2. c. 23. Chron. Slav. p. 423. Michael. ap. Melb. p. 519. Lexner. Chron. Hild. MSC. l. 2. c. 9. Surius tom. 6. ad diem 20. Novemb. conf. tom. 3. d. 4. Maji. Bruſch. c. 11. n. 25. p. 1049. Baron. ad ann. 1194. p. 878.*

Sequente anno cum jam in Italia veraretur Imperator, omniaque illi ad votum fluerent: ex Dania in has regiones rediit Canonicus Cincius, tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, qui poſtea ad Pontificatum evectus Honorii nomen aſſumſit. Hic cum Hildeſiæ ad cœnobium S. Michaëlis inviſeret, magnamq; hominum famam eſſe deprehenderet de miraculis a vita S. S. Bernwardo editis: autor fuit Bernoni Epiſcopo, ut quendam Romam deſtinaret, pollicitus ſe daturum operam, ut in divorum numerum referretur ſanctiſſimus præſul. Miſſus ergo Tidericus Abbas S. Michaëlis, qui cum de editis prodigiis plurima teſtimonia attuliſſet in medium, id impetravit, ut Cæleſtinus Papa in magno Cardinalium conſeſſu ſuperis eum inferret. Vnde ſubit mirari Pallatium, qui ceteros ſanctos a Cæleſtino renunciatos tanta cura collegit, ne verbo quidem hujus Bernwardi memjniſſe. Sed condonandum hoc Tranſalpino homini. Id potius miramur conſecrationem hanc a nonnullis referri in annum MCLXXXIV; cum alia omnia doceat Autor vitæ S. Bernwardi a Browero editus, ceteriqne, qui cum cura tempora hæc condiderunt. Ex hoc igitur tempore novo cultu aucta eſt hæc vicinia. Tanta enim fuit hujus novelli ſancti veneratio, ut magnus undique ex Saxonia Weſtphaliaque ad ſepulcrum ejus concurſus fieret, omnesque ſe novo beneficio auctos rediiſſe faterentur. Nec ipſam quidem urbem noſtram vani cultus fuiſſe expertem, teſtimonio eſſe poterit precandi formula, quam ex antiquo Euchologio cœnobii montis Francorum attulimus in brevi noſtra diatriba *de ſtatu Eccleſiæ Goslarienſis.* Cui nunc addimus collectam e breviario SS. Simonis & Judæ excerptam:

Deus qui nos beati Bernwardi Confeſſoris tui atque pontificis meritis & interceſſione lætificas, concede propitius, ut quæ ejus beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum &c. Amen.

Annal. Bel. c. 114. Sagittar. Gerſ. Evang. p. 55. Ab. Stad. p. 277. Cuſp. Nauclerg. l. 4. ver. Anglo. 30. Aventin. l. 7. p. 523. Brev. SS. Sim. & Jud. f. 68.

Sic magis magisque indies apud nos purior religio cœpit evaneſcere, relictoq; vero Iſraëlis fonte ad ciſternas transcurſum eſt pertuſas latebroſas & limpidioris aquæ plane expertes. Mira hujus divi recenſentur prodigia, in quibus facile eminet illud, quod Ottoni Militi de Paderborna contigiſſe ferunt, qui cum in caſtello Ravensbergenſi haberetur in vinculis, implorata S. Bernwardi ope id dicitur obtinuiſſe, ut catenæ non modo e manibus defluerent verum etiam ipſe ex altiſſimo muro in ſubjectam petram ſaltum tum nulla ſui corporis parte læſus faceret.

Vnde Hildeſiam accurens catenas voti memor ad ſepulcrum S. Bernwardi dedicavit. Sed patimur hos prodigiorum compilatores ſenſu ſuo abundare. Magnum vero hoc miraculum ideo attulimus, ut conſtet, quam fertile tunc ejusmodi narratiuncularum ſeculum fuerit. Nam apud nos quoque in capella S. Nicolai, ad cognominem urbis portam ſita, & metallifoſſorum matutinis precibus nunc dedicata, ſuſpenſæ oſtenduntur catenæ, molis ſic ſatis magnæ, quæ capti cujusdam comitis pedibus defluxiſſe dicuntur, ſimul ac per hanc urbis portam perductus S. Nicolai opem implorarit. Vnde capellam hanc deinde condiderit, & compedes in perpetuam rei memoriam in illa ſuſpendi juſſerit. En geminum miraculum! & planе ſimile ſcilicet illi, quod de Petro e vinculis ope divina ſoluto refert Lucas in Apoſtolorum actis dummodo æque certum.

Capella S. Nicol. & catenæ in illa ſuſpenſæ

Eodem anno, quo Bernwardus ſolenni ritu in numerum ſanctorum refertur, Romæ quoque fuerunt Eggehardus Præpoſitus Montis S. Georgii & Benno Canonicus Richenbergenſis de prædiis quibusdam legibus coram pontifice experturi. Res commiſſa Cincio ff. S Laurentii in Lucina & Johanni S. ff. Priſcæ presbyteris & Ægidio S. Nicolai in carcere Tullianenſi Diacono Cardinalibus. Cum tamen cauſa nimis protraheretur ex partium diverſa narratione, *Henrico Hadmerslavienſi, Ludolpho Caldenbornenſi & Gerhardo Lamſpringenſi præpoſitis in Maguntinenſi provincia conſtitutis* a Cæleſtino Pontifice demendata eſt. Diploma Cæleſtini in Richenbergenſium tabulariis conſpicuum ſatis prolixum *datum eſt Lateran.* XI. *Calend. Maji, Pontificatus Celeſtini anno quarto.*

Anni Chriſti 1195. 1196.
Henrici VI. Reg. 6, 7. Imp. 5, 6.
Ab. V.C. 272, 273.

Nova expeditio in orientē decernitur.

PArum adhuc attritæ videbantur Europæ vires tot infructuoſis in Orientem expeditionibus. Hinc novum hoc anno bellum ſacrum decretum: crux more ſolito ubique prædicata, magnus ad ſacra ſigna fit hominum concurſus. Ipſe quoq; Henricus Imperator militiæ huic intereſſe conſtituerat, niſi proceres Imperii tam longinquam peregrinationem diſſuaſiſſent. Totus igitur annus conſultationibus & apparatui belli impenſus eſt, tantusque fuit eorum numerus, qui nomina dabant, ut ultra ſexaginta hominum millia complerentur.

Henrici Leonis obitus. *Arnold. l. 4. c. 24. p. 427.*

Interea diem ſupremum obit Henricus Leo, fortiſſimus ille princeps, bello acerrimus, virtute eximius, qui ſi in Romanorum aut Græcorum republica vixiſſet, conſecratam virtutem ſuam & in Deorum numero collocatam vidiſſet. Poſtea quam enim in ipſis Paſchatos vigiliis node media repentinus eum dolor invaſerat, adeo cœpit viribus deficere, ut ad dies usque caniculares vix pedem lecto efferret. Quare cum ſe ad extrema urgeri ſentiret, vocatis ad ſe Henrico Palatino, filio, & Raceburgenſi Epiſcopo, qui a confeſſionibus ipſi fuerat, ad beatum diceſſum pie ſe compoſuit, editaque peccatorum confeſſione & non ſine lacrymis accepto carnis & ſanguinis Chriſti myſterio, ſæpius illud ingeminavit: *Deus propitius eſto mihi peccatori!* Sic Dei miſericordiæ unice confiſus ipſis Nonis Auguſti placide in Domino obdormivit, annum ætatis agens ſexageſimum ſextum. Corporis exuviis, in æde San-blaſiana conditis, hoc leſſu poſt Ottonis Imperatoris funera parentatum eſt:

Gerh. Sted. p. 435. ſq. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 173. Spang. c. 236. Chr. Sax. p. 445 Sagittar. p. 56. 57. origg. Brunſv. Melbert. ad Gerh. Sted. l. c. Petr. Viſſelb. Coron. Huxar. p. 51.

Hic jacet Henricus, quondam Dux, conditor hujus
Eccleſiæ, dignus nobilitate, pius.
Moribus ornata ſibi conjux eſt ſociata,
Pauperibus larga, ſimplicitate bona;
Inclyta Mathildis, Anglorum filia regis,
Nutriat angelicis hos Deus ipſe cibis.
Adjacet, optatus rex, horum ſanguine natus,
Otto, coronatus, vermibus eſca datus.
Hujus erat ſponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis, ante roſa.
Qui legis hæc metra, memor horum ſis peto: penſa;
Quid caro, quid vita, quid res, niſi mors, cinis, umbra?

Schurtzf. diſſ. de Henr. Leone p. 15 Alberic. p. 335. Chron. Chron. Magn. Belg. ap. Piſt.

Sic demum fortunæ ludibrio ſe ſubtraxit optimus princeps, & Schurzfleiſchii judicio imperio auguſto dignus, niſi Ænobarbus imperaſſet. Quamobrem etiam Fridericus Imperator, cum primum in Italiam tenderent, in frequenti procerum Germaniæ ſenatu legem tulerat, ut ſi forte extingueretur Wibelingiadum familia, imperium transferretur in Henricum Leonem, Guelphum.

Sequente anno multitudo cruce ſignata cui plures quoque optimates ſe adjunxerant, per Italiam facto itinere in Siciliam tranſiit, conſcenſisque navibus felici navigatione curſum in Orientem direxit; belli ſumma demendata Henrico Lotharingiæ Duci & Henrico Leonis filio Comiti Palatino. Crucem tunc cum aliis quoq; ſuſcepit Conradus, Imperatoris Cancellarius, qui paulo ante quam peregre abiret, Hildeſienſibus datus eſt Epiſcopus. Quamvis enim vulgo Bernonis obitus referatur in annum MCXCVIII, facile tamen apparet, faſtos quosdam Hildeſienſes in eo fallere, ac non niſi conjectura niti. Profertur enim a Miræo Henrici VI. Imperatoris diploma, quo Comitatus Velvæ Balduino Ultrajectino Epiſcopo anno MCXCVI. confirmatur, ubi in recognitione Conradus Cancellarius ſe vocat Hillenſemenſem Electum, quid quod hoc nomen illum ſibi jam anno MCXCV. tribuiſſe conſtat ex diplomate Ichtershuſano. Originem non nullorum

Conrad' Hildeſ. Epiſc. creatur. Cranz. l. 7 metrop. c. 17 p. 71. Rentel. Chron. Hillesh. p. 91. Mul. linckr. de Archic. & cancell. Imp. p. 81. Miræus. l. 2. c. 57. dipl. & Not. c. 159. dipl. Henr VI. ap. clear. Syntr. rer. Thur. p. 191. ſqq.

nullorum sententia Ravensburgicis Comitibus debuit, alii Reinsteinensem nobilem e Franconia faciunt; Arnoldus denique Burggravii Magdeburgensis fratrem vocat. Cranzii judicio vir fuit tam literatus & facundus, ut non modo plurimarum ecclesiarum albo esset adscriptus, verum etiam Henrico VI. & Philippo Imperatoribus a sacris seriniis fuerit. Ab Henrico VI. plurimis honoribus affectus & in Siciliam quoque legatus missus est, ex qua epistolam rescripsit ad Arnoldum Lubecensem, quam hic operi suo intexuit. An autem Lubecensi quoque Episcopatui praefuerit antequam ad Hildesiensem promoveretur, ceu plurimi testantur, dicto dubitare videtur celeberrimus Paulini. Sed nisi fallor hic idem est ille Conradus II. quem confirmatum quidem ab Archiepiscopo Bremensi, nunquam tamen consecratum in Episcopum Lubecensem scribit Albertus Crummendyckius. Eodem sane elogio ibi mactatur, quo eum insignivit Cranzius, nec temporis ratio obstat, quo minus eundem putemus. In peregrinatione Orientali primas fere semper tenuit partes, dignus quoque habitus, qui Cypri Regi diadema Imperatoris nomine imponeret. Posteaquam in Germaniam reversus est, omnia invenit ex schismate turbata, cumque ipse quoque cum Philippo contra Pontificem staret: oppositus illi est Hartbertus, ipse vero novo episcopatui Herbipolitano admotus fuit ope Philippi Regis, sed quando id factum sit, denuo ignorant quidam Hildesiensium annales. Plerique sequuntur Bruschium, eumque Herbipolim abiisse existimant anno MCXCVIII. Sed id de electione tantum accipiendum videtur: quemadmodum & Hartbertum tunc electum constat: attamen anno MCXCIX. eum adhuc Hildesiensi Ecclesiae praefuisse, docet diploma Philippi Regis Adelberto Archiepiscopo Salisburgensi hoc anno concessum, & ab Hundio prolatum, quod Conradus hac formula recognovit: *Conradus Hildesheimensis Episcopus, Erbipolensis electus, Imperialis aulae Cancellarius vice Domini Chunradi Maguntini Archiepiscopi, totius Germaniae Archicancellarii recognovit.* Quo titulo eodem anno usus est in diplomate Philippi Hartvvico Bremensi Archiepiscopo concesso. Quamvis enim Pontificis jussu obtrusus esset Hartbertus, sedem tamen hanc suam Conradus ad annum MCIC. obtinuit, quo ad Herbipolitanos demum transiit. Sed haec suo loco uberius. Patet vero ex his quantum non dicam spicilegium, sed messis supersit ei, qui Hildesiensem Historiam cum cura aggredi studuerit. Tanta enim oscitantia vulgatorum chronicorum apparet, ut non male quis operam videretur locaturus, si hujus splendidi Episcopatus annales paulo majori industria conderet. Quod praestiturum in Originibus suis Hildesiensibus D. Conradum Bertoldum Behrens & spe-

Arnold. Lubec. l. 7. c. 2 p. 502.

l. 3. c. 4. c. 19. p. 42. Cranz. l. 7 Sax. c. 23. p. 79. Paul. not. ad Reuer. Comm. Hildesh. p. 91. Syn. Chron. Cruc. ad Chron. Sp. Lubec. ap. Meibom. p. 396. tom. 2. rer. Germ.

Cranz. l. c. c. 20. p. 179. sq.

Spangenb. c. 28. Chron. Henrici. p. 103.

Hund. metrop. Salisb. tom. 1. p. 79

Paulin. l. c. p. 92.

ramur omnino, & desiderii igniculos vix ferimus. Quoniam tamen Goslariae quoque nostrae sacra Episcoporum istorum curae olim demandata fuerunt, nec parum historiae Goslariensi res illorum implicantur, non extra oleas vagatus mihi videor, quod aliquando Hildesiensium quoque res gestas licet parca manu huic operi insperserim.

Annus Christi 1197.
Henrici. VI. Reg. 8. Imp. 7.
Ab V. C. 274.

FEliciter adhuc processerat sacrum in Palaestina bellum: Christiani enim, simul ac Palaestinam attigissent, exercitu Tyrum usque extenso, crebris praeliis Saphadini vires attriverunt, Sidonem, Sareptam, Berytum felici Marte expugnarunt, tantaque virtute obstiterunt Saracenis, ut parum abessent a recuperanda Hierosolyma. Nec Goslariensium nostrorum fortitudo in illa expeditione desiderata est. Scilicet erat castellum Chorutum [ita Arnoldo, Spangenb. vero Berytum vocat] in praerupta petra praemunitum, quod valido praesidio firmaverant Saraceni. Hujus obtidio cum paulo segnius procederet omniaque adhibita tormenta frustranea essent, adhibiti ab Henrico Palatino sunt Goslariensis metalli fossores, qui, actis per medullas petrae cuniculis, muros subruerunt, atque obsidentibus faciliorem reddidere accessum. En ipsa Arnoldi verba: *Quia locus ille praeruptus erat nimis, & quasi inaccessibilis, novum genus expugnandi, hostibus vero omnino incognitum, sunt aggressi. Fuerunt sane ibi nonnulli de Saxonia, quibus erat notum, qua arte excavatur mons argentarius, qui apud Goslariam multis est cognitus. Multo igitur labore, expensaque plurima opus illud aggressum est; praefectis quidem operi vigilantibus insistentibus, cooperantibus vero castrorum in gyrum reciproca vice sese alternantibus. Cumque tali arte montem cavarent, appositoque igne prout libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti nesciebant, quid agerent, dum castrum subrui quasi sine tormento murorum viderent.*

Metallifossorum Goslariensium in bello sacro opera.

Arnold. l. 5. c. 4. p. 443. Spangenb. Chron. Sax. c. 237 p. 409. Henrici Lothar. in gici epist. ad Archiep. Colon. ap. Godofr. Monach. p. 263. Cranz. l. 7 Sax. c. 11. p. 151. Meib. diss. de metallif. Hartz. §. 33.

Praeterea inter principes viros, qui huic expeditioni intererant, nomen quoq; professus fuerat Wilhelmus, Ecclesiae SS. Simonis & Judae praepositus, vir prudentissimus, quique cum natalium splendore parem conjunxerat divinarum humanarumque rerum scientiam. Originem referebat ad illustrissimorum Querfordiensium comitum gentem, patre usus Burchardo Burggravio, qui cum filium jam dudum sacris studiis devovisset, nullamque ecclesiam bonarum artium studiis aeque florere animadverteret, ac Goslariensem nostram, non dubitavit eum scholis his tradere. Nec fefellit parentem spes de filio concepta. Adeo enim cito hic con-

Wilhelmus Praep. Goslariensis.

Spangenb. Chron. Querfurt. c. 4. conf. Chron. Sax. c. 237 p. 409. Henning. th. geneal. monarch. 4. Regn. 2. & 3. part. 2 p. 94.

condiſcipulos ſuos cœpit eruditione anteire, ut præ ceteris dignus ſit habitus, qui eccleſiæ huic præficeretur. Placet hic audire Spangenbergium qui præclaro elogio hanc eccleſiam mactat: Wie ich zuvor gedacht / ſo iſt es eine guthe gewohnheit für alters bei groſen Herrn geweſen / daß ſie ihre Kinder nicht allein zu Kriegs-übungen gewöhnet / ſondern deren etliche auch ſtudiren laſſen / damit man beide zum Chriſtenthum und weltlichen Regiment jederzeit düchtige Leute haben möchte. Weil nun das Collegium oder Stifft. Simonis und Judæ zu Goßlar dazumal für allen andern den ruhm und nahmen gehabt / daß darinnen die gelehrteſte Leute erzogen würden / hat Burggraff Burckhardt / ſeinen Sohn Wilhelmum auch dahin zur Lehre gethan / der ſich daſelbſt alſo gehalten / daß er endlich Thum-Propſt worden. Er iſt anno 1197. mit Käiſer Heinrichen in der groſe Heerfahrt nach den gelobten Lande gezogen etc. Fallit in ultimis Spangenbergius, nam nec ipſe Henricus Imp. interfuit expeditioni, nec anno 1197. demum illa eſt ſuſcepta, quippe qui Imperatori emortualis fuit. Ceterum Wilhelmum hunc cum Gebhardo fratre, hujus expeditionis ſocietatem petiiſſe, docet etiam in Chronico Saxonico, utinam vero autores, quibus ſua debet, diligentius laudaſſet.

Henricꝰ Imp. moritur. *Chron. Auguſt. p. 364. Godofr. Monach. p. 262. Collenut. l. 3. hiſt. Neapolit. p. 110. Ab. Stad. p. 297. Martin. Polon. p. 375. Engelh. Chron. p. 242.*

Sed ſpes de felici hujus ſacri belli ſucceſſu conceptas eluſit fortuna, aut ut rectius dicamus divina providentia. Nam Henricus Imperator, qui hoc anno in Italia verſabatur, Siciliæque tumultibus compeſcendis dabat operam, repentino morbo oppreſſus, die S. Michaëlis Meſſanæ exſpiravit. Cujus morte in Oriente pervulgata, ſtatim principes pertæſi longinquæ militiæ ſignis ſe paulatim ſubduxerunt, & in Germaniam redierunt, quos deinde gregarius etiam miles ſecutus miſionem ſibi ipſi conceſſit. Quod non mirum eſt de hominibus ut Conradus Vrſpergenſis vocat, *bellicoſis, crudelibus expenſaram prodigis, rationis expertibus, voluntatem pro jure habentibus, enſibus invictis, in nullis niſi in hominibus ſuæ gentis confidentibus.* Plerique qui hujus Imperatoris mortem memorant, de accepto veneno ſuſpicionem ſolent injicere. Quanquam parum diſtinxit Henricos Engelhuſius, qui illum veneno in hoſtia ſacra per Siculum quendam in caſtello Boncovent intoxicatum ſcribit. Ab his diverſi alii venatione intemperata ſibi morbum contraxiſſe ferunt. Sed non mirum ſi veneno periit: Tantum enim ſua ſeveritate odium apud Italos ſibi contraxerat, ut vulgo *Tyrannus* & *Aſper* audiret. Et modum ſane ſumendis ſuppliciis exceſſit. Cum enim Conſtantiæ Imperatricis amores pateſcerent, tanta crudelitate uſus eſt in reos, ut Jordanem comitem ignito ſedili impoſitum corona candente exurere, alios per compita tractos pedibus ſuſpendere, alios cute nuda-

Abb Vrſp. p. 304. ſq.

re, alios in terra ad pectus usque defodere, alios lento igne uſtulare juberet. Noluerunt ergo Siculi eum diutius metuere, quem adhuc odio Vatiniano ſuerant proſecuti. Nec Goslariæ noſtræ ſub vitæ Goslari. extrema ſatis bene cupivit. Cum enim enſes ob Walckenredenſibus cœnobitis inſigne jurgat. conceſsiſſet privilegium, quo Goslariæ *Ekſtorm.* aliisque locis a teloneo eos volebat libe- *p. 57.* ros eſſe, Goslarienſes vero, vectigal ab *Chron.* illis exegiſſent: magnopere exarſit Impe- *Walckenr.* rator, datisque ex itinere Italico literis, graviter Goslarienſes objurgavit, & ſerio interdixit, ne deinceps ejusmodi quid tentarent, niſi gratia ſua velint excidere, ut auctor eſt Ecſtormius in Chronico Walckenredenſi.

Eodem diplomate, quo Walckenredenſes à portorii ſolutione abſolvit Impe- Otto Comes Woldenſtein Walkenredenſium Goslariæ advocatus. *Ekſtorm. l. c. Lezn. Hild. Chron. MSC. c. 19*
rator, advocatum quoque iis dederat Ottonem Woldenbergenſem, Burchardi Woldenſteinenſis filium, quem ſupra etiam in ſtemmate horum comitum dedimus. Hic vero vel hoc laltim notandum duxi, Leznerum hunc Ottonem non ſimpliciter Advocatum Walckenredenſem, vocare, ut facit Ekſtormius, ſed Advocatum tantum ſuper illa bona, quæ Walkenredenſes Goslariæ poſſederunt.

Annus Chriſti 1198.
Ottonis IV. & Philippi Reg. I.
Ab V. C. 275.

Henricꝰ VI. Fridericum filium ſucceſſorem dixit, eique tutorem dedit Philippum Fratrem, Thuſciæ Sveviæque Ducem, apud quem & inſignia Imperii, more majorum, tantiſper depoſuit, donec Fridericus per ætatem gubernaculis Imperii admoveri poſſet.

QUo lætior Siculis erat Henrici Imperatoris occaſus, eo luctuoſior extitit Germaniæ, quæ jam in novas turbas ſe conjectam ſentiebat. Nec Goslaria noſtra ſiccis oculis rumorem hunc excepit, ſucceſſo- præſagiens ſcilicet, quæ tempeſtas ſibi rem quoque immineret. Reliquerat Henricus dixit. filiolum unicum, Fridericum, quem ut eo *Chron.* certiorem ſucceſſorem haberet, multis ac *Magn.* profuſis largitionibus magnisque pollici- *Belg. p. 205* tationibus eo principes adduxerat, ut *Gobelin.* dimiſſis electionis juribus, eam ſuccedendi *Perſon.* rationem revocare decernerent, quæ jus *ætat. 6.* primi acquirentis ad liberos poſterosque *c. 61. p. 275* ſexu habiles transmittit. Verum quam- *Epit.* vis jam ultra LII. Germaniæ proceres *Blond.* haberet ſibi conſentientes, graviter tamen *Decad. 2.* repugnarunt Saxones, interprete inprimis *l. 6. p. 164.* uſi Bernhardo Saxoniæ Duce, adeo ut *Pallat.* Imperator horum odia veritus juramento, *tom. 2. de* quod filiolo dixerant, eos exolvere, libe- *geſt. pont.* ramque permittere facultatem eligendi *p. 271.* quem vellent, ſit coactus. Nihilominus tamen animam jam agens, teſtamento filium quadriennem ſucceſſorem dixit, eique tutorem dedit Philippum Fratrem, Thuſciæ Sveviæque Ducem, apud quem & inſignia Imperii, more majorum, tantiſper depoſuit, donec Fridericus per ætatem gubernaculis Imperii admoveri poſſet.

Philip-

Philippi electio cur Papę diſplicuerit. *Arn. Lub. l. 5. c. 5. p. 435. ſq. Otto de S. Blaſio. c. 46. p. 225. * Uſperg. vero p. 307 hanc Mulhuſinum conſtitum confundit cum Erphordienſi Alberic. p. 458. Paulin. annal. Iſenac. p. 32. Auct. de Landgr. Thur. p. 921. Vito Duran. Chron. ab illuſtr. Leibnit. edit. p. 5. Abb. Urſp. p. 305. Conf. Cuſpin. Bigaug. p. 267. ſq. Coron. Carion. l. 4. p. 631.*

Philippus hoc auctus honore in Germaniam cum regni inſignibus properat, principes datæ Friderico fidei admonet, multoque erogato auro eos, quos ſibi iniquiores exiſtimabat, corrumpit, remque eo deducit, ut principes Saxoniæ indicto Mulhuſi (alii Ichtershuſam ſubſtituunt) * conventu, faſces ad Philippum hunc ſub Tutoris nomine devolverent. Sed minus id placebat Innocentio pontifici, qui modis omnibus prohibere auſus eſt, quo minus Imperii ſummi dignitas in Hohenſtauffia gente continuaretur, *quam progeniem non amabat Pontifex*, ut loquitur Alboricus. Cauſa tanti odii ſuboluiſſe videtur Vito Durano, qui ita differit: *Ratio autem movens papam ad hoc faciendum fuit hæc videlicet. Quod Henricus per venenum noviter extinctus contra eccleſiam Romanam in vita ſua tyrannidem exercuit. Ideo eo mortuo Papa iſte, ne Frater ejus Philippus Francorum rex Alemanniæ in regnum ſchismate promoveretur, ſe oppoſuit, & Othoni adhæſit, & eum Aquigrani in regem Alemanniæ fecit coronari.* Nec minus oculatus hac in re fuit Conradus Urſpergenſis: *Innocentius*, inquiens, *Papa tertius tunc de novo in ſede apoſtolica ſublimatus, omni ſtudio cœpit adverſari itidem. Hoc agens, ut ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis Imperialis poſſet aſcendere, improperans ei, quæ frater ſuus & parentes crudeliter peregerant, quæ tamen multa nequitia hominum impulſi creduntur peregiſſe, in quo ſalva reverentia ſedis apoſtolicæ non videtur ſecundum æquitatem judicaſſe, cum Dominus teſtetur per prophetam, quod nec peccata parentum filiis imputentur, quanto minus peccata fratrũ aut aliorum propinquorum.* Hæc Abbas Urſpergenſis, vir prudentiſſimus, & ſchismatici cognomine ideo mactatus a Pallatio. Scilicet diuturna experientia fuerat compertum, tanto animo in retinendis Imperii juribus pollere Hohenſtauffiam gentem, ut ipſa potius perire mallet, quam tantam quævis audendi licentiam pontificibus concedere. Documenta extabant Conradi, Friderici Ænobarbi & Henrici VI. qui omnes inſuper habitis excommunicationis pontificiæ minis Imperii majeſtatem egregie defenderant. Nec eorum ſuique diſſimilem fore Philippum ſpes erat, qui jam tum fratris cauſam agens excommunicationis fulmen a Cæleſtino animo plane imperterrito ſuſtinuerat. Hinc ſcrupulum hunc ex animo ſibi putabat evelli oportere pontifex. Hinc manibus pedibusque obnixe omnia faciebat, ne Philippus ad Imperium adſpiraret, palam profeſſus, *aut Philippum ſibi pontificalia, aut ſe Philippo Imperii inſignia ereptum.*

Abb. Urſp. p. 305.

Principes de alio eligendo cogitant

Quoniam igitur jam tum mos ille depravatus invaluerat, ut pontifices, relicta animarum cura, primas in republica partes affectarent, Cæſarumque electiones ſuo temperarent arbitrio: Innocentius quoque eandem viam trivit, miſſisq; in Germaniam legatis palam edixit, minus ſibi probari Philippi electionem, jubere ſe ut acta reſcinderentur, aliusque eligeretur *Deo dignior*, niſi ab eccleſia vellent ſegregari. Paruerunt illico Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus aliique ex Saxonia inprimis & Weſtphalia præſules, qui & ipſi quoque Suevorum in vindicandis Imperii juribus ſeveritatem perosi ad alium transferri ſummam rerum malebant, Imprimis ſperabant facilius ſe novo Regi extorſuros jus exuviarum, quod tanta animi magnitudine adhuc ſibi aſſeruerint prognati ex Hohenſtauffia gente Imperatores. Indictis itaque Andernaci comitiis in medium conſulebant, resque alias ex aliis cogitando, modo hunc, modo illum offerebant, cujus ratio haberetur. Sed conſilia in præſens diſturbarunt Philippi legati, qui intercedebant, multisque intenſis minis poſtulabant, ne quid contra datam Friderico fidem ſtatuerent. Re infecta igitur tunc equidem diſceſſum, novus tamen conventus in dominicam Oculi Coloniam indictus eſt.

Godefr. Monach. p. 263. Otto de S. Blaſio. l. c. Abb. Urſp. l. c.

Philippo rerum ſuarum ſatagit. *Chron. Mont. Ser. p. 66. Urſp. l. c. * Spang. c. 238. Chron. Sax. p. 410. Mulhuſinum conventum Erphordienſi poſteriorem ſtatuit.*

Interea nec Philippus ſibi defuit, eodemque tempore, quo Coloniam alterius factionis principes confluebant ipſe quoque comitiis Erphordiam indictis [Vrſpergenſis Mulhuſum ſubſtituit*] res ſuas firmavit, idque obtinuit, ut ſolenni ritu Rex crearetur. Quo comperto miſſus Colonia Hermannus Monaſterienſis Epiſcopus, qui negotio intercederet, nec ſe abſentibus quicquam decerni permitteret. Sed fruſtra illi erant, nam antequam Monaſterienſis accederet, facta transacta omnia. Hinc indignati ceteri principes, Coloniæ elegere Bertoldum, Zaringenſem ducem, principem opulentum quidem, ſed ad rem attentiorem & ſubtimidum, qui tamen paulo poſt ad Philippi partes tranſiit, ſive pecunia corruptus, ſive quod præſagiret animus, qui fluctus ſibi immineren t. Abbas ſane Vrſpergenſis nihil de corrupto Bertholdo: id tamen non diſſimulat, eum quod diffidere cœpiſſet de expenſis ad obtinendum Imperium neceſſariis, cum Philippo rediiſſe in gratiam *& accepiſſe ab eo beneficia, quæ ſibi conferre curaverit, & hominium ille feciſſe & dediſſe vades.* Patet ergo, magnopere tunc in partes diſceſſiſſe ſcriptores, aliis Philippi, hoc eſt, reipublicæ, aliis Pontificis cauſam tueri nitentibus.

Ottoli V coronatur.

Simul ac reſcierent principes, Berthol. dum ex ignavia imperium ſibi oblatum repudiaſſe, ſtatim cœperunt rationem habere Ottonis, Henrici Leonis filii, quem tunc Pictavienſi Comitatu a Richardo avunculo auctum tradunt annales: quamvis alii plane eum Aquitaniæ ducatu ornatum malint. Hunc ex Anglia evocatum & honorifice Coloniam deductum Regem ſalutant, officia ſua & obſequium pollicentur, & electionem memoriæ con-

secrant numo , cujus inſcriptionem Meibomius , typum hunc profert Frecherus:

Meibom. diſſ. Apol. Ottom. p. 120. tom 3. rer. Germ. M. Freh. tom. 1. rer. Germ. p. 264. vid. laletre ſur la Connexion des Maiſons de Brunſv & d' Eſte. ap. Tenz. dial. menſtr. p. 156. ann. 1696.

Non videbimur actum agere ſi paulo accuratius hic in cauſas inquiſiverimus, quamobrem Ottonem hunc potiſſimum Philippo opponendum putarint, cum id a Doctiſſimo Meibomio videam prætermiſſum. Primo ergo id veluti firmum præſuppoſimus, in electione novi Imperatoris id principes inprimis ſpectaſſe, ut talem eligerent, qui in Pontificem totumq; clericorum ordinem videretur propenſior. Cum enim Philippum non alia de cauſa rejecerint, quam quod Hohenſtauffius eſſet, hoc eſt, Imperii jurium ſervantior, a pontificumque ambitione alienior; veriſimile plane eſt, illos cum deligi voluiſſe, qui malæ huic cauſæ addictior videretur. Hinc ſimul ac Coloniæ ſolenni ritu eſſet inunctus, literis ad pontificem datis Ottonis virtutes collaudabant, *eſſe* nimirum hunc principem *Chriſtiane fidei cultorem devotiſſimum, atque S. Romanæ eccleſiæ Advocatum & defenſorem fideliſſimum, qui primitias hujus honoris offerens Domino; propria voluntate juramentoque firmaverit, inprimis S. Romanæ eccleſiæ, deinde omnium eccleſiarum jura bona fide ſervare ac manutenere, pravam inſuper illam conſuetudinem, quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebus mobilibus, vel ſeſe moventibus decedentium Epiſcoporum, vel Abbatum Principum hucusque ſervaſſent, penitus extirpare, ac eccleſiaſticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimittere, & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſervanda liberaliter ſtatuiſſe*: Ad cœlum præterea ferunt *merita illuſtriſſimi patris ejus II. Ducis Saxoniæ, qui ab obſequio Romanæ eccleſiæ nunquam receſſerit.* His literis jam olim a Baronio, Miræo & Meibomio editis, verum ex ipſo Romano archivo denuo integrius, ut ait Schatenius, & emendatius a Ferdinando Paderbornenſi Epiſcopo prolatis hac formula ſubſcripſere Principes Ottoni addicti.

*Baron. annal. ad h. ann. Meibom. apol. Otton. IV. p. 119. Schaten. p. 967. l. 9. annal. Paderb. * al. Tudenſis Abbas Notanda & in ceteris differentia.*

†. *Ego Adolfus Colonienſis Archiepiſcopus elegi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Gerhardus Inden.* Abbas elegi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Herebertus Werdin. Abbas elegi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperii elegi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Henricus comes de Kucke conſenſi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Bernhardus Paderburnenſis Epiſcopus elegi & ſubſcripſi.*

†. *Ego Thietmarus Mindenſis Epiſcopus elegi & conſecrationi cooperatus ſui.*

†. *Ego Widekindus Corbeienſis Abbas elegi & ſubſcripſi.*

Eadem in ſingulari epiſtola repetit Adolphus Colonienſis, quam itidem ex Romano archivo protulit Ferdinandus Epiſcopus, ubi & hoc addit *conſiderandæ eſſe merita Patris ejus ac fratris Palatini, Regisque Angliæ avunculi ejus, qui a ſervitio & unitate eccleſiæ nunquam ſeparati fuerint, nec deſimulandas injurias Ducis Sveviæ Patris ac fratris ejus.* Denique Pontifex in reſponſoriis ad Adolphum Colonienſem profitetur, *ſe ad honorem & profectum Ottonis libenter & efficaciter, quantum cum Deo poſſit, intendere, ſperantem, quod ipſe ſicut catholicus princeps in devotione, quam progenitores ipſius circa Romanam ſedem habuerunt, non ſolum ſiſtere, ſed perficere cum honoris augmento curaturus ſit.* Satis ſuum animum hic prodere videntur principes Ottoni faventes, cum nimirum a ſe optari Imperatorem qui amicior eſſet ſedi Romanæ, quam adhuc fuerint Hohenſtauffii. Cujus egregium ſpecimen dare coactus eſt, antequam ad inaugurationem admitteretur. Siquidem exuviarum jura dimittere eum oportuit, quæ ſola adhuc ferme reliqua Imperatoribus permanſerant. Deinde ipſa Guelphorum gens magis placebat Papæ, quam Hohenſtauffiorum, quod ſciret eos ab his nimium vexatos, nullam prætermiſſuros occaſionem vindicandi injurias: unde ſperabat ea occaſione facile ſe ſciſſam in partes Germaniam oppreſſurum. Hinc Pontanus: *Ottoni*, inquit, *præter ceteros favebat Romanus Pontifex, charismque habebat ob militare ingenium, quod Italicis bellis Pallat. ſæpenumero oſtentarat, Philippo infeſtus.* Denique vel maxime Principibus animos videretur addidiſſe potentiſſimi Anglorum Regis cognatio, qua ſubnixus Otto omnium optime Imperium adverſus tam potentem æmulum ſuſtinere poſſe videbatur. Hæc pontificis, hæc reliquorum Ottoni hærentium Epiſcoporum erant conſilia: quæ ſatis aperte tum ſupra allegatæ literæ, tum illorum temporum hiſtorici prodiderunt. Sed qui judicandi facultate vel mediocri pollet, ex rei eventu deprehendet, ſapientiſſimam Dei providentiam, qua factum eſt, ut malum conſilium conſultori peſſimum exiſteret. Nam & Philippi cauſa triumphavit, qui a tuendis Imperii juribus nunquam potuit deduci, & Otto quoque ſimul ac Imperio quieto eſſet potitus, tanto animo Pontificum impotenti dominandi libidini ſe oppoſuit, ut omnem pontificis gratiam amitteret.

Pontan. l. 6. hiſt. Geld. p. 119. Pallat. tom. 2. de geſt. pont. p. 722.

Interea dum ſic in diverſas factiones diſtrahitur res publica, animi quoque procerum in dubio fluctuarunt. Pauci initio hærebant Ottoni: plures cum Philippo ſenti-

Plurimi proceres cum Philippo faciunt.

Litera Philippo favent. inprincip. ad Innocent. ap. Schaten. p. 919. part. 2. Meibom. l. c. p. 116. ſq.

ſentiebant, inprimis illi, qui Henrici Leonis provincias occupaverant; rati id quod res eſt, minus ſe firmo dominatu fruituros, ſi Otto rerum potiretur. His ſeſe junxerant plerique ſuperioris Germaniæ Epiſcopi atque Principes, qui nominatim cum ceteris recenſentur in literis ad Innocentium pro Philippo datis, veluti Magdeburgenſis, Treverenſis, Biſuntinus Archiepiſcopi, Ratisbonenſis, Friſingenſis, Auguſtenſis, Conſtantienſis, Eiſtedenſis, Wormatienſis, Spirenſis, Brixienſis, Ildesheimenſis, Epiſcopi, Fuldenſis, Hersveldenſis Tegernſeenſis & Elwacenſis Abbates, Boëmiæ Rex, Saxoniæ, Bawariæ, Auſtriæ, Merauiæ & Lotharingiæ Duces, Miſſenenſis, Brandenburgenſis, Moraviæ & Rumesbergenſis Marchiones. Sed & urbes, ut ſolet fieri diſſidium hoc diſtraxit in partes, aliis quippe Ottoni, aliis Philippo faventibus. Goslaria noſtra, ſive quod potentiori parti addicere ſe mallet, ſive quod cauſæ bonitatem perſpiceret, ſive quod clades ab Henrico Leone ſibi illatas nondum ex animo deleviſſet, pro Philippo conſtantius ſaciebat, ejusque cauſæ non parum roboris addebat. Cum enim tunc nondum mos ille bellandi invaluiſſet, qui nunc validiſſima quævis munimenta perfringit, tam erat civitas noſtra turribus ſuis & vallis ſecura, ut toties obſeſſa, occupari nunquam potuerit, ſed ſtratagematibus tantum circumveniri.

Philippi & Ottonis prælium. Godefr. Monach. p. 214.

Tot principum benevolentia firmatus Philippus cum inſtructiſſimo exercitu ſecundo Rheno ad Moſellam pergit; quo cum ſe inprimis peti animadverteret Adolphus Colonienſis, ſtatim cum Ottone Philippo ſe objecit, & ex altera Moſellæ ripa locatis caſtris tranſitu illum prohibere auſus eſt. Diu magna animorum pertinacia certatum eſt, donec nox eos dirimeret. In fugam tamen ſe dedere Ottoniani, quibus id inprimis curæ cordique erat, ut Coloniam caſtrorum ſuorum objectu firmarent. Hinc Philippus circumjacentibus agris ubique devaſtatis, Bunna quoque & Regiomago & Andernaco incenſis exercitum in ſuperiorem Germaniam reduxit.

Goslaria ab Ottone obſeſſa. Godefr. Monach. p. 215.

Hinc Otto quoque, urbibus valido præſidio munitis, cum parte exercitus in Saxoniam receſſit, nulli gravior, quam viciniæ noſtræ, quam totam cum Philippo ſentire reperiebat. Primum ergo arma in Goslariam vertit, quam tam arcta obſidione incinxit, ut periculum eſſet, ne illam interciperet. Sed cum cives mira virtute ſeſe defenderent, Philippus quoque cum copiis ſuis ſuperveniret, vergente in hyemem anno obſidio ſoluta viæque tantum, ut commeatu prohiberentur cives occluſæ ſunt.

Hildesheimenſes turbæ,

Gravius conſultum in Conradum Epiſcopum Hildeſienſem & Philippi Cancellarium, quem, quia Philippo videbatur amicior, Otto diœceſi ſua expellere auſus eſt. Subrogatur illi Herbertus, ſeu Hartbertus equeſtri familia Barveltiorum progenatus, eccleſiæ majoris primum Cantor, deinde Præpoſitus. Hæc res dici non poteſt in quam exitiales turbas totam diœceſin conjecerit. Conradum tuebatur Philippus, adhærebat totus equeſtris ordo, cui Hartbertus, neſcio qua de cauſa maxime erat inviſus. Huic vero favebat Otto, qui eum in literis Brunſvigæ conceſſis jam hoc anno Hildeſienſem Epiſcopum vocavit, quamquam nondum renunciaſſet Conradus, favebat Pontifex Romanus, excommunicationis fulmen interminatus equitibus niſi Hartbertum quiete ſacerdotio ſuo fungi permitterent, unde & maximam Cleri partem Hartberti cauſæ faviſſe veriſimile eſt. Sic in eadem eccleſia clerus cum clero, plebs cum plebe, monachi denique cum monachis colliſi ſumma omnia miſcuere imis, atque adeo totam diœceſin affixere, ut vix unquam in hac vicinia funeſtiora humana poſſet memoria recordari.

Behrens epiſcopat. præpoſ. Hildes. p. 5. Chron. Hildes. Ep. MSC. cap.

Annus Chriſti 1199.

Ottonis IV. & Philippi Reg. 2.

Ab. V. C. 276.

Bellum in vicinia noſtra geritur. Cornel. Brev. Fuldens. p. 436. Cranz. l. 7. c. 16. Sax. p. 184 Bunting. Part. 1. Chron. Brunſv. p. 177. ſq. Spangenb c. 238. p. 411. Meibom. Chron. Riddagsh p. 350. tom. 3. rer. Germ.

Simul ac novus annus illuxit utraque pars denuo ad arma concurrere cœpit. Philippus, Adolpho Colonienſi inprimis imminens, habito prius Fuldæ cum principibus conſilio, totam Vbiorum provinciam crebris excurſionibus afflixit: Otto in premenda urbe noſtra adhuc hærebat: tanta eam fame urgens, ut non longe a deditione abeſſet. Philippus itaque cum ingenti exercitu Saxoniam ingreſſus, copiisque Magdeburgenſis Archiepiſcopi ſe jungens, urbem noſtram diuturna obſidione liberat, Helmſtadienſem Abbatem, qui ab Ottonis partibus ſtabat, in ordinem cogit, tantoque terrore omnia percellit, ut prælii aleam ſubire Otto non auderet. Hinc totis viribus Goslariæ noſtræ contractis Brunſvicum gravi obſidione preſſit. Sed urbi ſaluti fuit, quod Henricus Palatinus, princeps omnibus belli artibus inſignis, eam tuendam ſuſcepiſſet. Hujus enim præſentia erecti cives præſidiariique milites, fortiter pro patria dimicarunt, & principes quoque nonnulli, quod Henricum hunc amplius oppugnare nollent, Philippi caſtra reliquere. Vnde Philippus ſolvere obſidionem & re infecta diſcedere eſt coactus. Faceſſant itaque, qui fabellam de D. Auctore Brunſvicenſium olim Patrono inculcant: ejusque ope hoſtem ab urbis obſidione abductum commemorant. Solebat enim nimis credula illa ætas quidvis divorum opi tribuere, quaſi homines ullum beneficium alii, præterquam Deo deberent.

Soluta obſidione Philippus Goslariam Conradus Hildeſiæ deſidus Hilin hyberna conceſſit. Interea vero Hil- deſien.

Ep. Her-bipolim abit. *Schaten. lib. 9. p 925. annal. Paderb. Spangenb. c. 238. Chron. Sax. p. 411. & Chron. Henneb. l. 2. c. 26. p. 103. Reutel. p. 91. sq. Chron. Hildesh. Buntingi. chron. Brunsv. part. 1. p. 177. sqq.*

Hildesiæ non minus, quam Brunsuici turbida omnia ac tristia fuere. Cum enim Philippo in Saxoniæ partibus degente Conradus Episcopus Hartberto gravius immineret, populus quoque & equites hujus diœceseos adeo Ottonem Regem ejusque clientem Hartbertum aversarentur, ut aperto Marte ei resisterent: pontifex cœpit causam Hartberti longe diligentius, quam antea, tueri, datisque ad Bernardum Episcopum Paderbornensem & Decanum Paderbornensis ecclesiæ Abbatemque Helmwardeshusanum literis mandavit, ut Apostolicæ sedis nomine Hildesienses equites anathemate ferirent, omnique sacrorum usu interdicerent, nisi Heribertum Episcopum vexare desisterent. Plurimæ extant ea de re Innocentis epistolæ inter decretales ejus relatæ, e quibus satis patet, quanto odio Pontifex in Conradum sævierit. Cessit ergo denique Conradus, pontificis odio oppressus, & Hildesia Herbipolim abiit, ubi jam aliquot abhinc annis Episcopus fuerat electus. Sed non minus ibi quosvis sibi expertus est inimicos, adeo ut cum anno MCCII. ipso S. Barbaræ die ex ædibus suis ad ecclesiam prodiret, a Bodone Reinstenio & Henrico Hundio a Falckenberg, aut, ut Trithemius vocat, Bodonere & Henrico militibus de Rabensburg, Heroldoque & Conrado servitoribus eorum, ex insidiis occisus sit. Manibus ejus hoc epitaphio fuit parentatum:

*Trithem. de origin. Francor. p. 157. ap. Schard. *. alias: sceleri quia &c. Chron. mont. ser. p. 72. Godefr. Monach. p. 268.*

*Hoc procumbo solo, scelerique ego * parcere nolo.*
Vulnera facta dolo, dent habitare polo.

Anno Christi 1208.
Ottonis IV. & Philippi. Reg. 3.
Ab. V. C. 277.

Sub hujus anni auspicia Philippus Goslaria denuo ad Rhenum profectus Anternaci & Confluentiæ pacis inter se & Ottonem restituendæ consilia agitavit. Interfuere his comitiis utriusque factionis principes, & ab Ottone quidem fuerunt Colonienses, Monasterienses, Leodienses, Trajectenses Præsules, Abbas Corbeiensis, Dux Brabantiæ & Flandriæ comes. Pro Philippo autem certarunt, Treverensis, Salisburgensis, Frisingensis, Argentinensis, Basileensis Episcopi, Dux Meraviæ Marchio Conradus de Landaffen, Bertholdus, Zaringiæ Dux, dubia vero fide inter hos fluctuabat Conradus Moguntinus, quijam sæpius liti huic componendæ omnem industriam impenderat. Sed cum pleriq; Philippi partibus proniores viderentur, Otto vero fasces Imperii, non nisi cum vita dimittere statuisset: nec tum quidem votis respondit eventus, omnisque quietis spes penitus evanuit, cum paulo post Conradus, vir quietis cupidissimus Passavii diem obiret supremum.

Godefr. Monach. p. 267. Schaten lib. 9. annal. Paderb. p. 929. sq. Annal. Corbeiens. Paulin. p. 399.

Philippus Goslaria discedens in palatio regio reliquit Ottonem Marchionem Brandenburgensem, ne se absente, urbs hæc suis partibus addictior, quicquam caperet detrimenti. Manifeste hoc docet hujus Ottonis diploma, quo Richenbergensem ecclesiam Richemanno quodam in Astfelde locupletavit, *quo scilicet per ipsorum fraternitatis consortium pro illo præsentis & futuræ proſperitatis remunerationem consequeretur.* Qua de re ipsum placet audire Marchionem:

Marchio Brandenburgensis in gratiam Richenbergensium.

* * *

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO Marchio Brandenburgensis. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, præsentibus & futuris, quod petente *Johanne* præposito mansum unum, quem habuimus in *Astvelde* cum omnibus attinentis *Richenbergensi* ecclesiæ contulimus in augmentum sustentationis ibidem Deo sanctæque Genitrici ejus Mariæ virgini servientium, *quatenus per ipsorum fraternitatis & continuæ orationis consortium pro his præsentis & futuræ prosperitatis remunerationem a Domino consequamur.* Nec igitur hoc nostræ munificentiæ factum ulla inposterum obliturare possit oblivio, aut cujusquam malignitas attentet infringere, dignum duximus memoratam ecclesiam præsentis paginæ testimonio cum impressione nostri sigilli efficaciter communire. Actum *Goslariæ in aula regia*, sub testibus quorum nomina subscribuntur: *Otto* Comes de Waldenstein, *Petrus* Præpositus, *Gerardus* Capellanus, *Albertus* de Arnestene, *Tidericus* de Parchem, *Henricus* de Polchave, *Rudolphus* Dapifer, *Henricus* Pincerna. Anno incarnationis Dominicæ MCC.

IN

Otto Comes de Waldenstein

Petrus Præpositus Goslariensis.

Inter testes notari merentur Otto Comes de Waldenstein & Petrus Præpositus, quorum alter fuit Advocatus Walckenredensium super bona, quæ Goslariæ possederunt, alter procul dubio ecclesiæ SS. Simonis & Judæ post Wilhelmum Querfurtensem præfuit. Sed cum ob ingeatem seculi incuriam, nulla præterea hujus Petri mentio usquam fiat, genus ejus & reliqua acta ignoramus.

Papa Philippū denuo rejicit. *Innoc. l. 5. ep. 81. 129*

Magna interea incrementa Philippi factio capiebat, Otto vero pene ad incitas redactus adeo cœpit ab amicis inops esse, ut plurimi de ejus successibus desperarent. Subito igitur conclamatis Ottonis rebus succurrit Pontifex, coactoque Romæ Cardinalium concilio, Philippum regno minus idoneum pronunciat; Ottonis electionem confirmat, omnesque qui cum Philippo sentirent Episcopos anathemate percutiendos, palliique usu defraudandos statuit. Plurimæ hoc testantur Innocentii epistolæ decretalibus insertæ, satis aperte demonstrantes, qua audacia jura Imperii sibi vindicare annisus sit. Missus quoque Gvido Cardinalis, Prænestinus Episcopus, qui Germanos adversus Philippum solicitaret, omnibusque, qui Ottoni adversum tenebant, anathematis pœnas denunciaret: *Sic toti mundo propter excommunicationes suas dominari* tunc *volebant, ignobiles, usurari & Simoniales*, ut Angliæ Episcopi istorum temporum æquales, in alia licet causa, conquesti sunt.

v. d. Heid. H. P. n. 12. p. 113

Cœnobium Novi Operis perfectū *Lexic. c. 19. de Monast. MSC. Chron. Monast. Franter. Germ. p. 4.*

Sunt præterea qui hoc anno monasterium Cistercienſium virginum, quod Novum opus vulgo audit, apud nos perfectum prodidere memoriæ. Unde mirum esset, quinquaginta penè annos extruendæ huic ecclesiæ impensos fuisse. Sed hac de re monumentis publicis destitutus asserere nihil audeo. Hoc sane mihi constat, in nullo diplomate ante hæc tempora scripto ullam ejus fieri mentionem.

Annus Christi 1201.
Philippi & Ottonis Reg. 4.
Ab V. C. 278.

Otto contra Philippū movet. *Gudfr. Monach. p. 247.*

PHilippo in superiore Germania versante, Otto totam Saxoniam in officio retinebat: Accesserat interea in Germaniam Guido legatus Apostolicus, qui ecclesias ubique lustrans omnibus Episcopis diras interminatus est, nisi rejecto Philippo Ottoni fidem darent. Hinc ipse Otto denuo experturus fortunam, cum instructissimo exercitu in superiorem Germaniam discessit, ac Herbipolin usque progressus æmulum expectavit. Verum cum Philippus novos delectus haberet, nec auderet in præsens prælii aleam subire, Otto etiam exercitum in Colonienſium regiones reduxit, & paulo post re infecta in Saxoniam rediit.

Inter hæc urbs nostra constantius Philippo datam fidem servavit, insuperque habitis excommunicationis minis, quas Guido legatus Apostolicus in omnes Philipi amicos evomuerat, omni nisu Ottoni se opposuit. Hinc Otto, cum a Rheno recederet, id dabat operam, ne se absente inposterum Goslarienses Brunsvicensi ditioni graves essent. Montem igitur Goslariæ nostræ ex Oriente imminentem Widelagam inter & Finenburgum firmissimo castro, quod Herlingsbergam vocabat præmunit, positoque ibi validissimo præsidio firmavit. Nihil poterat excogitari urbi nostræ perniciosius. Cum enim ex adversa parte Lichtenbergam quoque Ottonis milites insiderent, tam crebris excursionibus cives terruerunt, ut nec annona urbi inferretur, nec quisquam pedem mœnibus auderet efferre. Gravis igitur fames secuta est, quam cum diutius ferre non possent, plurimi ex urbe migrarunt. Rem verbis referre placet Arnoldi Lubecensis, gravissimi auctoris & horum temporum historia plane egregii: *Rex autem Otto reversus ad sua nondum dimisso exercitu, ædificavit castrum firmissimum Harlungenberg. Unde Goslarienses nimium afflicti sunt, ita ut multis de civitate exeuntibus, ipsa civitas ex magna parte desolata videretur. Siquidem ipsa civitas inedia & fame laborabat, in Oriente quidem oppositum habens castrum novum, in Occidente vero castrum Lichtenberg. Nec permittebatur intrare civitatem plaustra seu vehicula, quæ civibus inclusis necessaria afferrent.* Breviter quoque rem tetigit Langenius noster, sic suo more canens:

Otto contra Goslarienses Herlingsbergam præmunit.

Arnold. Lubec. l. 6. c. 5. p. 450.

De Brunsvic natus fuerat rex Otto vocatus,
Servivit Christo, mundo dum vixit in isto,
Iste coronatus, in Brunsvic est tumulatus,
Castrum fundabat, Herlingsberg quod nominabat.

Lang. Sax. p. 811. Schat. l. 9. annal. Paderb. Part. 1. p. 934. Spangenb. c. 240. Sax. p. 412. sq. Meib. not. ad Henr. Rosl.

Castelli hujus initia Schatenius refert in annum MCCIII. sed nescio cujus fidem secutus. Nos cum Spangenbergio, Meibomio, Buntingio & Bangerto hoc ipso anno fundamenta ejus molitum esse Ottonem existimamus.

Herlingsb. p. 784. Bunting. Chron. Brunsv. part. 1. p. 181. Bangert. not. ad Arnold. p. 458.

Otto pontifici jurat. *Innoc. epist. 75.*

Sed redimus ad Ottonem, qui, dum adhuc in Colonienſium diœcesi cum exercitu versabatur, multa cum Guidone Apostolicæ sedis legato de rebus suis agebat. Cumque eo in articulo se constitutum animadverteret, ut Imperium, quod Pontificis suasu susceperat, sine ejusdem ope tueri haut posset: eo demum se adduci passus est, ut pleraque fere majestatis jura dimitteret, & Innocentio inprimis jurato promitteret, fore se defensorem Apostolicæ sedis, conservaturum omnia privilegia Romanæ ecclesiæ, possessiones ablatas restituturum, recuperatas ex in-

tegro suis permissurum. Hæc juramenti capita, quo spectent, facile patebit ex ipsis Innocentii epistolis: nec potest obscurum esse illis, qui quæ deinceps inter hunc Imperatorem & Pontificem acta sunt paulo accuratius pensitaverint. Ceterum hoc facto Guido omnes principes juramenti religione absolvit, quo Friderico juniori & Philippo se adstrinxerant, jussitq; solum Ottonem Cæsarem agnoscere: quasi vero Romani Pontifici conscientiis imperare, principesque adversus Reges suos concitare integrum esset. Tentavit tamen & Philippus, toties licet exagitatus, cum Innocentio in gratiam redire. *Chron. Mont. Ser. p. 70. sq.* Ex chronico enim Montis Sereni constat Conradum Marchionem Misnensem, cum Walthero Sereni Montis Præposito & Tiderico Merseburgensi electo ideo legati munus obiisse, sed si ex eventu judicare licet, infructuosa fuit ista legatio; pontifice a nemine magis, quam a Philippo Svevo abhorrente.

Conventus Corbeiensis. *Annal. Corb. p. 399. ap. Paulin. Schat. l. 9. Annal. Paderb. p. 930. part. 1. Reutel. p. 62. chron. Hillesh.* Subinde Guido Cardinalis e Coloniensi diœcesi in Westphaliam discessit, & convocatis provinciæ istius Episcopis diras comminatus est iis, qui se conciliabulo subtraxissent. Hic denuo rejecto Philippo, Otto Rex renunciatur, Episcopi juramento solvuntur, totaque Saxonia in Philippi perniciem armatur. Inprimis lætior ex hoc Corbeiensi conventu abiit Hartbertus Hildesiensis Episcopus, qui, exantlatis multis laboribus, demum jubente Apostolico legato a Paderbornensi Episcopo est consecratus.

Annus Christi 1202.

Philippi & Ottonis IV. Reg. 5.
Ab. V. C. 279.

Principum in hoc schismate dubia fides. *Godefr. Monach. p. 268. Arnold. lj. c. 2. p. 502. sq.* Succedit annus a Christo nato millesimus ducentisimus secundus, non minus ac superior civilibus discordiis turbidus. Goslaria nostra ex Herkingsbergensi & Lichtenbergensi castellis extrema patiebatur. Ottonis causæ non parum detrimenti minabatur Adolphus Coloniensis, qui nutare jam & fortunam speculatus ad Philippi partes proclivior videbatur. Quievit tamen in præsens dissidium, Guidonis Cardinalis opera, & Adolphus nondum ab obsequio palam ausus est desciscere, veritus fortassis, ne a Guidone Sacerdotio suo privaretur. Apertius ad defectionem inclinabant Hermannus Thuringiæ & Hassiæ Landgravius & Odacarus Bohemiæ Rex, qui cum adhuc bona fide Philippi causam juvissent, repente ad Ottonis partes delapsi sunt. Hujus tam subitaneæ conversionis causam non tacent annales. *Chron. mont. Ser. p. 73. sq. Abb. Vrsp. p 306.* Chronicon enim Montis Sereni satis manifeste hoc Innocentii hortatu factum profitetur; Addit Abbas Vrspergensis ipsum Landgravium, licet Philippo affinitate junctum, in spem potiundi Imperii venisse. Denique præcipue animos videtur addidisse Ottonis largitio, qui ut Landgravium sibi demereretur, nec pecuniæ, nec facultatibus pepercit. Villas enim regias Mulhusum, Northusum, Salveldiam ipsi addixit, quas etiam Landgravius armis aggressus brevi sub suam redegit potestatem. Adeo fides Principum tunc venalis prostitit, adeo sæpius dominandi libido ante sanguinis propinquitatem fuit! Protractis in partes Ottonis his potentissimis Principibus, reliquos etiam Episcopos aggressus est Guido, quos anathemate, abdicatione aliisque minis ita terruit, ut plerique a Philippo se subducerent. *Vix denique*, ut ait Vrspergensis Abbas, *remansit aliquis episcopatus, sive dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non sereret ligitiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam operiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te constituant rivi & aggeres numorum in magna copia. Lætare, super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jocundare super adjutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio, precio comparata.* Mirare mecum hic, o lector, nimiam illorum temporum infelicitatem & astutiam incredibilem pontificum, qua factum est, ut orbis terrarum, qui bello nunquam sub unius imperium potuit redigi, veluti sua sponte Romano isti Trimalcioni se subjiceret. *Anton de Landgr. Thur. p. 920. sq. Engelh. Chron. p. 243. Paulin. annal. Isenac. p. 32. sq. Schlegel. dissert. de numis Isenac. Mulhus. Northus. p 92. & 132. sq. Abb. Vsp. p. 307.*

Annus Christi 1203.

Philippi & Ottonis IV. Reg. 6.
Ab. V. C. 280.

Hermanni Landgravii contra Philippi causam molimina. *Chron. mont. Ser. p. 74. Godefr. Monach. p. 268.* Sequente anno multo vehementius his motibus concussa Saxonia est, quam ante. Guido enim Cardinalis cum Magdeburgensem Archiepiscopum nec minis nec pollicitationibus eo posset adducere, ut datam Philippo fidem violaret: majora cogitare cœpit. Optimum enim præsulem inobedientem & delirum senem vocatum diris devorit, & Hermanno Landgravio, qui jam ad Ottonem desciverat, id dedit negotii, ut armis obfirmatum ejus animum frangeret. Non segnis imperium executus est Hermannus. Attractis enim Ottonis & Odacari copiis, *circulum*, quem *Salavum* nunc vocant, invasit, & omnia longe lateque depopulatus ipsis Magdeburgensibus tantum terrorem incussit, ut nec in mœnibus quidem suis tutos se existimarent, resque suas cum uxoribus & liberis in trans-alpinas regiones

nes deportarent. Sed novas bellorum procellas statim disjecit Otto Brenensis Comes, qui partem exercitus palabundam & excursionibus intentam, magna clade affecit, & Hermannum domum cum suis redire coëgit. Interea Philippus quoque damnatis pacis consiliis patientiam in iram vertit, statuitque in Landgravii caput injurias Magdeburgensibus illatas vindicare. Hinc cum validissimo exercitu Thuringiam ingressus totam regionem armis devastat; sed aucto tamen novis Odacari & Henrici Palatini auxiliis Hermanno, Erfurti mœnibus se credere est coactus. Hermannus cum sociis statim Erfurtum obsidione cingebat, & nono jam die mœnibus imminens, in certam spem capiundi Regis erigebatur. Sed consilia ejus fefellit Philippi prudentia, qui fuga elapsus, ad Tidericum Marchionem Missniæ pervenit, instaurandoque exercitui dedit operam. Deniquo cognita Regis fuga, obsidionem solvit Landgravius, ac ut eo constantiorem inposterum experiretur Odacarum, id impetravit a Guidone Cardinale, ut denuo Merseburgi solenni ritu Boemiæ Rex inungeretur.

Capta Lichtenberga Goslaria aliquantulum respirat. *Arnold. lib. 6. cap. 5. p. 477. Bunting. Citron. Brunsv. part. 1. p. 11. Luc. a Str. Comit. part. 1. p. 726. sq.*

Dum sic Thuringia bellorum tempestates subibat, Goslaria quoque nostra ex oppositis castellis Herlingsberga & Lichtenberga, in tertium jam annum affligebatur. Ultima quævis jam sustinebat civitas, & adeo invaluerat rerum omnium inopia, ut prope abesset a deditione. Hermannus igitur Comes Wernigerodanus, aut ut Arnoldus vocat, Comes de Hartesburg, qui cum fratre suo Henrico, Philippo favebat, contractis quibusdam copiis ex improviso advolat, & felici Marte intercipit Lichtenbergam. Hujus itaque ope Goslaria ab obsidione ex parte liberata paulo liberius quidem commeatum importavit: ex altera tamen urbis regione Herlingsbergense præsidium eo gravius in cives sæviit, adeo, ut ex ista vicinia nemo secure ad nos proficisci potuerit.

Annus Christi 1204.

Philippi & Ottonis IV. Reg. 7.

Ab V. C. 281.

Philippo Goslariensibus frustra auxilio proficiscitur. *Godefr. Monacho p. 274. Bunting. Citron. Brunsv. l.*

SAtis perspecta adhuc Philippo fuerat Goslariensium fides. Etsi enim Otto novum contra urbem excogitaverat victoriæ genus, nolle pugnare, tantaque intra mœnia urgebat inopia, ut adsumeretur in cibum, quicquid jubebat diuturni jejunii imperiosa necessitas: nullis tamen incommodis, nullis calamitatibus a Philippo se avelli patiebatur. Occurrebat nimirum animis, quibus beneficiis Salici Suevicique Imperatores urbem hanc sibi demeruerint: quam solicite in exornanda civitate desudarint: malebant itaque ultima quævis subire, quam violata fide sempiternam nomini suo notam inurere. Hæc spectata nostrorum civium fides eo magis se Philippo commendabat, quo frequentius adhuc plusquam desulto riam levitatem principum nonnullorum fuerat expertus. Hinc totus liberandæ urbi nostræ intentus cum copioso satis exercitu Saxoniam ingreditur, Herlingsbergam diruturus, ex quo tanta adhuc nobis malorum Ilias evenerat. Verum Otto veluti præsagiens, quam intutus Brunsvicensis ager esset futurus, si Philippus in his regionibus causam suam magis magisque communiret, omnes vires suas æmulo oppositi, eductoque in agrum exercitu prælio cum illo contenderec onstituit. Quare Philippus re infecta discessit, Goslariam tamen æque sibi fidam, ac antea reliquit. Brevibus hoc complectitur Godefridus Monachus ad S. Pantaleonem, cujus ipsa verba placet hic inferere, cum non meminerim alium e vetustioribus id memoriæ prodidisse: *Philippus Rex cum exercitu Saxoniam intravit, ut castrum quoddam nomine Harlingiberch a Rege Ottone constructum dejiceret, & cives Goslariæ de oppressione ejus & fratrum suorum liberaret. Sed ubi eundem in forti manu sibi occurrere cognovit, consilio cum suis habito, recessit, sativus ratus ad tempus cedere, quam cum hoste male pugnare.* Mireris ergo Spangenbergium hæc non solum in annum MCCII referre, verum etiam asserere Philippum tunc omnia consilia ad intercipiendam Goslariam contulisse. Quare enim occupasset Goslariam, quæ nunquam ab eo defecerat? *M. hom. not. ad Henr. Rosl. Herlingsb p. 785. Spang. c. 240. p. 414.*

Philippo in Thuringia rem begerit.

Signo igitur receptui dato Philippus in Thuringiam reduxit exercitum, ubi Hermannum Landgravium ex nupero rerum successu ferocientem brevi in ordinem coegit. Bellum orditus est ab obsidione Weisensæ, aut, ut alii vocant, Wizinsee, urbis ad Helbam fluvium sitæ & istis temporibus munitissimæ, qua intra sex hebdomadum spatium capta, totam provinciam devastavit, Bohemos Thuringis auxilio venientes fugavit, tantoque cum terrore arma circumtulit, ut Landgravius omni auxilii spe destitutus, suplex ad Philippi pedes provolutus veniam perfidiæ rogaret, nunquam postea aperto Marte Philippum petere ausus. Quam vastitatem & pauperiem Thuringiæ hoc bellum fecerit, vix satis dici posse videtur. Jacebant omnia armorum vi atque impetu perculsa & prostrata, nec tam à Philippo, quam ab ipsis Bohemis, qui auxilio venerant, in villas atque ecclesias sævitum est. Vulgo enim ultra sedecim ecclesiarum conventualium & CCCL. parochialium numerum ineunt belo isthoc destructarum. Nec desistebant interea Brunsvicenses Goslariam vexare. Nam, ut autor est Arnoldus Lubecensis, frequenter cives *feria negotiantes vel captivabant, vel, casulis argentariis destructis, supramodum damnificabant.* *Arnold. l. 6. c. 5. p. 456. Abb. Ursp. p. 308 Godefr. Monach. p. 274. Chron. mont. Ser. p. 75. Siffrid. Misn. in Epit. l. 2. p. 694. Spang. c. 242. p. 415 Fabric. Orig. Sax p. 564. Autor. de Landgr. p. 921. Arn. l. 6. c. 6. p. 459.*

Henricꝰ Palatinus a fratre deſciſcit. *Chron. Mont. Ser. p. 76. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 151. Spangenb. c. 242. Chron. Sax. p. 416. Arnold. lib. 6. c. 6. p. 459. Alb. Stad. p. 299.*

Rebus in Thuringia ad votum compoſitis, dimiſſisque ſociis, Philippus cum copiis ſuis Goslariam regreditur, omnemque opum vim ad liberandam hanc urbem contulit. Sed ſtatim cum delecta manu aderat Otto, qui caſtra in vicino tractu, quem campum lapidoſum vocant, metatus, ex procinctu ſe offerebat ad prœlium. Interea Henricus Palatinus Rheni ab Ottone Cæſare Brunſvicum & Lichtenbergam ſibi dari petierat, ut ſi forte a Philippo Palatinatu exueretur, haberet, e quo cum dignitate vitam ageret. Cumque Otto cum dubio reſponſo aliquamdiu ſuſpenſum tenuiſſet, Henricus Palatinus veritus ne ſuarum provinciarum jacturam faceret, a fratre deſcivit, & Philippi caſtra ſecutus eſt. Hinc Otto hujus potentis fortiſſimique fratris auxilio deſtitutus, minus conſultum duxit, hoſti concurrere, dubiamque belli experiri fortunam. Et Philippus quoque præcipite jam anno Goslaria Andernacum diſceſſit. Eadem refert Buntingius, ſed temporum ordinem haut parum perturbans, ut ſolet & Spangenbergius in computandis annis Philippi & Ottonis non ſatis eſſe accuratus. Notat tamen hic Goslariam tunc a diuturna obſidione liberatam fuiſſe: quanquam in eo falſus, quod urbem noſtram paulo ante a Philippo defeciſſe, ſed cum eo in gratiam rediiſſe aſſeruit, quod omnibus veterum hiſtoricorum teſtimoniis repugnat. Sed Spangenbergius, quanquam in colligendis antiquis monumentis ſatis induſtrius, plura tamen ſubinde e conjecturis addidit, quod cuivis conſtabit, Chronicarius cum vetuſtis ſcriptoribus conferenti. Ceterum quod præmium manſerit Henricum, ſolus, quantum memini, memoriæ prodidit Chronici Montis Sereni auctor, cujus ideo verba adſcribo: *Philippus Rex dimiſſis auxiliatoribus Goslariam cum ſuis regreditur; ubi cum Rex Otto militibus collectis cum ipſo congredi tentaret, Henricus Palatinus, frater ipſius, ad Philippum tranſit, præſtitaque ei fidelitate Advocatiam Goslarienſem ab eo promeruit.* Advocatus igitur urbis noſtræ creatus eſt, quod officium, quam ſplendidum olim fuerit, quamque dives, vel inde licebit conjicere, quod tanto Principi præmium defectionis ſatis opimum viſum eſt.

Accipit Advocatiam Goslarienſem. *Chron. Mont. Ser. p. 75. ſq.*

Defectionis Henrici exemplum alii principes ſecuti.

Non conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed in tenuem recepta tramitem latiſſime evagandi ſibi viam faciunt. Hinc ſimul ac Henrici Palatini facinus in vulgus exiit, ſtatim exemplum ejus ſecuti ſunt e principibus alii, Henricus Dux Brabantiæ, Archiepiſcopus Treverenſis, Bernardus Epiſcopus Paderbornenſis, Witekindus Corbeienſis Abbas, & quem primo loco nominare par erat, Adolphus Colonienſis, Ottonianarum partium anteſignanus, & qui pene ſolus Germaniam adverſus Philippum concitaverat. Quæ cauſa fuerit tam repentinæ in Adolpho mutationis, non eadem eſt omnium opinio. Plerique auro corruptum, & oblato DCCCC, aut ut Levoldus mavult, 5000. Marcarum præmio delinitum ajunt. Sed quis credat tantum præſulem famam pretio vendidiſſe. Libentius igitur aſſenſerim Conrado Vrſpergenſi, qui Adolphum cum imminere ſibi Philippum videret, periculo territum, Ottoni nuncium miſiſſe exiſtimat, quamvis minus negaverim, largitiones quoque Philippi acceſsiſſe. En enim Vrſpergenſis verba: *His igitur bellis feliciter peractis & tranſacto ſpacio duorum annorum, ut vires populi recuperaret, decrevit agere bellum contra Colonienſes. Cum magno igitur exercitu venit in fines illorum: fiuntque incendia & vaſtationes terrarum. Capiuntur oppida quadam in partibus illorum, multi ſive compulſi, ſive muneribus, aut promiſſionibus illecti, recedunt ab Ottone & adhærent Philippo. Inter quos prefatus Adulfus Colonienſis Archiepiſcopus cum Rege reconciliatus.* Atque adeo Philippus virtute ſua & prudentia omnes illos ſibi devinxit, qui eum paulo ante maxime erant adverſati, cum interea Otto ab omnibus deſertus precario regnaret, & re ipſa deprehenderet, in quod diſcrimen a Pontifice ſit deductus.

Adolphus Colonienſis ad Philippum tranſit. *Arnold. l. 7. c. 1. p. 500. Godefr. Monach. l. 5. Levold. a Northeu. catal. Epiſc. Colon. p. 8. tom. 2. ap. Meibom. Abb. Vrſp. p. 308.*

Annus Chriſti 1205.
Philippi & Ottonis IV. Reg. 8.
Ab. V. C. 282.

INeunte hoc anno cum Otto Coloniæ hæreret, Philippus Andernaci aliisque vicinis urbibus de opprimendis hoſtibus conſilia agitabat. Iode vero poſt circumciſionis feſtum Aquisgranum progreſſus eſt ad ſuſcipiendam coronam, quam Colonienſis illi tamdiu denegaverat. Et rem quamvis Moguntinus & Cameracenſis Archiepiſcopi Pontificis nomine anathematis pœnas minarentur Colonienſi, & ipſe Pontifex datis ad Germaniæ proceres literis Adolphi perfidiam graviter increparet: ſtetit tamen Adolpho ſententia, ſiquidem VI. Id. Januarii Philippum Caroli M. ſolio impoſitum cum Irena conjuge diademate regio ornavit. Fremuit ad hæc pontifex, & conſilia ſua in caſſum iviſſe indignatus non modo diris Colonienſem devovit, verum etiam Archiepiſcopatu exuendum decrevit. Nec mora, Pontificis auctoritate dejecto a munere Adolpho ſubrogatur Bruno Bonnenſis Præpoſitus, juratus Philippi hoſtis, & jam tum legatione pro Ottone apud Pontificem defunctus. Sed Philippus Adolpho pro virili opem ferens Coloniam oppugnat, Novesium capit, omnemque diœceſin flamma ac ferro eo adigit, ut rejecto Brunone Adolpho datam fidem ſervarent. Otto autem morbo ex mœrore, aut, ut Alberto Stadenſi videtur ex vulnere contracto Coloniæ diutiſſime decubuit.

Philippi Rex Angrum coronatus eſt. *Godefr. Monach. p. 275. Chron. Mont. Ser. p. 76. Abb. Vrſp. p. 308. ſq. Cranz. l. 7. Sax. c. 23 p. 415. Alb. Stad. p. 299.*

Quo

Goslaria capta & direpta. *Arnold. Lubec. l. 6. c. 7. p. 460. Cranz. l. 7 Saxon c. 17. p. 185. Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 183. Spangenb. Coron. Sax. c. 240. p. 413.*

Quo felicius autem tunc Philippi potentia aſſurgere vila eſt, eo iniquiorem ſe fortuna præbuit Goslariæ, in quam imminens tempeſtas hoc anno uno impetu deſæviit. Supra a nobis ſuit commemoratum, Lichtenbergenſe caſtellum, ex quo Goslaria noſtra tamdiu ab Ottone affiĉta fuerat, ab Hermanno Wernigerodano fuiſſe expugnatum. Ad recuperandum igitur illud ſæpius Otto animum intendit, ratus id quod res erat, nunquam ſe tutas habiturum Brünſvicenſes provincias, niſi ex hoc & Herlingsbergenſi caſtellis Goslarienſes ab excurſionibus prohiberet. Quanquam igitur validiſſimum hoc munimentum toties Ottonis inſultus bona fide eluſerat: abſente tamen Ottone denuo illud oppugnare auſus eſt Guncelinus Dapifer, cujus toties in Ottonis tabulis mentio fit. Hic cum delecta manu Lichtenbergam aggreſſus graviter præſidiarium militem fatigavit, obſidione tamen diutius protracta, cum ſpes potiundæ arcis paulatim evaneſceret, præter ſpem omnium noctu diſceſſit, ipſamque Goslariam ex itinero adortus eſt. Jam tum civitas diuturno bello fatigata, maximam civium partem amiſerat, nec firmo admodum præſidio erat præmunita, præterea pauci illi, quibus urbem tueri fuerat demandatum, nimis ſecuri, paulo ſegnius agebant excubias. Qua re factum eſt, ut urbs V. Id. Auguſti prius ſe captam animadverteret, quam hoſtem proſpexerat. Intrarunt hoſtes prope monaſterium novi Operis; monialis cujusdam, ut fama habet, proditione adjuti, cujus deinde ex urbe ejectæ ſtatuam perpetuum opprobrium eccleſiæ S. Jacobi appoſitam ferunt. Et conſpicitur ſane ibidem monialis, cum dracrone (Einen Lindwurm vulgo vocant) Sed cum ſcriptura nulla adſit, traditionem in medio relinquere nos oportet. Fugato præſidio omnia permiſſa militibus, ſacra æque ac profana direptioni & hoſtium furori expoſita: nec priſtini ſplendoris vola, aut veſtigium relictum eſt. Sed quidni ipſum audiamus Arnoldum Lubecenſem: *Poſt hæc Guncelinus dapifer Regis Ottonis, ipſo Rege in Colonia morante, cum caſtrum Lichtenberg requirere vellet, quia Brunſvicenſes de eodem caſtro multas infeſtationes patiebantur, convocatis amicis, caſtrum obſedit. Sed quia nimis erat munitum, caſſo labore in obſidione defecerunt. Conſilio ergo habito Goslariam ſe converterunt, & impetu valido ipſam impugnare cœperunt & quia, ut dictum eſt, ex magna parte deſolata erat, nec militum manu munita, ſubito ab hoſtibus capitur & ereptionem maximam patitur. Præſidio tamen erat Hermannus cum paucis de Hartesburg, qui quoniam reſiſtere non valebat, irruentibus hoſtibus fugiens cum ſuis evaſit. Depopulata eſt igitur civitas opulenta valde, ita ut captivatis civibus & plauſtris innumeris de diverſis locis adductis per octo dies ſpolia deferrentur civitatis. Inter quæ erat tanta copia piperis, & aromatum, ut modiis ea acervis maximis dividerent. Et quia ipſa civitas diu contra Othonem ſteterat, alii ipſam igne ſuppoſito ſuccendere volebant, alii eccleſias deſtruere parabant. Quidam etiam eccleſiam B. Matthiæ armati intrantes, coronas aureas & cetera ornamenta innumera a Regibus large collata deferre parabant. Sed divinitus hac voluntate mutata obſides civium accipiunt, & civitatem usque adventum Regis relinquunt. Placuit hoc Regi, & cum eam ſecurius poſſedisſet, quædam ablata civibus reddidit, & ipſam de cetero ſubjectam tenuit.* Eadem refert Spangenbergius ſed ad annum MCCII, qui calculus & Bangerto in nova Arnoldi editione placuit. Sed alia omnia nobiſcum ſtatuet, quicunque Godefridi Monachi, Chronici montis Sereni, aliorumque hujus notæ hiſtoricorum narrationes inter ſe contulerit.

Eccleſia B. Matthiæ in periculo.

Annus Chriſti 1206. & 1207.

Philippi & Ottonis Reg. 9. & 10.

Ab. V. C. 283. 284

Philippus Ottonem & Brunonem Colonienſem ſuperat. *Godefr. Monach. p. 276. Abb. Vrſp. p. 309. Arnold. l. 7. cap. 8. p. 510.*

INeunte hoc anno, Otto, poſtquam cum valetudine redierat in gratiam, Coloniæ ſe continuit, ubi etiam hærebat Bruno a Pontifice nuper Archiepiſcopus conſtitutus, id agens præcipue, ut novum principatum adverſus Adolphum firmaret. Sed hujus cauſam inprimis agebat Philippus, qui ferro flammisque ſæviens in diœceſin, omnes eo compulit, ut rejecto Brunone Adolpho datam fidem ſervarent integram. Cum itaque jam ad ultima redacti eſſent Otto Rex, & Bruno Archiepiſcopus, auſi tamen ſunt cum parva manu hoſti occurrere. Sed is profligatis uno impetu Ottonis copiis plurimisque occiſis, tanto fervore fugientes inſecutus eſt, ut Otto cum Archiepiſcopo in proximum caſtellum Waſſenbergenſe ſe ſubduceret. Statim aderat cum exercitu Philippus, atque arcta obſidione arcem cingebat, omnibus præcluſis viis, ne præda elaberetur. Fefellit tamen Otto cuſtodias, & tribus ferme aſſumtis ſociis, cum maximo diſcrimine ex caſtello evaſit. Ab omnibus tamen deſertus & deſperatus primum Brunſvicum, deinde in Angliam, tanquam gentile illud familiæ ſuæ refugium, diſceſſit. Bruno autem Archiepiſcopus in arce relictus in hoſtium pervenit poteſtatem, & compedibus vinctus Herbipolim deducitur carcerique mancipatur. Atque adeo Philippus non modo hac expeditione æmulo ſuo omnes nervos incidit, verum etiam Adolphus Epiſcopatum ſuum dextro Marte vindicavit.

Lichtenberga ab Ottonianis fruſtra obſeſſa.

Interea dum hæc aguntur, Goslaria noſtra nuper ab Ottonis militibus intercepta extrema quævis a Brunſvicenſibus patiebatur, omnibus quippe exuta opibus, quibus ab antiquis Imperatoribus per duo ſecula aucta fuerat & ornata. Nec vicinia noſtra quietior. Lichtenbergam enim

Spang. c. 243. Chron. Sax. p. 417 Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 184.

præſidiis præmuniverat Henricus Wernigerodanus, fortiſſimus Comes, & Philippo addictiſſimus. Quemadmodum igitur paulo ante in Goslarienſes ex hoc caſtello Ottoniani milites ſævierant, ita & Henricus ex eadem arce præſidiarium Ottonis militem afflixit, nec ſatis tuto ſe Goslariam hi tenere videbant, niſi Lichtenberga eſſet expugnata. Propterea Wilhelmus Ottonis frater contractis copiis ſuis Lichtenbergam denuo obſedit, & Henricum Wernigerodanum ad tantas anguſtias redegit, ut jam de deditione cogitaret. Quod ne fieret ſub auctumnum oportune affuerunt Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Hermannus Thuringiæ Landgravius, & Dietericus Miſnenſis Marchio, qui junctis viribus Wilhelmi exercitum aggreſſi tam fortiter cum illo dimicarunt: ut denique fugam cum magno detrimento capeſſeret. Hinc mœnia inſtaurata, arx novo præſidio firmata & cibariis inſtructa nullum inpoſterum ab Ottone inſultum ſuſtinuit.

Pontifex in Philippum proclivior eſſe cœpit & cur?

Otto de S. Blaſio c. 48. p. 225. Abb. Vrſp. p. 310. Meib. Apolog. Otton. IV. p. 122. ſq.

Omnia jam conclamata videbantur Pontifici. Otto opibus ac ære exhauſtus in Angliam profugerat. Omnes cum eo adhuc ſentientes, ad Philippum jam deſciverant. Sifridus Moguntinus, in quo maxima ſpes fuerat poſita, in Italiam ſe contulerat, Bruno denique Colonienſis in vinculis habebatur. Veritus ergo pontifex ne pacata Germania in ſe arma Philippus converteret, plus quam deſultoria levitate cœpit in eum eſſe proclivior, quem diris adhuc toties devoverat. Sed non eſt ignotum, quid pontificem ad commutandum animum incitaverit: Spes nimirum matrimonii inter Philippi filiam & nepotem ſuum contrahendi, ex quo ſibi pontifex maximam Italiæ partem dotis loco deſponderat. Cum tamen palam ab Ottone ad Philippum deficere minus videretur honeſtum, principes clam cœpit cohortari, darent operam ut Philippus cum ſede Apoſtolica in gratiam rediret. Philippus non ignorans, quid ſibi velit pontifex, ſtatim ſuo ac principum nomine miſit Wolfgerum Patriarcham Aquilejenſem, Gebhardum Burggravium Magdeburgicum, aliosque honoratos viros, rogatum, velit totius Germaniæ calamitatum miſereri, & principem optimum & reipublicæ utiliſſimum excommunicationis vinculis exolvere, pacis deniq; & quietis conſiliis, quæ adhuc agitaverint, impendere animum. Multis verbis hi legati commendabant Philippum, eſſe eum ſapientiſſimũ Principem, quiab omnibus mirifice ametur ſibiq; reipublicæ ſalutẽ ſupremam legem dixerit. Nec Romanæ eccleſiæ eum defuturũ pollicebantur, ſi ſe in gratiam videret receptum. His pontifex: Nihil ſibi, inquit, fore acceptius, quam ſi Germaniæ decennali bello exhauſtæ ſua opera priſtina quies poſſet reſtitui, ſed Philippum in opprimendo Ottone modum adhuc exceſſiſſe, ſe tamen paratum fore eum ab excommunicatione liberare, ſi ejus filia nepoti ſuo deſponderetur. Obſtupuere legati, audientes, tam aperte Pontificem familiæ ſuæ commodis ſervire, reſponderunt itaque in præſens, nihil poſſe ſe in hac re agere, nec quicquam ſibi de hoc matrimonio datum negotii fuiſſe, rogare ſe, ut priusquam de nuptiis ageretur, ea præcipue perpenderet, quæ reipublicæ intereſſent, deinde pro virili ſe daturos operam, ut nuptiæ illæ fiant. Sed ſtabat Pontifici ſententia, ſe Philippum diris devotum non prius reſecraturum, quam affinitatem illius impetraſſet, ſi vero in hoc Philippum videret morigerum nullius rei illum a ſe repulſam laturum. Cum vero non eſſet integrum legatis quicquam in hac re ſtatuere, miſſi denique ſunt Hugo Oſtienſis Epiſcopus & Leo, tituli S. Crucis presbyter, Cardinales, quibus licet poteſtas data ſit, Philippum ab anathemate liberandi, non alia tamen lege id fieri voluit Pontifex, quam ſi filiam ſuam nepoti nuptum dare decreviſſet.

Pax depum inter Philippũ & Ottonem coaluit.

Godefr. Monach. p. 277. Abb. Vrſp. p. 310. Otto de S. Blaſio. c. 48. p. 225. Arnold. Lub. l. 7. c. 6 p. 511. Pallat. tom. 2. de geſt. Pont. p. 723. Spang. c. 243. p. 418. Meib. l. c. Chron. Auguſt. p. 369. Cranz l. 7 Sax. c. 26. p. 196. in fine. Bruno Colonienſis Archiepiſcopus vinculis publicis eximeretur, Adolphus vero nonnihil eccleſiæ reſtitutus Romam ad dicendam variationis cauſam veniret.

Plurima jam in hoc negotio principum comitia celebraverat, ſed abſente Ottone, & in Anglia nova ſubſidia ſollicitante, fruſtra ſemper fuerat Philippus. Interea in Germaniam acceſſere Pontificis & Ottonis legati, qui Auguſtæ Vindelicorum a Philippo comiter ſuſcepti & Spiram ad proceres conventum evocati ſunt. Quo cum principes frequentes adveniſſent, cauſa tamen ad Northuſenſia comitia dilata eſt, quod abſente Ottone nihil videretur ſtatuendum. Denique cum Northuſæ denuo principes conveniſſent, & ipſe Otto ex Anglia reverſus adeſſet, legati pontificis paulo ſollicitius pacis negotium ſuſceperunt, & id inprimis pontificis nomine poſtularunt, ut filia Philippi deſponderetur ejus Nepoti. Quo audito omnes in riſum ſoluti rogarunt, ut ſepoſitis in præſens rebus privatis de pace potius conſulerent in medium, quæ ſi bona fide coaluiſſet, tunc levia quoque iſthæc ſibi curæ cordique fore. Ruborem hoc incuſſit Cardinalibus, qui non auſi ulterius de nuptiis principes obtundere, pacis negotium reſumſerunt. Multis denique ultro citroque habitis colloquiis, iis legibus induciæ fiunt, ut penes Philippum regni decus maneret, Otto Beatricem Philippi filiam matrimonio ſibi jungeret, dotisq; loco Alemanniæ ducatum acciperet, ſed & mortuo ſocero in Imperio ſuccederet, *tota autem* Bruno Colonienſis Archiepiſcopus vinculis publicis eximeretur, Adolphus vero *nonnihil* eccleſiæ reſtitutus Romam ad dicendam *variationis* cauſam veniret. Multum his conditionibus obluctabatur Otto, multo plura offerens Philippo, ſi ſibi cederet. Cum tamen exhauſtum ſe opibus, & ab amicis inopem videret, plerique etiam principes, pertæſi tot moleſtiarum, in Philippum proniores eſſent, vel invitum acquieſcere principum

cipum sententiæ oportuit: quam demum in postremo Quedlinburgensi conventu ad liquidum perductam, auctor est Urspergensis: licet Albertus Stadensis nihil Quedlinburgi confectum velit, nisi quod induciæ ad festum usque Johannis Baptistæ datæ sint. An constituta pace, Goslaria nostra Philippo reddita sit, adhuc ignoro. Verisimile tamen est, Ottonem, qui has, sive inducias, sive pacis conditiones ægre ferebat, non adeo promtum in reddenda urbe fuisse.

Alb. Stad. p. 499.

Pontificis versutia notatur.

Sic demum Germania civili bello exhausta post decennium pacem rediisse sensit, sed mox tamen ferali bello pontificis artibus denuo implicanda. Quis hic non miretur insignem versutiam Innocentii, qui cum Ottonem paulo ante omni ope tuendum suscepisset, eundem tamen statim deseruit, ubi res ejus accisas & desperatas animadvertit: Philippo e contrario, quem anathemate toties percussérat, favere cœpit, simul ac spes affulgebat, fore, ut ejus affinitate familia sua & pontificiæ sedis potentia nova incrementa caperet. Sic semper sanctis his patribus in turbido consilium fuit! Sic ferire Principes, aut palpum iis obtrudere didicerant, si quando id e re sua esse viderent. Scilicet *quadem zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui Rex interpretatur; talem Zelum tunc habuere Vicarii Petri in amputanda auricula Regum, in quos omnimodis invecti sunt.* Sed quid refert pluribus indagare nocentissima Innocentii consilia, cum Arnoldi Lubecensis, Abbatis Urspergensis aliorumque hujus notæ scriptorum extent lucubrationes, quæ satis temporum istorum infelicitatem declarant.

Ejusd. Leo Ostiens. ad Pascal. Pont. p. 69. tom. 3. ap. Schard.

Anni Christi 1208. 1209.

Philipp. Reg. ult. Otton. IV. 11. 12. Imp. 1

Ab. V. C. 285. 286.

Succedit denique annus Christi post millesimum ducentesimus octavus, quo primum a tot seculis Imperatoris sanguine imbuta est principis Germanici manus. Otto enim Wittelsbachius Palatinus non dubitavit Philippum parricidali gladio trucidare, cui non modo excubias & custodias, sed etiam laterum suorum oppositus debebat. In asserendis parricidii causis mira deprehendimus auctorū divortia. Si Mutium audimus ad tam nefandum facinus spes eum compulit, qua sibi magna ab Ottone Rege beneficia erat pollicitus, si æmulum ejus interemisset. Sed hanc suspicionem videtur vel hoc solum redarguere, quod Otto tam severus in puniendo percussore fuit. Alii eum ideo Philippo succensuisse malunt, quod cum filiam ejus sibi in matrimonium petiisset, repulsam tulerit. Nec desunt, qui iræ hujus originem inde arcessunt, quod Philippus Ottonis filiam, quam sibi olim sponsam delegerat, repudiasset. Sed ego potissimum Arnoldo Lubecensi crediderim, qui & veritatis est amantissimus, & iis ipsis temporibus floruit, quibus hæc gesta sunt. Refert hic Wittelsbachium Poloniæ Regis, aut ut Fridericus Lucæ mavult, Henrici Silesiæ Ducis filiam sibi uxorem optasse, utque ea eo felicius potiretur, magnopere a Philippo petisse, ut se Regi commendaret. Philippum operam suam prolixe pollicitum, longam equidem confeciisse epistolam, sed omissa commendatione a parte satis Regi Poloniæ scripsisse, minus sibi has nuptias probari: Wittelsbachium vero cum ex litura in fraudis suspicionem veniisset, soluto epistolæ vinculo Regis erga se animum cognovisse, & statim illi necem jurasse. Hæc Arnoldus Lubecensis. Continebat se tunc Philippus Bambergæ, exercitum, quem adversus Canutum Daniæ Regem conscripserat expectans. Ad quem irarum plenus festinans Wittelsbachius, reperit eum X. Cal. Julii in palatio curantem valetudinem, & post sectam venam colloquio cum Spirensi Episcopo se recreantem. Subito ergo in conclave cum aliquot sicariis sceleris consciis ingressus stricto gladio Philippum nihil tale veritum adoritur, unoque ictu in cervicem immisso extinguit: pluribusque deinde aliis, qui eum comprehendere audebant, vulneratis fuga sibi consulit. Corpus exangue Spiram avectum & in Cæsareo monumento reconditum est, sub hoc titulo:

Philippus ab Wittelsbachio interfectus. Cruf. Monach. p. [illegible]. Alb. Ursp. p. 310. Chron. mont. Ser. p. 85. Leibom. apud Oton. 4. p. 123 Alber. Chron. p. 447. Huld. Mutius l. 10. p. 173.

Spang. c. 643. chron. Sax. p. 419.

PHILIPPVS BAMBERGENSIS
ANNI MILLENI BIS QVATVOR
ATQVE DVCENI
EXTANT, QVANDO PIVS
REX OCCIDITENSE
PHILIPPVS.

Nec impune immanis latro parricidio hoc se polluit, sequente statim anno in latebris suis ad Danubium Henrici Kalinthini gladio interemtus.

Otto Philippo Regi succedit & pax reipublicæ redditur.

Tam indigna morte periit Philippus, Princeps in tantum laudandus, in quantum virtus & prudentia intelligi possunt, quique si in saniora tempora incidisset, vix parem in omni annalium memoria fuisset habiturus. Remoto itaque æmulo, Otto, nullo obnitente, fasces imperii tenuit. Halberstadii enim primum, deinde Francofurti in frequenti principum senatu denuo Rex ab omnibus renunciatus, Imperii insignia a Spirensi Episcopo suscepit, proceresque, qui aderant in sua verba adegit. Constitutum illi initio erat, nonnullorum perfidiam armis ulcisci, sed ab Alberto Magdeburgensi monitus, quam periculosæ plenum opus aleæ esset, a vindicta Imperium auspicari, ab incepto destitit, omnibus veniam pollicitus, qui eam recipere dignarentur. Quo etiam con-

jugio

jugio novum Imperium firmaret, Beatricem Philippi filiam, uxorem ſe ductur͂ ſpopondit, & Ottonem Wittelsbachium Philippi percuſſorem more majorum proſcripſit & Bojoarica lege ditionibus omnibus exuit. Nihil denique prius illi erat, aut antiquius, quam laceratæ longo diſſidio reipublicæ & ornamenta dignitatis & præſidia ſtabilitatis ſuæ reſtituere.

Otto Goslarię Monaſterium Franciſcanorũ fundat. *Arnold. l.7. c.18. p.562. Bunting. part.1. Chron. Brunſv. p.186. Spang. c. 244.chrõ. Sax.p.421 Cranz.l.7 Sax. c.30. p.194. Meibom. apol. Otton. IV. p.127.*

Proximo anno Otto Germaniæ provincias more majorum luſtravit, & cum Norinbergæ, Hagenoæ, Spiræ, Altenburgi in Miſniæ, aliisque locis, aliquandiu reipublicæ negotiis operam dediſſet, adulto jam vere in Saxoniam rediit, habitisque Brunsvici Principum comitiis res ad ſummam tranquillitatem conſtituit, & Alberto inprimis Magdeburgenſi jus exuviarum quod Imperatores ſibi adhuc vindicaverant, remiſit, plerisque hiſtoricis obſervantibus, nunquam majori frequentia proceres Imperii conveniſſe. Soluto hoc conventu, Goslariam quoque noſtram ſua præſentia illuſtravit, & cives tot annis ſibi inviſos in gratiam recepit. Inprimis æternam ſibi apud nos reliquit memoriam condito tunc monaſterio Fratrum minorum ſeu Franciſcanorum, quod hodienum, pulſis his homuncionibus, viduis ſenio confectis aliisque utriusque ſexus miſeris hominibus hoſpitium præbet. Buntingius de hoc novo cœnobio ita loquitur: Nach geendigten ſolchen Freuden-Feſt (zu Braunſchweig 1209.) zog König Otto gen Goßlar / verrichtete daſelbſt etliche reichs-Sachen / verehrte auch den Barfüſſern / oder Franciſcaner München / einen Plaz / dahin ſie ein Cloſter bauen möchten / zu welchen Gebäu er ihnen Holtz auf den Harz / und ſonſt allerhand Nothurfft ſchenckete. Eadem obſervat diligentiſſimus Leznerus, quanquam id neſcire me fateor, cur Ottonem non Regem, aut Imperatorem ſed Ducem tantum Brunſvicenſem vocaverit. Patet ergo, de quonam cœnobio loquatur Engelhuſius, quando ſub Ottone novum monaſterium Goslariæ fundatum ait, quod quale fuerit ad annum MCCIV. ignorare ſe profeſſus eſt Doctiſſimus Sagittarius.

Lezner. c.89.ap. MSC.de monaſt. Engelhus. Chron. p.244. Sagitt. c.6. hiſt. Guil.§.13.

Paulo parcius in annalibus æq; ac diplomatibus hujus monaſterii fierimentionem animadvertimus, ſorte quod hi fraterculi ſtipe victitantes, in coëmendis vendendisque bonis non multum chartæ inſumere neceſſe haberent. Paucos illos, quos inveſtigare licuit placuit ſubjicere, addito ſimul eorum ſigillo ex quo S. Laurentio conſecratam eſſe hanc eccleſiam diſcimus.

Tab. III. fig. 8.

Joannes Flagrinis Gardianus Fratr. Min. in Gosl. 1226.

Joannes Colbo Ordinis Fr. Min. in Gosl. 1279. ob. 1293.

Con. Gardianus Minorum Fratrum Gosl. 1291.

Conradus ab *Hartenberg*. Ordinis minoris Gosl. 13..

Conradus Coquus Hornburgenſis monachus Franciſ. Gosl. 1339. ob. 1350.

Petrus Ekmannus Ordinis minorum Gosl. 1397.

Fr. *Hinricus* Gardianus } ord. fr. minor. in
Fr. *Reynerus* Prior. } Gosl. 1422.

Caſpar. Coltermannus monach Franciſc. 1542, inde Diaconus ad SS. Cosm. & Damian. Gosl. denique Paſtor Mindenſis.

Otto in Wal-kenred, receptus *Cranz. l.7. Sax. c. 29 30. p.194. Bunting. l.c. Spangenb. l.c. Leſtorm. Chron. Walkenred. Sec.2. p. 74. Leukfeld. Part. l.c. 13. p.268.a. Walkenr. Beatrix Ottoni jungitur in matrimonium*

Goslaria Otto Walkenredam profectus eſt, ubi tum commode Ciſtercienſis fraternitatem ordo conventum celebrabat. Aderant Abbates LII, in quibus præcipue celebrantur Waldſachſenſis, Georgi-Vallenſis, Sichemenſis, Portenſis, Riddagshuſanus, Boldewinus, Heinenſis, Amelsbornenſis, Reifenſteinenſis, Michaelſteinenſis, aliique a quibus honorifice exceptus, conſalutatus & per dies aliquot magnifice habitus, in fraternitatem, quam magni ille fecit, cooptatus eſt. Inde Wurzburgum progreſſus, invenit Hugonem & Leonem Cardinales, qui in magno principum conſeſſu Regi denuo Beatricis nuptias commendarunt, Pontificis quoque conſenſum polliciti, ſi pœnitentiæ loco monaſteriorum & eccleſiarum defenſionem ſuſciperet, viduis & pupillis juſtitiam adminiſtraret, monaſterium Ciſtercienſis ordinis, aut ut Arnoldus mavult, duo ſuis ſumtibus ædificaret, ac poſthæc Hieroſolymitanæ eccleſiæ in ſubſidium proficiſceretur. Quæ cum Ottoni placuiſſent, adducitur Beatrix jam viro matura, & ab ipſo Hugone Cardinale ſolenni ritu Ottoni jungitur.

Otto de S. Blaſio. c.51. p.162. Arnol. l.7. c.19. p.562. Cranz. l.7. c.30.31. l.c. p.195.

Auguſtæ denique Vindelicorum de Ottonis protectione Italica cum Principibus collocutus, ſub menſem Julium expeditionem hanc ingreditur ſuſcepturus Imperii coronam, quæ iſtorum temporum more Romæ a Pontifice petenda credebatur. Mediolani igitur corona ferrea cinctus a Ruperto Epiſcopo, ulteriusque Viterbium progreſſus, obvium habuit Innocentium Pontificem, cum quo poſtquam de coronatione egit, ſub Octobtem Romæ ſolenni ritu coronatur, tanto populi concurſu, ut plurimi vitæ periculum adirent. Sed peracta ſolennitate, cum Papa juramenti formulam concepiſſet, quam ab Ottone ſibi volebat dici, Imperatorque, ne quid præcipitanter videretur egiſſe, dilationem ſibi dari poſtularet, tantus ſubito coortus eſt tumultus, ut plurimi ex ejus exercitu a furibundo populo trucidarentur. Vnde Imperator cognita Pontificis aſtutia exercitum ad Longobardos in hyberna reduxit, novisque e Germania copiis accerſitis, totam Germaniam adverſus Pontificem ſollicitavit. Sic ille ipſe Otto, quem Papa ideo Regem eligi vo-

Abb. Vrſp. p. 313. Abb. Stad. p. 500. Arnold. l.c. c.21. p.567. Otto de S. Blaſio. c. 52. p. 207. Sigon. l.6. hiſt. Ital.

Coronatio.

voluerat, ut Imperii jura eo impunius ad ſe raperet, juſto Dei judicio flagellum Pontificis factus eſt, ut ſuo loco audiemus.

Otto Walkenridenſium privilegia confirmat. *Ekſtorm. ſect. 2. p. 71. ſq. Meibom. p. 60. tom. 3. Rer. Germ.*

Dum in Italia ad Interamnem hæret Imperator, monaſterii meminit Walkenredenſis, a quo tam laute hoc anno ſuſceptus fuerat, eorumque jura ac privilegia omnia luculentis diplomatibus rata habuit. Integra illa jam tum dedere Ekſtormius & Meibomius, ex quibus conſtat, nec eorum bonorum, quæ Goslariæ poſſedit hoc monaſterium oblitum eſſe Ottonem. Confirmat enim & illibata omni tempore conſervari præcipit. *Curiam & aream, quas poſſidet monaſterium prædictum in Goslaria, cum univerſo emolumento, quod ibidem habet in monte, & caſas conflatorias, quas habet in nemore. Acta hæc ſunt apud Interamnem in partibus Spoletanis, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo nono, anno regni Ottonis undecimo, Imperii vero primo, Nono Calend. Januarii Indict. XII.* At non minus ſolicitum eccleſia Richenbergenſis experta eſt Hartbertum Epiſcopum ſuum, qui venditionem quandam tabulis ſuis ratam habuit, tamque provide huic eccleſiæ proſpexit, ut nullum vereri potuerit ex hac venditione detrimentum. Sed ipſum audiamus Hartbertum: Hartbertus Richenb. benefacit.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Hardbertus* Dei gratia Hildenesheimenſis Epiſcopus. Quoniam ſollicitudinis noſtræ officium eſt, utilitatibus eccleſiarum proſpicere, & contra malignantium inſidias futuro in tempore neceſſariis inſtrumentis eas communire, notum omnibus eſſe volumus, tam præſentis, quam futuri temporis hominibus, quod *Simon* & *Herimannus* fratres de *Herrige*, & *Walterus* nepos ipſorum filiis ſuis *Beriboldo* & *Eſchwino* conſentientibus quatuor manſos pro *Bredenim* ſitos, quos poſſidebant, conventui S. Mariæ in *Richenberg* pro triginta marcis & una vendiderunt, & eisdem bonis nobis reſignatis prædicti fratres & *Walberus* cum filiis ſuis ſupra nominatis in manus noſtras & *Echwini* de *Luthere* & *Berbodonis* de *Othfreſem* data fide promiſerunt, quod ſi ſupra dictis bonis conventum quis impetat eundem, ipſi in jure vel in amicitia expedirent, vel de proprietate ſua, ſi id facere requirantur, eadem bona conventui ex integro recompenſarent. Nos vero divinæ remunerationis intuitu, ac pro animæ noſtræ remedio, ſupra dictos manſos eccleſiæ S. Mariæ in *Richenberg* ad uſus fratrum inibi Deo famulantium contulimus, quorum orationibus & meritis nos una cum eccleſia noſtra apud Deum adjuvari confidimus. Ut ergo tam pia tamque ſalubris noſtræ liberalitatis donatio, futuro in tempore nulli veniat in dubium & rata permaneat, præſentis paginæ ſcriptum ad cautelam exinde confectum ſigilli noſtri impreſſione duximus muniendum. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCCIX, V. Id. Martii, in civitate *Hildenesheim*. Teſtes hujus rei ſunt: *Johannes* Præpoſitus de Richenberg, *Theodolphus* Cellarius, *Lambertus* Converſus, *Bertramus* Canonicus Montis S. Mauritii, *Eſchewinus* de Luthere, *Berbodo* de Othfreſem, *Gerhardus* de Reinſtede, *Hildebrandus* de Driſpenſtede, *Bodo* de Gledinge, *Hildebrandus* de Hemsdor, *Herimannus* Camerarius Epiſcopi, *Bertholdus* Oſtermann, *Hildebrandus* de antiquo foro, *Berungus*, *Spirengus*, *Erneſtus* de Blikenſtede, *Ludolphus* filius Camerarii, *Ludolphus* Juvenis de Dalem, *Bernhardus* filius Hugelini & alii quem plures *Amen*.

Nec diu ſuperfuiſſet Hartbertus, ſi quibusdam Hildeſienſium faſtis fides eſſet, quibus hoc ipſo anno rebus humanis exemtus fertur. Sed hunc vulgi errorem detegemus infra ad annum MCCXVI.

Anni Chriſti 1210. 1211.

Ottonis IV. Regis. 13. 14. Imp. 2. 3.

Ab. V. C. 287. 288.

Ponti. ſex juramentum

OTto Imperator ſatis jam cognoverat Pontificis erga ſe animum; idque ſolum eum agere, ut, ſi quid Imperatori indecorum exiduum, id omne ad ſe raperet. Simul ac enim Otto ſuperiore anno, multis exantlatis moleſtiis, Romam acceſſerat, & Cæſareo diademate fuerat redimitus, ſtatim Innocentius cœpit juramentum exigere, quo nihil potuiſſet excogitari reipublicæ perniciouſius. Cumque deliberandum accuratius putaret Cæſar, quod ſemel erat ſtatuendum, tantam in urbe ſeditionem excitavit Pontifex, ut Imperator in extremo ſe periculo intelligens conſtitutum, ex-

Ottone. *Meibom. apol. Otton. 4. p. 135. Schaten. lib. 10. annal. Paderb. Part. 1. p. 956.*

ex præſcripto jurare ſit compulſus. Sparſim e multis auctoribus capita hujus ſacramenti eruit Meibomius, ſed Schatenius integrum protulit unde nobis quoque juvat illud recitare, ut explicatius conſtet poſteritati, quam inexplebilis fuerit pontificum dominandi cupido:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO *quartus divina favente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Recognoſcentes ab eo noſtræ promotionis donum miſericorditer proceſſiſſe, a quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, ipſum ejusque Vicarium & ſponſam ejus ſanctam Eccleſiam diſpoſuimus & decrevimus magnifice honorare, ut qui nobis in præſenti temporale contulit regnum, in futuro quoque tribuat ſempiternum. Proinde vobis* Reverendiſſime Pater & domine ſumme Pontifex Innocenti, *quos pro multis beneficiis nobis impenſis ſincerisſimo veneramur affectu, veſtrisque Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reverentiam ſemper humili corde ac devoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri* Reges *& Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil ex iis volentes diminui, ſed magis augeri, ut noſtra devotio clarius eniteſcat. Illum igitur abolere volentes* abuſum, *quem interdum quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum libere ac canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum capitulum, vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obſtet de Canonicis inſtitutis.* Appellationes *autem in negotiis & cauſis Eccleſiaſticis ad Apoſtolicam ſedem libere fiant, eorumque proſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus & refutamus* abuſum, *quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt Anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem* hæreticæ pravitatis errore *auxilium & dabimus & operam efficacem.* Poſſeſſiones *etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit ab Anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſa ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, & quæcunque ad manus noſtras devenerint ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt a* Radicofano *usque* Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Britennorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis cum aliis adjacentibus terris *expreſſis in multis privilegiis Imperatorum & Regum a tempore* Ludovici *ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum cum omni juriſdictione, diſtricto & honore ſuo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus procurationes. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Eccleſiæ Romanæ* Regnum Siciliæ *ac cetera jura quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam* devotus filius & Catholicus Princeps. *Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro Innocentio ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici ejusque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores Romanos Imperatores & Reges obſerventur, firmaque & inconvulſa ſemper permaneant, præſens privilegium conſcriptum Majeſtatis noſtræ aurea bulla juſſimus communiri.*

Signum Domini *Ottonis quarti*
Romanorum Regis invictiſſimi.



Coactu

Coactus itaq; primum eſt Imperator non modo omnem obedientiam Pontifici jurato promittere, verum etiam multo ſubmiſſius, quam anteceſſores ſui fecerant, eumque venerari, quo ſcilicet devotio ejus clarius eniteſceret. Deinde Epiſcoporum electionem & inveſtituram, quam abuſum vocant, penitus dimittere eum oportuit, & omnes eccleſiaſticas controverſias ſoli Pontifici decidendas relinquere. Præterea juri exuviarum penitus erat renunciandum, & denique omnes in Italia Imperii poſſeſſiones a Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, comitatus Britennorii, Exarchatus Ravennæ Pentapolis cum aliis terris adjacentibus, cum omni jure diſtrictu & honore ſuo Pontifici tradenda erant. Ea ſcilicet erant Imperii jura, quæ Svevici Imperatores a tanto tempore ſibi vindicaverant, quæque uno impetu nunc extorqueri ſibi videbat Otto. Qui vel mediocri judicio pollet, ſtatim animadverteret, Imperatorem non potuiſſe ſine exiſtimationis ſuæ detrimento hoc juramentum dicere: quippe quo omne fere jus, quod in Italiam habuere Imperatores, extinguebatur. Juravit tamen, periculo & Pontificis minis territus, animadvertens videlicet, minus ſe evitaturum violentas plebis Romanæ manus, ſi jurare detrectaret.

Otto. nem juramenti pœnitet. *Godefr. Monach. p. 279.*

Cum jam ſuperiore anno Roma cum exercitu in Longobardiam eſſet reverſus, & paulo maturius cum ſuis, quid jurare fuerit coactus, conſideraret: ſtatim concepit animo pacta hæc iniqua reſcindere. Memoriæ hoc prodidit Godefridus Monachus, qui licet in Mathildæ natalibus & conjugio hallucinetur, inprimis tamen hoc nomine laudandus eſt, quod non diſſimulat, quibus artibus Pontifices Mathildæ terram ſibi vindicaverint: *Quo* (Ottone) *conſecrato oritur inter eos controverſia propter Marchiam Domne Methildis, que quondam fuit filia Rutgeri Principis Sicilie, viri famoſiſſimi, & uxor Conradi Regis filii Heinrici Imp. IIII. viri catholici & apoſtolice ſedi ſubjectiſſimi: qui contra voluntatem patris per quasdam Italie partes & nomen & dignitatem Regis annis fere novem obtinuit, & terram ſpatioſiſſimam poſſedit. Poſt cujus mortem illa turturina predita fide ſecundos deteſtabatur amplexus, & in viduitate permanens marchiam ſibi a viro relictam, ut vir ſapientiſſimus gubernabat. Que ad ſenilem perveniens atatem circumventa a Papa, tunc temporis Marchiam* * *Imperium attinentem, quam regebat, magiſtratibus & poteſtatibus inſciis & inconſultis beato Petro tradidit. Que tamen poſt mortem ejus ab Imperatoribus ſedi apoſtolica ablata & Imperio reſtituta eſt. Hanc ergo terram Papa ante conſecrationem ſibi reſtitui poſtulans, Imperator, ut novus homo, & rei neſcius annuit, & promiſit: ſed poſt conſecrationem a poteſtatibus & magiſtratibus revocatus & prohibitus minime reſtituit.* Non eſt dubium, quin tanta res in ſolenni principum conventu publico decreto ſancita ſit. Quis enim ambigat, Longobardiæ principes & Cæſarei dominatus vicarios Imperatori juveni, & Italicarum rerum imperito, bona fide expoſuiſſe, quæ jura Imperatores in has regiones, jam inde a Caroli M. usque temporibus exercuerint? Immo auctores habeo Mattheum Paris. & Sigonium, Ottonem convocatis peritiſſimis Jureconſultis diligenter Imperii jura inquirere cœpiſſe. A quibus cum quædam oppida in Campania a Friderico Siculo, alia a Pontifice occupata comperiret, quæ ad imperium pertinuiſſent: conſtituit ſecum armis illa recuperare, protinusque immiſſis militibus aliquot urbes recepit.

Aleib. lib. c. p. 139.

Math. Paris ad. ann. 1210. Sigon. lib. 16. Alberic. Chron. p. 450.

Pontificis & Ottonis diſſidium.

Dici non poteſt, quam hoc Pontificis animum exacerbarit, qui jam firmato Ottonis Imperio non dubitaverat, ſe Mathildis provinciis denique potiturum, quibus anteceſſores ſui tanto adhuc tempore fruſtra inhiaverant. Nec minus Papam male habebat, quod Otto Cleri ſcelera, quæ magis magisque indies invaleſcebant, eradicare conſtituerat, id enim animi illi fuiſſe ſatis declarat ejus oratio apud Guiliermum Britonem habita, quanquam poëtica licentia non parum ab ipſo Britone, ut videtur, interpolata. Cognitis vero hiſce Ottonis conſiliis, cum armis ſe imparem videret, ad ſacram illam armaturam confugit, & Ottonem anathemate percuſſum, imperio exuit, ſtatimque miſſis in Germaniam legatis ſuis, principes adverſus Imperatorem excitavit. Imperator, qui ſe Patrem Patriæ, & Auguſtum eſſe noverat, contemto bruto fulmine, rerum ſuarum ſatagebat, & Viterbio, Monte-Flaſcone, Vrbeveto, Peruſio, Ducatu Spoletano, bonaque Apuliæ parte in ſuam redactis poteſtatem, tanto terrore omnem Italiam complevit, ut omnes eum Ottoni Magno, aut Friderico primo paria facturum putarent. Quid? quod dudum amiſſa inveſtituræ jura eum tunc ab Innocentio repetiiſſe, obſervant Marſilius Patavinus, Cranzius & Meibomius: documento egregio, non aliam Ottoni fuiſſe ſuſcepti belli cauſam, quam recuperanda Imperii jura, ad quam Mattheo Pariſio auctore ipſe Pontifex ſatis imprudenter eum juramento adſtrinxerat: Helleboro itaque Schatenio opus fuiſſet, qui more ſuis hominibus ſolenni poſitaque omni reverentia in hunc majeſtatis Cæſareæ vindicem tanta impudentia non dicam calamum, ſed virgas & ſecures expedivit, ut eum *ingratum hominem & labem Saxonici nominis* vocare non dubitaverit. Sic ergo labes Saxonici nominis & ingratus audit, qui Ottoni Magno per omnia ſimilis, nihil habuit antiquius, quam injuſta ſpolia iis detrahere, qui prius illa rapere erant auſi.

Guilierm. Brito. lib. 10. p. 314.

Marſil. Patavin. part. 2. defens. pac. cap. 26. Cranz. lib. 7. Wandalie c. 21. Meibom. diſſert. de inveſtitur Epiſcop. p. 180. & apol. Otton. 4. p. 141. Schaten. l. c. p. 956.

Anconitanam vide Extrav. XII. Joannis XXII.

Anni Chriſti 1212. 1213.
Ottonis IV. Reg. 15. 16. *Imp.* 4. 5.
Ab. V. C. 289. 290.

Otto in Germaniam redux principes ſibi adverſos compeſcit.

INterea dum Otto in Italia bene rem gerit: Germaniam denuo conturbavit Sigefridus Moguntinus Archiepiſcopus, qui legati Apoſtolici munere a Pontifice ornatus, omnes principes in Ottonis perniciem patriæque ruinam armabat. Hinc in diverſa abiere proceres, pars ab Ottone ſtetit, pars cum Pontifice fecit. In his Johannes Treverenſis Archiepiſcopus, Ludovicus Dux Bavariæ, Leopoldus Auſtriæ, Hermannus Thuringiæ Landgravius, Ottocarus, Bohemiæ Rex, Otto, princeps Moraviæ, Conradus Spirenſis Epiſcopus, Bertoldus dux Zæringiæ, qui Bambergæ aliisque locis adverſus Ottonem conjurantes, eo demum audaciæ progreſſi ſunt, ut Pontificis ſuaſu Fridericum Siciliæ Regem, Henrici IV. filium vix dum ex ephebis egreſſum in Germaniam evocarent, eique offerent Imperium. Hinc Otto in medio rerum bene gerendarum curſu a ſuis principibus impeditus, ne quid domi adverſus ſe ſtatueretur, mira celeritate in Germaniam rediit, convocatoque Norimbergam ſub pentecoſtes anniverſaria principum conventu, multis verbis, quid ſe ad hoc bellum compulerit, expoſuit, graviterque invectus in perduelles, tam cito prælentium animos ſua eloquentia commovit, ut plerique jure cum arma cepiſſe faterentur. Inde in perfidos decreta ultio eſt. Ottocarus Bohemiæ Rex armis victus regno ejicitur, filius ſubrogatur, Hermannus Thuringiæ Landgravius graviter vexatus Weiſenſeam aliasque urbes amittit, & a Friderico etiam Misniæ Marchione, cum quo ideo Otto fœdus pepigerat [*] affligitur: Nec minus etiam ceteri principes, qui ab eo defecerant partim ac ipſo, partim ab Henrico ejus fratre aliisque fœderatis ad officium revocati ſunt: adeo, ut Friderico Siculo in ſuperiori Germania invaleſcente, pauci cum eo aperto Marte congredi auderent.

Godefr. Monach. p. 280. Abb. Urſp. p. 313. ſq. Autor. de Landgr. Thur. p. 922. Mutius. l. 19. p. 175. Naucler. vol. 2. generat. 41. p. 806. ſq. Meib. l. 143. ſq. apol. Ott. 4 Alberic. Chron. p. 456.

[*] *Conventio hæc integra extat ap. Mader. p. 125. ant. Brunſv.*

Otto in Saxonia Archiepiſcopū Magdeburgenſem compeſcit.

Acceſſit interea e Sicilia Fridericus, Ottonis æmulus, cui Innocentius Imperatoris odio regnum Germaniæ deſponderat, qui ſimulac pedem trans Alpes protulit, ſtatim certatim ad ſe confluere vidit ſuperioris Germaniæ proceres, qui eum Moguntiam deductum Regem ſolemni ritu ſalutabant. Otto igitur feſtinatis ex Thuringia itineribus cum exercitu in Sueviam advolat, caſtrisque ad Uberlingam locatis Friderico ſeſe opponit. Sed cum omnes in ejus partes procliviores animadverteret, nec ullibi ad Rhenum tuto ſe verſari videret, in Saxoniam re infecta reddiit, quam totam tunc Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cædibus & incendiis turbabat: omnes illos Epiſcopos diris devovens, qui Ottoni favebant contra Innocentium. Immo eo audaciæ progreſſus eſt, ut ſub excommunicationis pœna prohiberet, ne quis Ottonem Imperatorem vocaret. Otto cum non diutius ferendas has injurias exiſtimaret, Archiepiſcopatum hunc ingreſſus, tantam ubique intulit vaſtitatem, ut vulgo tunc circumlatum ſit dicterium, *Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ab Ottone Imperatore & Alberto Archiepiſcopo conſtructum ab Ottone Imperatore & Alberto Archiepiſcopo deſtrut.* Sed & Monaſterienſis Epiſcopus Imperatori cognominis, cum ejurato Ottone Friderico hæreret ab Ottonis militibus captus & in Inſula S. Sviberti diutiſſime in vinculis habitus eſt.

Godefr. Monach. p. 280. Abb. Urſp. p. 313. Chron. mont. Ser. Alberic. p. 466.

Annus Chriſti 1214.
Otton. IV. Reg. 17. *Imp.* 6.
Ab. V. *C.* 291.

JAm ubique in Saxonia victorem exercitum circumducebat Otto; & in Belgio Philippo quoque omnia ei favebant, cum, neſcio Franciæ cujus conſilio, contra Philippum Franciæ Regi Regem bellum infructuoſum ſuſciperet, bellum quo ejus vires non parum attritæ ſunt. infert. Primam odii originem ex Philippi convitio vulgo arceſſunt. Cum enim ante ſeptendecim annos Otto ex Anglia ad campeſſendum Imperium profectus obvium hunc Philippum haberet, & de electione ſua cum illo colloqueretur: ille male ominatus proterve Ottoni illuſit, adeoque ſe de fortuna Ottonis dubitare faſſus eſt, ut paratum ſe diceret tres maximas civitates ſuas Ottoni dedere, ſi vel ſola Saxonia in ejus honorem conſentiret. Nec aliud ſe pignus ſponſionis repoſcere, quam equum, quem in comitatu ſuo Otto adducebat formoſiſſimum. Quam male Ottonem hæc ignominia habuerit, facile eſt cogitatu. Diſſimulata tamen in præſens animi ægritudine, non ſe aſpernari hanc conditionem dixit, & optionem Philippo dedit, equos quibus inhiabat, auferendi. Præterea Franciæ Rex ſuperiore tempore ferme ſemper cum Philippo Svevo, æmulo Ottonis fecerat, ipſumque Angliæ Regem Johannem juramento eo adegerat, ne quam Ottoni opem ferret. Denique ex quo cum Innocentio Imperator fuerat colliſus, Philippus occulte favebat Pontifici, idque inprimis dabat operam, ut Fridericum in Imperio firmaret. Non ferendum hoc diutius videbatur Ottoni. Hinc, miſſis fecialibus, ex pacto urbes ſibi promiſſas poſtulabat, cumq; Rex Franciæ cauſas ſubinde alias ex aliis necteret: collecto ex Belgis, Saxonibus, Weſtphalis & Lotharingis validiſſimo exercitu Franciam ingreſſus omnem regionem longe lateque depopulatur. Sed male ceſſit hoc bellum Ottoni. Philippus enim veteri uſus Francorum ingenio ex inſidiis Germanos adoritur,

Godefr. Monach. p. 280. Abb. Urſp. l. c. Chron. mont. Ser. Alberic. p. 466. Godefr. Monach. p. 280. Abb. Urſp. p. 313. Autor. de Landgr. Thur. p. 922. Mutius. l. 19. p. 175. Naucler. vol. 2. generat. 41. p. 806. ſq. Meib. l. 143. ſq. apol. Ott. 4. p. 116. & 45. Caſp. Barth. not. ad Briton. l. 6 Godefr. Monach. p. 280. Abb. Urſp. p. 313. ſq. & l. 14. p. 321. ſq. Godefr. Monach. p. 281. Paduan. l. 1. ap Urſ. p. 332. Abb. Urſp. p. 319. Alb. Chron. p. 477 ſq. Arn. Lub. l. 7. c. 17. p. 560. Cranz. l. 7 c. 35. Saxo. p. 197. Mc. hom. apol. Ott. 4. p. 116. & 45. Caſp. Barth. not. ad Briton. l. 6

tur, tantaque ſtrage eos conficit, ut xxx. majorum ordinum duces, (in quibus & ipſe Henricus Palatinus a nonnullis per errorem refertur) capti in hoſtium venirent poteſtatem. Vnde Otto perculſus ac proſtratus in Germaniam indecora fuga vix elapſus eſt.

Otto ad vitam quietam rediit.

Vltima hæc Ottonis clades ex qua nunquam reſpiravit. Fridericus enim capta occaſione cum infeſto exercitu in Belgium movens, in quo Ottoni maximum adhuc præſidium fuerat, omnes principes partim armis, partim beneficiis in ſuæ cauſæ ſocietatem pertraxit: quorum exemplum deinde ſecuti alii turpi defectione notam ſibi inuſſere, unde Otto deſperatus & Pontificis artibus oppreſſus ad privatam vitam rediit, & quicquid reliquum erat ætatis pietatis ſtudio unice exegit, retentis tamen Imperatoris honore & inſignibus, quæ non niſi cum morte redditurus erat. Maluit igitur ſignum receptui dare, & ſe in portum ſubducere laudatiſſimus Imperator, aliisque ducendam permittere navem, cum qua ſibi erat pereundum, quam diutius cum Pontificis inſidiis, æmulorum viribus maliſque conſiliariis ſuis conflictari.

Meibom l. c.

Sed ad domeſtica demum redeundum, ex quibus nihil aliud hoc anno ſupperit, quam quod inter Richenbergenſem & Montis S. Georgii eccleſias lis quædam interceſſit, quæ tamen Balduini Riddags huſani & N. Hujusburgenſis Abbatum prudentia ſopita feliciter fuit. Cauſa ab hiſce judicibus delegatis peracta eſt, in monaſteriolo S. Sepulcri, quod in ſuburbio olim apud nos floruit: ut teſtantur literæ, quas ſervat in tabulariis ſuis eccleſia Grauhoffiana.

Lis inter Richenbergenſes & Montem S. Georgii ſopita.

Nec minus conventus *Horti S. Mariæ*, per quem non alium, quam qui Novi Operis vulgo audit intelligo, hoc anno inſignia cepit incrementa, emtis a monaſterio B. Godehardi bonis Bodenſteinianis, quæ ſucceſſu temporis ad Walmodios, inde ad cœnobium Frankenbergenſe pervenerunt, penes quod hodienum permanent. Emtionem confirmat Hartbertus Hildeſienſis Epiſcopus, quem tamen jam anno MCCIX. obiiſſe vulgo tradunt faſti Hildeſienſes. Diploma ipſum addere juvat, cum non meminerim me alibi hujus nominis apud nos veſtigium deprehendere; licet alibi floruerit *Hortus Mariæ*.

Monaſterium Novi Operis emit bona Bodenſteinenſia.

Chron. Mont. Franck. p. 38.

* * *

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HARTBERTVS Dei gratia Hildenſem. Eccleſiæ Epiſcopus, ad cautelam futuri temporis notum eſſe omnibus volumus, quod conventus *S. Godehardi in Hildenſem* pro quibusdam bonis redimendis & debitis expediendis bona ſua in *Bodenſten* videlicet XIX. manſos cum omnibus attinenciis ſuis, paſcuis ſcilicet, pratis, nemoribus & decima eisdem bonis attinente conventui de *Orto S. Mariæ Goslariæ* pro LXXVII. marcis de noſtra permiſſione vendidit & conſenſu. Nos vero quia eundem locum in omni bono creſcere ſemper deſideramus & virtute, dicta bona tam racionabiliter conquiſita uſui ancillarum inibi Deo famulancium cum omni integritate recognovimus, & decimam iisdem bonis attinentem pro remedio animæ noſtræ ac memoria nominis noſtri habenda perpetuo contulimus, ſperantes meritis *earum* & precibus nos una cum eccleſia noſtra apud Deum quam plurimum adjuvari. Vt autem ab hujusmodi contractu inter præmemoratas eccleſias in noſtra præſentia racionabiliter celebrato obliviones nocivæ periculum excludamus, præſentem paginam inde conſcriptam ſigilli noſtri placuit impreſſione communiri. Actum anno Domini MCCXIV. Idib. Septembr. Teſtes hujus rei ſunt: *Hartmannus* prior, *Helmungus*, *Theodolphus*, *Hermannus*, *Henricus*, *Wernhardus*, *Sigebodo*, *Ludegerus*, *Henricus*, *Ludolphus*, *Johannes*, *Gerbertus*, *Bertholdus Ludolphus*, *Wicmannus*, *Eckehardus*, Sac. Epiſcopi. Laici: *Fredericus* Comes de Poppenborch, *Gerhardus* de Remſtede, *Hermannus* de Berberge, *Erneſtus* de Nethelege, *Wulfardus* de Pethele, *Lodewicus* monetarius, *Gerbrandus* mercator aliique quam plures.

Comites Poppenburgenſes,

Inter teſtes eminet hic *Fridericus* Comes Poppenburgenſis, cujus familia cum in Saxonia noſtra ad Leinam olim præ ceteris & antiquitate & rerum geſtarum gloria floruerit, non erit incongruum, hic integrum ſtemma apponere e Leznero:

Poppo *Suevus*
primus Comes Poppenburgenſis.

Becka. | Berengarius. Præpoſ. S. Crucis Hildeſ. 1178. | Fridericus. 1144. 1178. | Bernhardus. 1169. | Henricus.

Conradus. | Johannes. | Fridericus. vendidit monaſterio Stederburgenſi 11. manſos 1187. | Albertus. anno 1178.

Fridericus 1210. 1214.

Witekindus *a. 1243. Wulfingshuſenſe cœnobium dotavit.*

Adelbertus. *Conj.* Oda de Hohenbuchen. *obiit ἄπαις 1319.*

Anni Chriſti 1215. 1216.

Otton. IV. Reg. 18. 19. *Imp.* 7. 6.
Friderici II. Reg. 1. 2.
Ab. V. C. 292. 293.

Frideric' res ſuas firmat. *Godefr. Monach. p. 282. Chron. mont. Ser. p. 109.*

FRidericus interea eo felicius ſibi vindicabat imperium, quo magis fortunæ invidia oppreſſum videbat Ottonem. Nulla amplius ad Rhenum ſupererat civitas, quæ Ottonis partes tueretur, niſi Colonia, ubi ſe diutius ille continebat; ſed & illa mox defecit, ubi anathemate ſe premi vidit. Diſceſſit igitur Otto in Saxoniam tam periculoſo itinere, ut ejus conjugem ſexum mentiri & ſub virili habitu latere oporteret. Interea Fridericus a proceribus Imperii Aquisgranum deductus a Moguntino Rex inungitur. Quo in congreſſu ab ultione auſpicatus imperium, Henricum Ottonis fratrem Palatinatu exuit. Provinciis ejus Ludovico Bavaro cum filia traditis, Coloniam deinde in deditionem accepit, omniaque nullo reſiſtente in ſuas partes pertraxit.

Concilium Lateranenſe. *Godefr. Monach. p. 283. Abb. Vrſp. p. 320. Chr. mont. Ser. p. 109. Alb. Stad. p. 301. Concil. tom. XI. part. 1. p. 117.*

Lætus hiſce Friderici ſucceſſibus Pontifex convocavit Synodum Lateranenſem, & Ottonem, repetita ſententia denuo Imperio privat, ſubrogato Friderico, quem indulgentiorem in Pontifices fore falſo augurio credebat. Miſerat & Otto illuc legatos, qui cauſam ſuam in tam illuſtri congreſſu tuerentur; Sed ſurdis narrabant fabulam; & jam tum conſtitutum erat Pontifici, in Fridericum faſces Germaniæ devolvere. Solent hoc conciliabulum miris modis celebrare Pontificii, cum ex omni hiſtoria nullum ferme poſſit excogitari periculoſius. Novi plane & inauditi antea errores decretis in illo firmati. Albingenſes, ſancti illi veritatis teſtes hæreticis adſcripti & anathemate percuſſi, deforme tranſubſtantiationis dogma confirmatum, aliaque tunc in eccleſiam introducta ſunt, quæ Apoſtolico ævo ne fando quidem quisquam acceperat. Ridendus ergo Schatenius, qui ex hoc concilio toti ſacro ordini eccleſiæ noſtræ convitium dicere auſus eſt: ac ſi Sacramentorum uſu ab illo populus defraudetur, quoniam rite non ſit ab Epiſcopis ordinatus. Tanti ſcilicet apud nos eſt hoc conciliabulum, quanti omnia reliqua a Pontifice ejusque aſſentoribus congregata. Hoc ſane nec ipſi quidem antiqui ſcriptores tacent, nihil fuiſſe in hoc concilio ſancitum, niſi quod antea Pontifex ſcripto conceperat & Patribus tradiderat, unde & intra viginti dierum ſpacium concilium hoc ſolutum eſt, licet tam multa ſancita in illo ſint, ut vix totidem ſeptimanæ ſuffeciſſent ad deliberandum.

Schat. l. 10 Part. I. p. 971. annal. Pad. vid. Matth. Paris. ad h. ann. Platina. vit. Innoc. III.

Otto in ſeceſſu Harzb. ſe ſubducit & eccleſiis benefacit.

Hinc Otto cum a fortuna exagitari ſe videret, omnem plane cogitationem imperii recuperandi abjecit, & Harzburgum ad ſolitudinem tanquam portum quendam ſe recepit, atque e mundanæ gloriæ umbris eluctatus æternitatis lucem & veræ virtutis decus circumſpexit. Vi derat, quam varia adhuc fabula acta ſit, cit. quam diverſas partes agere a fortuna ſit compulſus. Putabat ergo extremum hunc reſtare actum, ut cum laude demum ex ſcena decederet. Equidem videri poterat Otto non tam deſeruiſſe fortunam, quam deſertus ab illa eſſe. Sed ſi paulo accuratius rem conſideres, nondum in eas anguſtias fuerat redactus, ut plane nulla ſe ſpes oſtenderet, æmulum opprimendi. Conſtantes adhuc in illo tuendo erant Saxones & bona Weſtphaliæ pars

nec

nec animi præsentia & magnitudo illi deerat, quam etiam hostes in illo suspiciebant. Nihilominus tamen noluit extrema jam ætate novis molestiarum & certaminum fluctibus se committere, sed Deo & sibi extrema vitæ reseruavit. Hinc plane non invidit Friderico Imperium, satis jam gnarus, quæ malorum Ilias illi immineret, precibus potius assiduis id a Deo precatus est, ut eum principem populo suo præficeret, qui sapienter tanto Imperio præesse didicisset. Denique nec genio in hoc secessu suo indulsit, aut voluptatibus, sed ex opibus suis, quas habebat reliquas, ecclesiarum necessitatibus subvenire, pro virili studuit. Ex his annis suppetit diploma quo cœnobio Riddagshusano quædam bona liberaliter donavit. *Hac autem facta sunt attestantibus fidelibus illius Guncelino Imperialis aulæ dapifero, Willerkino Marschalco, Olrico Advocato Goslariensi, Bernhardo de Wilferbutle, Cesario Advocato de Quedelinborg, Tiderico de Werbene & Joanne de Bornem. Acta sunt hæc ab incarnatione Domini MCCXVI, anno regni ejus, XVIII. Imperii VI. Indict. IV. VI. Idus Maji.* (*) Ex his testibus inprimis ad nos spectat Olricus Goslariensis Advocatus; ab Ottone ut videtur urbi præfectus: qui in aliis quoque ejusdem diplomatibus occurrit. Conjicio inde, Goslariam tum temporis adhunc in Ottonis fide constantius mansisse, cum Advocatus ejus tanti ab Ottone sit habitus: documento egregio, eos non raro fieri devotissimos amicos, qui antea fortissimi fuere inimici.

Stuvvegen Chron MSC. Hild. ap. Meibom. epist. p. 146.

Meibom. Chron. Riddagsh. p. 551.

Olricus Goslariensis advocatus.

(*) *Idem videtur esse diploma cum illo, quod Meibomius in diplomatibus Ottonis IV. n. 8. p. 162. tom. 3. rer. Germ. protulit, in quo tamen diversitas quædam forte a typographi errante manu deprehenditur.*

Ceterum ultimus annus subtraxit Hartbertum Hildesiensem Episcopum, qui omnem ætatem inter innumeras calamitates ac turbas exegit. Bucelinus equidem & Reutelius emortualem ejus annum signant millesimum ducentissimum octavum; aliud Chronicon Hildesiense MSC. MCCVII, Buntingius forte ex Pomarii errore MCC. Sed omnes hi manifesto fallunt. Anno enim MCCXII. quædam adhuc in favorem ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ constituit, qua de re diploma vidit Conradus Bertholdus Behrens. Biennio post MCCXIV. Bodensteinensia bona Horto S. Mariæ diplomate confirmavit, ut supra audivimus. Sed & anno MCCXV. testis occurrit in Ottonis diplomate, quo Magdeburgensi ecclesiæ omnia jura ac privilegia confirmantur. Patet ergo eum hoc ipso demum anno obiisse, quod dilucidius constabit ex diplomate Sigefredi Episcopi, ad sequentem annum a nobis recensendum, ubi diserte additur, datum illud esse *anno electionis Sigfridi primo.*

Hartbertus Hild. Episcop. obiit.

Bucelin. part. 3. Germ. S. p. 9. Reutel. Chron. Hildesh. p. 53. Chron. Episc. Hildes. MSC c. 21. 29. Bunting. Chron. Hild. p. 604. Behrens catal. prap.

Sigefridus hic, quem successorem habuit Herbertus ex Fuldensi cœnobio ad ecclesiam Hildesiensem transiisse plerisq; traditur. Immo Reutelius & Browerus eum Abbatem in hoc illustri collegio fuisse existimant. Sed in Fuldensium Abbatum Catalogis, quos Cornelius & Bruschius texunt, non occurit, sicut & ipse Browerus sibi non satis constitisse videtur. Sed longe major hallucinatio est Cranzii, qui eum a Philippi Regis partibus stetisse & Brunsvicensi obsidioni interfuisse, sed ægre demum cum Ottone in gratiam rediisse ait. Quo enim pacto cum Philippo sentire potuit, qui jamdudum ab Ottone Witelsbachio fuerat interfectus? Multo minus fieri potuit, ut Brunsvicensi obsidioni interesset, quæ in annum MCXCIX. incidit, quo tempore non Sigefridus, sed Conradus Rabenspurgius Hildesiensibus præfuit. Mirum ergo est, Bruschium Reutelium & ceteros fere omnes, qui Hildesiensium Episcoporum tempora composuere, tam constanter hunc Cranzii errorem sequi. Sed res ipsa loquitur, nullorum fere Episcoporum historiam magis desiderare viri in historicis versati industriam, quam Hildesiensium, quorum nec tempora, nec res gestæ satis accurate in literas relata sunt. Sed qui faciendum? meliora speremus?

Hild. p. 6 Meibom. dipl. Otton. n. 9. p. 162. Sigefridus succedit. Reutel. l. c. Browver. l. 1. antiq. Fuld. c. 18. p. 75. collat. cum. l. 4. p. 293. Cranz. l. 7. metrop. c. 28. p. 184. Brusch. c. 11. de Episc. n. 28. p. 1048.

Annus Christi 1217.

Ottonis IV. Reg. 20. Imp. 9.
Friderici II. Reg. 3.
Ab. V. C. 294.

Succedit annus Christi MCCXVII. quo armorum civilium furor in Germania conquievit. Turpe enim fuisset Friderico Ottonem non resistentem ulterius persequi. Interea nova expeditio suscipitur in Palæstinam, cujus societatem magno numero petunt Engelbertus Colonienſis, Otto Monasterienſis; Otto Trajectensis præsules, Comites denique innumeri, qui terrestri ac novali itinere sub Andrea Rege Hungariæ & Liupoldo Austriæ duce progressi in Palæstinam felici initio rerum successu utuntur aliquot castellis nullo resistente potiti. Sed mox, ut fieri semper in his expeditionibus consuevit, liticulæ inter principes coortæ sunt, & Andreas Hungarus retineri non potuit, quin cum magna parte exercitus in patriam rediret.

Expeditio in Palæstinam

Godefr. Monach. p. 283. Abb. Vrsp. p. 320.

Inter hæc Richenbergensis Ecclesia mansos aliquot in Bredenheim sitos a nobilibus de Herrige emerat ea tamen lege, ut pupilli quidam, qui nonnulla jura in illos obtinebant, si ad maturam ætatem perveniſſent, juri suo rite renunciarent. Quod cum hoc ipso anno factum esset,

Richenbergensis Ecclesia incrementa capit.

Sige-

Sigefridus Hildeſienſis Electus tabulis ſuis contractum hunc confirmavit. Diploma ipſum, cum verum Sigefridi annum initialem predat, integrum juvat adſcribere:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. SIFRIDUS Dei gracia Hildenesheimenſis Electus. Notum eſſe volumus tam præſentis, quam futuri temporis hominibus, quod cum *Simon* & *Hermannus* Fratres de *Herrige* & *Waltherus* nepos ipſorum, quatuor manſos in *Bredenheim* ſitos cum omni utilitate & jure quibus eos poſſidebant, conventui Beatæ Mariæ in *Richenberg* pro triginta marcis argenti & una vendidiſſent, quia *Mathildis* Soror, & *Hermanni* & *Bodo* filius *Waltheri* & *Bertoldus* cognomine *Diæſeke*, quorum conſenſus erat in hoc facto requirendus, tempore illo, quo hoc factum fuit, ad annos diſcretionis non pervenerunt, quod eos inducerent ad renunciandum, & perducerent tunc, cum de jure conſentire & renunciare poſſent, promiſerunt. Factum eſt ergo ſecundum quod promiſerunt, & coram nobis puella & *Bodo* & *Bertoldus* ſupra dicti renunciaverunt omni juri quod eis in prædictis quatuor manſis aliquo modo competere videbatur. Præſentes erant cum hoc facerent Dominus *VVernerus*, de Lichtenberg, *Fridericus* Comes, *Rodolphus* de Mandere, *Henricus VVelmeſtede*, *Cono* de Elleſſem, *Conol* Elemoſinarius. Actum anno ab incarnatione Domini MCCXVII. *Electionis anno primo.*

Annus Chriſti 1218.
Ottonis IV. Reg. ultimus.
Friderici II. Reg. 4.
Ab. V. C. 295.

Ottonis IV. obit, *Godefr. Monach. p. 288. Abb. Vrſp. p. 321.*

ANnum denique ingredimur emortualem Ottonis Imperatoris, quo diuturnum in Imperio diſſidium demum aliquantisper ſopitum eſt. Obiit Harzburgi e ventris profluvio, quo ſatis diu laboraverat, tamque pie ſe ad extrema compoſuit, ut non tam mori, quam e vita migrare videretur. Omnes in eo conſentiunt incredibili religione eum de peccatis ſuis doluiſſe; minime tamen ideo ſibi quaſi indignatus eſt, quod conſilium ceperat oppugnandi Romanam Eccleſiam; quippe quam nimis a priſtina veritate ac ſanctitate deflexiſſe, dudum experiundo didicerat. Unde nunquam potuit eo adduci, ut dimiſſis Pontifici Mathildæ provinciis, cum Eccleſia Romana in gratiam rediret. Cum jam ultima ſibi imminere ſentiret, accerſivit ad ſe Sigefridum Hildeſienſem Epiſcopum, a quo conſolationibus refectus & anathemate etiam liberatus eſt. Hinc cum de facultatibus quoque ſuis teſtamento facto prudenter diſpoſuiſſet, placide XIV. Kalendas Junii expiravit, & Brunſvici patrio monumento illatus eſt. Sic rebus humanis exceſſit Otto, ſapientiſſimus princeps & ingens Brunſvicenſis Domus ornamentum, in eo Philippo felicior, quod morte ſua & quieta in patria obiit. Mirum autem eſt, quam in morte illius referenda fabulis indulſerint ſcriptores. Albertus enim Stadenſis Cranzius & Sigonius tanto dolore eum expiationem ſcelerum quæſiviſſe referunt, ut accerſitis e culina viliſſimis mancipiis, collum ſuppoſuerit, juſſeritque pedibus ſe calcari, dorſum quoque pedibus dederit flagellandum. Egregium ſcilicet ejus, qui majorem jam partem mortis in corpus recepit ſolatium, ſi vera narrantur. Sed nugæ hærecte videntur Meibomio. Stolidior his Cantipratanus, non dubitat aſſerere, Ottonem diutius in purgatorio piacularibus flammis eſſe afflictum, nec prius inde liberatum, quam per Religioſorum Cœnobia vota & ſacrificia pro illo fuerint facta. Sed anilia iſthæc deliramenta quis credat? Helleboro caput ſi deterſiſſet Cantipratanus, non eſſet tam ſtulta ac incredibilia commentus. Deniq; omnem fidem ſuperant, quæ ex Thoma Walſinghamo refert Barthius, cujus verba adſcribere placet: *Anno* MCCXV. inquit Walſinghamus, *Otto quondam Imperator adverſante ſibi fortuna poſt bellum proxime ſupra dictum in Saxoniam reverſus privatam vitam toto evo ſuo duxit in ducatu, qui ſibi jure hereditario competebat. Tandem diſſenteria morbo laborans convocatis Epiſcopis alioque clero inſtanter cum lacrymis abſolutionem ſuper ſua rebellione petiit & accepit. Miles quidam Anglicus, dictus Philippus de Bonavilla, qui ſub iſto Othone plurimis annis militaverat, ſæpe de illo cum magna devotione referre ſolebat; eum inſtante morte viaticum recipere [quia nihil retinere poterat] non auderet, tamen corpus Chriſti ad inſtantiam ejus, ut illud videret allatum, humiliter adoravit. Et cum quaſi amplexaturus brachiis expanſis nudato corpore approximaret, boſtia illa in loco ubi cor latuit, facta apertura, intravit, proſiliens de manibus ſacerdotis, & abſque omni cicatricis veſtigio recluſus eſt locus; ſicque recumbens ſpiritum reddidit.* Adeo diverſa fuere hoc ævo ſcribentium ſtudia, aliis in laudando Ottone modum excedentibus, aliis omnia ejus facta damnantibus, nec quisquam veterum, ut recte notatum eſt Bœclero res

Cantipr. l. 2. c. 53.

Barth. ad Guil. Brit. Lib. Philippid. p. 634.

Alb. Stad. p. 301. ſq. Cranz. l. 7. c. 35. metr. p. 188. & l. 7. Sax. c. 37. p. 198.

Bœcler. annot. ad Æn. Sylv. de vit. Frider. III. p. 158

in

in civilibus hiſce bellis geſtas ſatis deſcripſit diſtinxitve; quaſi inter confuſa negotia etiam calami ſcribentium debuerint fluctuare.

Frideric' rempubl capeſſit. *Alb. Stad. p. 302. Sagittar. Hiſt. Gosl. c. 6. §. 21.*

Remoto æmulo Imperium nullo renitente ad Fridericum Imperatorem devolutum eſt, qui cognito Ottonis obitu in Weſtphaliam profectus Herphordiæ comitia indixit, nihilq; habuit antiquius, quam ut principes in ſuam partem traheret. Autor equidem eſt doctiſſimus Sagittarius eodem anno Goslariæ quoque comitia egiſſe Fridericum, ſed Albertus Stadenſis, quem teſtem allegat, id non hoc anno ſed ſequente contigiſſe refert: ad quem & nos diplomatibus confirmati referimus.

Hiſtoricorum indeſcribenda Friderici hiſtoria dexteritas deſideratur. *Vid. Buel. annot. ad Aen. Sylv. p. 141.*

Ceterum dum Friderici hujus hiſtoriam aggredimur, non poſſumus non accuſare temporum illorum morem, quo præclariſſimorum principum facinora pene omnia atro carbone notare ſolebant ſcriptores, ſi pontifici minus illa placere deprehenderent. Ea tunc erat rerum facies, ut pontifices, qui ſemel falcem in alienam meſſem immiſerant, omnium conſcientias veluti laqueis adſtrictas tenerent. Cumq; hiſtoriæ ſcribendæ ſtudium penes Monachos tantum eſſet, aut ſacrificulos, minus eſt mirandum, ſi de Friderico, qui perpetuo ferme contra Pontifices luctatus eſt, peſſima quævis ad poſteritatem transmiſere. Migrat enim affectus hominum in calamos, & odium ſemel animo conceptum non facile permittit ſcribenti, etiam virtutes in hoſtibus laudare, inprimis ſi temporum vitio libere loqui non liceat. Idem Friderico quoque contigit, qui in ea incidit tempora, quibus ſemel Pontifices, quid ultimum in ſceleribus & flagitiis eſſet, oſtenderunt. Jura divina & humana pervertere, Cæſarum majeſtatem conculcare, provincias rapere; in bonos ſævire, non vitium amplius erat ſed conſuetudo. Permanabat deinde mali contagio a palatio ad privatorum ſacerdotum ædes, adeo ut difficile eſſet reperire bonum. Cum his ergo vitiis Fridericus, veluti cum quibusdam monſtris perpetuum bellum geſſit, majorumque ſuorum legens veſtigia majeſtatis Germanicæ tuendæ animum non niſi cum monte depoſuit. Hinc illæ lacrymæ, hinc convitia totis plauſtris in optimum Imperatorem convecta, hinc rationem & humanitatem exuiſſe, omnem religionis ſenſum amiſiſſe, vitiisque de induſtria ſe mancipaſſe dicitur hiſtoricis, adeoque horrendis coloribus depingitur, ut niſi Petri de Vineis epiſtolæ & Abbatis Urſpergenſis lucubrationes extarent, exiſtimaremus Neronem quendam aut Julianum ex inferis rediiſſe. Hinc & nos ſine omni amore ac odio, quorum cauſas procul habemus, hujus Imperatoris res geſtas exponemus, perſuaſi, id quod Nicolao Cuſano quoque viſum eſt: poſt Carolum Magnum potentiſſimum ſapientiſſimum & reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum principem fuiſſe Fridericum ſecundum.

Annus Chriſti 1219.
Fridericii II. Reg. 5.
Ab. V. C. 296.

Comitia Goslarienſia. *Alb. Stad. p. 302. Cranz. l. 7 Sax. c. 37. p. 190. Spangenb Chron. Sax. c. 250. p. 430. Chron. Slav. ap. Lindebr. p. [illegible].*

IMperium Fridericus more majorum luſtratione provinciarum auſpicatus eſt, boni patris familias ad inſtar, qui ſi tempeſtas agro ſterilitatem intulit, ipſe coram intuetur calamitatem conſiliumque reperit, quo pacto diſcuſſa ac proſtrata inſtaurari oporteat. Eadem providentia optimus Princeps, cum e diuturno bello civili omnia dejecta & attrita ſentiret, omnes ferme Germaniæ provincias ipſe obivit, nihilque habuit antiquius, quam ut in integrum omnia reſtitueret. Sub ipſa anni auſpicia per Albim in inferiorem Saxoniam regreſſus, quadrageſimale jejunium Magdeburgi celebravit. Inde Goslariam profectus celeberrima principibus comitia indixit, ad quæ menſe Julio frequentes confluunt Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Otto epiſcopus Herbipolenſis, Conradus Metenſis Epiſcopus, Fridericus Halberſtadenſis Epiſcopus, Sigfridus Hildenesheimenſis, Engelhardus Numburgenſis, Conradus Mindenſis, Echardus Merſeburgenſis Epiſcopi, Ludovicus Dux Bavariæ, Albertus Marchio Veronenſis, Hermannus & Henricus Comites Woldenbergenſes aliique innumeri: qui omnes fidem Friderico dixerunt. Acceſſit etiam Henricus Comes Palatinus, qui a morte Ottonis Cæſaris imperii inſignia ſecum retinuerat, cumque ad ea reſtituenda fruſtra aliquoties fuiſſet invitatus, in hoc demum Goslarienſi conventu illa Friderico obtulit, minis Pontificis compulſus. Imperatum enim jam erat Halberſtadienſi & Hildenesheimenſi Epiſcopis, diris devovere Palatinum niſi regalia Friderico quantocyus traderet. Redditis inſignibus, in gratiam receptus eſt Henricus, nec quicquam in eum durius ſtatutum. Breviter auctor Chronicæ Slavicæ apud Lindenbrogium:

Anno 1219. Rex Fredericus habito conventu apud Goslariam gaviſus eſt valde Duce Henrico et imperii inſignia preſentante. Ekſtorm. Chron. In eodem principum congreſſu *Walkenredenſi quoque cœnobio magna beneficia Fridericus exhibuit, in primis curiam ejus Northuſanam liberam fecit, poteſtatem dedit cœnobitis, ibi emendi vendendi, permutandi ſine ſolutione vectigalis & contributione facta murorum reparandorum cauſa. Pratori Northuſano in mandatis dedit, ut ſi quis auderet monaſterii miniſtros aut bona laceſſere, Imperatoria auctoritate & Abbatem & laceſſentem ad ſe vocatos audiret, & cauſa cognita reum ad ſatisfactionem compelleret. Hæc acta ſunt Goslaria.* *Walkenr. p. 83.*

Sed facile tunc Goslaria ſummum pretium tulit ſervatæ Svevicis Imperatoribus

Privilegia Goslarienſibus conceſſa

bus fidei. Tam luculenta enim ſunt privilegia, ab hoc Imperatore nobis conceſſa, ut dubitem, an ulla fere Saxoniæ civitas paria Goslariæ noſtræ faciat. Diploma ipſum impreſſum aliquoties eſt & Imperatorum ſequentium privilegiis inſertum. Cum tamen ejusmodi ſchedæ dudum diſparuerint, operæ pretium videbimur facturi, ſi totum diploma in urbis noſtræ honorem adſcribamus. Fateor me nunquam vidiſſe membranam, quippe quæ in ampliſſimi ſenatus locupletiſſimo, ut ferunt, archivo aſſervatur: incidit tamen in manus meas copia antiqua chartacea, quam ante ducentos pluresque annos ſcriptam exiſtimo. Eam κατὰ πόδα ſequar, variantibus ſi quas obſervo lectionibus in margine annotatis.

" IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Fredericus* divina ſa-
" vente clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ
" Imperialis providentiæ benignitas expoſcit uberiorem eis nos gratiæ no-
" ſtræ favorem impendere, qui ad noſtrum Imperiique honorem promo-
" vendum majori præ ceteris devotione deſerviunt, & ita ſtudeamus ſingu-
" lorum meritis reſpondere, quatinus apud Deum & apud homines memoria noſtra
" ſit in benedictione. Hinc eſt, quod ad univerſorum Chriſti fidelium, tam futuro-
" rum, quam præſentium notitiam pervenire volumus, qualiter civitas Goslarienſis,
" quam non immerito ſpeciali præ ceteris dilectione amplectimur, ab anteceſſoribus
" noſtris divæ memoriæ Regibus & Imperatoribus ſunditus conſtructa, ſacrarum legum
" conſtitutionibus fuerit elegantiſſime privilegiata. Vnde nos attendentes ejusdem
" Civitatis Burgenſes ob honoris noſtri promotionem, ac inviolatæ fidei ſuæ conſer-
" vationem, multa corporum pericula, diverſasque rerum jacturas (a) *ab Inimicis Im-*
" *perii pertuliſſe*, de condigna eorum remuneratione ſolliciti, jura prædictæ Civitatis,
" quæ ab antiquis Imperatorum & Regum donationibus eis indulta, ſed a quibus-
" dam ipſius Civitatis habitatoribus immutata, & in abuſionem fuerunt deducta, po-
" ſtulante hac ipſorum Burgenſium devotione, renovare decrevimus & confirmare,
" dignum ducentes ea jura, quæ in diverſis reſcriptis ſparſim habuerunt notata dili-
" genter (b) *in unum colligere*, atque ad majorem cautelam ſcripto commendata ſigilla-
" tim duximus hoc ordine deſcribenda. Quicunque manens in civitate Goslarienſi,
" & a nemine quamdiu vixit, de ſervili conditione convictus eſt, [*] poſt mortem
" ipſius nullus eum in ſervum appellare, vel in ſervitutem redigere præſumat. Si quis
" quis vero (c) *extraneus* Civitatem jam dictam ad inhabitandum intraverit, & ſic in
" ea (d) *annum & diem* perſtiterit, quod de ſervili conditione nunquam fuerit accuſa-
" tus, convictus, vel confeſſus, communi aliorum Burgenſium gaudeat libertate, &
" poſt mortem ſuam nullus eum in ſervum audeat ſibi vendicare. Quicunque ſuper
" alium voluerit teſtimonium proferre, dabit quinque ſolidos Advocato civitatis pro
" reliquiis & pro cauſidico, ut in eum, ſuper quem probare vult, ſecundum jus civile
" valeat profiteri. Qui vero de (e) *pace Dei* ſe expurgare voluerit, nec pro reliquiis, nec
" pro cauſidico quicquam eſt daturus. Si quis autem ad producendum ſuper aliquem
" teſtimonium vilem & infamem perſonam pretio conduxerit, reus judicetur. Si quis-
" quam impubes, qui videlicet ad annos diſcretionis non pervenerit, in Civitate Gos-
" larienſi manens, poſſeſſionem ſeu hæreditatem ſuam de conſenſu tutoris ſive Mun-
" dburdii ſui cuiquam dare voluerit, [f] *libere hoc faciet, & factum idem jure ſuo firmum*
" *& ſtabile permaneat.* Si aliquis Burgenſis domum ſuam pignori obligare voluerit, [g]
" *tres, vel duos veraces ſuos Vicinos cum judice Civitatis* adhibuerit ſufficere judicamus. Si
" quis de pignore ſibi obligato coram judice confeſſus fuerit, poſtmodum negare non
" valebit. Quicunque alicujus domum conduxerit, ſive gratis ei conceſſa fuerit inha-
" bitanda, nullam in eadem domo proprietatem mentiendo ſuam eſſe ſibi vendicare
" poterit, niſi forte coram Burgenſibus ſuis eam juſte acquiſierit. Si quis aliquem pro
" debitis in judicio convenerit, is, qui convenitur, nullam recuſationem faciet, niſi
" quod neget debitum, vel quod confiteatur, nec aliquis mentiendo dicat, ſe
" in alio loco, ſub aliquo Judice debitum perſolviſſe, tamen ſi voluerit ejusdem debi-
" ti ſolutionem probare, faciat hoc [h] *cum judice uno & duobus, vel tribus Burgenſibus.*
" Præterea nullus Regum, vel Principum Imperii, vel extraneorum hominum ſuper
" aliquem Burgenſium Goslarienſium extraneum debet adducere teſtimonium, ſed per
" Burgenſes civitatis ſuam probare tenetur intentionem. Nullus Imperatorum ſeu
" Regum cuiquam prædictorum Burgenſium, ſub obtentu gratiæ ſuæ præcipere debet,
" ut aliquem Burgenſem ſuum accuſet apud ipſum & dampnum ei faciat, niſi forte ali-
" quis Advocato Civitatis contumax fuerit & rebellis, & tunc debet Dominus Impe-
" rator, ſive Rex ſub obtentu gratiæ ſuæ, ſi ita ſit, Burgenſes interrogare. Ipſi quo-
" que Burgenſes Goslariæ cum nullo Principe, contra alium Principem contendere
" debent, ſeu [i] *guerram facere*, nec cum aliquo bellicam movebunt expeditionem,
" niſi pro defenſione patriæ ad locum, qui dicitur Hildegesberch, ibique quatuorde-
" cim diebus in propriis permanebunt expenſis. Habebit eadem Civitas (k) *pacem*
" *firmam in domibus* ſuis, ut nullus ad eas fugiens inde violenter extrahatur. Si vero

proſcri-

proſcriptum quemquam in domum ſuam quis receperit, ſi ab Advocato & Actore ſuper eo fuerit incuſatus, proſcriptum reſtituet ad juſtitiam, aut ipſe cum Burgenſibus duobus (l) *certum faciat* Advocatum & ceteros Burgenſes in *reliquiis*, ſe ignorare, ſi in aliquo domus angulo proſcriptus habeatur. Licet etiam unicuique hominem proſcriptum in taberna vini aut cereviſiæ repertum occupare & conprehendere, ſicut in platea deprehenſum. Quicunque in eadem civitate manens ita demum obierit, quod toto vitæ ſuæ tempore nunquam ab aliquo fuerit excommunicatus vel denuntiatus, ipſum non debet aliquis poſt mortem ſuam excommunicatum denunciare. Nullus accuſare debet mulierem (m) *in Synodo* niſi Maritus ejus: Nec virum aliquis, niſi uxor ejusdem. Si quis duas uxores vel plures duxerit, dos primæ uxoris firma debet permanere. Nullius filia ſororve, quæ nondum pubertatis annos impleverit, deſponſationem cum aliquo faciat, [n] *niſi de conſenſu Mundiburdii ſui fiat.* Et nullus Mulierem vel virginem cum aliena ſubſtantia deducat, & ſi fecerit, quæcunque detulit præter veſtes ejus reſtituat, & hoc ita, ſi confiteatur factum, ſi vero neget de hoc (o) *ſola manu ſe tenetur expurgare.* In eadem etiam civitate nulli jus, quo Burgenſes gaudeant concedatur, nili ipſe ſimiliter jus eorum obſervet. (p) *Sub quocunque Mercatorum ejusdem loci*, vel alio quolibet Burgenſe præter Monetarium falſi nummi fuerint reperti cum ejusdem nummis ſi poterit ad eum, qui eos ſibi tradidit tendat, & eum exhibeat; Sin autem juramento firmare debet, quod eosdem nummos falſos ignorauerit accipiendo, dando & ita demum inciſi debent ei reſtitui, quod tantum erit tribus vicibus faciendum; Si vero circa unum & eundem hominem quarto contigerit, tenetur reſpondere de falſo; Si vero ſub Monetario falſi nummi fuerint deprehenſi, ubi eos alicui dat, ſi non poterit exhibere illum, qui eosdem nummos ſibi dederit de falſo convictus eſſe judicatur, quod ſi gratiam apud judicem invenerit auro, argento, vel cupro ſeu quotcunq; cenſu poterit (q) *manum redimat*, quod tamen non ſæpius quam ſemel ei facere licebit. Quod ſi falſarius manum redemerit exlex vel infamis erit [r] *quod vulgariter Echlos* dicitur, ac ſi pro falſo manum perdidiſſet. In nullius autem domo vel Ciſta res aliquæ ſunt quærendæ, præterquam falſidenarii & res divino cultui conſecratæ, quod per ſe facere Burgenſes debent, aliquo ex judicibus Civitatis ſecum aſſumpto. Cujuslibet etiam monetæ denarii dandi ſunt in Civitate Goslarienſi juxta valorem ſuum. Nullus præterea Burgenſis Goslarienſis alicubi judicio ſtare debet, præterquam in ipſa civitate in (s) *Palatio Imperii ſub quo habitat.* Nec aliquis ex eisdem civibus alium concivem ſuum extra civitatem, ſive ad curiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum, ſeu ad alium locum ad Judicium trahere præſumat, ſuper aliquibus ei reſponſurum, niſi forte actor a reliquis Burgenſibus teſtimonium habeat, quod ille quem convenire vult Advocato Civitatis contumax extiterit & rebellis. Ceterum nec Advocatus, nec judex, nec quisquam alius furem, ſeu quemlibet alium in Civitate comprehendat, niſi præſens ſit is, qui contra eum ponere vult actionem. Mercatoribus etiam jam ſæpe dictæ Civitatis ſicut & anteceſſores noſtri fecerunt perpetua ſtabilitate concedimus, quatinus per totum Imperium Mercaturas & negotia ſua exercentes ab omni thelonio liberi exiſtant & abſoluti præterquam [t] *in tribus locis, id eſt, Colonia, Thile, & Bardevvich.* Nullus quoque in Civitate Goslarienſi alicujusmodi vincula, vel ergaſtula, niſi publica tantum, quæ regalia dicuntur habere præſumat. Nec cauſam ſuam perdat & tam Advocato, quam vinculato ſatisfaciat. Item Advocatus Civitatis nullius hæreditatem debet accipere, præterquam hiſtrionum, joculatorum, & advenarum, ſed hæreditatem advenæ per unius anni circulum in manu alicujus Burgenſis ſalvam faciet obſervari. Infra quod tempus ſi nemo venerit, qui eam petat, tunc demum ipſam hæreditatem Advocatus ſibi retinebit. Idem etiam Advocatus, cum præſidet judicio, nullum eorum, quos judices ſtatuit, nec Patronum cauſæ, nec aliquem (u) *de familia ſua* de ulla ſententia debet interrogare, & quatuor tantum habebit ſub ſe judices, & non plures. Nec aliquem illorum in ſua tenere debet procuratione. Neminem quoque jam dictus Advocatus de aliqua ſententia interrogabit, *niſi unum ex Burgenſibus*, & eandem ſententiam ipſe Advocatus non reprehendet, nec repellet, ſed unus tantummodo Burgenſis & idem [vv] *invenire debet meliorem.* Cujuscunque vero ſententiæ major pars Burgenſium aſſenſum præbuerit, ejus ſententia prævalebit. Præterea datum eſt regali præcepto, quod nulla ſit conjuratio, nec promiſſio vel ſocietas, quæ theutonice dicitur [x] *Eyninge* vel *Ghilde*, niſi ſolum Monetariorum ea de cauſa, ut caveant de falſis monetis. Si quis vulneratus alium de vulnere ſuo convenerit, qui ſe dicat innocentem, is, qui convenitur, cum ſeptem Burgenſibus, qui proprias habent domos, ſe debebit expurgare. Præcipimus ut omne jus absque captione, quod vulgo Ware dicitur obſervetur, tam de extraneis, quam de Burgenſibus. Si quis [y] *de ſubtractione thelonii* fuerit incuſatus & factum negaverit, ſola manu ſe expurgabit. Si vero convictus fuerit, vel confeſſus, ipſum Thelonium & præterea octuplum reſtituat & Advocato Civitatis pro quolibet denario ſexaginta ſolidos vadiabit. Quod ſi aliquis res ſuas in Civitatem duxerit & nichil emerit vel vendiderit (z) *liber absque thelonio recedet.* Si vero vendendo, vel emendo aliquid

“ quid commutaverit, tenetur thelonium ſolvere conſtitutum. Nullus Burgenſium
de aliqua ſubſtantia ſua extra Civitatem deducenda thelonium dabit niſi tantum
“ de cupro non fabricato. Nullius Burgenſis, vel (a) *Silvani* bona pro beneficiis de
“ Advocatia ſolvendis pandari, niſi tantum bona ipſius Civitatis Advocati. Qui etiam
“ cum venali foro Civitatis nichil debet diſponere, niſi per Burgenſes trahatur ad ipſum.
“ Jus eſt quod a Burgenſibus quatuor judices eligantur, pro quo ſunt daturi ſex mar-
cas Advocato, nichil minuentes, vel nichil addentes. Nulli licitum eſt [b] *dare do-*
“ *mum ſuam eccleſiæ* niſi vendatur, & eccleſiæ argentum tribuatur, ut etiam Regi jus
“ ſuum non detrahatur. Omnes in Civitate redditus ad negotia Burgenſium debent
adjuvare, præterquam bona Clericorum & eccleſiarum. Jus eſt, quod Advocatus
“ nullum incuſet, niſi Actore præſente & conſilio Burgenſium. Hæc ſunt jura Silva-
norum, quod ſi quis ex ſervientibus ipſorum [c] *pretium quod vulgo* Wiſt vocatur,
“ cuiquam eorum detulerit in quocunque loco eum viderit ipſum absque judice, vel
“ ejus nuncio libere comprehendet. Idem etiam Silvani, in bonis ſuis non debent
pandari pro aliqua cauſa, niſi tantum pro redditibus Imperii, quos de ſollibus ſol-
“ vere tenentur. Silvani, qui caſas habent in locis campeſtribus de duobus ſollibus
qualibet hebdomada lot. argenti ſolvere tenentur Imperio, hac de cauſa, ut liceat
“ eis carbones adducere, de quocunque loco ipſis eſt oportunum. Si qua virgo vel
“ mulier conqueratur, quod ſit violenter abducta & vim paſſa, niſi recens ſit cauſa,
“ nullatenus audiatur. Vt autem hæc noſtra conſtitutio debitam inpoſterum obtineat
“ firmitatem præſenti pagina ſigilli noſtri appoſitione ſignata confirmamus. Statuen-
tes quod nulla omnino perſona huic noſtræ donationis privilegio præſumat auſu te-
“ merario contraire. Hujus rei teſtes ſunt: *Albertus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis,
“ *Otto* Epiſcopus Herbipolenſis, (d) *Conradus Epiſcopus Metenſis Imperialis aulæ Cancellari-*
“ *us*, *Fridericus* Halberſtadenſis Epiſcopus, *Engelhardus* Nuenburgenſis Epiſcopus, *Lu-*
“ *devicus* Dux Bavariæ, *Albertus* Marchio Brandenburgenſis, *Henricus* Dux Saxoniæ,
Hermannus Marchio Veronenſis, *Hermannus* & *Henricus* Comites de Woldenberch,
“ & alii quam plures. Actum anno incarnationis Dominicæ cIↃo CCo XIX. Da-
“ tum apud Goslariam III. Idus Julii, Indictione ſeptima.
“

Multa ex hoc diplomate peti poſſunt antiqua civitatis noſtræ jura, quippe cum omnia illa privilegia, quæ antiqui Impe. ratores Civitati conceſſerant veluti in Codicem quendam hic relata videantur. Ne tamen nimis excreſcat libri moles, libet hic de advocatis civitatis noſtræ non nulla præfari, ac ipſum deinde diploma brevibus notis illuſtrare.

Advocatia Gos. larienſis qualis.

Advocatorum nomen olim notiſſimum hodie pene expiravit, licet nulla fuerit ſuperioribus ſeculis Imperii civitas, quæ non habuerit Advocatum, qui Cæſaris nomine juri dicundo præeſſet. Vocabantur hi patrio ſermone des Käyſers Vögte/ item Reichs-Schultheiſen/ alibi etiam aliter; Siquidem in ſuperiore Germania plura nomina iis data conſtat. Goslariæ noſtræ plures olim eodem titulo uſi ſunt, quorum tamen munera diſtinctiſſima fuerunt. Erant Advocati Cæſarei, qui in antiquo codice Stadtrechte libro 4. tit. von anefangen/ vocantur Groſſe Vögte/ ad differentiam aliorum. Erant præterea Sculteti Schultheiſen/ qui jurisdictionem nomine Senatus in cauſis civilibus exercebant. Erant denique Advocati minoris judicii, Vögte in kleinen Gericht/ quibus & ipſis certi limites erant conſtituti; ad quos jurisdictio eorum extendebatur. Nam ut eſt in eodem codice l. 3. Von Gericht und Klage leg. 176. das groſſe und kleine Gericht ſcheidet ſich auff jenſeit der agezucht nach dem Ramels-Berg. Minori ergo judicio præerat der Vogt des kleinen Gerichts/ majori der Schultheiß: cauſis criminalibus der Käyſerliche Vogt. Egregie hæc diverſia nomina diſtinguuntur lib. 3. ejusdem Codicis lege 192, quam integram adſcribo: Des Vogtes Gewedde iſt ſechzig kleiner Schilling/ des Schultheiſſen Gewedde iſt vier kleine Schilling. Des Vogts in dem kleinen Gerichte iſt dreiſſig Schilling. Sed de minorum gentium advocatis non eſt hic dicendi locus: de Cæſareis illis tantum quædam dicenda videntur. Eos ipſi Cæſares initio inſtituebant, tantaque erat hujus officii dignitas, ut Principes Comites, & equeſtris ordinis viri illud obire non dubitarent. Non majus certe pretium Henrico Palatino Ottonis IV. Cæſaris fratri dari poſſe videbatur, cum a fratre deficeret ad Philippum, quam advocatia Goslarienſis, ex quo conjectura capi poterit, quam inſigne hoc munus fuerit. Sed perſpicuum hoc erit ex ipſo Advocatorum Goslarienſium Catalogo ex optimæ notæ monumentis a me excerpto, quem hic adſcribo:

Advocatorum Goslarienſium Catalogus.

HERMANNVS. 1120, 1147.
ANNO. 1152. 1154.
VOLKMARVS de Wildenſtein. 1173. 1178. 1188.
HEINRICVS Comes Palatinus & Dux Saxon. 1204.
HERMANNUS Comes de Wernigerode 1206.
OLRICUS. 1215.
GISELBERTUS. 1241.
BERTOLDUS. 1253.

TIDERICVS, de Sulynge. 1254.
CONRADVS. 1267.
HVZO. 1272.
JOHANNES de Barum 1298. 1305.
HARTMANNVS dictus Zabel. 1318
JOHANNES KYSSENBRVGKE 1382.
SIVERT von Rottinghe. 1415.

Stumpf. l. 1, c. 22. 26. Leuber. Stap. Magdeb. n. 789.

Hi sunt, quos e diplomatibus colligere licuit. Antiquiores nondum mihi se obtulerunt, quamvis non dubitem, quin ab ipsis urbis natalibus in urbe floruerint. Stumpfii sane & Leuberi sententia jam Henrici IV. tempore advocatos Goslariæ notos fuisse oportet. En enim alterius verba: Sintemahl er / (Henricus IV.) zu Goßlar seine regalia, Königliche Kleinod und seinen Königlichen Schatz und einen besondern vertraueten Königlichen Voigt gehabt. Lambertus quoque Schaffnaburgensis ad annum 1073, meminit *Bodonis* cujusdam *Goslariensis præfecti*, qui tamen an eodem cum advocatis munere functus sit non facile dixerim. Eorum officium, ut dixi fuit jurisdictioni Cæsaris nomine præesse, inprimis criminali, quamvis & in civilibus quibusdam causis jura quædam exercere sint soliti. Tribunal eorum erat in palatio Cæsareo (auf dem Hoff) & vix quicquam Senatus sine eorum consilio statuebat. Hinc nota mihi e diplomatibus formula: *Nos Advocatus & Consules cum universitate Burgensium in Goslar &c.* Sed hæc Advocatorum præeminentia Cæsarum clementia sensim expiravit, ac eo primum redacta est, ut Advocati a Senatu dependerent, deinde vero ut penitus aboleretur eorum munus & penitus ad Senatum devolveretur. Hinc frequens in codice nostro formula: Der Raht soll den Vogt vhelen / zwingen / der Voigtey entsetzen. lib. 3. leg. 188. & 189. Quod sane fieri non potuisset, nisi a Senatu advocati dependissent. Immo ex ipso ordine suo Advocatos nonnunquam delegisse Senatum, est mihi compertum. Sed cum diversæ hæ jurisdictiones in una eademque civitate varia subinde dissidia parerent, permissum denique est a Cæsaribus ut Advocatorum nomen & munus plane aboleretur, omnisque jurisdictio esset penes amplissimum Senatum. Minoris tamen judicii Advocatorum simulacrum supereſt in prætoribus Civitatis vulgo Stadtvoigten / quorum tamen jurisdictio plane a Senatu dependet. Sed satis de Advocatis. Ad diploma nostrum nimirum redeundum est.

Notæ quædam & observationes in diploma Friderici II.

(a) *Ab inimicis Imperii pertulisse.*] Laudat hic Imperator Goslariensium fidem Philippo Cæsari patrono Friderici præstitam; cujus causa ab Ottonis IV. factione multa pertulerat incommoda. Vide paulo ante ann. 1201. & sqq.

(b) *In unum colligere*] Nata deinde ex hoc diplomate sunt statuta Goslariensia, das Goslarische Stadt-Recht / e quo codice multis locis illustrari hoc diploma potest.

(*) *De servili conditione convictus est.*] Sæpius hoc factum olim, cum adhuc mancipiorum usus in republica Germanica vigeret. Extat in curia nostra codex cereus venerandæ antiquitatis, cujus partem nuper apud amicum vidi: in eo sequentia legi: Dat sint. de mã var egbene Lüde var dem rade beklaghet hest. Cõrat von Geynsen / den hest de dom provist van Gildẽ beklaghet. ditrecken van levede den eschet de abet van Buesvelde vn de van der Levenborch. &c.

(c) *extraneus* [In codice citato semper vocatur ein Gast / & describitur, quod sit is, qui cum civibus non eadem civitatis onera supportat. Der nicht mit den Bürgern schesset.

(d) *annum & diem*] Lib. 1. tit. Von Erbgütern leg. 3. Jahr und Tag ist ein Jahr und sechs Wochen und 3. Tage.

(e) *pace Dei*] vocabatur etiam alias *treuga Dei* & erat certum tempus, intra quod nec arma ferre, nec vim alicui facere licebat, quod si quis facere esset ausus *pacem Dei violasse* dicebatur. *De pace Dei se expurgare* idem est, ac probare se intra statutos dies nemini vim intulisse. Vid. *Carol. du Fresne p. 1180. sqq. tom. 3. Gloss. Latinit.*

(f) *Libere hoc faciet & factum idem*] Lib. 1. tit. Von Vormünden leg. 16. Ein Kind das zu seinen Jahren nicht kommen ist / das mag sein Erb verkauffen / verlassen oder vergeben / mit seines Vormundes Willen und seiner Erben.

(g) *Tres vel duos veraces suos vicinos*] Der Richter und zween Nachbauren oder zweye Biderleute. Lib. 1. tit. von Vormundt. leg. 18.

(h) *Cum judice uno & duobus*] mit einem oder zween Ding leuthen.

(i) *guerram facere*] bellum inferre.

(k) *Pacem firmam in domibus suis*] de hac pace totus agit titulus vom Haußfrieden Lib. 1.

(l) *Certum faciat in reliquiis*] Reliquias in juramentis adhibitas prolixe docet *Carol. du Fresne tom. 2. p. 155. Gloss. Latin.* In Codice laudato frequentes sunt phrases: An den Heiligen erwehren. Auf den Heiligen erhalten. Ritus describitur Lib. 1. Cod. tit. Von Hauszins leg. 6. Der soll den fordern Fuß auff den Süll setzen / und die Hand auf die Heiligen legen und sprechen / daß mir GOtt so hilffe und die Heiligen.

(m) in *Synodo*]vocatur passim das Geistliche Gericht. Intelligit tribunal sacrum Archidiaconi loci ad sopiendas lites sacras

& matrimoniales. De Archidiaconatu Goslarienſi nos infra.

(n) *niſi de conſenſu mundiburdii ſui fiat*] Lib. 1. tit. Von Vormünden Leg. 12. Welch Kind zu ſeinen Jahren nicht kommen iſt / mag ſich nicht verehligen ohne ſeines Vormundes Willen.

(o) *ſola manu ſe tenetur*] Phraſis hæc ſæpius occurrit & notat juramentum, quod ſolus quis dicere tenetur. Lib. 2. Cod. Tit. Von Friedbruch. Leg. 1. So mag er ſich des entſchuldigen mit ſeines eines Hand. Alias enim requirebantur etiam *Conſacramentales*, qui juramentum alterius ſuo juramento confirmabant. Exemplum habes lib. 4. Tit. Von Anevange. Leg. 3. Wer ein Guth behalten wil / das er anevanget hat / der ſoll ſprechen / do er das guth letzt geſehen / daß es do ſein geweſen / und noch ſey / daß ihme Gott ſo helffe und die Heiligen. Darnach ſollen zween Bidermanne ſchweren / daß der eid rein und vnmeineidig / daß ihne Gott alſo helffe und die Heiligen. Hinc locutiones in ſcriptionibus illius ævi paſſim obviæ: *Jurare tertia manu*, *jurare quarta*, *ſeptima*, immo *trecenteſima manu*. Sich des entſchuldigen ſelb ſiebende Gütter Leuthe / vollkommen an ihren rechten. Conf. du Fresne. l. c. p. 150.

(p) *Sub quocunque mercatorum ejusdem loci.*] Omnes hæ leges de falſis monetis occurrunt in codice laudato lib. 2. tit. Von Friedburch leg. 56. ſqq. Unter welchen Mann der Bürger iſt zu Goßlar falſche Pfennige gefunden worden / die Jme gegeben ſeyn / daß ſoll er beweiſen wo er kan / und zu demſelben Geber gehen / mit dem Pfennige / kan er das nicht thuen / ſo ſoll er ſchweren / daß er an den Pfennigen nichts falſches gewuſt zu geben und zu nehmen / ſo ſoll man ſie zu ſchneiden / und Jhme widergeben / daß ſoll an einem mann nicht mehr geſchehen / dann dreymal / ſo iſt er ein falſcher / und man ſoll über ihme richten als über einen felſcher. Wirdet unter den Müntzern falſche Pfennig befunden / do er ſie ausgiebt / und mag den nicht haben der ſie Jhme gegeben hat / ſo ſoll man wegen der Verfelſchung uber Jhme richten und hat ſeine Hand verloren / Er mag Gnade finden daß er ſie löſt / die Gnade ſoll Jhme nicht mehr wiederfahren denn einmal. Dieſe gefahr gehet niemandts an dan die Müntzer die von Silber pfennige machen / können.

(q) *manum redimat*] Multa certa redimat pœnam falſi, quæ in mutilatione ejusmodi conſiſtebat.

(r) *Quod vulgariter* Echloß] In codice laudato hæc infamia vocatur: Rechtloß / an ehren loß / nnd an tugenden verletzt. Rem ipſam hac conſtitutione comprehenſam reperies etiam lib. 4. tit. von Zeugniſſen. leg. 13. Es löſt der Felſcher ſeine Handt / er iſt doch recht und ehren loß und kan nicht zeugen.

(s) *Palatio Imperii, ſub quo habitant*] In Palatio (auf den Hoff) juri dicundo præerant advocati, ut ſupra docuimus, nbi de civitatibus palantiis egimus.

(t) *In tribus locis Coloniæ, Thile*] De hac immunitate a vectigalibus, quam cum Magdeburgenſibus & Quedlinburgenſibus habuimus communem diximus ſupra ad ann. 1134.

(u) *de familia ſua*] Lib. 3. tit. von Vogte leg. 208. Wan der Vogt gericht ſitzt ſo ſoll er ſein geſinde noch ſachwalters kein Urtheil fragen. Leg. 209. Wenn der Vogt gerichte ſitzt / ſo ſoll er auch niemand urthels fragen / ehr ſey Bürger oder Bürgers geſinde.

(w) *Invenire debet meliorem*] Lib. 3. leg. 215. Wer ein Urthel verrichten will / daß ſoll er thun ſtehendes Füſſes und finden ein rechters.

(x) *Eyninge vel Ghilde*] Sæpius mutata res eſt. A Rudolpho Habsb. tribus ſuo juri reſtitutæ ſunt, anno 1290. ſeculo poſt 1397. Ordines civitatis ita recenſentur: Der Rath der Stadt Goßlar iſt zu rade geweſen mit eindrechtiger fülbort der Kauffleute und wolt werchten und der Gilden derſelben Stadt. Hodie ſeptem præcipue tribus florent, de quibus multis agere non adeo videtur neceſſarium.

(y) *de ſubtractione thelonii*] Lib. 2. tit. von Friedbruch. Leg. 73. Wird ein Mann beſchuldiget / daß ehr den Zollen freventlich und zum unrechte behalten habe / daß ſoll man ſich entſchuldigen / auf den Heiligen / bekennt er aber das oder helt man ihme auf mit dem guthe das unverzolt iſt / ſo ſoll er dem Vogte einen Achtewolt gelten / und ihme vor jeglichen kleinen pfennig ſechzig pfennige brüchen kleiner pfennige.

(z) *liber absque Thelonio recedet*] Lib. 3. tit. Von Vorbeſcheid und Gewedde leg. 114. Wer ſein Guth in die Stadt bringt und nichts kaufft oder verkaufft / der iſt zollfrey / was er aber kaufft oder verkaufft / daß muß er verzollen.

(a) *Burgenſis vel Silvani*] Silvani patrio ſermone vocabantur woldtwerchten ſive waldgewercken / & erant illi, qui rei metallicæ & foreſtali dabant operam. Lib. 3. tit. eodem leg. 35. In eines woldtwerchten hauß noch hoffe ſoll man Jre werckleuthe noch Kolmeſter beſetzen noch bekümmern. In andern Städten mag man das wol thun als andern Leuten. In diplomate quodam dato anno 128. ſe vocant, *Mentanos & ſilvanos Goslariæ civitatis & montis Ramuberg.* Ipſa ſylvanorum jura integra penes me ſunt alio forte loco proferenda.

(b) *Dare domum ſuam eccleſiæ*) Lib. 2. tit. Von Erbgüttere leg. 49. keinen Pfaffen noch Gaſt mag man Erbgütter noch Zins an Erbgüttern eignen / ſo in unſer Stadt gericht belegen ohn des Rahts erleubniß. Lib. 1. tit. von Hauß-Zinß. leg. 34. Man ſoll kein Haus noch eigen noch gelt an eigenn in Pfaffen noch Gotteshäuſer gewehre bringen aus der Stadtgewehre / ohne des Raths erlaubniß.

(c) *Quod vulgo* Wiſt) Male me initio torſit hoc vocabulum. In apographo MSC. erat Twiſt in impreſſo Eckiſt. Suſpicabar igitur legendum eſſe Egwart vel Achtwort / de quo Sylveſtri jure videndus Meibom. not. ad Lerbecc. Chron. Schawenb. p. 536. Sed plane mihi deinde ex codice ſæpius laudato conſtitit, legendum eſſe Wiſt. En enim ipſam hanc conſtitutionem patrio ſermone expreſſam: Lib. 2. tit. Von Friedbruch leg. 122. Welcher Kolmeiſter oder Hüttensleuthe/oder Scheider einem woldtwerchten die Wiſt entfürt/ wor ehr den vindet den mag ehr angreiffen ſünder gerichte. Es wehre denn daß es der Rath bevohlen hette oder ihm gevehliget. Hielte er darauff / erwerte er das auf den Heiligen / daß er das nicht gewüſt Er bliebe ſünder brüche. Erat vero pretium iſtud, Wiſt vocatum, nihil aliud quam merces quavis ſeptimana operis in re metallica occupatis dari ſolita. Sic L. 4. tit. von Zeugniſſen leg. 19. occurrit locutio Ein bewiſtete mann / oder dem Er wochen Lohn (Pfennige) giebt.

(d) Errat itaque Bruſchius, qui Conradum hunc jam anno 1202. Metenſis eccleſiæ curam poſuiſſe putat. Utrumque Epiſcopatum diutius ſimul eum retinuiſſe teſtes eſſe poterunt ſubſcriptiones & recognitiones ejus, In quibus adhuc annis 1213. 1220. Metenſem & Spirenſem Epiſcopum vocat. Vid. Lehmann. L. 5. c. 78. p. 580. ſq. Mallinckrotius enim de Metenſi ejus Epiſcopatu plane ſilet. p. 85. conf. Bruſch. c. 6. n. 46. p. 878.

Comitia Francofurtenſia *Godefr. Monach. p. 291. Abb. Vſp. p. 321*

Solutis hiſce Comitiis Fridericus multis Principibus comitatus Francofurtum conceſſit, ibique in ſplendido procerum Senatu de itinere Italico, quod meditabatur, egit, omni induſtria adhibita, ne Germaniam turbulentam relinqueret. Hinc filium, quem admodum puerum habebat Principibus commendavit, ut ſi quid humanitus ſibi fortaſſe accidiſſet, illius potiſſimum rationem haberent.

Henricus Anhaltinus cum Gosl. Eccleſia de ſervitiis paciſcitur. *Chericus ap. Sagittar. hiſt. princ. Anhalt. c. 2. p. 17.*

Inter hæc Henricus Anhaltinus Princeps & eccleſiæ Sanctorum Simonis & Judælites, quæ de ſervitiis quibusdam adhuc interceſſerant, abolere ſtuduerunt. Pactio denique ea lege coaluit, ut Capitulum accepta certa pecuniæ ſumma omnia ſervitia dimitteret, quæ ante hæc tempora in Anhaltino principatu poſſederat. Diploma hanc in rem conſcriptum vidit Chæricus Profeſſor olim Serveſtanus, poſtea Deſſavienſis Conſiliarius, cujus Collectaneis in conficienda Anhaltinorum Principum hiſtoria uſus eſt Sagittarius, e quo nos ipſa Chærici verba repetimus: Anno 1219. Hat Princeps Anhaltinus primus Heinricus dem Capitel zu Goßlar alle ihre Dienſt in Anhalt gelegen / abgekaufft. Teſtes dieſes vertrages werden angezogen *Hermannus* Burggraff zu Wetin / Graff Hoyer von Falckenſtein / deſſen familia hernacher zu Acken an der Elbe abgeſtorben / immaſſen beim Rath daſelbs nochmals anzeigungen verhanden ſeyn ſollen) und *Ecco* von Repkaw.

Annus Chriſti 1220.

Friderici II. Reg. 6. Imp. I.

Ab. V. C. 297.

PRoximo anno jam ineunte vere, Fridericus denuo Francofurti comitia indixit, ad quæ Epiſcoporum inprimis tanta multitudo confluxit, quanta vix unquam alibi convenisse legitur. In hoc congreſſu inprimis de expeditione Italica actum eſt, quam vehementius urgebat Honorius Pontifex, ut Principem coram ad ſacrum bellum permoveret. Præterea in his comitiis lis recruduit de jure exuviarum, quod Epiſcopi nunc eo impenſius ſibi poſcebant, quia Fridericus jam anno MCCXVI. Herbipoli illi renunciaverat, ut diploma docet, quod ſervavit Meibomius. Animadvertens itaque Fridericus, nunquam ſe fidos habiturum Epiſcopos, niſi illis morem hac in re gereret: expugnari ſe demum paſſus eſt, & jura hæc dato in teſtimonium chirographo ſuo dimiſit.

Fridericus juri exuviarum renunciat. *Godefr. Mon. p. 291. Chron. Mont. Ser. p. 136. Abbas Vſp p. 321 Albert. Stad p. 302. Chron. Auſtrale. p. 321. Chron. Elvvang. p. 455. (*) Pallat tom. 2. de geſt. pontif. p. 737.*

Teſtes huic actui interfuere *Sifridus* Moguntinenſis Archiepiſcopus, *Engelbertus* Colonienſis Archiepiſcopus, *Hugo* Leodienſis Epiſcopus, *Otto* Trajectenſis Epiſcopus, *Engelbertus* Bambergenſis Epiſcopus, *Conradus* Ratisbonenſis Epiſcopus, *Hartvvicus* Eyſtedienſis Epiſcopus, *Theodericus* Monaſterienſis Epiſcopus, *Engelhardus* Newenburgenſis Epiſcopus, *Henricus* Ratileenſis Epiſcopus, & alii quam plures. Acta hæc fuerant anno Dominicæ incarnationis MCCXX. Indictione IX. regnante Domino *Friderico* II. Romanorum Rege & Siciliæ glorioſiſſimo anno regni ejus in Germania VIII. Sicilia vero XXIV. Datum apud Francfort. VI. Cal. Maji.

Fridericus Romæ diadema ſuſcipit.

Conſtitutis in Germania rebus Fridericus incaleſcente jam anni tempore, per Alpes in Italiam cum exercitu penetravit, coronam petiturus, quam ultro toties obtulerat Pontifex. Sed antiquum hic obtinuit, nec diadema prius dedit, quam Imperatorem ad indecora quædam pacta compuliſſet. Hinc Fridericum jurato polliceri oportuit, ſe Siciliæ regnum Henrico filio conceſſurum, & conclamatis in Palæſtina Chriſtianorum rebus allaturum ſuppetias. Utrumque quo ſpectarit plane in oculos incurrit. Siciliam enim ideo in filium translatam voluit, *ne regnum eccleſia Romana ſtipendiarium ab aula pontificis ad Imperatoriam putaretur traductum.* (*) Expeditioni vero ſacræ, ut eventus docuit, non aliam ob rem tam ſtudioſe claſſicum cecinit, quam ut eo ſecurius Italicas provincias turbaret, ſi Imperator, pedem Europa extuliſſet. His itaque legibus accepto diademate, ſtatim cruce ab Oſtien

ſi Cardinali ad militiam ſacram initiatus eſt. Adeo non dubitabant pontifices Imperatores alieniſſimo reipublicæ tempore ad infructuoſa bella ſub alium ſolem relegare.

Eligerus Præpoſ. Goslar.

Domi apud nos per hæc tempora eccleſiæ SS. Simonis & Judæ præfuit, *Eligerus*, quem in diplomatibus *Elgerum*, ab teſtis veritatis. *Eglanum* ab aliis *Adelgerum* & *Eilgerum*, *Ekſtorm.* video appellari. Hic *ſanctus Dei* (ita vocatur Auctori hiſtoriæ de Landgraviis Thuringiæ) ad illuſtriſſimos Hohenſteinenſium comites genus retulit. Non apparet hic in Præpoſitorum catalogis, doctiſſimusque Paulini & Fridericus Lucæ nec non Jo. Chriſt. Olearius in eam inclinant ſententiam, ut Eligerum ſpreto hoc honore intra cacullum latitare maluiſſe credant, ſed ipſe laudatiſſimus Paulini adfert diploma Friderici Halberſtadienſis Epiſcopi, in quo diſerte Elgerus refertur inter eos, quorum conſilio epiſcopus in compeſcendis advocatorum rapinis fuerat uſus. Teſtes enim diplomati ſubjiciuntur:

Chron. p. 19. *Paulini annal. Iſen p. 41. & 43.* *Frid. Luc' arr. comit. part. 1 p. 79* *Dipl. Frid I. Halb. ep. ap. Paul. diſſ. de ad. voc. p. 551.*

Landgr. Thur. c. 48. 50. p. 926. *Olear. Synt. rer. Thur. p. 62* *Winkelm de ſcript. Haſſ. part. 4. c. 3. p. 403.* *Wolf. lect. memor. centen. 13. p. 418.* *Micrael. l. 3. Synt. hiſt. eccl. p. 30.*

Meynhardus Major Præpoſitus, *Arnoldus* Decanus, *Anno* Præpoſitus, *Almarus*, S. Pauli Præpoſitus, *Arnoldus* Archidyaconus in Oſchersleve, *Cunradus* Erfordienſis Præpoſitus, *Borchardus* Recheborg, Præpoſitus, *Conradus* S. Mariæ Præpoſitus, *Bernhardus* Vice Dominus Epiſcopi, *Ludolfus* de Sladem, *Bartolfus* de Meynerſem, *Joannes* Scholaſticus *Albertus* Præpoſitus de Bureslo, Elgerus Præpoſitus Goslarienſis, *Conradus* de Vroburc, *Tydericus* Camerarius, *Otto Richardus*, ſacerdotes majoris eccleſiæ. Conventuales *Joannes* de Illeneborch. *Hinricus* de Cunradesborch, *Ceſarius* de Hildesleve, *Fredericus* de Lütter, *Alberius.* Laici: *Tydericus* major Advocatus, *Wernerus* & *Conradus* fratres de Suſeliz, *Hugoldus* & *Hermannus* fratres de Scherenbecke, *Hermannus* de Harbeke, *Joannes* de Gatersleve, *Hinricus* de Cruge, *Gerhardus* de Papſtorp. *Tydericus* Marſchalcus, *Cunnemannus* de Badesleve & alii quam plures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis ac noſtræ reparationis M°CC°XX° Indictione VIII. præſidente Romanæ ſedi reverendiſſimo patre Papa *Honorio* hujus nominis III. regnante ſereniſſimo Domino noſtro *Friderico*, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto &c. Datum *Halberſtad* per manum *Tyderici* notarii noſtro.

Lenkfeld. chron.

Walkenr. p. 196.

Præterea extat diploma Heinrici ſeptimi Cæſaris Northuſanæ eccleſiæ datum, quod non minus, quam illud, mentionem facit Elgeri, Præpoſiti Goslarienſis. En enim teſtes:

Teſtes hujus rei ſunt: Siffridus Moguntinus, Engelbertus, Colonienſis Archiepiſcopi, Otto Herbipolenſis, Engelhardus Nuwenburgenſis, Conradus Hildeſemenſis, Ekchardus Merſeburgenſis, Cunradus Mindenſis epiſcopi, Ludovicus, Palatinus comes Rheni, Dux Bavariæ, Ludovicus Landgravius Thuringiæ, Henricus comes Aſchaniæ, Otto Magdeburgenſis, Otto Aquenſis, Elgerus Goslarienſis, Burchardus Jochenburgenſis Præpoſiti &c. Acta hæc ſunt apud Northuſen anno dominicæ incarnationis MCCXXIII. menſe Septembri Indict. XI. a Regnante domino Henrico Septimo Dei gratia excellentiſſimo Romanorum Rege & ſemper Auguſto, anno regni ejus ſecundo. Datum apud Northuſen per manum Magiſtri Marquardi Imperialis Aulæ Notarii, X. Kalend. Indict. XI. &c.

Quid? quod adhuc anno MCCXXVI. Præpoſituram Goslarienſem retinuerit ut patet e diplomate alio Halberſtadienſis epiſcopi, quod cum lucem nondum viderit proximo libro ad dictum annum apparebit. Præterea adſtipulatur etiam nobis Ekſtormius, qui accurate in primis Comitum Hohenſteinenſium familiam ex antiquis monumentis contexuit; nec diſſimulavit, præpoſituræ Goslarienſi hunc Elgerum præfuiſſe. Denique inſtar omnium nobis eſt Marcus Wagnerus, Frimarienſis, Theologus & Hiſtoricus egregius, qui dimiſſus a Centuriatoribus Magdeburgenſibus per Europam, ut antiqua monumenta, hiſtoriæ eccleſiaſticæ profutura colligerot, tot bibliothecas vidit, luſtravit, excuſſit, tot monumenta vetera, tot codices ineditos tot denique antiquitates alias collegit, ut parem hac in re nec habuerit unquam, nec unquam ſit habiturus. Hunc igitur Wagnerum de Eligero Hohenſteinenſi nonnulla commentatum, dudum didiceram e Sagittarii Introductione in hiſtoriam eccleſiaſticam, qui & fata Wagneri accurate recenſet, & inter ſcripta quoque ejus meminit ſequentis libelli: Der uhralten Teutſchen Eheſtandt / ſampt einer Prophecyung Elgeri / Graven zu Hohenſtein / von Deutſchland Erfurt. 1583. Quod Wagneri ſcriptum licet diligentiſſime ubique quæſiverim invenire nusquam potui. Sed facile ſitim hanc meam reſtinxit Summe Reverendus D. Jo. Andreas Schmidius Abbas Marienthalenſis, commodata mihi ejusdem Wagneri juſta Elgeri noſtri hiſtoria, cujus titulus ita ſe habet: Hiſtoria oder kurtze einfeltige Erzelung: Wie der "Edele und Wolgeborne Herr / Herr Elgerus, Graffe zu Hohenſtein / Thum"herr zu Magdenburg Propſt zu Goſ"lar / und der Landgraffen in Düringen "Beicht-Vater / und geheimten Geiſtli"chen Raths / und der prediger Kloſter in "Erf-

Sagitt. intr. hiſt. eccl. c. 13. §. 8. p. 249. ſq. 260.

Recenſio Wagneri vitæ Elgeri.

„Erffurdt / und Eiſenachs-Stiffters / der „die prophetiſche und Apoſtoliſche Lehr auff „und angerichtet in Düringen / und viel dar„innen aus den Heidniſchen Abgötterey en / uñ „culcibus ſanctorum zu Erkäntnüs ihrer „Sünden gebracht / und den rechten Weg „zum Himmelreich geweiſet hat. Sampt „angehengter Beweiſung das der Adelſtand „nicht von Cain oder Nimrod / noch die „ſtädt ihre erſte ankunfft von Ertzbuben her„nehmen / beneben einen auszug der ankunfft „des rechten Adels / dem uhralten deutſchen „Adel zur Freyheit gewiſſer anleitung und A„delichen ritterlichem ſtande / weiterer nach„forſchung / aus alten chronicis, codici„bus, monumentis, autographis, fra„gmentis und antiquitatibus; ſo viel derer „in Europa in den uhralten libareien zu fin„den / wieder die Grundfeſt eines newen „Schöpffers und Wunderwerckmeiſters / „*Nicodemi Friſchlini* P. L. C. P. mit beſon„dern Fleiß in Ordnung gebracht / hiſtori„co more, durch Marcum Wagnerum Fri„marienſem, Theologum, & Hiſtoricum, „alter monumentorum beſondern Liebha„bern. Anno 1582. 4. Hæ Wagneri lucubrationes cum ſint rariſſimæ, & dudum diſparuerint, operæ pretium videbimur facturi, ſi paulo prolixius Eligeri vitam recenſeamus, brevemque hic totius libelli ſuppeditemus epitomen. Abſolvitur quatuor præcipue capitibus, præfatione, dedicatione, hiſtoria ipſa & appendice eriſtica contra Friſchlinum de nobilitate paulo impetuoſius declamantem. In *præfatione* docet, videri omnino operæ pretium facturum, quicunque Eligeri, comitis Hohenſteinenſis hiſtoriam accurate continuaret, cum fuerit vir doctiſſimus, diuturnoque rerum uſu inſtructiſſimus, Germaniamque nimiæ immerſam ſuperſtitioni & epiſcoporum negligentia pene oppreſſam ad priſtinam revocare innocentiam unice ſtuduerit. Tamen cum pleraque monumenta aut ſtudio aut negligentia eorum, quorum interfuiſſet ea conſervari, dudum perierint, auſum ſe eſſe, reliquias his calamitoſis temporibus admodum lutiles & conſolatione plenas colligere, & in publicum proferre, ut conſtaret, Deum nunquam ſe ἀμάρτυρον hominibus reliquiſſe. (daß man erkennen lerne / wie Gott allezeit herrliche Lichter der Welt fürgeſtellet hat / die ihr den Weg zum Himmelreich haben weiſen müſſen in dicken / groben / groſſen finſterniſſen.) Hanc hiſtoriam cuivis Germano homini gratam futuram confidit, quod Elgerus ex illuſtriſſima gente Germanica prognatus calamo atque ore laborarit, ne patria ſub Italorum veniret jugum. Has offulas grato accipiendas animo (für dieſe kleine Brocken laſſet uns Gott dancken) rogandumque ſummum numen, ut patriam in vera ſui cognitione & doctrina Jeſu Chriſti conſervare velit. Hanc præfationem ſequitur ſatis verboſa dedicatio ad ſereniſſimos & illuſtriſſimos Dn. Fridericum Wilhelmum & Dnum Johannem fratres, Duces Saxoniæ, principes ſuos. In ea prolixe commemorat, obſervatum eſſe diuturno uſu, Deum quandocunque ſupplicia peccatorum a mundo exigere decreviſſet, prophetas prius ſuos aliosque viros ſanctos præmiſiſſe, quos plerumque homines rejecerint, damnarint, contemſerint, ſibi hoc ipſo induracionis accelerantes pœnam. Teſtari id exemplum mundi antediluviani, qui Noachi concionibus juſtitiæ necquicquam emendatus, funditus pene perierit. Nec minorem Germaniæ imminere calamitatem, cum vitiis publicis, velut avaritia, commeſſationibus, bibacitate, odiis, invidia, litibus, diſſidiis, contemtu Dei verbique divini & miniſtrorum fidelium omnes ferè ubique ſe polluant. (In ſumma einen rechtgläubigen Chriſten ſteigen alle Jahr zu berge / wenn er nur ein wenig in das Epicuriſche Leben der argen Welt ſeine Gedancken läſſet ſpatzieren / und wünſchet täglich / daß er nicht das groſe Unglück / das zukünfftig / und in einer Eil uns überfallen wird / ſehen und erfahren müge:) Idem accidiſſe anno 1228. in Thuringia. Cum enim varii ididolatrici cultus tunc invaluiſſent, & pontifex Romanus Germaniam turbaſſet affectato primatu in rebus eccleſiaſticis æque ac politicis, atque inde cædes, rapinæ, bella civilia conſequerentur, Eligerum e Pariſienſi academia reducem doctrinam de ſalute per Chriſtum conſequenda ſedulo inculcaſſe. (Denn er hat ſtiglich geprediget / daß die Heiligen nicht anzubeten noch anzuruffen / alldieweil nur ſie auch ſich halten müſſen getröſten des Leidens und Sterbens JEſu Chriſti) accurate deinde diſtinxiſſe inter imperium politicum & diſciplinam eccleſiaſticam, & Deo, quæ ſunt Dei; Cæſari, quæ ſunt Cæſaris tradenda, monuiſſe, licet jam tum ſtatuiſſet Pontifex Fridericum Cæſarem imperio dignitateque exuere; Thuringos deinde ab imminente infortunio cavere ſibi docuiſſe, & concionibus pœnitentialibus, ne Cæſari immorigeri eſſent, eſſe hortatum. Francofurti vero, quo Landgravium ad comitia eſſet comtatus, obiiſſe, aut potius veneno eſſe extinctum, quamvis nonnulli febri maligna eum periiſſe, malint. Denique multa eum prædixiſſe Thuringis, quæ deinde eſſent ſecuta, atque inde planum fieri ac certum, Eligerum præcipua habuiſſe charismata, peccata redarguendi, & futuras patriæ calamitates præſagiendi. (Das er eine ſonderliche Grade mus gehabt haben die ſünde zu ſtraffen / und darauf den Zorn Gottes folgende zuverkündigen.) Statuiſſe ſe igitur, hoc exemplum divinorum judiciorum edere, & e variis monumentis, Chronicis & codicibus illuſtrare, ita tamen, ut ſcorias ab argento, & palea a tritico ſeparatis, uniones e ſtercore collectos daret. Cum enim Elige-

rus de connubio admonuerit Thuringios, propter vitandam scortationem quemlibet suam habere debere uxorem, invalescentem hagiolatriam egregie redarguerit, ab omnibus in ecclesia imaginibus, præter solius Christi crucifixi abhorruerit, satisfactiones humanas nihil merere docuerit, solumque sanguinem agni Dei commendaverit beatitudinem consecuturis: omnino opus videri, ut in tanta rerum omnium perturbatione temporumq; iniquitate, vulgo hoc illustre exemplum proponeretur, licet historia Eligeri a papæ mancipiis astute intercepta & in monachorum latebras sit relegata; quorum commenta de missa, invocatione sanctorum & primatu papæ aliosque errores fortiter inculcarit (daß er ihr Freudelmarckt de missa, de invocatione sanctorum, de primata papæ und andere Irthum greulich gestraffet.) Ducibus vero Saxoniæ hæc monumenta inscribenda putasse, quod hi repurgatam Christi doctrinam incredibili constantia tueantur. His subnexa est ipsa historia, quam breviter & ipse quoque recensebo. Pater Eligero fuit Henricus Comes Hohensteinensis, qui sub Ludovico Landgravio Thuringiæ prope Alstadium & Nephram & prudentia & moribus egregiis floruit. Ingenio Elgerus usus est acri & felicissimo, moribus humanis & virtutibus heroicis ita præditus, ut mature, qualis esset futurus, prodiderit. Cumque studiis sacris diu noctuque incumberet, episcopi nonnulli & principes eum commendarunt Archiepiscopo Magdeburgensi, cujus studio non modo ditissimum Canonicatum in ecclesia Magdeburgensi obtinuit, verum etiam paulo post Cæsaris auctoritate & suffragio Præpositus Goslariensis est electus, quod munus non nisi illustribus & eruditis viris conferri solitum Wagnerus tradit (Welches Amt in der Stifftskirche zu Goßlar keinem jemals ist aufgetragen worden/ der do nicht von edelen Geblüt und hohen Stamme gebohren und herkommen/ und in den freyen Künsten und heiligen Schrifft wohl erfahren gewesen:) Cum vero unice animæ suæ saluti & patriæ commodis inservire statuisset, iter suscepit Gallicum & Lutetiæ Parisiorum studiis sedulo incubuit, ibi vero vidit Dominicanorum recentem ordinem, disciplinam continentissimam, verbi divini studium indefessum, quibus commotus, dimissa vita canonica (hat er seine Thümerey aufgekündiget) iis nomen dedit, & vitam castam sanctam & honestam instituit. Quandoquidem vero congregatio Dominicanorum non alio fine esset instituta, quam ut Christianam fidem propagarent, Deo in vera agnitione servirent & juventutem erudirent in omnibus disciplinis honestæ vitæ & artium bonarum; Eligerus quoque Parisiis missus in Thuringiam, ut pro sua prudentia & eloquentia singulari verbum divinum bene & utiliter annunciaret. Adjuncti ipsi muneris hujus socii fuerunt Marcellus Tangel & Albertus de Misnia, qui Erfurtum anno MCCXXIX. venientes incredibilem bonorum omnium meruere applausum, eorumque adjumento curiam Vicedomini de Rusteberge prope templum S. Pauli emerunt, & in monasterium converterunt Dominicanorum. Atque in ea quidem congregatione primum nobilis vir & illustris Comes D. Eligerus Senioris & Doctoris munus suscepit, tantumque sibi conciliavit hominum favorem, ut cum templum novum erigeretur, ipseque Eligerus cum sociis suis manum operi admoveret, certatim confluxerint homines misericordia tacti, & laboris in se susceperint partem. Ejus denique operæ tam multi nomen huic ordini dedere, ut & canonici nonnulli B. Mariæ Virginis aliique docti viri istis se adjungerent. Pietatem & vitæ ejus sanctimoniam vix satis laudare potest Wagnerus, qui precibus eum dies noctesque vacasse integras, & crebras Deo lacrymas obtulisse, tristes erexisse, pauperes suis opibus juvisse, Christum crucifixum semper prædicasse, leprosos & ægrotos visitasse, & brevi tempore ita verbi divini promovisse cursum, ut Eligero Priore, Henrico de Franckenhusen, qui ei successit in Erfurtensi prioratu, Marcello Tangelio, Alberto de Misnia, Lectore, & Alberto de Orlamunda, nihil esset acceptius celebriusque. Immo *tantus in eo fuit zelus erga Deum, ut in comitatu fratris sui, Comitis de Honstein ipsemet per pedes ecclesiarum pastores audiret, & eos in ordinem redigeret.* Quod cum aliquando frater ejus, generoso equo advectus animadverteret, exclamavit hic: Quid agis mi frater? quæ te huc cogit necessitas? Cui Eligerus non diu cunctatus: Nulla me, inquit, huc cogit inopia, Comes sum, dives esse possem æque ac tu, &, si vellem, non dubito, quin daturus mihi sis ea, quibus indigerem; Sed amor Jesu Christi me huc flexit. Refert porro Wagnerus, Eligerum aliquando confessiones excipientem ab anu quadam accepisse eleemosynam hydriam lacte repletam, cumque adhuc cum muliere ageret, advenisse fratrem ejus, multis satellitibus & militibus stipatum continuo tentationes a Diabolo sensisse, arguente eum stultitiæ, quod vitam tam splendidam & lautam cum extrema mendicitate commutasset, diu vero luctatum, demum baculum e veste promissa eduxisse, ostensoque cœlo, sede pauperrimi olim Jesu, ita fratrem esse allocutum: *En, frater optime, cœlum & terra peribunt, verbum Dei manebit in æternum. Ruit hora, vita fugit, nosque omnes nudi redibimus in communem nostrum omnium matrem. Cogita ergo, quas nugas & quæ somnia tibi fingas tua ista pompa & superbia. Erit, cum ditionibus tuis exueris, erit, cum corpus tuum jam nimis delicatum vermibus esca dabitur. Ubi tunc*

pompa

pompa tua, ubi luxus? Hinc ſi te amas, dimitte vitam hanc minus beatam, crede in Jeſum crucifixum & ſalvaberis. Hæc audientem Comitem cohorruiſſe, & vitam emendaſſe, Eligerum vero Deo perſolviſſe gratias, qui Dæmonis illecebris recuſandis ſuperandisque ſortem ſe idoneumque reddidiſſet. Excitaverant interea anno MCCXXXV. Henricus Landgravius Thuringiæ & frater ejus, Conradus Commendator Ordinis Teutonici (des Teutſchen Ordens Cümelthur) eccleſiam in honorem S. Johannis Baptiſtæ & S. Eliſabethæ, admonitique ab Eligero, ut novam eccleſiam vero Dei cultui & doctrinæ ſalubri deſtinarent, eam dono dederunt fratribus Prædicatoribus, qui magno conſenſu Eligerum Priorem ſibi elegerunt anno MCCXXXVI.* Hic igitur Iſenaci non modo alios omnes verum etiam ſe ipſum ſuperavit, orationibus, concionibus informationi rudiorum unice vacans, tantumque meritus omnium amorem, ut a Landgravio etiam in conſiliarium & confeſſionarium eligeretur, & ab ipſo Archiepiſcopo Moguntino Sifrido ſæpius ſalutaretur. Imagines, ſi Wagnerum audimus, in eccleſia ſua nullas toleravit alias, quam Chriſti crucifixi quandam effigiem, quæ in altari ſtetit, donata Eligero a Landgravio, magnique habita, quoniam S. Eliſabetha coram ea coronam ſuam abjecerit, indignum ſibi videri aſſerens, corona aurea ſe cingi, cum videat Chriſtum crucifixum ſpinea afflictum. Summam concionum Eligeri ita recenſet Wagnerus: Perpetuo eum inculcaſſe pœnitentiam, mediante qua homo per veniam & vivam fidem in Chriſtum regni cœleſtis, quod Chriſtus verus Deus & homo e Maria virgine natus & pro totius mundi peccatis in cruce mactatus nobis acquiſiverit, unice fieret capax. De cœna porro Dominica eum docuiſſe, ſub pane & vino exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti tam fidelibus quam infidelibus, idque juxta inſtitutionem Chriſti in eccleſiis conſervandum adminiſtrandumque eſſe. Ut enim panis & vinum aleret corpus, ita animum paſci corpore & ſanguine Chriſti. *Eſſe ſingulare beneficium Dei, noſſe, Chriſtum, utpote verum Deum & verum hominem talem cœnam inſtituiſſe contra omne humanum inventum & teſtationes.* Altarium & eccleſiarum ornamenta adamaſſe eum, ſed pura & modeſta, atque inde ab unica ſorore ſua, quæ in monaſterio Borenſi in Franckonia vixerit, obtinuiſſe, ut indumenta altaris Iſenacenſis egregia contexeret, in quorum medio conſpiciatur ſpinea Chriſti corona, in utraque vero parte variæ Apoſtolorum imagines, cum verſibus & rhythmis piis, & pro illorum temporum barbarie elegantibus. Pergit Wagnerus ad alia ejus geſta, quæ & ipſi breviter perſequemur. Invitatus aliquando ad nobilem quendam morti proximum non aliud ei occinuit, quam mortem Chriſti, cumque iter ad fratres ſuos pararet, rogatus quinque dies cum ægroto manſit, perpetuisque precibus & admonitionibus ſaluberrimis ita eum recreavit, ut animum reciperet. Domum redux, a nemine ſuorum ſalutatus eſt, cumque miraretur, animos ſuorum tam brevi tempore a ſe abalienatos eſſe, reſponſum tulit, ſenſiſſe fratres Spiritus Sancti gratia, Eligerum interea ſedulo apud Chriſtum pro ſe interceſſiſſe, hinc abſente etiam illo, mirifice ejus recordatione eſſe refectos, adeo, ut vix abeſſe eum animadvertiſſent. Preces aliquando fundens tam dulci ecſtaſi extra ſe raptus Wagnero dicitur, ut integrum menſem in hoc beato animæ ſtatu transegerit. Expergefactus deinde ivit in chorum cumque expectaret ſequentis diei officia & pſalmos, fratres, illo mirante inceperunt ſequentis menſis officia atque ſic demum ſenſit, integrum menſem ſe cum Deo verſatum. Cujus quidem narratiunculæ fides penes auctorem ſit. Addit tamen Wagnerus, tanta modeſtia hanc Dei manifeſtationem occultaſſe Eligerum, ut nonniſi morti proximus & animam agens hac de re quicquam retulerit. Senex admodum Thuringiam peragravit, pedibusque non amplius valens, aſino tamen vectus eccleſias obivit, mirantibus omnibus; inprimis comite quodam Kirchbergenſi, tam illuſtrem virum Chriſti amore mundum in tantum abnegaſſe. His prolixius enarratis ad mortem denique Elgeri pervenit Wagnerus, quam Francofurti, (quo Landgravium erat ſecutus) anno MCCXL. ipſo die Calixti beate obiit, cum paulo ante cum Sifrido Moguntino Archiepiſcopo aliisque doctis ſæpius de doctrina & diſciplina eccleſiaſtica eſſet collocutus. Febri hoc loco eum extinctum ſtatuit Wagnerus, licet in præfatione de veneno injeciſſet ſuſpicionem, quam & Wolfius aliique neſcio unde conceperunt. Corpus exangue ſplendidis prius exequiis Francofurto deductum demum Iſenaci in eccleſia SS. Johannis Baptiſtæ & Eliſabethæ, aut potius in capella S. Mariæ & omnium ſanctorum ſummo choro annexa terræ mandatum hoc meruit epitaphium:

* Male ergo Meurſius f. ſ. topogr. Sax. Super. monaſterii Iſenacenſis initia refert in ann. 1228

EPITAPHIUM.

Comitis de Hohnſtein hic jacet filius & frater
Ordinis Prædicatorum, cui nomen eſt Elgerus,
Iſenacenſis domus prior primus, anima cujus
Requiem æternam, ac lucem habeat divinam.
Obiit anno Domini milleſimo binies centum
Additis quadraginta atq; duobus.

Vel.

Virginis a partu hic annis obiit mille.
Bis centum quadraginta tunc duobus elapsis.

In ore sæpius ei hoc hæsit pulcherrimum symbolum:

Das Leiden Christi/ so für mein sünd
ein Sündopfer worden ist/
Im neuen Bund und Blut/ so mich
von der Schuld erlöst/
In meiner Noth ist allein mein
Trost.

Hæc Marcus ille Wagnerus, in rarissimo suo laudatissimoque libello, quem paulo fusius hic excerpere placuit, quod dulcissima est utilissimaque testium veritatis historia. Recte igitur ejus laudes ita brevius recenset Rev. Frid. Lucæ: Von dem vollkommenen Verdienst unsers einzigen Mittlers Jesu Christi predigte er sehr tröstlich / von dem Heiligen Abendmahl sehr erbaulich / von allgemeinem Ehestand gründlich / von der heiligen Schrifft rühmlich / also / daß ihn etliche vor des Herrn Lutheri Vorlaufer halten. Nec minus eum inter testes veritatis referunt Wolfius, Micraelius, aliique.

Lucæ atrium comit. l.c.

Annus Christi 1221.

Friderici II. Reg. 7. Imp. 2.

Ab. V. C. 298.

Infelix Christianorum in palæstina bellum. *Godofr. mon. p 29. Abb V. sp. p. 322. Pantal. de Ordin. Johannit. l. 3. p. 71.*

Succedit annus a Christi natali MCCXXI, quo denuo omnis fere Europa ad sacram militiam ab Honorio Pontifice incitatur. Quamvis enim superiore anno Christiani Damiatam operosa obsidione expugnassent, nunciabatur tamen tantum iis a Soldano periculum imminere, ut nisi nova subsidia ex Europa submitterentur, Damiata non modo sed & reliqua castella, quæ occupaverant, essent peritura. Fama hæc ubi percrebuit, ingens hominum multitudo suscepta cruce sacræ militiæ se devovit, quam ad ducenta millia extendit Godofridus monachus. Hæc conglobata vis cœco impetu in Ægyptum usque protuens Cairum expugnare constituit. Quam in rem alii navibus secundo Nilo subvecti, alii terrestri itinere progressi ad urbem hanc contendunt. Sed barbari peregrinos hos & viarum nescios, nec aperto Marte lacessunt, nec vias præstruunt, sed aggeribus ductis ita terram suffodiunt, ut, quandocunque libitum esset, totam regionem aquis mergere liceret. Denique cum viderent Christianos incautos in has angustias deveniisse, solutis subito Nili catarrhactis totum exercitum undis cingunt, & navibus igne Græco combustis, omnem aufugiendi potestatem præripiunt. Probrosa hæc Christianis clades, quippe qua & tanta hominum multitudo viva in barbarorum potestatem pervenit, & Damiata quoque cum ceteris castellis ex pacto Soldano restituta est.

Dum sic foris male rem gerit cruce insignitus exercitus, nec domi quidem Capitulum Goslariense certaminibus molestis caruit, quæ in tantum erupere incendium, ut excommunicationis fulmen ideo in Tidericum Præpositum montis Sereni vibratum sit. Possederat illud agros quosdam, quos Misniæ Marchio ea lege administrandos dederat Præpositis Lauterbergensibus, ut reditus certos capitulo illi exsolveret. Interjecto tempore fructus isti aliquoties intercipiebantur, nec præpositus eo poterat adduci, ut debitum servitium præstaret. Conquesti ergo sunt Prælati apud Popponem Halensem præpositum, quem Patrem paulo ante elegerant, qui cum nec minis nec blanditiis obfirmatum Præpositi Lauterbergensis animum flectere posset, anathemate illum ferire ausus est, donec restitutis his reditibus absolutionem mereretur. Plures inde turbæ subnatæ sunt, quas referre placet verbis Chronographi de Monte Sereno, qui solus rem memoriæ prodidit. *Anno* MCCXXI. *Poppo Halensis ecclesiæ Præpositus a Prælatis capituli Goslariensis in Patrem electus Tidericum Sereni Montis Præpositum excommunicavit pro hujusmodi causa: Tidericus Marchio Orientalis filius Conradi, Marchionis senioris hortatu Ekehardi Præpositi Sereni montis ad servitium Patrum jam dicti Capituli in die exaltationis S. Crucis redditus duorum talentorum dedit in villa Storcviz, sub hac forma, ut per manus Præpositi Sereni montis, qui pro tempore fuisset ibidem, reditus eis annis singulis ministraretur, & si celebrationem illius capituli quocunque modo deleri contingeret, ecclesia Sereni montis ipsa bona libere possideret: & hoc factum privilegio confirmavit. Præter hæc autem quidam fidelium, pro bonæ voluntatis arbitrio, tantum de rebus suis ad idem opus annis singulis, quam diu vixerunt, dare consueverunt, ut summa V. marcarum colligeretur, de quibus eis, qui ad capitulum die prædicta convenissent Præpositus serviebat. Annis vero pluribus evolutis, & eisdem datoribus mortuis, soli Marchionis reditus remanserunt, de quibus cum Tidericus Præpositus aliquot annis juxta priorum suorum consuetudinem servire negligeret, propter bonorum illorum, ut ipse asserebat, a bellatoribus devastationem, prælati illi coram patre capituli: præposito Halensi, sæpius conquesti sunt, injuriam tamen ei parte aliqua irrogantes, quoniam ab eo supra duo talenta, etiam hoc, quod ab aliis fidelibus addi consueverat, quodque eis defunctis dari cessaverat exigebant. Poppo vero Præpositus, cum cum priori anno ab officio suspendisset, quod tamen nunquam ei, sicut oportuit, significavit, sequenti anno ad conquerentium instantiam, hoc adjecto, quod biennio a capitulo se subtraxisset, excommunicationis contra eum sententiam promulgavit, cujus rei potestatem eum habere prælati illi asserebant ex*

Dissidium inter capitulum Goslariense & præpositum montis Sereni. *Chron. mont. Ser. p. 136. sq.*

qui-

quibusdam verbis, quæ in privilegio Eugenii Papæ, quod de confirmatione Capituli Goslariensis dedit, continentur, hæc probantes; quæ ita se habent:

Fratres quoque qui de nostris claustris assumti in aliis ecclesiis sunt constituti præpositi, aut in posterum statuentur, si forte in ipsis aut in religione, sive in ordine Canonico deliquerint, aut circa suos subditos negligentes extiterint, licitum sit præpositis hujus conventus eos pro excessibus suis corrigendis monere, & si post eorum monitionem reprehensibilia sua mutare nullatenus voluerint, severius corripere.

Hoc, quod hic dicitur, severius corripere, *illi ita interpretati sunt, id est* excommunicare. *Quæ interpretatio etiamsi vera esset, tamen ex diligenti loci illius consideratione longe ad aliud cognoscitur pertinere. - - - Verum Ekkehardus Merseburgensis Episcopus comperto, quod acciderat, utrumque ad se vocavit, & verbo illo, cujus occasione Poppo Præpositus excommunicandi autoritatem sibi arrogabat, cum viris literatis diligenter excusso, ostendit eum inanem sententiam protulisse, & ad hoc produxit negotium, ut Præpositus Halensis & Pater Patrum Capituli Goslariensis & viva voce & literis fateretur, sicque eos ad priorem concordiam revocavit. Porro forma literarum talis est:*

Poppo Dei gratia Novi operis in Halle Præpositus & Pater patrum *Capituli Goslariensis* omnibus præsentem paginam inspecturis gratiam in præsenti & gloriam in futuro. Noverint universi, quod nos sententiam excommunicationis, quam de consilio *Capituli Goslariensis* in venerabilem fratrem nostrum *Tidericum* Præpositum Montis sereni protulimus, nulla præcedenti absolutione, in præsentia Domini *Ekkehardi* Merseburgensis Episcopi, dicimus non tenere; & ad majorem rei certitudinem hanc nostram paginam sigillo Domini Episcopi petimus insigniri.

Capitulum Goslariense quale?

Verba hæc antiqui Chronographi licet paulo prolixiora ideo placuit integra adscribere, quod nos de Capitulo Goslariensi admonent, nulli præterea scriptori memorato, nec in diplomatibus quidem, quæ vidi, obvio. Scilicet antequam monasteria Canonicorum Regularium S. Augustini, quæ in Magdeburgensi, Halberstadiensi & Hildesiensi Diœcesibus florent, in congregationem Windesemensem coalescerent, suo arbitrio Goslariæ instituerant Capitulum, ad quod more Cisterciensium quotannis ipsa exaltationis S. Crucis festivitate convenirent, deque rebus communem Monasteriorum salutem spectantibus consulerent in medium. Præerat illis præpositus quidam, quemcunque consentiente suffragio elegerant, isque *Patrem Patrum Capituli Goslariensis* se vocare consueverati quemadmodum per hæc tempora dignitas ista penes Popponem Hallensem Præpositum fuit. Hoc institutum ad servandam stabiliendamq; disciplinam admodum proficuum Eugenius Pontifex singulari privilegio collaudavit, e quo etiam verba nonnulla a Chronographo Montis Seteni excerpta deprehendes. Quo factum est, ut quicunque se ab hoc Capitulo quotannis habendo absque sontica causa retraxisset, censuram ecclesiasticam meretur. Plura nobis de hoc Capitulo expiscari nondum licuit, nisi quod sub *Wilhelmo* de Ahusen, Præposito Montis S. Georgii, qui anno MCCCCXLVI. vixit, generale Canonicorum Regularium Capitulum Goslariæ habitum esse, membranæ Graunhoffianæ indicant. Suspicor tamen, hoc Capitulum interjecto tempore Halam Saxonum translatum, Halensis congregationis nomen induisse, quippe cui plura hujus ordinis Monasteria, quæ Windesemensi congregationi non accesserunt, unita fuisse constat.

Vivis interea excessit Sigefridus Hildesiensis episcopus, cui Conradus e Reysenbergiorum familia prognatus e nostra ecclesia subrogatus est, nisi Hamerslebiensis Monachi Emseri & Lezneri catalogi fallunt. Sed nescio, qui factum sit, ut nemo veterum eum Canonicum Goslariensem vocet, licet non taceant autores illum priusquam hoc honore potiretur, Decanum Spirensem, Scholasticum Moguntinum & Pontificis pœnitentiarium fuisse. Fuerat hoc anno ab Honorio per Germaniam missus, ut novas in Palæstinam suppetias flagitaret, populosque ad sacram militiam inflammaret, cujus dexteritatem cum perspicerent Hildesienses, non dubitarunt eum in Sigefridi demortui locum sibi Episcopum petere, quam electionem pœnitentiarii sui statim ratam habiut Pontifex. Studiis jam inde a pueritia in Parisiensi academia operam impenderat, tantumque profecerat in bonarum artium scientia, ut splendido his temporibus *Magistri* titulo exornaretur. Nec minor eruditione pietas ejus fuit, quam tot ab illo condita monasteria aperte testantur, unde Cranzius & Bruschius *ferbuisse eum religione* censent. Sed nimia, tamen ejus fuit rigor in illos, qui de Pontifice ejusque erroribus minus honorifice sentiebant, quos mirifico zelo, (ἀλλ' ὃ καὶ ἐπίγνωσιν) ferro flammisq; persecutus est. Qualem tragœdiam non Gallia modo, in qua contra Albingenses crucem prædicavit, verum etiam Goslaria nostra non sine horrore aspexit.

Sifrido Hildesiens. Ep. Conradus subrogatur. *Cranz. l. 7. metrop. c. 38. p. 189. Reutel. p. 94. Chron. Hillesh. ap. Paulin. Synt. Brusch. cap. 11. de Episc. n. 29. p. 1048. Chron. MSC. de Episc. Hildes. c. 30. Chronicon Mon. tii Franc. p. 6, 7.*

Annus Christi 1222.

Friderici II. Reg. 8. Imp. 3.
Ab. V. C. 299.

SUb ipsa enim sacerdotii sui auspicia Conradus experimentum dedit, quantopere ab hæreticis abhorreret. Anno enim MCCXXII. *Henricus Præpositus de Goslaria,*

Henricus de Præpos. Nov

Op. Gosl. hæreseos postulatur.

ria, cognomine Minneke a Conrado Hildesheimensi Episcopo de hæresi Manichæorum convictus, depositus & in custodia diutina detentus est.

Hæc autor Chronici Montis Sereni, qui tamen nec præposituram nominat, nec quod supplicium hæreticum manserit, refert, forte quod puderet eum tam nefandum facinus literis mandare. Defectum tamen hunc supplevit Buntingius, domesticus scriptor, qui ad annum MCCXXV. procul dubio e monumentis patriis annotat, Henricum Præpositum Novi Operis multorum scelerum postulatum, non munere tantum suo excidisse, verum etiam vivicomburio esse punitum. Operæ pretium hic fuerit paulo accuratius temporum illorum faciem intueri, ut quo jure quave injuria Henricus noster hæreseos notam subierit, dilucidius pateat. Ad ultimum tunc pervenerat Cleri impietas, nihil in Romana ecclesia sanum supererat, aut tolerabile, superstitio & anilia scholasticorum deliria utramque paginam faciebant, adeo denique sæva animorum lues principes ecclesiæ partes incesserat, ut non corpus tantum universum contaminaretur, verum etiam legum communis Servatoris omnis pene interciperetur memoria. Quemadmodum vero nunquam plane extinctum est veritatis lumen, ita & hoc infelici seculo non defuerunt, qui ex ista colluvie egressi *in viis starent, & respicerent antiquas semitas quibus patres* puriore ecclesiæ ævo *incesserant.* Verum hisce veritatis testibus dici non potest, quam sit ubique reclamitatum. Non nisi eqvuleos, & rogos & carnificinas & quicquid in Christianos excogitavit gentilium furor, contra illos spirabant Pontifices, & ne quid malis deesset; principes quoque, data cruce, in illorum perniciem armabant. Inprimis vero id dabant operam, ne injuste periisse viderentur. Hinc vetera & dudum Orco demersa nomina Manichæorum, Arianorum, Catharorum, & si quæ alia, in hæresiologiis reperiebantur, revocabant, ut invidiam bonis viris facerent, faciliusque plebem ad delendas hasce pestes incitarent. Nihilominus tamen magnopere indies crevit illorum multitudo, adeo ut Godefridus Monachus, Albericus, aliique hujus notæ scriptores, magno consensu affirment, totam Germaniam æque ac Galliam hæreticis & Manichæis tunc refertam fuisse. Nimis esset ab instituto nostro alienum de omnibus hic agere, inprimis cum eorum monumenta eodem igne cum illis perierint, nec quicquam sciamus amplius, quam quod ab infensissimis eorum hostibus memoriæ proditum est. Quare Saxoniæ finibus non egrediemur, in quibus præcipue Stedingorum secta innotuit, cui licet non armis animo tamen se junxisse videtur Henricus Minneke. Quid vero vitio datum est huic hominum generi? Nefanda quævis, & vel dictu, vel cogitatu horrenda, diaboli cultus, sacrorum contemtus, occulti incestus, magia, paucis, Manichæorum somnia. Audiamus Albertum Stadensem, qui ita de iis rhetoricatur: *Anno Domini* MCCXXXIV. (hic enim annus illis fuit fatalis) *Henricus Dux Brabantiæ & Florentinus Comes Hollandiæ Bremæ existentes, contra Stedingos viriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos Ecclesiæ. Nam sicut probatum est super eos, & per Mindensem, Lubicensem, Raciburgensem Episcopos Papæ auribus intimatum, ipsi doctrina matris ecclesiæ penitus vilipensa ipsius libertatem conculcaverunt, nulli parcentes sexui vel ætati. Quæsierunt responsa dæmonum, simulacra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas Pythonissas, & quod deterius est omnibus, viaticum salutis æternæ horribilius, quam deceat exprimi, pertractantes. Clericos etiam & religiosos impie lacerantes cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis sufficit perditio, sed omnes, quos poterant, & maxime rusticos, in foveam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur.* Adstipulatur huic Henricus Wolterus, qui in Bremensi Chronico Stedingos vocat *inimicos crucis Christi & ecclesiæ sanctæ, sectatores hæresium, qui adorarint Asmodeum, id est, diabolum & fregerint ecclesiæ libertatem.* Addit his Rastedense Chronicon, eos idolum Ammon posito simulacro coluisse. Denique autor est Albertus Crantzius, blasphemasse eos cœlorum Dominum Luciferum injuste ad inferos detrusisse; hunc vero gloriam suam recuperaturum; non agenda esse, quæ Deo placeant, sed quæ nolit; corpus Dñi singulis annis & quidem paschali tempore de manu sacerdotis recepisse, sed in ore reservatum postea in latrinas expuisse, nocturno tempore, extinctis lucernis vagam libidinem promiscuosq; incestus exercuisse. Quis quæso sanus de hominibus, qui vel sola recta ratione duce utuntur, tam absona crederet? Godofridus sane Monachus, a partium studio paulo remotior, ubi Stedingorum, aut ut ipsi vocantur, Stagingorum meminit, non aliud in iis crimen hæreseos notat, quam quod *pro suis excessibus & subtractionibus decimarum multis annis excommunicati contemptores clavium ecclesiæ fuerint.* Vnde jure eos ab hæresi absolvunt Vbbo Emmius, Hermannus Hamelmannus, & Büchelius. Nos non suscipimus hæreticorum patrocinium; nec tamen omnes illos hæreticos agnoscere possumus, quos nobis vendunt Pontificii. Nam vix sine lacrymis legas, quam impie cum Stedingis, aliisque veritatis testibus fuerit actum. En enim querelas Godefridi Monachi: *Miranda res & nimium stupenda, quod his temporibus ignis contra genus mortalium sic invaluit. Nam eodem fere tempore, & propter veras hæreses & propter fictas multi nobiles & ignobiles Clerici, Monachi, Inclusæ, Burgenses, rustici a quodam fratre Conrado ignis supplicio per diversa Teutoniæ loca (si fas est dici) nimis præcipiti sententia sunt addicti. Nam eodem die, quo quis accusatus est, seu juste, seu injuste, nullius appellationis, nullius defensionis refugio proficiente est damnatus & flammis*

Jerem. 6. v. 16.

Godefrid. Monach. p. 298.

Alberic. Chron. p. 542. sqq

Schaten. lib. 11. tom. 2. p. 10, 21.

Henric. Wolter. Chron. Bremens. p. 58.

Chron. Rastedens. ap. Alebom. Crantz. lib. 7. metrop. c. 3. & 47. p. 173. 195.

Schaten. lib. 11. l. c.

Godefr. Monach. l. c.

crudeliter injectus. Quis non videt, quæ facies tunc inquisitionis fuerit, & quam impie contra homines Clero invisos fuerit, sævitum. Sed pauca dixit Godofridus, si conferas cum illis, quæ in epistola ad Pontificem directa ipse Moguntinus Archiepiscopus de hoc hæreticos fingendi studio conquestus est, quam cum ex parte servaverit Albericus, dignam arbitramur, quæ hic legatur: *Magister Conradus contra pauperum Lugdunensium astutias Zelo fidei armatus nefandam haresin, Manichæorum filiam, olim absconditam, ita putavit ex toto deprehendere, si testes, qui se confitebantur aliquantulum criminis eorum conscios & participes, in illorum absentia reciperentur, & dictis eorum simpliciter crederetur, ita ut semel accusato, talis daretur optio, aut sponte confiteri & vivere, aut innocentiam jurare & statim comburi: & ecce falsos testes ab hæreticis, ut credimus, subornatos adduxit inimicus: quædam fœmina vaga Alaidis annorum viginti, casu veniens peregrinam se finxit hæreticam, illius sectæ fuisse sunm virum apud Cruneborch concrematum, & se velle cremari innuens a latere, quod si ecclesia verbis suis credendum decerneret hæreticos abjecturos & fautores eorum manifestaret, hæc missa est a Magistro Conrardo, qui nimis ei credidit, & ipsa primo apud Clavelt villam, de qua oriunda fuit, cognatos & notos & affines, qui eam exhæredare videbantur fecit comburi, subornato etiam quodam Amfrido, quem modo fecimus in vinculis detineri, qui confessus est, quod multos innocentes alios ad ignem, alios ad tonsuram* per testimonium suum coëgerit, Magistro Conrardo judicium fulminante. Et horum accusatio paulatim cœpit ascendere a rusticis ad Burgenses honorabiles, & eorum uxores, inde ad castellanos & nobiles, & in fine ad Comites, prope & longe positos. Et Magister nulli quamvis alta persone locum dedit legitime defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti, sed accusatum oportuit confiteri se hæreticum esse, buffonem tactum, pallidum virum & hujusmodi monstra diffidentiæ pacis in osculo salutasse, taliter quidam Catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari & salvari, quam mentiri de crimine turpissimo cujus non erant conscii & supplicium promereri, quibus ipse Magister martyrium promittebat: Alii infirmi potius eligerunt mentiri, quam comburi, quibus tamen oportuit scolas nominare, & respondebant, nescio quem accusem: dicite mihi nomina de quibus suspicionem habetis cumque proponeretur de Comite Seinensi, de Comite Heuneberg, de Comitissa de Loz, respondebat evadere volens, illi ita rei sunt, ut ego, & illi in scholis fuerunt, ubi ego fui, & sic frater fratrem, uxor virum, dominus servum accusavit, alii dabant pretia tonsoratis, ut docerent modum evadendi, & facta est confusio a seculis inaudita &c.* Hæc cum ita sint minus mirabuntur æquiorum æstumatores, quod Henricum præpositum nostratem injuste Manichæismi postulatum ac vivicomburio plexum dicere audeam. Nihil enim est hominibus familiarius, quam ferali hæreseos nomine bonis viris conflare invidiam; eaque suspicio facile in animis agit radices, si odium & inanimadvertentia & zelus imprudens accedunt.

Alberic. Chron. p. 544. sq.

* *forte* torturâ.

Quo crudelius autem sævitum tunc est in testes veritatis, eo magis invaluit superstitio & purioris doctrinæ contemtus. Inprimis Franciscí fraterculi, nuper in Saxoniam admissi, magnam consecuti sunt pietatis famam. Ante tredecim annos fundatum apud nos fuit Monasterium fratrum, de cujus originibus jam supra egimus: Illi paulo post aliud accessit Hildesiæ conditum, quod inprimis ipsi S. Francisco magnopere placuisse fertur. Quare hoc ipso anno Hildesiam accessit, convocatisq; per Saxoniam fratribus solennem Synodum habuit, cui & ex nostra urbe Franciscani procul dubio interfuerunt. Atamen quid in hoc Monachorum congressu actum sit, monnmentis destituti ignoramus, nisi quod novam tunc mendicantium coloniâ Bremam a S. Francisco missam dicit chronicon Rastedense. Id sane e luculentis indiciis constat, ex hoc tempore doctrinam de operum meritis ad summa pervenisse, nec solidæ amplius pietati, sed peregrinationibus, vigiliis, aliisque hujus notæ operibus esse litatum, adeo, ut pene beatius e vita sibi viderentur migrasse, qui Franciscani cujusdam pannosa cucullo corpus involvissent, quam qui Christi merito freti, pie sese composuissent ad extrema.

S. Franciscus Synodum Hildesiæ celebrat. *Henr. Walter. Chron. Bremens. p. 38. Rentel. Chron. Hildesh. p. 94. Chron. Rasted. p. 98.*

Interea Fridericus Imperator in extremis Italiæ finibus contra Saracenos, qui patrium ejus regnum invaserant, victrices aquilas circumferebat, quamvis non cessaret Pontifex eum ex Apulia revocare ad sacram militiam, cujus symbolum superiore anno susceperat. Imperator cui domi erat quod ageret, non adnodum quidem proclivis fuit ad tam longinquam expeditionem, ne tamen Pontificis animum exacerbaret, propediem se cum ingenti exercitu iturum pollicitus est, missisque in Germaniam legatis, a principibus postulavit, Henricum filium Regem inungerent, ne se in Palæstina degente Germaniæ Rector deesset. Quare Engelbertus Colonienſis, acceptis ea de re literis, Henricum Aquisgranum deductum VIII. Idus Maji, in splendida principum corona, Carolinæ sedi imposuit, regioque diademate solenni ritu ornavit.

Henricus VII. Rex coronatur. *Godofr. Monach. p. 292.*

Annus Christi 1222.
Friderici II. Reg. 9. Imp. 4.
Ab. V. C. 300.

ANnum demum ingredimur seculi urbi nostræ tertii ultimum, qui totus apparatui futuri passagii impensus est, Pontifice literis æque ab nunciis sollicitante Europæ principes, ut suscepta cruce post biennium cum Friderico Imperatore ecclesiæ Asiaticæ ferrent suppetias. Hanc expeditionem, ut eo alacrius capesseret Fridericus, desponsa illi fuit Hierosolymitani Regis filia,

Nova expeditio in Palæstinam, decernitur *Honor. lib 7. Ep. 141. 167. & 178. lib. 8. Ep. 82.*

Godefr. Mon. p. 292. Albert. Stad p. 303. Pontan. l. 7. rer. Dan. p. 309. ſq. Cranz. lib. 7. c. 38. Sax. c. 199. Chron. Mont. Ser. p. 144.

lia, & regni iſtius titulus nomini ejus adſcriptus. Sed & miſſi in Germaniam, qui Principes monerent, darent operam, ut Waldemarus Danus, qui in vinculis Sverinenſium Comitum adhuc fuerat, regno reſtitueretur, neſcilicet ex Dania quoq; deeſſent ſubſidia. Tentavit etiam Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus, qui Imperio abſente Imperatore præerat, morem pontifici gerere, comitiisq; Northuſæ indictis Sverinenſem magnopere rogavit, ut publicam ſalutem privatæ ultioni anteponeret, & Regem tam neceſſario eccleſiæ tempore non diutius teneret captivum, ſed fruſtra fuit Engelbertus, tantum enim vicinorum odium ubi contraxerat Waldemarus, ut omnes eum mallent eſſe quam infirmiſſimum.

Capituli Goslarienſis lis cum Præpoſito Montis Sereni.

Chron. Mont. Ser. p. 155.

Interea diſſidiũ apud nos recruduit, quod dudum Goslarienſi Capitulo cum Lauterbergenſi cœnobio interceſſerat. Cum enim quidam Præpoſitorum Goslarienſis capituli exaltationis Crucis die, quo Capitulũ habebatur proventus a Tiderico Miſniæ Marchione capitulo donatos exigeret, Lauterbergenſis Præpoſitus non ſervitium tantum hoc negavit aſe præſtiturum, verũ etiam judices a ſede Apoſtolica impetravit, qui cauſam cognoſcerent. Dies igitur Capitulo dictus, poſtulatumq;, ut Præpoſito Montis Sereni ſuper exactione indebita reſponderet. Sed interceſſit demum Poppo Præpoſitus Hallenſis, qui eo utramq; partem flexit, ut cauſam usq; ad Capituli anniverſarium diem differrent, daturum ſe operam pollicitus, ut cum bona gratia lites ſopirentur. Adfuerunt ſtato die præter Tidericum Præpoſitum Lauterbergenſem *Wilhelmus* Cillenenſis, & *Wilhelmus* Lipſienſis Præpoſiti, Gerhardus Sereni Montis Canonicus, *Johannes* Richenbergenſis, Rudolphus S. Johannis Halverſtadienſis, & Bruneshuſenſis Præpoſiti, qui concordi ſuffragio hanc tulere ſententiam *ut Præpoſitus Lauterbergenſis, qũi eo anno copioſum Goslarienſibus procuraverat ſervitium ſequenti quoq; anno, quaſi propœna defectus priorum annorum ſimile exhiberet, deinceps vero tam ipſe, quam ſucceſſores ejus duas tantum marcas ad Capitulum venientibus preſentantes, nullam ſupra hæc exactionem a quolibet paterentur.*

Capituli Goslarienſis decretum de ſextæ feriæ jejunio.

Chron. Mont. Ser. l. 7.

Haut paulo majoris momenti ſunt, quæ in eodem congreſſu ſancita de jejunio, idem auctor obſervat. *In eodem enim Capitulo ſtatutum tunc fuit, ut jejunium ſextæ feriæ nullius feſti occaſione ſolveretur, excepto feſto Natalis Domini, ſi in ea feria veniret.* Mira ſane ſanctio, quæ omnibus vetuſtæ eccleſiæ canonibus repugnat. Iis enim feſta *dies remiſſionum* audiebant, adeoque ab illis omnis mœroris ſignificatio abeſſe jubebatur, ut ne geniculando quidem precari, multo minus jejunio corpus affligere liceret. Hinc & ſtativum ſextæ feriæ jejunium habuit veniam, quotieſcunq; Martyris cujusdam aut alia feſtivitas in illum diem incideret. Nec ullius ſancti natalem Durando teſte jejuniis tranſegit eccleſia, præterquam Martini & Laurentii. Satis aperte etiam Tertullianus: *Die* inquit, *Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate die Paſcha in Penteceſten usquè gaudemus.* Multo ſeverius jejunium dominicis (quidni & feſtis) diebus interdicit Ignatius, *homicidas Chriſti* vocans, qui tunc jejunarent. Porro ſexto Chriſtianorum ſeculo Turonenſe ſecundum concilium Monachis per totum menſem Auguſtum (haut habita ratione ternorum jejuniorum hebdomadariorum conficerentur.(*) Verum hæc antiquorum decreta abolere auſum eſt Capitulum Goſlarienſe, procul dubio religione ductum; ut eo certius Dei auxilium futuræ expeditioni ſacræ impetraret. Quemadmodum enim Roſariorum aliarumque ejusmodi recularum uſus harum expeditionum occaſione invaluit: ita & jejunia credibile eſt tunc fuiſſe multiplicata.

(*) *Durandus lib. 6, c. 7. n. 12. 20. Tertull. cap. 3. de Corona militum. Concilium Turon. II, can. 13. Ignatius Epiſt. ad Philipp. Albaſpinæus ad Can. 87. Concil. Carthag. IV. p. 483. Bona lib. 1. rer. Liturg. c. 21. Cave Chriſtianiſm. primit. p. 1. c. 7. p. 178. Calvoer. P. 2. Rit. Evang. Sect. 2. cap. 9. p. 244. ſqq.*

Eccleſiæ hujus ſeculi facies.

Emenſi itaque ſumus tertium Goslariæ noſtræ ſeculum, iter ſalebroſum ſane & moleſtum. Vidimus Eccleſiam inani ſuperſtitione oppreſſam, ritus novos ſubinde inductos, conculcatam a Pontificibus Cæſarum Majeſtatem, bella ſacra flenda matribus. Clerum ubiq; conſcientiis inſultãtem. Spectavimus teſtes aliquot veritatis, ſed purpureo plerosque habitu, quali decet eſſe indutos, qui Chriſti ſymbola in frontibus ferunt. Intuiti denique ſumus Pontifices, in Capitolio ſe jactantes, & cum raſo exercitu ſuo totum terrarum orbem veluti aliud agendo ſubjugantes. Inter tot publica mala, quæ Eccleſiæ noſtræ facies fuerit, non difficile eſt augurari eadem ſcilicet, quæ ceterarum, niſi quod eo funeſtior fuiſſe apud nos videtur, quo major fuerit Clericorum Papæ blandientium numerus. Paucis: *regnum tenebrarum fuit, in quo pars major hominum Anti-Chriſto magis, quam Chriſto ſervire coacta eſt, cum tempus liberationis ob peccata hominum differre Deo viſum eſſet.*

AN-

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM ET VICINARUM REGIONUM LIBER III.

AB ANNO CHRISTI
MCCXXIV AD MCCCXXIII.
IMPERANTIBUS
FRIDERICO II,
WILHELMO,
& post infelix interregnum
RUDOLPHO,
ADOLPHO,
ALBERTO I.
HENRICO VII.
LUDOVICO IV.
CAESS. AUGG.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

MEDICAMENTUM
MIRABILE

TAB. IV. ad LIB. III.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 6.

Fig. 5.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM INPRIMIS ECCLESIASTICARUM

LIBER III.

DE REBUS

Seculo quarto Goslariæ gestis

Ab ANNO Christi 1224 usq; ad 1323.

AGredimur seculum Goslariæ nostræ quartum, cum Christi decimo tertio ex maxima parte concurrens, quo nullum ferme aliud ecclesiæ æque ac reipublicæ funestius illuxit. Ecclesia enim, quæ jam dudum solidioris doctrinæ jacturam fecerat, hoc seculo bonos etiam mores vitamque Christianis dignam paulatim amisit, adeo, ut omnium pene cordatiorum tunc hominum commentarii quetelis justis referti sint. Nam ut omittamus in præsens, quæ Matthæus Paris; Aventinus aliique veritatis testes bona fide in hanc rem scripsere, nemo certe paria fecit Waltero Mapez Archidiacano Oxonienſi, qui diversa poëmata de corrupto ecclesiæ statu ut & bonæ frugis plenissimum librum, quem Apocalypsin Pontificis Goliath, inscripsit, nec non & alios hujus notæ libros mira dicendi libertate condidit. Cujus ingenii, vel soli hi versiculi, a quibus poëmata sua orditur testes esse poterunt:

Dav. vid. Jo. Wolff. tom. 1. mon. Lect. cent. 12. p. 393. Cave hist. lit. sec. 13. p. 490. tom. 1.

Roma mundi caput, sed nihil caput mundum,

Quod pendet à capite totum est immundum.

Nec cum republica Germanorum hoc seculo benignius fortuna egit, quippe quæ in tantam rerum omnium perturbationem Pontificum artibus deducta est, ut proxime ab interitu abesset. Initio præerat Fridericus præclarus princeps, & cui nec ex ultima quidem antiquitate quisquam ullo modo poterat comparari, sed inexpiabile odium, quod adversus eum pontifices conceperant, in tam atrocia demum certamina erupit: ex quibus multum respublica detrimenti cepit. Secuta deinde Friderici imperium sunt tempora, quibus novi identidem motos extiterunt, cum discordantes in eligendis Imperatoribus sententiæ non sopirent certamina, sed accenderent. Lacerata enim inter competentium studia republica, & fatali interregno prostrata, non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum est, ad vitia transcursum, a quiete ad bella civilia, a fortitudine ad latrocinia, ab humanitate denique ad tristem barbariem tota conversa Germania est. Denique præcipiti jam seculo Rudolphus Habsburgicus cuncta discordiis civilibus fessa consentientibus principum suffragiis sub Imperium accepit qui rempublicam bonis artibus ab intestinis motibus ac dissidiis ad concordiam revocavit, celsissimæque ac regnatricis Austriacorum domus magno totius Imperii bono fundator extitit. Ceterum quæ hoc turbulento seculo Goslariæ nostræ

vicinique fauſta, aut adverſa contigerint, quantum quidem per ſcriptorum, oſcitantiam indagare licuit, more noſtro paucis perſequemur.

Annus Chriſti 1224.
Friderici II. Reg. 10. *Imp.* 5.
Ab. V. C. 301.

Comitia Francofurtenſia *Godefr. Monach. p. 292.*

PRimo itaque hujus ſeculi anno, quo Fridericus adhuc in Sicilia contra Saracenos bene rem gerebat, Cisalpini Imperii rebus præfuit Henricus filius, nuper regio diademate inſignitus, cui tamen tantis rebus per ætatem impari, in curarum partem venit Engelbertus Colonienſis Epiſcopus, qui jam ante reipublicæ cum laude adminiſtratæ pretium a fama tulerat. Primum itaque Francofurti principes convenere, ſed Pontifice ſacram militiam unice urgente, nihil in eo congreſſu actum, niſi quod nova ſubſidia in Palæſtinam ſubmittenda decernerentur. Adfuit enim Hermannus Teutonicorum equitum magiſter, qui nunciabat, quam celeri opus ſit auxilio, quantoque apparatu Imperator futuræ militiæ ſeſe accingat. Unde magno conſenſu, principes ſubſidia pollicentur, quamvis Fridericus, animadvertens, quam neceſſaria domi ſupereſſent agenda, non adeo maturaret indictam expeditionem, diuturno quippe uſu edoctus, omnia ferme ſuperiora bella infructuoſa & reipublicæ damnoſa extitiſſe.

Conſilia de liberando Danorũ Rege. *Godefr. Mon. l.c. Chron. mont.Ser. p.167. Alb.Stad. p.303. Cranz.l.7 Sax. c.38. ſq. p.199. l.7. Dan. c. 18. Schloepk. Chron. Bardevv. part.2,c.1. p. 226. Meibom. hiſt.Bard. p. 65.*

Acceſſit quoque per eadem tempora in Germaniam Conradus Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, non alia de cauſa miſſus a Pontifice, quam ut ſuo nomine Imperii proceres ad bellum ſacrum inflammaret: qui ab Engelberto Colonienſi Archiepiſcopo Coloniæ honorifice exceptus multa induſtria datum ſibi negotium ſubinde executus eſt. Videtur etiam nova a Pontifice mandata de liberando Woldemaro Danorum Rege attuliſſe: Ejus enim cauſam Pontifex paulo ſolertius ſuſceperat, quod certa exinde ſubſidia futuræ expeditioni polliceretur, ſi tam inſigni beneficio eum demeritus eſſet. Statim itaque poſt Legati Apoſtolici acceſſum Henricus Rex cum Engelberto Colonienſi in Saxoniam deſcendit, habitisque Northuſæ comitiis, in quibus de Sophiæ Abbatiſſæ Quedlinburgenſis exceſſibus actum, ulterius Bardevicum an Albim progreſſus eſt; præmiſſo Hermanno Teutonici ordinis Magiſtro, qui cum Sverinenſium comite de liberatione Regis ageret. Hujus conſilio inter Regem & Comitem ea quidem lege pactio convenit, ut Rex datis centum marcarum millibus, reſtitutisque omnibus quæ Imperio detraxerat, in libertatem aſſereretur, coronamque inpoſterum antiquo more ab Imperatore ſuſciperet: Sed pactis his interceſſit Albertus Orlemundanus Comes, Regis ex ſorore nepos, ac ceteri, qui aderant, Danorum proceres, armis potius Regem ſuum vindicare parati, quam adeo probroſas genti ſuæ conditiones inire. Collectis itaque totius Daniæ viribus, Duce Alberto Orlemundano, regiones Transalbinas invadunt, omniaque ferro flammisque depopulantes Sverinenſi inprimis Comiti imminent, vi effracto carcere Regem liberaturi. Sed cum ſtatim ad arma concurrerent Gerhardus Bremenſis Archiepiſcopus, Adolphus Schawenburgius, Henricus Sverinenſis, Henricus Werlenſis ceterique Holſatiæ populi, ſorti prælio ſuſi fugatique cum paucis rediere in Daniam, relicto tamen Alberto Orlemundano, atq; in eundem cum avunculo Rege carcerem conjecto. Proximo tamen anno, cognita Engelberti nece, comes Regem ultro, pactus ſibi litrum libertati reſtituit.

Comitia Egrana. *Chron. mont.Ser. p. 167.*

Denique & Egrana hoc anno comitia celebrantur, ad quæ cum cauſam dicendi gratia evocata eſſet Sophia Abbatiſſa Quedlinburgenſis, ſed rebus ſuis diffiſa vadimonium deſereret, ſententiis principum ſacerdotio privatur, ſubrogata Bertrade de Crozuc, Conradi Halberſtadienſis Epiſcopi ſorore.

Excommunicatio Tiderici Præp. Montis Sereni in Capitulo Goſl. promulgatur. *Chron. mont.Ser. p. 185.*

Debemus hæc Chronici Montis Sereni auctori, qui & Goslariæ hiſtoriam per aliquot annos adhuc tetigit. Inprimis prolixus eſt in enarrando diuturno diſſidio, quod in Ilſenburgenſi vicino monaſterio tunc temporis enatum, plures deinde eccleſias afflixit. Cum enim Monachi ob multa objecta crimina excommunicationis ſententiam ſuſtinuiſſent, Tidericus vero Montis Sereni præpoſitus non ſolum anathema in ſua eccleſia nollet promulgare, verum etiam hiſce devotis capitibus paulo familiarius uteretur; Henricus Abbas & Henricus Prior Pegavienſis, nec non Albertus Brandeburgenſis Præpoſitus eandem ſententiam in illum ferebant, miſſisque excommunicationis tabulis Goslarienſe Capitulum rogarunt, ut iſtam ſententiam promulgarent. Qua de re ipſum placet audire Chronographum: *Non autem Abbas & ejus conjudices auctoritatis ſuæ contemtum æquanimiter acceperunt, ſed præpoſitum excommunicationis ſententiam ferentem hanc primo in Capitulo Goslarienſi promulgari fecerunt, ac ea poſtmodum iterata, miſſis in vigilia B. Andreæ literis, fratribus quoque ut a communione ejus ſe ſubtraherent præceperunt.*

* legendũ puto: Sed in præpoſitũ excomm. ſent. ferentis.

Annus Chriſti 1225.
Friderici II. Reg. 13. *Imp.* 6.
Ab. V. C. 302.

Rex in Imperio tunc geſtæ.

INſequente anno Fridericus Imperator, qui adhuc in Sicilia agebat, ad ſecunda vota tranſiit, accepta in matrimonium Johannis Hieroſolymitani Regis filia, quam illi Papæ opera deſponſam ſuperiore libro diximus.

diximus. Interea Henricus Rex, penes quem abiente Patre rerum summa erat, Francofurti principum conventum habuit, ubi non minus de nuptiis actum. Adfuere enim a Rege Angliæ legati, id inprimis agentes, ut Henricus affinitate se cum Rege jungeret, sororemque illius uxorem duceret. Sed minus consultum id visum est Principibus, quare legati tulerunt repulsam ac inani responso deliniti, in patriam redierunt.

Chron. Augusti. p. 368. Godofr. Monach. p. 293.

Appetente jam æstate Henricus Rex una cum Engelberto Colonienſi Archiépc iterum conventum principum Northusæ habuit, ad quem una cum aliis principibus confluxere quoque Fridericus Halberstadiensis & Engelhardus Nuenburgensis episcopi. In hoc illustri congressu contentio orta est inter Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum & Conradum Hildesiensem episcopum de terminis diœcesium, quæ prope Goslariam nostram se invicem attingebant. Cum enim Moguntinus diœceseos suæ limitem stateret Gosam amnem, atque adeo aliquam civitatis nostræ partem suæ diœcesi subjectam assereret; obstitit Conradus Hildesiensis Episcopus, totam civitatem suæ ephoriæ ecclesiasticæ vindicans, nihilque cis montes Hercynicos Moguntino concedens sacræ jurisdictionis. Cum igitur ea lis sopiri in præsens haut posset, auctoritate Regis in eo consensit uterque præsulum, ut ecclesia SS. Simonis & Judæ, dudum ab omni jurisdictione episcopali exemta neutrius censeretur diœceseos, nec ab alterutro quicquam pateretur molestiæ, donec causa accurate fuisset cognita limitesque diœcesium constituti. En vero ipsum Henrici Regis dignum lectu diploma:

Archiépc Mogunt. partem civit. Goslarien. trans Gosam suæ diœcesi vendicat, reclamante Hildesiensi.

H* Dei grā Romanorum Rex & semper augustus, universis hoc scriptum perspicientibus gratiam suam & omne bonum. Post dissensiones varias inter dilectos & familiares principes nros Dnos S. * Mogunt. Archiépc & &C. * Hildesheimen épiscopum super terminis partis, quæ est citra Gosam in Goslar n ... * mediantibus per familiarem principem nrum E* Colonienſem Archiepiscopum, qui nri & imperii curam gerit, in hoc consenserunt episcopi supradicti, quod Goslár. eccliā *quæ specialis imperii nri dignoscitur esse capella*, cum suis pertinentiis omnino in eo sit statu, in quo fuit ante omne dissensionis initium, ita quod medio tempore ab ipsis episcopis nichil p ... apitul l * a singulis, nec ab aliquo molestentur, donec quæstio inter episcopos memoratos juste & rationabiliter sit terminata. Acta sunt hæc Northusen. in præsentia Dni E. Colonienſis Archiépc & Dni F. Halverstadén Episcopi Dni E. Nuenburchenſis Episcopi, ... de Ther. Comitum. H. & H. de Waldenb. & .. de Wulferbuttele imperialis aulæ dapiferi. Anno incarnationis dni MoCCoZXVo. V. Kal. Augusti .. * XIII.

** Indictione.*

(Sigillum') (Sigillum) (Sigillum) (Moguntini) (Colonienſis) (Henrici) (Sigillum) (Cæſaris) (Hildeſienſis)

Vergente jam in hyemem anno inaudito parricidio reipublicæ subtrahitur Engelbertus Colonienſis Archiepiscopus, vir nec dicendus unquam, nec silendus sine cura. Pietas ejus & sanctitas omnium vocibus celebratur, justitia vero & in rebus agendis dexteritas ex omnibus ferme ejus actionibus elucet. Reipublicæ deniq; tam laudatam operam navavit, ut nihil absente Friderico turbarum nascereturr, omniaq; summa tranquillitate ac quiete gauderent. Sed inimicum acerbum expertus est Fridericum Altenaviæ & Isenbergæ Comitem, quem quod ecclesias injuste affligeret, sæpius amice admonuerat, Archiepiscopus, eique antiquum semper obtinenti diem dixerat. Fridericus vero iracundiæ œstro percitus, nec dignitatis suæ, nec cognationis habita ulla ratione, Engelbertum in sylva occulte invadit, & resecta manu triginta & octo vulneribus confossum occidit. Dici non potest, quam incredibili mœrore tanti principis fatum ab omnibus exceptum sit, a Colonienſibus inprimis, qui subrogato Henrico de Molenark, Bonnenſi Præposito, statim ultionem flagitabant. Henricus Rex & ipse tam venerandi patris nece perculsus, habitis Norimbergæ comitiis Fridericum Comitem proscribit, &ditionibus exuit, inde Colonienſes & ceteri vicini Isenburgenſem aliasque arces Comitis ferro devastant, & totius Comitatus eversione Archiepiscopi Manibus parentant. Denique & ipse Comes sequente anno a Balduino quodam milite cognitus & convivio exceptus proditur, Coloniamque deductus diro supplicio afficitur. Nam omnibus membris securi pertusis funibus in feralem rotam æneam attrahitur, ubi ad matutinas usque preces vivens & miserum spiritum trahens hæsit, solus ferme ex tanto tempore Comes, qui tam ignobili ac infami supplicio periit.

Engelberti Colon. Archiep cædes. Godefr. annal. p. 293. Cæsar vit. Eng. ap. Sur. tom. 6. & Gelen. in not. ad illam. Alb. Stad. p. 304. Chron. Aug. p. 368 Levold. & Northof. Chron. Marcan. p. 386. & Catal. Archiep. Colon. p. 9. Spang. Chrō Sax. cap. 254. p. 430. Centur. Magd. 13. c. 6. f. 670. Chron. Magn. Belg. p. 326. Alberic. p. 518. sq.

Ecclesiis lustrandis per hæc tempora operam dabat Conradus Portuensis Episcopus, qui & Saxoniam nostram, hoc anno obiit, multasque ecclesiasticas causas & controversias sopivit: nec oblitus est, si Chronicon Augustense audimus, tam per se, quam plures alios cooperatores verbum Crucis per totam Alemanniam prædicare, & homines vitæ suæ prodigos cruce signare. Mense Augusto Misnæ versatus est, inde circa Assumptionis Mariæ festivitatem Halam digressus paucis ibi diebus substitit, Halberstadiumque perrexit, deinde S. Ægidii die Mag. debur.

Conrad. Portuens. Ep. ecclesias Goslarienses vicinasq; lustrat. Chron. mont. Ser. p. 388. sq. Chron. Augusti. p. 368.

* Sigefridum. * Conradum. * nobis. * Engelbertum. * lege: prædictū capitulū vel...

Godofr. Mon. p. 294.

deburgi in octo Episcoporum congressu egit, ac demum salutato Numburgo Coloniam rediit, ubi sub anni finem Engelberti Archiepiscodi percussores diris devovit.

Lenkfeld. part. 1. Antiq. Walkenr. p. 139.

Hoc Legati hodœporicum e chronico præcipue Montis Sereni collegimus, quamvis illius auctor eũ & Goslariæ nostræ egisse, oblitus sit commemorare. Id vero nobis constat ex diplomate quodam, quo contractum inter Walkenredense cœnobium ac Capitulum Jechenburgense initum ratum habuit, a Leukfeldio in antiquitatibus Walkenredensibus allegato.

Cœnobii Francomontani origines

*Sagitt. ch. hist. Gosl. §. 17. Brusch. c. 11. de episc. p. 1049. Topogr. Brunsv. p. 83. Chron. Mont. Fran. p. 6. Cranz. l. 7 metrop. c. 38. p. 189. Reutel. p. 94. * vid. Jo. Vito. Duran. p. 7. Alberic. Chron. p. 519.*

Sed & Conradus Hildesiensis Episcopus, magnam in provehenda apud nos religione operam locavit. Hoc enim ipso anno, ut Auctor Chronici Francomontani conjicit, ædificari cœpit Cœnobium Virginum Francomontense, quod in cognomine urbis parte, non procul ab Ecclesia SS. Petri & Pauli hodienum floret, virginibusque aliquot nostræ religionis habitatur. Parentem agnoscit Conradum Hildesiensem Episcopum, qui præter *Sagittarium*, *Bruschium* & Topographiæ Brunsvicensis autorem monasterii hujus origines tribuunt Chronicon Hildesiense, um Episcoporum MSC. Cranzius & Reutelius, qui tamen errore nominis decepti, non Frankenbergense, sed Falkenbergense hoc monasterium vocant. Hospitium olim præbuit virginibus ordinem B. Mariæ Magdalenæ professis, hoc est, a libidine & voluptatibus seculi ad saniorem mentem redeuntibus, quæ pœnitentium familia a Gregorio IX. deinde confirmata *, hoc ipso anno cœpit, nisi me fallit conjectura, ex Alberici verbis mihi subnata (Anno MCCXXV) *Magister Guilelmus Avernus theologiam legens Parisiis novam domum filiarum Dei inchoavit, & plures communes mulierculas pradicatione sua a peccatis retraxit, & harum exemplo in aliis civitatibus cœpit hic ordo dilatari.* Hujus certe famæ fuisse novellam hujus monasterii coloniam, frequentes hujus monasterii tabulas docent, in quibus mulieres audiunt, *quæ jam dudum in limo profundi infixæ, videlicet in sordibus peccatorum ad semitam virtutis reductæ, pœnitentiam suorum facinorum facere Deo studeant; quæ carnalium voluptatum illecebris abdicatis pro æternis deliciis obtinendis se cœlesti sponso dicarunt; quæ mundi vanitatibus abnegatis, obtulerunt Domino laudis sacrificium semet ipsas.* Ceterum in enarrandis hujus monasterii rebus licebit nobis esse eo brevioribus, quo luculentiore tractatu eas jam olim descripsit erudius Chronici Francomontani autor, qui totum, quod supereſt, archivum adhibuit. Venerunt tamen in manus meas aliquot diplomata, quæ in istius auctoris elegantissimo opusculo non reperio, atque ideo cum aliis hujus notæ rebus Operi huic inferenda puto. Præpositos, qui monasterio huic præfuerunt, hos passim introducit laudatus Chronici Francomontani autor, ex quo hunc recenseo catalogum paulo uberiorem.

Præpositi Francomontani.

Rudolphus a prima fundatione.
Petrus de Mann. a. 1242.
Wernerus. a. 1267.
Henricus I. 1279.
Ludolphus. 1288.
Alexander. 1304.
Johannes. I. 1332.
Bernhardus. 1334.
Johannes. II. 1341.
Conradus I. 1346.
Johannes III. 1355. 1356.
Richardus. 1365.
Johannes. IV. Brandes. 1370.
Engelbertus. 1406.
Rembertus. 1420.
Hermannus Hildesiens. 1422.
Henricus II. 1435.
Conradus. II. Witte. 1473.
Henningus. I. 1519.
Conradus. III. 1522.
Henningus. II. 1533.
Henricus Fricken. III. 1544.

Sigillum hujus ecclesiæ. Tab. IV. fig. 1.

Huc pertinet etiam majus hujus ecclesiæ sigillum, quod in veteri quodam diplomate servatur hac exornatum peri-graphe: † S. SOROR. SCE. MARIE. MAGDALENE. - - - I. FRĀKEB. GOSL. Mireris vero hic non quidem S. Mariam Magdalenam sed B. Mariam Virginem sisti, quæ tamen nec inter ecclesiæ nec cœnobii tutelares in antiquis monumentis memoratur. Utrumque Deiparæ latus occupant BB. Petrus & Paulus apostoli, quos ecclesiæ Frankenbergensis patronos fuisse motum est & provocatum. Quid vero supra Mariæ caput, antequam sculptura disparuit, conspectum fuerit, conjectura quam visu discernere facilius fuerit. Nos ipsum sigilli schema lectori exhibemus.

Henricus Minnecke creatur.

Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 203.

Quo lætior vero hisce religionis incrementis Goslaria, eo funestius erat spectaculum, quod eodem tempore vidit. Henricus enim Minnecke, Novi operis præpositus, quem superiore libro hæreseos postulatum & diuturno carceri mancipatum diximus, hoc ipso anno vivus combustus est, ut Buntingius noster memoriæ prodidit. Mira certe horum temporum infelicitas, quibus nec sentire hominibus quæ par erat, nec quæ sentiebant, dicere licuit.

Annus Christi 1226.

Friderici II. Reg. 12. Imp. 7.

Ab. V. C. 303.

REbus in Sicilia ex voto confectis Imperator in Lombardiã cum parte exercitus regressus est, & Cremonæ substitit, rebellio quo Henricum filium cum ceteris Imperii proceribus ad comitia sub pentecostes anni-

Godefr. Mon. p. 295.

Chron. Augu. Vens. p. 368. Abb. Vſp. p. 324. Spang. Chron. Sax. cap. 252. p. 433. Chron. Auſtral. p. 321.

anniverſaria evocavit. Confluxere huc principes magno numero, atque in his Conradus Epiſcopus Hildeſienſis & Ludovicus Landgravius Thuringiæ, qui Imperatorem ex diuturna expeditione Germaniæ propiorem factum gaviſi, alacri animo in medium conſulere ſtatuerant, quæ conſtituendis Imperii rebus futuræque expeditioni neceſſaria videbantur. Sed Lombardi libertatis avidi, denuo redierant ad ingenium, inprimis Veronenſes, qui aperte arma contra illum ceperant, quorum deinde exemplum ſecutæ & aliæ civitates, quas, ut Vrſpergenſis autor eſt, Papa adverſus Imperatorem ſollicitaverat, ne ſcilicet comitia iſta Cremonæ celebrarentur. Hinc principes, quos cum Henrico Rege in Italiam perrexiſſe diximus, non ulterius, quam Tridentum progreſſi ſunt, cumque clauſa a Veronenſibus itinera agnoſcerent, re infecta omnes diſceſſere in Germaniam, niſi quod Saxoniæ quidam proceres per multos viarum anfractus Cremonam feliciter pervenirent. Imperator ergo urbes rebelles vi ſubjugandas animadvertens, collectis copiis ſuis Imolam obſidione incinxit, ſed expugnandæ urbi impar, re infecta diſceſſit. Inde per multa pericula ad Burgum S. Domini perrexit, ubi Conradus Hildeſienſis Epiſcopus, qui crucis miniſterio tunc fungebatur, omnes hujus conjurationis complices anathemate feriit, & facile a ſaniore cleri Lombardici parte obtinuit, ut excommunicationis ſententiam ſuo ſuffragio firmarent. Sed tantum abeſt, ut turpis ſeditio hoc ipſo ſopita ſit, ut ipſe Pontifex miſſo Alatrino Capellano ſuo non tantum perduelles ab anathemate abſolveret, verum etiam Mediolanenſes aliasque Lombardiæ civitates in ſocietatem probroſi fœderis attraheret. Ex hiſce ſcintillis ferale deinde enatum eſt incendium, quod omnem Germaniam Italiamque una veluti ruina involvit, totamque illuſtriſſimam Hohenſtauffiorum domum extinxit. Nihilominus Imperatori in Pontifice ſpes ſita erat. Nam perſuadere ſibi non poterat, ſanctiſſimum Patrem, qui expeditionem ſacram tanto molimine promotum ibat, has remoras objecturum. Quæ ſpes licet Imperatorem fefellerit: non tamen ſe a ſuſcipienda ſacra expeditione alienum ferebat, ſi forte Lombardi religione tacti ab armis diſcederent. Hinc filio Ludovico Bavariæ duci, commendato eidemque Imperii adminiſtratione delata, omnes, qui crucem ſumſerant, futuro vere paratos ad transfretandum eſſe juſſit, ipſeque in Apuliam cum ſuis receſſit.

Goslariæ noſtræ per hæc tempora in Fratrum Monaſterio floruit P. Leonhardus Flagrinus, Franciſcanus, quem ultra ſeculum ſapuiſſe, & cœnobium ſuum luculenta bibliotheca exornaſſe tradit Lezinerus. Sed quæ facies bonarum literarum tunc fuerit, norunt omnes, qui eorum temporum infelicitatem non ignorant. Scholaſticorum tricis omnia perſonabant pulpita, ſcriptura ſacra, aut penitus neglecta, aut certe fœde detorta. Nec cetera ſtudia felicius tractata. Celebrantur tamen Franciſcani Goslarienſes, quod medendi arte excelluerint, & bibliothecam poſſederint Hippocraticis myſteriis refertam. Adeo homines libenter falcem immittunt in alienam meſſem!

Leonhardus Flagrinus Franciſcan9. *Lezner. c. 89. de monaſt.*

At eccleſiæ SS Simonis & Judæ adhuc præerat Elgerus Comes Hohenſteinenſis Præp. cujus Hiſtoriam ſuperiore libro prolixam dedimus. Quo minus igitur ſuperſit dubii, Eligerum hunc Goslarienſem præpoſitum fuiſſe, en literas Fridrici Halberſtadienſis epiſcopi, quibus Elgero jus patronatus eccleſiæ Jhersleviensis dudum ab Adelhogo præpoſito recuperatum addicit:

Elgerus Gosl. jus patronatus Jerslevienſe recuperat.

IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. FRIDERICUS Dī gra Halberſtadeñ Epc̄ in perpetuum. Quæcunque inter partes diſſidentes ad bonum pacis & concordiæ nobis mediantibus ſiunt ordinata, juſtum eſt, ut ea valido noſtræ firmitatis munimine roboremus, ut ſemper firma ſint, & novis ſurgentibus retractari non valeant ullo modo. Noverint igitur univerſi CHRI fideles tam præſentis temporis quam futuri, quod cum inter dilectum in CHR̄O *Elegerum* Ppoſitum eccl̄iæ beatorum Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslar ex una, & cives de majori *Hersleve* ex parte altera, ſuper inſtitutione ſacerdotis eccleſiæ de Hersleve diu controverſia fuiſſet habita, & in noſtra ſinodo ſæpius hinc inde tractata, præpoſito affirmative dicente, jus patronatus de jure & ratione ad ipſum ſpecialiter pertinere, civibus vero in contrarium allegantibus & dicentibus, liberam ſe a ſuis progenitoribus electionem habere. Tandem ſuper hac lite penitus amputanda nos de communi conſenſu arbitrum elegerunt, fideliter promittentes, quod omnem ordinationem noſtram de hac cauſa ratam haberent & firmiter obſervarent. Nos autem in hunc modum acceptantes arbitrium ſecun-

dum

dum Dni & noſtram conſcientiam arbitrando ſtatuimus, ut cives prædicti tantum hac ſola vice, quemcunque vellent, ſibi eligerent ſacerdotem, qui & in continenti in perſona *Rainardi* ſacerdotis concorditer convenerunt. Poſtquam autem ipſe viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, vel locum quocunque contingente caſu mutaverit, ſtatim jus patronatus eccleſiæ de Hersleve ad prædictum *Elgerum* Ppoſitum ſuosque ſucceſſores Ppoſitos, qui in eccl̄ia ſupradicta beatorum Aplorum pro. tempore ſucceſſerint, omni quæſtione præciſa libere reutetur, & in eorum poteſtate perpetualiter permanebit. Ita quod cives electionem amplius non habebunt, nec aliquid in ea ſibi juris poterunt vindicare, nec contra inſtitutionem Ppoſiti vel perſonam a Ppoſito inſtitutam aliquam contradicendi vel objiciendi habeant poteſtatem. In hunc modum ad bonum pacis & concordiæ partes revocavimus diſſidentes, & placuit utrobique. Hujus rei teſtes ſunt Mag. *Johannes* Scãe Mariæ Ppoſit9 *Anno* Cellerarius *Richardus* ſacerdos, & majoris eccleſiæ Canonici. *Lemfridus* Vicarius noſter: *Hermannus* & *Wichardus* Canonici Walbiceñ. *Wernerus* de Guſcht. *Jordanus* Iſenborde. *Alvericus* Camerarius & alii quam plures. Anno Dominicæ Inc. MCCXXVI. Ind. XIIII. Et ne inpoſterum ſuper præmiſſis dubium aliquod habeatur, hanc paginam inde conſcriptam ſigillique noſtri impreſſione ſignatam, Eligero præpoſito ſuisq; ſucceſſoribus in teſtimonium validum erogamus. Tam auctoritate epiſcopali, quam & officio arbitri inhibentes, ne quis contra eam quocunque auſu temerario venire præſumat. Dat. *Halberſtad* per manus *Thiderici* notarii noſtri, Pontificatus noſtri anno XVI.

Eccleſiæ Montis S. Petri cum Conrado Epiſc. Hildeſ. diſſidiũ.

Sed & Montis S. Petri eccleſia hoc anno ex diſſidio, quod cum Conrado Hildeſienſi Epiſcopo illi interceſſit, in annalibus innotuit, litem autem ne invaleſceret, diffinivit Fridericus Imperator, cujus ea de re datum diploma ſub hoc anno allegat Schatenius, mihi tamen nondum viſum, unde Lectorem hic ſub cultro, quod ajunt relinquere invitus cogor.

Schaten. l. 10. annal. Paderb. p. 10. 15. part. 1.

Annus Chriſti 1227.

Friderici II. Reg. 13. Imp. 8.

Ab. V. C. 304.

Henrici Regis Conjux Aquisgrani inungitur. *Chron. Auſtral. p. 321. Godefr. Mon. p. 295.*

SEquitur annus Chriſti poſt milleſimum ducenteſimus ſeptimus toti Imperio ob novum ſchiſma exortum funeſtus, quo primum Pontifex virus in Fridericum evomuit. Lætis quidem initio plauſibus perſtrepuit Germania, ob auſpicatas Henrici Regis nuptias, quas ſuperiore anno cum Agnete Liupoldi Auſtriæ Ducis filia contraxerat. Nam cum hac nova nupta per quadrigeſimale jejunium Aquisgranum ad frequentiſſima principum comitia progreſſus, facile permovit Henricum Colonienſem Archiepiſcopum, ut ſolenni ritu eam conſecraret, & Carolino ſolio impoſitam diademate regio redimiret. Celebris hic principum Conventus, cui Moguntinenſis, Treverenſis, Colonienſis, Salzburgenſis Archiepiſcopi, Auſtriæ, Bavariæ, Carinthiæ, Brabantiæ & Lotharingiæ Ducés, Landgravius Thuringiæ, Flandriæ Comes, aliique ferme innumeri Epiſcopi ac Comites interfuerunt. Sed publicam hanc lætitiam mox Gregorius Pontifex turbavit, qui Honorio d. XV. Aprilis e vivis ſublato magno Germaniæ malo ſucceſſerat. Is, uti erat homo ſui plenus, & audaciſſimus ita nunquam optimum Imperatorem vexare, ſuamque potentiam ad metam præfixam provehere deſiit: adeo ut ipſi fateantur pontificii ſcriptores, eum Romanæ ſedis majeſtatem ad ἀκμὴν perduxiſſe.

Erat hic annus, expeditioni ſacræ præfinitus. Coiit igitur cruce ſignatus exercitus, cui ſe e principibus viris junxere Auguſtenſis Epiſcopus, Ludovicus Thuringiæ Landgravius, aliique innumeri Comites & dynaſtæ. Hæc cruce ſignata multitudo iter terreſtre per Italiam ingreſſa Brunduſium usque perrexit, ubi tamen plures, ſive æſtu Italiæ, ſive itineris moleſtiis perierunt, inprimis Ludovicus Landgravius S. Eliſabethæ maritus, qui jam Brunduſii cum febri conflictatus, Hydruntum tamen usque perrexit, ubi ab Hieroſolymitano patriarcha cœleſti viatico inſtructus IV. Calend. Octobris (*) vivendi finem fecit. Corpus ejus in Thuringiam relatum & in patrio monumento reconditum hanc meruit epigraphen:

Expedi. ſacra. *Chron. Auguſt. p. 368. Godefr. Monach. p. 296. Alb. Stad. p. 304. Abb. Urſp. p. 324. Auctor. Reinhardsbr. p. 960.*

Anno Domini MCCXXVII. III. id. ſeptembr. obiit Ludovicus V. Thuringorum Landgravius B. Eliſabetha maritus in Sicilia civitate Otrunt & hic ſepultus.

Autor vitæ Ludov. l. 4. c. 5. Theodor. l. 4. de S. Eliſab. c. 1. Paulin. annal. Iſenac. p. 37. ſq. Tenzel. ſuppl. 2. Goth. p. 557.

* *ita Auctores Conf. Ipſum Epitaphium.*

Reliqua pars ſacri exercitus Brunduſio ſolvens mari ſe credidit, Imperatorem, qui jam jam iturum ſe ferebat, expectans. Sed ſimul ac mare ingreſſus fuerat, ſtatim morbo

morbo afflictus rediit, unde reliqua etiam multitudo a ſignis dilapſa eſt, iisdemq; navibus, quibus acceſſerat in patriam rediit. Scio pleroſque Pontifici faventes hunc Imperatoris morbum ſuſpectum habere, de quo ſæpius ſe in epiſtolis ſuis purgare nititur. Sed largiamur ægritudinem ſimulaſſe, certe prægnantes habuit facti ſui rationes. Quis enim, non dicam prudens, ſed ſanus ſuaſiſſet Friderico peregre abire, & vires ſuas longa & infructuoſa militia deterere, cum domi eſſet abunde, quod ageret. Germania relinquenda erat filio adoleſcenti & reipublicæ gerendæ nondum ſatis apto, periculum itaq; erat, ne proceres ſe abſente, res novas molirentur. In Italia fervebat conjuratio Lombardorum, quos lacertos videbat moturos, ſimul ac pedem Italia extuliſſet, nec Sicilia quidem ſatis pacata videbatur foris Saracenis, domi proceribus occaſionem rei gerendæ ſpeculantibus. Satius itaque erat ſacram militiam, quam invitus voverat, in præſens differre, quam Imperium domeſticis malis turbidum relinquere.

Friderici Imp. a Pontifice excommunicatur.

Indigna res viſa Pontifici, qui Apulia ſe ſperabat, nullo reſiſtente, potiturum, ſi Fridericus in Palæſtina ageret. Quam occaſionem, cum ſibi ſubreptam videret, ſtatim furere & ultionem ſpirare cœpit. Hinc a religione petens præſidium, & violati voti obtendens cauſam, optimum & patriæ amantiſſimum principem diris devovit, & in ſolenni cœnæ Dominicæ celebratione denunciavit, omnes illos beneficio eccleſiaſtico privatum iri, qui ſacra eo præſente agerent. Miſit Imperator, qui cauſam dicerent, & quod in Syriam navigare omiſerit excuſarent. Sed adeo flecti non potuit homo alto faſtu turgidus, ut potius de Imperio illi abrogando cogitaret. Quam ſiniſtra vero judicandi ratione uſus ſit, non tacet Conradus Vrſpergenſis, cordatus illorum temporum Hiſtoricus: *Anno*, inquiens, *MCCXXVII. Honorius Papa obiit, menſe Martio, cui ſucceſſit Gregorius IX, qui prius Hugulinus Hoſtienſis Epiſcopus dicebatur, natione de Arania. Hic tanquam ſuperbus primo anno Pontificatus ſui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem, pro cauſis frivolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine judiciario, ſicut idem Imperator in epiſtolis ſuis reſcripſit principibus Alemanniæ, retexens omnem progreſſum vitæ ſuæ & converſationem & actionem, & innocentiam pro ſuccurſu terræ ſanctæ.* Elegans eſt illa Friderici epiſtola ad totius Alemanniæ Principes directa, in qua tam accurate Pontificis faſtum, ſuamque innocentiam inculcat, ut vix potuerit accuratius. Diſerte enim explicat, ſe adhuc in cunis conſtitutum a matre Conſtantia Pontificis tutelæ commendatum fuiſſe, ex quo non tantum multa pericula adierit, verum etiam magnam hæreditatis partem amiſerit. Pontificem deinde, occiſo patruele ſuo Philippo Imperatore, nec ſui rationem haberi in Germania paſſum eſſe, & Ottonem Regem conſtituiſſe, cum ſibi jure quodam ſuo paternum & avitum Imperium vindicare potuiſſet. Narrat deinde, quo pacto, cum Imperium obtinuiſſet iis involutus ſit difficultatibus, ob quas expeditionem ſacram, quam voviſſet, differre coactus ſit, non omiſiſſe ſe tamen unquam laborantem Chriſtianorum Orientalium cauſam pecunia ſua & militibus firmare, omnemque dediſſe operam, ut primo quo poſſit tempore cum exercitu copioſiſſimo in Syriam tranſire liceret. Ideo Regis Hieroſolymitani filiam ſe ſuaſu Pontificis duxiſſe uxorem, ſed & poſthabitis rebus omnibus, mari ſe credidiſſe, eo conſilio, ut voto demum ſe exolveret. ſed fata, quo minus id fieret, obſtitiſſe, nam morbo difficili affectum non auſum eſſe ulterius fluctibus & maris intemperiei ſe committere, ſtatuiſſe tamen, quam primum convaluiſſet, itineri huic ſe dare. Sed Pontificem beneficiorum omnium immemorem, peſſimi exempli rem feciſſe, & anathematis vibraſſe fulmen, quod nullo ſcelere eſſet commeritus. Et quæ ſunt alia Friderici argumenta, quæ Conradus Vrſpergenſis tanquam in brevi quadam tabella repræſentat. Ipſa Romana plebs indignitate rei permota Pontificis ſe oppoſuit, tantaque animorum commotione in illum fecit inſultum, ut relicta Roma Perufii, tanquam in latibulo ſe continere coactus ſit. Sed eo gravius excanduit, & non Lombardos tantum totamque Tuſciam, verum etiam ipſum Joannem Hieroſolymitanum Regem in generi perniciem armavit, nullis parcens opibus, ut exercitum quam inſtructiſſimum haberet.

Abb. Vrſp. p. 324.

At propiores nobis turbæ, in quas vicinam Brunſvicenſium provinciam hoc anno conjecit Henrici Palatini Comitis immaturus obitus, ad acerbior ſubditis, quod nulla dignioris ſexus proles ſupereſſet, ad quam luculenta hæc hæreditas devolveretur. Erat equidem Otto Wilhelmi filius, qui avitam hanc Henrici Leonis provinciam repetebat. Sed huic obſtitere Henrici Palatini filiæ, quarum altera Ottoni Bavariæ Duci, altera Henrico Badenſi Marchioni nupſerat. Hæc quia Brunſuicenſes ditiones a nemine feudi titulo prodirent, ſibi illas vindicabant, cumque paulo eſſent ab illis remotiores, Friderico II. vendebant, qui filio quoque Henrico, id dabat negotii, ut cum delecta manu occuparet Brunſvicum, & jura ſua in his regionibus firmaret. Aderat Henricus cum Ottone Bavaro, id agens, ut urbem emtam occuparet. Otto vero Luneburgenſis graviter ferens, hoc opimum majorum ſuorum patrimonium ſibi e manibus extorqueri, collectis bis mille equitibus, Riddagshuſum pergit, evocatisque civium potentiſſimis, quid conſilii cepis-

Brunſvicenſes turbæ. *Alb. Stadenſ. p. 304. ſq. Cranz. l. 7. Sax. c. 40. p. 206 Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 204. Meibom. rect. Duc Brunſv. p. 204. Engelhuſ. p. 245.*

cepiſſet, aperit, multisque rogat cives, ne, poſthabitis legitimis ducibus ſuis, aliis ſe ſubjicerent, quos toties inimicos eſſent experti. Se unicum ſupereſſe Leonis poſteritate ſurculum, nec ferre poſſe, ut gentilis hæc provincia ſibi eriperetur. Quare ſi antiquam fidei laudem ſervare vellent integram, multa a ſe beneficia impetraturos. Nec caruit res ſucceſſu. Cives enim, apertis ultro portis, Ottonem non tantum in urbem, verum etiam in arcem Tanquerodanam admiſere. Dictoque illi juramento, nunquam ſe a ſuo principe defecturos ſunt polliciti. Sic, indignante licet Imperatore, & Henrico Rege re infecta diſcedente, Otto utramque Avi provinciam fauſto auſpicio conjunxit, fundatiſſimæ familiæ Brunſvico Luneburgenſis in ſeros horum temporum nepotes feliciſſimus propagator.

Otto Dux Brunſvicenſis captus. *Alb. Stad. l. c. Lerbecke Chron. Schanenb p. 510. Cranz. lib. 7. cap. 8. Vandal. lib. 8. Sax. c. 4. l. 7. Dan. c. 19. Spangenb.*

Sed felices optimi principis ſucceſſus fortuna hoc ipſo anno paulo acerbiore fato turbavit. Quippe novo exorto bello inter Woldemarum Daniæ Regem & inferioris Saxoniæ principes, Otto Dani partibus favit, ſuasque copias cum illo junxit. Subito in Waldemarum inſurgunt Gerhardus Bremenſis Archiepiſcopus, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus Sverinenſis & Adolphus Schaumburgenſis Comites, Regi huic dudum infenſi. Commiſſo vero ad Bornhovedam prælio, Dani cæſi fugatiq; ſunt, Rex cum paucis fuga evaſit. Otto Brunsvicenſis captus, & a Sverinenſi Comite diutius in vinculis habitus eſt, cum magno ſuarum opum detrimento. *Chron. Schanenb lib. 1. c. 29. p. 79. ſq. Alberic. p. 523. Chron. antiq. Brunſv. ap. Mader. p. 20.*

Conrado Hildes. Ep. in Novo Opere præſens Monti S. Georgii benefacit. Giſelbertus Advocatus Gosl. *Autor. Chron. mont. Francor. p. 14.*

Subinde hoc anno ad Goslariam noſtram inviſit Conradus Hildeſienſis Epiſcopus, in monaſterio Novi operis præcipue verſatus, quod Henrici Præpoſiti ſcilicet hæreſi infectum ad ſaniorem mentem revocare anniſus eſt, dato illis Johanne præpoſito, Papæ addictiore. Extat ejus diploma, in quo ſe *Dei gratia Hildenesheimenſis Eccleſiæ miniſtrum & Crucis ſervum vocat, Monti quoque S. Georgii advocatiam manſorum aliquot addicit, ſatis aperte de præſentia ſua in hoc Cœnobio teſtatus: Hi* enim *ſunt*, (inquit Epiſcopus), *qui affuerunt, cum vidua prædicta nobis in Clauſtro Novi Operis in Goslaria dictam Advocatiam reſignavit. Dominus Giſelbertus Advocatus, & frater ſuus Dominus Volkmarus, Olricus longus, Olricus juvenis de Piſcina, Otto de Svanebecke, Johannes Præpoſitus ejusdem loci* (Novi Operis) *Magiſter Conradus de Vriberche. Anno Incarnationis Dominicæ MCCXXVII. Indict. XIV. Data Hildenſem. VI. Id. Julii.*

Notari hic meretur Giſelbertus Advocatus noſter, qui ſatis diu huic urbi præfuit, quanquam cujus familiæ fuerit, ignoremus. Munere hoc functus adhuc eſt anno MCCXLI, quo literas Capituli Gandersheimenſis Aſchwino de Walmoden datas teſtimonio ſuo firmavit.

Annus Chriſti 1228.

Friderici II. Reg. 14. Imp. 9.

Ab. V. C. 305.

FErvebat adhuc Pontificis odium in Fridericum Imperatorem, quod adeo magna his annis incrementa cepit, ut ubique terrarum Fridericus anathemate fauciatus imperioque exutus denunciaretur. Quamobrem ne voti negligens videretur, principesque religionis obtentu a ſe deſciſcerent, ſtatuit demum morem gerere Pontifici, & Palæſtinæ laboranti opem ferre. Ejus rei gratia Imperii proceribus Ravennam convocatis & rebus ad ſummam tranquillitatem compoſitis, æſtate jam ſervente claſſem conſcendit, cum paulo ante ejus conjux vitam cum partu abſolviſſet. Ptolemaidem menſe ſeptembre delatus & ingenti bonorum omnium plauſu exceptus tanto terrore Sarracenos percuſſit, ut ne conſpectum quidem illius ferre auſi ſint. Imperator ergo ulterius progreſſus omnes, quas amiſerant Chriſtiani, civitates recuperavit, tamque ſubito totam Syriam ſuis illuſtravit victoriis, ut vix citius paſſibus cujusdam potuiſſet peragrari. Demum eo adegit Sultanum, ut reſtitutis omnibus inducias peteret. Quo facto Hieroſolymam operibus & munimentis firmatam & eccleſiis mirifice exornatam magna pompa ingreſſus coronam a Patriarcha ſuſcepit. Quos felices Imperatoris ſucceſſus tanta cum invidia Papa intellexit, ut ejus ea de ſcriptas literas multa cum ignominia in terram abjecerit. Denique ceteris caſtellis præmunitis redditum paravit in Patriam, quam jam a Pontifice premi intelligebat.

Friderici paſſagium init. *Godefr. Mon. p. 296. Chron. Auſtral. p. 370. Alb. Stadens. p. 305. ſq. Alb. Vrſp. p. 325. Godefr. Mon. p. 296. Petr. de Vin. Lib. 2. ep. 21. p. 145. ſq. Alberic. p. 533. Lelman. Chron. Spir. lib. 5. c. 81. p. 587. Heidegg. hiſt. papat. period. 4. p. 120. Conv. de Fabr. de exſil.*

Abſente Friderico Pontifex Apuliam invadit.

Vix enim claſſe medium jam mare tenebat Imperator, cum ſtatim Pontifex re ipſa oſtenderet, quo conſilio adhuc expeditionem hanc tanto molimine urſiſſet. Nam non ſolum exercitum, qui Friderico ſubſidio proficiſcebatur tranſitu prohibuit, domumque redire juſſit, [id quod non immerito Conrado Vrſpergenſi *inditum & quoddam quaſi portentum & prodigium futurum eccleſiæ* viſum eſt,] verum etiam literis Soldanum monuit, ne pacem cum Friderico iniret, aut Regnum Hieroſolymitanum ei traderet. Ejusdem exempli epiſtolas ad Patriarcham Hieroſolymitanum & Templarios Hoſpitalariosque direxit ſerio interdicens, ne Imperatori a ſe excommunicato adſiſterent, quibus tamen tantum abeſt ut flecti ſe paſſi ſint, ut potius piaculum plerique exiſtimarint, eum deſerere, qui ſibi tanquam Deus e machina ſuccurriſſet. Erant tamen, qui Papæ mandato illecti, inſidias illi ſtruebant, jamque cum Sultano agebant occulte, ut eum ad Jordanem opprimeret. Sed Sultanus datæ fidei ſervantior literas Friderico oſtendit non ſine ſtupore miratus inſignem tanti Sacerdotis perfidiam. Nihilominus tamen Papa tam certus jam erat

monaſt. S. Galli. c. 16. p. 85. ap. Gold. ſ. 1. rer. Alamann

erat de Friderici interitu, ut ubique jam diſſiparet famam, quæ illum e vivis ſublatum mentiretur, unde plures civitates, quarum paulo conſtantior fides adhuc fuerat deficere, & redeuntes e Palæſtina Germanos trucidare conſtituerant, niſi certior de reditu Imperatoris fama increbuiſſet. Papa tamen ne occaſionem rei gerendæ amitteret, collectis copiis invaſit Apuliam multasque civitates partim vi, partim pollicitationibus ſub ſuam redegit poteſtatem; adeo, ut paucæ ex hoc regno ſupereſſent, quæ Friderico conſtantius hærerent. Cui ergo dubium eſſet, quin vere conjiciat Aventinus, non Chriſtianorum Orientalium cauſa, ſed ut eo impunius in Italia graſſari liceret, Pontifices claſſicum ſacræ militiæ toties cecinisſe. Qua de re ipſum placet audire Aventinum: *Friderici*, inquit, *potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas* [*nam Italia contra morem veterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium adminiſtrabat, bis duntaxat ex Italia in Germaniam egreſſus*) *formidoloſa atque ſuſpecta fuere Romano ſacerdotum Senatui. Quod Gregorius nonus Pont. Max. non it inficias, ſed ingenue fatetur. Viſum eſt Flaminibus Romanenſibus Imperium Germanum magis florere, quam ipſis utile foret. Placuit id contundere, atque diſcordia non ſolum debilitare, ſed in cineres quoque atque favillas redigere & Fridericum hunccc a faſtigio rerum humanarum deturbare....* Videant ergo, qui data quavis occaſione palpum Pontifici obtrudunt; quid reſponſuri ſint hiſce veritatis teſtibus. Mihi ſane videtur, nunquam manifeſtius Anti-Chriſtianæ improbitatis indicium vidiſſe orbis, quam tum, cum Gregorius Friderico optimo Principi inſultaret.

Aventin. l. 7. annal. Boj. p. 555.

Brunſvicenſes turbæ. Alb. Stad. p. 305. Bunting. Coron. Brunſv. part. 1. p. 207. Crantz. lib. 8. cap. 4. p. 203. Sax.

Sic tota Italia domeſticis malis ſaucia: nec magis quietæ noſtræ regiones egerunt. Nam Otto Brunſvicenſis hoc anno moleſta captivitate liberatus, omnia reperit ſibi adverſa. Flabella ſeditionis erant Magdeburgenſis & Halberſtadenſis præſules, qui ſive Friderici Imperatoris ſvaſu, ſive, quod ipſi duci ob potentiam offenſi eſſent, equites & miniſteriales adverſus principem ſollicitaverant, eoque impietatis adduxerant, ut ditiones ejus apertis odiis armisque impeterent, totamque viciniam noſtram latrociniis & rapinis implerent. Sed ſaluti his ditionibus fuit, quod Johannes & Otto Marchiones Brandenburgenſes, Ottonis ducis affines cum delecto equitatu advolarent, & Brusvicum præſidiis firmarent, quorum adventu territi vaſalli, ab armis conquieverunt.

Anni Chriſti 1229. 1230.
Friderici II. Reg. 15. 16. *Imper.* 10. 11.
Ab. V. C. 306. 307.

Gregorius Fridericum

ADfuit ſubinde annus Chriſti poſt milleſimum ducenteſimus vigeſimus nonus, quo Fridericus Imperator, quem mendax fama mortuum nunciaverat, veluti in vitam lucemque rediit. Ipſo enim hoc anno rebus Chriſtianorum conſtitutis cum claſſe optimoque exercitu reverſus in Apuliam, tantam ſuis ſubditis lætitiam attulit, ut pleræque civitates, quas Pontifex occupaverat, ultro ad fidem redirent. Imperator quanquam jure quodam ſuo bello vindicare potuiſſet illatas injurias: maluit tamen mitioribus conſiliis uti, miſſisque Leopoldo Auſtrio, Ottone Moravio, Bernhardo Carinthio, Bertoldo Aquilejenſi Patriarcha, Sigefrido Ratisbonenſi Epiſcopo, conditiones obtulit, quibus ſopiri propudioſum hoc diſſidium poſſet. Verum immotus ad hæc & implacabilis erat Pontifex, adeo, ut rejectis legatis non tantum execrationem in purpuratorum conſeſſu repeteret, verum etiam palam de exauctorando Friderico conſilia iniret. Jam Longobardicæ civitates fidem ejuraverant, has in ſuas partes attrahere Pontifex & pecunia corrumpere cœpit. Deinde ne in Germania quoque quicquam tranquillum relinqueret, eo quoque legatum direxit Ottonem Tuſculanenſem Epiſcopum, dato negotio, ut eodem itinere Danos quoque in conjurationem pertraheret. Simulac e Dania redibat legatus, ſtatim Ottonem Brunſvicenſem multis verborum lenociniis adortus eſt, ut Friderico rejecto Imperatore ipſe faſces capeſſeret. Putabat enim neminem ad ejusmodi ſacrilegium fore promptiorem, quam hunc principem, cui cum Imperatore diuturnæ ſimultates interceſſerant. Sed aſpernatus eſt prudentiſſimus princeps importuna conſilia fideique datæ memor legatum re infecta dimiſit. Ejus exemplum ſecuti deinde & alii Imperii Ordines, quorum animos pertentare inſtituerat, adeo, ut ſæpius vitæ periculum adiret Cardinalis, nec ſacerdos amplius, ſed turbarum incentor & bellorum civilium tuba plebi videretur. Colonienſes tamen, apud quos natalem Domini celebrabat, honorifice eum ſuſceperunt. Colonia Herbipolin diſceſſit, quo omnes Imperii proceres Papæ nomine convocaverat, id agens præcipue ut eos a Friderico redderet alienos. Sed fruſtra fuit legatus. Omnes enim principes ſeculares, ſtupentes Gregorii inſaniam, nunquam ſe a Cæſare ſuo defecturos profitebantur, quibus non pauci eccleſiaſtici ordinis principes ſuffragati ſunt, qui ne quid iniquius ſtatuere cogerentur data opera conciliabulo ſe ſubtraxerant. Unde & legatus non ſine ira diſceſſit.

reducem per ſequitur *Godefr. annal. p. 296. Chron. Auſtral. p. 322. Chron. Angueſtenſ. p. 371. Abb. Vrſp. p. 326. Conr. de Fabar. c. 16. p. 85. ap. Goldaſt.*

Otto Apoſtolicæ ſedis legatus in hiſce regionibus Principes ſollicitat,

Inter hæc Cæſar, in quo faba hæc cudebatur, non ſegnius rerum ſuarum ſat agebat, tam obſequente fortuna uſus, ut omnes ferme Pontificis ditiones Romam usque ſub ſua teneret poteſtate. Civilium tamen bellorum pertæſus, denuoque ad mitiora conſilia converſus pacem obtulit,

Fridericus Pontificem ad pacem aditgit,

Godefr. Mon. l.c. Chron. Auguſt. l. c.

certa ſpe fretus, fore ut Pontifex, cujus jam opes in arctum redactæ fuerant, ampullas demum projiciat, & ad pacem ſit proclivior. Negotio adhibitus eſt idem Liupoldus Auſtriacus, cujus ſuperiore anno præcipuæ in legatione partes fuerant, huic tamen ſe junxit Teutonici Ordinis Magiſter, quorum induſtria eis demum legibus pax coaluit, ut Papa Imperatorem relecraret, Imperator Pontifici centum & viginti aureorum millia pro abſolutione exſolveret. Satis luculentus numus confeſſionarius! tanti tunc veniebat cœlum. Sed noverat prudentiſſimus princeps, ſapientis eſſe tempori cedere, & pretio minore acerbitatem a republica etiam cum ſuis privatis & domeſticis incommodis redimere.

Annus Chriſti 1231.
Friderici II. Reg. 17. *Imp.* 12.
Ab. V. C. 308.

Comitia varia celebrata. *Godefr. Mon. p. 297.*

COmpoſita lite, quæ adhuc Germaniam æque ac Italiam graviter afflixerat, nihil potius erat Friderico, quam omnia bello proſtrata, aut attrita erigere ac inſtaurare. Partitus itaque operam, ipſe Italica ſuſcepit, Germaniam filio relinquens, quippe quæ extra teli jactum adhuc fuerat, nec tam neceſſario videbatur præſentiam ſuam poſcere, quam Italia. Hinc quaſi certatum eſt inter patrem & filium, uter ſolertius rempublicam adminiſtraret. Pater Ravennam ſolennia comitia indixit, ubi rebus ad priſtinam tranquillitatem compoſitis more majorum proceſſit, diademate inſignitus, re ipſa quaſi oſtenſurus nondum ſe amiſiſſe, quod tanto molimine extorquere ſibi Pontifex voluerit. Hujus exemplo Henricus filius & ipſe hoc anno duplicem Wormatiæ Principum conventum convocavit, in quibus ſalutares leges præſcripſit, quanquam in Epiſcopos paulo proclivior, quorum in gratiam multis inveteratis juribus civitates privavit, tanquam cum fœnore redditurus, quod paulo ante fervente in nonnullos odio detraxerat.

Stedingorum perſecutio. *Alb. Stad. p. 306. Wolter. hiſt. Brem. p. 58. Chron. magn. Belg. ad hunc ann.*

Eo autem majorem conſtantia libertatem ſuam in Saxonia noſtra tunc aſſerebant Stedingi, quos ab hæreſi ſuperiore libro vindicavimus. Quanquam enim anno proxime antecedente Gerhardus Bremenſis Archiepiſcopus contractis validiſſimis copiis cum vicinis Epiſcopis in eos arma verteret, duce inprimis uſus Hermanno Comite Lippenſi, in quovis belli genere verſatiſſimo milite: freti tamen bonitate cauſæ, & Ottonis Brunsvicenſis Ducis auxiliis firmati, tanta ſtrage hoſtes ſuos confecere, ut ipſe Hermannus Lippienſis in principiis occumberet, ceteris in pudendam fugam dilapſis. Majora itaque hæc ſecta indies incrementa cepit, & in vicinas quasque regiones tranſiit, adeo, ut nullo unquam tempore plures ſeſe in annalibus offerant veritatis teſtes, quam hoc ipſo, quo Stedingi & Albingenſes de Pontificis ſomniis ſiniſtrius judicare cœperant. Male hæc res habuit Pontificem, qui ad funeſta remedia dilapſus crucem ubique contra Stedingos juſſit diſtribui, multis propoſitis ad beatitudinem præmiis, ſi quis arma contra peſtilentiſſimos hæreticos caperet. Idem prædicandi munus demandatum Paderbornenſi, Hildeſienſi, Verdenſi, Monaſterienſi & Oſnabrugenſi Epiſcopis, ad quos directæ extant Pontificis literæ, quas ſubjicio, ut eo dilucidius conſtet, quonam convertendi genere uſi tunc ſint hæreticæ pravitatis inquiſitores:

Wenger. hiſt. eccl. Slav. l. 4. p. 32. ſq.

Meibom. p. 534. not. ad Lerb. Chron. Schauv.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Padeburnenſi, Hildeſemenſi, Verdenſi, Monaſterienſi & Oſnaburgenſi Epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Clamante ad nos dudum Bremenſi eccleſia, contra perfidiam hæreticorum, qui Stedingi vocati fideles populos regionis illius ferali more lacerant & extinguunt, nos venerabilibus fratribus noſtris, Raceburgenſi, Mindenſi & Lubecenſi Epiſcopis, quibus prædicationis officium eſt, diœceſibus veſtris ab Apoſtolica ſede commiſſum, mandavimus, quod per easdem diœceſes peccatorum veniam fidelibus pollicendo, ipſos contra præfatos hæreticos concitarent, ut per eorum auxilium, illi auctore Deo ad gratiam converſionis accederent, vel in confuſionis foveam deducantur. Ut ergo dicti Epiſcopi plenius & efficacius valeant, quod mandavimus, adimplere, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum agatur fidei negocium, quod cunctis debet eſſe fidelibus ac Prælatis ſpeciale in eodem negocio dictis Epiſcopis efficaciter adſiſtatis, impendentes eis utile conſilium & auxilium oportunum. Datum Anagariæ XIV. Kal. Febr, Pontificatus noſtri anno V.

Ex eo tempore dici non poteſt quam frequentes ad ſacræ in Stedingos militiæ ſigna concurrerint homines, nec prius adverſus eos bellare deſitum, quam poſt triennium domiti in hoſtium conceſſere poteſtatem.

An-

Annus Chriſti 1232.

Friderici II. Reg. 18. *Imp.* 13. *Ab. V. C.* 309.

Frideric' Aquilejæ comitia celebrat. *Godfr. Mon. p. 298. Dipl. Frid. II. ap Schat p. 18 Luitm. 2. annal. Padrb.*

HÆrebat adhuc Fridericus in Italia multis ſeditionibus Italorum impeditus, quo minus in Germaniam rediret. Lombardicæ enim aliquot civitates aperte ab illius obſequio defecerant, omnibusque occluſis viis prohibebant, ne Henricus Rex, quem cum delecta militia hoc anno in Italiam vocaverat, ad patrem perveniret. Hinc Fridericus ferro ſibi expediens viam Ravenna navali itinere Legiam proficiſcitur, & ſalutatis deinde Venetiis, ubi honorifice ſuſceptus eſt, Aquilejam feliciter pergit. Habuit ibi obvios Henricum filium, aliosque Germaniæ proceres, quos magno gaudio excepit, ſplendidaque in eorum congreſſu habuit comitia, quibus præter ceteros interfuere *B. Patriarcha Aquilejenſis A. Magdeburgenſis, O. Ravennas & B. Panormitanus Archiepiſcopi, Sigefridus Ratisb. Epiſcopus aliique plures*, ut patet ex diplomate Friderici, *Aquilejæ* dato *anno dominicæ Incarnationis MCCXXXII. Menſis Aprilis die .. quinta Indictione, imperante Domino noſtro Friderico anno Romani Imperii XXII.* * *regni Jheruſalem VII, regni vero Siciliæ XXXIV.*

* *Numerantur hi anni a primo tempore, quo Papa de eo promovendo cogitavit.*

Solutis hiſce comitiis Imperator navibus iter in Apuliam Siciliamque repetiit, novas enim turbas Meſſanæ exortas cognoverat, quibus acceſſit & bellum quod Johannes de Berito contra illum parare dicebatur. Multi equidem ſubornati erant piratæ, qui Imperatori ſtruerent inſidias, ſed hos omnes Imperator dextro Marte aggreſſus ita cecidit, ut plerique vivi in ejus venirent poteſtatem.

Ludolphus Sladem. e Præp. Gosl. Halb. Ep. *Bruſch. de Epiſc. c. 13 n. 23 p. 1080 Cranz l. 7 metr. c. 46 p. 195. Neofan. Catal. Ep. Halb. ad ann. 1232. Centur. Magdeb. ſec. 13. c. 10. p. 530. Winning. hiſt. Ep. Halb. MSC. Sagitt. hiſt. Halb. p. 52. Reimann. delin hiſt. Halb. ad ann. 1236. Chron. MSC. Halb. Ep. 23.*

Eccleſia Simonis & Judæ per hæc tempora Præpoſitum habuit Ludolphum, Comitem Sladenſem, quæ illuſtris familia, cum in proxima ab urbe noſtra arce Sladenſi ad Okeram (in Lotharii diplomatibus Sleden vocatur) nobilitatis ſuæ ſedem habuerit, ac excelſe olim & opibus rerum geſtarum gloria floruerit: Operæ pretium fuerit, ſtemma genealogicum inſerere: (*)

(*) *Ex ſigillis horum comitum, quorum plura aſſervo, licet gentilitia eorum ſcuta exornaſſe leonem erecto corpore prodeuntem, quem album pleriq; heraldicæ artis ſcriptores volunt. Nos unicum hic addimus Meynert Comitis Slademenſis eundem leonem ſiſtens cum perigraphe* † S. COMITIS. MEYNERI. DE SLADEM. Vid. Tab. IV. fig. 2.

Adelbertus *Comes Slademenſis, floruit anno 993.*

Rodericus

Sifridus *vixit adhuc a. 1084.*

Meinhardus *periit in prælio Rudolphum inter & Henricum Auguſtos.* 1081.

Conj. Oda de Peina.

Eiko *ſæpius occurrit in Lotharii diplomatibus.* 1129. 1131.

Nihingus *vulgo* Neideck *interfuit Comitiis Brunſv. anno* 1131. *occurrit in Lothar. diplom. anno* 1130.

Henricus *occurrit in literis Stadibergenſibus* 1167.

Ludolphus *reliquit filiam.*

Burchardus *Canonicus Halberſtad.* 1190.

Henricus *vixit* 1200. 1213.

Mathildam, *quæ nupſit Chriſtiano Comit. Oldenb.* 1201.

Ludolphus 1221.

Henricus 1231.

Ludolphus *ex Præpoſito Goslarienſi Epiſc. Halb.* 1232.

Heinricus *obiit* 1239.

Heinricus 1242. *interfuit depopulationi Munch-Naumburgenſi.*

Geverhardus *monachus Franciſc.* 1291.

Ludolphus *Epiſc. Halb.* 1257. *ob.* 1285.

Meynerus *vidi ejus literas datas* 1278. 1285. 1287. 1288. 1298. 1300. Adelheidis Uxor. Alia Ottonis Com. de Euerſtein. 1282. 1289.

Henricus Conj. Cunigundis *Woldenb. Vidi literas datas a.* 1312. *aliasq; a.* 1339. *quæ ſic ordiuntur*: Den edelen Manne eren Hern Graven Henricken von Schladem Herrn Gheverdt unde her Borchert Ritters/ hans und Henrick Knechte geheten von Weverlinge ere willige Dienſte beretet to allen tyden. *alia ejus litera ſuperſunt ab a.* 1341. 1343.

Volckmarus de Sladem. 1278. 1291. 1285.

(A)

Albertus *occurrit in literis* 1339. 1341. *datis.* *Not Henricus Dei gratia Comes in Sladem & Albertus filius ejus &c. Superſunt ejus litera ex anno* 1345. *Idem a.* 1322. *cum Meynardo fratre confirmavit diploma Patris.* Occurrit m. 1352. 1358.

Lutgardis *filia nupſit Johanni de Rotingen.* 1348. *occurrit m.* 1332.

Meynerus Adelhardus. *Extant litera Henrici Comitis Slademenſis data* 1312. *in quibus hæc occurrunt: Ceterum pueri noſtri, quos nunc habemus videlicet Meynerus, Albertus & Adelhardus cum ad annos diſcretionis &c. Præſtiterunt etiam id Meynardus & Albertus a.* 1322.

Sophia *ultima ſtirps.* (**)

(**) ultima ſtirpis) *Anno* 1481. Henricus Comes Wunſtorpienſis *in literis ſuis ſe vocat* Dominum Slademii & Heimburgi. *Teſte* Meibom. *in not ad Gerhardi Stederb. p.* 442. *tom. 1. rer. Germ. Quod indicio eſt, ad eum Slademenſem præfecturam aut hereditatis aut emtionis aut pignoris titulo pertinuiſſe. Sed nihil hic ad comites querum jam genealogiam recenſui.*

Eruditio Ludolphi & in rebus agendis dexteritas magno conſenſu ab omnibus laudatur, unde non modo Canonicatu Halberſtadienſi verum etiam Goslarienſi & Walbecenſi præpoſitura ornatus eſt. Admotus demum fuit Epiſcopatui Halberſtadienſi, ſed quonam anno id factum ſit, non eſt eadem omnium ſententia. Bruſchius, Neoſanius & Winnigenſtadius eum hoc ipſo anno Epiſcopatus inſignia adeptum ferunt, a quibus abeuntes alii annum MCCXXXIV. alii MCCXXXVI aſſignant, qua de re Halberſtadienſes annales viri cujusdam docti, quorum deſiderium vix terimus, accuratius, ut ſperamus, nos docebunt. Claruit inprimis bello cum Ottone Marchione Brandenburgenſi adverſa fortuna geſto, quo Epiſcopatus ſui opes non parum attrivit. Captus enim ab Ottone & aliquandiu in cuſtodia detentus, non prius libertati reſtitutus eſt, quam urbe Aldenslebienſi magnoque pecuniæ pondere ſe redemiſſet.

Annus Chriſti 1233.
Friderici II. Reg. 19. *Imp.* 14.
Ab. V. C. 310.

Conradus Marpurgenſis in Germania temerarie ſævit in hæreticos. *Godefr. Mon. p. 298. Abb. Stadens. p. 306. Alberic. p. 343. ſq. Trithem.*

SUccedit annus milleſimus ducenteſimus trigeſimus tertius multis diſſidiis, tum in eccleſia, tum republica exortis memorandus. Eccleſiam turbavit ipſe Pontifex, qui miſſis inquiſitoribus omnes illos vivicomburio decrevit punire, qui paulo liberius de eccleſiæ nævis loquerentur. Germanica provincia obvenit Conrado cuidam Marpurgenſi Dominicano, viro omnis prudentiæ inaniſſimo & affectibus effrenatiſſimis adeo in transverſum acto, ut vix potuerit hoc munus ineptiori demandari. Sævitum hinc promiſcue eſt in omnis ætatis atque ordinis homines, & ad ſupplicium ſufficiebat vetulæ cujusdam, aut ſervoli invidioſa narratio. Conradus enim hic avidis omnia arripiens auribus, ſtatim ad rogos & exquiſitiſſimos cruciatus inſontes æque ac nocentes amandavit. Quæſtiones primo habuit de capite cenſis & filioris ſortis hominibus, ſed progreſſus inde ad nobiliores ipſum Comitem Seinenſem vocare in judicium delatum hæreſeos auſus eſt, qui tamen a Cæſare ideo Moguntiam ad comitia evocatus tanta animi præſentia crimen hoc diluit, ut perculſus Conradus & rubore ſuffuſus veniam peteret. Ceterum quam temeraria in judicando ratione uſus ſit, vel hoc ſolum ſatis aperte videtur indicare, quod reos candente ferro a crimine ſe purgare juſſerit, explorandi genere tam ab omni humanitate alieno, ut ipſi Pontifices illud repetitis decretis damnarint. Godefridi & Alberici verba, quibus de temeritate Conradi conqueſti ſunt, libro ſuperiore, cum de Stedingis ageremus, meminimus nos attuliſſe, quæ repetere non hic opus eſt.

Chron. Hers. ad h. ann. Chron. Magn. Belg. ad hunc ann. Arnold. part. 1. l. 3. hiſt. eccl. & bar. c. 5. p. 383. Addit. ad Lamb. Schaffn. p. 257. Sifrid. Presb. p. 656 ap. Piſtor.

Rempublicam novæ calamitates affligebant. In Sicilia enim Meſſinæ apud Germanos in Bavaria bellum exarſit, ſed utrumque longe diverſum; alterum enim ſuppliccii de perfidis ſumendi cauſa a Friderico, alterum ad opprimendum Ottonem Bavarum Imperatori fidum ab Henrico Rege ſuſceptum eſt. Meſſina capta, & ſeditionum flabella igne abſumta. Bavaria vero tota Henrici Regis armis brevi devicta eſt, adeo, ut Otto Bojorum dux arbitrio Eberhardo Salisburgenſi Archiepiſcopo Ludovicum filium quadrimum obſidem dare cogeretur. Jamdudum a Pontifice concitatus Henricus nefaria rebellionis conſilia animo conceperat. Speculatus tamen fortunam non putabat prius aperto Marte cum patre dimicandum, quam ejus res florentiſſimæ inclinari cœpiſſent. Vt autem eo impunius aliquando faſces Imperii rapere liceret; occulte de eis opprimendis cogitabat, quos fidei patri datæ ſervantiores exiſtimabat futuros. Hæc origo belli contra Bavaros geſti, quod Aventini verbis referre placet: *Cæſar,* [Henricus] *clandeſtinum fœdus cum Pontifice Romano fecerat, Germaniam Teutonicumque regnum ſibi vendicare nitebatur.*

Godefr. Mon. p. 289. Chron. Aug. Stenſ. p. 372. Aventin. l. 7. annal. Boj. p. 533.

ur. Otto prefectus pretorio Rheni, Reguluq; Bojorum, primarius Germaniarum princeps ab Augusto patre Cæsaris deficere nefas ducebat, in Bojariamque se protinus contulit. Cæsar collecto magno exercitu Bojarie fines hostili animo intrat, nemine omnino resistente, templa, vicos, agros incendit, castra ante mœnia urbis Reginoburgensis collocat, ferro, præda, impune cuncta atterit. Hsce coactus Otto arbitro Eberhardo, Archiepiscopo Salisburgensi, filium Ludovicum quadrimum Cæsari obsidem dat. Augustus ubi hæc in Italia rescivit, legatos in Bojariam mittit, Cæsarem ab armis discedere, obsidem Ottoni reddere jubet. Plerique Bojorum equites clam armati copias ejus subsequuntur, prede intentes invadunt, occidunt, magna clade discendentes afficiunt.

Synodus a Conrado

Haut paulo quietius tunc ecclesiæ Goslarienses & vicinæ egerunt, quas Conradus Hildesiensis episcopus multis opibus largitionibusque cumulavit, aliisque beneficiis provido consilio ornavit. Inter cetera hoc anno in Montis S. Petri Ecclesia præsens cum Arnoldo, Abbate Riddageshusano Albone priore Amelungsbornensi aliisque prælatis & ministerialibus suis splendidam synodum coëgit, multasque, quæ inter monasteria adhuc intercesserant lites aliosque abusus laudabili consilio sustulit. Plura superant diplomata in Synodo hæc data, e quibus propius ad nos spectat hoc, quo Richenbergensi ecclesiæ mansos aliquot a Tiderico & Vlrico de Lengede donatos confirmavit, quod integrum adscribere placet, ut constet, quinam præcipue huic Synodo interfuerint: Hildes. Episc. in ecclesia Montis S. Petri habita. Conradus Ep. Richenbergensibus benefacit.

ONRADUS Dei gratia Hildensheimensis Episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod fideles nostri *Thidericus & Vlricus* fratres de *Lengede* in nostra præsentia una cum Conventu Sanctæ Mariæ Virginis in Richenberge constituti recognoverint publice coram multis, quod Pater eorum & ipsi duos mansos apud *Lengede* jacentes eidem Ecclesiæ in salutis suæ remedium perpetuo contulerint possidendos, quare devote nobis & humiliter supplicarunt, ut nostrum super eo dignaremur adhibere consensum. Nos igitur eorum precibus favorabiliter annuentes, super donatione tali nostrum, sicut decuit, consensum adhibuimus, quod præsentis scripti tenore nostrique sigilli appensione duximus declarandum. Testes hujus rei sunt *Arnoldus* Abbas de Redageshusen. *Albo* Prior de Amelungesbornen, *Conradus* Decanus, *Meinardus* Cantor, *Thidericus* de Adenoys Hildesheimensis Canonicus, *Joannes* Novi Operis & *Henricus* S. Georgii Præpositi in Goslaria, *Joannes*, Forensis Ecclesiæ in Goslaria plebanus. *Ludolphus* Custuos, *Gerbardus* & *Johannes* Montis S. Petri in Goslaria Canonici. Laici vero *Burchardus* de Lengede, *Conradus* de Otfrideſſem, *Gootscalkus* de Adenstede, *Bernhardus* de Bocthe, *Thidericus* de Eldinge, *Luidolphus* Bectel, *Thidericus* de Goslar, *Conradus* de Elvede, *Henricus* de Adenstede, *Eckebardus* de Bervelte, *Bernhardus* de Esbeke *Hartmannus* de Monte & alii complures. Actum iu *Monte S. Petri* apud *Goslariam*. Anno MCCXXXIII. IVto. Kalend. Julii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Extat & aliud ex eodem anno Conradi diploma, quo ecclesiæ Richenbergensi bona quædam ea lege vendit, ut ea data occasione redimere sibi liceat. De capitulo præsentes fuere *Reinoldus major Prepositus, Conradus decanus, Geverhardus Scolasticus, Sifridus de Barem, Hugo prepositus S. Crucis, Heinricus de Tossen, Magister Hermannus de Goslar, Conradus Decanus S. Andreæ, Rodolphus sacerdos C. de Goslar, post Prepositus Veden. C. Prepositus Montis, Wicboldus Diaconus, Olrichus Cantor, Heinricus de Scalke, Tidericus de Adonais ** Heinricus de Vetforo, L. de Einbeck, Albert de Evers. Datum anno dominicæ incarnationis in Capitulo MCCXXXIII. in vigilia B. Laurentii.*

** *Occurrit quoque anno 1296. & 1308. Friderikus de Adonais, cujus filiam duxit comes Hallermundanus, inde Dominus etiam de Adonais dictus teste Paulin. ad Petr. Visselb. Chron. Huxar. p. 69.*

Familia Nobilium de Goslar, quorum sæpius adhuc in diplomatibus mentio facta est, ab urbe nostra nomen adepta est, ut e plerisque fere Saxoniæ urbibus familiæ nonnullæ nobilitatis suæ indicinam petierunt. Noti etiam sunt ex hac ipsa urbe Nobiles de Gosa qui an iidem cum Dominis de Goslar sint, nondum mihi liquet. Vtrorum tamen insignia, ut e pluribus antiquis monumentis discimus fuerunt plane a se invicem diversa. Quod non mirum est cum nec ipsi quidem domini de Goslaria eadem omnes scuta habuerint. Nostria conspicienda damus sigilla, huc perinentia. Nobiles de Goslar & Gosa. *Chron. Mont. Franc. Auctor. p. 78. Tab. IV. figg. 3. 4. 5.*

An-

Annus Chriſti 1234.

Friderici II. Reg. 20. *Imp.* 15.

Ab. V. C. 311.

Henricꝰ Rex Patri rebellat. *Godefr. Monach. p. 299. Trithem. Chron. Hirſaug.*

SUperiore tempore inteſtinum Germaniæ malum veluti fulmen inter tonitrua nubibus incluſum agitabatur, quod proximo hoc anno plenis, ut ita dicam, flammis erupit. Henricus enim Rex a Pontifice monitus, non occulte amplius, ſed aperte naturam exuit, imperiumque turbato ordine affectavit, quod expectare majore pietate debuiſſet. Ejus rei gratia indicto Boppardiæ principum conventu, *ſoll citare cœpit*, ut ait Godefridus, *quoscunque potuit, minis, prece & pretio, ut ſibi aſſiſterent contra Patrem, & non paucos invenit.* Muſſitare equidem hic ſolent Pontificii ſcriptores, & aliam ex alia cauſam nectere, quæ Henricum ad tam immane ſacrilegium impulerit, hinc illuta modo pravorum conſiliis in transverſum actum perhibent, modo corrigere voluiſſe ajunt, quæ a Patre iniquius eſſent acta, modo Conradi fratris æmulatione id auſum ferunt, quod hunc a Patre in amore ſibi præferri ægre tulerit. Sed quivis paulo obeſioris naris tum ex iis, quæ ſupra ex Aventino retulimus, tum etiam, quæ paulo poſt contingere, facile colligent, non ab alio Henricum in patris perniciem eſſe armatum, quam a Pontifice. Vtcunque tamen conſtet, qui nam e principibus in Henricum fuerint procliviores, non erit ab hoc loco alienum, ipſum Henrici diploma adjicere, quo eccleſiæ SS. Simonis & Judæ omnem libertatem pridem a majoribus ſuis conceſſam liberaliter inſtaurat confirmatque, & quidem ex ipſo autographo deſcriptum;

Eccleſiæ Goslarienſis libertates confirmat.

IN nomine Sc̃e & indiuidue trinitatis. Heinricus ſeptimꝰ diuina fauente clementia romanorum rex & ſemper auguſtus. *Etſi oĩium eccl̃iarum profectibus intendere debeamꝰ illarũ tamen cõmodis & utilitatibꝰ nos conuenit ſpecialibꝰ prouidere. que nobis & imperio ſpecialiter ſunt aſtricte. Hinc eſt quod uniuerſis preſentibꝰ & futuris uolumꝰ fieri manifeſtum. quod nos libertatẽ & grãm que prouiſa eſt nre Goslarienſi ecclię per priuilegium proaui ñri diue recordationis quõdã FRIDERICI imperatoris contra importunitates multiplices & preſſuras quas aduocati ejus in ipſã conſueuerant exercere. uidelicet hereditates & reliquias litonum ecclie ſibi contra juſticiã uſurpando. & locando manſos nouis colonis in ipſius ecclie prejudiciũ & grauamen. Auctoritatẽ Regia de tocius ñri conſilii prouidentia duximꝰ confirmandũ. ſub obtentu gre ñre firmiter inhibentes. ne quis cujuscumq; condicionis alta perſona uel humilis. eccleſiaſtica uel mundana. libertatibꝰ priuilegii ejusdẽ aliquo modo derogare preſumat. uel alias contra tenorem ipſius eccl̃iam audeat moleſtare. Preterea ſicut in ipſo priuilegio conſtat eſſe probibitũ & ſtatutũ. ſic & nos de nouo ſtatuimꝰ. inhibentes. ut quia aduocati pridẽ ad eccliarum defenſionẽ prouiſi. facti ſunt in pleriſq; locis ex defenſoribꝰ offenſores. ne ſuper bona in Werre. que ad eccliãm ipſã ſpectant. uel quecunque alia non habentia aduocatos. que ad preſens habet eccl̃ia memorata uel in futurũ preſtante dno juſtis modis poterit adipiſci. aliquis admitatur aut poſſit aut debeat fieri aduocatꝰ. Nullꝰ etiam aliꝰ quã yconomꝰ ecclie cui cõmiſſa fuerint ipſi bona poteſtatẽ habeat in illis aliquid ordinandi. Ad hec libertates pariter & honores conceſſos predicte ecclie & canonicis illibatos non ſolum conſeruare ſed etiã totis ñris deſideriis ampliare uolumꝰ. ſtatuentes. ut juxta tenorẽ. priuilegii alteriꝰ quod indulſit eis imperator predictus. in curtibꝰ clauſtralibꝰ. uel in domibꝰ. nullꝰ aduocatꝰ nec aliqua ſecularis perſona preter ñram propriã perſonã aliquid juris uel judicii habeat. uel ſibi in poſterũ uſurpare preſumat. Volumꝰ etiã ut ſi quis in uite periculo conſtitutꝰ in curtẽ ſeu domum clauſtralem confugerit. ibi ab oĩi perſecutore & judice ſit ſecurꝰ. nec aliquis eũ inde preſumat educere uiolenter. Familiã etiam canonicorũ nullꝰ habeat judicare, niſi familie dnꝰ uel decanꝰ. Ceterũ curtes. molendina. & domos. que eccl̃ie ſupradicte uel canonicis ſpecialiter & integraliter pertinere noſcuntur. ab oĩibus precariis & taliis ac exactionibꝰ quas laici dare ſolent liberos eſſe decernimꝰ & immunes. Ut ig. hec ſtatuta & prohibitiones ñre majeſtatis quas propter honorẽ di & ob ſalutẽ ñram pro cõmodo & utilitate Goslarienſ. ecclie ſancciuimꝰ robur obtineant debite & perpetue firmitatis. preſenti priuilegio eas fecimꝰ annotari ſigilli ñri munimine roborantes easdem. Teſtes hij ſunt

Sifri.

Sifrid9 archiēpc Maguntin9. Burchard9 magdeburgeñ elect9. venerabiles dni Ekebert9 Babenbergeñ. Hermann9 Erbipoleñ. Ekehard9 Merſeburgeñ. Engelbard9 Nuvvenburgeñ. Conradus Osnaburgeñ ēpi. Otto Dux Bavvarie. palatinus comes reni. Albert9 dux Saxonie. Heinric9 comes Aſcarie. & Heinricus filiꝰ ſu9. Heinric9 landgrauiꝰ Thuringie. Hermann9 marchio de Baden. Heinric9 marchio de Misne. Conrad9 Burgruaiꝰ Nurenberch. Burchardus burgrauiꝰ Magdeburgen. Comes Egno de Urach. Burchardus & Geuehard9 frēs de querenuorde. Otto comes de Rauensberch. Heinricus de Nifen. Conradus pincerna de Wintherſteden. Henric9 camerariꝰ de Ravensburch. Heinric9 marſcalc9 de Bappenheim. & alii quam plures.

Actum anno dominice incarnacionis milleſimo ducenteſimo xxxiiij. Tercio Nonas Julii. Indictione ſeptima, anno vero regni ſiri quarto decimo. Datū apud Aldenburch. anno. menſe. indictione prenotatis.



Signum Domini Heinrici Romanorum regis inuictiſſimi.

Hæreſium diverſus exitus. *Alberic. p. 151.*

Hæreſes, quæ adhuc totum ferme Imperium impleverant, diverſum hoc anno exitum ſortitæ ſunt. In ſuperiore equidem Germania Conradus Marburgenſis igne & gladio in eos, qui tanti criminis poſtulabantur, deſæviit, tanto furore, ut ad ſupplicium raperentur, qui vix, quid hæreſis eſſet, per ſomnium cognoverant. Cumque Comitem Seinenſem adhuc ſuſpectum haberet impudentiſſimus Monachus, denuo Francofurti indictus eſt conventus principum, in quo præſente Rege Heinrico aliisque ultra viginti Epiſcopis Comes tam luculenta oratione ſe ab hoc crimine purgavit, ut Conradus pudore lacrymisque ſuffuſus erroris veniam petere ſit coactus. Sed non diu ſuperſtes fuit Conradus, qui hoc ipſo anno a nobilibus quibusdam haut procul Marpurgo occiſus inauditæ ſævitiæ pœnas dedit, hominesq; inſontes diuturno metu liberavit. At Stedingi in Saxonia noſtra eo majore vi deleti ſunt, ex quo in eorum perniciem Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Comes Hollandiæ, Otto Geldriæ, Theodoricus Cliviæ, Henricus Oldenburgi, Wilhelmus Juliæ, Adolphus Marchiæ, Theodoricus Limburgi Comites & flos reliquæ nobilitatis Weſtphalicæ ad pontificis hortamenta conjuraverant. Tanto enim apparatu cum bellum in eos ſuſciperetur, auſi equidem ſunt hoſtilem exercitum expectare & ſignia conferre, ſed fortiter aliquandiu ſuſtenta hoſtili acie multitudine demum ſuperati & in fugam acti plerique occubuere. Pars ſanior, quæ a vulgi erroribus vehementius adhorrebat, fuga ſe in Friſiam ſubduxit, ceteri in tantas coacti ſunt anguſtias, ut morem gerere Epiſcopis, & niſi voluntate, ore certe ad eccleſiam pontificiam redire tenerentur.

Alb. Stad. p. 307. Wolt. Chron. Brem. p. 58. ſq. Lerbec. Chron. Schauenb p. 50. Schipph. Chron. Oldenb. p. 148. Chron. Magn. Belg. ad h. ann. Matth. Paris. ad h. ann. Godefr. Mon. p. 299.

Annus Chriſti 1235.

Friderici II. Reg. 21. Imp. 16.

Ab. V. C. 312.

PRoximus annus rebellionem Henrici feliciter terminavit, licet tantum exinde paulo poſt enaſceretur diſſidium, ex quo ſero admodum Germania reſpiravit. Eſt hic auſpicatiſſimus annus, quo Fridericus, qui diutius adhuc in Italia tempus traxerat ad Germanos demum rediit, tantisque beneficiis plurimos Imperii proceres ornavit, ut nullo unquam tempore peritura ſit hujus anni memoria. In Germaniam eum retraxere impotentiſſima filii conſilia, quibus opprimendis omnem induſtriam impendit. Primum itaque Wormatiæ indictis comitiis Henricum ad dicendam cauſam evocavit. Adfuit hic, non tam cauſæ bonitate, quam patris indulgentia fretus, culpaque in peſſimas monitotes rejecta ſupplex veniam flagitavit. Receptus quoque eſt in gratiam, ea tamen lege, ut caſtra, quæ præſidiis ſuis præmuniverat, traderet. Quod cum non præſtaret, ſed Driuelſiam arcem pertina-

Henric9 Rex a Patre cuſtodiæ man cipatus. *Alb. Stad. p. 307. Godefr. Mon. p. 299. Chron. Austral. p. 323. Fragment hiſtoric. ap. Vrſtiſ. tom. 2. p. 91. Marſin. Polon. p. 376.*

cius defenderet, raptus in cuſtodiam ad extremos Calabriæ fines deportatur, ubi mœrore animi conſumtus periiſſe vulgo fertur.

Nuptiæ Friderici Imp.

Domeſtica hæc Imperatoris mala non parum lenita ſunt auſpicatiſſimis nuptiis, quas hoc ipſo anno cum Iſabella Henrici Angli Regis ſorore contraxit. Ad illuſtriſſimam hanc ſponſam accerſendam miſſi Henricus Colonienſis Archiepiſcopus & Henricus Dux Brabantiæ, a quibus circa pentecoſten adducta Imperatori Wormatiæ in thorum datur tanto omnium procerum plauſu, ut nihil Germania viderit lætius. Aderant etiam, ut ſolent, in hiſce feſtivitatibus, hiſtriones, variis ludicris frontes convivarum explicantes, in quos cum magna prodigalitate principes pecunias effunderent, ſuaſit Imperator ne id facerent. Nihil enim eſſe dementius, quam fatuos & mimos ſuis opibus locupletare. Finita hac feſtivitatu Moguntiam itum eſt, quo Imperator totius Imperii priucipes ad ſolenniſſima comitia evocaverat. Nihil hiſce comitiis ſplendidius, ad quæ tot Principes, Epiſcopi, Comites & Dynaſtæ confluxere, ut nonnulli duodecies mille nobilium numerum ineant. Præcipui fuere Sigefridus Moguntinus, Henricus Colonienſis, Everhardus Salzburgenſis, Theodoricus Treverenſis, N. Biſuntinus, paulo poſt extinctus, & Wilbrandus Magdeburgenſis Archiepiſcopi, Egbertus Bambergenſis, Sifridus Ratisbonenſis, Henricus Conſtantienſis, Sigeboldus Auguſtenſis, Bertholdus Argentinenſis, Henricus Baſileenſis, Conradus Hildeſienſis, Joannes Leodienſis, Georgius Cameracenſis, Ludolphus Metenſis, N. Tullenſis, Godaſchalcus Monaſterienſis, Engelhardus Numburgenſis, Otto Trajectenſis, Engelbertus Oſnabrugenſis, L. Paſſavienſis, Henricus Eiſtedenſis, Conradus Spirenſis, Engelhardus Mersburgenſis, Georgius Verdinenſis & Conradus Friſingenſis Epiſcopi, Frater Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum in Jeruſalem Magiſter, Fuldenſis, Morbacenſis, Augienſis, Corbeienſis & Elwangenſis Abbates, Otto dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Henricus Dux Brabantiæ, Albertus Dux Saxoniæ, Bernhardus Dux Carinthiæ, M. Dux Lotharingiæ, Henricus Marchio Miſnenſis, Henricus Marchio Badenſis, Johannes & Otto Marchiones Brandenburgenſes, Henricus Comes Seinenſis, Dietericus Comes Clivienſis & Henricus Comes Anhaltinus. In frequentiſſimo hoc Principum congreſſu, multum Imperator de filio conqueſtus, ne temere paulo ſeverius in illum animadvertiſſe videretur, coram omnibus ejus exceſſus palam expoſuit: deinde cum Imperium ſe abſente multis latrociniis turbatum cognoſceret, ad reſtituendam priſtinam quietem converſus præclaro edicto pacem publicam ſancivit, vetera Imperii jura ſtabilivit, nova ſtatuit, ut hodienum hujus Auguſti providentiam loquitur *Reformatio Imperii* patria lingua in his comitiis edita, ſeorſim excuſa Baſileæ poſtea vero in Collectiones Conſtitutionum Imperialium relata.

Comitia Mogun. tinenſia ſplendidiſſima. *Godefr. Mon. l. c. Alb. Stad. p. 307. Chron. Elwang. p. 456. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 207. Cranz. l. 8 Sax. c. 5. p. 204. Meibom. Erect. duc Brunſv. p. 205, tom. 3. Trithem. Chron. Hirſaug. Meib. diſſ de metallif. Hartz. n. 35. ſqq.*

Sed fructus horum comitiorum longe uberrimus ad viciniam noſtram redundavit, quæ novo Ducatu Brunſvico Luneburgenſi, tunc aucta eſt, cum, ex quo Henricus Leo avitis ditionibus excidiſſet, nullus per totam Saxoniam floruerit ducatus, quam Saxonicus ad Aſcanienſem familiam translatus. Eo lætior bonis omnibus erat hæc promotio, quo accidit inſperatior. Otto enim Luneburgicus Imperatori maxime erat inviſus, quod Brunſvicum, quam ſuo ære ille emerat, ex inſidiis occupaſſet. Sed ceſſavit hoc odium, tum quod ille ſupplex fieret Otto, tum quod Iſabella, quæ in Friderici thorum conceſſerat, ſanguinis propinquitate eum attingeret. Nec parum Imperatoris animum flexit ſpectata Ottonis fides, qua Pontificis legatum faſces Imperii ſpondentem conſtantius rejecerat. Qua re permotus non ſolum in gratiam Ottonem recepit, verum etiam regiones, quas adhuc ex avita hæreditate tenuerat, in ducatum provexit. Brunſvico Luneburgenſis titulo inſignitum. Cum cura totius rei geſtæ ordinem pertexuit Meibomius, ipſo ſuppeditato Friderici diplomate, & quidem multo pleniori, quam in Actis Brunſvicenſibus apparet. Ex eo apparet Goslariæ quoque tunc habitam rationem. Decimas enim, quæ quotannis Imperatoribus ex metallis Goslarienſibus redibant, veluti dotis loco novo ducatui dono dedit. Qua de re ipſum placet audire Imperatorem: *Quapropter cum conſilio aſſenſu & aſſiſtentia Principum civitatem Brunſvic & caſtrum Luneborg cum omnibus caſtris, hominibus & pertinentiis ſuis univimus, & creavimus inde ducatum & Imperiali auctoritate dictum conſanguineum noſtrum Ottonem Ducem & Principem facientes, Ducatum ipſum in Feudum Imperii eiconcedimus ad heredes ſuos, filios & filias heredi tarie devolvendum, & cum ſolenniter juxta conſuetudinem inveſtivimus per vexilla, de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslariæ Imperio pertinentes. Ad hujus itaque conceſſionis memoriam & robur perpetuo valiturum præſens privilegium fieri, & bulla aurea typario noſtræ majeſtatis impreſſa juſſimus communiri.* Sic Otto ad quem unum tam opima hæreditas fuerat devoluta, potentia omnes inferioris Germaniæ Principes ſuperavit, & fundamenta jecit potentiſſimæ Brunſvico Luneburgenſium Domus, quæ divina adſpirante clementia opibus & potentia aucta hodienum tanta gloria univerſum terrarum orbem implevit, ut hoſtium terror, Imperii Columen, & religionis purioris certiſſimum aſylum merito celebretur. Faveat modo Deus

Erectio ducatus Brunſvico Luneburgenſis.

Decimæ reditus metallicorum Goslarienſium Brunſvicoluneburgenſi Ducatui incorporantur. *Meib. de metall. Hartzic. tarie n. 35. 51. 54.*

porro

porro muneribus ſuis, tantisque incrementis addat perpetuitatem!

Confirmatio

Goslaria noſtra, novo nuper Francomontano cœnobio aucta, hoc anno Bullam Gregorii noni vidit, qua illud monaſterium in tutelam ſuſcepit. Illam ex Chronico Montis Francorum huc integram adſcribimus:

Gregorii Papæ Conventus Francomontani.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. dilectis filiis præpoſito & ſororibus pœnitentibus monaſterii *S. Mariæ Magdalenæ in Gozlaria*, Ildeſemenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras & monaſterium, in quo divino vacatis obſequio cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem terras, poſſeſſiones, & alia bona, quæ monaſterium ipſum ex pia conceſſione fidelium canonice fuerit aſſecutum, ſicut ea omnia juſte ac pacifice poſſidetis, vobis & eidem monaſterio per vos auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario obviam ire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & B.B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Peruſii* IV. non. Auguſti, pontificatus noſtri anno nono.

Annus Chriſti 1236.

Friderici II. Reg. 22. *Imp.* 17.

Ab. V. C. 313.

Friderici Galliæ aliquot Comitibus inveſtituram impertit. *Godofr. Mon. p.* 300 *Chiffl. & Vindic. Hiſtor. c.* 13. *Tenz. Biblioth. curioſ. a.* 1714. *p.* 30. *ſq.*

PEragrabat adhuc Fridericus provincias, tantaque cura Imperii antiquam majeſtatem aſſerebat, ut vix unquam antea feliciorem ſe Germania conſpexerit. Inprimis in annales eant, quæ ſuperiore anno jam præcipite accidiſſe autor eſt Godofridus: *Inde Imperator ſe contulit ad oppidum Haginhovve in quo hyemavit. Ibi afſuerunt Comes Toloſanus & Comes Provincie. Recepit autem Comes Toloſanus Marchiam Provincie ab Imperatore homagium ſibi preſtans. Comes autem Provincie quinquagenarius ideo tunc primum ab Imperatore ad gradum militie eſt provectus, quod Comites ſue parentele ſe non credunt diu poſſe vivere, poſtquam gradum militie ſunt adepti. Nec adhuc miles factus eſſet, niſi Rex Francie & Rex Anglie, quorum uterque ſuam duxerat filiam in uxorem, ipſum ad hoc prece multimoda compuliſſent, indignum reputantes, ſuum ſocerum militem non eſſe.* Ex his Godofridi verbis diſcimus, Toloſæ æque ac Provinciæ Comitatus, bonamque adeo Occitaneæ & Provinciæ partem olim juris Germanici fuiſſe, quæ obſervatio ſupplementi loco eſſe poterit eorum, quæ accurate de Imperatorum jure in Franciam diſſeruit Joannes Jacobus Chiffletius.

Imperator Lombardos & Ducs

Verum hanc publicam tranquillitatem non parum turbavere Lombardi & Auſtriæ Dux Fridericus. Illi a Pontifice incenſi aperte ab officio deſciverant. Hic nec laceſſitus, nec provocatus vicinas quasque provincias Bavariam, Bohemiam & Hungariam infeſtis copiis devaſtabat. Hinc Imperator omnes contrahens Imperii vires, iter Italicum meditabatur, præmiſſaque quingentorum militum cohorte ipſe paulo poſt cum juſto exercitu per Tridentinos Alpes penetrabat. Armiluſtrium indictum erat Veronam, quo cum omnes copiæ, quæ adhuc in Italia permanſerant, ſociique Cremonenſes convenirent, ſtatim Mantuam rebellium ſociam aggreſſus omnia ferro flammis devaſtat, & occupatis deinde fortiſſimis caſtellis Macharia & Moſa, Cremonam reducit exercitum. Sed vix abierat Imperator, cum ſtatim Vincentini & Mantuani ad ingenium redeuntes in Veronenſium agrum facerent impetum, & Ripam altam fortiſſimam arcem obſidione cingerent, Fridericus ergo de ſociorum periculo edoctus ſtatim ſignum movendis caſtris dari juſſit, tantaq; celeritate ad hoſtes pervenit, ut unius diei ac noctis ſpatio longinquum iter abſolveret. Vnde hoſtes tam celeri ejus adventu perterriti in fugam ſe converterunt, & ad ſua quisque dilapſus eſt. Imperator autem arrepta occaſione, ut erat conſilio maximus, ſtatim Vincentiam movit, & cives, quid rei geſtum ſit, neſcios & imprudentes oppreſſit, eorumque perfidiam totius urbis everſione mulctavit. Interea Rex Boëmiæ, Dux Bavariæ & aliquot Epiſcopi, quibus Imperator bellum Auſtriacum demandaverat, ipſi quoque dextro Marte totam Auſtriam in formam provinciæ redegerant, & equeſtri

Auſtriæ armis frangit. *Godefr. Mon. p.* 300 *ſq. Chron. Auguſt. p.* 372. *Chron. Auſtral. p.* 825.

ordine adjuti ducem omnibus exuerant urbibus. Vnde Imperator cum ubique videret hoſtium ſuorum vires detritas, in Germaniam rediit, hyemeque Viennæ tradu&ta res Auſtriaças prudenter admodum diſpoſuit.

Eccleſia Goslariæ noſtræ per hæc tempora incrementa inprimis cepit monaſterium Novi Operis, quod hoc anno bona nonnulla coëmit a Richenbergenſibus. Extat hac de re membrana, ſed in qua tamen Præpoſiti nomen more illis temporibus conſueto ſola litera S. notatur: Novi Operis bonis auctior.

Ei gratia S. Præpoſitus totusque Conventus eccleſiæ *Novi Operis* in *Goslaria* omnibus præſentem literam inſpecturis orationes devotas in Domino. Univerſis Chriſti fidelibus notum eſſe cupimus, quod nos quendam dimidium manſum ſitum in *Langenez* ab eccleſia *Richenbergenſe* noſtræ eccleſiæ comparavimus hoc modo. quod domicilium, quod *Cram dicitur* apud nos eidem eccleſiæ jam dictæ in reſtaurum dedimus. Inſuper ſeptem fertones & dimidium addimus. Et ne inpoſterum hæc actio noſtra tam ipſis, quam etiam aliquibus aliis, in oblivionem veniat, præſens ſcriptum ſigillo eccleſiæ noſtræ roboravimus. Teſtes autem hujus facti noſtriſunt *Volbertus* Sacerdos, *Henricus* & *Johannes* de Foro, *Cunradus* Eſcherde, *Bodo* de Langenez Sacerdotes, Laici: *Techmarius* Camerarius, *Geverhardus* proviſor Curiæ. *Bertramus* de Langenez & alii quam plures clerici & Laici. Datum anno incarnationis Domini MCCXXXVI.

Anni Chriſti 1237. 1238.
Friderici II. Reg. 23. 24. *Imp.* 18. 19.
Ab. V. C. 314. 315.

Bellum Lombardicum redintegratur. *Godofr. Mon. p.* 302. *Alb. Stad. p.* 308. *Chron. Auſtr. p.* 323.

ANnis proxime inſequentibus bellum Lombardicum denuo gravius quam antea unquam exarſit, Pontifice inprimis & Mediolanenſibus civitates Transalpinas adverſus Imperatorem concitantibus. Hinc Fridericus, cui nihil erat potius, quam Imperii jura ſarta tecta que conſervare, totius Germaniæ ordinibus Ratisbonam convocatis, quæ ſibi foris inſidiæ parentur, accurate expoſuit, aperto ſimul conſilio Italiam denuo intrandi. Quo plerisque perſuaſit proceribus, ut Cunrado filio ſuo quem jam tum Regem conſentientibus ſuffragiis deſignaverant, interea dum ipſe reipublicæ cauſæ abeſſet, morem gererent. Denique & Friderico Auſtriaco in gratiam recepto, itineri Italico protinus ſe accingit. Simulac vero de ejus adventu Romæ cognitum eſt, ſtatim ſociis urbibus timere cœpit Pontifex, nec ſe omnino tutum exiſtimare, ſi Imperator denuo victrices aquilas in Italiam inferret, cum jam ſenſim in vulgus manaret, Pontificem hujus conjurationis facem ac tubam eſſe. Hinc quo Imperatorem a ſuſcepto itinere retraheret, miſſo legato, eum blandis verbis monuit, ne ad coercendos Lombardos veniret, periculum enim eſſe, ne animi Italorum ejus adventu magis incaleſcerent, quam ut deinde ullo remedio poſſent reſtingui. Conſultius fore, ſi cauſam Lombardorum ſuo judicio ſubmitteret, ſe enim daturum operam, ne quid Imperium detrimenti capiat. Sin tamen ſtaret ſententia, in Italiam veniendi, ſolus veniat, nec niſi miniſtrorum ſuorum agmine ſtipatus tunc minus ſe dubitare, quin lites poſſent ſe intercedente ſopiri. Sed facile ſuboluit ſagaciſſimo Imperatori, quid conſilii caperet Gregorius. Dimiſſo itaque legato, ſibi longe aliud videri reſpondit; adeo enim perduelles ad omne ſcelus eſſe profligatos, ut ſine armis ſanari non poſſe videantur. Satis fuiſſe majeſtati ſuæ inſultatum, ſibi dandam eſſe operam, ne indulgentia nimiaque patientia ſua deteriores fiant. Nihil ergo cunctatus Alpes transvolavit; Pontifice nequicquam indignante, & Mantuanos, Brixianos, ceterosque qui ab officio deſciverant in ordinem coegit. Multis deinde copiis ſociorum auctus, in ipſos Mediolanenſes movit, eosque tergiverſantes & pacem ſubdole oſtendentes tanta clade affecit, ut decem hominum millia partim occumberent, partim in victoris venirent poteſtatem. Inter captivos fuit & filius Ducis Venetorum, quem Godefredus Mediolanenſium Poteſtatum vocat, quem Imperator Cremonam intrans in triumpho duxit. Denique Papiæ in veteri Longobardorum Regum domicilio diutius ſubſiſtens tanto terrore hoſtium animos percuſſit, ut Vercellæ & Lauda ſua ſponte ſe illi dederent. Reſuſcitavit interea Pontifex Guelphorum factionem, quibus Gibellini ſe oppoſuere Gibellini, quorum hi Cæſarum partes, illi Pontificis cauſam tuebantur. Inde & Guelphorum diſſidiis & odiis tota fluctuabat Italia, Romanorum quoque nobiliſſimis Imperatori faventibus. *Hinc*, ut Poſſevinus ait, *diſſuſa pernicies univerſam Italiam cladibus, ſeditionibus, perfidia fœdavit, civitas civitati contraria, provincia provinciis adverſa erant. In hiſt. Mantuana non filio ac patri, non fratribus conſentiebat, non conſanguineis eadem voluntas ſuberat. Urbes excidio, domus incendiis hauriebantur.*

Gibellinorum nes. *Aut. Pelavin. l. 2. Mantuan. Boccl. ad Ann. Sylv.*

Non

Non fallere dabatur. Sed expreſſa voluntas & profeſſio erat, colore, inceſſu, habitu, in ſeriis ac ludis, profanis & ſacris, domeſticis & externis diſtinguebantur. Plures tamen a Cæſaris partibus ſtabant, inprimis cum illi omnia ad votum fluere animadverterent. Sic Pontificis artibus denuo ferali civilium bellorum incendio conflagrabat Italia, ad quod extinguendum non aqua ſed oleo ulus more majorum fulmen Tarpejum minabatur, *omni ſagacitate & conamine & induſtria ſatagens, quomodo ipſum Fridericum Imperio privare poſſet & dejicere*, ut fatetur Langenius in Chronico Citicenſi.

Lang. Chron. Citic. ap. Pist ad h. ann.

Joannes Semeca Præp. Goslarienſis teſtis veritatis *Winnigſt. hſt. msc. Halberſt. Meibom. p. 261. rum ſ. rer. Germ. Cranz. Sax. l. 8. c. 27. p. 220. Buxv. Contin. annal. Baron. tom. 13. p. 559. Melnicks bibl. jur. eccleſ. Catchiſt. lat. part. 1. p. 10. Langen. Chron. Cit. c. p. 12. Jo. Wolf cent 13. lection. memor. p. 444. tom. I. Chron. Slav. ap. Lindenb. p. 216.*

Floruit apud nos per hæc tempora JOANNES SEMECA Goslarienſis Eccleſiæ, quæ ſanctos Simonem & Judam tutelares habuit, Præpoſitus, vir nec ſilendus, nec dicendus ſine cura, quippe in quo nihil omnino niſi magnum, illuſtre, ac admirandum apparuit; ſacerdos ſanctiſſimus, Jureconſultus edecumatiſſimus, teſtis divinæ veritatis fortiſſimus, ac plane in primis numerandus. In Goslarienſium Præpoſitorum numerum refertur ab Hamerslebienſi Monacho & Emſerio, quorum aſſertum firmat membrana; in qua circa hos ipſos annos teſtis laudatur quidam JOANNES Præpoſitus Goslarienſis, quem cum hoc eundem eſſe non poſſum non ſuſpicari, licet non negem, Halberſtadii eum præterea Canonicatu ac deinde Decanatu, poſtremo Præpoſitura majore defunctum eſſe. Nullis equidem claruit majorum imaginibus, quippe in Halberſtadienſi agro Patre ſutore natus. Sed hunc tamen fortunæ errorem ipſe virtute ſua ac inuſitata eruditione correxit; dignus quippe viſus, cui circa annum MCCXL. præpoſitura Halberſtadienſis major demandaretur. Ex eo tamen tempore faſces apud nos depoſuiſſe videtur, quippe cum eodem anno MCCXL. mentio in membranis noſtris fiat Ludolphi Præpoſiti. Dici autem non poteſt quantam invidiæ molem ſubierit. Canonici enim Halberſtadienſes, qui omnes fumoſas per atria ceras longo ordine referebant, non poterant non ægrius ferre, novum hominem & proletarium ſibi in tanta dignitate anteferri. Joannes tamen inſuper habito illorum odio virtute ſua fretus non deſiit Spartam, qua ornatus fuerat, pro virili ornare, nihil magis perolus, quam ſuperſtitionem, quæ eo tempore omnium animos pervaſerat. Sacrificuli quidam lucri cupidi novum in pago Waterleve idolum confinxerant, hoſtiam nimirum ſacram, quam miraculoſe ſanguinem ſtillaſſe ferebant. Ad hanc adorandam cum certatim e rure inſcia plebs confluereret, indignatus Semeca, tam malitioſe ſimpliciores decipi, ipſe Waterlevam profectus, hoſtiam hanc ſacrificulo præbuit manducandam, calicem vero, qui ſanguinem excepiſſe dicebatur, ne diutius idololatriæ præberet materiam, ſummo templi cacumini, quod molieba-

tur, incluſit, non ut adoretur, ſed ut manducetur, cibum hunc cœleſtem inſtitutum dicens. Eadem animi magnitudine Cleri ſupinam negligentiam caſtigavit, ne ipſi quidem parcens Pontifici, quem, cum decimas a Clero extorqueret, multamque pecuniam e Germania corraderet, palam repetundarum poſtulabat, nec ferendum amplius putabat, Pontificem tantas divitias ſimulata eccleſiæ neceſſitate in aulam ſuam comportare. Vnde & excommunicationis ſententiam in eum latam dicit Cranzius, qui tamen temporum perturbans ordinem Clementi IV. tribuit, quæ Innocentio erant tribuenda. Hæc cum ita ſint, minime eſt mirandum, ſi Cleri Vatinianum odium ſibi contraxit, qui etiam conſveto furore illum magiæ, necromantiæ aliorumque criminum reum fecit, addiditque tragicum mortis genus, quaſi fulmine cœlitus emiſſo afflatus perierit. Sed nugæ hæc ſunt & invidorum hominum commenta: quæ vel ſolum ejus diluerit epitaphium, hodienum Halberſtadii in presbyterii latere meridionali conſpicuum:

Eſt erit atque fuit, qui deſiit eſſe Johannes
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis.
Lux decretorum, Dux Doctorum, via morum
Hic jacet, & placet, ut vacet a pœnis miſerorum.

Obiit anno MCCXLV, ſiquidem ſequente ſtatim in diplomatibus occurrit Hermannus Anhaltinus Halberſtadienſis Præpoſitus. Vnde errare patet Cranzium, qui eum ſub Clemente IV. adhuc floruiſſe exiſtimat, plures tamen nactus in eo ſectatores, & in his ipſum Caveum, cui tamen tanquam extero id quidem concedendum, videtur. Extat ejus Gloſſa in Gratiani decretum, Herculea plane audacia, ut Cranzius ait, copfecta, ſæpiusque cum ipſo Gratiani decreto impreſſa, & per errorem a Poſſevino Johanni Teutonico cuidam, patria Friburgenſi, Epiſcopo Beſſinenſi tributa, cujus & *Originalia Commentariorum MSC. ſuper quatuor libros Magiſtri ſententiarum* in bibliotheca Florentina extare dicit, cum aliis, quæ adhuc in Germaniæ bibliothecis deliteſcant, veluti *ſumma confeſſorum, tabula Alphabetica ad ſummam & apparatum Raymundi, Libello ſpeciali de queſtionibus Caſualibus, Confeſſionali de modo audiendi confratres, ac de modo interrogandi ſecundum diverſos ſtatus & vitia.* Sed plures videntur tunc Teutonicorum cognomen tuliſſe: nam & alius eidem Poſſevino celebratur *Joannes Teutonicus, Cameracenſis Monaſterii Canonicus Regularis*, cujus plura extant opuſcula ad religioſæ vitæ incrementum pertinentia, quæ operoſe ipſe recenſet. Vnde mira-

Struv. bibl. jur. ſelect. c. 10. p. 302. Poſſevin. tom. 2. apparat. p. 254.

mitamur Semecam hunc plane ejus fugisſe notitiam.

Annus Chriſti 1239.

Friderici II. Reg. 25. *Imp.* 20. *Ab. V. C.* 316.

Friderici Lombardorum victor a Papa excommunicatur. *Alb. Stad. p. 308. Matth. Pariſ. ad h. ann. Trithem. Chron. Harſf. ad h. ann. Pallas. tom. 2. de geſt. Pont. p. 753. Id. in aqv. Suev. p. 338.*

HÆrebat adhuc Fridericus in Italia, omniaque ſibi adverſa felici induſtria cogebat ad officium, ipſumque Pontificem armis terrebat, quippe quem præcipue turbas has dediſſe cognoverat. Hinc ulterius progreſſus, jura, ſacrorum majoribus per injuriam extorta, repetere, Episcopatus conferre, Clericos extra orbitas vagantes ſeverius coërcere, luxum nimium legibus cohibere, tamque ſtrenue aſſerere Imperii majeſtatem, ut quivis paulo æquiores rerum æſtimatores eum divinitus miſſum laboranti Germaniæ crederent. Sed ægre ferebat Pontifex autoritatem ſuam ſenſim evileſcere, nec Clerus æquo animo ſe ad priſtinum vivendi morem traduci patiebatur, quippe qui jamdudum luxuriæ ac laxiori vitæ adſveverat. Hinc Pontifex ipſis Palmarum ſolennibus gravius, quam antea unquam indignatus, anathema in Imperatorem vibrat, eumque veluti Sacrilegii reum Imperio exuendum per Germaniam denunciat. Sed fruſtra erat Pontifex. Nullus enim erat Principum ſecularium, quin ejus execraretur audaciam, Cæſarique ſumma conſtantia adhæreret. Quid? quod & Epiſcopi complures Cæſaris cauſam tuerentur. Vnde denuo in Germania graviſſimum ſchisma exortum, quod tum rempublicam, tum eccleſiam vehementer afflixit. Vt tamen conſtet, quæ ſententia fuerit Friderici, cum de coercenda Cleri ambitione cogitaret ipſius libet adſcribere verba, quibus in epiſtola conſilium ſuum exponit: *Habemus conſcientiæ puritatem, ac per conſequens Deum nobiſcum: Cujus teſtimonium invocamus, quia ſemper fuit noſtra voluntatis intentio, Clericos cujuscunque religionis ad hoc inducere, & maxime maximos ad illum ſtatum reducere, ut tales perſeverent in fine, quales fuerant in eccleſia primitiva, apoſtolicam vitam ducentes & humilitatem dominicam imitantes. Tales namque Clerici ſolebant angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos ſuſcitare & ſanctitate non armis ſibi Principes ſubjugare; ad iſti ſeculo dediti & ebrietati, deliciis Deum poſtponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus igitur ſubtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis: ad hoc vos omnes principes una nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes modicis rebus contenti, Deo ſerviant, cui ſerviunt omnia, omnem quam poteſtis, debetis diligentiam adhibere.* *Petr. de Vin. l. 1. ep. 2. p. 89.*

Hildegardis a Mander

Goslariæ hoc anno in Cœnobio Novi Operis delituit Hildegardis de Mander, Monialis Ciſtercienſis, quæ uti nobilitate, ita & bonarum artium cognitione ultra ſexum claruit. Autor enim eſt Lezner. nerus non ſolum Latina lingua illam ſatis expedite locutam, verum etiam ſcribendi tantam facultatem eſſe aſſecutam, ut plurimis libris ſua manu pulcherrime exaratis monaſterii ſui bibliothecam auxerit. Erat tum ſeculum, cum etiam ſexus ſequior Latinæ linguæ amore caperetur. Deprehendebant enim ſenſim homines, quam ab omni ratione eſſet alienum, indoctas mulierculas adigere ad Latinos hymnos & Pſalmos canendos, e quibus ne unicam quidem ſententiam aſſequerentur: ideoque, qui paulo fortunatiores erant, etiam filias, quas ſacro vivendi generi deſtinaverant in Latinis literis erudiendas curabant, non tamen ultra quam ad intelligendum hymnum aut ſcripturæ pericopen ſatis erat. Plures ejusmodi moniales tunc floruere, qui ultra vulgum ſapuiſſe dicuntur, veluti Gertrudis *Albaxia* Iſenacenſis aliæque a Bruſchio notatæ, quas hic referre nihil opus eſt. docta Monialis Novi Op. *Lezn. c. 1) MSC. de Monaſt.*

Annus Chriſti 1240.

Friderici II. Reg. 26. *Imp.* 21. *Ab. V. C.* 317.

SUccedit annus a Chriſti natali MCCXL, Friderico diſſidia nuper in eccleſia æque ac in Italia republica obſtetricante Pontifice renata totum ferme terrarum orbem quodam veluti peſtilenti ſidere afflarunt. Nihilominus tamen tum Pontifex impugnare jura imperii, tum Imperator illa pro virili tueri perrexere. Et ille quidem, ut nullum perfidiæ genus videretur omiſiſſe, hoc anno omnes totius Latinæ eccleſiæ Epiſcopos Romam ad concilium evocabat, ratus principes eo facilius Imperatori repudium daturos, ſi eum in ſacro ſancta ſynodo diris devotum ac ab eccleſiæ communione ejectum inaudiviſſent. Quam fabam in ſe cudi animadvertens Imperator, id agebat præcipue, ne iſthoc conciliabulum procederet. Hinc omnibus occluſis itineribus, quibus Romam quis tendere poſſe videbatur, plures qui Papæ dicto fuerant audientes intercepit; alios neiter ulterius perſequerentur, abterruit, omniaque Pontificis conſilia incredibili celeritate eluſit. Excanduit adhac Pontifex, quippe qui ſummam ſpem in hoc conciliabulo poſuerat: Cum tamen jam dudum ſtatuiſſet cum animo, Friderico faſces abrogare, literis cœpit cum principibus agere, quæ coram non potuerat, ſerio edicens, ut quantocyus de novo eligendo Imperatore cogitarent. Quibus hi magnopere ſe mirari reſponderunt. Pontificem tantum ſibi arrogare, ut Cæſares jam obtrudere, jam ſibi inviſos de ſolio dejicere audeat. Se non poſſe hanc dominandi libidinem ferre diutius, quippe cum inter omnes conſtet, nihil vexat. *Alb. Stad. p. 319. Trithem. Chron. Harſf. ad h. ann. Chron. Angust. p. 374. Platina de vit. Pontif. p. 497. Onuph. Panvin. in Gregor. IX. Nigr. P. I. de eccl. Rom. l. 9.*

nihil Pontifici juris in Cæſares eſſe, niſi quod adhuc per violentiam quandam ſibi uſurparit. Solos eſſe ſeptemviros Imperii, quibus liceret Imperatorem creare, Pontificem in electionis ſocietatem non venire, ſed electum tantum more majorum diademade incingere. Si plura concupiſceret, ſe rebus ſuis conſulturos. Sic demum e diuturno ſopore excitati ſunt Principes, ut quanta appeteret Pontifex, ſentirent, quæ voluntas ſi perpetua fuiſſet, quis dubitaret, quin Pontificis tyrannis Friderici induſtria frangi demum potuiſſet ac debilitari.

Inter hæc conturbata reipublicæ tempora Saxonia noſtra ſumma tranquillitate fruebatur, eccleſiæque ac monaſteria ſollicita admodum de augendis facultatibus ſuis erant. E multis hujus rei monumentis hoc unum proferemus, quo L. præpoſitus Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ & C. Decanus, Richenbergenſi Eccleſiæ agros nonnullos vendidere, quoniam & de Monaſterio Cellæ & de Gunzelino Sacerdote Proviſore S. Sepulcri nos admonent, quorum nullam adhuc factam mentionem memini: Vendi-tio inter eccleſiá Richenb & SS. Sim. & Jud.

L* Præpoſitus C† Decanus totumque capitulum ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæi in *Goslaria*, univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, æternam in Domino ſalutem. Notum vobis facimus, quod nos dimidium manſum in villa *Stapelen* ſitum, Eccleſiæ de *Cella* annuatim dimidiam ſolventem communi conſenſu Eccleſiæ *Richenbergenſi* pro duabus marcis puri argenti vendidimus poſſidendum, quas locavimus in tertia parte cujusdam molendini prope *Dorreſeld* ſiti, Eccleſiæ de *Cella* dimidiam marcam ſolvente, quam tertiam partem dimidiam a fratribus minoribus, dimidiam a fratribus *ſancti ſepulchri* prædicta pecunia Eccleſiæ jam dictæ de Cella comparavimus, ſicut Dominus *Gunzelinus* ſacerdos proviſor Sancti Sepulchri ſigillo prædictæ Eccleſiæ eſt proteſtatus. Ad hujus rei firmitatem placuit ſigillis noſtræ Eccleſiæ Novi Operis, Montis S. Georgii præſentem literam communiri. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ MCCXL. IX. Calend. Octobris. Præſentibus *civibus de nemore*, & procurantibus *Joanne*, Collethem, *Giſelberto* & *Rodolpho*, dictis Queſt. & aliis quam pluribus.

Ludolphus Præp. Gosl. deinde Epiſc. Halberſt. *Winigk. Hiſt. Hal. Asc. Ep. 25. Hiſtoria MSC. Epiſc. Halberſt. Cranz. lib. 4. metrop. cap. 22. p. 242. Ad Nicol. Cusan. Catal. Epiſc. Halberſt. ad ann. 1248. Bruſch. c. 13. de Eccl. p. 6. n. 25. p. 181. Sagittar. Hiſt. Hal. p. 54.*

Hoc monumentum cum nonnulla contineat, quæ paulo obſcuriora videri poſſint, nolo lectorem meum ſub cultro relinquere. L* præpoſitus, qui primum tantum nominis ſui elementum ponere dignatus eſt, Ludolphus fuit, Comes Slademenſis, Senioris Ludophi Epiſcopi Halberſtadienſis e fratre nepos, ejusque in Epiſcopatu ex intervallo ſucceſſor. Ab ineunte ætate vitæ clericali deſtinatus, rudimenta doctrinæ Goslariæ poſuit in monaſterio Montis S. Georgii, in quo tunc celeberrima floruit artium Schola, quæ cum paulo poſt vitium ob temporum infelicitatem cepiſſet, a magno Hildeſienſi Epiſcopo inſtaurata eſt, ut luculentum ea de re extat diploma in Grauhoffiani monaſterii tabulariis. His cum mature prudentiæ ſpecimina dediſſet, ad Goslarienſem Præpoſituram aſpiravit, ac denique anno MCCLV. mortuo Meinhardo Halberſtadienſi Epiſcopo communi Canonicorum ſuffragio Epiſcopus creatus eſt, cui muneri cum vix triennium præfuiſſet, Alexandri Pontificis odium incurrit; a quo Simoniæ & ſacrorum nundinationis accuſatus, ſacerdotio privatus eſt anno MCCLVII licet alii eum ultro inſignia poſuiſſe malint. Nihil ferme eum geſſiſſe lego, præterquam quod hoſpitali S. Spiritus agros quosdam donaſſe fertur, eaque de re diploma vidit Joannes Draudius, cujus Schedas Halberſtadienſium rerum aſſervat Cl. Reimannus.

Reimann. Specim. hiſt. Halb. Centur. Magdeb. 13. cap. 10. p. 1094.

At majori cura hic agendum videtur de monaſterio Cellenſi quod in aliis monumentis *Monaſterium in Cellis*, *Monaſterium Celle*, *& Cœnobium montis Celle Ordinis S. Benedicti Moguntinenſis dioceſis* vocatur. Hodie illius nec vola ſupereſt nec veſtigium, nec ullus veterum ſcriptorum ejus meminit, mihique ideo permultum factum eſt negotii, antequam de illo quicquam reperirem. Multa quidem in annalibus æque ac diplomatibus occurrunt Cœnobia, hoc nomine inſignita, quod olim veluti commune omnibus monaſteriis fuit: * eorumque magnum numerum jam inierunt Bruſchius, Bucelinus & Schlegelius: Sed horum nullum ad nos ſpectat. Noſtra enim Cella ceu ex variis diplomatibus liquet, haut procul Goslaria noſtra ſita fuerit, oportet. Cum igitur diu ſatis, ubi olim extiterit, quæſiviſſem, & ex nominis ſimilitudine nonnulla conjeciſſem de oppido Hercyniæ Cellerfelti oportune incidi in Schreiberi libellum, quo metalla Hercyniæ deſcribuntur, atque alium de eadem re tractatum MSC. qui meam conjecturam egregie confirmarunt pariter & illuſtrarunt. Inde enim certo primum didici, hoc monaſterium in Hercyniæ

Digreſſio ad hiſtoriam monaſterii Cellenſis in Hercynia, plerisque ignoti.

* *vit. Paullin. part. 2. Syntag. p. 320. 527. Bruſch. Chron. Monaſt. p. 125. 128. 129. 176. Bucelin. tom. 1. Germ. S. p. 21. tom. 2. p. 160.*

tom. 3. p. 52. Schlegel. de Cella p. 5. Tenzel. biblioth. curioſ. an. 1704. p. 265 Schreib. hiſt. metall. Hercyn. cap. 3. Deſcript. MSC. Irfod. Hercyn.

niæ receſſibus eo loco olim ſtetiſſe, quo nunc Cellerfelda floret, & licet in ruinas dudum conſederit, nomen tamen reliquiſſe oppido, quemadmodum & adjacens Clausthalium a Cluſa quadam olim ibidem extracta nomen ſortita ſit. A quo conditum ſit monaſterium nondum compertum habeo. Nec deſunt tamen rationes, quæ mihi, Canonicos eccleſiæ SS. Simonis & Judæ vel certe unum eorum auctores fuiſſe, & conditores perſuadent. Qemadmodum enim ex diplomate, jam in medium prolato liquet, Capitulum laudatum non modo bonis illud monaſterium dotavit, verum etiam ſuo arbitrio illa vendidit, ſi quando id e re monaſterii eſſe videretur. Præterea eidem Capitulo integrum fuit, Conventui abbatem præficere, & quemcunque vellet eligere, Archiepiſcopo Moguntino, diœceſano præſentandum. Quæ jura unde nam ad laudatam eccleſiam pervenerint, non facile aliam reddideris rationem, quam quod ipſi Canonici iſthoc monaſterium condiderint dotaverintque. Suppetunt aliquot diplomata, nunquam adhuc edita, hiſtoriam hujus cœnobii pauciſſimis noti egregie illuſtrantia, quæ ideo his ſubnectere placet. Anno MCCXLIII. lis quædam de jure eligendi Abbatem Cellenſem enata eſt inter eccleſiam SS. Simonis & Judæ, & monaſterii Cellenſis accolas, qui in diplomatibus modo *Montani de parochia eccleſiæ quæ Cella vocatur*, modo *cives de nemore* audiunt. Defuncto enim Gerhardo abbate Capitulum eccleſiæ noſtratis novam dignitatem deſtinaverat Eilardo cuidam, quem ſibi præſentatum ſtatim ſolenni ritu confirmavit Moguntinus. At minus acquieſcent huic electioni montani cœnobium accolentes, & ipſi abbatem renunciarunt Ecbertum, monachum de Stena, boni teſtimonum virum, quem idem archiepiſcopus, immemor eorum, quæ paulo ante in gratiam Goslarienſium fecerat, non dubitavit eadem ſolennitate confirmare. Adeſt inde Ecbertus Abbas, pulſoque Eilardo curam monaſterii ſolus gerit. Capitulum dicam ſcribit montanis, cauſa diutiſſime magna contentione agitur, ſententia ultima quæ erat temporum iniquitas, diu fruſtra expectatur. Denique transacto ferme biennio montani ad frugem redeuntes ultro jure electionis, quæ violaverant, Capitulo reſtituunt, dimiſſoque Ecberto Eilardum ſuſcipiunt Abbatem. Res in congreſſu Abbatis de ſtena Præpoſitorum Novi operis, Poledenſis, Richenbergenſis, Montis, S. Georgii & Woltingerodani, nec non Henrici Comitis Woldenbergenſis & G. Imperialis aulæ dapiferi transacta harum literarum teſtimonio ſtabilita eſt:

Capitulum eccleſiæ SS. Sim. & J. abbatem eligendi aliaque jura habuit.

DEi grã Abbas de Stena. Noui operis. de Polede. de Richenberg. de monte Scī Georgii. de Waltingeroth. de Frankenberg. de Oſterroth. præpoſiti, & Capitulum Scī Petri apud Goslariam. H. Dei grã Comes de Waldenberch G. Imperialis aulæ dapifer omnibus hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus omnium. Ut ea quæ ſunt noſtris geſta temporibus inconcuſſæ ſtabilitatis robur obtineant & a naſcituræ poſteritatis memoria non excidant, authoritate firmari convenit prælatorum, ne perire poſſint per calumpniam ſucceſſorum. Ea propter notum facimus univerſis tam præſentibus quam futuris, quod cum tale jus ab anteceſſoribus noſtris didicimus Canonicis competere SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslaria, ut ipſi Abbatem in Cella inſtituerent, ipſumque Dno Archiepiſcopo Moguntino transmitterent confirmandum, ſicut aliquoties factum eſt, quod nobis certiſſime conſtat de viſis pariter & auditis Dn. Archiepiſcopus eidem per concordiam Capituli transmiſſo confirmationis beneficium non negavit. Montani de parochia eccliæ quæ Cella vocatur de facto, cum de jure non poſſent, quendam monachum de Stena boni teſtimoni virum Ecbertum nomine in abbatem elegerunt, transmittentes eum Domino Archiepiſcopo confirmandum. Dnus Archiēpc. putans eis illud jus competere, confirmavit transmiſſum, immemor illius, quod Eilardum abbatem ad præſentationem Capituli Goslarienſis confirmavit, quemadmodum bonæ memoriæ S. Archiēpc prædeceſſor ſuus ad præſentationem prædicti Capituli Goslarienſis Alexandrum Abbatem & Gerardum Abbatem ſine contradictione aliqua confirmarat. Prænominatus Ecbertus tamen aliquo tempore ſcilicet per Spatium unius anni & dimidii toleratus eſt propter malitiam temporis Cāplo Goslarienſi jus ſuum non utiliter proſequente. Præfati vero Montani Zelo Dei accenſi ſe peccaſſe fatentur, errorem ſuum corrigentes, jus eligendi abbatem ad Cellam ſæpe dicto Cāplo Goslarienſi manifeſtiſſime recognoverunt, ita quod ad eos prædictum jus minime pertineret. Hujus recognitionis teſtes ſumus & etiam antiqui juris, quod competit Cāplo Gos-

Goslarienſi de electione & inſtitutione ſicut ſuperius eſt expreſſum. Quare litterarum ſrarum & communitatis Burgenſium Goslar. munimine confirmamus. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dñi MCCXLV. II. Kl. Sept. in civitate Goslarienſi.

Sed ea lis vix multo labore tot arbitrorum compoſita interjecto tempore recruduit. Licet enim Capitulum SS. Simonis & Judæ plures ex eo tempore abbates, nemine contradicente elegiſſet, ab archiepiſcopis Moguntinis confirmatos: anno tamen MCCLXXXIIX. montani denuo ad ingenium redeuntes jura dudum ultro dimiſſa uſurpare auſi ſunt. Iterum igitur litigatum eſt, ſed eo effectu, ut victores denuo abierint eccleſiæ noſtratis canonici. Extant hujus rei teſtes tum aliæ tum Henrici Præpoſiti Richenbergenſis & Patris patrum Ordinis S. Auguſtini per Alemanniam, Theoderici Decani Montis S. Petri & Ludolphi præpoſiti Frankenbergenſis literæ, quibus Canonicos cauſam ſuam agentes adjuverunt. En illas:

NOs H. Dei grā Pptus Richenbg Pater Patrum ordinis S. Auguſtini per totam Alemanniam. Th. Decanus Montis S. Petri apud Goslariam & L. Pptus Sanctimoñ. in Frankenberch recognoſcimus & præſentibus proteſtamur, quod honorabilium virorum Prælatorum literas videlicet -- Abbatis de Ringelem --- Abbatis de Stena -- de Polede -- de Oſterrode -- de Monte S. Georgil -- Noui operis -- de Woltingerode Præpoſitorum vidimus non viciatas in aliqua parte, ſed fideliter ſigillatas ſuper jure electionis ſeu præſentationis abbatiæ *montis Cellæ* quondam inter Canonicos eccliæ SS. Symonis & Judæ in Goslaria ex una & montanos parochiæ ipſius Cellæ ex parte altera, diutina contentio extitit ventilata & ad ultimum mediante conſilio prudentum fuit amicabiliter complanata, ſecundum quod evidentiſſime patet in inſtrumentis ſuper eo editis honorabilum prælatorum & nobilium ſupra ſcriptorum. Præterea habemus in memoria, quod prædicti canonici noſtris temporibus honorabilem virum Jordanum de Velthem, adhuc viventem, qui abbatiam prædictam plusquam decem annis rexit, monachum in Huſeborch elegerunt, poſt reſignationem vero ipſius jam dicti Canonici Dn. Hermannum Monachum Scī Godehardi in Hildenſem elegerunt, item tertium Dn. Albertum nunc mortuum elegerunt, & easdem tres perſonas ſucceſſive venerabili Dno Wernero Archiepco Maguntinenſi confirmandas & honorabili viro Dno Luppoldo nunc Præpoſito Northuneñ transmiſerunt. Hujus juris & conſuetudinis teſtes ſumus & veraciter ſub ſigillis noſtris profitemur, nos hæc audiviſſe & vidiſſe & ad evidentiam pleniorem præſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine fecimus communiri. Actum Goslariæ anno Dni MCCLXXXVIII. in die S. Kiliani martiris.

Ex eo tempore quiete ſuo jure fruita eſt eccleſia SS. Simonis & Judæ. Adhuc enim anno MCCCLVII. defuncto Arnoldo de Gytere Abbate Cellenſi capitulum per compromiſſum elegit Fridericum de Bentzingerode, monachum Hujesburgenſem: Quo more ſolenni præſentato, Archiepiſcopus negotium dedit Lippoldo Decano eccleſiæ S. Alexandri Eimbecenſis & Magiſtro Theoderico Rufofficiali præpoſituræ eccleſiæ Northunenſis, ut Fridericum ſuo nomine ſolenniter in monaſterium introducerent. En binas literas huc pertinentes:

LIppoldus Decanus eccliæ Sci Alexandri Einbicen. nec non Mgr. Theodericus Ruf. Offic. ppturæ eccliæ Norhuñ. Maguntineñ dioc. Executores ad infra ſcripta a reverendo in Chriſto patre Dno Gerlaco Archiēpc. Magunt. cum clauſula quod ſi ambo intereſſe non poteritis, & cetera, deputati honorabili Viro -- præpoſito monaſterii monialium nec non Rectoribus eccliarum opidi Oſterodeñ. ceterisque plebanis & viceplebanis & clericis quibuscunq; per Northuneñ & Eimbiceñ præpoſituras conſtitutis ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem in dno. Literas præfati dni noſtri Gerlaci Archiepc Maguntineñ noveritis nos recepiſſe in hæc verba:

GErlacus Dei grā Scæ Magunt. Sedis Archiepiſcopus, ſacri imperii per Germaniam Archicancellarius dilectis nobis in Chriſto --- Decano

eccliæ Sci Alexandri Einb. nec non Mgro Theodorico Rufi Offic. p̄pturæ ecc'eſiæ Northun. ſalutem in Domino. Ad noſtram deduxerunt audientiam honorabiles viri Bertramus theſaurarius nec non Tzabellus Scolaſticus ac capitulum eccleſiæ SS. Simonis & Judæ ap̄lorum in Goslaria Hildesheim. dioc. ex parte ſua & friderici de Bentzingerode monachi monaſterii in Huyſeburg Halberſtadeñ dioc. presbyteri clerici, ab eisdem in abbatem monaſterii dicti Celle n̄ræ dioc, quod nuper vacanti eadem abbatia XVII. Kl. Aug. ex obitu piæ memoriæ quondam Arnoldi de Gytere ultimi abbatis ibidem prædictum Fridericum ſervatis de jure & merito ſervandis per viam compromiſſi in abbatem ipſius monaſterii concorditer elegerunt, propter quod prædicti eligentes una cum clerico nobis humiliter ſupplicarunt, ut eundem fridericum in abbatem confirmare ac per benedictionem ſibi impendendam infula & baculo & aliis inſignibus ſuis recipiendis & utendis noſtras vices alicui epiſcopo gratiam ſedis applicãe habenti nec non executionem officii ſui committere liberaliter dignaremur. Quia igitur noſtris & eccleſiæ noſtræ arduis negotiis multipliciter præpediti præmiſſis intercedere ad præſens non poſſumus ſeu valemus. Veſtræ diſcretioni, de qua confidentiam gerimus ſpecialem, cum clauſula, quod ſi ambo intereſſe non poteritis, quod alter veſtrum hoc negotium exequatur, committimus & mandamus, quatinus vocatis vocandis & ſervatis de jure & merito ſervandis, ſi prædictam electionem inveneritis canonicam & canonice celebratam in materia & forma, eandem confirmetis, præfatumque fridericum in abbatem dicti monaſterii in Celle præficiatis, adhibitis circa hoc ſolempnitatibus debitis & conſuetis. dantes nichilominus prælibato Friderico, poſtquam confirmatus fuit in abbatem, plenam licenciam petendi & recipiendi a quocunque ep̄o noto catholico gratiam ſedis apoſtolicæ & executionem ſui officii habente benedictionem & poteſtatem utendi infula & baculo & aliis inſignibus ſuis, ſecundum quod apud ſuos prædeceſſores conſuetum fuit & inconcuſſe hactenus obſervatum. Dat. Id. Sept. anno dni MCCCLVII.

Harum igitur authoritate literarum vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum qui requiſitus fuerit, mandamus diſtricte & ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis officiorum veſtrorum latæ ſententiæ in his ſcriptis canonica tamen monitione præmiſſa, quatenus accedatis prædicta monaſteria in Celle & SS. ap̄lorum Symonis & Judæ in Goslaria, proponentes in eisdem publicæ proclamationis edictum, ut ſi quis ſit, qui ſua crediderit intereſſe vel ſe opponere voluerit contra electionem prædictam vel ipſum clericum, compareat legitime coram nobis vel altero noſtrum in ſuperiori ambitu eccleſiæ S. Alexandri Eimbecenſ proxima die poſt inſtantem diem B. Lucæ evangeliſtæ hora tertiarum, propoſiturus ſi quid ſibi compecierit legitime proponendum. alioquin ſi in dicto termino nullus apparuerit legitimus interdictor, & nil canonicum dicto clerico obſtiterit, nos circa hujus electionis negotium & clericum memoratum quantum de re fuerit, procedemus, quos quidem diem & horam ad præmiſſa pro termino peremptorio præſentibus aſſignamus: redditis literis ſigillatis in ſignum executionis quando fueritis requiſiti pœna ſub præmiſſa. Datum anno Dni MCCCLVII. v. Non. Oct.

(Sig. Decani S. Alex. Einb.) (Sig. Offic. p̄pe Northun.) (Secr. Dec. & Capit SS Sim & Jud.)

Et ego Johannes plebanus S. Mariæ extra Muros Oſterodenſes recognoſco quod præſens mandatum cui hæc cedula eſt transfixa ſum fideliter executus in c̄ teſtimonium ſigillum meum præſentibus eſt appenſum. ão. dni MCCCLVII. VII. Id. Oct.

(L.S.)

Magna

Monaſterii Cellenſis bona eccleſiæ SS. Sim. & J. collata. *Vid. Tab. IV. fig. 9.*

Magna autem licet fuerit horum abbatum auctoritas, unde & omnia inſignia, quæ dignitati huic conveniunt non modo ab archiepiſcopis Moguntinis ſolebant recipere, verum etiam ſigillis oſtentare: dici tamen non poteſt, quantopere a tanto priorum temporum ſplendore hoc monaſterium deſciverit. Ad tantam enim inopiam demum redactum eſt, ut Eugenius Papa anno MCCCCXXX. in diplomate fateatur, *illud clauſtro & conventualitate carere, ac habere abbatem, qui apud illud longo tempore non reſederit, pront nec reſideat; imo penitus deſolatum ac derelictum ac in ſuis adificiis collapſum eſſe, nec monaſterii totius fructus redditus & proventus ſex marcharum argenti ſecundum communem extimationem valorem annuum excedere.* Quo factum eſt, ut idem pontifex reliquas monaſterii facultates, ne diriperentur penitus, ſuppreſſa dignitate abbatiali eccleſiæ SS. Simonis & Judæ conferret. Quemadmodum ipſa docet Pontificis bulla, ſuo loco proferenda. Hic finis amœniſſimi cœnobii, cujus memoriam nos primi ab interitu vindicamus. Ne vero ignores abbates, qui illi præfuerunt catalogum addimus ex his aliisque monumentis bona fide collectum:

Catalogus Abbatum Cellenſium in Hercynia.

Catalog. abbatum Cellenſium.

Lezn. Chron. Gotting. MSC. ap. Conr. Bert Behrens in Catal. præpoſit. Hild. p. 5.

Alexander Abbas Cellæ, a Capitulo eccleſiæ SS. Simonis & Judæ electus, a Sifrido II. Archiepc Moguntino confirmatus anno MCCVIII. una cum Bertholdo Hildeſienſi Præpoſito judex a pontifice deputatus in cauſa, quæ inter Bernhardum Epiſcopum Paderbornenſem & Abbatem Northeimenſem vertebatur, epiſcopo, cui præfationes deficiebant, ferri candentis tactum imperavit.

Gerardus abbas a Capitulo eodem electus a Sigefrido Moguntino confirmatus obiit anno circiter MCCXLV.

Eilardus a Capitulo Goslarienſi electus anno MCCLXV. detruditur ſtatim ab

Echerto Monacho de Stena boni teſtimonii viro a montanis Cellenſibus electo. Sed cum annum & dimidium præfuiſſet, cognita cauſa locum iterum facere coactus eſt.

Eilardo, anno MCCXLV. Hic abbas ille ipſe videtur eſſe, cui anno MCCXLIX. Innocentius Pontifex jura quædam eccleſiæ SS. Simonis & Judæ tuenda commiſit.

Jordanus a Veltheim, Monachus in Hujesbarch a Capitulo SS. Simonis & Judæ electus, confirmatus eſt a Wernero Moguntino Archiepiſcopo circa annum MCCLX. cum decennium cœnobio præfuiſſet, abbatiâ reſignavit. Vixit adhuc anno MCCLXXXVIII.

Hermannus Monachus S. Godehardi Hildesheimenſ. electus a Capitulo eccleſiæ Goslarienſis confirmatus a Wernero Archiepiſcopo circa annum MCCLXX.

Albertus abbas a Capitulo eodem electus & a Wernero Moguntino confirmatus obiit anno MCCLXXXVII.

Gheverhardus Abbas Montis Cellæ anno MCCLXXXVIII. occurrit in membranis Richenbergenſibus & eccleſiæ SS. Simonis & Judæ.

Arnoldus Abbas Cellæ, cui lis interceſſit cum præpoſito Montis S. Georgii anno MCCCXIX.

Conradus Abbas Montis Cellæ teſtis occurrit in literis Borchtorpiorum anno MCCCXXVI.

Ulricus Abbas anno MCCCXL, notus ex transactione cum monaſterio Richenbergenſi de domo quadam Goslarienſi. Hunc Schreiberus ſolum allegat, ultimumque vocat, ſed minus recte, ut ſtatim patebit. Idem Schreiberus obſervat, eum rubra cera in Sigillis eſſe uſum.

Arnoldus de Gytere electus a Capitulo eccleſiæ SS. Simonis & Judæ in literis anno MCCCXLVI. natali S. Martini exaratis ſe vocat: Van der gnade Godes we Arnold Abbet van der Celle. Obiit anno MCCCLVII. XVII. Kalend. Auguſti.

Fridericus de Bentzingerode, Monachus Huysburgenſis, presbyter clericus, electus in abbatem a Capitulo eccleſiæ SS. Simonis & Judæ anno MCCCLVII. confirmatus a Gerlaco Moguntino Archiepiſcopo ac introductus a Lippoldo Decano S. Alexandri Eimbeccenſis & Theoderico Officiali præpoſituræ eccleſiæ Northunenſis menſe Octobri.

* Sequentes abbates, qui poſt Fridericum ad annum usque MCCCCXXXI. quo cœnobium penitus diſſipatum eſt inopi ac miſero conventui præfuerunt, nondum ſe mihi obtulerunt, forte quod plerique ob imminentes ædificiorum ruinas remque anguſtam domi alibi potius quam Cellæ conſederunt, parumque geſſerunt poſterorum dignum memoria.

Annus Chriſti 1241. & 1242.

Friderici II. Reg. 27. 28. *Imp.* 22. 23. *Ab. V. C.* 318. 319.

OMnia vergere jam videbantur in Pontificis perniciem. Fridericus enim Imperator veluti fortunam ſub ſua teneret poteſtate, totam, quam late patet Italiam victoriis illuſtrabat; Conradus vero Rex, qui abſente patre interea Germanis præerat, tanta prudentia reprimendis Pontificis artibus & Epiſcoporum conſiliis

Fridericio. Ob. Stad. p. 314. Martin. Pol. p. 377.

Cranz. l. 8 c. 10. Sax. p. 208. Chron. August. p. 374. Chron. Elvvang. p. 456. Paral. Abb. Vrsp. p. 329. Jo. Vitod. uran. p. 7.

filiis dabat operam, ut nemo auderet pacem Imperatoris causæ obesse. Pacata omnia in Germania inprimis Saxonia nostra; quam Otto Brunsvicensis & Luneburgensis dux quietam præstabat: nec tamen parum metus incussit Tartarorum audacia, qui ruptis subito finibus, e cubilibus suis se proripientes, Poloniam, Hungariam vicinasque provincias vagis catervis diripiebant, mira in victos crudelitate sævientes. Quod vel ideo duxi notandum, ut intelligatur clausura in diplomatibus nostratibus hoc anno datis frequens: *Datum anno MCCXLI. Tartaris Christianitatem impugnantibus inhumaniter.* Inter hæc decessit Gregorius Pontifex, infensissimus Fridericihostis, a cujus morte diutissime Roma Pontifice caruit. Cum enim metueret Fridericus, ne se inconsulto quenquam crearent Cardinales, denuo omnibus occlusis itineribus plerosque aditu urbis prohibuit, non paucis captis, pluribusque in diversa regna dilapsis. Goslariæ nihil his annis reperio gestum, nisi quod mihi constat Giselbertum adhuc advocatiæ præfuisse, quippe qui testis hoc anno in literis Gandersheimensibus occurrit. Sed fatendum est ingenue, paulo parcius Goslariensium rerum hoc seculo apud historicos fieri mentionem, adeo, ut nisi diplomata nos adjuvarent, parum quidem de rebus domesticis possemus referre. Contigit tamen hoc circiter tempore montis Ramelini ruina, hodienum vestigiis nonnullis notabilis, quæ multo luctu urbem nostram implevit. Tot enim homines mons iste dehiscens obtrivit, ut quadringentæ ferme uxores uno die maritis se viderentorbatas. Qua de re G. Agricola: *Cum quondam Goslaria Ramesbergum desedisset, ruinis tot homines sunt oppressi, ut uno die circiter quadringentas fœminas viris orbatas esse annales loquantur.* Quamvis Schreibero & doctissimo Meibomio fatalis hæc ruina multo post contigisse videatur. Quod nec ipse quidem negaverim cum sequentibus annis monasterium Isenhagense e decimæ Goslariensis proventibus potissimum conditum fuisse constet.

Montis Rameli ni ruina. *G. Agric. l. 6. de re metall. Meib. de metall. Harc. n. 56. Schreiber. hist. metall. Hercyn. c. 4.*

Annus Christi 1243.
Friderici II. Reg. 29. Imp. 24.
Ab. V. C. 320.

Innocentius Pontif. pace promissa deludit Imp. *Petr. de Vin. l. 1. ep. 21. p. 154. Alb. Stad. p. 314. Matth. Pariss. ad h. ann.*

HOc demum anno Cardinales nonnulli sæpius a Friderico moniti de eligendo Pontifice serio cogitare cœperunt. Obtigit ergo hic honor Senibaldo, qui Innocentii deinde nomen usurpavit. Hic quamvis antequam sacerdotium hoc obiret Imperatori esset amicissimus, tamen simulac nova dignitate se vidit auctum, tam sui dissimilis esse cœpit, ut ipse Fridericus vertumnum miraretur. Et primo quidem mitiora præ se ferens pacem Friderico offerebat, sed iis legibus quæ Imperatori juris sui servantissimo non poterant esse ad palatum. Veruntamen ne sua culpa diutius videretur ecclesia turbari: accepit Imperator conditionem & de pace tractari inter se & Pontificem jussit. Quid? quod dies dictus, quo uterque, tum Fridericus, tunc Innocentius convenirent. Nec mora in Imperatore fuit, qui diutissime Papam frustra expectabat, id agentem unice, ut oblata pace Imperatorem Romæ imminentem submoveret, arreptaq; deinde occasione eo facilius de eo triumpharet. Hinc totus hic annus pacis consiliis frustra agitatis præterlapsus est. Miramur ergo Pontificios scriptores tanto odio in sapientissimum Imperatorem flagrantes, ut omnes, quibus tunc jactatum Imperium est turbas, illius tantum culpæ tribuant quasi Pontifices ea gaudiant prærogativa, ut si vel ima summis misceant, non possint a quoquam in ordinem cogi. An ergo ferendum erat Friderico, Papas se absente Apuliam occupare, Lombardos sollicitare, ipsum filium in parentis perniciem armare? Omitto insidias, quas Imperatori struxere, prætereo importunam defendendi rationem, qua crucem contra Fridericum, tanquam hæreticum aut infidelem prædicabant. Taceo excommunicationis fulmina contra illum præpostero judicandi ordine vibrata: quæ si inulta reliquisset Fridericus, non est dubium, quin brevi tempore toto excidisset imperio.

Pallat. tom. 3. de gest. Pont. p. 3. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 82. p. 513.

Vivis per hæc tempora adhuc Interat Agnes Henrici Palatini vidua, cui alimenta assignata erant ex metallorum Goslariensium decimis, super Ottoni Brunsvicensi ab Imperatore concessis. Hæc sicuti plurimis extruendis monasteriis sumtus impenderat, ita animo quoque concepit Cisterciensibus monachis ex decimis his concedere domicilium. Non putabat ex alio cœnobio se rectius coloniam novellam esse petituram, quam ex Riddagshusano, cujus tunc maxima erat ob disciplinæ integritatem celebritas. Hinc evocato ad se Abbati Arnoldo multis verbis consilium exposuit, vehementerque rogavit, ut novi extruendi monasterii curam in se susciperet, se abunde suppeditaturam impensas, tanto operi necessarias. Cui Abbas autor fuit, ut Isenhagam potissimum novo domicilio eligeret, sibi enim ob gratam solitudinem & amœnum secessum nullum aptiorem locum videri. Annuit Palatina, totamque villam una cum aliis nonnullis adjacentibus suo ære ab Ottone Brunsvicensi redemit, quam Arnoldus, ut erat vir prudentissimus pulcherrimo templo aliisq; splendidissimis ædificiis ornavit, coloniæque XII. Monachorum e suo monasterio deductæ dedit inhabitandam, præposito iis Dethmaro, Abbate, sibiq; reservato jure inspiciendi visitandique collegium, quoties id e re esse videretur. Sed en Ottonis Ducis Brunsvicensis literas, quibus hujus fundationis illustratur historia e Meibomii elegantissima dissertatione de Metallis Hartzicis petitas:

Monasterium Isenhagense e metallis Goslar. conditum. *Meibom. tom. 3. p. 355 Bunt. part. 1. p. 111 Lezn. l. 2. Hildes. MSC. Chron. c. 42. Meibom. de metall. Harz. §. 55. Rem. p. 105. Chron. Hildes.*

Nos

Os OTTo. Dux de Brunsvic. tenore præsentium protestamur, quod cum dilecta nobis vidua (*Agnesa scilicet*) felicis memoriæ Palatini (*Henrici*) patrui nostri pro DECIMA IN GOSLARIA concordavimus in hunc modum. Dabimus dictæ Dominæ *mille & centum marcas puri argenti*, quarum octingentis persolutis, & in festo Michaëlis centum & quindecim marcas solvere debemus: pro summa, quæ supra est, dedimus proprietatem nostram Isenhagen, cum omni ejus utilitate & pertinentiis, ita, ut si quis de proprietate illa aliquid impetat, ab omni impetitore a festo Johannis infra annum debeamus totaliter expedire. Si vero partem aliquam proprietatis ejusdem expedire infra dictum terminum non possemus, super eo secundum Abbatis de Riddagshusen (*Arnoldi*) consilium faciemus. Vt autem summam prædictarum centum quindecim marcarum persolvamus festo Michaelis proxime nunc venturo, ut etiam proprietatem Isenhagen ad datum nobis terminum ab impetitore quolibet absolvamus, ipsi nos promisimus, fide data & nobiscum duodeni de nostris Ministerialibus promiserunt, si non fuerit, quod promisimus, observatum, Brunsuic intrent, inde non exituri, nisi in Dominæ sæpe dictæ & Abbatis de Riddagshusen fuerit voluntate. Nomina eorum, qui nobiscum promiserunt, hæc sunt. *Ecbertus* de Asseborg, *Anno* de Heimborg, *Jusarius* Pincerna *Anno* Dapifer, *Heino* de Wenethen, *Fridericus* de Esbeke, *Jusarius* de Harlingsberge, *Borchardus* de Wolfenbutle, *Baldewinus* de Blanckenborg, *Geverhardus* & *Ludolfus* de Bortfelde, *Bertramus* de Veltem. Qui autem promissum receperunt, hi sunt: Dn. *Bernardus* de Dorstad, *Conradus* filius suus, *Luthardus* de Meinersen, nobiles, *Nicolaus* Aries, *Conradus* de Stathen, *Eilwardus* de Luneborg milites. Cum autem dilectos soceros nostros, Illustrem Ducem Saxoniæ, & Dnn. Marchiones de Brandenborg poterimus attingere, illis similiter promittemus. Datum Brunsvic anno Incarnationis Domini M. CC. XLIII. III. Non. Junii.

Nec minus huc facit alterum Principis diploma eodem die datum, quod eidem laudatissimo debemus Meibomio:

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Dei gratia *Otto* Dux de Brunsvic omnibus in perpetuum. Quia vergentis in senium seculi corruptelam non solum sapiunt elementa, sed creaturarum dignissima ad imaginem condita Creatoris, ut si fuerit in potentatibus octoginta amplius sit labor & dolor, ad falsam impiorum assertionem tollendam, acta digna memoriæ scriptis publicis & authenticis roborantur. Ea propter notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris, quod cum sanctæ devotionis Domina Agnes, vidua quondam Palatini bonæ memoriæ, Henrici, Patrui nostri, nobis PHEODO NOSTRO DECIMAM MONTANAM IN GOSLARIA sibi AD TEMPORA VITÆ SVÆ DEPVTATAM, delibera voluntate pro quadam summa pecuniæ cederet, eidem viduæ dedimus proprietatem nostram in Isenhagen ad extruendam domum Monachorum Cisterciensis Ordinis, per manum Abbatis de Riddagshusen, (Arnoldi) & fratrum ejusdem loci, & in ea justam & perpetuam warandiam præstabimus, tam in decimis, cum voluntate Episcoporum & Ecclesiarum, ad quas pertinent, quam villis & curiis, quarum nomina sunt hæc: Windersbutle, Glussinge, Danhorst, Rikenhagen, Wenedorpe, Oyessem, Isenbeke, cum molendinis, molendinum prope Danhorst cum omnibus attinentiis suis, utilitate, si qua nunc est, vel in futurum haberi poterit, & diterminationibus hactenus habitis, tam in pascuis quam pratis, paludibus, nemoribus sylvis & aquis, libera ab omni servitio, judicio, angariis & parangariis, prout suas possessiones consuerunt liberas possidere, secundum privilegia Romanorum Pontificum Ordini indulta, cum plantare & plantatam fovere sacram religionem modis omnibus debeamus. Vt autem dicta dona-

tio de voluntate & aſſenſu heredum noſtrorum facta ſtabilis in perpetuum permaneat, præſentem paginam ſigilli noſtri appenſione & teſtium inſcriptione roboravimus. Teſtes ſunt *Luthardus* de *Meimerſen*, *Berwardus* & *Conradus* de *Dorſtad*, *Anno* de *Heimborg*, *Balduinus* de *Blankenborg*, *Fridericus* de *Esbeke*, *Ecbertus* & *Borchardus* de *Wolfenbutle*, *Anno Dapifer*, *Heino* de *Wenethen*, *Ludolfus* & *Gevehardus* de *Bortfelde*.

Acta ſunt hæc anno gratiæ MCCXLIII. Indict. III. Non. Junii. Data per manum *Henrici* Notarii noſtri, Canonici S. Blaſii in Brunſvic.

Sic ergo e montis Ramelini divitiis hoc ipſo anno enatum eſt monaſterium Ilſenhagenſe, licet non admodum felix, quippe haut multo poſt terali incendio abſumtum, & Marienrodam traductum, qua de re diploma integrum ſuo loco apparebit.

Anni Chriſti 1244. 1245.

Friderici II. Reg. 30. 31. *Imper.* 25, 26.

Ab. V. C. 321. 322.

Pontifex in Galliam ſe ſubducens Concilium Lugdunenſe indicit. *Matth. Paris. ad h. ann. Alb. Stad. p. 314. Pallat. de geſt. Pont. tom. 3 p.*

PRoximo anno Fridericus adhuc fruſtra Caſtellis expectabat Pontificem, pacis pollicitationibus delinitus: Verum cum jam confectum negotium plerisque videretur, hic rebus ſuis diffiſus clam urbe egreſſus Genuamque profectus eſt, ac inde conſcenſa navi in Gallia Lugduni appulit. Cur fuga ſe in Galliam ſubtraxerit, non poteſt eſſe obſcurum, quippe cum neminem labentis autoritatis pontificiæ molem ſtabilire facilius poſſe exiſtimaret, quam Regem Galliæ, jamtum Friderico infenſum. Deinde & arma Imperatoris obſtabant, quo minus concilium univerſi Cleri Romam poſſet convocare. Hinc facilius in Galliam ſe Epiſcopos illecturum ſperabat, quibus cum ſi liceret colloqui confectum credebat negotium. Nec fefellit eum ſententia. Vix enim in Galliam appulerat, cum ſtatim obviam ei progrederetur Ludovicus Rex, liberaliter opem ſuam ſtudiumque pollicitus. Hinc literis per univerſum terrarum orbem miſſis, Epiſcopis & univerſo Clero, cauſas expoſuit, cur ſtatuto die Caſtellis non adfuerit, Imperatorem enim id egiſſe, ut vinculis eum conſtringeret, præcepit ergo, ut in ſequentem annum Lugduni frequentes adeſſent, quid facto opus eſſet, in medium conſulerent. Nec ſegnius rerum ſuarum ſatagebat Imperator, qui veritus, ne proceres Imperii in factiones diſtraherentur, illis per literas ſe purgabat, Auſtriæ ducem Archiducis titulo ornabat, civitates privilegiis demulcebat, omnemque dabat operam, ut principes, quos jam fluctuare videbat, in officio contineret.

Friderici Imperat. in Concilio.

Simul ac conſtitutum Synodo tempus aderat, frequentes Lugduni Galliarum convenere Cardinales, Epiſcopi, Abbates ex omni ferme Europa accerſiti. Pauciores tamen e Germania illuc auſi ſunt progredi, veriti ſcilicet, ne Fridericus Imperator id ægre ferret. Multæ equidem concilii convocati cauſæ prætexebantur, Tartarorum irruptio, Sarracenorum in Oriente felices ſucceſſus, & Cleri prolapſa in deterius diſciplina. Sed diſſimulari tamen vix poterat, Friderici Imperatoris cauſa omnia hæc fieri, quippe quem Pontifex, opibus diutiusque ferocior redditus (*) Hildebrandi revocans audaciam, ut coram cauſam diceret, evocaverat. Dici non poteſt, quanta crimina optimo Imperatori objecta! Hunc ſacrorum jura violaſſe, hunc cœnobia & monaſteria diripuiſſe, Epiſcoporum libertatem & privilegia imminuiſſe clamabant. Et ne quid deeſſet mendaciis, ipſum a Chriſtiano ritu ad Sarracenorum deliria peſtilentiſſimasque hæreſes defeciſſe ferebant. Denique eum omnem pietatis ſenſum amiſiſſe & palam Deum abjuraſſe, ipſumque Chriſtum (horreſco referens) impoſtorem maximum vocaſſe, criminabantur. Operæ fuerit pretium cum cura hic fontem tanti convitii indagare, & vindicare religioſiſſimum principem, in quem certatim calamum ſtringunt adverſarii. Primus ei hoc impium apophtegma, quantum ſcio, tribuit Chronici Auguſtenſis Auctor, quem Henricum Steronem eſſe ſuſpicatur Marquardus Freherus, qui de hoc Friderico ita refert: *Praterea iniquitatem in excelſo locutus eſt, ponens in cœlum os ſuum. Dixit enim audiente Landgravio Henrico: Tres ſeduxerunt totum mundum, Moyſes Hebræos, Jeſus Chriſtianos, & Machmet Sarracenos: Quamobrem ſi principes inſtitutionibus meis aſſentirent, ego multo meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinarem.* Iisdem pene verbis uſus eſt Joannes Vitoduranus, ut non ſit dubium quin Auguſtanum Chronicon exſcripſerit. Sed & vetus compilatio Chronologica & hiſtoria Laedgraviorum Thuringiæ apud Piſtorium eandem recoquunt crambem, quam deinde e recentioribus Johannes Crawſs, Lipſius, Conzenius alique tanquam indubiam veritatem amplectuntur, tantum ſordente apud vulgum pio Imperatore, ut jam pejor Herode & Juda, vel Nerone conferetur, palamque

Lugdunenſia theiſmi poſtulatus.

An fuerit Atheus.

Chron. Auguſt. p. 374. Vito Dudum, p. 16. Chron. Compil. Chronol. ap. Piſtor. ad ann. 1249. p. 742. Hiſt. Landgr. Thur. c. 58 p. 926. Joann. Cravvs. vit. Imp. ap. Mad. p. 99. ant. Brunſv.

(*) *Auctor compil. Chron. ap. Piſt. p. 742. Iſte Innocentius IV. inter omnes Apoſtolicos a S. Petro I. Papa ditior fuit [ut fertur] & opulentior in pecunia & theſauris.*

lamque diceretur *illa beſtia plena nominibus blaſphemiæ, pardique varietatibus circumſcripta.* Sed injuriam fieri optimo Imperatori exiſtimo. Omnes enim, qui hæc referunt paulo antiquiores in eo tanquam ex compacto conſentiunt, actorem Papam, teſtem Henricum Landgravium & quidem ſolum fuiſſe. Quis vero ignorat, quam parum æqui in Fridericum ambo fuerint? Eſt ita natura comparatum, ut non gravius ſe homines vindicare injurias poſſe exiſtiment, quam ſi de fama hoſtis ac æſtimatione detrahant. Inprimis potentioribus id uſu venire animadvertimus, quorum vitæ ſtruere inſidias paulo difficilius eſt. Horum ergo famam labefactare annititur invidia, quam cum vita pari paſſu ambulare conſtat, canum ille mos eſt, ut, quos morſu laniare nequeunt, latratu terreant. Hoc cum quotidie in vita contingere videmus, tum iis præcipue in negotiis, quæ religionem ſpectant. Diuturno enim rerum uſu comprobatum eſt, non poſſe facilius adverſarios debellari, quam ſi hæreticorum aut atheorum nomine ſordere cœpiſſent. Hinc enim vulgi odia, hinc diffidentia amicorum, hinc turpiſſima neceſſariorum diſſidia, quibus rebus vehementius, quam armis, aut ulla conglobata hoſtium vi, principum fortunæ affligi viſæ ſunt. Eadem ergo fabula cum Friderico acta eſt. Omnia tentaverant Pontifices, quo inviſum ſibi Imperatorem & priſtinæ diſciplinæ vindicem a ſolio deturbarent, blandimentis eum fuerant aggreſſi, excommunicationis fulmen vibraverant, armis ejus provincias invaſerant, Longobardiam armaverant in ejus perniciem denique & Germanorum animos literis, nunciis, indulgentiis ſollicitarant. Sed quibusvis adverſæ fortunæ telis petitus Imperator, virtute ſemper & conſtantia ſe communiebat, tantaque animi fortitudine labentis Imperii ſuſtinebat molem, ut facile animadverterent Romani ſtamines, ſibi magis quam Friderico ſe cladem intuliſſe. Hinc ad ultimam demum prolapſi inſaniam hæreſeos non tantum verum etiam atheiſmi illum ſuſpectum hominibus fredere auſi ſunt, quam inculpationem, ſi in vulgus manaſſet, non dubitabant magnum habituram momentum, inprimis cum rem Henrici IV. tempore ad votum pontificum ſucceſſiſſe meminiſſent, quem pari audacia neſcio cujus Henricianæ hæreſeos parentem fingebant ſacrificuli. Sed quis quæſo ſibi perſuadeat, adeo peſtilenti impietate animum Friderici fuiſſe occupatum, nec unquam animi ſententiam aut ore protuliſſe, aut literis prodidiſſe? *Ego ſane* inquit Pandulphus Collenutius, *multas Friderici epiſtolas, quæ extant vidi atq; legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Chriſtiani orbis Principes privatasque etiam perſonas exaratas: Sed nihil in eis deprehendi contra fidei noſtræ regulam, nihil hæreticum nihil deniq;, quod aliquam eccleſiæ oppreſſionem, aut contumaciam redoleat: Sunt quidem in iis multæ querelæ, lamentationes, admonitiones de avaritia & ambitione ſacerdotum, de Pontificis pertinacia, qui ſuas excuſationes & Imperii defenſionem audire nolit, deque inſidiis, quæ ſibi ſtruerentur, &c.* Et quidni ipſum audiamus Fridericum, qui egregia ad univerſos prælatos ſcripta epiſtola ſe adverſus Pontificis calumnias defendit: *Inſernit*, inquit, *falſus Chriſti vicarius fabulis ſuis, vos Chriſtianæ fidei religionem recte non colere, ac dixiſſe, tribus ſeductoribus mundum eſſe deceptum, quod abſit de noſtris labiis proceſſiſſe. Cum manifeſte confiteamur, unicum Dei filium coæternum & coæqualem Patri ac Sancto Spiritui, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ab initio & ante ſecula genitum: proceſſu temporis miſſum in terris in ſubſidium generationis humanæ, non de potentia ordinata, ſed de potentia ordinante: qui eſt de glorioſa virgine matre natus, paſſus poſtmodum & mortuus ſecundum carnem, & alteram naturam, quam aſſumſit in utero matris: Virtute Deitatis a morte poſt triduum ſurrexiſſe: Mahometi vero corpus in aere pendere didicimus, obſeſſum damonibus; animam inferni cruciatibus deditam, cujus opera tenebroſa fuerunt, & contra legem excelſi. Moſen vero amicum Dei & familiarem, vera docente pagina, fuiſſe tenemus; In monte Synai cum ipſo tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit: per quem ſigna & mirabilia fecit in Ægypto & Hebraico populo, lex tradita declarat ipſum poſtmodum vocatum ad gloriam cum electis.* *Petr. de Vin. lib. 1. ep. 31. p. 208*

Omitto nunc alia veterum ſcriptorum teſtimonia, quibus magnopere Friderici pietas collaudatur, quorum bonam partem jam collegit Cl. Struvius in politiſſima de Doctis Impoſtoribus diſſertatione. Quidenim opus eſt verbis, ubi res ipſa loquitur? Omnes qui paulo acutius vident, id obſervabunt, Principes qui armis Pontificis cauſam tutati ſunt, *Magnos*, qui Clero in rebus omnibus morem geſſere, *Pios & Sanctos*, qui vero Imperii jura ſtrenue aſſeruerunt, ſi male rem gererent, *ſtultos* & *audaces*, ſin vero benigniore fortuna uterentur, *impios*, *tyrannos* atque *hæreticos* fuiſſe appellatos. Tam ſeracia cognominum tunc ſecula currebant. Ne tamen quidquam diſſimulemus, non poſſumus ire inficias, Fridericum in pluribus fidei capitibus a Pontifice & communi doctrina diſceſſiſſe. Ita transſubſtantiationis dogmati, quod nuper e Lateranenſi concilio prodierat, nunquam adſtipulatus eſt, ſed cum graviſſima indignatione vidit, panem tanquam Deum adorandum hominibus proponi. Hinc cum in ſolenni pompa coronatus procederet, & miſſæ ſacrificio intereſſet, rogatus ab infideli quondam Principe, ecquid manibus elevarent ſacerdotes, quod tanta veneratione plebs proſequeretur, reſpondit, *fabulari ſacrificulos Deum hoc eſſe.* Cui Soldanus: *Mirari ſe, ait, poſt tanti tem-* *Struv. diſſert. de doct. Impoſtor. § 15 p. 26. ſq.*

Johann. Vitoduran. p. 11, 12.

Collenut. lib. 4. hiſt. Neap. p. 158.

poris decurſum Deum Chriſtianorum non abſumtum, cum quotidie a Sacerdotibus in miſſa manducaretur. Sic & alio tempore, cum per fruges cum exercitu tranſiret, ad ſuos converſus: *Heu*, inquit, *quot dii nobis ex hoc frumento ſuo tempore conficientur!* Sed & aquas conſecratas, quas in templorum aditu exponere ſolebant, dicitur riſiſſe, quod verbis ſatis invidioſis refert Vitoduranus. Verum ſi haſce ceremonias & hypotheſes cum ſuperſtitione aliqua conjunctas, nec ſcripturæ teſtimonio innixas, rejecit, certe non atheus, non hæreticus, ſed purioris doctrinæ ſectator & vindex dicendus eſt. Sed addunt alii, non poſſe ejus impietatem in dubium vocari, cum ipſe morti jam proximus peccatorum ſuorum ingentes morſus perſenſerit, multaque cum dolore ac lacrymis eorum remiſſionem expetiverit, jam vero manifeſto, ubi eſſet pœnitentia, ibi & peccata præſupponi. Sed hic vel maxime quærendum eſt, quidnam doluerit? Non ſane atheiſmum, hujus enim nunquam reum ſe profeſſus eſt, nec quisquam auctorum veterum id illum doluiſſe in vicinia mortis conſtitutum, auctor eſt: Schatenius id quidem ex Petri de Vineis epiſtola aliqua probare nititur. Sed alia omnia dicit Petrus de Vineis, aut potius ipſe Imperator, cujus verba ex iſta epiſtola ſupra attulimus. Adde quod ne ille quidem hoc memoriæ prodere potuerit, cum haut paulo ante, quã obiret Fridericus, fato miſerabili periiſſet. Guilielmus Podius, qui hujus pœnitentiæ præ ceteris meminit, Imperatem *morti proximum ſuorum errorum tantopere pœnituiſſe*, ait, *ut vetuerit ſibi poſt obitum exequias cum ea pompa celebrari, quæ Imperatoribus in uſu eſſe conſueverit.* Agnovit itaque Fridericus ſe reum, non tamen eorum criminum, quæ ei objiciebantur, ſed aliorum, a quibus nemo hominum immunis eſt. Potius ergo ex hac inſigni ejus reſipiſcentia colligas, Fridericum minime Deum abnegaſſe. Quis enim ignorat, atheos, ubi vitæ limen attingant, exquiſitiſſimos plerumque perſentiſcere animi cruciatus, nec admittere ullum ſolatii levamen, ſed deſperabundos plane ac in furorem actos infelicem animam eructare? Abſit ergo ut Imperatorem optimum & de republica Chriſtiana meritiſſimum cum ejus inimicis in profanorum & atheorum numerum referamus!

Schaten. l. 11. p. 74. ann. Paderb. tom. 2. Petr. de Vin. l. 1. ep. 31. p. 203. ſq.

Licet ergo res ita ſe habuerit, ac ipſe Deus juſtiſſimus in duorum aut trium teſtium ore omne negotium voluerit conſiſtere: Pontifex tamen unius Landgravii, clientis ſui, teſtimonio innixus, non dubitavit in ſolenni tot Patrum conſeſſu Imperatorem condemnare veluti *de hæreſi non dubiis & levibus, ſed difficilibus & evidentibus argumentis ſuſpectum.* * Confirmata eand. epiſt. anteceſſorum decreta, quibus diris fuerat devotus. Imperium communi patrum ſuffragio ei abrogatum, ſubditi ab obſequii religione ſoluti, permiſſumque iis, ad quos munus hoc pertinebat, ut rejecto ac repudiato Friderico novum eligerent Germaniæ Regem. Atque adeo Imperator, nullius teſtimonio convictus, Epiſcoporum exterorum ſuffragio, abſens imperio exuitur a Papa, cui id minime erat integrum. Acceſſerant etiam ad concilium Petrus de Vineis, Tadæus Sveſſianus & Ordinis Teutonici Magiſter ab Imperatore miſſi, qui Patrum decreto intercederent, & ſi quid Imperatoris intereſſet, curarent: quorum opera plures in Fridericum facti ſunt procliviores. Sed ſtabat ſententia Pontifici, neque ille eo adduci potuit, ut feralem execrationis formulam ſupprimeret. Cetera, quæ in hoc concilio acta ſunt, vix merentur recenſeri, omnia de ſeculi infelicitate teſtantur. De hominibus cruce ſignandis, Græcis eradicandis eorumque Imperio ad Latinos transferendo de Tartaris denique debilitandis & firmando papatu, omnes actorum pagellæ loquuntur, nec ſatis unquam deplorari poteſt, ſpiritui ſancto hæc decreta tribui, quæ non niſi factiones & odia ſpirant.

Concilii Lugdunenſis decreta, * *Vid. de creſal. lib. 6. tit. 14. c. 2. conf. & eand. epiſt. Innoc. plen. a Schardio Petro de Vin. pra. miſſam. p. 58. Ab. Stad. p. 315. ſq. Mart. Polon. p. 377. Matth. Pariſ. ad h. ann. Trithem. Chron. Hirſ. ad h. ann. Concil. tom. 11. part. 1. p. 633. ſq.*

Goslariæ hoc anno eccleſia inprimis SS. Petri & Pauli mutationem ſubiit. Quippe jus parochiale, quod adhuc ad parochianos ſpectaverat, ab iisdem tunc conventui Francomontano dono datum eſt. Extant ea de re tabulæ ad Conradum Hildeſienſem Epiſcopum directæ, quas e Chronici Cœnobii Montis Francorum Autore ut repetam, vel eccleſiæ hujus cariſſimæ dulce nomen me movet, cui ego, dum hæc ſcribo bono cum Deo ſeptem annos docendo pro virili inſervivi.

Eccleſiæ SS. Petri & Pauli jus parochiale Francomontano cœnobio datur. *Chronic. Mont. Franc. p. 16.*

VEnerabili Domino ſuo CONRADO Hildenſemenſis eccleſiæ Epiſcopo Y. miles in *Goslaria*, S. & R. milites, S. R. B. & J. & G. Burgenſes *S. Petri* in Franckenberch parochiani, & alii quam plures ſuæ poſſibilitatis in omnibus obſequium. Bene recognoſcimus, quod eccleſiam noſtram quondam a Domino *Ambroſio* felicis memoriæ nobis reſignatam ſororibus pœnitentibus compaſſi pietatis viſceribus ordini B. Mar. Magd. donavimus dati donatione, nullo in eadem parochia reclamante, quia Rodolfus, qui tunc erat dicti ordinis præpoſitus, ad manus ordinis recepit, & Domino *Ambroſio*, qui plebanus fuerat, contulit cuſtodiendam, tali conditione, ut poſt mortem ſuam unum ſacerdotem eligeremus de gremio ordinis in plebanum, eis promiſimus, & promiſſum in ele-

electione domini *Petri*, qui frater eſt & fuit ordinis, effectui debito mancipavimus. Verum, dominus DEUS eſt laudandus, divino flamine inflammati, cum præſens nequam ſit ſeculum & pronum in malum, veſtram rogamus ſanctitatem, quatenus intuitu DEI bona fide & fideli diligentia tam pium factum coram vobis inchoatum, & nuper etiam terminatum, veſtra auctoritate dignemini confirmare, quod nullus impoſterum pietatis illuſor valeat irritare. Quia comune ſigillum non habemus, præſentem literam ſigillo domini *Volcmari* ſolius aſſignavimus.

Henr. Com. Aſcan. eccleſiæ SS. Sim. & Judæ de illatis injuriis ſatisfacit

At eccleſia SS. Simonis & Judæ magnum adhuc a Comitibus Aſcaniæ rerum ſuarum detrimentum tulerat, id quod tamen deinde adeo doluit Henricus Comes, ut duobus manſis & centum marcis Halberſtadienſis valoris culpam expiare non dubitaret. En ejus diploma:

IN nomine individuæ Trinitatis Amen. H. Dei gratia junior *Comes Aſcharie* omnibus hanc paginam inſpecturis. Pro offenſa & dampnis eccleſiæ Gosl. per nos & noſtros illatis talis compoſitio intercesſit, quod duos manſos de proprietate noſtra, qui primo nobis vacaverint in proprietatem eccleſiæ conferemus, & hoc frater noſter *Bernardus* una nobiscum promittet, cum fuerit requiſitus. Præterea c. m. *Halberſtadenſis argenti & ponderis* in eo valore quo nunc eſt eccleſiæ perſolvemus, ita, quod a feſto S. Jacobi proxime venturo ad annum XXXIIj. m. & inſequenti anno XXXIIj. m. & in tertio anno eodem feſto XXXIIIj. perſolvamus. Decano autem in proxime feſto B. Mauritii VI. tal. Magdeburgenſis monetæ. Inſequenti feſto proximi anni V. & in tertio anno VI. perſolventur. Quod nos una cum Comite *Gevehardo de Wernigerod* & Ar. Dapifero noſtro & *Buone* de Aschersleve in manus Comitis prædicti de Wernigerod & *Walteri* de Arneſten & *Bertrami* de Hoygem & *Burchardi* de Lengede & *Siffridi* de Mensleve & *Hermanni* de Oſterod militum fide data promiſimus perſolvendum, *vel Aschariam intraturos nec ante ſolutionem exituros.* Proteſtamur etiam nos de cetero nec per nos, nec per noſtros jam dictam eccleſiam & ipſius perſonas in conſimilibus aliquatenus gravaturos, & ubicunque neceſſarios nos habebunt & requiſiverint, in agendis negotiis ſuis, & juribus promoturos. Acta ſunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ M°CC°XLV° in die *Arnolfi Confeſſoris* in prato apud *Quedelingeburg* XV. Kl. Aug.

Anni Chriſti 1246. 1247.

Friderici II. Reg. 32. 33. *Imp.* 27. 28. *Ab. V. C.* 323. 324.

Henrico Thuringiæ Landgrav. Romanorum Rex creatur. *Alb. Stadens. p.* 316. *Chron. Auguſt. p.* 374. *Hiſt. Landgrav. Thur. c.* 52. *p.* 927. *Append. ad Mart. Polon. p.* 377.

JActa ſuperiore anno alea, ſtatim inſecutæ ſunt turbæ, quibus imperium in extremam ferme perniciem adductum eſt. Nemo erat principum ſecularium, quin injuriam optimo Imperatori factam agnoſceret, & Pontificis impotentem audaciam deteſtatetur. E contrario Præſules Germaniæ, Pontifici paulo addictiores, manibus pedibusque obnixe omnia faciebant, ut Innocentii voluntati ſatisfieret, & Fridericus Imperio exueretur. Properabat in Germaniam Conradus Rex, fluctuantes procerum animos firmaturus, ſed prohibere non potuit, quo minus Sifridus Moguntinenſis, Conradus Colonienſis, & Arnoldus Treverenſis Archiepiſcopi, cum quibusdam ſuffraganeis ſuis, Friderico mitterent repudium, deque alio eligendo cogitarent. Conſentientibus itaque horum ſuffragiis itum eſt in Henricum, Thuringiæ Landgravium; a quo paulo ante Fridericum atheiſmi poſtulatum diximus, virum, ſi absque omni partium ſtudio judicium feras, fortem quidem, ac ſapientem, ſed nimis in Pontificis cauſam proclivem, qui jamtum, ejecta Eliſabetha, fratris conjuge, turpem ſibi notam inuſſerat. Hic quamvis nec potentia, nec opibus cum Friderico eſſet comparandus, atque ob eam rem oblatam coronam rejiceret, prælagiens veluti animo, nequicquam ſe imminentem ſibi Fridericum ſuſtenturum: tamen obluctanti animum adjecit Pontifex, ſubſidia quævis pollicitus, & ſubmiſſis viginti quinque argenti marcarum millibus, locupletiorem eum reddens, denique, ut eum eo negligentiorem vitæ faceret, edicto jubens, ut ſi quid ei accideret humanitus, quivis vota pro ejus beatitudine ſuſcipiat, bienniique indulgentiarum præmium recipiat. Ceſſit itaque demum Pontificis illecebris, & diadema admiſit, digniſſimus Imperio, niſi Fridericus imperaſſet. Electus eſt Herbipoli, licet alii id Francofurti, aut Wormatiæ factum contendant. Deinde pro firmando Imperio ſuo ſolen-

Sifridus l. 2. ad ann. 1246. p. 696. Cranz. l. 8. metr. c. 13. & 15. p. 208. ſq. Sagittar. diſſert. ſing. de Henr. Paulin. annal. Iſenac. p. 43. ſq. Guden. hiſt. Erphord. p. 54.

nem conventum Francofurti indixit, quem ut præveniret Conradus, cum armata manu agrum Francofurtenſem inſedit. Sed nec ſegnior Henricus cum cruce ſignatorum exercitu adfuit, & collatis ſignis tanta victoria potitus eſt, ut Conradus profugus multos ſuorum amitteret, & ægre vitæ periculum effugeret. Ut adeo mirum ſit, Cranzium eccleſiæ Romanæ plerumque addictiſſimum, victoriam Conrado tribuere. Fugientem tamen Conradum ſuſcepit Otto Bavarus, cujus auxilio brevi vires recepit, accepta etiam in matrimonium ejus filia, ex quibus nuptiis prodiit Conradinus, infelicisſimus Princeps, in cujus caput demum capitale Guelphorum odium excidio Hohenſtauffiæ ſtirpis vindicatum eſt.

Cranz. l 8 Sax. c.14. p.211. & l.8. metr. c.13.p.208.

Heinrici Regis obitus.

Inter has communes Germaniæ clades Saxonia noſtra tranquilla admodum egit, nec eo potuit adduci, ut a Friderico deſciſceret, id quod magnum rebus Friderici firmamentum fuit. Ipſe interea Fridericus in Italia hærens ignominiam ſibi illatam, multarum provinciarum excidio ultus eſt, adeoque Pontificis ſectatores oppreſſit, ut ipſum Pontificem doluiſſe ferant, de exauctoratione Friderici unquam fuiſſe cogitatum. Paulo infelicius fatum in Germania Conradus experiebatur, quem Henricus Landgravius, reportata nuper victoria, in ipſa Suevia premebat. Sed ſaluti tamen ipſi fuit nonnullarum civitatum fides, quæ impetum Henrici magna virtute ſuſtinuerant, ne ulterius progrederetur. Reutlinga enim invito Marte tentata, cum Vlmam quoque obſidione cingeret, accepto vulnere ſignū receptui dare & in Thuringiam redire coactus eſt, ubi accedente poſtea dyſenteria Wartburgi diem obiit ſupremum, ut Sagittarius, Paulini aliique paulo juſtiores ſcriptores referunt, licet vulgo e vulnere ſtatim in caſtris extinctus, aut equo lapſus fauces fregiſſe feratur.

Sagittar. diſſ. cit. Paulin. loc. cit.

Sublato Henrico ipſum quoque Friderici odium e Principum animis ſublatum videri poterat, niſi Innocentius Papa denuo proceres adverſus Imperatorem ſollicitaſſet. Nam ſimul ac de Henrici Thuringi obitu Romæ eſt cognitum, miſſus ſtatim in Germaniam Petrus Caputius Cardinalis, qui Principes ad novum eligendum Regem inflammaret, & Henricum inprimis ducem Brabantiæ commendaret electorum ordini. Nemo enim videbatur ruentis Imperii molem adverſus Fridericum facilius poſſe ſuſtinere, quam Brabantiæ Dux, opibus, fœderibus, armis, prudentia florentiſſimus, multisq; illuſtriſſimis affinitatibus per Germaniam notus. Verum Dux veluti præſagiens animo, in quos turbarum fluctus ſe eſſet daturus præcipitem, ſi ad Imperii gubernacula ſe admoveri pateretur, noluit ſe ipſum hiſce fortunæ ludibriis exponere, ſed rejecto diademate Wilhelmum obtulit Hollandiæ Comitem, ſuum ex ſorore nepotem, juvenem præclaræ indolis, quæ non niſi adoreas & triumphos polliceri videbatur. Hunc igitur plerique Imperii Principes lætabundi ſuſcepere, & Woringam ad comitia confluentes ſolenni ritu Regem Romanorum ſalutarunt, ſed & coronandi illius cauſa ſtatim Aquisgranum petiiſſent, niſi hæc civitas fidei ſervantior & Friderici cauſæ conſtanter favens, Wilhelmum ejus æmulum rejeciſſet. Unde ſolennitate in proximum annum delata, Aquisgranenſes a Pontificis legato diris devoventur, bellumque iis ineunte vere inferendum conſentientibus ſuffragiis decernitur.

Wilhelmus Hollandiæ Comes Rex deligitur. Chron. Auguſtenſ. p. 375. Alb. Stad. p. 317. Chron. Magn. Belg. ad h. ann. Paralip. ad Abb. Vrſp. p. 330.

Eccleſiæ Richenbergenſis incrementa.

Inter hæc eccleſia Richenbergenſis a Sultenſi prope Hildeſiam monaſterio bona quædam in Bredenem ſita emit, quam venditionem tum Hermannus Sultæ Præpoſitus, tum ipſe Epiſcopus Conradus literis ſuis teſtantur, quas adſcribo:

HERMANNUS Dei gratia Præpoſitus *Sultæ* totusque ejusdem loci conventus univerſis hoc ſcriptum inſpecturis ſalutem in Domino Jeſu. Quoniam ea, quæ aguntur in tempore, cum tempore labuntur, ideo neceſſe eſt, ut ſcriptis & ſigillorum munimine perennentur. Notum ergo volumus eſſe omnibus hoc ſcriptum inſpecturis, quod nos unanimi conſenſu, Capituli noſtri bona *in Bredenem* Eccleſiæ *Richenbergenſi* pro ducentis & decem talentis ſex manſos videlicet vendidimus & decimam villæ ejusdem jure perpetuo poſſidenda, & ut rata ſint hæc, & nullus ea infirmare præſumat, præſentem paginam ſigillo noſtro duximus roborandum.

Conradus quoque Hildeſienſis Epiſcopus Divinam nemeſin & diras ſuas minatur ei, qui in hæc bona juris nonnihil habere ſe mentiatur:

CONRADUS Dei gratia Hildenſem in Eccleſia Epiſcopus omnibus has literas inſpecturis ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod Præpoſitus & Conventus de *Sulta* apud Hildeſium Decimam in *Bredenem*, & ſex manſos in eadem villa cum omni jure & utilitate Præpoſito & Conventui de *Reichenberg*

bergh pro ducentis & decem talentis Hildenſemen. denariorum vendiderunt, quæ ſiquidem pro bonis liberis reliquerunt eisdem, & expeditis, nec alicui Advocatiam, ſive aliud jus, ſive ſervitutem in prædictis bonis recognoverunt, & hoc coram nobis & Capitulo noſtro ſunt publice proteſtati, unde eadem bona in pacem & protectionem noſtram recepimus, ut ſi quis eis pro prædictis bonis temerariam moverit quæſtionem, omnipotentis Dei & noſtram excommunicationem ſe noverit incurriſſe. Hujus autem proteſtationis ſunt teſtes *Reinoldus* noſter major Præpoſitus, *Conradus* Montis Præpoſitus, *Hugo* Sanctæ Crucis Præpoſitus, *Lodovicus* Decanus, Præpoſitus *Albertus*, *Meynardus* Scholaſticus, Præpoſitus *Ludolphus*, Richardus Decanus Stæ. Crucis, *Gerhardus* de Hora & alii quam plures. Actum in Capitulo noſtro, anno gratiæ Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto. Pontificatus noſtri anno viceſimo quinto.

Conrad' Hild.Ep. munere ſe abdicat. *Reutel. Chron. Hild.p.95. Chron. Ep. Hild. MSC. c. 30. Bruſch. c.11.de Ep. & Archiep. n. 29. p.1049.*

Atque hæc quidem Conradus Hildeſienſis Epiſcopus, qui proximo ſtatim anno MCCXLVII. ſignum receptui dedit, ſeque ex tot reipublicæ fluctibus in monaſterium Dominicanorum Hildeſienſe, tanquam in portum quendam ſubduxit. Non ignorabat ſenex miſeram hanc rerum humanarum faciem & procellas, quibus eccleſia tot annis jactaretur, nec evitare ſe poſſe videbat, quo minus aut Pontificis, aut Imperatoris odium incurreret. Conſtituit ergo a munere ſuo ſeſe abdicare, & vitæ ſuæ ultimum veluti actum in otio tranſigere, ſibique demum ac animæ ſuæ vivere. Sed hoc ejus conſilium novæ turbæ in Hildeſienſi eccleſia coortæ disjecerunt, quibus ut ſeſe ſubtraheret, in Schœnavienſe ad Heidelbergam cœnobium ſeceſſit, ubi, circumacto triennio, diem obiit ſupremum. Extat etiam hujus Conradi diploma anno Id. Maji Francobergenſi Monaſterio conceſſum, unde colligere licebit, graviter eos hallucinari, qui Conradum jam anno MCCXLV. Sacerdotium depoſuiſſe exiſtimant.

Henricus Hild.Ep. creatur.

Succeſſorem habuit Henricum, Præpoſitum Hagiopolitanum, virum præſtantiſſimum, & virtutibus nulli ſecundum. Licet vero plurimorum ſuffragiis eſſet electus: non deerant tamen e Canonicorum ordine, qui Hermannum Præpoſitum S. Cyriaci Brunſvicenſem opponerent, cui ſtatim tantus equitum ac Cleri numerus adhæſit, ut præter Winzenburgenſem arcem nihil ferme Henricus haberet reliquum. Aperto Marte cum æmulo contendere, nec vires Henrici, nec Epiſcopatus conditio ferebant, ad mitiora itaque conſilia converſus Pontificem Lugduni convenit, arbitrumque impetrat Henricum Argentinenſem Archiepiſcopum, qui re maturius deliberata, pro Henrico pronunciavit, & Hermannum nec quicquam Pontificis opem implorantem loco cedere juſſit.

Innocentius Pontifex eccleſiæ SS. Sim. & J. ſingulare privilegium conceſſit.

Sed & eccleſia SS. Simonis & Judæ beneficum hoc anno ſenſit Pontificem Innocentium. Cum enim mos iſte perverſus in eccleſiis inoleviſſet, ut, qui beneficio aliquo eccleſiaſtico ornari cuperet, ſiſtaticas Pontificis literas ære ſibi redimeret, quibus eccleſiæ ad recipiendum candidatum cogerentur: Innocentius Præpoſiti Halberſtadienſis rogatu eccleſiæ noſtræ de ſingulari iſto privilegio proſpexit, ut nullis Pontificum literis ad receptionem alicujus invita poſſet adigi, niſi diſertis verbis privilegii hujus mentio in Pontificis bulla fieret. Ipſum diploma Innocentii ita ſe habet:

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo Eccleſiæ *SS.* Apoſtolorum *Symonis* & *Judæ* in *Goslaria* Hild. Dioc. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Veſtræ meritis devotionis inducimur, ut vos ſpeciali gratia proſequamur. Hinc eſt, quod nos intuitu meritorum hujusmodi & obtentu dilecti filii N. *Præpoſiti Halberſtadenſis* ſubdiaconi & Capellani noſtri, *Concanonici veſtri*, vobis autoritate præſentium indulgemus, ut per literas noſtras ad receptionem vel proviſionem alicujus cogi de cætero non poſſitis, niſi plenam de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri & Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. *Lugdun.* XVI. Kalend. Decembr. Pontificatus noſtri anno V.

Herman nus Anhaltinus Canonicus Goslarienſis. *Meibom. p. 262 tom. 3. rer. Germ. Sagitt. hiſt. Princ Anhalt. c. 2. n. 23. p. 21.*

Privilegium hoc eo libentius huc transſcripſimus, quod illuſtris cujusdam Canonici nobis indicium facit. Præpoſitus enim Halberſtadienſis, qui ſimul Capellani Pontificii, nec non Canonici Goslarienſis honore functus dicitur, tunc fuit *Hermannus* Anhaltinus qui Joanni Semecæ anno MCCXLVI. ſucceſſit & Sagittario teſte anno MCCLXXXVI. diem obiit ſupremum. Plura de eo licet me nondum fatear reperiſſe, vel hoc tamen non vilum eſt prætereundum, quod ex Anhaltina quoque illuſtriſſima proſapia eccleſiæ hæc Canonicum habuerit.

Anni Chriſti 1248. 1249.

Friderici II. Reg. 34. 35. *Imp.* 29. 30.
Wilhelmi Reg. 2. 3.
Ab. V. C. 325. 326.

Frideric. Imp. Parmam obſidione cingit. *Collenut. hiſt. Neapol. ap. Schard. Epiſt. Petr. de Vin. p. 41. Petr. de Vin. l. 2. ep. 41. p. 328. ſq. Annal. Colmar. p. 7. ap. Urſtiſ. Monach. Paduan. Coron. l. 2. p. 592.*

INter hæc Fridericus, cui repudium Germani nuper miſerant, Italis perdu-ellibus imminebat, id agens præcipue, ut victricibus armis ſuis ſtabilem perpetuamque pacem per Imperium firmaret. Hujus rei cauſa ſuperiore anno iter in Franciam ſuſcipere & cum Pontifice in gratiam redire decreverat, jamque impedimenta ejus per Allobragum regiones antecеſſerant, cum nova tempeſtas eum a pacis conſiliis ſubinde revocaret. Brixinenſes enim, Placentini & cæteræ civitates, quæ ſub Legati Pontificii ſignis adverſus Cæſarem ſtipendia merebantur, collecto repente agmine, Parmam aggrediuntur, intercipiunt, præſidiis firmant, ſed & Imperii Prætorem, Henricum Teſtam, ne quid perfidiæ, aut crudelitatis omitterent, vehementer excruciatum necant. Facile perſpexit ſagaciſſimus Princeps, quo res ſpectaret, quid rebelles molirentur, cujusque conſilio res geſta ſit. Nec poterat non prævidere, multum detrimenti paſſuram rempublicam, ſi abſentia ſua inimicis peccandi licentiam concederet. Quapropter mutato profectionis conſilio, & impedimentis revocatis, ſexaginta millium exercitu ſtipatus, feſtinato itin re Parmam movet, urbemque explicatis caſtris obſidione incingit. Nihil his territi Parmenſes acriter urbem propugnant, omnesque machinas, omnes cuniculos & vineas incredibili pertinacia contemnunt, adeo, ut integro anno fruſtra obſidio ferveret. Imperator quoque non ignorans, fama bellum ſtare, & parva ſæpe momenta in ſpem metumque impellere animos, certo ſtatuerat, non niſi expugnata urbe ſe receſſurum, ne ſi receptui ſignum daret, fugam capeſſere crederetur. Hinc, conſilio ex arena capto, novum excogitavit victoriæ genus: nolle pugnare: & mora hoſtes fatigaturus e regione civitatis aliam temporariam urbem cui Victoriæ nomen auſpicato fecit, e ligno & luto brevi temporis ſpatio condidit, ex qua adeo obſeſſos afflixit, ut pene fame perirent. Sed victis jam prope & animam veluti agentibus deſperatio demum novum conſilium extorſit. Cum enim jam fere per biennium e Victoria vicinia eſſent obſeſſi, nec ulla ſpes civibus amplius eſſet reliqua: per ſpeculatores demum Imperatorem animi cauſa ad aucupium abiiſſe, & abſente illo paulo incautius excubias agi cognoverunt. Hinc facta ſubito eruptione, caſtra Cæſaris aggrediuntur: magnaque crudelitate in victos ſæviunt. Victoria eodem impetu capta ac incendio deleta, carocium Cremonenſium poſt diuturnam pugnam interceptum & in contumeliam totius civitatis aſinis in urbem avectum. Diadema Cæſaris abreptum; ipſe denique Imperator qui cognito ſuorum periculo advolaverat vix ſedecim equitum præſidio ſtipatus occulta fuga ægre in vicum S. Domini ſe ſubduxit. Hinc peragrata Lombardia, cum leſe exercitu tam valido orbatum minus tutum inter hoſtes fore animadverteret, per Thuſciam in Apuliam ſeceſſit.

Wilhelmus capta Aquisgrano diademate redimitur. *Chron. magn. Belg. ad h. ann. Alb. Stad. p. 318. Matth. Pariſ. ad h. ann.*

Verum eo infeliciora ſubinde in Germania noſtra contingerunt. Plerisq; enim ad Wilhelmum Hollandum delapſis, omnes illæ civitates vi & armis adverſariorum erant expoſitæ, quæ conſtantius Friderico fidem ſervabant. In his Aquisgranenſes, quos ſuperiore anno Wilhelmum Regnum rejeciſſe diximus. Hos cum neque excommunicationis fulmen, neque minæ Principum terrerent: armis demum in ordinem cogendos Wilhelmus credidit. Subito aderant cruce ſignatæ copiæ. Eo enim res ceciderat, ut ſacra militia non contra hoſtes amplius Chriſtiani nominis, ſed contra Chriſtianos, & Imperatori ſuo fideles educeretur. His ſe jungebant & aliæ, quas in ſubſidium Principes miſerant, quarum adventu ducenta armatorum millia completæ ferun-tur. Nihilominus tamen Aquisgranenſes contra fortunam ſpei inſiſtentes conglobatæ hujus multitudinis vim incredibili fortitudine ſuſtinebant: nec manus victi dediſſent, niſi diuturnæ famis imperioſa neceſſitas poſt ſex menſes ad deditionem eos coegiſſet. Hinc; Wilhelmus victor urbem ingreſſus, iplis Calendis Novembris diademate regio inſignitus proceſſit, tanquam legitimum Imperium Caroli magni inſignibus probaturus.

Cum itaque Wilhelmus Rex Belgas, Teſtes Saxones & plerosque Rheni accolas in veritatis partes ſuas pertraheret, Conradus Rex in Suevia adverſariorum invidia oppreſſus inter *Alb. Stad. p. 318.* Bavaros tanquam exul ſe continebat, niſi *Paralip. ad Abb.* quod ſoceri Ottonis Bavari auxilio factioſorum ſubinde agros vaſtaret, & Svevis *Urſp. p. 330.* præcipue ac Palatinis civitatibus fidis adhuc & ſuæ cauſæ addictis uteretur. Non deerant tamen, qui impotentem Pontificis dominandi libidinem perоſi,

peroſi, inter has ipſas turbas divinæ veritatis quendam veluti radium ſentirent, Pontificemque nihil in eccleſiam univerſalem juris habere, palam docerent: Epiſcoporum, prælatorum & Monachorum Simoniam & perverſa dogmata acerrime notarent, & pro Friderico Imperatore atque Conrado Rege, quos legitimos dominos Deus Romanorum Imperio præfeciſſet, orandum crederent. Hoc hæreſeos genus, quod peſtilentiſſimum vocare ſolent pontificii, Halæ Suevorum initio enatum, dici non poteſt quanto pavore Orthodoxos concuſſerit, inprimis cum Conradus illud foveret. Dominicanis tamen monachis aliisque Doctoribus contra illos homines emiſſis, ſtatim permittente Deo oppreſſi, conticuere, forte quod vitioſa iſta tempora tam præclaram veritatem minus ferre poſſe Deus ſapientiſſimus prævidiſſet.

Inter haſce publicas Germaniæ calamitates eccleſia SS. Simonis & Judæ apud nos præclare efloruit. Cum enim Wilhelmus Rex nuper ſalutatus omnes ferme Saxones in ſuas partes pellexiſſet, & in his Goslariam quoque noſtram fidam admodum & ſui ſtudioſam animadverteret: non omiſit oblatis privilegiis & beneficiis noſtram inprimis civitatem demereri. Eccleſiis præcipue noſtratibus uberrima privilegia partim conceſſit ipſe, partim a Pontifice impetravit, ut ipſe Innocentius in literis ſuis profitetur. Id juris nuper eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Canonicis indulſerat Pontifex, ut nec ipſis quidem Pontificum literis ad elargienda beneficia eccleſiaſtica poſſent compelli. Quod privilegium cum inſequente ſtatim anno à nonnullis in dubium vocaretur, rogatu Wilhelmi Regis, quem *athletam univerſalis eccleſiæ* vocat, novas has literas Lugduno ad Abbatem Cellenſem remiſit,

Eccleſia SS Simonis & Judæ novis ſubinde privilegiis augetur.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilecto filio Abbati de *Cella* Moguntinæ Dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri *Wilhelmi Regis Rom. illuſtris* fuit propoſitum coram nobis, quod quamvis olim univerſis *capellis ſuis* generaliter de gratia duxerimus indulgendum, ut nullus auctoritate apoſtolicæ ſedis vel legatorum ejus ad penſiones aliquas vel eccleſiaſtica beneficia ſine conſenſu ejusdem Regis poſſet in hujusmodi capellas admitti, nihilominus tamen quidam mandatum Apoſtolicum ſuper aliquorum proviſionibus ſe recepiſſe dicentes, contra indulgentiæ prædictæ tenorem præſumunt in eccleſia *Goslarienſi* Hildenſ. Dioc. *quæ una de hujusmodi capellis exiſtit*, providere quibusdam, in contradictores ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias fulminando, ſuper quo dictus Rex a nobis petiit provideri. Cum igitur honorem ipſius Regis, quem tanquam *athletam univerſalis eccleſiæ*, quadam prærogativa ſpecialis dilectionis amplectimur, conſervare in his & in aliis, quantum cum Deo poſſumus, intendamus, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus quicquid in derogationem ipſius indulgentiæ factum eſt ſeu fieri contigerit, per quoscunque decernens autoritate noſtra irritum & inane prædictam eccleſiam *Goslarienſem* non permittas contra tenorem hujusmodi noſtræ conceſſionis ab aliquibus indebite moleſtari. Moleſtatores hujusmodi per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Dat. *Lugduni* Id. Septembr. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Ejusdem exempli literas inſequente menſe etiam ad Decanum & Scholaſticum eccleſiæ S. Mariæ Halberſtadienſis dedit, diſerte edicens, ut ſi quis huic privilegio ſe parum morigerum præſtitiſſet, eum cenſura eccleſiaſtica, omni provocatione inſuper habita, in ordinem redigeret. Sed longe majoris momenti privilegium ejusdem Wilhelmi monitu hoc ipſo menſe eccleſiæ huic conceſſit Innocentius, in quo præclara lege cautum eſt, ne quisquam, aut Epiſcopus, aut Legatus Apoſtolicus interdicti, aut anathematis ſententiam adverſus Canonicos ferre audeat: id quod ſeculo hoc infelici, ex leviſſimis ſæpe cauſis ad hæc fulmina proclivi magnopere & utile fuit & neceſſarium. En vero ipſas Pontificis tabulas:

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo Sanctorum Apoſtolorum *Symonis & Judæ* in Goslaria Hildenſ. Dioc. Salutem & apoſtolicam benedictionem. Devotionis veſtræ quam ad nos & Romanam eccleſiam habere noſcimini, meretur affectus, ut petitionibus veſtris quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos cariſſimi in Chriſto filii noſtri *Wilhelmi Regis Romanorum illuſtris, cujus eccleſia veſtra capella ſpecialis exiſtit,*

exiſtit, ac veſtris devotis ſupplicationibus inclinati auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut nullus delegatus, vel ſubdelegatus ab eo executore, ſeu etiam conſervatore, ſedis apoſtolicæ auctoritate, vel legatorum ipſius, poſſit in vos interdicti ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententias promulgare absque ſpeciali mandato noſtro, faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni III. Kal. Octobr. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Denique ne hoc quoque privilegium ſenſim evileſceret, Abbati Cellenſi denuo id negotii dedit, ut ſi quis hac in re ſibi dicto audiens eſſe nollet, eum cenſura eccleſiaſtica notaret. Quam Pontificis bullam, ne quid de Cellenſi monaſterio cujus memoria etiam dudum evanuit, prætermiſiſſe videamur, integram hic inferimus:

INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilecto filio Abbati de *Cella* Moguntin. Dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Devotionis dilectorum filiorum Decani & Capituli eccleſiæ ſanctorum Apoſtolorum *Symonis* & *Judæ* in *Goslaria* Hildenſ. Dioc. quam ad nos & Romanam Eccleſiam habere noſcuntur meretur affectus, ut petitionibus eorum quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos carisſimi in Chriſto filii noſtri *Wilhelmi Regis Romanorum illuſtris cujus eccleſia eorum capella ſpecialis exiſtit*, ac ſuis devotis ſupplicationibus inclinati auctoritate apoſtolica ſibi duximus indulgendum, ut nullus delegatus vel ſubdelegatus ab eo executore, ſeu etiam conſervatore auctoritate Sedis apoſtolicæ vel legatorum ipſius poſſet in eos interdicti ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententias promulgare absque ſpeciali mandato noſtro, faciente plenam de ipſa indulgentia mentionem. Quod circa diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus non permittas ipſos ſuper his contra concesſionis noſtræ tenorem ab aliquibus indebite moleſtari. Moleſtatores hujusmodi per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Dat. *Lugduni*. III. Kal. Octobr. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Anni Chriſti 1250. 1251.
Friderici II. Reg. & Imp. ult.
Wilhelmi Reg. 4. 5.
Ab. V. C. 327. 328.

Friderici Imperatoris obitus. *Chron. Auguſt. p. 376. Alb. Stad p. 319. Martin. Pol. p. 377. Math. Pariſ. ad h. ann. Cranz. l. 8 Sax. c. 18. p. 214. Paralip. Abb. Vrſp. p. 331. Collen. l. c.*

ADeſt ſubinde fatalis annus, qui Germaniæ fortiſſimum Imperatorem, eccleſiæ præclarum defenſorem, & caſtigatorem Pontificiæ ambitionis longe acerrimum morte ſatis intempeſtiva ſuſtulit, Fridericum puta ſecundum Imperatorem, qui tot adverſæ fortunæ telis petitus, toties a Pontificibus exagitatus, tot deniq; æmulos & hoſtes expertus non niſi cum vita jura ſua tuendi animum depoſuit, & ſemper fortuna ſua major omnes adverſariorum inſidias incredibili prudentia eluſit. De obitu ejus in quæ ſententiarum divortia ſcriptores diſceſſerint, quivis vel mediocriter in veterum monumentis verſatus non ignorabit. Nec mirandum, cum vita ejus adverſariis tam inviſa fuerit, mortem quoque non minori audacia calumniis fuiſſe proſciſſam. Sunt qui a Manfredo Spurio immiſſa in os culcitra præfocatum exiſtimant. Alii veneno propinato extinctum referunt, alii, aſſumto monachi habitu, & impetrata in extremis abſolutione, morte ſua obiiſſe malunt, id quoq; adjicientes, cum edita facinorum ſuorum confeſſione non obſcuris indiciis prodidiſſe, quanta animi ægritudine priſtinæ malitiæ ſuæ meminerit. Denique nec defuerunt olim, qui eum vivum, neſcio quo, abreptum, interjecto tempore ad deſtruenda monaſteria & clerum in ordinem cogendum rediturum, vana perſuaſione dementati, crederent, novis ſubinde fabulis ad firmandam anilem opinionem excogitatis. Si Collenutio credimus exuviæ ejus ſumma pompa in Siciliam avectæ & monte regali Panormo imminente honorificentiſſime terræ ſunt mandatæ, hoc præfixo titulo, quem ab Aretino quodam Sacerdote non invita Minerva factum exiſtimat. *Joan. Vit. Duran. p. 14. ſq. Tenzel. dial. menſtr. anno 1698. p. 120. ſqq. & ann. 1698. p. 719. ſqq.*

SI PROBITAS, SENSUS, VIRTUTIS GRATIA, CENSUS,
NOBILITAS ORTI, POSSENT OBSISTERE MORTI,
NON FORET EXTINCTUS FRIDERICUS, QUI IACET INTUS.

Hoc

Hoc pacto scena excessit Fridericus, in quo natura efficere quid possit videtur experta. Majori forte plausu res ab illo gestæ exciperentur, si illi extremum actum perpolire, hoc est, inclinatam Cleri disciplinam instaurare per properantia fata licuisset. Nihil sane ardentioribus votis eum flagitasse, quam ut ecclesia Christi Pontificis artibus oppressa, ac a sua puritate nimium dilapsa, ad pristinam faciem sua opera revocaretur: vel solæ Petri de Vineis epistolæ declarant, qui cum omnibus rebus a Friderico gestis non interfuerit, sed præfuerit; omnium accuratissime memoriæ illas prodere potuit, vel ideo ceteris præferendus, quod libros suos omni mendacii suspicione carere volens novum scribendi genus excogitavit, & ipsa publica monumenta bona fide ad posteros ttansmisit, dignus certe, qui quamplurimos consilii sui sectatores haberet.

Conradi Regis reliqua fata. *Chron. August. p. 376. Paralip. Urst. p. 333 Avent. l. 7 ann. Boj. f. 517. Naucler. gen. 42. f. 833.*

Extincto Friderico causa simul & odium in Conradum filium translata sunt, quem Pontifex omni nisu opprimere ausus est, ut abrupta Hohenstauffiorum stirpe Transalpinas provincias eo securius depopularetur. Hinc non literis tantum per orbem terrarum emissis, Wilhelmum pro Rom. Rege habendum edixit; verum etiam Hugonem Cardinalem eo consilio in Germaniam delegavit, ut Conradum excommunicatum denunciaret, Principes Wilhelmo conciliaret, denique emissis religiosis gentes ad crucem suscipiendam inflammaret. Conradus equidem ad tuenda jura sua erectus, lustratis Rheni provinciis, nihil egit sollicitius, quam ut Principes oblatis beneficiis in fide sua contineret. Sed ultimum ei vulnus hoc ipso anno Wilhelmus infixit, qui contracto exercitu ejus copias ad Oppenheimum, tanto prælio fudit, ut profugus omni ferme spe imperandi abjecta in Italiam ad obeundas patrii regni provincias discederet. Quas intestinis æque ac externis malis propemodum oppressas ipse tanta virtute vindicavit, ut Neapoli muris nudata, & seditiosis partim obtritis, partim supplicio affectis ad parentis potentiam videretur adspirare. Sed huic Conradi fortunæ interjecto triennio mors repentina intercessit, eo luctuosior, quod solus supereesset Conradinus, annis & rerum usu destitutus, atque ideo a Carolo Andegavensi, quem Pontifex illi æmulum exciverat, facile oppressus & supplicio capitis affectus. Quorum Hohenstauffiorum familia in tantum dignitatis culmen continuatis trophæis evecta exaruit, perpetuo lugenda jactura, nisi Austriorum fundatissima domus a tot seculis Svevorum virtutes longo intervallo esset supergressa, & adhuc subinde novis nec incertis salutis publicæ auguriis spes & gaudia patriæ cumulatissime confirmaret.

Wilhelmus Brunsvicensis nuptias celebrat. *Alb. Stad. p. 319. Cranz. l. 8 Sax. c. 19. p. 214. Bunting. Chron. Brunsv. part. 1. p. 211. sq.*

Wilhelmus itaque Batavus sublato rivali principumque senatu suffragante cuncta Regis nomine sub Imperium accepit, sive quod Proceres Imperii diuturnis malis fessi, jam ipsi pacis essent amantiores, sive quod Wilhelmus antecessorum exemplo deterritus, paulo mitius imperaret. Inprimis vicinia nostra his annis festis plausibus obstrepuit, reddito nobis Rege, cujus præsentiam tanto temporis intervallo frustra expetiverat. Scilicet nihil erat Wilhelmo antiquius, quam novam dignitatem, novis quoque fœderibus firmare. Nullus tunc in Germania Princeps togæ & belli artibus, potentiaq; æque florebat ac Otto Brunsvicensis, qui unus omnia sapientissime temperabat, quæ ex Henrici Leonis avitis ditionibus erant reliqua. Nec poterat non Wilhelmi multum interesse, ut tam potentem principem quam amicissimum haberet. Quapropter affinitatem illius expetivit ardentius, ratus eam sibi ad majora nitenti robori & firmamento futuram. Signatæ tabulæ, Elisabetha Wilhelmo desponsa. Nuptiis dies dictus Januarii vigesimus quintus, sincerisque ac devotis gratulationibus exceptus. Verum cum jam nimia lætitia omnibus soporem imperasset, arx Danquerodana correpta inauspicato incendio tota in bustum consedit, adeo ut diadema regium & bini sartores consuendis vestibus vacantes flammis absumerentur, Wilhelmus vero a sponsa per scalarum anfractus abductus vix præsentissimum periculum evitaret. Adeo nihil est in rebus humanis tam perfectum, ut non fortunæ casus pertimescat.

Hugo de S. Caro Cardin. Francoberg. indulgentias largitur. *Siffr. prab p. 696. Panvin. de Pontif. R. in Innoc. IV. Chron. Cœnob. Francomont. p. 25.*

Ad retinendos in fide Principes eodem anno Saxoniam intraverat Hugo de Sancto Caro tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis, Legatus apostolicus, qui peragrata vicinia nostra, multisque monumentis ubique relictis Hildesiæ quoque II. Non. Martii se continuit, atque ibi Francobergensis cœnobii sororibus indulgentias luculentas est elargitus, quadraginta dierum absolutionem iis impertitus, qui largitione sua novellæ coloniæ subvenissent. Suppetit & aliud ex hoc anno diploma, venditionem quandam Capituli S. Blasii Brunsvicensis confirmans, quod cum Prælatorum nostratium nomina quædam nos doceat, suaque brevitate se commendet, integrum adscribemus:

NOs Dei gratia Decanus totumq; Capitulum *S. Blasii in Brunsvvick* omnibus hanc literam inspecturis salutem in Domino. Quoniã ea, quæ gerimus in tempore labuntur cum tempore, oportet illa linguis testium, & testimonio literarum confirmari. Notum igitur volumus esse tam

tam præsentibus, quam futuris, quod nos communi consensu totius Capituli decimam in *Astvelde* Ecclesiæ nostræ pertinentem *Ludero* sacerdoti, pro quingentis marcis vendidimus proprietatem omnem & dominium eidem conferentes. Ne autem hujus rei inposterum fiat oblivio præsentem paginam inde conscriptam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt *Joannes* Præpositus Novi Operis in Goslaria, *Bodo* Præpositus B. Georgii, *Thidericus* Præpositus in Richenberg. Acta sunt hæc anno Domini MCCLI. quarto idus Februarii.

Anni Christi 1252.1253.
Wilhelmi Reg. 6. 7.
Ab. V. C. 329. 330.

Wilh. Rex ecclesiarú nostratium privilegia confirmat.

ANno proxime insequente Wilhelmus Lugdunum in Galliam discessit, quo eum Pontifex invitaverat, de dilapsa cleri disciplina cum eo sermones collaturus. Festinans tamen in Germaniam ad comitia ineunte vere in Saxoniam rediit. Sexto certe Nonas Maji Brunsvici præsens nostrati Montis S. Petri privilegia bina Henrici IV. confirmavit alterum hic subjicimus:

WILLELMUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus universis sacri Imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Cupientes divinum cultum ad imitationem prædecessorum nostrorum Imperatorum & regum propensius ampliare, notum facimus universis tam præsentibus, quam futuris, quod nos ad instar claræ memoriæ Regis *Henrici* quarti prædecessoris nostri, qui ob interventum ac petitionem dilectæ genitricis suæ AGNETIS imperatricis Augustæ.

* *Repetitur diploma Henr. IV. quod ad annum 1062. protulimus*

* * *

Prout in privilegio inde confecto Regis ipsius & suo sigillo & signo regio consignato plenius vidimus contineri, prædicta omnia prout superius sunt expressa, proprio motu & certa scientia concedimus, & autoritate regia confirmamus, traditionem & dónationem a prædicto prædecessore nostro factam, ratam habentes & gratam. Idem privilegium de speciali gratia duximus innovandum. Ut autem hæc concessio & confirmatio nostra firma & inconvulsa permaneat & in perpetuum valitura, præsens privilegium exinde conscribi & sigillo majestatis nostræ jussimus communiri. Datum per manum venerabilis H. Spirensis Electi vices gerentis venerabilis *Gerhardi* Maguntini Archiepiscopi Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarii, apud *Brunsvich* VI. Non. Máji. Indictione x. Anno Domini M°CC°L° secundo. Regni vero nostri anno quarto. Feliciter Amen!

Signum Domini Wille. primi. Regis invictissimi.

Romanorũ

Brunsvico ipsis Nonis Maji Gandersheimium perrexit, ubi montis S. Georgii Canonici arrepta occasione de Borchtorpiorum rapinis conquesti, id ab eo impetrarunt, ut datis ad Senatum Goslariensem literis monasterium illud in tutelam juberet recipi, quandocunque id necessitas videretur postulare. Sed & hic ipsum Wilhelmum audiemus.

WILLELMUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus Dilectis fidelibus suis *Consulibus Civitatis Goslariensis* gratiam suam & omne bonum. Cupientes libertatem ecclesiasticam & ecclesia-

cleſiarum jura modis quibus poſſumus ampliare: Fidelitati veſtræ auctoritate regia diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus jura & libertates Dilectorum noſtrorum fidelium Præpoſiti, Prioris & Conventus *S. Georgii Goslarienſium*, ordinis S. Auguſtini ſervantes auctoritate noſtra illæſa, non permittatis eos ab aliquo indebite moleſtari, facientes ipſis tam de *Henrico* de Borchtorpe Milite, quam etiam de aliis ſuper omnibus eorum injuriis exhiberi juſtitiæ complementum, quotiescunque ab eis fueritis requiſiti - - - - - Datum *Ganderſen* Non. Maji. Indict. X. Anno M°CC°L°, ſecundo.

Reliqua Wilhelmi geſta. *Schaten. p. 71. lib. 11. part. 2. annal. Paderb.*

Denique relicta Brunſvico Francofurtum ſub menſem Junium petiit, quo omnes ferme Germaniæ Principes ad comitia confluxerant. Otto etiam Brunſvicenſis generi cauſa ad profectionem ſe accinxerat, jamque ſarcinas juſſerat componi; cum VII. Id. Junii, quæ eſt rerum humanarum inconſtantia, inter cumulatiſſimas ſuorum lacrymas ad cœleſtes ſedes evolaret. Interea Wilhelmus in Principum congreſſu, quid reipublicæ expedire videretur, magna cura tranſegit, conſultumque tunc in medium, ut Conradus Rex reipublicæ hoſtis haberetur, ceteri, qui Wilhelmi Imperium detrectarent, proſcripti bonis exuerentur, Margaretha Flandriæ Comitiſſa, Wilhelmum muliebri faſtu ſpernens, bello in ordinem cogeretur. Commune hoc Principum decretum ſequente ſtatim anno Wilhelmus exequi auſus, cum inſtructiſſimo exercitu, Hollandiam ingreſſus eſt, ac Margarethæ faſtum tanto prælio retudit, ut plusquam viginti hominum millia occubuiſſe ferantur. Quæ Wilhelmi fortuna ſi perpetua fuiſſet, nemini fortaſſis ſuorum anteceſſorum concederet. Cæterum lætus tanta victoria ſub auctumnum Saxoniam ingreſſus affinibus Ducibus patre nuper orbatis conſilio præſto fuit.

Wilhelmus Goslariæ egit.

Priusquam vero Belgicam expeditionem ſuſciperet, ſub ipſum anni auſpicium Goslariam quoque noſtram ſua præſentia beavit, cum reflexo itinere antiquum hoc Imperii domicilium ipſe quoque judicaret dignum, quod ſua præſentia colluſtraret. Tacent equidem hoc annales, nobis tamen hac de re conſtat ex diplomate ejus, quod VII. Id. Januarii ineunte anno 1253. eccleſiæ SS. Simonis & Judæ conceſſit, hiſce teſtibus munitum: *Teſtes ſunt hujus Burckardus, Hermannus & Henricus de Wildenberg, Bertholdus Advocatus Goslarienſis C. de Piſcina, Conradus & Burckardus de Brunſvich. Data Goslarie VII. Id. Januarii Indict. XI. anno MCCLIII.* Ultimus hic Romanorum Imperatorum, quem præſentem Goslaria noſtra venerata eſt. Succeſſere deinde reipublicæ tempora, quibus Germania inter diverſa ſtudia fluctuans, plures elegit Imperatores, nullum habuit. Finito ferali Interregno, plures equidem familiæ ad majeſtatem Auguſtam adſpirarunt, ſed plerumque Imperatores mutato veteri more in provinciis hæreditariis conſedere, vix unquam Imperiales urbes, niſi comitiorum cauſa adeuntes. Goslariam certe hoc beneficio per ſubſecuta ſecula caruiſſe, inter omnes conſtat. De eo tamen ſibi inſigniter gratulatur, quod Imperii tutela atque clementia per tot ſeculorum decurſum integra hodienum, atque incolumi perfruitur.

Anni Chriſti 1254. 1255.
Wilhelmi Reg. 8. 9.
Ab. V. C. 331. 332.

Deformis Germaniæ facies, *Trithem. Chron. Hirſaug. ad h. ann. Naucler. t. 2. p. 835.*

DEvicta nuper Margaretha, Flandriæ Comitiſſa, Friſi quoque contra Wilhelmum inſurrexere, quos tamen fortiſſimus Rex terra marique oppugnatos, tanta clade affecit, ut quinque militum millibus aperto Marte oppreſſis, ipſam Friſiam, quam late patet, flamma ferroque depopularetur. Sed vix pedem Belgio extulerat, cum ſtatim reviviſceret bellum atque in tantam flammam ſe explicaret, ut non niſi Regis exitio terminatum ſit. Ceterum dici vix poteſt, quanto odio vulgo habitus ſit. Habet enim hoc novum Imperium, ut vix inter ſubditos convaleſcat autoritas, aut mutuo uſu ac commercio ipſa imperandi parendique functio abeat in conſuetudinem. Inprimis Wilhelmo hoc non potuit non contingere, qui nec potentia, nec opibus nec ipſis quidem majorum imaginibus cum anteceſſoribus erat comparandus, nec ea præſtabat auctoritate, quæ ſopiendis tot inteſtinis diſcordiis ſufficeret. Hinc latrociniis, furtis rapinis miſcebantur omnia, ac quivis ſibi ex parvis Wilhelmi viribus licentiam peccandi pollicebatur. Nec ipſi quidem Regis Majeſtati parcebat furor. Vxor ejus Eliſabetha a Comite quodam Waldeccenſi in via publica intercepta, non prius dimiſſa eſt, quam ingenti auri pondere a marito liberaretur. Wilhelmus quoque Trajecti Silice petitus capitis periculum adiit. Vrbes, itinera, ſylvæ latrociniis & togatis vulturibus infeſta. Paucis: tam erat miſeranda Germaniæ noſtræ facies, ut omnem non dicam pietatis, ſed humanitatis ſenſum videretur amiſiſſe. Statuerant equidem urbes quædam ad Rhenum ſitæ ſecuritati ſuæ conſulere, atque ideo in mutuum fœ-

dus coiverant, quibus & e Saxonia noſtra nonnullæ deinde acceſſerunt : *Verum iſta pax more Lombardorum civitatum, inchoata propter malitiam reſiſtentium non diu duravit.* Forte tamen Hanſeatico fœderi dedit occaſionem, cui & Goslaria noſtra interjecto tempore ſeſe adjunxit, tantis ex hoc fœdere opibus aucta, ut præ multis aliis hujus provinciæ civitatibus extulerit caput.

Chron. Auguſt. p. 375. & 378.

Hoſpitalis S. Johannis ſive S. Crucis majoris origines.

Jam ut ad Goslariam quoque noſtram redeamus, ea, quemadmodum ex Wilhelmi diplomate conſtat, ſuperiore anno Advocatum habuit *Bertholdum*, neſcio qua familia oriundum, quem tamen anno nondum elapſo, extinctum mihi conſtat. Succeſſit ei *Tidericus* quidam de Sulynge Volckmaro Wildenſteinenſi per omnia ſimilis nihilque agens ſollicitius, quam ut pietatis ſtudium apud nos majora indies caperet incrementa. Honorem certe a pietate exorſus cum ampliſſimo Senatu noſtro de excitando pauperum domicilio cogitavit, nec cogitavit tantum, ſed & feliciſſime perfecit; uberiorem ex hoc beneficio laudem commeritus, quam ſi monaſterium longe ſplendidiſſimum excitaſſet. Nullus videbatur locus oportunior, quam platea, quæ Regii Pontis nomine inclareſcit. Quapropter curiam quandam Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Canonicis propriam coëmit, extructaque Capella ipſam Curiam ita ædificiis illuſtravit, ut tot Iros caperet facillime: totumq; Hoſpitale Dei & Beati Johannis Baptiſtæ honori more ſeculi ſui dedicavit. Hodie S. Crucis majoris nomine notum eſt, (forte quod tutelares interjecto tempore mutavit:) & tot pauperibus ſub cura Optimi ac integerrimi viri Dni GEORGII BRVNINGII, Patritii Goslarienſis & multis officiis cum laude fungentis, victum & hoſpitium præbet, ut nullum ſit in urbe noſtra inſtitutum laudabilius, nullum illuſtrius. Dignum hoc publicum pietatis monumentum judicamus, quod nulla ſepeliat oblivio, atque ideo ipſum Tiderici noſtri & Conſulum diploma ab interitu vindicabimus, inprimis cum res aliquas cognitu non indignas nos doceat:

TIDERICUS *Advocatus & Conſules cum univerſitate Burgenſium in* Goslar *omnibus hanc literam intuentibus æternam in Domino ſalutem. Ut ea quæ mature geſta ſunt, mature ſerventur, expedit, quod futuræ poſteritatis memoriæ commendentur, quatinus eo pietatis ſtudio, quo geruntur a præſentibus, inviolabiliter a poſteris obſerventur. Ea propter ad notitiam tam futurorum, quam præſentium volumus pervenire, quod Dominus* Reinhardus *Decanus totusque Sanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslaria Conventus de communi conſenſu curiam ipſorum clauſtralem quandam Domini* Borchardi *de* Wiringerode *Con-Canonici ſui apud pontem Regis ſitam ad peticionem noſtram liberam & a jure dotis abſolutam nobis dimiſerunt. Sub hac forma ſcilicet, ut in ea hoſpitale ad honorem Dei & Beati* Johannis *Baptiſtæ ad commodum & refectionem pauperum conſtruatur. In reſtaurum autem hujus curiæ contulimus eccleſiæ ſuæ ad luminaria ſummi altaris annuatim marcam & dimidiam, cujus quinque Fertones faciant puram marcam. Et pro hac marca & dimidia aſſignamus eidem eccleſiæ domum in* Domſtrade, *quæ domus nunc* Jordani Pynneri *vocatur. Prædictum quoque hoſpitale Decanus, qui pro tempore fuerit, cum duobus Burgenſibus noſtris, ad hoc deputatis, in omnibus negociis communiter ordinabunt, præter hoc ſolum, quod illi duo ſacerdotem ad divinum officium celebrandum & confeſſionem audiendam ſine conſenſu Decani poterunt invenire. Quem ſacerdotem, quamdiu ipſis placet, tolerabunt, & cum displicuerit, amovebunt. Sacerdos vero Domino Decano obedientiam debitam faciet & ſi dignus eſt ab eo curam recipiet animarum, pariterque donum altaris. Divinum quoque officium idem ſacerdos, prout expedit, celebrabit, videlicet, ut horam debitam in funeribus deportandis obſervet. Idem in matutinis, in miſſis & pulſacionibus obſervare debebit. Sepultura etiam omnium inhabitantium, tam ſanorum, quam infirmorum erit in cimiterio ſancti* Thomæ, *nec in aliquo religioſo loco, vel non religioſo ſepulturam petere debent, niſi aliquæ forte Perſonæ excellentes petant in clauſtro Dominorum prædictorum ſepeliri, vel amici eorum pro eis. Ad quod iidem Domini non tenentur ex debito, niſi ex peticione obtineatur ab eis. Oblacio etiam, quæ offertur in hoſpitali, cedet ei, quod autem alias offertur, in hoc nichil juris habet. Item deportacio mortuorum & præparacio ſepulchrorum ad hoſpitalarios, qui hoſpitali præſunt pertinebit. Item ſi* hoſpitale domus Teutonicæ, *quocunque titulo obtinuerimus, idem jus eccleſia ſupradicta habebit in hoc, quod habet in iſto. Adjicientes ad futurorum cautе-*

cautelam, si aliquod cimiterium ad sæpedictum hospitale fuerit ordinatum & consecratum, omnis ordinatio vel commutatio Dominorum & nostra de præfato hospitali habita, invalida sit & infirma. Ita videlicet, ut prænominata curia claustralis cum æquivalentibus ædificiis, quæ nunc habetur cum dote & jure claustrali, quod habuit antequam construeretur hospitale, ad prædictam ecclesiam redibit, quiete & pacifice possidenda. Ut autem hæc forma valida perseveret, placuit sigillis sæpedictæ ecclesiæ & in Richenberch & Montis Sci Jeorgii ecclesiarum & sigillo nostro communiri. Datum anno Domini MCCLIV. Kal. Decembr. Hujus rei testes sunt Theodericus *Advocatus dictus de Sulynge*, Bertoldus & Arnoldus *fratres de Govvische*, Conradus & Theodericus *fratres de Piscina*, Burchardus *de Lengede*, Reinhardus *de Lapide*, Olricus, Bertramus, Johannes & Borchardus *fratres de Bilstene*, Heinricus *de Dorneden*, Gerbodo, Conradus *de Peperkellere*, Tidericus & Hermannus *fratres de Astvelde*, Tidericus *de Livede*, Conradus *de Bretensteine & alii quam plures.*

Henric9 Hild.Ep. Franckenb. indulgé-tias concedit. *Chron. Mont. Frãc.p.24*

Quanto cumulatius itaque sibi posteros demereri tanto beneficio studuit Tidericus Advocatus, quam Henricus Hildesiensium Episcopus? qui communi eorum temporum more, argentum corrasendi, omnibus vere pœnitentibus & confessis & Franckenbergensi Monasterio suppetias laturis, *quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer* hoc anno *relaxavit*, satis liberaliter, si satis bene.

Alberto Brunsvicensis latrocinia impedit. *Cranz.l.8 Sax. c. 21. p. 215. Annal. part. 1. Chron. Brunsv. p. 214. Mulb.not. ad Henr. Rit. Herlingsberg.p.785 tom. 1.*

Sed quo majore pietate his annis Goslaria de alendis pauperibus suis cogitavit; eo horridior in vicinia fuit rerum facies, cum equites nonnulli, nobilitatis suæ obliti, excusso Principum Imperio, latrociniis impune operam darent. Quanto quisque erat opulentior, tanto securius itinera obsidebat, castellis quoque præmunitis, quo se cum prædis & spoliis reciperent. Quod cum animadverteret Albertus Dux Brunsvicensis, qui nuper extincto Ottone avitas ditiones adierat, id sibi putabat negotii datum, ne quid respublica detrimenti caperet. Hinc conscripto exercitu primo dominos de Wolfferbuttele invasit, quos facile castello munitissimo expulit, hinc Asseburgios, expugnata Herlingsberga, bonis exutos adeo fregit, ut e Saxonia exules in Westphaliam sese reciperent longo demum interjecto tempore redituri. Quare non est dubium, quin viciniæ nostræ securitas fuisset reditura, nisi Hildesiensis Episcopus novas subinde turbas excitasset, non nisi effuso multo sanguine terminatus.

Anni Christi 1256. 1257.

Wilhelmi Reg. ultimus.

Interregni t. 2.

Ab. V. C. 333. 334.

Wilhel. mi Regis funestus interitus.

NEc minus annis proxime insequentibus temultuariis nobilium armis respublica turbata est. Adeo nunquam desinunt exempla, ubi cœperunt, sed in tenuem quamlibet admissa tramitem, latis-

sime evagandi sibi viam faciunt; & ubi semel a virtute desitum est, protinus in præcipitia pervenitur, nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum. Suo malo id expertus est VVilhelmus Cæsar, cum ei cum ejusmodi monstris esset decertandum, qui profligato omni pudore, ac ipsa humanitate post tergum relicta, nec parere amplius cuiquam, nec parcere volebant, quasi ne piaculare quidem amplius esset, post tot Principum rebelliones a Pontifice sufflatas, parricidalia arma, quandocunque liberet, in Principum viscera convertere. Frisones quoque tot cladibus a Wilhelmo fractos denuo paludum fiducia & latrociniorum spes ad arma resumenda pellexerat. Ad quos debellandos, cum hoc ipso anno Wilhelmus cum justo exercitu processisset, nec fallaces & anfractuosas vias, satis exploratas haberet, tragico casu periit. Quippe cum speculatum exiret, & compactam glacie paludem equo concitato pervolaret, fracta subito glacie, cœno submersus & a Frisonibus ex insidiis confossus interiit: Principes cum summis comparandus, si ei par animo fortuna contigisset. Quis ergo non miretur occulta Dei judicia: quibus factum credo, ut nullus pene, qui contra Imperatores, Pontificum suasu insurrexit, fortuna benigniore usus sit? Non Rudolphos, Hermannos, Ecbertos, Conrados, Henricos repetemus, quorum fata funesta supra attigimus. Ipse Wilhelmus hic in ætatis flore extinctus, nec sepulchro quidem tanto principe digno illatus est, neminique ex eo tempore fuit compertum, in quem angulum exangue ejus corpus a ferociente plebe rejectum sit, licet vel maxime Henricus Stero in Augustensi Chronico rem a fabula arcessere videatur. Non potuit tamen Wilhelmi interitus Germaniæ non luctuosus esse, quem secutum est ferale istud interregnum, & fœdæ principum discordiæ, quibus nisi Rudolphus Habspurgicus remedium interjecto tempore attulisset, periculum erat, ne ægra

reſpublica & veluti ſenio confecta plane corrueret.

Interregnum. *Chron. Aug. l.c. Paralip. Urſp. p. 335. Schurzfl. anct. hiſt. Auguſt. rom. 1. diſſ. hiſt. p. 37. ſqq.*

Ultimus hic Regum Romanorum, ut jam dictum eſt, qui veteri Imperii more Goslariam noſtram ſuo ſplendore illuſtravit. Quamobrem non mihi, ut arbitror, vertetur vitio, ſi ſubſequentium Imperatorum res geſtas paulo parcius attigero: Inprimis, cum quæ poſtea in Imperio geſta ſunt, nec invidia careant, nec Goslariam noſtram æque reſpiciant, ac olim, cum adhuc regni domicilium audiret. Occiſo Wilhelmo ſequente ſtatim anno a Colonienſi Archiepiſcopo aliisque inferioris Germaniæ Principibus Richardus Cornubiæ Comes ex Anglia ad capeſſendam rempublicam evocatus, Aquisgrani etiam in ſolenni Principum congreſſu diademate cingebatur. Illi tamen a Treverenſi Saxone & Brandenburgico oppoſitus Alphonſus Hiſpanus. Unde Germanis inter diverſa ſtudia fluctuantibus, neuter ad Imperium adſpiravit, ſed, quod fieri in tam turbulento reipublicæ ſtatu ſolet, omnibus civili diſſidio concuſſis, nobilium audacia in tantum prolapſa eſt, in quantum ſocialibus armis ſuſſulta potuit. Quamobrem & ipſi Principes veluti Paderbornenſis Epiſcopus & Albertus, Dux Brunſvicenſis nobilium ſuorum potentia territi, mutuis ſe fœderibus firmarunt, id quod & urbibus erat faciundum, quemadmodum Goslaria noſtra cum Quedlinburgenſibus, Brunſvicenſibus, Gœttingenſibus, Einbeccenſibus, Northeimenſibus aliisque vicinis civitatibus, de auxiliis mutuo ferendis pepigit, ut ea quæ deinceps acta ſunt, ſatis aperte declarant.

Sebat. l. III. p. 91. annal Paderb. part. 2.

Cum igitur ubique piſcium vita vi- Alexaveretur, potentiorque quisque tenuiores der Pon. opprimeret: fieri ſane non poterat, quin tifex & eccleſiæ idem periculum ſubirent, ſuis- Eccleſiá que bonis ac juribus ſenſim ſpoliarentur. SS. Sim. Veriti itaque baſilicæ SS. Simonis & Judæ & Judæ Canonici, ne orbati tutela Imperatorum, privilequibus tot annis in oculis fuerant, ipſi gio auquoque juribus ſenſim excideren t, inpriget, mis cum ipſe Hildeſienſis Epiſcopus proventus vacantium beneficiorum Innocentii Pontificis indultu exigeret: Superiore jam anno impetrarunt ab Alexandro Pontifice bullam, quam eccleſiam hanc *Romanorum Imperium nullo mediante reſpicere*, ac ab omni Epiſcopi jurisdictione plane immunem eſſe pronunciat. Ipſas Pontificis literas, quas Wilhelmi Regis precibus ſe fatetur dediſſe hic recenſere non piget, inprimis cum non prætereundum videatur elogium, quo horum Canonicorum pietatem publico famæ ſuffragio probari affirmat:

ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslaria Hildenſ. Dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad faciendam vobis gratiam ſpecialem karisſimi filii noſtri magnifici Principis *VVillelmi* Romanorum Regis illuſtris precamine & veſtræ probitatis meritis, ſuper quibus vobis laudabile teſtimonium prohibetur inducti, autoritate præſentium vobis duximus concedendum, ut gratia, quam piæ recordationis prædeceſſor noſter Innocentius Papa quartus venerabili fratri noſtro Epiſcopo Hildenſemenſi de proventibus vacantium beneficiorum in ſua dioceſi concesſit per triennium colligendis ad eccleſiam veſtram, *quæ Romanum Imperium nullo reſpicit mediante*, nullatenus extendatur, non obſtantibus aliquibus literis, ſeu indulgentiis a ſede apoſtolica impetratis aut etiam impetrandis, per quas hujusmodi concesſio valeat impediri. Decernimus etiam, ut ſi aliquid contra hujusmodi concesſionis tenorem a quoquam extiterit propria autoritate præſumtum, ſit irritum & innane. Et ſi forte aliquæ ſententiæ in vos hac occaſione prolatæ fuerint, nullum obtineant robur firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ concesſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Lateran.* VII. Id. Januar. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Johann. Præp. & Rudolp. Decanus SS. Sim. & Judæ. *Chron. Cæn. Franco. mont. p. 27*

Hoc diploma, quod jura hujus eccleſiæ luculento teſtimonio confirmat, ultimum eſt Wilhelmi Regis documentum amoris in hanc eccleſiam, nam cum illud VII. Id. Januarii datum ſit Wilhelmus eodem hoc menſe V. Kal. Februarii, quæ plurimorum ſententia eſt, caſu iſto miſerabili periit. Eccleſiæ per id tempus prætuere Johannes Præpoſitus & Rudolphus Decanus, uterque origine mihi ignotus. Occurrunt tamen eorum nomina in literis compoſitionis inter Conventum Francobergenſem & Guncelinum Magiſtrum Xenodochii D. Johannis Brunſvicenſis factæ: Hanc enim ſententiam in æde D. Matthiæ ipſis nonis Martii pronunciatam teſtes ſubſcripſere *Johannes Præpoſitus*, *Rudolphus Decanus*, *A. Scholaſticus*

Legendæ ſeriæ ſubdiaco ni.

*eius, Mag. F. B. Canonicus, H. Plebanus D. Stephani, H. de Aivelde, Ludegerus & Petrus Sacerdotes, C. de Oſterquyk, H. Bremenſis Diaconus, B. & H. Abdiaconi, * E. & A. Fratres de Gouviſche, Baſilius de Wenthuſen, H. Bezelini, S. Leonhardi, Edeleres ab Hommanxethuſen Milites, Robertus de Goſa, aliique quam plures.*

Johannes Hildeſienſ. Epiſc. creatur. *Kenel.p. 50. Chron Hildesh. Chron. MSC. Epiſc. Hildes. 33.*

Diœceſis noſtra hoc anno amiſit Henricum Hildeſienſem Epiſcopum, virum pium & quietis cupidiſſimum: cui ex eccleſia Montis S. Mauritii prope Hildeſiam Joannes Præpoſitus ſucceſſit, undecunq; natus, vir certe inſignis, & pro ſeculo eruditus, bellique ac togæ artibus præſtans, quarum beneficio acceſſionibus quam plurimis eccleſiam ſuam locupletavit. Nobis eo præcipue nomine commemorandus, quod primus omnium apud nos feſtum Johannis ad portam Latinam introduxit, ante hæc tempora his regionibus incognitum, præbendis ſatis opimis inſtitutis, ne quid ad tam ſacri ſcilicet diei religionem videretur deeſſe. Qui dies anniverſarius creditur illius miraculi, quo Johannes Apoſtolus a Domitiano Cæſare ante portam Latinam in dolium fervente oleo repletum projectus, divinoque beneficio inde ſalvus ac incolumis evaſiſſe fertur. Adeo proclives tunc homines ad augendum feſtorum numerum fuere. Crevit ſcilicet feſtorum, crevit ſanctorum numerus; & pietas genuina, fides caritas, ſpes ſubinde decrevere, donec ſuccedente tempore plane fere evaneſcerent.

Festum S. Johannis ad portam Latinam hic locorum introducitur. *Honor. Augſtod. l. 3. c. 160. Beleth. c. 126. Prid. Non. May*

Anni Chriſti 1258. 1259.
Interregni 3. & 4.
Ab. V. C. 335. 336.

Alphonſus Rex in Germaniam venire recuſat, Richardus e Germania aufugit. *Brower. l. 6. annal. Trever. Schaten. l. 4. annal. Paderb. p. 2. part. 2. Judic. XXI. 24.*

GErmaniæ his proximis annis eadem quæ antea facies fuit, fœda ſcilicet & deteſtanda. Proceres Imperii in diverſas factiones ſciſſi, pars ab Alphonſo, pars a Richardo ſtabat. Ille vocatus in Germaniam animadvertens, quænam ſibi certamina eſſent ſubeunda, moras nectere cœpit, maluitque regno avito quiete frui, quam peregrinum Imperium, tot procellis agitatum, anhelare. Richardus vero, quamvis ei non deeſſet animus reipublicæ faſces capeſſendi, turbarum tamen multitudine deterritus profuſis opibus in Angliam rediit, nihil ex tanta dignitate niſi nomen mutuatus. Atque adeo *in diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unusquisque, quod ſibi rectum videbatur, faciebat.*

Induciæ inter Albertum Brunſv. & Johannem

Supra a nobis eſt commemoratum Albertum Magnum Ducem Brunſvico-Luneburgenſem domitis nobilibus Wolfenbutelenſibus, & Aſſeburgiis, aliisque nobilibus prædonibus, cum Henrico Hildeſienſi Epiſcopo fuiſſe colliſum. Quod diſſidium Sarſtedii, Rhedæ & Roſenthalii excidio vix terminatum fuit: Johanne itaque ſuperiore anno ad Hildeſienſem Epiſcopatum evecto, de pace inter hoſce Epiſc. vicinos reſtituenda actum eſt, cumque ad liquidum tam cito perveniri haut poſſet, Marchionis Brandenburgenſis opera inducia fiunt hac lege, ut Johanni Epiſcopo Hildeſienſi, Burchardo de Wolffer-buttle, Johanni de Eſchete & Egberto de Luttere ab anni exordio ad octavam usque Pentecoſtes proximam ſecuritas bona fide præſtetur. Inter quod tempus ipſa pax penitus coaluit. *Dipl. Alb. Magn. Halberſtad. p. 261 Antiq. Brunſv.*

Francobergenſis Cœnobii Monialium Montis Francorum ſenſim e priſtina inopia emergens. *Franco. mont. p. 27*

Goslariæ noſtræ nihil per hæc infauſta tempora memoratu dignum contigiſſe invenio, præterquam quod monaſterium Montis Francorum ſenſim e priſtina paupertate eluctari, & magis magisque tremen-ta. no literæ, quibus Johannes Præpoſitus, Gertrudis Abbatiſſa & totus Conventus Novi Operis Goslariæ Francobergenſibus aream & IV. manſos Langeniciæ ſitos XXVI. argenti purioris marcis vendunt, decima tamen excepta. *Teſtes: Rudgerus, olim forenſis templi plebanus, Henricus Plebanus Langenicenſis, Petrus Sacerdos, Henricus & Henricus Diaconi, Bertholdus ſubdiaconus, Bertholdus & Arnoldus Fratres de Gouviſche, Burchardus de Langede milites, Henricus de Borneten & Conradus de Rutenberg Cives Goslarienſes.* *Chron. Cœnob.*

Anna de Ringen docta monialis Francob *Lezn. c. 89. op. MSC. de monaſt. & l. 2. c. 29. Hiſt. Hildes.*

Inter moniales hujus cœnobii præcipue per hæc tempora celebratur Anna de Ringen, virgo ultra ſexum ſapiens, & ſcribendi arte inſignem laudem commerita, ut plures libri, quos ſua manu exaravit, patrum noſtrorum memoria adhuc teſtati ſunt. Meminit illius quoq; Johannes Leznerus, diligentiſſimus harum rerum indagator, in Chronico Hildeſienſi MSC. quod apud me maximam partem extat, rerumque harum notitia eſt refertiſſimum. Hoſpitio quoque hoc cœnobium hoc ipſo anno excepit Henricum Curlandiæ Epiſcopum, neſcio qua de cauſa Goslariam profectum; quod beneficium ille XL. dierum indulgentiis ipſo B. Marcelli die compenſavit. Indulgentiæ XL. dierum.

De eccleſia Montis S. Petri quædam

De eccleſiæ Montis S. Petri rebus hoc anno geſtis nihil extat, quod mihi quidem cognitum ſit, præterquam tabulæ, quibus venditio cujusdam molendini ad montem Sudenberg ſiti confirmatur. Conſtat ex illis A. quendam præpoſitum ac O. Decanum illuſtri huic eccleſiæ tunc præfuiſſe. Sed dolemus perverſum ſeculi morem, quo prima tantum nominum elementa ſolebant ſignari, quaſi, qui tunc nemini ignorabantur, etiam poſteris noti eſſent futuri.

Sed minime hic omiſerim Cœnobii Monaſterii Backerodani notabilem converſionem, quam hoc ipſo anno contigiſſe priſci referunt annales. Jam libro primo monaſterii hujus origines a me, copioſius traditæ ſunt, ubi nec hoc omiſimus commemorare, *lib. 2.* Backerodani mutatio. *Leznerus*

cap. 43. Chron. Hildes. MSC. Meibom. Chron. Riddags. p. 356. Reutel. Chron. Hildesh. p. 105.

morare, tunc in novum iſtud religionis domicilium Regularium S. Auguſtini familiam evocatam fuiſſe. Verum cum interjecto tempore Fratres ſenſim recto deerrarent, & neglecta diſciplina in omne ſcelus prorumperent, Fratribus & ſororibus uno hoſpitio nec pudice, nec religioſe viventibus; Johannes Hildeſienſis Epiſcopus, ut erat vir antiqui moris ſervantiſſimus de inſtauranda religione ſedule cogitavit. Extorres monaſterio ſuo per diœceſin tunc oberrabant Iſenhagenſes Monachi Ciſtercienſium inſtitutis adſveti, quippe ferali incendio & loci ipſius triſtitia pulſi. Quorum probitas cum perſpecta Epiſcopo eſſet; ſtatim communi totius Capituli Hildeſienſis ſuffragio decretum eſt, dimiſſis Canonicis regularibus Ciſtercienſes hos introducendos. Rem maturo judicio conſtitutam, literis ſuis ratam habuit Alexander Pontifex, id præterea, ſi Leznerus audiendus, ſevere edicens, ut abolito antiquo nomine Novalis S. Mariæ, hoc eſt, Marienroda in poſterum audiret hoc monaſterium, ſimul quadraginta dierum indulgentias eis pollicitus, qui hac in re morigeros ſe præſtiterint, quanquam id Meibomius Magno Hildeſienſi Epiſcopo tribuere maluit. Denique & tutelares mutati, & SS. Cosma & Damiano loco migrare juſſis patrocinium Monaſterii commendatum B. Mariæ Virgini & omnibus Angelis. Neſcit tamen, qui factum ſit, ut neglecta tantarum iudulgentiarum pollicitatione, Bettingeroda ſive Betzingeroda ſæpiuscule in antiquis monumentis vocetur. Rem non ingratam Lectori videbimur facturi, ſi ipſum Joannis Epiſcopi diploma nunquam ante hac, quantum ſcio, editum e ſchedis Leznerianis producam:

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen, *Johannes* Dei gratia Epiſcopus Hildenesheimenſis omnibus in perpetuum. Etſi debitum paſtoralis ſollicitudinis poſtulat & requirit, ut omnium eccleſiarum utilitatibus ſollicite inſiſtamus, illarum tamen commoditatibus ſtudio benignitatis, aſſumpto charitatis zelo movemur propenſius providere, quarum filii & ſibi per meritum, & aliis proficiunt per exemplum. Gratulantes enim ad memoriam revocamus, qualiter hic Vitis generoſa Ciſtercienſis ordinis multiplificavit odores, & in florem honoris & honeſtatis longe lateque palmites virtutum expandit, ac multiplicatum fructum in vitam æternam feliciter reportavit. Cum igitur ejusdem ordinis titulus, per diſpenſationem divinam, adeo inſignis ſit, quod ubique venerabilis habeatur, & dilecti filii, Abbas & Fratres Monaſterii *in Iſenhagen* quos in *Backenroda* locavimus, quod nunc Monaſterium *novalis S. Marie* dicitur ordinis Ciſtercienſium, cujus nos in eodem loco fundatores eſſe, vel fuiſſe gaudemus, converſatione & vita, die ac nocte divinis laudibus occupantes, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis pro Domino crucifigant, & in præfato loco elegerint inſtituere divinæ inſpirationis gratia faventes debemus ſemper ſecundum deſiderium faciendi quæ oculis Domini ſint accepta dictorum Abbatum & Fratrum neceſſitatibus obviare, volentes univerſa bona cum omnibus eorum proventibus & attinentiis in campis, agris, villis, paſcuis, areiſ, fluminibus, paludibus, piſcationibus, nemoribus, molendinis, & aliis univerſis, quæ prædicta eccleſia Backenroda ab initio & ab antiquis temporibus usque in hodienum poſſedit pacifice & quiete, quibus etiam fratres ordinis S. Auguſtini, qui extiterant in eccleſia memorata, ſed amoti culpis ſuis exigentibus renunciaverunt, plane & unanimiter coram nobis multitudine Clericorum & Laicorum aſtante de Capituli noſtri beneplacito, & conſenſu titulo donationis donavimus Abbati & Fratribus jure perpetuo poſſidenda, quemadmodum Eccleſia in Backenroda dignoſcitur poſſediſſe, ut prædicti Abbas & Fratres in ſancto otio & quiete ad cultum Dei & ad honorem ejusdem genetricis valeant liberius ſanctis orationibus & devotis obſequiis inſiſtere & vacare. De certo ſcientes nos ex hoc illi placere, qui eorum acceptat placitum famulatum, humiliter & devote rogantes, ut ſimus participes bonorum omnium, quæ ibidem per ipſos in elemoſynis, orationibus, vigiliis & in Miſſis fuerint procurata. Et agent anniverſarii noſtri diem, ſicut obitum fratrum ſuorum peragere conſueverunt. Hæc omnia ut geſta & peracta ſunt, circa translationem iſtam. Alexander Papa confirmavit, ſtatuens ut dicta eccleſia monaſterium de novali S. Mariæ a modo denominetur publice & privatim. Acta ſunt hæc anno Incarnationis MCCLVIIII.

Præ-

Abbates hujus monaſterii.

Prælati hujus Monaſterii, Riddagshuſanorum olim Abbatum veluti ſuffraganei hoc ordine a Leznero recenſentur:

1. *Diethmarus*, Conventualis Riddagshuſanus primus Abbas Iſenhagenſis ab anno 1243. ad 1258. quo monaſterium conflagravit, deinde Mariærodanus ab anno 1259. ad 1264. quo obiit, ibidem in loco Capitulari ſepultus.

2. *Johannes* Acko obiit anno 1270.

3. *Johannes II.* obiit 1281.

4. *Ludolphus* Cromerus monaſterio multis bonis locupletato obiit anno 1293.

* hoc eſt; von Hagen.

5. *Albertus* ab Indagine* bona in Bennigerothe coëmit, & parochiam in Groß Vorden ab eccleſia Rhodenſi per concambium redemit, obiit 1297.

6. *Witekindus* de Veltſtidde domo Brunsvicenſis, virtute, pietate, ac prudentia nulli ſecundus. Huic tantopere monaſterii opes auxiſſe ferunt, ut cœnobium ipſum non Mariæroda amplius, ſed Betteringeroda, ſeu Betzingeroda audiret. Obiit anno 1308.

7. *Johannes III.* de Heinde bona inprimis Toſſemenſia ab Henrico Woldenbergenſi Comite trecentis argenti purioris marcis redemit, ac transactis duodecim annis expiravit anno 1320.

8. *Johannes IV.* a Munſtadt ſuis parum probatus, quod monaſterii opes dilapidare crederetur. Hinc anno 1326. dignitate ſua exutus ad aliud monaſterium receſſit; ac diuturna lite Marienrodanos affixit.

9. *Johannes V.* a Borlum obiit anno 1333.

10. *Henricus* de Stenime monaſterium ſuum anno 1342. ab Henrico Epiſcopo Hildeſienſi quam plurimis bonis, veluti quatuor manſis cum decima, nec non molendino & tribus areis in Bevelde, præterea-que tribus manſis & quinque agris in Andertem auctum vidit. Turbis tamen ſubinde in monaſterio exortis, & conventu inter diverſa ſtudia fluctuante, pertæſus moleſtiarum, Abbatiæ inſignia anno 1349. depoſuit, & aſſumto gregarii monachi habitu, diſceſſit anno 1356.

* Von Hauſen.

11. *Johannes VI.* de Domo* non diu præfuit: Friderico enim Riddagshuſano & Ludolpho Amelungsbornenſi Abbatibus viſitationem inſtituentibus, cum parum utilis monaſterio videretur futurus, ſua ſponte dignitatem dimiſit, ſeque in monaſterium Veteris Campi, tanquam in portum quendam recepit; in quo etiam reliquo vitæ ſpatio exacto paulo poſt diem obiit ſupremum.

12. *Robertus* domo Hannoveranus, non meliore fato uſus, cum nondum integrum annum præfuiſſet, reſignavit. Vidi tamen ejus literas anno 1341. conſignatas, ex quibus eum ad minimum 9. annis præfuiſſe apparet, ſi inter hunc & Siffridum nullus interfuit.

13. *Siffridus* anno 1350. electus, eodem hanc dignitatem, quod ſenio ſe urgeri animadverteret, depoſuit.

14. *Albertus* II. monaſterium multis diſſidiis turbidum anno 1350. ſuſcepit, & eccleſias parochiales Alfeldienſes & Bockenenſes bonis & ſylvis Toſſenenſibus a Capitulo Hildeſienſi redemit, ea tamen lege, ut quotannis ex hiſce ſylvis lignum monaſterio ſuo neceſſarium petere, liceret. Ultro Abbatiam dimiſit, anno 1357.

15. *Siffridus* proxime antecedens denuo ad Abbatiam a Conventu petitus, ſuſcepit quidem, ſed & transacto biennio ſenectutis onere preſſus dimiſit.

16. *Bodo* Prior Mariærodanus ſequente ſtatim anno Abbas eſſe deſiit.

17. *Ludolphus* a Veltheim, Conventualis Riddagshuſanus non diutius iſto honore fruitus eſt, renuncians 1364. *Meibom. Chron. Riddags. p. 370.*

18. *Henricus* de Revele vir pro ſeculi genio doctiſſimus & Decretalium Doctor ſalutatus, ſed paulo poſt cum in homicidii ſuſpicionem incidiſſet ab Alexandro de Heinden Hildeſiæ captus & diuturnæ cuſtodiæ in caſtro Eberſteinenſi mancipatus, deprecantibus tamen viris eximiis liberatus, ea lege, ut poſitis Abbatiæ inſignibus ad Riddagshuſanum monaſterium rediret.

* *Meib. p. 372. l. c. habet Kirſenbrugg.*

19. *Hermannus*, de Kirsberg* Conventualis Riddagshuſanus monaſterio aliquandiu cum laude adminiſtrato Riddagshuſum ad capeſſenda ejusdem honoris inſignia diſceſſit anno 1372.

20. *Conradus* ab Hermanno Kirſenbruggenſi conſtitutus morte præpoſtera eſt extinctus.

21. *Henricus* III. Buckius multis ſanctorum lipſanis Carolo IV. Imperatori traditis non multo poſt reſignavit.

22. *Henricus IV.* Schlichting Abbatiæ dignitate magis deguſtata, quam uſurpata anno nondum vertente renunciavit.

23. *Rediit* igitur ad priorem honorem *Henricus* Buckius. Sed miſera monaſterii facies, opes ſenſim imminutæ, diſciplina collapſa, omnia diſcordiis & tumultibus repleta, ſtatim priſtinum faſtidium in eo reſuſcitarunt. Hinc ipſe Henricus pertæſus tot tumultuum denuo receptui canere decrevit, auctorque fuit Hermanno Riddagshuſano Abbati, ut ipſe e ſua familia ſubmitteret virum pium & prudentem ſi forte opera ejus infelix monaſterium moveret lacertos, atque ad priſtinum ſplendorem ſenſim rediret.

24. *Hermannus* igitur Peinenſis Riddagshuſo miſſus eſt, cui nihil videbatur ad inſtaurandam diſciplinam æque, ac rem familiarem deeſſe. Hic igitur reſtituta priſtina quiete, ære alieno, quo premebantur brevi diſſoluto ac bonis, quæ pignori anteceſſores oppoſuerant, repignoratis, monaſterium ad tantam felicitatem, ſe ipſum vero ad eam auctoritatem provexit, ut dignus judicaretur, qui Gerhardi Hildeſienſis Epiſcopi Confeſſionarius eſſet. *Meibom. l. c. p. 372.*

25. Johan-

25. *Johannes de Harleſſen*, Sacerdos initio, deinde Ciſtercienſem Ordinem cum fratre Conſule Hildeſienſi ingreſſus ac denique Abbatiali dignitate auctus eſt, vir antiqua virtute, & literis non parum perpolitus, prudentia quoque inſigni præditus ſpartæque ſuæ ornandæ ſtudioſiſſimus. Hinc quamvis jam alterum pedem in Charontis cymbam intuliſſe videretur: templum tamen molitus eſt ſplendidiſſimum, idque opera inprimis fratrum Laicorum eo usque perduxit, ut parum a ſummo faſtigio abeſſet. Senectute tamen enervatus expiravit, a. 1422.

Meibom. l. c. p. 375. ſq.

26. *Albertus III.* de Melſing vir præſantiſſimus cœptum nuper ædificium ſtrenue eſſet proſequutus, niſi varii morbi eum lectulo plerumque affixiſſent. Anno 1427. Guido Morimundenſis, Jonannes Clarefontanus, Hermannus Riddagshuſanus, & N. Amelungsbornenſis Abbates Marienrodenſe cœnobium luſtrabant. Quorum antiſtitum in congreſſu, Albertus cum miſſionem continuo efflagitaret, non ſine laude dimiſſus ad priſtinam vitam rediit, & quod reliquum vitæ erat in Walkenredenſi cœnobio exegit.

Meibom. l. c.

27. Subrogatus igitur ei *eſt Henricus* de Berten, ætate juvenis, ſed humanitate, probitate, prudentia nemini ſecundus: ſtudia quoque optimarum artium, ut tunc erant tempora, non infeliciter attigerat, ſcripto inprimis Chronico Monaſterii Mariærodani, aliisque opusculis theologicis ac poëticis clarus, quæ non Meibomius modo egregie laudat, verum etiam Leznerus in conſignando horum Abbatum Catalogo inprimis videtur in conſilium adhibuiſſe. Hic templum nuper a Johanne Abbate cœptum feliciter perfecit, & anno 1440. s Magno Hildeſienſi Epiſcopo præſentibus Nicolao Walkeredenſi, Bertholdo Michaëlſteinenſi, Alexandro Amelungsbornenſi, & Henrico Riddagshuſano Abbatibus ſolenni ritu inauguran-dum curavit, impetrato ſimul ab Epiſcopo edicto, quo Alexandri IV. Pont. mandatum renovatum, & ut monaſterium hoc non alio nomine, quam Mariærodæ imposterum appelletur, cautum eſt. Multis deinde litibus felici induſtria ſopitis, dignus etiam Nicolao Cuſano Pontificis legato viſus eſt, quem anno 1450. ad excipiendas in diœceſi Hildeſienſi confeſſiones jubilæis quibusvis conſvetas, dirigeret, quam functionem integro vertente anno vix abſolvit. Auctor etiam celebratur organi pneumatici Mariærodani his verſiculis ornati:

Anno milleno cum Cquater, L ſuperadde,
Tunc opus hoc anno præſens ſtatuit Jubilæo
Archimandrita decoris cauſa domus iſta.
Nam facie templi mos eſt hic organa poni,
In Chriſti laude matriſque ſue benedicte,
Omnibus Angelicis - - cunctis quoq; ſanctis,
Spiritus ad jubilum, relevamen ferteq; fratrũ,
Officiis Chriſti jubilant dum cantica feſti.
Sic & luſere Domino David atque prophetæ,
Angelicique chori cantant in laude ſonori.
Pſalterio cythara, per organa, tympana, cymbla
Cœlorum Regi throno Cherubim reſidenti,
Tanta cauſa boni placeat ſatis hinc rationi
Aſſumpto Domino cœperunt organa noſtra
Hic nova feſtive cum Chriſti laude ſonare.
Hoc opus Organicum locat Honricus Abba per evum
Virginis ad laudem, Chriſti matris & honorem.
Fratrum in levamen & ſalvum ſpiritus Amen.

Extant alii verſiculi vernaculi procul dubio recentiores, in quibus fratrum induſtria laudibus evehitur.

Dis ſind die gemeinen Nahmen * — * *præmiſſus eſt catalogus fratrum ſub hoc abbate Marienrodæ viventium.*
Die täglich zur Arbeit kamen/
Von Herrn und von Brüdern recht/
An ſtatt der Arbeiter und Knecht/
Zu dem Gebäu waren ſie bereit/
Ein jeder wuſt auch ſeine Arbeit/
Und in fünff und dreyſich Jahren/
Sie mit der Arbeit fertig waren.
Zu Lob und Preiß Gott unſern Herrn
Gott ihnen die Stercke thut beſchehrn.
Nicht ſcheuen Hunger noch Dürſt/
Auch kein Hiz/ kein Kelt noch Froſt.
Ihn wars zu thun um Gottes Ehr/
Drum halff ihn bawen Got der Herr/
Die ſchöne Kirch und Gottes Hauß/
des haben die Marienröder Preiß/
Auch rühm und ehr allhier und dort/
Durch wahren Glauben an Gottes Wort
Das Leben und die Seeligkeit
Von nun an biß in Ewigkeit Amen.

Sed & in janua quadam monaſterii hi rhitmi olim lecti ſunt, quibus Henrici Abbas cura in abſolvendo hoc opere celebratur:

Manus zerobabell domum iſtum fundaverunt
Et manus ejus ad perfectum perduxerunt.

Denique hic Abbas curis & ætate feſſus poſitis inſignibus Abbatiæ renunciavit anno 1452, ipſo die Deſiderii.

28. *Henricus* ab Indagine ab ineunte puericia Mariærodæ inter Scholaſticos verſatus ob ſpectatam virtutem & induſtriam in locum ejus ſucceſſit. Verum cum transacto biennio in Lockumenſe cœnobium ad viſitationem una cum aliis Patribus prodiret; turbis ex nova electione coortis ipſe Abbas Loccumenſis ſalutatur, ſed cum per annum ſolum præfuiſſet, Marienrodam ultro rediit, licet ſtatim revocatus.

29. Redire itaq; inſignia ad *Henricum* de Berten; qui oblu&tatus & gemens præſentibus Abbatibo Riddagshuſano Michaelſtei-

nenſi & Amelungsbornenſi ad reſumenda illa invitatur. Ex quo tempore cum laude huic dignitati præfuit, donec anno 1463. gloriæ & dierum ſatur vivis excederet.

30. *Henningus* Mörgenſtern Conventualis Marixrodenſis anteceſſoris inſiſtens veſtigiis monaſterium muris complexus eſt, aliisque rebus cum laude geſtis obiit 1473.

31. *Henningus* Hockelmeiger multis litibus Romam delatis parum quiete vixit, a Viſitatoribus ideo dignitate exutus. Anno 1487.

32. *Henricus VII.* Pœlmann ſpatio vitæ & diuturnitate Prælaturæ inſignis, quippe qui anno demum 1502. decrepita ſenectute e vita exceſſit.

33. *Joducus* Henne eadem laude conſpicuus, ſed eo nomine infelix, quod in turbulenta Saxoniæ tempora incidit, quibus fortunæ monaſterii non parum afflictæ ac attritæ fuerunt. Ædificiis tamen quam plurimis partim inſtauratis, partim de novo excitatis, anno 1558. ad plures abiit.

34. *Bervvardus* domo Hildeſienſis vir inquieti ingenii ac ſui plenus ac diſciplinæ monaſticæ negligentior. Quo factum eſt, ut cum aliquando monachi bene poti bachanalia viverent, Conventualis quidam nomine Henricus Lambspringenſis ab Abbatis domeſticis trucidaretur. Quamobrem Abbas licet ab Epiſcopo liberæ cuſtodiæ eſſet mancipatus, tamen remotis cuſtodibus clam Hannoveram diſceſſit, tabulis quoque publicis, privilegiis, & quicquid moveri poterat, ſimul eo ſecum translatis. Demum cum Epiſcopi imperium plane aſpernaretur, ſuoque ingenio viveret liberius, anno 1561. dignitate privatus & e monaſterio exulare juſſus eſt.

35. *Franciſcus* de Borſum in Berwardi locum ſubrogatus honorem ea lege ſuſcepit, ut erepta nuper diplomata reſtituerentur. Quod cum non impetraret, eodem anno tanto munere excidit.

36. Hinc inter diverſa ſtudia conventuales fluctuarunt. Datus quidem ipſis fuerat *Johannes* Henne, ſed plerique cum Franciſco ſtabant. Et certe nemo Abbatum ex tanto tempore monaſterii facultates magis abligurivit, quam Johannes, laute ac ſplendide epulatus, & quotidie bacchanalia vivens, fratribus interea ferias eſuriales agentibus. Juſſus itaque acceptorum expenſorumque edere rationes: primum quidem tergeverſari & aliam ſubinde ex alia cauſam interſerere, deinde palam detrectare cœpit, vicinorum Ducum, quibus tunc cum Epiſcopo non ſatis conveniebat, opem implorans. Quamvis autem & hi ad edendas rationes Abbatem impellerent, attamen quoniam Conventus ab Epiſcopo deſciſcere nollet, omnes fratres anno 1579. e monaſterio exulare juſſi ſunt. Eo impunius jam Johannes facultates monaſterii diſſipabat, ſuoque priſtino more laute ac luxuriose vivebat: Commiſſum equidem Handehuſano & Bredelenſi Abbatibus dare operam, ne quid cœnobium detrimenti caperet, ſed viſitationi obſtabant duces, qui ſibimet ipſis curæ id fore dicebant. Demum inter hoſce diſſidiorum fluctus anno 1586. Johannes morari inter homines deſiit, cum ſuis nunquam magis, quam mortuus placuiſſet.

37. Extincto Johanne denuo in diverſa a monachis itum eſt, aliis *Johannem Clodium*; aliis *Cyriacum Vibbenium* eligentibus. Quamvis autem Johannes ab ordine eſſet confirmatus, Cyriacus tamen, quicquid facultatum erat reliquum, abligurivit. Vtroque brevi extincto Abbatiæ inſignia a Ducibus delata ſunt Johanni Oeconomo *, viro literarum quidem rudi; nam tonſorum artem juvenis exercuerat, monaſterio tamen utiliſſimo. Hic bonis plerisque recuperatis, ipſoque conventu ad priſtinam diſciplinam reducto anno 1626. diem obiit ſupremum.

* Haus-Vater.

Hunc Abbatum catalogum hic non putavi prætereundum, quem maximam partem Leznero diligentiſſimo me debere profiteor. Ceteri qui ex hoc tempore in laudato monaſterio floruerunt; ad nos non pertinent, quibus non eſt animus ad recentiora deſcendere, ne ſcilicet antiquitates noſtræ Novitatum, ut ita dicam, faciem induiſſe videantur.

Anni Chriſti 1260. 1261.

Interregni 5. 6.

Ab. V. C. 337. 338.

INter hæc non deſiit commune Germaniæ malum, & morbus peſtilentiſſimus, Latrocinia inquam, & triſtes diſcordiæ, ad quas comprimendas fruſtra Alphonſum ex Hiſpania expectabant. Hac turbulenta rerum facie in eccleſiam quoque novi ſubinde errores ac ſuperſtitiones invehebantur, ſynodis quoque eo nomine convocatis, licet plerumque a metropolitanis id fieret. Celebrantur ex his annis Synodi Colonienſis, Arelatenſis, Pariſienſis, Coprimiacenſis, Moguntina & Lambethenſis, in quibus nulla de re ſollicitius actum, quam de vigiliis, jejuniis proceſſionibus, campanarum pulſu, aliisque ejusmodi ritibus, quibus maxime ſibi tunc placebant mortales. Cum enim Tartari ruptis patriæ

Variæ ceremoniæ in eccleſiá invectæ. *Concil. Tom. XI. part. 1. p. 783. ſq. 793. ſqq. 799. ſq. 803. ſq. part. 2. p. 2359. Spelmann. tom. conc. Brit. p. 305.*

Siffrid. ad ann. 1261. p. 579

triæ finibus in Chriſtianorum imperia feciſſent impetum & via ferro ſibi facta omnia cœdibus, rapinis & incendiis miſcerent, ad ſubmovendos hoſce barbaros excogitæ ſunt variæ ſupplicationes, tam variis ceremoniis obſuſcatæ, ut nihil attineat eas hoc loco copioſius commemorare. Nec negaverim tamen in iisdem Synodis nonnulla ſancita fuiſſe, quæ ad collapſam diſciplinam emendandam magnum habitura fuiſſent momentum, niſi a ferociente Clero, & diſciplinæ antiquæ impatiente aut repudiata eſſent, aut neglecta. Inolevit etiam per hoc annos nova ac portentoſa ſecta Flagellancium, quæ triſti hominum ſpectaculo in his quoque regionibus urbes ac oppida obire, ſtipem vicatim petere, & bis quotidie corpus adeo verberibus lacerare ſolebat, ut homines omnem humanitatem vide-

Secta portentoſa flagellantium.

Chron. Auguſt. p. 381. Johann. Gerſon. ſing. libell. contra ſectam flagellantium edit. Erphord. 1616. & Tom. 1. Opp. Natal. Alex. ſec. 13. c. 3 art. 5. p. 334. Chron. Sax. Pomar. p. 384.

rentur exuiſſe. Neſandos furioſorum illorum hominum mores accurate inprimis deſcribit Henricus Stero, quibus per omnia Crucigeris fratribus, ſequente ſeculo apud nos delirantibus paria eos feciſſe conſtat. En enim ipſa Steronis verba: *His diebus (anno MCCLX) ſurrexerunt quidam pœnitentes, qui flagellatores dicebantur, qui primo pauci numero a Peruſio civitate Tuſciæ proceſſum habuiſſe feruntur, quorum ſectam non ſolum tota Italia, ſed & regiones plurimæ ſunt ſecutæ, ita quod eam inprimis ſibi multi nobiles mercarunt. Erat enim modus ipſius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis & miſerabilis ad videndum. Nam ab umbilico ſurſum corpora denudantes, quandam veſtem partem corporum inferiorem usque ad talos tegentem habebant, & ne quis eorum agnoſceretur, cooperto capite & facie incedebat. Procedebant etiam bini vel trini, tanquam clerici, vexillo previo, vel cruce, flagellis ſemet ipſos bis in die per XXXIII. dies [diem in memoriam temporis humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſuper terram apparentis] tamdiu cruciantes, quousque ad quasdam cantiones, quas de paſſione ac de morte Domini dictaverant, duobus vel tribus præſentibus circa eccleſiam vel in eccleſia compleverunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obſtante luto vel nive, frigore vel calore. Miſerabiles itaque geſtus ipſorum & dira verbera multos ad lacrymas & ad ſuſcipiendum eandem pœnitentiam provocabant. Sed quia origo ejusdem pœnitentiæ nec a ſede Romana, nec ab aliqua perſona auctorabili fulciebatur, a quibusdam Epiſcopis & Domino Heinrico Duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde tepeſcere in brevi cœpit, ſicut res immoderata concepta.* Omitto æternum Evangelium Franciſcanorum, peſtilentiſſimis ſomniis ac nugis refertum, atque ideo ab ipſo Pontifice ultricibus flammis mancipatum. Adeo inter homines certatum tunc veluti fuit, quis monſtroſiores doctrinas parere poſſit.

In vicinia noſtra Albertus Brunſvicenſium & Luneburgenſium Princeps Johannis Hildeſienſis Epiſcopi copiis auctus Peinenſem Comitem bello perſecutus eſt, nenſis forte quod more his ſeculis ſolenni paulo liberius prædas egerat, publicamque violaverat tranquillitatem. Leznerus e vicinia nim diſerte affirmat, Comitem ideo a bello Goslarienſibus, Brunſvicenſibus, Hildeſienſibus, Hanoveranis, Luneburgenſibus ac Halberſtadienſibus apud Albertum Ducem delatum ac ſæpius monitum non reſipuiſſe. Cauſas certe, quas ſilentio involvere maluerunt hiſtorici, æquas ac juſtas fuiſſe cenſet Cranzius; qui tamen ex quo fonte ſua hauſerit, non ſolet aperire. In certa narratione antiquum Chronicon Saxonicum ſecutus eſt, atque hinc refert, Comitem cum ſeſe tantis inimicis imparem animadvertiſſet, ad mitiora conſilia converſum clam cum Johanne Epiſcopo egiſſe, ut Albertum Ducem ſuo conſilio ab obſidione detraheret, id ſi faceret, ſe quippe improlem B. Mariam bonorum ſuorum ex aſſe hæredem ſcripturum, totumque Comitatum Hildeſienſi eccleſiæ donaturum. Ea re lætum Epiſcopum Alberto Duci ſpecioſis verbis rei difficultatem, loci naturam, præſidiique fortitudinem expoſuiſſe, idque demum impetraſſe, ut Dux ſigno receptui dato, re infecta diſceſſerit. Re vero cognita, adeo excanduiſſe Ducem, ut graviſſimam ultionem Hildeſienſi minatus ipſam Peinam bello denuo tentare decreverit. Sed Meibomius, qui Chronici Saxonici ac Cranzii narrationes, niſi cum antiquis ac genuinis monumentis conveniant, non magni ſolet habere, hac in re quoque acutius vidit, inventis quippe tabulis e quibus comitatum Peinenſem a Comite numerata pecunia venditum, atque Epiſcopum ideo ad gravem argenti inopiam redactum eſſe apparet, cui & Leznerus ſuo ſuffragio accedit. Quæcunque demum cauſa diſceſſus tam repentini fuerit, id ſane conſtat, Albertum tantas opes, quas ſibi deberi exiſtimabat, ad Hildeſienſem eccleſiam transferri ægre admodum tuliſſe, magnamque inde ſubnatam eſſe litium materiam, ne ipſa quidem Johannis Epiſcopi obitu terminatam. Nos Comitum Peinenſium catalogum, qualem e variis monumentis & Lezneri-anis Schedis excerpere licuit, hic ſubnectemus:

Bernar. dus Comes Pei. nenſis ob turbatam violaverat tranquillitatem. Leznerus e vicinian petitur. Chron. Sax. Pomar. p. 335. Cranz. l. 1. Sax. c. 21. p. 221. Bunting. part. 1. p. 220. ubi Conf. Meibom. Lexn. lib. 3. c. 15. Chron. Hildes. MSC. Reinel. Chron. Hildeſh. p. 96.

Ericus *Comes Peinensis dicitur interfuisse prelio Merseburgensi cum Henrico Aucupe anno 933. nec non torneamentis Magdeburgicis anno 937. Lichtenbergensem arcem dicitur inhabitasse.*

* * *

Gunzelinus *parens Comitum Sverinensium.*

Ludolphus, *cum Henrico Leone educatus dynastiam Malkau ab eodem Duce anno 1169. accepisse Helmoldo l. 1. c. 87. dicitur, qua qualis sit. vid. in notis Bangerti p. 203. Riddagshusano cœnobio anno 1160. prædium Hervverdessen donavit, beneficiorum tamen parum memor Henricum Leonem reliquit, atque ideo comitatu exutus interfuit comitiis Erfurtensibus 1181. ibique testimonium contra Henricum tulit. Testis citatur in diplomate Friderici I. Goslariensi ecclesiæ dato 1188. Quo anno & Comitatum recepit, excepta Lichtenberga. mortuus* 1189.

Comires Peinenses. *Lezn. lib. 3. c. 15. Chron. Hildes. MSC. Meibom. not. ad Gerh. Stederb. p. 446. tom. 1 Fr. Lucatrium Comit. part. 1. p. 630.*

Bernhardus
Conj. Luitgardis *de Woldenb.* 1291.

Ludolphus

Ludolphus *Salzator* Conj. Mathilda *de Dorstadt.* 1233.

Bernardus *ultimus familiæ anno 1260. ab Alberto Brunsvic. & Luneburgens. Duce obsessa comitatum suum Johanni Episcopo vendidit.*

Gunzelinus *latrociniis operam dedisse dicitur.*

Illustris sane prosapia & totius Saxoniæ olim nobilissima, quippe cui Comites Sverinenses, & Dynastæ Bartenslebii eandem debent originem. Quinimo & Dynastæ de Wolfferbutle, si Leznerus audiendus, eodem cum Peinensibus sanguine creti sunt. Literas enim se vidisse profitetur hoc nomen præferentes: *Gunzelinus de Wulferbuttel Comes de Peina.* Gunzelinorum certe nomen vix ulli generi, quam Peinensium, Sverinensium & Wolferbutelensium fuit familiarius.

Theodericus Vironensis Ep. Goslariæ

Comitibus itaque Peinensibus, qui totam viciniam latrociniis infestabant, bello fractis, & debilitatis haut paulo quietius Goslaria nostra egit. Hospitium hoc anno præbuit Theodorico Vironensium Episcopo, nescio quam ob rem huc transeunti. Hannoveræ sane eum adhuc anno 1265. egisse, docent literæ Thymonis, Corbeiensis Abbatis, quibus Advocatiam Huxariensem Ducibus Brunsvico Luneburgensibus assignat: quemadmodum & anno MCCLXXI. dominica Reminiscere capellam omnium Sanctorum Walckenredæ dedicasse legitur. Extant illius literæ, quibus Francobergensis cœnobii egestatem, forte ex vicinis latrociniis contractam coram se spectasse testatur, singulis ubertimas indulgentias pollicitus, qui laboranti huic monasterio, suis opibus subvenissent. Ipsas tabulas e Chronico Cœnobii Mont. Francorum repetemus:

agens Francobergensi monaste rio indulgentias concedit. *Chron. Cœnob. Mont. Franc. p. 28. Leukfeld. Chron. Walk. part. 1. c. 8. p. 90.*

THeodericus Dei gratia Episcopus Vironensis Christi fidelibus universis præsentes literas inspecturis salutem in Dominorum Domino Dei filio JESV CHRISTO. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum a redemtis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud esse prægrande dinoscitur, quod ubique, sed præcipue *S. S.* ecclesiis majestas altissimi collaudetur. Hinc est, quod cum nos locum dilectorum nobis in Christo Præpositi & Priorissæ totiusque S. Collegii Sororum S. Mariæ Magdalenæ in Franckenberg Goslar Hildensem. Dioce-

ceſis duxerimus perſonaliter viſotandum, inſpecta ejusdem loci neceſſitate, earumque favorabilis precibus inclinati, omnibus vere pœnitentibus, qui locum ipſum in B. & glorioſæ ſemper virginis DEI Genetricis Mariæ BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, Sanctique Auguſtini Confeſſoris atque Pontificis, ac B. Mariæ Magdalenæ, nec non in ejusdem eccleſiæ dedicationis annuæ feſtivitatibus, ſeptemque diebus immediate ſequentibus, cum cordis contritione & humilitate annuatim venerabiliter viſitarint, quique eisdem ad ipſorum propter Chriſtum pauperem, videlicet extremæ paupertatis ſarcinam portantibus, inopiam ſublevandam manum porrexerint quocunque tempore adjutricem, de omnipotentis miſericordia, & prænominatorum Petri & Paulo Apoſtolorum ejus, ac ea, quam nobis licet indignis DEUS contulit, autoritate confiſi XL. dierum uniusque carenæ indulgentiam, accedente conſenſu venerabilis Domini Hildenſem. Epiſcopi, in nomine Domini concedimus miſericorditer & largimur, peccata & oblita vera fracta ſi ad ea redierint, offenſas patrum & matrum ſine injectione manuum violenta, juramenta temeraria, quæ fiunt absque tactu reliquiarum, aut Evangeliorum, & violationes dierum celebrium ſimiliter relaxamus. Datum ibidem in die B. Georgii Martyris, anno Domini MCCLXI. Pontificatus vero noſtri anno XIVto.

Otto Brunſvic. & Luneb. Dux. Hildeſ. Ep. creatur. *Chron. MSC. de Epiſc. Hildes. c.14. Rensel. p.96. Chron. Hilles. Cranz. lib.8.c.25. metrop. p.214. Bunting. l.c. Bruſch c.11. de epiſc. p.1051.*

Ceterum ſubtraxit hic annus Johannem Hildeſienſem Epiſcopum, cujus in locum conſentientibus Canonicorum ſuffragiis, ſubrogatur Otto, Ottonis F. Brunſvicenſium ac Luneburgenſium dux. Sperabant enim gliſcentem litem de Comitatu Peinenſi facilius iri ſopitum, ſi Alberto fratri germano ſacerdotium hoc deferrent. Verum Albertus juris ſui ſervantior, fratri quidem Epiſcopatum non invidit, Peinenſem tamen comitatum non niſi ea lege conceſſit, ut ſi ei quid accideret humanitus, ad Brunſvicenſes Duces rediret, quod tamen pactum eventus fefellit. Otto ad Epiſcopatum evectus nondum ex ephebis exceſſerat, nec primos Diaconi & presbyteri ordines per ætatem ſuſceperat. Hinc transacto demum quinquennio Diaconus & mox Presbyter ſolenni ritu inunctus confirmationem a Pontifice obtinuit. Eccleſia ipſi ſemper curæ cordique fuit. Hinc variis immiſtus turbis, ſæpiusque ſuorum odia expertus, mœrore contabuit anno MCCLXXIX, ut Buntingius, Bucelinus, ceteriq; qui paulo accuratius temporum ineuntrationem, docent. Vulgo enim anno MCCLXXV. obiiſſe dicitur, cui ſententiæ ipſa diplomata a nobis proferenda refragantur.

Anni Chriſti 1265. 1266.
Interregni 10. 11.
Ab. V. C. 342. 343.

Conventus Principum Quedlinburgenſis. *Shaten. lib.11. annal. Paderb. p. 108. tom.2.*

TRahebatur adhuc ferale interregnum, quod funeſtiora indies mala in rempublicam invehebat. Principes enim factionibus diviſi, civitates occultis fœderibus conjunctæ, equites tumultuariis armis aſſveti nihil integrum, aut inviolatum reliquere. Hinc Saxoniæ noſtræ Principes ac civitates, communi calamitate preſſi id putabant ſibi dandam operam, ne quid feſſa respublica detrimenti caperet. Quam in rem Quedlinburgi congregati re maturius deliberata fœdus inter ſe mutuum popigerunt ea lege, ut conjunctis viribus de abolendis latrociniis reſtituendaque priſtina tranquillitate, laborarent. Præcipui, quos huic congreſſui interfuiſſe referunt annales, fuerunt Albertus Thuringiæ Landgravius, Otto Marchio Brandeburgicus, Albertus & Johannes Duces Brunſvicenſes, Marchio Misniæ, Comites Holſatiæ, aliique quamplurimi, qui ſalvam rempublicam volebant. Mireris tamen eos, cum domi ſatis eſſet, quod agerent, foris etiam Pruſſis bellum inferre in eodem congreſſu decreviſſe. Adeo nondum dediderant Principes, cum rerum ſuarum periculo ad crucis vexillum convolare, hoc eſt, in præſentiſſimam proruere perniciem. *Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 324. referbus ad ann. 1269.*

Decani quidam & Canonici eccleſiæ SS. Simonis & Judæ.

Rerum domeſticarum nihil nobis annalium auctoritate deſtitutis ad hos annos commemorare licet, niſi quod Decanorum quorundam & Canonicorum SS. Simonis & Judæ nomina ex monumentis didicimus. Extat enim in Grauhoffiano archivo literæ hujus Capituli anno MCCLXV. conſignatæ, quæ ſic ordiuntur: *Nos Rainardus D. G. Decanus, Alexander Scholaſticus, Conradus de Mulhuſen, Gunzelinus Gechlie, Henricus de Inferno, Bertholdus Honeſtus, Johannes de Goſa, Dominus Sigebodo Cuſtos, Gunzelinus de Oſterrod, Conradus de Brunſvic, Olricus de Piſcina, Fridericus de Jerſen, Bertholdus de Hovviſchen, Hartmannus de Wildſtein Canonici SS. Simonis & Judæ &c.* Cujas hic Rainoldus Decanus ſit, cum ignariſſimis ſcio, nec quicquam de eo præter nomen mihi conſtare fateor. Id tamen compertum habeo, ultimum hunc eſſe ejus vitæ annum: Nam proxime inſequente in membranis eccleſiæ SS. Simonis & Judæ alius occurrit Fridbertus. Qualicunque ergo notitia contenti ſimus oportet,

ſeculo

ſeculo tam barbaro & rerum ſuarum incurioſo.

Anni Chriſti 1267. 1268.

Interregni 12. 13.

Ab. V. C. 344. 345.

Eccleſia SS. Simonis & Judæ novis bonis aucta.

INſequens annus civilibus adhuc bellis infelix, quæ fata Goslariæ noſtræ attulerit ſcriptorum ob inopiam ignoramus. Conjicimus tamen plerisque, qui viciniam turbaverant, obtritis, ſatis quiete eam egiſſe. Eccleſia SS. Simonis & Judæ hoc anno novis bonis aucta eſt, emta a Nobilibus de Wedeſtorp advocatia ſuper manſos aliquot Reinſtedienſes, quem contractum Volradus Halberſtadenſis Epiſcopus & Comites Anhaltini ſuffragio ſuo ratum habuerunt.

OLRADUS Dei gratia Halberſtadenſis Epiſcopus, *Mechtildis* Dei gratia Comitiſſa nec non & filii ejus *Otto* & *Henricus* Comites Aſchariæ & Principes de Anehalt omnibus hanc paginam audituris æternam in Domino Salutem. Ea, quæ temporibus modernis a Chriſti fidelibus geruntur neceſſarium eſt, ne per diuturnitatem temporis a memoria evaneſcant, ut bonorum hominum & literarum teſtimonio diligentius fulciantur. Notum igitur eſſe volumus univerſis, quod *Olricus* & *Henricus* fratres milites dicti de Wedeſtorp advocatiam in *Rheinſtede*, quam habuerunt ſuper bonis Eccleſiæ Sancti Matthiæ in Goslaria, videlicet ſuper viginti octo manſos & dimidium & ſuper unum molendinum litonibus & hominibus ejusdem Eccleſiæ Goslarienſis vendiderunt quemlibet manſum pro quatuor marcis & eisdem litonibus in fœdo porrexerunt Jure feodali cum puerorum & hęredum ipſorum voluntate & conſenſu, promiſerunt etiam, quod ipſi & ipſorum pueri & hęredes eorum ipſis litionibus & eorum hęredibus præfatam advocatiam in *Rheinſtede* porrigere tenentur absque aliqua exactione & hoc dictis litonibus & eorum heredibus a ſæpe dictis Olrico & Henrico & eorum poſteris in perpetuum ſervabitur inconvulſum. Adjicientes, ſi dicti fratres *Olricus* & *Henricus* & eorum heredes, caſu forſan aliquo contingente, ipſam advocatiam vellent vendere nihil plus Juris transferre poſſent in alium, quam ſicut nunc in eadem advocatia noſcuntur habere. Si vero prædicti litones & homines in villa eadem *Rheinſtede* ad effuſionem ſanguinis invicem ſe læſerint, vel furtum ibidem commiſerint dictorum fratrum *Olrici* & *Henrici* parebunt judicio, & ad ipſos querimonia delata fuerit, & alii homines ſine gravamine & damno quemlibet ad exceſſum talem corrigendum ipſos unanimiter adjuvabunt. Præterea ſi cenſum debitum dicti homines dominis ſuis Goslarienſibus Canonicis recto tempore non ſolverint, Procurator ipſorum Dominorum, ſi neceſſe fuerit ad requirendam præbendam ſæpe dictorum Dominorum de Wedeſtorp auxilium invocabunt. Si vero, quod abſit, ipſi de Wedeſtorp in requiſitione præbendarum Dominorum de Goslaria negligentes fuerint ipſi Domini Goslarienſes nihilominus alias quomodo poſſunt ſibi invocabunt auxilium opportunum. Similiter & *Iammo* & fratres ejus *Albertus*, *Theodoricus* & *Henricus* dicti de Rheinſtede advocatiam ſuper ſedecim manſos, quam tenent in feodo adjectis fratribus de Wedeſtorp præfatis hominibus & litonibus vendiderunt, quemlibet manſum pro tribus marcis, quam advocatiam etiam eisdem litonibus in feodo porrexerunt. Hujus rei teſtes ſunt *Bartoldus*, quondam Scriptor Comitiſſ. *Conradus* Plebanus de Rheinſtede, *Wolterus* Vicarius ejusdem Clerici. *Burchardus* de Rheinſtede *Theodoricus* de Aſcharia dictus ultra aquam. *Gelembertus* de Wilſterie milites & alii quam plures Clerici & Laici. Vt autem hæc prænominata venditio & advocatiæ feodalis porrectio nec non conditiones adjectæ prælibatis hominibus & litonibus in Reinſtede a dictis fratribus & eorum heredibus firma permaneant atque rata dictus *Iammo* & ipſius fratres, quia ſigillo proprio caruerunt, nobis ſupplicarunt, ut præſentem paginam ſigillis noſtris una cum ſigillis ſæpe dictorum fratrum de Wedeſtorp roborare in firmius teſtimonium dignaremur. Acta ſunt hæc *Aſchariæ*. Anno M. CC. LXVII. VIII. Martii in die cathedræ Sancti Petri.

Sagittar. hist. Princ Anhalt. c. 4. s. p. 25. sq. Tab. IV. frig. 7. 8.

Henricus hic & Otto fratres Henrici pinguis Principis Anhaltini filii sunt, qui aliquandiu sub Mathilda matre communi nomine provinciis præfuerunt, donec Henricus sacro ordini destinatus primum Halberstadii deinde Magdeburgi in Canonicorum ordinem cooptaretur, ac demum ad Archiepiscopatum Magdeburgensem proveheretur Anno MCCCV. Vtriusque fratris ut & Mechtildis sigilla hic exhibemus, elegantissima & optime conservata.

Conradus Advocatus.

Tidericum de Sulynge Advocatum Goslariensem, cujo paulo ante insignem munificentiam in ornandis egenis sumus admirati, sub hoc ipsum tempus secutus est Conradus, si quid colligere licebit ex vetusta membrana ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, quæ *platea Conradi Advocati* hoc anno tacit mentionē. Longe certiores circa hæc tempora res ecclesiæ Petri & Pauli Montis Francorum, novis subinde indulgentiis a peregrinis Episcopis locupletatæ. Cum enim Fridericus Kapoliensis Episcopus crucem adversus infideles Porussos prædicaturus hac transiret, Ecclesiamque divorum Petri & Pauli vetustate attritam ruinam minari animadverteret; Animos hominum indulgentiarum illecebris ad elargiendas eleemosynas putavit sollicitandos. Hinc sequentes literæ prodierunt:

Chronicon. Canob. Mont. Fran. p. 36.

Fridericus Kapolensis Episc. Goslariæ crucem prædicans indulgentias ecclesiæ Petri & Pauli cōcedit.

* * *

FREDERICUS Dei gracia Kapolensis Episcopus Tharbatensis postulatus, Crucis Christi minister, universis in Christo credentibus præsentem paginam visuris in domino salutem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis suæque & merita supplicum excedit, & vota multo majora retribuat sibi servientibus quam valeant promereri; desiderantes tamen domino populum reddere acceptabilem ad complacendum ei, quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis videlicet & remissionibus, invitamus, ut exinde divinæ gratiæ reddantur aptiores. Cum igitur occasio ad vestram salvationem multipliciter vobis a domino offeratur, ut videl. per largitionem eleemosynarum & expietis peccata, & premia conquiratis æterna, universitatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in domino, in remissionem peccatorum vobis injungentes, quatenus ad emendationem ecclesiæ BB. Apostolorum Petri & Pauli in Vrankenberch, & ad sustentationem SS. monialium ibidem Deo servientium, de bonis vobis a Deo collatis pias elemosinas & grata subsidia erogetis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia confisi, ac B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, & ea, qua fungimur, auctoritate suffulti omnibus contritis & confessis, qui ad eandem ecclesiam manum porrexerint adjutricem, accedente consensu & licentia domini diocesiani, XL. dies & unam Karrenam de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. in Goslar anno Dni. MCCLXVIII. in die B. Mariæ Magdalenæ.

Hic ergo *Crucis Christi Minister* totam ferme Saxoniam adversus Porussos armavit, cumque jam anno MCCLXV. principes haut pauci expeditionem contra eos irrito ferme conatu suscepissent: id impetravit, ut novæ subinde copiæ sub crucis vexillo eo convolarent, cujus peregrinationis societatem & cives nostros quamplures petiisse Kapolensis hujus industria nos non patitur dubitare. Solent enim homines sanctitatis & religionis opinione imbuti, inprimis si monitores & variæ pollicitationes accedant, nihil facere libentius, quam cum insigni vitæ periculo adversus inimicos in aciem prodire, siquidem quodcunque etiam parum pie fecerint, pro aris & focis fecisse dicuntur.

Anni Christi 1271. 1272.

Interregni, 16. 17.

Ab. V. C. 348. 349.

Richardi Regis obitus & Germaniæ misera facies. *Append. ad Matth. Paris.*

SEquitur annus a Christi natali millesimus septuagesimus primus, Richardi Regis obitu fatalis. Is postquam jamdudum imperii obtinendi spem cum opibus amiserat, & solo Regis nomine contentus in patriam redierat, hoc ipso anno IV. Nonas Aprilis diem obiit supremum. Alphonsus igitur licet æmulo liberatus non potuit tamen a se impetrare, ut relicto patrio regno in Germaniam contenderet, ratus forte id quod res est, satius esse avito Imperio rite defungi, & Germaniæ calamitates e longinquo spectare, quam

quam iis ſe committere fluctibus, e quibus emergere unquam vix liceret. Interea tamen non abſtinuit a regio nomine, quaſi ſatis laudabiliter partes ſuas videretur egiſſe, ſi tantam dignitatem primus in familiam ſuam intuliſſet, licet vel maxime nihil contuliſſet ad reipublicæ ſalutem. Hinc deſtituta Imperatore Germania & diſſidentibus principum ſtudiis in ſe ipſum concitata ad extremum adducta eſt periculum, legibus ſacris impunitatis ſpe violatis primum, deinde penitus ferme abrogatis. Nulla jam amplius imperandi parendique mutua conſvetudo, nulla pactorum ac fœderum ratio. Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus a Wilhelmo Comite Juliacenſi Coloniæ urbi fœderato principe captus, jam quintum annum in carcere tenebatur, pactis deinde non ſatis æquis liberatus. Bertholdus Fuldenſis Abbas inter ipſa ſacra a quibusdam Vaſallis coram altari veluti hoſtia trucidatus. Quod fatum & aliis principibus viris inter tumultuaria nobilium arma ſubeundum fuit. Acceſſit his malis publica fames, quæ adeo Saxoniam per triennium exhauſit, ut vix parem hominum memoria vel ex annalium fide potuerit recordari. Adeo Deus tot ſceleribus provocatus omnem iracundiam ſuam in Germaniam tunc videbatur effudiſſe.

Chron. magn. Belg. ad h. ann. Leveld. a Norie f. cat. Ep. Colon p. 9. Addit. ad Lamb. ann. 1271. p. 259. Fr. Corn. Breviar. Fuldenſ. p. 438. Brower. l. 4. ann. Fuld. p. 311

Hiſtor. Landgr. Thur. c. 67. p. 930. Siffrid. presbyt. p. 698.

Arnoldus de Solmeſſen Præpoſ. SS. Sim. & Jud.

Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ apud nos per hæc tempora præfuit Arnoldus de Solmeſſen Præpoſitus, ſimulque Canonicus Moguntinus, vir nec nobilitate generis, aut gloria majorum nec ſua ipſius virtute ulli ſecundus; atque ideo præ ceteris electus a Werenhero Moguntino Archiepiſcopo, quem hoc anno cum Mag. Hermanno Decano eccleſiæ S. Victoris Mogunt. in Episcopatum Paderbornenſem ad exſequendum viſitationis & correctionis officium deſtinaret, miſſis ideo ad Epiſcopum, præpoſitos, Decanos, Capitula & Conventus literis, quibus eos juſta reverentia ſuſcipiendos monet. Decani partes cum laude egit Fridericus de Jerchſen, Ottonis Hildeſienſis Epiſcopi Capellanus & S. Nazarenæ eccleſiæ in Syria Canonicus. Agmen enim hoc anno inter teſtes ducit, qui venditionem bonorum Bodenſteinenſium ſuo ſuffragio ratam habuerunt. *Teſtes Fridericus Decanus, Johannes de Bilſten, Conradus de Reinſtede Canonici D. Matthiæ Goslariæ, Conradus templi forenſis Paſtor, Henricus D. Jacobi Paſtor, Elerus de Homannesbuſen miles, Burchardus de Bilſten, Hermannus Senior de Aſtfeld, Thidericus Bonus, Johannes Immingboff aliique.* Perpetuum hujus Friderici monumentum ſervatur in Baſilica SS. Simonis & Judæ, quam Canonicorum ſedilibus eleganti picturarum genere, phrygio opere, exornavit. In medio ambone, cui Cantor inſidere ſolet, hæc inſcriptio inciſa apparet:

Fridericus de Jerchſé Decanus

A. M. CCLXXI.
AMBONEM SEDES FECIT FIERI
FRIDERICUS
CUI DETUR REQUIES CHRISTO
JUNGATUR
AMICUS, SANCTOS ORNAVIT-
QUE CHORUM
PICTURA SACRAVIT, QUANTUM
QUISQUE
DEDIT SUA NON MERCEDE CA-
REBIT.

Bona Bodenſteinenſia, quorum paulo ante injecimus mentionem, monaſterio ſuo ccccx. marcis argenti comparavit. Wernerus Prior in Franckenberg, qui cum initio minus ſolvendo eſſet ab Alexandro de Walmoden Scholaſtico SS. Simonis & Judæ XL. marcas argenti ea lege accepit mutuas ut ſacerdoti S. Mariæ Magdalenæ quotannis binas marcas argenti alteram in vigilia S. Michaelis, alteram in vigilia paſchatos exolveret. Ipſum Werneri Præpoſiti Franckenb. diploma, cum tot Canonicorum, Huzonis Advocati Goslarienſium, nec non Præpoſitorum S. Georgii & Novi operis nomina prodat, integrum hic ſubjicienus:

Werne rus Præpoſ. Franckenb. Sacerdoti S. Mariæ Magdalenæ quotannis II. Marcas ſe daturum promittit. Huzo Advocatus Goslarienſis.

WERNERUS Prior & Conventus totus dominarum in *Frankenberg* Goslar. omnibus hanc literam intuentibus notum facimus, quod cum bona in *Bodenſten* a fratribus de *Walmode* ſcilicet Dno. Th. & Henrico militibus pro quadringentis & X. m̃ comparaſſemus, condictum fuit, ut ſemper in termino paſchali ſolveremus de pecunia quantum ſolvere poſſemus, & quod non ſolvemus, pro X. m̃ unam m̃ ſolvemus, nomine cenſus, donec tota pecunia eſſet ſoluta. Unde de conſilio amicorum noſtrorum accepimus a Dno Al. Scolaſtico Patruo militum prædictorum XLij m̃ quas prædictis fratribus ſolvimus pro quibus XLij Marcis obligamus nos non ſolum bona noſtra in *Bodenſten* ſed & eccleſiam noſtram cum omnibus bonis noſtris ad hoc ut Clerico deſervienti Capellæ S. Mariæ Magdalenæ, quæ contigua eſt Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslar demus ij m̃. quæ ita bonæ ſint, ut m̃. valeat puram m̃. minus lotone, unam in vigilia Beati Michaëlis, alteram in Vigilia Paschæ, & ſi iſtæ m̃ debitis temporibus non

non ſolverentur, prædicto Clerico in tali dampno noſtra eccleſia reſpondet. Et ut iſtud firmum maneat, quam diu ſeculum ſtat, ſigillo eccleſiæ noſtræ & ſigillis Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ & Ecclrum Montis S. Georgii & Novi Operis in Goslaria & burgenſium placuit præſentem literam roborari. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXXII. in die beati Georgii in Eccleſia *Frankenbg* præſentibus me, & Conventum meo Duo *Hermanno* præpoſito Montis S. Georgii & *Henrico* Præpoſito Novi Operis Domino *Friderico* Decano, *Alexandro* Scolaſtico, G. d. Githlede B. honeſto, *Joh.* de Goſa, B. Cuſtode, *Alex* de Walmode, B. de Gowiſche, *Ol.* de Piſcina, H. de Bilſtein, H. Honeſto, Magiſtro *Renado*, R. de Lapide, *Joh.* de Belſten, *Joh.* de Veltum, L. d. Elvede Canonicis SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ, *Huzone* advocato, *Hñ* de Aſtvelt *Jlen* de Dorneten, Hele dorneten, *Bertramo* de Bilſten, *Bẽb* d. Bilſten, *Joh.* d. Bilſten, *Joh.* & R. frībus d. Inmingehof. *Joh.* d. dorneten, *Henr.* Gudeman, *Conrado* de Egerſum, *Thid.* Goſe & aliis quam pluribus burgenſium. Præterea ſcire debent hujus paginæ inſpectores, quod prædictus *Al.* Scolaſticus, jam dictam Capellam ad quam iſte cenſus duarum marcarum deputatus erit funditus conſtruxit ſuis laboribus & expenſis.

Capella B. Mariæ Magdal. ab Alexandro de Walmode inſtaurata.

Inprimis notatu digna videtur diplomatis clauſula, quæ nos de Capellæ B. Mariæ Magdalenæ inſtauratione præclare admonet. Teſtatur enim Wernerus Prior Alexandrum hunc de Walmoden, Scholaſticum SS. Sim. & Judæ hanc ipſam capellam ſuis fructibus ac expenſis e fundamentis extruxiſſe, id quod de inſtauratione videtur accipiendum. Conſtat enim e variis monumentis, capellam B. Mariæ Magdalenæ duoum ante hæc tempora floruiſſe. Quis ergo non etiam atq; etiam miretur temporum illorum devotionem, qua nec opum, nec laborum ullam ſolebant habere rationem, ſi aut eccleſiæ extruendæ, aut extructæ ornandæ locupletandæque eſſent. Verum, neſcio qui factum ſit, ut aucto indies capellarum, eccleſiarum, monaſteriorum numero, vera pietas, quotidie magis magisque vileſcere, ac imminui cœperit, atque eccleſia vix quicquam ex illius ſeculi puritate retinuerit, quo Chriſtiani procul habitis omnibus capellis, baſilicis, altaribus cultu ſanctiſſimo etiam in cryptis ac terrarum ſpeluncis Deum propitiarent eique in ipſo animo potius, quam in ædibus manu conſtructis dedicarent delubrum.

Anni Chriſti 1273. 1274.

Rudolphi I. Imp. I. 2.

Ab. V. C. 350. 351.

princeps de elige do novo Rege cogitant. *Siffrid. presb. ad h. ann. p.* 695. *H. Stero, p.* 388.

Diuturnæ calamitatis, qua Germania noſtra per tot annos afflicta fuit, finem demum attulit annus proxime inſequens, quo novum veluti ſidus, laboranti patriæ affulſit, & abunde communibus omnium votis reſpondit. Cum enim per tot annos Germanici Principes diſſidentibus ſuffragiis diviſi diuturni Interregni mala cum incredibili provinciarum ſuarum pernicie toleraſſent, hoc ipſo anno veluti meliore ſidere afflati conſenſere in Rudolphum Habsburgicum Comitem, virum virtute ac armorum laude nulli ſecundum, quique ſolus reipublicæ ab inteſtinis motibus ad concordiam revocandæ par eſſe videbatur. Nondum equidem vivis exceſſerat Alphonſus, ſed regio nomine ſe adhuc ferebat; veruntamen cum ſpem Germanorum toties eluſiſſet, nec ullam imperii rationem haberet, præteraque inteſtinis Caſtellæ motibus prohiberetur, quo minus pedem Germaniæ inferre poſſet: ſtatuerunt demum Electores alium eligere, quem ſcirent meliore fide Imperii curam ſuſcepturum. Erat is Rudolphus Habsburgicus Comes, & Alſatiæ princeps, cujus vel ideo rationem habendam putabant, quod Salicos ac Hohenſtaufios Imperatores materno genere attingeret, eorumque virtutem ac prudentiam ex aſſe referret. Hinc Francofurtum ad comitia properantes miro conſenſu eum Regem ſalutant, licet abſentem, nec ulla arte patres prenſantem. Hærebat tunc in obſidione Baſileæ, quo cum Electorum legati veniſſent, ſoluta obſidione ſtatim ad ſuſcipiendum Imperium properavit, ac Aquisgranum deductus incredibili omnium ſtudio & applauſu inunctus principes in verba ſua adegit, & Imperium ab extirpandis latrociniis ac tumultuariis bellis exorſus ſuperioris Germaniæ urbes veteri Imperii more luſtravit, omnibus gratus, nemini inviſus, palam ſe tanta dignitate indignum profeſſus, niſi omnibus ex æquo opitularetur. Nunquam eo adduci ſe paſſus eſt, ut ad ſuſcipiendam coronam in Italiam contenderet, per jocum ſæpiuſcule dictitans, veſtigia abeuntium anteceſſorum læta admodum ac bonæ ſpei plena, redeuntium miſera ac luctuoſa ſe notare. Alludens credo ad illud Æſopicum de Leone & Vulpe dicterium: ὅτι ὁρῶ ἴχνη πολλῶν εἰσιόντων, οὐδένα δὲ

Trithem. Chron. Hirſaug. ad h. ann. Gobel. c. 66. p. 81. Engelh. p. 154. Ad. Arg. p. 10. Paral. Abt. Urſp. p. 340.

ὀλίγων δὲ ἐξιόντων. Miſit tamen in Italiam vicarium, qui ſe abſente tranſalpininis civitatibus præeſſet, quem pleræque urbes magno cum plauſu ſuſcepere.

Friderícus Decanus SS. Sim. & Jud.

Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ adhuc præerat Fridericus Decanus, qui multis rebus ſapienter provideque conſtitutis æternam nominis ſui reliquit memoriam. Hoc ipſo tempore cum animadverteret, cum Cex inſtrumentorum publicorum negligen- pitulo. tiore euſtodia haut parum detrimenti ad inſtru- eccleſiam ſuam redundaſſe, conſentiente mena capitulo, decrevit, ut nullæ inpoſterum jubet tabulæ cuiquam traderentur, niſi antea colligi. in publicos eccleſiæ Commentarios eſſent relatæ. Ipſum decretum ita ſe habet:

IN nomine Domini Amen. Nos *Fridericus* Decanus & univerſitas Capituli noſtri Goslarienſis eccleſiæ notum facimus omnibus noſtris ſucceſſoribus, quod anno graciæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto circa purificationem Mariæ virginis concorditer convenimus & decrevimus facere regiſtrum, in quo de cetero omnium inſtrumentorum tenor in indegrum conſcribatur, quæ noſtris Canonicis ſive aliis, Clericis vel Laicis ſuper contractibus conferuntur ad cavenda futura incommoda, quæ noſtra eccleſia de quibusdam inſtrumentis pluries ſuſtinuit. Unde ſtatuimus ut Dominus Cuſtos & alii Canonici claves ſigilli noſtri habentes per pœnam juramenti, quod juraverunt, & poſteri juraturi ſunt, per fidem etiam quam tenentur noſtræ eccleſiæ ſint aſtricti, quod nulli aliquod inſtrumentum ammodo repræſentent, niſi prius ſit in iſto regiſtro transſcriptum. Pretium transſcriptionis det ille, cui inſtrumentum præſentatur.

Conradus Decanus SS. Sim. & Judæ Beggi- nis S. Ludovici

Non diu tamen ex eo tempore huic muneri Fridericus præfuit, quippe eodem anno id quod ex antiquis tabulis ſequente anno laudatis colligitur, vacationem muneris petens. Ei ſucceſſit Cunradus, Canonicus S. Bonifacii Halberſtad, cujus familia ex iisdem literis petenda eſt, in quibus Cunradus de Alendorp appellatur. Extat etiam ex hoc anno ejus membrana, qua una cum Capitulo ſuo venditionem duarum domuncularum curiæ Cuſtodis adjacentium ratam habet. Nos eam integram recenſebimus, quoniam Hoſpitalis Begginarum S. Ludovici meminit, cujus nec vola amplius nec veſtigium ſuperat: 2. domunculos vendit.

CONRADUS Dei gracia Decanus, R. Scolaſticus, S. Cuſtos totumque Capitulum Scõrum Apoſtolorum *Symonis* & Judæ in Goslar omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Tenore præſentium recognoſcimus & publice proteſtamur, quod duas domunculas domini Cuſtodis Curiæ adjacentes, quas ſuis ædificavit ſumptibus, & expenſis de noſtro conſenſu & libera voluntate vendidit Begginis inhabitantibus *hoſpitale Sci Lodewici.* Tali conditione adjecta, ut ſi dictas Begginas contigerit has domos vendere pro ſua neceſſitate, aut ſine neceſſitate, vel etiam donare tempore procedente eccleſiæ noſtræ vendent aut donabunt. Pariete verſus curiam dicti Cuſtodis in eodem ſtatu ſicut nunc eſt permanente. Actum anno Domini M°CC° LXX°IV°. ſequente die Scorum Symonis & Judæ in noſtro Capitulo generali. In hujus rei teſtimonium præſentem paginam ſigillis præpoſitorum Novi Operis & Frankenberche & noſtro duximus muniendum.

Richenbergenſis monaſterii calamitas.

E. Richenbergenſis monaſterii rebus nihil ad hos annos invenire licuit, niſi quod Præpoſitus & Conventus bona nonnulla in Bulten Aſchwino de Oldendorp ad duodecim annos locarunt, quod literis ſuis teſtatur Aſchvvinus de Stenberg miles, Olendorpii avus. Ceterum conſtat monaſterium hoc circa hæc tempora non adeo excelſe floruiſſe, latronibus quippe expoſitum, triſtique præterea incendio mox vaſtatum, unde tot indulgentiæ, quæ circa hæc tempora a plurimis Epiſcopis prodiere. Nemo tamen laboranti monaſterio magis opem tulit, quam Henricus & Bodo, quem paulo poſt Præpoſitum habuit. Hi enim ſummæ auctoritatis viri cum rei familiaris incredibili prudentia haberent rationem, ad tantam felicitatem monaſterium ſuum evexere, ut nihil ferme ex priſtina felicitate poſſet deſiderari.

Annus Chriſti 1275.

Rudolphi I. Imp. 3.

Ab. V. C. 352.

Ottakarus Bohemiæ Rex in Rudolphum in

AT Rudolphus Imperator nova nuper dignitate auctus omnem induſtriam ad reſtituendam publicam quietem convertit. Hinc animadvertens Ottacarum Bohemiæ Regem opibus auctum majora indies jurius,

Trithem. ad h. ann. Henr. Stero p. 389. Chrō. Australe. p. 327. Aen. Sylv. Hist. Boh. p. 39. c. 27. Paralip. Vrsp. p. 340.

indies concupiscere ipsique Cæsareo diademati inniare, missis fœcialibus Austriam, Stiriam, Carinthiam & ceteras provincias Imperio subtractas repetit, easque si negaret, bello recuperandas denunciat. Ottacarus, ut erat sui plenissimus, fastu sibi solenni respondet, mirari se Habsburgicum Comitem eos sumsisse spiritus, ut, qui nuper tanquam magister equitum mandatis suis paruisset, nunc se ad obedientiam & servitutem vocare audeat. Adhæc ut nihili se Rudolphum ducere ostenderet, nuncios, qui ejus literas detulerant omni gentium jure violato, occidit, ac clam percussores in ipsius Rudolphi caput emittit, quocunque demum parricidii genere Rudolphum e medio sublaturos, nec inter suos jactitare desiit, pluris Bohemiæ Regem, quam Romanum Imperatorem esse.

Magnopere hæc res commovit Rudolphum, nihil quippe agentem solliciti- Rudolphus us, quam ut vetus Imperii majestas sensim Goslariæ revocetur. Hinc comitiis variis Herbipoli, Ensibus Moguntiæ, aliisque locis habitis ad senatum procerum retulit, quid de Ottocaro privilegia confieri vellent. Multa consulta in medium, firmat. ac demum communi suffragio bellum proximo anno ei inferendum decretum est. In Moguntinis Comitiis Goslariæ quoque nostræ ratio habita est. Rogatus enim a civibus Rudolphus ut privilegium a Friderico II. concessum ratum haberet, clementer annuit, atque hoc diploma, cui integræ Friderici literæ insertæ leguntur, submisit:

RVDOLPHVS DEI GRATIA Romanorum Rex semper *Augustus, Universis sacri Romani Imperii fidelibus graciam suam & omne bonum. Dignum judicat nostra Serenitas, quod illorum votis & votivis desideriis gracioſius inclinemur, quos experta fidelitas, & impensa serviciorum devotio, nec non irremissæ voluntatis obsequia ceteris antetponunt, & præ ceteris faciunt commendatos. Cum itaque prædicta omnia & singula in dilectis fidelibus nostris civibus Goslariensibus oculata fide plenius sint comperta, nos ipsorum votis atque studiosis precibus dignum duximus annuendum. Hinc est quod infra scripias gracias jura & libertates ipsis civibus a Divæ recordationis* Friderico *Romanorum Rege inclyto & glorioso traditas & concessas innovamus, innovatas majestatis nostræ munimine confirmamus, tenorem privilegiorum dictorum civium de verbo ad verbum præsentibus inserentes:*

* * *

Sequitur ipsum privilegium Friderici de quo ad annum 219.

Supra dicta omnia & singula rata, grata, atque in perpetuum inconvulsa per nos nostrosque successores habere volentes, præsens scriptum in perpetuam atque inconvulsam rei notitiam nostræ majestatis sigillo duximus roborandum. Hujus rei testes sunt Ludovicus *Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ* Johannes & Albertus *Fratres & Duces Saxoniæ, Frater* Gerhardus *de Hirtzberch, Magister Domus Theutonicæ,* Fridericus *Burggravius de Nurnberg, Comes* Theobaldus *de Phirreto,* Wernerus *Comes de Eppenstain* Henricus *Comes de Friburch,* Everhardus *Comes de Katzinnellibohin,* Theodericus *Comes de Houstain,* Reinerus *de Hagenoija,* Philippus *de Golandia, & alii quam plures. Datum apud* Moguntiam *X. Kalend. Aprilis. Indict. III. Anno Domini MCC. septuagesimo quinto, nostri vero Regni anno secundo.*

Signum Domini RVDOLPHI Romanorum
Regis invictissimi.



Inter hæc ecclesia quoque forensis SS. Cosmæ ac Damiano sacra apud nos opibus non parum augeri cœpit, licet de ejus ut & ceterarum parochialium originibus parum adhuc mihi compertum sit. Præter collegiatas enim ecclesias, monasteria bona cuidam Rudolpho locat.

Forensis ecclesia

ſteria capellas, Cluſas, hoſpitalia etiam quinque celebrantur parochiales, in quibus hodienum repurgatæ religionis conciones Deo favente uberrime perſonant, videlicet SS. Cosmæ & Damiani, S. Stephani, SS. Petri & Pauli, S. Jacobi, & S. Thomæ. Sed deſideramus hic antiquorum diligentiam, aut temporum potius injurias accuſamus, quibus factum eſt, ut aut parum memoriæ proditum ſit, aut nihil ætatem tulerit. Extant tamen, ut dixi ex hoc anno tabulæ Conradi Forenſis eccleſiæ plebani, quibus neſcio cui Rudolpho Reinardi filio aggerem quendam ante ſylvam Stenberg ea lege addicit, ut quotannis circa feſtum S. Michaëlis dimidiam marcam Goslarienſis argenti eccleſiæ perſolvat. Quas non alio nomine hic duximus commemorandas, quam quod teſtes nonnulli ſatis digni memoratu in iis producuntur. Veluti *Dominus Otto Archidiaconus Goslarienſis, Magiſter Conradus conditus de Alendorp, Decanus in Goslaria, F.* * *dictus de Jercheſem, quondam Decanus ibidem, Ro. Scholaſticus loci ejuſdem, H. Junior de Aſtvelde, J. de Merica, Jo. Mercatoris Filius, Jo. de Dornten, Jo. de Duderſtadt & aliique complures fide digni. Actum & datum anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto in vigilia beati Viti.*

* *Eridericus.*

Archidiaconatus Goslarienſis.

Agmen inter hos teſtes merito ducit Otto Archidiaconus Goslarienſis cujus occaſione nonnulla de Archidiaconatu Goslarienſi monere non fuerit forte incongruum Conſtat igitur Archidiaconos Epiſcopis præcipuos ſacrorum miniſtros haberi, oculosque Epiſcopalis muneris. Cum enim fieri non poſſit, ut Epiſcopus omnia, quæ in diœceſi ſolent contingere, coram ſpectet, aut dijudicet, cœperunt diœceſin in certos Archidiaconatus deſcribere, idque munus demandare Canonicis, ut abſente Epiſcopo ibi ſacrorum curam agerent, & ſi quæ forte inter plebanos aut ceterum Clerum diſcordia intercederet, eam convocata Synodo compeſcerent. Talis itaque archidiaconatus Hildeſienſis Epiſcopi etiam Goslariæ noſtræ olim floruit, cujus bannus, [ita enim vocari ſolebant eccleſiæ, in quas jurisdictionem Archidiaconus obtendebat] has in ſe capellas atque eccleſias complexus eſt: *DD.* Scilicet *Jacobi, Stephani, Thomæ, Johannis, Nicolai, Mariæ Virginis, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Viti, Bartholomæi, Danielis, Ægidii S. Sepulchri, Forenſem & Francobergenſem, quæ IV. marcis & duobus lotonibus communiter taxari ſolebant.* Cetera collegia ac monaſteria ipſi Epiſcopo ſuberant, præter eccleſiam SS. Simonis & Judæ, quæ Imperatoris tantum ac Pontificis, nunc ſolius Imperatoris agnoſcit jurisdictionem.

Chronic. Cenob. Francomont. p. 67.

Eccleſia S. Thomæ jura parochialia impetrat.

Sed præcipue ex hoc anno notari meretur, quod tum eccleſia S. Thomæ cujus plebanus cum Capitulo SS. Simonis & Judæ multum controverſiarum habuerat, cauſam vicerit, jureque parochiali aucta ſit. Extant hanc in rem literæ, quas vocant reverſales Conradi Decani totiusque Capituli Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ undecim ſigillis munitæ, quibus coram judicibus delegatis eccleſiam S. Thomæ in parochiam evchi concedunt.

Ex lit. Eccl. S. Thomæ.

* *Ottoni.* ** *Volvinmimirũ ut e ſigillo patet, hac inſcriptione:* †. S. VOLCOVI. NI PPOI MAJORIS HILDEN. SEM.

REverendo Dno ſuo O. * Hildeſemenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & venerabilibus Dnis V. ** Præpoſito, *Ho.* *** Scholaſtico, nec non judicibus delegatis, Dño *Lippoldo* Cantori, & Dno *Volemaro* Hildeſemenſis Eccliæ Canonicis. C. Dei gracia Decanus. Totumque Capitulum Eccliæ ſanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslaria, oracionum devocionem cum obſequio ſemper benivolo & parato. Ad abſcidendam in integrum omnem controverſiæ materiam, quæ inter Capitulum noſtrum & Dnum *Konemannum* plebanum ſancti Thomæ, pro jure parochiali jam longo tempore exſtitit ventilata. Veſtræ ſignificamus honeſtati præſentibus litteris unanimi conſenſu proteſtantes, quod nos plebano Sancti Thomæ bene favemus & cupimus de pleno jure ſuæ parrochiæ quibuscunque etiam articulis, tam vicariis noſtris clauſtralibus, quam in omnibus aliis curiis, in ſua parrochia conſtitutis, quemadmodum plebanus forenſis & ceteri plebani Goslarien Civitatis habere in ſuis parrochiis dinoſcuntur, tam in Clericis, quam in laycis. nec quicquam nobis vendicabimus in parrochia memorata. Ne igitur aliquorum temeritas id impediat, litteris præſentibus nos vobis univerſaliter obligamus. quod plebanum de cetero in ipſo jure aliqua ratione non debemus nec de jure poſſumus vel volumus impedire. veletiam quibuscunque modis eundem præ ceteris plebanis nræ civitatis intendimus angariare. Vt autem tam unanimis tocius nri Capituli conſenſus ſibi ſemper inviolabilis permaneat & perſiſtat. Nos *Conradus* Decanus. *Johannes* de Goſa. *Segebodo* Cuſtos. *Alexander* de Watmode. *Olricus* de Piſcina. *Fridericus* de Jerchſem. *Johannes* de Bilſten, *Baſilius. Bertoldus* de Gowiſch. *Hermannus* honeſtus. *Renardus* de Lapide. *Ludolfus* de Elvede. Magiſt. *Renardus* Scopatet, *hac inſcriptione: †. S. VOLCOVINI PPOI MAJORIS HILDENSEM. Supplendus ex hoc monumento catalogus Conr. Bertholdi Behrensii, interque Ludolphum & Johannem ſ. 7. inſerendus Volcoluinus.* *** *Hyero ut e ſigillo patet.*

Scolaſticus. *Johannes* de Somersdorp. *Conradus* de Reinſtede. Magiſt. *Hillebrandus*. hoc præſens inſtrumentum ſigillo noſtri Capituli. & Decani perhenniter roboratum eidem plebano contulimus in evidens teſtimonium & munimen. Et in majus argumentum fidei vobis Dne Epiſcope & ceteris Dnis noſtris ſupplicamus ut veſtris ſigillis eandem nrām proteſtaōnem firmius muniatis. Huic aūt ñræ proteſtationi teſtimonium perhibent. *Henricus*. Præpoſitus in Richenberch. *Bertoldus* præpoſitus montis Sci Georgii apud Goslariam, ſub ſigillis ſuorum Conventuum, *Henricus* præpoſitus novi operis. nec non Conſules ejusdem Goslarien. civitatis, ſicut ſuorum ſigillorum appenſio manifeſtat. Actum & datum Anno græ M° CC° LXX°V°. In die beati Thomæ Apli XV°. Januarii, Indictiona tercia.

Anus Chriſti 1276.
Rudolphi I. Imp. 4.
Ab. V. C. 353.

Ottacarus victus. *Hem. Stero. p.389. Chron. Auſtrale p. 327. ſq. Aen. Sylv. c.27. p.39. Hiſt. Bob. Paralip.*

ANno proxime inſequente Rudolphus Marchionem Badenſem, Ducem Bavarum & Ottacarum Bohemiæ Regem, qui ab officio deſciverant, victricibus armis obtrivit, eoque adegit, ut fidem more priſtino jurarent. Inprimis dulce ſpectaculum viſum cum Ottacarus amiſſa Auſtria Stiriâ ac Carinthia flexis genibus coram Rudolpho procumbere & jurejurando fidem dicere juberetur. Quod cum Rex purpura indutus ſub tentorio remotis arbitris fieri vellet, Rudolphus tentorium juſſit explicare ita confectum, ut contractis funibus ſtatim diſſolvi poſſet. Vix igitur coram Rudolpho in genua le provolverat Ottacarus, ac in verba ejus jurare cœperat cum ſtatim tentorium deductum ſupplicem Regem adſtanti exercitui oſtentaret. *Vrſp. p. 341. Trithem. ad h. ann. fe. Vito Duran. p. 31.*

Triumphato Ottacaro, & nobiliſſimis provinciis Imperio vindicatis Rudolphus victor Norimbergam rediit, ubi grates Deo perſoluturus, eccleſiiis beneficia quam plurima impertivit. Iuprimis eccleſia SS. Simonis & Judæ, quam ſpecialem capellam ſuam vocat, fructum hujus victoriæ ſenſit longè uberrimum. Nam non ſolum omnia jura ac privilegia illi confirmat, verum etiam advocatias omnes quas juſto tempore redimere poſſent, liberaliter addicit, hoc dato diplomate, quod ex autographo adſcribo: Rudolphus Rex eccleſiæ SS. Simonis & Judæ privilegia confirmat.

RVdolfus Dei grā romanorum rex ſemper auguſtus. Univerſis Romani Imperii fidelibus gratiam ſuam & omne bonum. Quia regni noſtri amminiſtrationem divina gubernatione diſpenſari cupimus dignum eſt ut ejus munificentiam, qui de humili nos exaltavit ſumptis ab ejus largitate muneribus honoremus ſic enim humilitatem noſtram ſcuto ſue protectionis ſperamus obumbrari. Si ex eo regnare, & regiminis noſtri ſucceſſum ejus gratie aſcribere ſatagamus. Noverit igitur preſens etas & ſucceſſura poſteritas quod integre fidei puritatem & ſincere devocionis affectum. *quem divi glorioſiſſimi imperatores & Reges Romani, prodeceſſores noſtri, ad monaſterium Sanctorum Apolorum Symonis & Jude in Goslaria ſitum, ab ipſis quidem laudabiliter conſtructum & dotatum inceſſanter habuiſſe dinoſcuntur.* Nos eorum piis exemplis inherere volentes, pro remedio anime noſtre ac ſacri Imperii reverencia, eidem monaſterio tanquam *ſpeciali noſtre Capelle* gracias fructuoſas regni noſtri temporibus intendimus impertire, omnes indulgencias gratias libertates & jura prelibato monaſterio ab Imperatoribus & regibus anteceſſoribus noſtris rite & provide tradita & conceſſa preſenti ſcripti patrocinio de benignitate regia liberaliter innovamus confirmamus. Præterea ex regali noſtra munificencia advocatiam in villa *hedebere* ultra VII. manſos advocatias omnium villicationum ac bonorum omnium ſepe dicti monaſterii quas proceſſu temporis fratres ibidem Deo devote ſervientes redimere vel emptionis titulo auxiliante Domino bonorumque hominum adjutorio comparare poterunt in proprium tradimus propter Deum, quam traditionem ne ab ullo futurorum imperatorum vel Regum irritetur vel ab aliquo hominum infringatur preſens ſcriptum impreſſione noſtre majeſtatis & regalis banni auctoritate juſſimus inſigniri.

Rudolfus Cancellarius vice *Wernheri* Maguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovit & approbavit. Hujus teſtes ſunt *Wernerus* Maguntinenſis Archiepiſcopus,

scopus *Bertholdus* Herbipolensis Epc. *Henricus* Tridentinus Epc, *Henricus* Dominus Hassie & alii quamplures. Actum & datum *Nurinberch* VII. Kal. Septembr. Ind. IV. Anno Domini MCCC septuagesimo VI. a Regni vero nostri anno tertio.

Otto Hildes. piscop.

Nec minus Otto Hildesiensis Episcopus in Richenbergensem ecclesiam benecum hoc anno se præstitit. Testes tabulæ, quibus decimarum proventus a Johanne de Immigehoff cive Goslariensi adhuc possessos monasterio huic assignat: Richenbergensibus benefacit.

OTTO Dei gracia Hildenesheimensis Episcopus. Quæ geruntur in tempore ne simul labantur cum lapsu temporis, poni solent in lingua testium vel scripturæ memoria perenni. Notum igitur esse volumus tam præsentibus, quam futuris, quod cum dilectus in Christo Præpositus & Conventus in *Richenberg* juxta Goslariam decimam in Boëlte cum omni jure & utilitate a *Johanne* de Immegehoff Burger de Goslar, accedente super hoc consensu hæredum suorum pro magna summa pecuniæ comparassent, facta resignacione ipsius decimæ ab eodem Johanne & suis hæredibus quorum intererat in manus *Bernardi* nobilis de Indagine, a quo eam tenuerunt, nos etiam resignacione dicti nobilis & renunciacione filiorum *Strudionis* militis consanguineorum ejusdem nobilis juxta Sylvam *Sudbesem* acceptæ, qui simul eandem decimam a nobis jure simili tenuerunt, ipsam decimam cum omni jure ac utilitate consensu capituli nostri pro remedio animæ suæ, nec non cum proprietate contulimus ecclesiæ memoratæ in Richenberg in perpetuum possidendam. Ut autem hæc nostra collatio firma ac inconvulsa perpetuis temporibus perseveret, præsens scriptum inde confectum sigillo nostro & Capituli nostri fecimus cummuniri. Testes hujus rei sunt *Johannes* major Præpositus, *Volradus* Montis Præpositus. *Wernerus* Plebanus, *Bernardus* de Dorstatt, *Arnoldus* de Werbge, Præpositus Cono Canonicus Hildesimensis, Comes *Meynerus* de Scladen, *Conradus* Marscallus, *Sibertus* Camerarius, *Ernestus* Pincerna, *Volkmarus* de Goslar, *Hermannus* de Gandssem, *Tidericus* de Stochem, *Ochwinus* & *Conradus* Fratres de Penberg, *Aschwinus* de Lutche, *Ludolphus* de Cramme milites, & alii quam plures. Datum *Hildensem*. Anno Domini MCCLXXXVI. IX. Kalend. Novembr.

Annus Christi 1277.

Rudolphi I. Imp. 5.

Ab. V. C. 354.

Ottakarus Bohemus ad ingenium redit. Cæsar. Austriac. p. 321.

EX bellorum civilium favillis, superiore anno compressis, hoc ipso longe gravior flamma erupit. Ottakarus enim, ægre admodum ferens, uno bello se tot provinciarum feciss jacturam ad ingenium rediit, collectaque fortissima manu Austriam, Stiriam & Carinthiam depopulabundus ingreditur, idque agit sollicite, quo pacto illatam sibi nuper contumeliam ferro vindicaret. Urbibus brevi tempore recuperatis nova ubique munimenta molitur, nulli parcens loco, nec sacro, nec profano. Nec segniores Austriaci arma arripiunt, factaque irruptione in Moraviam tanta virtute injurias ab Ottacaro illatas ulciscuntur, ut Rudolphus interea satis spatii contrahendi exercitum nanciscceretur.

Saxoniæ facies.

Felicior longe per hæc tempora Saxonia nostra, quæ restituta ubivis quiete nullum hostem aspexit. Nobilium arma non parum compressit metus vindictæ, quæ ex severo Rudolphi Imperio imminebat, forte & sociorum calamitas vultures hosce exterruit; principibus quippe supplicium ab iis more pristino sumentibus. Atque adeo Germania Rudolphi Imperatoris felicissimis auspiciis e barbarie eluctari paulatim & ad pristinam humanitatem redire cœpit.

Fridericus Decanus olim SS. Sim. & Judæ anniversarias Richenbergæ instituit.

Inter hæc Goslariæ nostræ intra privatam quietamque vitam se continebat Fridericus de Jerchsem Goslariensis olim Decanus, Ottonis Hildesiensis Episcopi Capellanus, & S. Nazarenæ ecclesiæ in Syria Canonicus, vir nec tacendus, nec commemorandus sine cura. Is cum senio confectus sibi extrema imminere sentiret incredibili pietatis sensu se ad suprema fata composuit, & more his seculis solenni non modo monasterii Richenbergensis Canonicis XII. marcas integri argenti legavit, ea lege, ut anniversarias sibi ac parentibus consvetis ceremoniis peragerent, verum etiam certam auri summam eo nomine expendit, ut festum transfigurationis Domini in ecclesiis SS. Simonis & Judæ, Novi Operis & Montis S. Georgii quotannis solenni ritu celebraretut. Extant hujus rei testes luculentissimæ tabulæ, quæ cum de multis rebus scitu dignis nos instruant, hoc loco non videntur prætereundæ. Primo itaque

Nec non festum transfigurationis solenniter in quibusdam ecclesiis celebrandum promovet.

que Henricus Richenbergenſi præpoſitus, Pater Patrum S. Auguſtini per Alemanniam, literis ſuis hanc inſignem Fridericiliberalitatem magnopere collaudati, ac capitulo ſuffragante anniverſarias quotannis habendas decernit:

HENRICUS Dei gracia Præpoſitus Richenbergenſis eccleſiæ Pater Patrum per Alemanniam ordinis *Beati Auguſtini*, Reinardus *Prior*, Johannes *Præpoſitus in Wenden*, *Canonicus ibidem*, Henricus *Præpoſitus in Bokenem & Canonicus ibidem*, Thetmarus *quondam Præpoſitus in Brunshuſem*, *Canonicus ibidem*, *ac univerſitas totius Capituli Eccleſiæ ejusdem*, *omnibus ſuis ſucceſſoribus ſalutem in Domino perpetuam in ſalutis auctore. Ea quæ noſtris temporibus ob reverentiam & favorem & utilitatem noſtræ Eccleſiæ ſunt geſta*, *neceſſarium duximus ſcripturæ teſtimonio noſtræ perhenniter commendare. Notum ergo eſſe volumus non ſolum nobis ſed & poſteris noſtris Richenberge omnipotenti Deo & Chriſto beatæ Mariæ Virgini glorioſæ Matri ſuæ ibidem ſervientibus*, *quod Dnus* Fridericus quondam Decanus Goslar. Eccleſiæ, dictus de Jerchſem, nec non Canonicus Sanctæ Nazarenæ Eccleſiæ in Syria *ut Inſtrumentis ſuper eo datis evidenter perſpeximus* quem dudum in noſtram recepimus fraternitatem, *facientes ipſum participem omnium orationum*, *quæ fiunt in noſtra eccleſia*, *in perpetuam vitam properans ad cœleſtem Ierojolymam*, *in remedium animæ ſuæ*, *& in remedium animarum Patris ſui*, *& Fratris* Konemundi, *quondam ſuperioris Commendatoris in Supelingeborch*, *& Matris ſuæ* Margaretæ, *contulit ſigillatim & liberaliter noſtræ Eccleſiæ XII. marcas integri argenti temporibus vitæ ſuæ nullam exinde percipiens temporale emolumentum*, *ſed devote & humiliter nobis ſupplicans*, *ut nobis & vobis in ipſius anniverſario peragendo dignaremur cum ipſa pecunia aliquam communem conſolationem ſingulis annis noſtris fratribus procurare*, *& ipſa die memoria patris & matris ipſius habeatur. Nos autem ipſius piis & affectuoſis precibus inclinati ex communi conſenſu Capituli noſtri ſtatuimus & decrevimus*, *ut in anniverſario ejusdem Dñi* Fr. *de decima noſtra in* Bochte, *quam --- de prædicta pecunia cum conſilio & auxilio ipſius dicti* Fr. *tunc de novo noſtræ Eccleſiæ improprietatem comparavimus*, *detur annuatim dimidia marca integri argenti Dñis noſtris ad conſolationem procurandam. Et ut vigiliæ & Miſſæ pro defunctis cantentur*, *prout requirit conſuetudo*, *& noſtræ Eccleſiæ honeſtas*, *tunc demum fiat memoria ipſius Patris & Matris*, *ſicut ſuperius extitit expreſſum*, *ex juſſu itaque & ad preces noſtri Capituli Nos Henricus Præpoſitus iſtam noſtram affectuoſam ordinationem in nomine Domini noſtro Bamo & Capituli noſtri coram omnibus Dominis noſtris*, *auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti confirmavimus & præcepimus inviolabiliter in noſtra Eccleſia obſervari. Ut autem poſteris noſtris omnis materia dubietatis amputetur*, *ne etiam per deſidiam aliquarum perſonarum iſte noſter proceſſus oblivioni tradatur*, *præſens ſcriptum decrevimus ſigillo noſtræ Eccleſiæ*, *nec non ſigillo Præpoſiti in perennalem memoriam attentius roborare*, *& ut hoc inſtrumentum robur firmitatis plenius obtineat*, *cupimus per confirmationem Domini noſtri Hildeñ. Epi. ſtabiliri*, *deinde volumus*, *ut inter privilegia Eccleſiæ noſtræ cum diligentia in teſtimonium ejusdem fideliter conſervetur. Actum & datum Anno gratiæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo*, *Indictione quinta*, *V. Kalendas Junii. Præſentibus Dommis noſtris ſupra dictis*, *& aliis omnibus noſtris Confratribus*, *videlicet Domino* Rodolpho, Bonifacio, Arnoldo, Bertoldo, Johanne, Bodone, Conrado, *iterum* Bertoldo, Petro, Eckehardo, Ecberto, Johanne, Bertramo Borchardo, Theodorico *iterum* Bertholdo, Cheroldo, & Friderico, *qui tunc in noſtra Eccleſia extiterunt*, *præſentes quoque alii teſtes Magiſter* Reinhardus *Scholaſticus Goslarienſis*, Konimannus *Plebanus Sti Thomæ Goslar.* Hermannus *Junior de Aſſelde burgenſ. Goslar. qui ſunt teſtamentarii Domini* Friderici *ſuperius nominati.*

Has deinde literas ratas habuit Otto Hildeſienſis Epiſcopus excommunicationem comminatus, ſi quis hanc pactionem in tot ſcilicet animarum levamen factam reſcindere eſſet aſſurus:

OTTO *Dei gratia Hildenſ. Eccleſiæ Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus*, *ad quos præſens ſcriptum pervenit*, *ſalutem in Domino ſempiternam.*

nam. Noverint tam præsentis, quam futuri temporis Christi fideles, nos literas dilectorum in Christo Præpositi & totius Capituli Richenbergensis Ecclesiæ ad preces Domini Friderici *quondam Decani Goslarien. Ecclesiæ, nostri Capellani, recepisse præsenti tenore conscriptas & sigillis ejusdem ecclesiæ inviolabiliter roboratas:*

* * * * * *

Considerata namque pia devotione Friderici, *nostri capellani ac præscripta ordinatione, quam cum venerabili Ecclesia Richenberg. ob salutem animæ suæ contraxit, Nos* Otto *Dei gratia Hildensem. Ecclesiæ Episc. prænominatam ordinationem ratam & legitimam habentes eandem auctoritate nostra in nomine Patris & Filii & Spiritus S. præsentibus confirmamus, ferentes sententiam excommunicationis in contravenientes in his scriptis. Datum V. Calend. Augusti Pontificatus nostri anno IV.* *

*** Repetuntur literæ proximæ ante hasce scriptæ.

* ducuntur hi anni ab ejus ordinatione.

Denique & institutum de festo transfigurationis Christi celebrando idem Otto Hildesiensis Episcopus adeo probavit, ut pariter diris devoveret has Ecclesias, si ejus solennitatem prætermiserint; Quamobrem etiam Henrico Richenbergensi Præposito, ejusque successoribus id dedit negotii, ut an ex pacto omnia peragantur, attendat, sin minus; execrationis sententiam coram in ecclesiarum istarum capitulo pronunciet.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis *Otto* Dei gratia Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopus, universis præsens scriptum intuentibus æternam in Domino salutem. Nostram decet celsitudinem subditorum nostrorum justis postulationibus clementer annuere, & piis deliberationibus paternitatis animum inclinare. Noverit igitur præsens ætas & futura posteritas quod dilectus filius, *Fridericus Goslariensis Ecclesiæ Canonicus, noster Capellanus*, dictus de Jerchsem ob reverentiam S. Trinitatis & ob fiduciam æternæ retributionis cum quadam summa pecuniæ procuravit, ut *transfiguratio Domini* in tribus ecclesiis collegiatis in perpetuum singulis annis solemniter peragatur, videlicet in ecclesia, scorum Apostolorum *Symonis & Jude, & Matthiæ*, & Ecclesia *beata Virginis Mariæ Novi Operis* in Goslaria, nec non in Ecclesia *Montis Bti Georgii Martyris* vicina eidem civitati, ad quam devotissime servandam Canonici & Dominæ dictarum ecclesiarum bona fide, imo quovis dolo amputato suis literis & sigillis se suosque successores districtissime attrinxerunt, providentes sibi ipsis de *quadraginta sex & quatuor marcis*, quas eis contulit annuatim ad consolationem, quæ singulis annis in ipsa celebritate debetur perpetuo ministrari in iisdem ecclesiis Deo servientibus. Nos igitur istam ordinationem ad instantiam dicti Capellani nostri Domini *Friderici* approbamus, & eandem auctoritate nostra Diocesana in nomine Domini banno nostro confirmamus, sententiam excommunicationis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. in contravenientes nunc ut ex tunc ferentes in his scriptis. Super eo vobis Domine Præposite in Richenberg cunctisque vestris successoribus præsentibus damus in mandatis, in virtute obedientiæ, per amissionem vestri officii districte præcipientes, quatenus quamcito vobis innotuerit, si aliqua istarum ecclesiarum ex negligentia omiserit, quod proprio motu servare promisit, statim in Capitulo ejusd. Ecclesiæ excommunicationis sententiam a nobis latam, non pigritemini personaliter promulgare. Sicut in instrumentis dictarum Ecclesiarum ex communi consensu perpetuitas hujus festivitatis extitit approbata pariter & promissa, sic etiam nostram confirmationem, nec non nostrum mandatum volumus perpetuo durare & præcipimus per pœnam superius notatam inviolabiliter absque ullius contradictione valere. Ne vero per industriam aliquorum præfata solemnitas imposterum irritetur, vel malitiose infringatur, præsens scriptum impressione nostri sigilli decrevimus insigniri. Datum anno millesimo ducentesimo, septuagesimo septimo, Indictione V. decimo VII. Kalend. Septembris. Pontificatus nostri anno IV.

Festorũ apud nos numerus auctus.

Atque adeo præter tantum festorum numerum, dudum ecclesiæ a Pontificibus Romanis obtrusum nova subinde excogita legimus, quæ non quidem communi statim ecclesiarum suffragio recepta, sensim tamen ab Episcopis in diœceses introducta, aut morientium legatis instituta, interjectis temporibus tanto apparatu cœperunt celebrari, ut nihil a pristina Apostolici ævi simplicitate mansisse reliquum credidisses. Alterum hoc festum est, quod intra breve temporis spatium Goslaria nostra apud se vidit institui, cui mox successit tertium Corporis Christi. Quid enim aliud egissent homines bonorum operum opinione dementati, quam ut omissa vera fide in Christum, tanquam totius doctrinæ Christianæ nucleo, ejusmodi corticibus tanquam ludibundi infantes se oblectarent? Annus

Annus Christi 1278.
Rudolphi. I. Imp. 6.
Ab. V. C. 355.

Ottakarus victus. *Henr. Stero. p. 392. Chrō. Australe, l. c. p. 329. Æn. Sylv. l. c. p. 39. Annal. Colmar. p. 14. & p. 46. Abers. Argentin. p. 102.*

AT Rudolphus cognita Ottacari perfidia, quam nuper irruptione in Austriam facta prodiderat, ipse quoque animum ad redintegrandum bellum appulit. Processerat Ottacarus cum instructissimo exercitu, e Saxonia Misnia, Polonia, Bohemia ac Pomerania conscripto, cui cum copiis suis ac subsidiariis Hungaris obvius factus Cæsar aleam fortunæ experiri statuit. Hinc VII. Calend. Septembris, tam acri conflictu pugnatum est, ut fuso fugatoque Bohemorum exercitu ipse Ottocarus inter principia occumberet, vitæque pariter ac perfidiæ suæ faceret finem. Austria cum ceteris provinciis tanta victoria a molesto æmulo liberata Rudolphi filio cessit, a quo Austriacorum potentissima familia tanquam e radice in salutem reipublicæ succrevit: Bohemia relicta Ottacari filio Wenceslao, quem Rudolphus in patrocinium receptum, multisque beneficiis ornatum dignum habuit, cui filiam suam daret nuptum.

Bella ex discordi Magdeb. archiep. electione. *Chron. Sax. Pom. p. 343. Cranz. l. 8. Sax. c. 32. Chron. Magd. ap. Meib. p. 331.*

Inter hæc Magdeburgensis Archiepiscopi discors electio in novos bellorum tumultus Saxoniam nostram conjecit. Cum enim defuncto Conrado Archiepiscopo Canonici Magdeburgenses in factiones divisi pars Ericum Marchionem Brandeburgensem pars Bussonem Comitem Querfurtensem eligerent, magna animorum commotione inter hos æmulos pugnatum est, donec facta inter illos pace, atque magno pecuniæ pondere accepto uterque sacerdotio huic renunciaret. Hinc subrogatus Guntherus Comes Swalenbergensis vir insignis & familiæ suæ potentia subnixus. Cujus fortunam cum Ericus ex dissidio nuperæ electionis rejectus ægre ferret, ac a cognatis adjutus totum Archiepiscopatum infestis armis vexaret; statim novum bellum erupit, cui Albertus Magnus Dux Brunsvicensis, Marchiones Brandeburgenses, Otto Hildesiensis Episcopus, Principes Anhaltini, aliique vicini primores immisti, Saxoniæq; totius provinciæ non parum devastatæ sunt. Demum Guntherus Archiepiscopus cum se multis æmulis urgeri animadverteret, positis pontificalibus, ultro ad privatam vitam rediit, ex qua deinde ad Paderbornensem Episcopatum retractus, multis factis illustribus in toga sagoque se commendavit. Nec cessavit malum Gunthero a munere se abdicante. Bernhardus enim Wolpensis in ejus locum sublectus, strenue bellum hoc est prosecutus, ex quo non Magdeburgensis tantum Archiepiscopatus sed vicinæ etiam Hildesienses & Brunsvicenses provinciæ mirum in modum sunt devastatæ.

Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 226. Schat. l. 12. p. 140. an. Paderb. Part. 2.

Richenbergensi monasterio

Calamitosus hic annus monasterio Richenbergensi, quod fulmine tactum totum pene in bustum consedit. Instauran- se monadis ædificiis indulgentiarum penus recluſa sterium est, quas etiam miser Conventus a variis fulmine Episcopis impetravit. Regiones has vi- tactum cinas nescio qua de causa tunc lustrabat varias Johanes Lettoviensis Episcopus Ordinis indul- Teutonici, qui jam anno MCCLXXV. Fran- gentias cobergensi quoque cœnobio indulgentias impe- concesserat. Hic misertus inopini casus trat. idem officium Richenbergensibus præstitit C dierum venialia, ac quadraginta dierum criminalia singulis condonans, quorum liberalitatem monasterium hoc esset experturum.

BOnitate Divina Frater JOHANNES Lettoviensis Episcopus *Ordinis Domus Theutensis, universis Christi fidelibus hanc literam audituris salutem ac benedictionem a Domino Jesu Christo. Cum Clausirorum cum officinis fere omnibus religiosum virorum ordinis S. Augustini in* Richenberg *apud Goslariam Dominico ignis casu infortuito, ita funditus sit incineratum, quod de bonis clausiri tempore longo reformari non poterit nisi a fidelibus in eleemosinarum collatione habundantius adjuvetur; pium est mercari eleemosynis, quod in cœlis recolligi poterit, & communionem bonorum operum locorum religiosorum nihilominus adipisci. Omnibus igitur & singulis fidelibus corde contritis & ore confessis, qui ad præparandum dictum clausirum de facultatibus sibi a Deo collatis proprio motu vel requisiti manum porrexerint adjutricem, auctoritate omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis confisi centum dies venialium & quadraginta criminalium nec non unam Karrenam de injuncta eis pœna, dummodo consensus devotus adfuerit in nomine Domini misericorditer relaxamus. Datum anno Dominicæ Incarnationis M. CC. LXXVIII. In die* Cyriaci *Martyris.*

Gemino beneficio Richenbergenses affecit Otto Hildesiensis Episcopus, non modo indulgentiarum thesaurum adaugendo, verum etiam ratas habendo, quascunque ab exteris Episcopis impetrare possent.

Otto

OTTO Dei gratia Hildensheimenſis Epiſcopus, *Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in omnium Salvatore. Quoslibet Chriſti fideles ad zelum devotionis & operacharitatis invitare volentes de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confiſi, univerſis & ſingulis vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad ſtructuram Eccleſiæ in Richenberg per inopinatum incendium miſerabiliter deſtructæ manum porrexeritis adjutricem, quadraginta dies de injuncta vobis pœnitentia miſericorditer relaxamus, admittentes nihilominus & omnes indulgentiæ venerabilium patrum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, quas eadem Eccleſia jam obtinet, vel in futurum poterit obtinere, in noſtra dioceſi ſint per omnia valituræ. Datum Hildeſii Anno Dñi. M.CC.LXXVIII. Id. Decembr. Pontificatus noſtri anno XV.*

Annns Chriſti 1279.
Rudolphi I. Imp. 7.
Ab.V.C. 356.

Bellum Hildeſienſe. *Bunting. part.* 1. *Chron.Br. p.* 227. *Chron. Brunſv. ap. Mad. p.* 11. *antiq. Brunſv.*

E turbis Magdeburgenſibus hoc ipſo anno novæ enatæ ſunt viciniæ noſtræ longe propiores. Otto enim Hildeſienſis Epiſcopus cum in ſuperiori bello Buſſoni Querfurtenſi ſuppetias tuliſſet, cum fratre Alberto Duce Brunsvicenſi, qui ab Erico Brandeburgenſi ſtabat ideo colliſus gravi bello ſe vidit implicatum. Aderant Alberto ſubſidiariæ Danorum copiæ, quas tamen ſtatim domum remiſit, ipſe ad cohibendum Ottonem ſatis inſtructus. Præcipue in Sarſtadium ſævitum eſt, quod oppidum diuturna obſidione ab Alberto in poteſtatem redactum militum petulantia totum conflagravit. Periculum erat, ne latius evagetur civile bellum totamq; viciniam una veluti ruina involvat, cum Otto Hildeſienſis Epiſcopus exhauſtus dolore in morbum prolapſus V. Nonas Julii vitam cum morte commutaret, cujus ab obitu Albertus poſitis armis, quem ſucceſſorem frater eſſet habiturus ſpeculati voluit. Sed vix XL. dies decurrerant, cum ipſe quoque Albertus inter fortunæ obſequia fato ſuo intereiperetur, princeps maximus & Henrico Leoni rebus geſtis exæquandus, juſtitiæ præterea ac fidei ſervantiſſimus, omnibusque virtutibus quæ principem ornare ſolent, tam abunde cumulatus, ut publicus favor rerumque geſtarum gloria Magni cognomen ei inter poſteros conciliarit.

Sifridus Comes Querfurtenſis ſuccedit Ottoni Epiſcopo Hild. *Reutel. p.* 97. *Chron. Hildesh. Chron.Ep. Hildeſ. MSC.c.*35

Ottone itaque ad plures abeunte, haut diu vacua Hildeſienſis ſedes remanſit. Canonici enim ſolliciti de ſucceſſore, qui laboranti Eccleſiæ multisque inteſtinis turbis agitatæ ſubveniret, conſentiente ſuffragio mox elegere Sigefridum, Querfurtenſem Comitem, Gebhardi filium, virum omni laude majorem, meritiſſimum de eccleſia, ſi Reutelius & Bucalinus audiendi ſunt. Hamerslebienſis quidem Monachus ac Emſerus Sifridum quendam in Præpoſitorum Goslarienſium numerum referunt, eumque ad Hildeſienſem Epiſcopatum evectum, addunt: ſed in eo manifeſto falli videntur ac decipi. Sifridum enim primum è cœnobio Fuldenſi Hildeſiam evocatum omnes annales miro conſenſu teſtantur. Nec Sifridus Querfurtenſis Præpoſituræ dignitate per hæc tempora apud nos functus eſt, ſed Arnoldus de Solmeſſen, cujus jam ante fecimus mentionem. Adde qnod pleriſque Sifridus hic Decanus Magdeburgenſis audit. Relinquitur ergo eum aut Canonicum tantum eccleſiæ SS. Simonis & Judæ fuiſſe, aut plane errare hoſce catalogos. Prius tamen mihi longe videtur credibilius, cum compertum habeam Catalogos hoſce Goslarienſes præpoſitos à Canonicis non ſatis accurate ubique diſtinguere, nec inſolitum deinde ſit, plura beneficia ſacra uni eidemque deferri: nec deniq; ignorem, Querfurtenſes Comites ſæpius in noſtra eccleſia honores ſacros ſolitos ambire. Leznerus ſane eum in monaſterio Sittichenbacenſi educatum deinde ad Canonicatum Goslarienſem, inde ad Magdeburgenſem Decanatum, ac denique ad Hildeſienſem Epiſcopatum veluti per quosdam gradus evectum mavult. Ex quacunque demum eccleſia prodierit, fuit ſane vir acris ingenii & præcelſi animi, qui non modo diœceſin cum laude adminiſtravit, verum etiam armis eam ſibi auctoritatem peperit, ut amaretur a ſuis, a vicinis, tanquam acer injuriæ vindex, timeretur. *Cranz. l.* 8 *c.* 39. *memoriro p.* 221. *Brunſch. de Epiſc. Germ. c.* 11 *n.* 33. *p.* 1051. *Lezn. c.* 85. *de monaſt.*

In monaſterio Franciſcanorum apud nos per hæc tempora floruit Fr. Johannes Colbo, quem multis libris ſua manu exaratis bibliothecam monaſterii locuplectaſſe ac demum anno M. CC. XCIII. provecta ætate vivis exceſſiſſe tradit Leznerus. Fr. Jo. Colbo Franciſcanus.

Anni Chriſti 1280. 1281.
Rudolphi I. Imp. 8. 9.
Ab.V.C. 357. 358.

ANnis proxime inſequentibus, quibus Civis Germania adhuc ſub Rudolphi auſpicato imperio conquievit, Saxonia etiam enſis in noſtra tranquillitate exoptatiſſima fruebatur, niſi quod Ericus Magdeburgenſis Præſul, nuper in Guntheri locum ſubrogatus cum vaſallis ſuis, ab officio dilapſis ſibus vi-

&tor renuntiatur. *Spang. c. 266. p. 452 Pomar. ad Chron. Sax. p. 345 citans Chron. Magdeb. MSC.*

decertaret. Non nimis tamen grave iſt-boc diſſidium oportet fuiſſe, ſi quidem Magdeburgum inter haſce turbas ludicra egit inſtitutisque ad exacuendam virtutem certaminibus priſco germanorum ritu ſe oblectavit. Celebratur ſcilicet Magdeburgi Bruno de Stovekenbecke, armorum ac ludorum civicorum Præfectus vir ſtrenuus, & bonarum quoque literarum amantiſſimus, qui rogatus a ſodalibus, ut muneris ſui memor celebri aliquo ludicro cives recrearet, literis Goslariam, Brunſvicum, Hildeſiam, Halberſtadium, Quedlinburgum, aliasque vicinas civitates directis monuit, juvenes, ſi qui virtutis ſuæ ſpecimen edere cuperent, ſtato die Magdeburgi adeſſent. Victori brabei loco ceſſuram lectiſſimam virginem nomine Sophiam, nec ceteros, qui a victore proximi eſſent futuri, inanes abituros. Dicto die frequentes adfuere hoſpites, Goslarienſes phaleratis equis vecti, Brunſvicenſes viridi habitu, alii aliis veſtimentis induti, honorifice omnes ab armorum præfectis excepti. Sequente die cum Miſſarum ſolennibus interfuiſſent omnes ea, quâ par eſt ratione inſtructi, exceſſerunt urbe, vicinumque campum Albi præter labenti proximum petierunt, multis tabernis, tentoris aliisque temporariis operibus ſpectatorum cauſa adornatum. In mediis cancellis præeminebat palus, cui decertantium inſignia appenſa fuerant, eo conſilio, ut cujuscunque ſcutum aliquis arriperet, cum eo ludicris armis decertaret. Finitis ludis virgo ceſſit victori Mercatori cuidam Goslarienſi, fortiſſimo ſeni, qui opimam prædam, virginem puta, ſecum abduxit, eamque cum ad nuptias appuliſſet animum adeo liberali dote locavit, ut priſtini quæſtus mox caperet oblivionem. Hæc Pomarius in Additionibus ad Chronicum vetus Saxonicum, qui ſe hanc narrationem ex Annalibus Magdeburgenſibus hauſiſſe profitetur. De virginibus in ludis ejusmodi præmii loco exponi ſolitis accuratiſſime commentatur Marcus Wagnerus Frimarienſis.

Marc. Wagn. Trimar. in hiſtor. geneal. Thangeliorum.

At eccleſia Richenbergenſis præterea quod nuper triſti incendio mirum in modum fuiſſet devaſtata prædonum etiam ſævitiam cum maximo detrimento ſuo infauſtis interregni temporibus experta eſt, pluribus quippe bonis per injuriam ſpoliata. Quæ ut eo felicius recuperaret, Martinus IV. Pontifex negotium dedit Decano eccleſiæ S. Cyriaci prope Brunſvicum, ut cauſam cognoſceret, & ſi quæ injuſte videret direpta, ea more ſolito Canonicis Richenbergenſibus reſtitueret, pertinaces cenſura eccleſiaſtica compeſcendo:

Martin. IV Pont. Richenbergenſibus ablata jubet reſtitui.

MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Decano Eccleſiæ *S.* Cyriaci extra muros Brunſvicenſes Hildeſemenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectorum filiorum præpoſiti & Conventus Monaſterii in Richenberg extra muros Goslarienſes per præpoſitum ſoliti gubernari ordinis S. Auguſtini Hildenesheimenſis Dioceſis precibus inclinati, præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipſius monaſterii alienata inveneris illicite, vel diſtracta, ad jus & proprietatem ejusdem monaſterii legitime revocare, procures contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo; teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere: Datum *Gebennis* XIV. Kal. Julii. Pontificatus noſtri anno primo.

Anni Chriſti 1282. 1283.

Rudolphi I. Imp. 10. 11.
Ab. V. C. 359. 360.

Rudolphi ſollicitudo in conſtituendo Imperio. *Trithem. Chron. Hirſaug. adh. ann. Centur. Magdeb. Cent. 13. c. 10 p. 1050.*

INterea Rudolphus Cæſar incredibili cura in conſtituenda republica & præcitudo in donibus coërcendis erat occupatus. Quam in rem obire provincias, ipſe prædonum receptacula frangere, juri dicundo præſe, comitia principum agere, nihil denique omittere earum rerum, quæ ad inſtaurandam quietem facere videbantur. Aderat inter hæc etiam Tuſculanenſis Epiſcopus Cardinalis a Pontifice miſſus, eo conſilio, ut a Germanico Clero decimum quemque nummum ad inclinatas res in Italia reſtituendas expoſceret. Verum injuſtæ poſtulationi reſtitere Sifridus Colonienſis & Henricus Treverenſis Archiepiſcopi, exhauſtam Germaniam tantas exactiones ferre non poſſe clamantes, inprimis cum Cæſar majore jure tantundem a populo expetat. Quo factum ut Cardinalis re infecta diſcederet.

Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ per hæc tempora præerat adhuc Arnoldus Comes de Solms, Moguntinus ſimul Canonicus. Qui hoc anno bona quædam ſibi ſuisque fratribus ac nepoti ab eccleſia noſtrate redemit ea lege, ut quotannis XVI. Marcas denariorum Colonienſium ei perſolverent. Extant hujus rei teſtes ipſius Arnoldi literæ ab Henrico Treverenſi Archiepiſcopo firmatæ, excommunicationis ſententia in eos pronunciata, qui XVI. iſtas marcas ſolvere omiſerint:

Arnoldus Comes de Solms Goslar. Præpoſitus cum eccleſia ſua contrahit.

In

IN nomine Domini Amen. Certiora ſunt, & minori noſſunt calumpnia perturbari, quæ vigorem trahunt a teſtimopio literarum. Sciant itaque tam præſentes, quam futuri, quod cum honorabiles viri Decanus & Capitulum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum *Symonis* & Judæ Eccleſiæ Goslarienſis in nos Arnoldum de Solmeſſe præpoſitum dictæ Eccleſiæ *Conradum* Fratrem noſtrum Canonicorum Eccleſiæ S. Geronis Colonienſis Nobilem matronam *Elizabeth* relictam quondam Comitis *Reinboldi* Fratris noſtri ac *Reinboldum* ejus primogenitum noſtrum conſanguineum ac noſtros hæredes curtem ac bona in *Mengede* cum omnibus ſuis attinentiis & juribus transtulerint, tradiderint, & ad omnem noſtram utilitatem de iisdem faciendam aſſignaverint, nobis jure hæreditario tenenda & perpetuo poſſidenda. Nos & hæredes noſtri eisdem Decano & Capitulo de bonis ſitis in *Querndorp*, *Leisdorp*, *Mitte*, & *Diffenbach*, dare, ſolvere & aſſignare in eccleſiam Goslarienſem memoratam ſingulis annis XVI. marcas denariorum Colonienſium, bonorum & legalium, vel examinati argenti ſub æquo valore bona fide promittimus, & præſentare in dicta eccleſia Goslarienſi ſub noſtris laboribus periculis & expenſis terminis infra ſcriptis, videlicet in octava Beati Martini hyemalis VIII. marcas & in octava paſchæ immediate ſubſequente reſiduas VIII. marcas. Nec aliqua cauſa vel caſus, nos excuſare poterit, quin dictis Decano & Capitulo dictos denarios, ut dictum eſt, teneamur, dictis terminis aſſignare. Actum eſt & inter nos hinc inde, quod nos vel hæredes noſtri quamlibet marcam redituum prædictorum emere poterimus pro x. marcis in uſus hæreditarios ipſius eccleſiæ convertendis nec minus quam v. marcas hujusmodi redituum emere poſſumus ſimul & una vice pro L. marcis vel æquo valore argenti ut eſt dictum. Et ſic deinceps donec re emerimus XVI, marcas ſupradictas. Hanc vero redemptionem quam cito inceperimus facere infra IV annos in toto conſummabimus. Denarios quoque ſeu argentum, quod nos pro redemptione hujusmodi bonorum dedimus in utilitatem ipſius eccleſiæ convertendum, præſentari faciemus, *Præpoſito* Montis S. Georgii extra muros Goslarienſes & *Gardiano* Fratrum minorum oppidi Goslarienſis prædicti, & iidem Præpoſitus & Gardianus de conſilio Capituli Goslarienſis aſſument unum probum virum de ipſo Capitulo, qui ſimul dictam pecuniam reſervabunt, donec per ipſam competens hæreditas comparetur. Nec ſæpe dictam pecuniam dicti Decanus & Capitulum debet convertere in aliquos alios uſus, niſi in redditus annuales. Et nos *Arn.* Præpoſitus, *Conradus*, *Elizabeth*, *Reinboldus* ejus primogenitus eligimus ſponte & expreſſe, quod ſi in ſolutione prædicta per quindenam ultra terminos prænotatos negligentes fuerimus vel remiſſi, ipſo facto ſimus in ſententia excommunicationis venerabilis Patris & Domini noſtri Trevirenſis Archiepiſcopi noſtri Dyoceſani & ſi per aliam ſubſequentem quindenam in ea perſtiterimus non ſolvendo extunc terra noſtra poſita ſit ſub eccleſiaſtico interdicto, & ſi quas expenſas ſuper his fecerint Decanus & Capitulum antedicti nos eas eisdem cum principali penſione in integrum refundemus.

Et nos *Henricus* Dei gracia Trevirorum Archiep. ad petitionem prædictorum *Arn.* Præpoſiti Gosl. *Conradi* Canonici S. Geõnis Colon. *Elizabeth* relictæ quondam Comitis. *Remboldi* & *Remboldi* primogeniti ipſius nunc ut ex tunc excommunicationis in perſonas & interdicti in terras ipſorum fecimus ſententias in his ſcriptis, ſi iidem in ſolutione dictæ pecuniæ, ut præmiſſum eſt fuerint negligentes. Verum cum nos *Arn.* Præpoſitus dictæ Eccleſiæ Gosl. pro recuperatione curtis & bonorum prædictorum laboraverimus, & propter hoc expenſas fecerimus ſatis graves, dicti Decanus & Capitulum pro remedio animarum patris noſtri *Marquardi* & Matris noſtræ *Chriſtinæ* in die aſſignationis dictorum denariorum ſeu argenti æquivalentis utroque termino faciente eorum memoriam habebunt cum ſolempnibus vigiliis atque Miſſa. Quandocunque etiam nos *Arn.* Præpoſitum Gosl. de hoc mundi medio contigerit emigare, anniverſarium

noſtrum dicti Decanus & Capitulum modo prædicto facient ſimiliter cum vigiliis atque miſſa, ob quam cauſam expenſis factis circa curtim & bona prædicta renunciamus libere & ſincere. In cujus rei teſtimonium atque robur nos *Arn.* Præpoſ. Gosl. *Conradus* Can. S. Geõnis Colon. *Elizabeth* Relicta & *Remboldus* ejus primogenitus prædicti, præſenti paginæ Sigillum venerabilis patris Dni noſtri Trevirenſis Archiep. ſæpedicti apponi rogavimus & noſtra ſigilla præſentibus duximus apponenda. Act. & Dat. A. D. clɔ. cc. lxxxiii. vii. Id. Maji.

Luculentæ hæ tabulæ vel ideo non omittendæ viſæ ſunt, quod Arnoldi hujus integra ferme cognatio ei eſt incluſa: cujus generis membranæ ſi plures extarent, non multum negotii eruditis faceſſeret genealogiarum veterum indagatio. En enim Arnoldi parentes, fratres, fratris uxorem, & ex fratre nepotem: quos omnes Hieronym. Henningeſius omiſit. *Henningeſ. theatr. Geneal. monarch. 4. regn. 2. & 3. part. 1. p. 330.*

Marquardus *Comes*
de Solms
Conj. Chriſtiana.

Arnoldus *Goslar. Prepos. & Canon. Moguntin. poſtea Epiſc. Bambergenſis.*	Conradus *Canonicus S. Geronis Colon.*	Reimboldus *Comes. Conj.* Eliſabetha.
		Reinboldus primogenitus.

Friderici de Jerchſen Vicariam SS. Johannis & Johannis in Eccleſia SS. Sim. & Judæ fundat.

Sibi ſoli adhuc in eccleſia SS. Simonis & Judæ per hæc tempora vixit *Fridericus* de *Jerchſen*, ſæpius a nobis laudatus, qui omnes facultates ſuas in divini cultus augmentum liberaliter expendit. Hoc ipſo anno fundavit in iſta eccleſia ſua vicariam SS. Johannis & Johannis, Evangeliſtæ nimirum & baptiſtæ, quam ſatis honeſtis locupletavit proventibus. Vidi ipſas fundationis literas, quas S. [*Sibodo*] Decanus, R. (*Rainardus* de *Lapide*) Scholaſticus, & Ar. [*Arnoldus*] Thelaurarius ſignarunt, datas *anno Incarnationis Dnica Mo CCo LXXX. ſecundo Indict. X. V. Kal. Aprilis.*

Anni Chriſti 1284. 1285.
Rudolphi I. Imp. 12. 13.
Ab. V. C. 361. 362.

Pſeudo Fridericus quidam ſupplicio affectus. *Paralip. Urſp. ad ann. 1292. p. 340. Chron. Auſtral. p. 332. Siffrid. presb. ad h. ann. p. 700. Jo. Vitod. Dur. Chron. p. 25.*

INterea dum Rudolphus id præcipue dat operam, ne quid respublica detrimenti capiat inſequentibus annis ſtatim remoram ei objecit inſignis quidam impoſtor, qui ſe Fridericum Cæſarem jamdudum defunctum mentiebatur, vir decrepitæ ætatis tantæque verſutiæ, ut plures deciperet. Acceſſerat hoc mundi ſenium Coloniam, ubi mendacium fictæ originis exorſus, credulæ plebi perſuadere auſus eſt, ſe eſſe Fridericum Imperatorem, ac ne quis miretur, ubi tanto temporis ſpatio delituiſſet, ſe pertæſum tot moleſtiarum, poſitis faſcibus, clam ultra Oceanum profectum, nunc ſibi redeundum fuiſſe Coloniam ad veteres amicos ferebat. Colonienſes hominem inſanum ac delirum carceri mancipavunt mox contemnentes inſulſum fenem dimiſere. Progreſſus itaque Noveſium eandem fabulam egit, tanto hominum plauſu, ut brevi tempore Noveſienſes eum Imperatorem venerarentur, aulam conſtituerent, tribunal erigerent, Sifrido Colonienſi Archiepiſcopo Sycophantam hunc oppreſſuro, portas occluderent. Cum deinde minus tutum haberet Noveſii conſidere, Wezlariam cum nebulonum ſuorum præſidio ingreſſus publicam rebellionem moliri cœpit. Turpi fœderi Colmaria aliæque civitates acceſſere. Veritus itaque Rudolphus Cæſar, ne latius evagetur malum, Sifridi Colonienſis Archiepiſcopi auxilio Wezlariam ad deditionem compulſam, imperata facere cogit: Captum Pſeudo-Fridericum quæſtionibus datum, ac ſcelus confeſſum ad vivicomburium damnat. Colmariam ingenti auri pondere mulctat, Noveſium omni libertate ac jure exuit. Sic Pſeudo-Fridericus jam Iri jam Crœſi perſonis in ſcena hujus vitæ ſuſceptis demum mira rerum cataſtrophe Crœſi fatum ſubiit, quanquam in eo Crœſo infelicior, quod non Cyrum quendam, ſed Rudolphum judicem nactus eſſet. *Annal. Colmar. p. 20. & 48.*

Bellum herlingſbergenſe. *Rosla Herlingsb. p. 775. & Meibom. not. p. 785. Bunting. part. 3. Chron. Brunſv. Nort. p. 568.*

Conſtantior in Rudolphi fide Saxonia noſtra, quanquam & ipſa bello civili turbata. Defuncto enim nuper Alberto Magno, Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Duce, provincias avitas inter ſe partiti ſunt tres filii Henricus Mirabilis, Albertus pinguis & Wilhelmus. Henrico Principatus Grubenhagenſis cum civitatibus Eimbecca, Oſterroda, Herzberga, Lutterberga, Duderſtadio, ac Comitatu Catelnburgenſi, nec non omnes ſylvæ ac metalli fodinæ Cluſenſes in Hercynia; Alberto civitas & Dynaſtia Gottingenſis,

Northeimenſis Comitatus & quicquid juris Brunſvicenſis ad Viſurgim nec non inter Werram ac Fuldam ac inter Diſtrum & Leinam interjacebat cum ſemiſſi metalli fodinarum Cellenſium; Wilhelmo denique reliqua ceſſerunt viciniæ noſtræ propiora. Proventus montis Ramelini & feuda eccleſiaſtica Brunſuicenſia ex æquo ad hos tres fratres pertinebant. Hac provinciarum diviſione, quamvis ab ipſo Alberto patre eſſet facta: Heinricus tamen mirabilis, ut erat turbulento ingenio, non parum ſe fraudatum conqueſtus eſt, factaque in fratrum regiones irruptione Herlingsbergam præmunitiſſimam viciniæ noſtræ arcem intercepit, præſidioque validiſſimo impoſito omnia undiquaque excurſionibus ac rapinis conterruit. Ex qua re Goslaria quoque noſtra non parum detrimenti cepit. Hinc fratres, Albertus & Wilhelmus, Sigfridus Hildeſienſis Epiſcopus, Goslaria & ceteri Saxoniæ ordines, quorum intereſſe videbatur, contractis copiis ſuis Henrico bellum inferre & Herlingsbergam ſumma vi cœperunt oppugnare. Præſidiario tamen milite omnes inſultus fortiter ſuſtinente factaque eruptione hoſtes ſubmovente, re infecta diſceſſum eſt, bellique cauſa præciſa ſive pax, ſine induciæ factæ, in gravius mox bellum erupturæ. Inter ſocias urbes Herlingsbergam oppugnantes Henricus Rosla inprimis miratur Goslariam & Brunſvicum, de quibus ita canit:

Vrbes munita veniunt, armis opulenta,
Æſtuat inter eas magis, & Goslaria bellum
Ardet: Brunesvvik illis fuit auxiliatrix.
Quippe ſui Domini deliro limite ſulcos
Confundunt, ira diſcordes atque furore.

Inter hos triſtes bellorum civilium tumultus Arnoldus Comes de Solms Præpoſitus noſter ad Bambergenſem Epiſcopatum evocatur, quamvis Johannes Cygneus id jam anno MCCLXXXII. factum exiſtimet. In quo tamen manifeſto fallit, cum anno adhuc MCCLXXXIII. literis paulo ante allatis præpoſitum Goslarienſem ſe dicat. Bambergenſi eccleſiæ decem annos ſumma cum laude præfuit annoque MCCXCV, XIV. Cal. Auguſti diem obiit ſupremum ante aram S. Johannis Baptiſtæ ſepultus. Ceterum eodem anno Eccleſia SS. Simonis & Judæ Conrado Werniggerodano Comiti bona in Slevede ea lege locavit, ut dimidiam marcam argenti Halberſtadenſis quotannis Capitulo perſolveret. Quam pactionem ipſe Comes hiſce literis teſtatus eſt: Arnoldus de Solms Præpoſ. Gosl. Bamberg. Epiſc. creatur. *Bruſch. c. 15. n. 19. p. 1102. Fo. Cygn. prodrom. annal. Bamberg. n. 19. p. 28.*

NOs CONRADUS *Dei gratia Comes de Werningerod recognoſcimus tenore præſentium, publice proteſtantes, quod Canonici & commune Capitulum unanimi conſenſu ſancti Matthiæ in* Goslar *bona in* Slevede *cum omni jure in ſilvis, pratis, piſcationibus & cum omnibus, quæ ſpectant ad eandem villam nobis ad tempora vitæ noſtræ locaverunt. Ita tamen, quod quolibet anno* marcam dimidiam argenti Halberſtadienſis *ipſis perſolvere nos tenemur poſt tempora autem vitæ noſtræ bona jam dicta vacabunt libera Canonicis ſæpe dictis, præter* advocatiam *quæ eſt noſtra ultra eadem bona, & nos cum eadem advocatia hæredare noſtros volumus filios, Deo dante, in cujus rei evidens teſtimonium præſens ſcriptum confici juſſimus ſigilli noſtri munimine roboratum. Teſtes hujus rei ſunt milites* Theodoricus *de Romesleve*, Everhardus *de Jerchſem Dat.* Werningerod. *Anno Domini* MCCLXXXV. IV. Kl. Febr.

Fridericus de Jerchſé Eccliæ

Nondum vivis exceſſerat Fridericus de Jerchſen, eccleſiæ SS. Simonis & Judæ quondam Decanus, ſed liberaliter adhuc opes ſuas eccleſiis elargiebatur. Hocipſo certe anno VI. Marcas purioris argenti Capitulo SS. Simonis & Judæ ea lege donavit, ut quotannis hiſtoriam *Ingreſſus Angelus* ſolenniter canerent: SS. Sim. & Jud. benefacit.

IN nomine Domini Amen. Nos SYBODO Dei gratia Decanus totumque Capitulum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Symonis & Judae in Goslaria praeſenti ſcripto omnibus noſtris ſucceſſoribus declaramus & eis volumus eſſe notum. Anno gratiæ MCCLXXXIII. in quadrageſima in menſe Martio Domino *Fridericus* Confrater noſter quondam noſter Decanus, qui ſe aſſeruit Canonicum eſſe S. Nazarenae Eccleſiae in Siria ubi ſteterunt pedes Domini, Dominis noſtris in Capitulo reſidentibus & praeſentibus ſupplicavit nobis humiliter & devote ut ob reverentiam beatae & glorioſae virginis Dei Genitricis *Mariæ* vellemus hiſtoriam *Ingreſſus Angulus* ſingulis annis cantare, quae in plerisque Capellis ſolepmniter cantatur, quae in noſtra eccleſia hucusque non eſt cantata. Aſſerens ſe velle nobis providere de competenti conſolatione.

ne. Nos autem ipſius piam devotionem approbantes concorditer & liberaliter ſuae petitioni contulimus aſſenſum, & ad obſervantiam praefatae Hiſtoriae fidei promiſſo ſcripto ſigillo noſtro firmato adſtrinximus nos eidem. Dominus itaque *Fridericus* perinde ſubvenit eccleſiae noſtrae in VI. Marcis examinati argenti. Nos vero gaudenter & in reſtaurum ipſius pecuniae decrevimus, ut Vicario Altaris ---- tantum de frumento noſtro de *Werre* praeſentetur, ut nobis poſſit dimidiam marcam puri argenti in vigilia praedictae feſtivitatis commode miniſtrare & eidem Vicario in praefata feſtivitate & in transfiguratione Domini & in anniverſario Comitis *Conradi* de Wernigerode integra portio tanquam Canonico miniſtretur. Dat. anno gratiae MCCLXXXV. X. Kl. Januarii.

Annus Chriſti 1287.

Rudolphi I. Imp. 15.

Ab. V. C. 364.

Synodus Herbipolenſ. *Concil. tom. XI, part. 2. p. 1319. Siſrid. presb. ad h. ann. p. 700. Chron. Auſtral. p. 334. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 108. p. 628. Cent. Magd. XII. c. 9. p. 962.*

DEferimur in annum Chriſti a milleſimo ac ducenteſimo octageſimum ſeprimum, nulla re, quam celebrata Herbipoli Synodo celebrior. Acceſſit ad hunc ſacrum congreſſum, cui ipſe Rudolphus Cæſar intererat Johannes Tuſculanenſis Epiſcopus Cardinalis, a Pontifice miſſus, ut decimum quemque numum e Cleri opibus in quinque annos expoſceret. Quâ Pontificis exactionem cum minime ferendam putarent proceres, magno conſenſu reclamarunt, excitatoque tumultu, Cardinalis ex ſorore nepotem trucidarunt. Ipſe Legatus cum nobili quodam Romano vix a Rudolpho ſervatus fuga ſibi conſuluit. Extant tamen praeter conſtitutionem Rudolphi Cæſaris de moribus Clericorum emendandis reſtituendaque diſciplina eccleſiaſtica, Capitula XLII, quibus ne Clerici ludis, comeſſationibus & concubinis operam darent, cautum eſt. Nihil enim erat per haec tempora ſacro ordini familiarius, quam ut hiſce vitiis ſeſe pollueret.

Haec Synodus ideo nobis non praetereunda viſa eſt, quod ex ea luculentae, ut tum videbantur, indulgentiae ad eccleſiam SS. Simonis & Judae prodierunt. Ex quibus literis cum de Epiſcopis in hac Synodo praeſentibus fieri conjectura poſſit, placet earum exordium adſcribere:

Univerſis Chriſti fidelibus praeſentes literas inſpecturis, *Sifridus* Dei gratia ſanctae Colonienſis eccleſiae Archiepiſcopus *Arnoldus* Babenbergen. *Gyſelbertus* Bremenſis Archiepc. *Emcho* Friſingen. *Reimboto* Eiſtetenſis *Cunradus* Argentinenſis, *Rudolphus* Conſtantienſis, *Bertholdus* Herbipolenſ. *Bouchardus* Metenſis, *Gebehardus* Brandeburgenſis, *Witigo* Misnenſis. *Burchardus* Lubicenſis & *Cunradus* Tullenſis eadem gratia Epiſcopi ſalutem in Domino ſempiternam. Licet is de cujus munere venit ---- Datum in Concilio Herbipoli. Anno Dni MoCCoLXXX. ſeptimo iii oldus Martij.

Bremae per haec tempora Archiepiſcopi dignitate functus eſt Giſelbertus nobili Bronchorſtiorum ſtirpe ſatus, qui cum civibus ſuis colliſus urbe excedere eſt coactus. Acceſſit hoc anno etiam Goslariam, forte turbas ab Henrico Mirabili datas cum aliis compreſſurus aut certe ad Synodum Herbipolenſem profecturus. Hinc Francobergenſi Conventui conceſſit literas, quibus ſingulis erga hoc Coenobium beneficis XL. dierum indulgentias elargitur:

Indulgentiae Coenobio Francobergenſi conceſſae. *Chron. canob. mont. Franc. p. 43.*

GIISELBERTUS Dei gracia Bremenſis eccleſiae Archiepiſcopus *omnibus Chriſti fidelibus, praeſens ſcriptum viſuris, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum elemoſinarum largicio & indulgentiarum largitarum non ſolum peccatorum lavent maculas, ſed etiam totius doloris radices exſtirpent; omnes Chriſti fideles ad zelum devocionis & ad opera karitatis inducere cupientes, omnibus vere poenitentibus & confeſſis, qui monaſterium ſanctimonialium* in Frankenberch *ſua reſpexerint elemoſina de bonis a* Deo *ſibi conceſſis, ſecundum quod Deus ipſis inſpiraverit, aliquid ad ſuſtentationem illarum dominarum, quae ibi in paupertate diu noctuq; deſerviunt, largiendo,* XL. *dies de omnipotentis* Dei *& B. B. Apoſtolorum ejus Petri & Pauli meritis & auctoritate confiſi, & unam Karenam, miſericorditer relaxamus, ut per haec & alia bona, quae fecerint, poſſint ad aeternae beatitudinis premia pervenire.* Dat. in Goslaria *anno Domini MCCLXXXVII. V. Kal. Mart. pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

Sed longe ſplendidiores indulgentiae eidem coenobio hoc anno Roma allatae ſunt a *Mauro* Amelienſi *Gerhardo* Anagnino, *Romano* Crohenſi, *Leotherio* Verulano, *Pervono* Larinenſi, *Leone* Chalamonenſi *Bartholomaeo* Groſſetano, *Thoma*, Acerrarum Aegi-

Ægidio Tartyburensi; & *Waldebrune* Avellonensi & Glavinensi Episcopis iis concessæ, qui anniversariis dedicationis, nec non Michaelis Archangeli & B. Mariæ Magdalenæ diebus intraque horum octavas Cœnobium hoc invisere aut eleemosynas ei elargari dignati essent.

Anna de Steinb. monialis Novi Operis. *Lexn. c. 89. de monast.*

Celebratur per hæc tempora Anna de Steinberg Monialis Cœnobii B. Mariæ Novi operis, quod nobilissimis virginibus hospitium plerumque præbuit. Id quod illustris familiæ causa non duxi hic omittendum.

Anni Christi 1288. 1289.
Rudolphi I. *Imp.* 16. 17.
Ab. V. C. 365. 366.

Rudolphus Cæsar latrones persequitur. *Henr. Stero. p. 396. Trith. Chron. Hirsaud. ann.*

PRoximis dehinc annis Rudolphus Cæsar nihil habuit antiquius, quam latrones per Helvetiam, Burgundiam aliasq; Imperii provincias opprimere, ac castella in quæ se Harpyæ istæ recipere solebant, solo æquare. Eadem opera Comites Burgundiæ ac Sabaudiæ qui ab officio desciverant victricibus armis perdomuit, ac imperata facere jussit. Qua re factum est, ut Germania paulatim respiraret, ac veluti ad vitam rediret.

Palatiū Cæsareū Goslariæ conflagrat. *Chron. Sax. Pom. p. 349.*

Verū inter hæc salubria Rudolphiconsilia Goslaria nostra in magno periculo versatur, palatio nimirū Cæsareo, in quod tot Imperatores ac Reges sæpiuscule diverterant, flammis derepente absumto. Ex quo incendio non leve erat periculum, ne forte & reliqua urbis pars uni ruinæ involveretur. Miro certe omine hæc flamma in palatium sæviit, quasi minaretur, scilicet urbem nostram ex hoc non amplius Cæsarum domicilium futuram. Nec enim annales ex hoc tempore ullius conventus aut Comitiorum Goslariæ habitorum meminere: Nec ipsum palatium unquam ad pristinum splendorem videtur rediisse. Magnopere itaque decipiuntur, qui antiquorum Cæsarum majestatem ex angustis hisce ruderibus, hodienum domus Cæsareæ nomine notis æstimare solent.

Ecclesia SS. Sim. & Judæ ab omni jurisdictione absolvitur.

Felicior multò ecclesia SS. Simonis & Judæ, quam cum nescio quis in jus trahere esset ausus re ad Cæsareum judicium delata, hoc prodiit Senatus consultum, quo ab omni jurisdictione, præterquam Cæsarea absolvuntur istius Ecclesiæ Canonici:

ICh Herman von Bonsteten der Hoverichter mins Heren des Künges Ru v. Rome tun kunt / daz H. Basilius ein tum Hl. v. Goßler kam vor Gerichte unde gerte ze ervarnde an einer gemeiner urteile ob er unde die tumheren von Goßler vor keinem Gerichte solten ze rechte stan wan vor geistlichen Gerichte umbesolich gut die sie unde ör Gotteshuß ze Sant Matthias zè Goßler in ir rechten gewer hetten bracht alse recht ist. Da vraget ich umbe was recht were / da ward ertheilet daz sie umbe ir Gotteshuß Gut alse vorgeschrieben ist vor keinem Gerichte ze rechte sülent stan wan vor geistlichen Gerichte sie wöllen es denne gerne tun oder den Clager werde Gerichte versetzt von den Geistl. richtern. Der Briev ward gegeben an dem Montage nach S. Joh. Baptisten in dem Siebenzehenden Jahre do min Here de Küneck Ru von Rome ward gekronet.

Et de capto Canonico quodam satisfactionem impetrat.

Eidem Ecclesiæ lis sub hoc tempus intercessit cum Conrado Pfefferkeller ejusque fratribus, quæ familia etiam Cellæperariæ nomine sæpius in diplomatibus sequioris ævi occurrit. Cum enim hi fratres more seculi prædas agere ac rapto vivere instituissent, Canonicum etiam quendam hujus ecclesiæ F. de Vackenstede in ecclesiæ negotiis missum ex itinere intercipere non dubitarunt. Qui cum insigne inde rerum suarum detrimentum cepisset, idque reconcinnari sibi ab ecclesia exposceret Præpositorum Richenbergensis & Montis S. Georgii judicio, causa ita decisa est, ut tertiam partem ad ecclesiæ instaurationem converteret, tertiam plane remitteret, & reliquam a Capitulo reciperet. Notatæ dignæ sunt tabulæ hac de re confectæ quippe quibus Canonici hujus ecclesiæ certa quædam Antiphonæ, Sequentiæ, officia & responsoria injungun-
tur:

* Henricus. * Hermannus.

NOs Dei gratia H. * Præpositus in Richenberg & H. * Præpositus Ecclesiæ Montis S. Georgii apud Goslariam Judices a venerabili Do. “
mino nostro ac Patre *Siffrido* Hildens. Ecclesiæ Episcopo constituti in cau- “
sa, quæ vertebatur inter honorabiles Viros Decanum & Capitulum Gos- “
larienſis Eceleſiæ ex una, & Dominum F. dictum de Vackenstede ejus- “
dem Ecclesiæ Canonicum ex parte altera super refusione dampni sibi illati a fratribus
dictis de *Peperkellere* cum fuisset missus in negotio Ecclesiæ, quod æstimabat ad XV. “
marc. puri argenti. Recognoscimus præsentibus & testamur, quod mediantibus no- “
bis & fratre *Siffrido* de Dorstad & arbitris ex utraque parte electis compositio ami-
cabi-

cabilis prout ſequitur intervenerit. Videlicet quod tertiam partem idem Dn. F. assignat ad ſtructuram eccleſiæ & Capitulum prædictum intra triennium vel biennium illam obligat ſe daturam. Item tertiam partem relaxat & ad petitionem ejus Canonici præfati cantabunt ſingulis annis a feſto Paſchæ usque ad aſcenſionem Dñi ſingulis ſabbathis in medio monaſterii poſt exitum proceſſionis Antiphonam *O Crux gloriosa*, & in Transfiguratione Dni, Sequentiam: *Benedicta*, cum Officio *Dominus dixit*, ad &c. & de Confeſſoribus Patronis Eccleſiæ prædictæ Sequentiam: *Ad laudes Sal.* & Reſponſorium: *Benedicens quod Ds.* cantabit ad veſperas, ad matutinas & poſt circuitum in reditu proceſſionis in Dominica qua cantatur *Exurge*. Item pro tertia parte præfati Canonici dabunt prænominato Dno F. ij. tal. Magdeburg. denariorum in feſto B. Mauricii & iij. tal. B. - - denariorum in feſto B. Galli anno tantum in præſenti. Quod ſi prædicta ſervata non fuerint ex tunc ſicut ex nunc autoritate nobis commiſſa contra ſæpe dictum Capitulum ſententialiter procedemus. Ut autem prælibata ordinatio inconvulſa perpetuo permaneat, jam dictum Capitulum & nos judices ſupra dicti præſens ſcriptum inde confectum ſigillorum munimine duximus roborandum. Act. & dat. Aó Dni M. CC. LXXXVIII. IX. Kl. Maji.

In prædones Pfefferkelleros deinde a Sifrido Hildeſienſi Epiſcopo excommunicationis ſententia prolata & curia, quam eccleſia Langenbergenſis Goslariæ noſtræ poſſidebat, publica cuſtodia tantiſper attenta eſt, quoad Pfefferkelleri oblata digna ſatisfactione execrationis veniam impetrarent. Quam ſententiam idem Hermannus de Bonſteten, judex aulicus Cæſareus ratam habuit:

ICh Herman von Bonſteten der Hoverichter mins Heren des Küniges Ru. von Rome tun kunt daz H. Baſilius ein tumh. von Goſſlar kam vor Gerichte unde erzuget mit mins Herrn offenen Brieven des - - - Biſchoffes von Hildensheim daz kunſe Phefferkeller und ſein Bruder lange ze Banne ſind gekundet umbe die ſchulde / daz ſie einen Tumherrn vòn Goſſlar viengen vrekelich / dar wart ertheilet alle die wile / daz ſie in offenen Banne ſint / daz ſie uff daz gut za Goſſlar des Gotteshuſes ze Langenberge nicht mögen clagen / noch uff die Tumherrn noch uff nieman de ſie do umb den Ban verſprechen will. Der Briev ward geven an den Montage nach S. Johannes Tage Baptiſten in den ſiebenzehenden Jahre do min Herr der Künik Ru. von Rome ward gekronet.

Non ingratas haſce tabulas fore ſperabus Germanica lingua primum in judiciis invaluiſſe dicitur, ſatis declarant. Quo certius autem conſtet, quinam tunc eccleſiæ hujus Canonici extiterint, addo nomina, quæ in membrana Meyneri Comitis Slademenſis deprehendi: *Conemannus Decanus, Volkmarus de Goslaria, Bertholdus de Gouviſche, Magiſter Hildebrandus & Magiſter Reinardus de Lapide, Canonici eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.*

Noſtra ro, quæ ſtylum eorum temporum, quinomina Canonicorum Goslarienſium.

Nec Richenbergenſe etiam Monaſterium his annis in vetuſtis membranis ignotum eſt. Cum enim funeſto incendio nuper devaſtatum indulgentias præſulum ubique conquireret: Johannem etiam Magyncenſem Archiepiſcopum licet in diſſitiſſimis Oceani fluctibus jactatum neſcio qua ratione permovit, ut haſce literas e navi ſua remitteret: Johaſes Magyncenſis Archiep. Richenbergenbus indulgentias concedit.

JOannes divina gratia Magyncenſis Archi-Epiſcopus Univerſis in Chriſto fidelibus pacem in Domino & ſalutem. Solet annuere Mater Eccleſia piis petitionibus ac favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in Chriſto devotionem veſtram ſollicite exhortantes rogamus attente, quatenus in relevationem Eccleſiæ Monaſterii B. Mariæ in Richenberg manus veſtras ita dignemini porrigere adjutrices, ut in præſenti munus gratiæ & in futura veſtra devotio æternam vitam conſequi mereatur. Nos autem de Omnipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli & omnium ſanctorum bonitate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ob Dei reverentiam præfatæ Eccleſiæ in propriis perſonis ac rebus Eccleſiæ devote & fideliter miniſtrabunt de injuncta vobis pœnitentia omnium peccatorum quadraginta dierum indulgentiam tam devote, quam liberaliter elargimur. Datum in navi ſupra marce juxta Cyprum. Anno M. CC. LXXXIX.

Quis hic Johannes Archiepiſcopus Magyncenſis ſit adhibita licet diuturna indagine reperire nusquam potui. Congruit fere nomen cum Maguntenſi, ſed ibi

ibi tunc nullus Johannes ſedem tenuit, nec ſigillum, quod integrum membranæ annexum ſuperat, inſignia archiepiſcopatus Moguntini præfert, ſed in ſuperiore parte B. Virginem cum puerulo Jeſu, in inferiore peregrinatorem pileatum & dextra baculum his hominibus ſolennem gerentem. (Einen Pilgram bedeckt mit einen Huth / und haltend in ſeiner rechten einen Pilgrams-Stab.] Delio igitur hic natatore opus eſt; ego hic meam fateor infelicitatem.

Capella S. Ægidii

Denique Theodoricus S. Ægidii ſacerdos, qui in Everhardi & Aſchwini fratrum de Lutter tabulis anno MCCLXXXIX conſignatis occurrit, nos monet, ut & hanc capellam non plane ſicco pede præteream. Sita eſt illa in media ferme civitate, ubi platea Frankenbergenſis in alias duas ſe dividit, & jam inde a reformatione privatis uſibus eſt addicta. Reſtat tamen turris ſatis firma (den Süntillien Thurm vulgo vocant,) quæ hodienum accolis horas campanæ ſonitu ſolet indicare.

Annus Chriſti 1290.

Rudolphi I. Imp. 18.

Ab. V. C. 367.

Comitia Erfurtenſia. *Hiſt. Landgr. Thur. c. 76. p. 938. Sifrid. presb. ad h. ann. p. 700. Addit. ad Lamb. Schaffn. ad h. ann. p. 260. Engelh. Chron. p. 255. Dominic. Colmar. faſti ap. Vrſtiſium. tom. 2. rer. germ. p. 25 Paralip.*

Succedit annus poſt milleſimum ac duocenteſimum nonageſimus, quo primum a tanto interjecto tempore Saxonia Imperatorem in ſe venerata eſt. Popularibus tumultibus tunc agitabatur Erfurtum, civesq; magiſtratus rapacitatem peroſi fœdis omnia motibus miſcebant, nec ſolum intra mœnia ſæviebant, ſed circumjacentes etiam agros excurſionibus ac latrociniis turbabant. Cumque nullis Henrici Archiepiſcopi precibus ab inſtituto divelli poterant, tum ſede inprimis vacante multo inſolentius, quam antea tumultuabantur. Hinc Gebehardus Archiepiſcopus Moguntinus, nuper in Henrici locum ſuffectus rem ad Cæſarem detulit, qui cum delecta manu in Thuringiam properans, adventu ſuo adeo Erfurtenſes perterruit, ut ſupplices eum in civitatem deducerent. At ſtrenuus ſcelerum vindex cauſam ſeduło cognoſcit, atque a turbarum auctoribus, quos inter octo ex ordine ſenatorio erant, ſumit ſupplicium. Rebus ſic ad ſummam tranquillitatem compoſitis, principes Imperii ad comitia evocavit, quibus interfuere Gerhardus Moguntinus, Sifridus Coloniensis, Rudolphus Salisburgenſis & Ericus Magdeburgenſis Archiepiſcopi, Siffridus Hildeſienſis, Albertus Halberſtadenſis, Volquinus Mindenſis, Conradus Laventinus, Henricus Conſtantienſis, Otto Paderbornenſis, Mangoldus Herbipolenſis, Bruno Numburgenſis, Henricus Mersburgenſis, Wittichius Miſenenſis, Conradus Archſtadienſis, Conradus Verdenſis Epiſcopi, Henricus Abbas Fuldenſis, Wenceslaus Rex Bohemiæ, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Albertus Saxoniæ, Albertus, Henricus, Wilhelmus & Otto Brunſvicenſium & Luneburgenſium Duces Otto & Tilo Marchiones Brandenburgenſes, Albertus Landgravius Thuringiæ cum Filiis Friderico & Theodarico, Henricus Landgravius Haſſiæ, Dux Carinthiæ, Princeps Megalopolitanus, Henricus & Gunzelinus Comites Sverinenſes, Fridericus Burggravius Noribergenſis, Comites Hoenloenſes, Catzineliboccenſes, Bremenſes, tantusque e Saxonia, Thuringia & Miſnia procerum numerus, ut vix ſplendidiora Comitia in annalibus ante hæc tempora occurrant. Imperatorem comitati ſunt Albertus & Rudolphus filii & filiæ potentiſſimis Imperii principibus denuptæ. Miramur ergo cum tot auctorum ac diplomatum teſtimonia in annum hunc MCCXC. conſpirent, alios tamen hunc celebrem principum congreſſum in annum MCCLXXXVI. referre. Multo minus ferendus Henricus Stero, qui hunc ipſum conventum cum Herbipolenſi ſynodo permiſcet, quadriennio ante habita. Ceterum plurima de ſtabilienda publica pace * inter principes agitata leguntur. Albertus Landgravius Thuringiæ cum filiis in gratiam redire juſſus, latrones viſcera patriæ dilacerantes ſuſpendio puniti, caſtra prædonum ſupra LXIX. per Thuringiam Saxoniamque ſolo æquata, Comes Zolleranus Burggraviatu Nurenbergenſi auctus, aliaque ſapienter acta, quæ reipublicæ ſalus videbatur poſtulare.

*Ilrſp. p. 340. Cranz. l. 8 Sax. c. 34 p. 224. Guden. Hiſt. Erf. l. 1. §. 25. Serrar. l. 5. rer. Mog. p. 845. Spangenb c. 269. p. 455. Paul. Chron. Iſ. p. 62. Henr. Stero. p. 397. *Vid. dipl. Rud. ap. Ekſtorm. p. 110. Chron. Walker.*

In his quoque Comitiis multa in Rudolphi Imp. tum a laudatiſſimo Imperatore aliisque principibus decreta ſunt. Quorum haut ultimum reputandum eſt, quod tribus Goslariæ viciniæque noſtræ emolumentis confirmat.

In his quoque Comitiis multa in Goslariæ viciniæque noſtræ emolumentum a laudatiſſimo Imperatore aliisque principibus decreta ſunt. Quorum haut ultimum reputandum eſt, quod tribus noſtræ Civitatis, de quibus abolendis aliquoties fuerat cogitatum, luculento privilegio ſtabilivit, hiſce formulis concepto:

RODOLFUS *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri Imperii Romani fidelibus præſentes litteras inſpecturis graciam ſuam & omne bonum. Ex injuncto nobis cælitus officio, qui ſtateram juſtitiæ geſtamus in manibus errata corrigere, lapſa erigere & quæque in melius reformare ſatagimus noctibus ac diebus. Cum itaque ad fervidam aliquorum inſtanciam credentes proficere quod nunc cernimus officere,* quasdam fraternitates *in oppido noſtro Goslarienſi*

enſi extinxerimus & annulaverimus, quæ Inninge vel Gelden *vulgariter appellantur, modo ſaniori potiti conſilio conſiderantes, quod dictæ fraternitates oppido noſtro Goslarienſi nec non civibus ejusdem & earum uſibus proficiunt & fructificant, & earum deſtructio in dicti noſtri Oppidi vergit non modicum præjudicium & gravamen, & volentes paucorum commodis utilitatem publicam anteferre, dictas fraternitates & earum uſus ad ſtatum priſtinum & eandem conſuetudinem auctoritate regia, ut ſicut conſueverunt ante noſtram revocacionem, ſtent, durent & permaneant, reſuſcitamus ac ad firmitatem rei perpetuæ reſtauramus, contra hanc noſtram reſtitucionem dictarum fraternitatum nulla indulgencia ſeu privilegium quibuscunque conceſſum ullatenus valiturum. Si quis autem cujuscunque ſtatus vel condicionis huic noſtræ reſtitucioni obviare præſumſerit, noſtræ majeſtatis offenſam gravem ſe noverit incurſurum, in cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt Illuſtriſſ.* Albertus *Dux Saxoniæ, honorabilis vir Magiſter* Henricus *de Clingenberg, nobiles Viri* Fridericus *Burggravius de Sturenberg.* Eberhard *Comes de Cazenelebogen.* Lodevvicus *Comes de Otinge*, Henricus *Comes de Blanckenburch.* Theodoricꝰ *Comes de Honſtein*, Gerlacus *de Bruberg.* Conradus *de Winsbg.* & Burchardus *dictus Lappe, de Querenvorde & quam plures alii fide digni. Datum* Erfordiæ *decimo Calendas Maji indictione tertia Anno Domini M°. CC°. LXXXX°. Regni vero noſtri Anno ſeptimo decimo.*

Quod decretum, ut eo certius effectui daretur, negotium datum eſt Ottoni Comiti Aſchariæ & Principi Anhaltino, *judici a Serenisſimo Dno Rodolfo, Romanorum Rege per terram Saxonia conſtituto,* ut omnem controverſiam inter *montanos & Sylvanos Goslaria civitatis & montis Rammesberg ex una*, & tribus Goslarienſes ex altera parte diutiſſime agitatam Cæſarea auctoritate ſopiret. Binæ hac de re extant literæ, tum Ottonis Principis, tum montanorum & Sylvanorum Goslarienſium, in quibus hi occurrunt teſtes:

Hujus compoſitionis teſtes ſunt & præſentes aderant Dominus *Hermannus* nobilis de Werberge, *Olricus* Marſchalcus Dni noſtri præfati *Ottonis* Comitis & Principis de Anehalt, *Johannes* de Dingellenſtede milites, idem Burgenſes, *Burchardus* de Bilſteyn, *Johannes* Copman, *Hinricus* Haut-fetere, *Johannes* de Duderſtad, *Johannes* de Dornethen, Dnꝰ *Conradus* de Viskbike, *Conradus* Troſt, *Sifridus* Scap. *Johannes* de Aſtvelde, *Jodoco* Buſch & alii quam plures Dat. *Goslariæ* 4o Dni. M°CC°LXXXX°. In aſſumptione B. Mariæ Virginis.

Collectan. Cherici ap. Sagitt. in Hiſt. princ. Anhalt. p. 74.

Rem tra quos cum multis apud Imperatorem conqueſti eſſent Canonici, negotium datum eſt Ottoni Anhaltino Principi & fœderis adverſus prædones initi duci primario, ut eccleſiæ noſtræ ſuſciperet patrocinium, eique ſecundum libertatem contra vultures hoſce daret vindicias. Renꝰ Chæricus quoque in collectaneis Anhaltinis his verbis notavit: *Rudolphus I. mandat Alberto Principi Anhaltino, ut Capitaneo Conſervatorum per Saxoniam*, daß er das Stifft Goßlar in ſeinem Schuz nehmen/und vertreten ſolte vor eingriff der edelen Herrn von Hadmersleben. Hæc Chæricus, qui tamen & in nomine Principis hallucinatur & rei eventum aut ignoravit, aut memoriæ prodere omiſit. Id vero ex tabulis laudatæ eccleſiæ liquet, non Albertum ſed Ottonem Anhaltinum in conciliandis Hadmerslebiis & eccleſiæ noſtræ Canonicis aliquandiu fruſtra laboraſſe. Rem tamen ejusdem Rudolphi Cæſaris auſpiciis felicius ad exitum perduxit Henricus Comes de Blanckenburg, Conjudex Ottonis Anhaltini cujus hodienum extant literæ ſatis prolixæ, quibus certam ſententiam inter Wernerum, Gerdungum & Ottonem Hadmerslebios & eccleſiam SS. Simonis & Judæ pronunciavit. Diploma, quod in hanc rem literis inſignitus prælibata eccleſia in tabulis ſuis ſervat, cum varia notatu digniora contineat, ac præcipue illuſtrem Blankenburgenſium Comitum familiam multum illuſtret, integrum, quamvis ſatis prolixum, adſcribimus:

Quibus legibus inter eccleſiam & Hadmerslebios convenerit?

Eccleſia SS. Sim. & Judæ de ſecuritate proſpicit contra nobiles Hadmerslebios.

Eadem cura eccleſiæ SS. Simonis & Judæ ſapientiſſimus Imperator de ſecuritate proſpexit. Tumultabatur adhuc per Saxoniam pernicioſa prædonum factio, qui nefarii homines ipſas quoque eccleſiarum facultates incredibili ſævitia ſpoliabant. Eccleſiæ noſtræ Nobiles inprimis Hadmerslebienſes negotium faceſſebant, con-

in

IN nomine Domini Amen. HEINRICIIS Dei gratia Comes de Blankenburch universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad sciendarum rerum indeficientem memoriam non incaute scripturarum & sigillorum testimonium imploratur. Unde sciant præsentium Inspectores, quod uos ad speciale mandatum Domini nostri incliti Regis Rom. *Rodolfi* quandam amicabilem compositionem ordinavimus inter nobiles Viros *Wernerum*, *Gard.* & *Ottonem* fratres ejus dictos de Hademersleve parte ex una, & Dominum Decanum & Capitulum Ecclesiæ SS. Apostolorum Symonis & Judæ & Matthiæ in Goslaria parte ex altera super discordiis & controversiis inter ipsos jamdudum habitis & ventilatis super quibusdam bonis & reditibus prædictæ Ecclesiæ pertinentibus, spectantibus ad villicationem in *Wester Egeln* & in *Edekersleve* cum villis circumjacentibus, quas infra per ordinem plenius distinguemus, quam villicationem dicti nobiles de Hademersleve sibi jam longo tempore contra voluntatem Goslariensis Ecclesiæ usurparant. Placitavimus autem in hunc modum, quod prædicti Goslarienses Canonici locaverunt & commiserunt villicationem prædictam cum omnibus quæ spectant ad villicationem eandem jam dictis nobilibus de Hademersleve sub his conditionibus & hac forma: Quod dicti nobiles de bonis ecclesiæ prænotatis dabunt annis singulis eisdem Canonicis de VII. mansis & dimid. ad alodia in Wester Egeln & in Edekersleve pertinentibus de quolibet manso chorum & dimidiū tritici Magdeburgensis Mensuræ. Eadem etiam ecclesia Goslariensis locavit IV. mansos cum dimidio spectantes ad alodia cum patris & salignis ad tempora vitæ Relictæ Domini *Johannis* de Wester Egeln & filii ipsius, qui cum vacaverint nobiles antedicti eosdem recipient & de quolidet manso dabunt chorum & dimidium tritici, sicut de aliis superius est expressum. De duobus etiam molendinis sitis in *Egeln* & in *Edekersleve* nunc XII. choros solventibus & iij magnos pingues porcos quolibet anno VIII. choros tritici Magdeburdensis mensuræ ministrabunt. Si vero prædicta molendina crescente censu meliora. ri contigerit, duplex portio meliorationis cedet dominis, tertia apud dictos nobiles remanente. Idem de pejoratione judicamus, ut sint tribulationis participes, qui consolationis esse participes, voluerunt Idem de XX. mansis in *Wester Egeln* & de XXXII. in *Edekersleve* quorum quilibet solvit V. maldra mensuræ Granarii Goslariensis, de quolibet istorum mansorum solvent dimidium chorum tritici & V. solidos mensuræ & monetæ Magdeburgensis & de XX. mansis Censualibus in *Edekersleve* de quolibet manso VIII. solidos tribus exceptis quorum duo solvunt XX. solidos, tertius sex. Etiam de VII. mansis censualibus in *Starendorp* XXXV. solidos, ministrabunt, item de sex mansis censualibus sitis in *Wester Egeln* de quolibet ipsorum VIII. solidos, & de XII. mansis in *Hondorp* quorum sex solvunt quilibet XVIII. solidos, quinque autem ex eis quilibet VIII. solidos & VII. XII. sol. & de uno manso in *Ammendorp* XIV. sol. ministrabunt. Si quid a. de prædictis bonis adhuc alienatum vel distractum revocatum fuerit, de his facient sicut superius est expressum. Hic specificatus *census litonicus* quoad denarios Magdeburg. in die B. Michaëlis integraliter persolvetur, & sub periculo prædictorum nobilium de Hademersleve Magdeburg. vel Halberst. præsentabitur in quacunque civitatum istarum Dñi Goslarienses ipsum præsentandum elegerint, sed talis locus præsentationis est debitoribus antea præfigendus. Præterea omne frumentum superius distinctum de alodiis molendinis, mansis, litonicis ante festum B. Martini sine diminutione Goslariam per prædictos nobiles transmittetur, sub periculo tamen ipsorum usque Halberstad. & ulterius sub periculo Goslariensium Dominorum. Pœna autem sæpe dictorum nobilium hæc erit, si in solutione, quod absit, in terminis prænotatis, sc. diebus SS. Michaëlis & Martini, inventi fuerint negligentes, quod in quolibet Crastino ipsorum terminorum reddere tenebuntur in duplo id quod antea solvere neglexerunt. Hanc duplicationem census tam frumenti, quam denariorum infra IV. ebdomadas proxime subsequente solvere tenebuntur, vel ex tunc inmediate Magdeburg. vel Halberst. ad jacendum intrabunt, & nulla nocte deerunt quamcunque civitatum istarum ad sic jacendum primum intraverint ibidem jacebunt sine permutatione, quo usque in toto persolverint, quod tenentur. Insuper dicti nobiles assignaverunt I. m puri argenti sitam in *Ammendorp*. singulis annis Ecclesiæ Gosl. ad peragendum quater in anno memoriam Dñi *Ottonis* Senioris & Uxoris ejus Dña *Jutta* & filiorum ipsorum Dominorum *Ottonis* & *Bodonis*, & idem fiet Dnis *Wernero* & *Gardun.* & *Ottoni* cum ingressi fuerint viam carnis universæ. In his autem IV. memoriis prædicta marca liberaliter collata præsentibus dividetur. Item præmemorati nobiles bona fide & diligentia Goslariensem Ecclesiam & Dnos in omnibus suis negotiis prout poterunt, studiosius promovebunt, & litones seu colonos Ecclesiæ in suo jure faciant & permittant integraliter permanere. Hæc autem omnia præsentibus literis annotata se firmiter observaturos sæpe dicti nobiles W. *Gar.* & *Otto* in manus nostras & fratris nostri Dni *Hermanni* Præpositi S. Bonifacii ac Dni *Wer.* militis Spegel fide præstita promiserunt, procurabuntque nihilominus, quod filii eorum quos nunc habent ejusdem nominis

Bodo Richenb. Prior quædam bona redimit.

Inter hæc Henrico Præposito Richenbergensi Patri Patrum Ordinis S. Augustini per Alemanniam adjungitur Bodo, Prior, Vir tanta prudentia ac auctoritate præditus, ut sæpius ad causas principum virorum ex æquo bonoque componendas fuerit adhibitus. Hoc ipso statim anno monasterio suo quinque mansos a *civibus quibusdam Gerstedienſibus* redemit, cui actui præter Consules Goslarienses interfuere etiam *Conemannus Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Decanus, & Frater Ludovicus Domus Sacri Hospitalis Ierosolymitani Commendator in Goslaria.*

Annus Christi 1291.
Rudolphi. I. Imp. ult.
Ab. V. C. 368.

Rudolphus I. Imp. moritur. *Siffrid. presb. ad h. ann. p. 700. Henr. Stero. p. 397. Chron. Austral. p. 337. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 104. p. 624 Albert. Argent. p. 109.*

VEnitur ad tempus Imperio Germanorum funestissimum, quod Rudolphum Cæsarem demerendis hominibus genitum immatura morte rapuit. Processerat laudatissimus Imperator superiore anno in Franconiam ubi reliqua latronum receptacula excisurus, eaque quæ bello perdomuerat, pace firmaturus, frequentissima Comitia Francofurtum indixerat. Actum etiam in hoc congressu de Alberto filio patri subrogando, si quid ei humanitus accedisset. Sed hasce salubres Rudolphi spes fortuna opinione citius elusit. Vix enim de componenda republica cum proceribus agere cœperat, cum motus imbecillitatem inclinatæque in deterius principia valetudinis sentiret. Attamen obfirmato animo propositum persecutus, multaque sapienter constituens morbi vim incredibili constantia occultavit. Verum ingravescente in dies valetudine, cum se fato suo urgeri animadverteret, Spiram petere decrevit, multos ibi Reges sibi conveniendos, per jocum dictitans. Mox cum Germersheimium attigisset, omnemque medicorum curam fata vincerent, ad mortem se pie componens, nec quidquam de fine, si Deus poscceret, recusans, VIII. Calend. Augusti Septuagesimo quarto ætatis anno diem obiit supremum, Spiramque deportatus inter ceteros Germaniæ Cæsares conditorium reperit, hoc titulo insignitum:

RVDOLPHVS DE HABISBVRG ROMANORUM REX ANNO REGNI SVI XVIII. DOMINI MCCLXXXXI. IN DIE DIVISIONIS APOSTOLORUM.

Princeps admirandus & sine exemplo maximus, libertatis Germanicæ vindex egregius, severus scelerum ultor, temporum reparator, pacis publicæ auctor, di[illegible] tis parens.

Senſit Saxonia nostra diligentiam excubias custodia reipublicæ Rudolphum. Herlingsberga nim bellum civile nuper principum quorundam consiliis sanatum multo infelicius quam antea recruduit, omnesque Saxoniæ ordines in societatem attraxit. Tentata nuper a socialibus civitatibus fuerat Herlingsberga, ex qua præsidiarii Henrici Morosi milites sæpius Goslarienses aliasque vicinas civitates vexaverant. Sed cum Henricus hostes suos cruento prælio ab obsidione depulisset, pax iis legibus facta est, ut dirutis munimentis castelli milites inposterum a latrociniis se abstinerent. Henricus tamen sive superiori victoria inflatus, sive per indolem quietis impatiens, mox rediit ad ingenium, & muris tumultuaria opera instauratis non minus, quam paulo ante ditiones circumjacentes concussit. Bellum itaque summis utrinque viribus redintegratum est. Convenere in unum Magdeburgensis, Hildesiensis & Halberstadiensis Præsules, Duces Brunsvicenses, Comites & Blankenburgenses, Regensteinenses, Wernigerodani, Stolbergenses, ceterique quorum res agebatur. His se adjunxere cives Goslarienses, Brunsvicenses, Hildesienses, Magdeburgenses ac Halberstadienses, qui contractis subito copiis denuo Herlingsbergam oppugnant, capiunt, solo æquant, & Hildesiensis Episcopi ditionibus adjiciunt. Atque adeo Goslaria nostra diuturno metu liberata, multo quietius, quam adhuc, cum vicinis cœpit negotiari. Sifridus, Hildesiensis Episcopus prohibiturus, quo minus tam periculosa arx denuo e ruderibus renasceretur, non longe ab illa molitus est castellum, Levenburgi nomine hodienum celebre, quod Henricus paulo post irrito conatu obsedit. Ceterum hoc Herlingsbergæ excidium sequentibus versiculis ad posteros est propagatum:

Herlingsberg Chron. Magd. p. 221. Bunting. part. 4. Chron. Br. p. 569. Chron. Ep. Hild. MSC. c. 15 Reutel. Chron. Hilleh. p. 97.

Post. M. post duo CC. post nonaginta, monosque.
*Herlingsberg capitur, moritur Rex, Dux * sepelitur.*

* *Wilhelmus Chron. tamen Magd. legit Dux superatur Spangenb. c. 270. Chr. Sax. p. 458.*

In quem annum & Hildesienses fastos convenire auctor est Meibomius. Unde erroris compertus Spangenbergius, qui superiori anno hæc contigisse existimat.

At multo saniore consilio Fridericus & Woltherus fratres Dynastæ Dorstadiani litem inter Præpositum Richenbergensem & Conradum de Piscina de agris quibusdam diutius agitatam ex æquo bonoque composuerunt, eamque rem publicis tabulis satis luculentis testati sunt: Lis inter Richenberg. & Conradum de Piscina composita.

Nos

NOs FRIDERICUS & WALTHERUS Fratres milites dicti de Dorſtadt, præſentium recognoſcimus in tenore, quod cum ſuper decidenda controverſia, quæ inter Dnũm *Conradum* militem dictum de piſcina conſanguineum noſtrum, ex parte altera jamdudum extitit agitata, ſuper agris quinque jugerum, nec non & decima quorundam agrorum inter duas vias, videlicet publicam ſtratam, quæ de *Goslar* & ſemitam quæ de *Richenberg* ducunt verſus *Jerſtede* ſitorum in ejusdem clauſtri bonorum terminis quibusdam magnis lapidibus conſignatis præfati Domini Præpoſitus pro ſe ac ſuo Capitulo & Conradus Cognatus noſter pro altera parte in nos tanquam in arbitros compromiſerint fide data. Nos igitur perſpectis ipſius Eccleſiæ inſtrumentis, nihilominus inveſtigatione præhabita diligenti, prout didicimus de antiquis locorum incolis, vicinorum ac de concilio diſcretorum dictos agros & decimam memoratam ſimul cum omni jure ſententialiter adjudicamus Eccleſiæ ſupra dictæ præſentibus & prædictam ſententiam approbantibus religioſis viris *Sifr.* de Dorſtadt, *Geverhardo* de Schladem ordinis minorum fratrum, Fratre *Ludolpho* de ſancto ſepulchro & honorandis viris ac Dominis *Rainardo* dicto de lapide Canonico Goslarienſi, *Volcmaro* dicto de Schladem, *Bernhardo* dicto de Gowiſche militibus & aliis fide dignis. Ne vero hujusmodi noſtrum arbitrium ſeu ordinatio aliquorum calumnia valeat impoſterum infirmari tenorem præſentium inde confectum ſigillorum noſtrorum una & ſupra dictorum virorum videlicet Doñi Præpoſiti, Dni *Volcmari* de Schladem, ac Dñi *Conradi* de Piſcina appenſione duximus roborandum. Acta ſunt hæc *Goslariæ* in Domo ſæpe dicti Dñi M. CCXCI. III. Idus Martii.

Anni Chriſti 1292. 1293.
Adolphi Reg. I. 2.
Ab. V. C. 369. 371.

Adolphus Naſſovius Cæſar renunciatur. *Paralip. Vrſp. p. 341 Spangenb. Chron. Sax. f. 271. p. 459. Dominic. Colmar. Faſt. ap. Urſt. p. 26. Albert. Arg. p. 109*

PRoximis annis, a Rudolphi obitu graviter commoveri respublica ac priſtinis turbis involvi cœpit. Circa ipſa enim anni auſpicia de novo eligendo Cæſare ſolliciti principes incerti inter plures Candidatos fluctuabant. Videbatur equidem una omnium luctatio futura, pugnantium cum Alberto Auſtriaco, ut ſtationi paternæ ſuccederet, ejusq; virtutis telũ feliciter pertexeret. Præterea enim, quodomnes Germaniæ principes opibus ac potentia anteiret, quatuor etiam electores ſeculares affines habebat, quos non erat dubium daturos operam, ut Cæſareæ majeſtatis decus in domo Auſtriaco continuetur. Sed hanc ejus opinionem fefellere Electores eccleſiaſtici, quorum anteſignanus Moguntinus neglecto Alberto, & ceterorum ſeptemvirũm ſuffragiis aſtute emendicatis Regem renunciavit, Adolphum Naſſovium, ſumma neceſſitudine ſibi junctum. Quem deinde ingenti omnium concurſu Aquisgranum deductum, Sifridus Colonienſis Archiepiſcopus, more majorum, diademate incinxit, cum pro hoc veterano milite ſuo ſatis ſedulo laboraſſet.

Albertus Landgr. Thur. adolpho Cæſari

Sed triſtia mox Imperii novi auſpicia Saxonia noſtra vidit. Albertus enim Thuringiæ Landgravius exuta parentis natura duos optimæ indolis filios Fridericum & Theodoricum codicillis ſuis exhæredes ſcripſerat ac ne quæ ſpes provinad paternas provincias redeundi illis cias venillis ſupereſſet, totum quam late patet dit. Misniam Luſatiam & terram Pliſenſem *Hiſt.* Regi emendam obtulerat. Quas provin- *Landgr.* cias cum Adolphus datis XXI. marcarum *Thur. c. 78* purioris argenti millibus ſuas faceret, pa *p. 932.* truumque Philippum cum inſtructiſſimo *Addit.* exercitu ad eas occupandas mitteret; *ad Lamb.* Friderico & Theoderico fortiter repu- *ad hos* gnantibus omnis pene Saxonia bello in- *annos* teſtino ardere cœpit, quo ita ſenſim in- *p. 261.* valuit, ut poſt Henrici IV. tempora vix *Siffrid. ad* gravius aut atrocius in Saxonia fuerit. *h. ann.*

1294. p. 700. Henr. Stero. p. 398. Paulin. Annal. Iſenach. p. 63.

Controverſia inter Prælatos & Coss. Goslarienſes.

Maturius de ſopiendis diſcordiis cogitabat Sifridus Epiſcopus Hildeſienſis, qui cum inter prælatos Civitatis noſtræ ac Senatum de molendinis quibusdam lites difficillimas ſeri cognoſceret, ſtatim id dedit operam, ut amica compoſitione mutua odia ex animis delerentur. Plures tum in civitate tum extra mœnia molas, adhuc poſſederant noſtrates & vicinæ eccleſiæ, quibus cum ſenatus fructus nonnullos ſibi haberi aſſereret, clerusque, ne quicquam detur, prohiberet; Senatus nonnullos reditus annuos publica cuſtodia attinuit. Commoti hac re clerici excommunicationis ſententiam pronunciarunt in civitatem, eamque campanarum ſonitu promulgarunt. Hoc facto, cives uſu ſacrorum in ſequens usque S. Martini feſtum caruerunt, cum interea Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus ſopiendis his litibus omnem adhiberet induſtriam:

Vnde excommunicata civitas.

gentes

Sæpius fruſtra laboratum, nec Cæſaris ea in re valuit autoritas, crebris ediƈtis litigantes ad concordiam fruſtra revocantis. Denique pacis negotium iterum iterumque in ſe ſuſceptum feliciter ad liquidum perduxere Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus & Arnoldus Decanus, quorum ſuaſu Eccleſiæ venditis ſenatui plerisque molendinis omnem litium materiam in futurum præciderunt. Breviter hoc diſſidium enarrat Chronicon MSC. Goslarienſe, e quo locum ipſum proferre non erit incongruũ. In derſelben Zeit in Sünt Jacobi Tage erhub ſich ein groß unwille unter den Prälaten und den Kirchen-Leuten auſen und in der Stadt von einem Parte und dem Rath und der gemeinde von dem andern parte / ſo groß / daß alle Verfolgers der Kirchen verbannet wurden / und verlůdden ſie mit den Klocken / und die Klage der Papheit ſchloß auff [decidit] Herr Sivert der Biſchoff zu Hildesheim biß an den König / der da ſchrieb der Papheit / und bat ſie / und wolte erſtlich vom Raht gehabt haben / daß alle Overmuth / die den Kirchen geſchehen were / daß ſie daran weren / daß ihnen dar vollkómlich voll vor geſchehe. Dieſer groſſe Zwietracht ſtunde bis um Martini. Die Urſach dieſes Zwietracht war / es hätten etzliche von den Mühlen den Zins vor behalten / etzliche mit ſchnödigkeit und hinterliſt / ſo ward dieſer harter Unwille Zuletzt geſchahe mittelſt der vorgemelten Sivert Biſchoff zu Hildesheim und den Dechant Herrn Arnold derſelben Kirche und viel ander frommer Leute der Vertrag etc. Soleo ego ejusmodi chronicis paulo rarius uti, cum ſciam eorum pauca fide digna habenda eſſe. Attamen quo minus huic narrationi fidem detraham, movent me alia monumenta, de quibus nemo temere putaverit dubitandum. Extant enim hac de re luculentæ Senatus Goslarienſis tabulæ, quibus omnium pene prælatorum & clericorum Goslarienſium ac vicinorum nomina aliæque res notatu digniſſimæ continentur:

HOs Conradus *de Visbeke*, Conradus *Meſo*, Joannes *de Duderſtat*, Giſeko *de Broclede*, Joannes *de Dornden*, Conradus *Troſt*, Sifridus *Ovis*, Wedego *de Aſtvelde*, Borchardus *Gude*, Borchardus *Honeſtus*, Hermannus *parvus*, Johannes de *Vordhem*, Conradus *Kopmann*, Arnoldus *Bone*, Bernhardus *juvenis*, Erembertus *de Ringelem*, Henricus *de Bergbrugge*, Johannes *de Nowen*, Conradns *de Borſum conſules civitatis Goslarienſis*, *præſentium tenore recognoſcimus*, *proteſtantes publice*, *quod cum litis materia & rancoris inter prælatos & Eccleſias ſcil. Dñum* Konemannum *Decanum & Capitulum Sanƈtorum Apoſtolorum Symonis & Judæ Civitatis noſtræ Dñum* Henricum *Præpoſitum & Conventum Eccleſiæ in Richenberg*, *Dñum* Witekindum *Præpoſitum Montis S Georgii & Conventum Dñum* Albertum *Præpoſitum & Conventum Eccleſiæ Novi Operis*, *Fratrem* Ludolphum *Commendatorem Domus ſacri hoſpitalis Jeroſolymitani*, *Fratrem* Conradum *Commendatorem Domus Theutonicæ ex una*, *& nos ex parte altera propter molendini cujusdam novi & quarundam ſtruƈturam Hallarum ſuccreviſſet*, *ad eradicandum hujusmodi rancoris Zizaniam mediantibus venerabili Dño noſtro* Sifrido *Hildenesheimenſi Epiſcopo ac Dño* Arnoldo *Decano ibidem*, *priore & Lectore fratrum prædicatorum Gardiano & Lectore fratrum minorum domorum Hildeſii*, *& Gardiano Domus Goslarienſis hanc viam pacis & concordiæ ſubivimus cum ipſis de conſenſu libero & beneplacito eorundem molendina videlicet Eccleſiarum Sanƈtorum Apoſtolorum Symonis & Judæ*, *unum quod dicitur novum molendinum in Wizario intra civitatem & tria extra propinqua civitati*, *quorum unum appellatur Diokmöle aliud Brockmöle & tertium parvũ molendinum nuncupat*, *molendinum quoq; unum Eccleſiæ Richenbergenſis*, *quod dicitur Quotemöle intra civitatem*, *& tria extra*, *quorum unum vocatur Benzingemöle*, *aliud Regtenberges-möle*, *tertium quoque Hoffmöle appellatur. Item duo molendina fratrum de domo Theutonica*, *ſcil. Pepermöle & Stemmöle in proprietatem civitatis noſtræ comparavimus titulo emptionis*, *ita tamen*, *quod perſonis quæ nunc ipſa tenent molendina præfata ſervabimus & locationem*, *quam ab Eccleſiis ſibi conceſſam*, *in ipſis Eccleſiarum literis poterunt demonſtrare*, *aut eos in amicitia deponemus. Providentes etiam ne aliqua radix amaritudinis ſurſum germinans inter dictos prælatos*, *aut nos*, *ſenſum charitatis & amicitiæ valeat disturbare*, *obligamus nos pro nobis noſtrisque ſucceſſoribus ac univerſitate civitatis noſtræ in perpetuum*, *quod de cætero nullas novas generales ſtruƈturas*, *utpote officinas*, *ſeu ſtationes monetariorum*, *inſtito-*

ſtitorum, ſutorum, Cerdonum, alecia vendentium & ſimilium ædificabimus, quibus Eccleſiarum cenſus diminui poſſit, vel præjudicium generari; ſi vero aliqua ædificia, vel ſtructuras prædictis conſimiles fieri contingeret pro communi utilitate civitatis, in futurum has ſtructuras non attentabimus, niſi prædictorum prælatorum & Eccleſiarum quorum intereſt interveniente amicitia & conſenſu vel niſi ipſorum hallas componemus titulo emtionis ſolvendo precium ſecundum æſtimationem & judicium diſcretorum; hallæ autem piſtorum apud cæmeterium forenſis Eccleſiæ noviter conſtructæ & jam locatæ eadem locatione remanebunt. Nunquam autem vacantes nonnullis artificibus aut venditoribus præterquam piſtoribus locabuntur, præterea prælatos & Eccleſias prædictas ac Clerum ſecundum Canonum formam in ſua libertate & jure conſervantes promotionem & favorem eisdem in quibuscunque velebimus, oſtendemus. Ad prædictorum igitur omnium indeficientem notitiam ac perſeverantiam illibatam præſens ſcriptum appenſione ſigilli civitatis noſtræ duximus roborandum hujus rei teſtes ſunt Dñus Theodericus *Decanus Montis S. Petri, Dnus* Henricus *Præpoſitus in Frankenberg*, Dñus Conradus *Plebanus forenſis Eccleſiæ*, Dñus Johannes *Plebanus S Stephani.* Dñus Henricus *plebanus ſancti Jacobi*, Dñus Volkmarus *de Goslaria*, Dñus Conradus *de Piſcina milites & quam plures alii fide digni. Datum & actum anno Domini MCCXCIII. in die Beatorum* Galli & Tulli *Confeſſorum.*

Hanc pactionem deinde non modo Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus verum etiam Conemannus Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Decanus, Reinerus Scholaſticus, Atnoldus Cuſtos, totumque Capitulum ſuis literis ratam habuerunt. *Teſtes* proferuntur *Dnus Henricus Præpoſitus in Richenberg Pater Patrum totius Alemanniæ Ordinis S. Auguſtini, Dnus Widikindus Præpoſitus montis S. Georgii, Dnus Albertus Præpoſitus Novi Operis, Dnus Henricus Præpoſitus in Frankenberg, Dnus Volkmar de Goſa, Dnus Conradus de Piſcina, Dnus Giſo de Lapide milites. Dat. & act. Ao. Dom. MCCXCIII. in die decollationis S. Johannis Baptiſtæ.* Deſideratur tamen inter hoſce Goslarienſes prælatos Decanus Montis S. Petri, de qua Eccleſia per longum temporis intervallum nihil nobis ſe obtulit. Ex literis tamen in monaſterio Grauhoffiano aſſervatis mihi conſtat, hoc ipſo anno *Theodericum* quendam Decanatu S. Petri eſſe perfunctum.

Decanus S. Petri.

Luculentum hoc pietatis Sifridi documentum. Quo referas etiam, quod anno MCCXCII. una cum Eiſladenſi, Spirenſi, Auguſtano, Herbipolenſi, Bambergenſi & Wormatienſi Epiſcopis aliisque quam plurimis Abbatibus præpoſitis, Decanis & Presbyteris ad provincialem Synodum a Gebhardo Moguntino Archiepiſcopo Aſchafneburgum convocatam acceſſit. In quo ſacro congreſſu multa de cultu priſcæ diſciplinæ reſtituendo ſancita teſtantur Trithemius, Serrarius & Schatenius. Minus ergo dubitaverim, quin in noſtram quoque civitatem commoda quædam ab hac Synodo Sifridi Epiſcopi induſtria redundaverint.

Sifrid. Hildes. Ep ſynodo Aſchafneburgenſi intereſt. *Trithem. in Chron. Hirſ. ad h ann. Schaten. l. 12. ann. Paderb. part. 2. p. 172.*

At omnium optime Sifridus meritus eſt de novo hoſpitali S. Johannis, cujus origines paulo ante commemoravimus. Extat enim ejus donatio ſatis liberalis, quam hic integram ſubjicere juvat:

Benefacit hoſpitali S. Johannis,

IN nomine Domini Amen. SIFFRID Dei gratia Hilden. Eccleſiæ Epiſcopus omnibus in perpetuum. Ne ea, quæ aguntur, lapſu temporis in oblivionem deducantur, imponi ſolent in linguas teſtium aut ſcripturæ teſtimonio confirmari. Noverint igitur univerſi, tam præſentes, quam futuri quod de conſenſu & beneplacito noſtri Capituli pro remedio & ſalute animæ noſtræ & ſuſtentatione pauperum damus ad novum hoſpitale S. *Johannis* in Goslaria decimas novalium ſpatiorum infra ſcriptorum. Videlicet *Lyndenberg*, ſpatium de *domo leproſorum* juxta agros S. Georgii usque ad viam lapideam, præterea ſpatium quod *leproſorum Oel* dicitur, item ſpatium ſitum inter *Agetucht* & *Suthborch*, *Lingeberge*, usque ad domum leproſorum, nec non ſpatium, quod nuncupatur *Bolans* usque ad aquam dictam *Gelbek* perpetuis temporibus poſſidenda, cauto tamen, quod ſi induſtria aliquorum hæc ſpatia in culturam redacta fuerint, nullum ex hoc alicui præjudicium generetur. Ut autem hæc noſtra donatio liberaliter facta perpetuis temporibus firma permaneat, præſentem literam inde

inde confectam ſigillis, noſtro videlicet & noſtri capituli in evidens teſtimonium fecimus communiri. Teſtes *Siffrid* de Blanckenborge, Magiſter *Petrus* officialis, *Heinricus* de Woldenberge Canonici Hildeñſ. *Siffrid* de Lutterberge miles, *Andreas* Bulle famulus, *Gijeko* de Broclede, civis Goslarienſis & alii quem plures. Actum & datum *Hildeñ*. Anno Dñi. Mill°. CC°XC°. tertio in die Beatorum *Martirum Johannis & Pauli.*

Conrad. Risbeck Civis Gosl. Walkenredenſi cœnobio benefacit. *Ekſtorm. ſec. 2. Chron. Walkenr. p. III.*

Erat adhuc tempus, cum in pauperum ejuſmodi domicilia aliasque rebus divinis deſtinatas ædes opulentiorum hominum fontes fluerent. Inprimis Epiſcopi nonnulli adhuc id ſibi negotii præcipue datum exiſtimabant, ut opes ſuas egenis ambabus manibus elargirentur. Quorum exemplum ceteri deinde ultro ad æmulationem usque ſequebantur. Quemadmodum hoc ipſo anno Sifridi Epiſcopi ſui liberalitatem egregie ſectatus eſt Conradus Risbeck Civis Goslarienſis, qui cum filio Johanne, Walkenredenſi monaſterio ſylvam Bockeſtert liberaliter contulit. Quæ largitiones licet ex opinione, quæ de bonorum operum meritis tunc perſvaſerat, non parum vitii contraxerint: vel hoc ſolum tamen nomine laude ſua minus defraudandæ videntur, quod temporum noſtrorum homines eccleſiarum fortunis inhiantes rubore poſſunt ſuffundere. Quo plura enim vulgo de repurgata religione jactari audimus, eo minus egenorum fratrum rationem haberi animadvertimus, quaſi is Deum a conſpectu noſtro remotum amare dicendus ſit, qui fratrem, quem præſentem intuetur, odio plus quam Vatiniano proſequitur.

Anni Chriſti 1294. 1295.
Adolphi Regis 3. 4.
Ab. V. C. 371. 372.

Adolph. in Thu. HÆrebat inter hæc Adolphus adhuc in Thuringia, ubi omnia cædibus, ſtupris, ſacrilegiis miſcebantur. Eo majori tamen virtute pro conſervandis avitis provinciis decertabant Fridericus & Theodericus Marchiones, Alberti filii e juſto thoro hæredes. Ab his modo Philippus Adolphi patruus profligatur, modo Albertus Brandenburgicus clade afficitur, modo Bernhardus Anhaltinus fugatur. Anceps tamen erat belli fortuna, inprimis cum Adolphus tot ſociorum auxiliis adjutus novas ſubinde copias adduceret. Unde nec ſacris parcitum, nec profanis, violatæ eccleſiæ, ſpoliata cœnobia, rapti in vincula ſacerdotes, ipſæ ſacræ virgines ſtupris pollutæ ludibrioque habitæ. Adeo denique militaris diſciplina ſoluta eſt, ut nec ſupplicium de ſacrilegis ſumeretur, nec ſeveris edictis modus immanitati ſtatueretur. Donec Adolphum jam a Mulhuſinis civibus turpi clade affectum novi reipublicæ motus e Thuringia revocarent, eumque in tantum odium adducerent, ut jam nulla de re frequentius, quam de rejiciendo Adolpho conſilia inter proceres agitarentur. *ringos & Misnenſes ſævit. Auctor. Landgr. c. 78. p. 932. Addit. ad Lamb. ad ann. 1295. p. 270. Sifrid. Presb. ad h. ann. Lang. Chron. Citic. p. 817. ſq. Paul. hiſt. Iſen. p. 63. ſq.*

Eccleſiæ SS. Simon. & Judæ privilegia confirmat.

Inter hos incredibiles bellorum tumultus, quis crederet ullo pietatis ſenſu tangi potuiſſe Adolphum? Attamen nihil habuit antiquius, quam ut cleri ordines ſe illi curæ cordique eſſe crederent. Hinc proximo anno plurimarum eccleſiarum immunitates ac jura literis ſuis rata habuit: ac præcipue eccleſiæ noſtrati SS. Simonis & Judæ hoc diploma Northuſa transmiſit:

ADOLFUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri Rom. Imperii fidelibus gratiam ſuam & omne bonum. Quia regni noſtri adminiſtrationem divina gubernatione diſpenſari cupimus, dignum eſt, ut ejus munificentiam, qui de humili nos exaltavit, ſumtis ab ejus largitate muneribus honoremus, ſic enim humilitatem noſtram ſcuto ſuæ protectionis ſperamus obumbrari ſi ex eo regnare & regiminis noſtri ſucceſſum ejus gratiæ aſcribere ſatagamus. Noverit igitur præſens ætas & ſucceſſura poſteritas, quod integræ fidei puritatem & ſincera devotionis affectum quem divi glorioſiſſimi Imperatores & Reges Rom. prædeceſſores noſtri ad monaſterium SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslar ſitum ab ipſis laudabiliter conſtructum & dotatum inceſſanter habuiſſe dinoſcuntur, Nos eorum piis exemplis inhærere volentes pro remedio animæ noſtræ ac ſacri Imperii reverentia eidem monaſterio tanquam *ſpeciali noſtræ capelle* gratias fructuoſas regni noſtri temporibus intendimus impertiri & omnes indulgentias, gratias libertates, & jura eidem monaſterio ab Imperatoribus & Regibus prædeceſſoribus noſtris rite & provide tradita & conceſſa præſentis ſcripti patrocinio de benignitate regia innovamus & liberaliter confirmamus. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtræ ſigilli robore fecimus communiri. Dat. in *Northuſen* IV. Non. Jan. Indict. VIII. Aó. Dn. M.CC.XCV. Regni vero noſtri anno tertio.

Nea non Eccleſiæ Montis S. Petri.

Haut diſſimili clementia ſub ipſius anni initia Eccleſiæ Montis S. Petri donationem Agnetis Henrici III. Imp. Conjugis ab Henrico IV. confirmatam literis ſuis corroboravit, quarum partem hic exhibemus:

Adol-

ADOLFUS Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Noverit præſens ætas & ſucceſſura poſteritas quod nos privilegium divæ recordacionis *Heinrici* Romanorum Regis prædeceſſoris noſtri nobis exhibitum vidimus & perſpeximus, continentiæ ejusmodi & tenoris:

* * *Ipſum Henrici diploma jam ſupra dedimus ad annum 1062.*

NOs igitur honorabilis viri præpoſiti Montis Sti Petri prædicti juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu dictum privilegium, prout provide & juſte conceſſum eſt, & omnia in eo contenta ratificamus, confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ ratificacionis innovacionis & confirmacionis paginam infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, gravem noſtræ indignacionis offenſam ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Datum in *Mulhuſen* v. Id. Januarii. Indictione octava, anno Domini Millo. ducent. nonag. quinto. Regni vero noſtri anno tercio.

Volradꝰ Montis S. Petri Præp.

Qui tunc Præpoſitura Montis S. Petri ſit perfunctus non aliunde rectius, quam ex ipſis hujus eccleſiæ literis perdiſcimus. Extant enim tabulæ, quibus Capitulum Conſulibus & Univerſitati civitatis noſtræ molendina quædam vendit, quæ ſic ordiuntur:

IN nomine Domini Amen. Nos Dei gratia *Theodoricus* Decanus totumque Capitulum in monte S. Petri extra muros civitatis Goslariæ, omnibus præſentem ſcripturam intuentibus vel audientibus recognoſcimus publice proteſtantes, quod cum conſenſu & bona voluntate honorabilis Dni noſtri *Vulradi eccleſiæ noſtræ Præpoſiti*, nec non omnium noſtrûm duo molendina noſtra - - - - - - - - - - . Actum & datum anno Domini MoCCo nonageſimo quarto in die beatæ *Mariæ* aſſumptionis.

Ex his itaque literis dilucet, penes Vulradum quendam Præpoſituræ munus ſub hoc tempus fuiſſe, cujus tamen familiæ fuerit, aut ecquid geſſerit æternitate dignum tacentibus annalibus mihi incompertum eſſe fateor.

Anni Chriſti 1296. 1297.

Adolphi Reg. 5. 6.

Ab. V. C. 373. 374.

Adolphꝰ omnibꝰ inviſus. *Sifrid. presb. ad h. ann. Addit. Lamb. ad h. ann. l. c. Henr. Stero annal. p. 401.*

AT Cæſar, licet ſacrum ordinem variis beneficiis demulceret; tantum tamen ſubinde odium ſibi conflavit, ut nomen ejus ſputis & maledictis obnoxium amariſſimis imprecationibus oneraretur, ſi vetuſti cujusdam ſcriptoris verbis hic licet uti. Præterea enim, quod Thuringiam ac Miſniam incendiis, cædibusque peſſime devaſtaverat, auſus etiam eſt auguſtæ dignitati labem: ut tum videbatur: inuere; ac turpi fœdere Eduardo Angliæ Regi contra Gallos ſe jungere, ac veluti ſtipendiariam operam exteris dare. Hinc principes in Adolphum invehere, deque abrogando imperio inter ſe agere conſilia cœperunt. Nec ſegnius rerum ſuarum ſatagebat Albertus Auſtriacus, jamdudum Adolpho ob præreptum Imperium infenſus. Quare factum eſt, ut ipſe Gerardus Moguntinus Archiepiſcopus mutato animo de repudiando Adolpho cogitaret, cum paulo ante multis artibus illi faſces detuliſſet. Secuti ſunt & ceteri proceres, Cæſarem neglecto Imperio familiæ tantum commodis inſervire atque in ipſa reipublicæ viſcera ſævire conqueſti. Denique eo res rediit, ut rejecto Adolpho Albertum Auſtriacum palam Regem Romanum ſalutarent.

Eccleſia SS. Sim. & Judæ bonis nonnullis aucta.

Inferior hæc Saxonia longe quietior per hæc tempora armorum ſtrepitum nonniſi e vicina Thuringia ac Weſtphalia audiebat. Hinc & eccleſiæ fortunis ſuis ſecure frui poterant, nullis quippe latrociniorum ac bellorum turbis perterritæ. Inprimis inclyta SS. Simonis & Judæ eccleſia incrementa tunc cepit. Cum enim ſacrum Monialium Novi operis Collegium ab Alberto Saxoniæ Duce ſeptem abhinc annis advocatiam ſuper XXI. manſos in Weſtewentode & Doringerode impetraſſet, Capitulum vero laudatum partem ſumtuum toleraſſet; Tidericus præpoſitus & Adelheidis Abbatiſſa impenſas reſtauraturi dimidium advocatiæ fructum capitulo reddiderunt:

NOs *Thidericus* Dei gratia Præpositus, *Adelheydis* Abbatissa totusque conventus Sanctimonialium Ecclesiæ Novi Operis in Goslar recognoscimus publice universis Christi fidelibus literam per præsentem, quod nos impetravimus & obtinuimus a Serenissimo Domino Romanorum Rege *Rodolpho* piæ recordationis, quandam literam in hæc verba;

* * *
* *

** * Ipsa Rudolphi litera apparent sub anno 1290.*

SEd quia honorabiles viri Decanus & Capitulum SS. Apostolorum Symonis & Judæ in Goslar una nobiscum pertulerunt omnes labores & omnes expensas, quas apud prædictum Dominum Regem & apud Illustrem Principem *Al.* Ducem Saxoniæ pro collatione & comparatione talis advocatiæ fecimus, tunc temporis, nos dimisimus & præsentium literarum testimonio donamus eidem Ecclesiæ Goslariensi advocatiam cum omni jure suo super decem mansis & dimidio sitis in *Westewenredo* pertinentibus prædictæ Ecclesiæ Goslariensi. Obligamus itaque nos & omnes nostros successores per literam præsentem, quod nos hujusmodi nostram donationem ratam & gratam servabimus tempore sempiterno. In his itaque nostræ donationis firmiorem perseverantiam & evidentem notitiam hanc præsentem literam sæpe dictæ Ecclesiæ Goslariensi contulimus sigillis nostris, Præpositi videlicet & Conventus nostri firmiter roboratam Dat. Anno Dñi. M. CC. XCVI.

Extant & aliæ ex hoc anno literæ Alberti & Friderici fratrum Comitum de Wernigerode, quibus bona nonnulla in Slevede sibi a Capitulo S. Matthiæ collata testantur. *Testes* proferuntur *Johannes de Minsleve, Petrus de Tzemmenstede, Johannes de Hartisrode milites. Dat. Werningerode. A. D. M. CC. XCVI. XV. Kal. April.*

BodoRichenb. Præp. cũ aliis judex a sede Apostolica deputatur. *Ekst. p. 112 Chron. Walkenr. Alcibiad. Chron. Riddagsh p 361. tom. 3. rer. germ.*

Dispari longe consilio Hermannus Comes Blankenburgensis nuper ad Halberstadiensem Episcopatum evectus Abbatibus Walkenredensi, Vallis D. Mariæ, Riddagshusano & Lapidis D. Michaëlis de bonis nonnullis dicam scripserat. Æstimandæ liti delecti a Pontifice fuerant Bruno Episcopus Numburgensis, Otto Abbas S. Michaëlis Hildesheimensis, & Bodo Richenbergensis Præpositus. Hermannus tamen Episcopus litem se perditurum prævidens ultro causæ cedit, movendasque remittit actiones. Ipsas Hermanni literas Chronico Walkenredensi inseruit Ekstormius.

Reliquiarum cultus actus

Sed omnium maxime notatu dignus est reliquiarum apud nos cultus superstitiosissimus, novo hoc & insequente annis accessione auctus. Nam cum a multis annis reliquiæ a nemine conspectæ, a multis vocarentur in dubium, visum est Capitulo SS. Simonis & Judæ, sarcophagos ipsas aperire, & coram intueri, quæ adhuc coluerint numina. Evocatis igitur ipsa hebdomada magna Præposito Richenbergensi, Præposito Novi Operis, Gardiano Fratrum minorum, fratribus Prædicatoribus, pluribusque militibus æque ac senatoribus, apertis sarcophagis, invenere corpus S. Matthiæ, S. Valerii & Cyrilli fere integra corpora ac alias innumeras ejusmodi reculas, quas credula antiquitas consecraverat. Eas conspectas statim decreverunt futura SS. Petri & Pauli festivitate publice exponere populo, ita tamen, ne, quod adhuc factum fuerat, sarcophagi circumferrentur: Sed in ipso templo ostenderentur reliquiæ idque festum ut eo splendidius esset, Sifridus Hildesienf. Epc. bina altaria eodem die consecrare statuit. Ejusmodi nimirum illecebris nummi petebantur. Insignes sunt binæ Capituli & Senatus tabulæ, hac de re consignatæ, in quibus inter alia affirmant sarcophagos circum ferre ideo sibi minus consultũ videri, quod decrescente indies hominum statura, verendum sit, ne bajuli vitæ adirent periculum. Dignæ sane videntur, quæ etiam ab aliis legantur, En igitur harum alteras:

VEnerabilibus viris ac Dominis plebanis & ecclesiarum rectoribus, quibus præsentes fuerint exhibitæ, Dei grãa Decanus & Capitulum Ecclesiæ sc̃orum aplorum Symon. & Judæ in Goslãr, nec non Consules ejusdem Civitatis, cum devotis orationibus promtitudinem & affectum sincerum ad obsequia & honores. Etsi ad condigne laudandum in ipsa suæ divinitatis essentia creatorem Deum, qui lucem habitat inaccessibilem, pro majestatis sapientiæ ac bonitatis suæ immensitate, angelicus non sufficiat intellectus, & humana fragilitas prorsus deficiat, tamen ne quod possumus ignave negligamus, Deum laudare jubemur in sanctis suis, qui viam manda-

mandatorum Dñi currentes per multas tribulationes ipſum ſecuti, nunc cœleſtia conſecuti, ſpiritu Dño triumphant & corporum ſuorum reliquias ſanctas eccleſiæ militanti pro conſolatione & fidei corroboratione reliquerunt, quorum veneratione ſperamus certiſſime ipſorum perpetua ſuffragia promereri. Hujus igitur rei gratia honorabilem diſcretionem veſtram noſſe cupimus, quod cum eccleſia noſtra Goslarienſis prædicta a divis Imperatoribus & Regibus glorioſis ſcrineis & capſis ornata cernatur, & venerandis reliquiis B. Matthiæ Apli ac aliorum plurium ſanctorum in eisdem ſcrineis, quos ſarcophagos dicimus, repoſitis, ditata & dotata, ut fidelis ad nos retulit antiquitas firmiter præſumatur. Quia tamen infra annos plurimos nulli earum reliquiarum patuit acceſſus & aſpectus ſcripturæ quoque ſuper his exaratæ vel tempore conſumtæ, vel tineis ſint exeſæ, ita ut neſciatur diſcrete quæ reliquiæ, in quo contineantur ſcrineo. Item quia pro ſalute civitatis noſtræ & ſanctorum veneratione cum eisdem ſcrineis vel ſarcophagis civitatem circumire ſolebamus & jam non exiſtentibus corporibus humanis in eo quo quondam exſtiterunt robore, *eadem ſcrinia circumportata mole ſua adeo læſere multos quod mortis ex hoc dicantur periculum incurriſſe. Quamobrem ad declinandum periculum & ipſam molem levandam præcipueque ut reliquiarum diſcretam ſciremus repoſitionem & ut de eisdem reliquiis, an in ſcrineis eſſent, de quo plures hæſitabant, infallibilem noſceremus veritatem de conſenſu & conſilio Venerabilis patris ac Dni ñri Siſridi Hildeñ. Epi unum de ſarcophagis aperiri fecimus præſentibus honorabilibus Viris Præpoſito in Richenberg, Præpoſito Novi Operis, Gardyano fratrum minorum, fratribus prædicatoribus, militibus, Conſulibus Civitatis noſtræ, ac aliis pluribus fide dignis, & precioſum reliquiarum Beati Matthiæ & aliorum ſanctorum theſaurum copioſum invenimus, ita ut ſpem præhabitam ſubſequens veritas ſuperaret. Et ne ſolis nobis cognitum ſit cujus agnitio ſaluti omnium fidelium creditur profutura de conſilio & approbatione præfati Dñi Hildeñſ. Epi intendimus præfatas reliquias, in die beatorum Aplorum Petri & Pauli humiliter ac devote omnibus fidelibus qui tunc aderunt cernendas cõmunicare, quo fidelium creſcat meritum & devotio, & tantus theſaurus innoteſcat, & ſanctorum honor debitus amplietur. Et ut idem ſolempnius fiat decrevit præfatus Dnus Hildens. duo altaria eodem die in eccleſia noſtra conſecrare & idem feſtum ac populi devotionem indulgentiis & ſua præſentia decorare. Supplicamus igitur omnibus vobis & ſingulis, ut pro Dei reverentia, & ſanctorum honore, & ut ipſi participes ſitis eorum, quæ ipſo die & in perpetuum apud nos in Dei laudibus exhibentur præmiſſa omnia una cum indulgentiis & remiſſionibus, quæ etiam ipſo die large omnibus fidelibus illuc convenientibus tribuuntur dignemini in noſtris Eccleſiis veſtris plebibus intimare. Ut autem prælibata credibilia faciamus, præſens ſcriptum ſigillis prælatorum & Gardyani qui præſentes affuerunt, nec non noſtro ac civitatis noſtræ ſigillo fecimus roborari. Actum ão Dni M.CC.XCVII. feria tertia poſt palmas.*

Hæc quidem tunc decreta eſſe conſtat, interjecto tamen tempore, mutata hæc ſententia ſarcophagos more ſolito circumferri denuo cœpiſſe infra ubi de reformationis primordiis dicendum fuerit demonſtrabitur. An igitur homines ex hoc tempore ad priſtinam ſtaturam ſenſim redierint, videant illi, quibus inveteratam de humanæ ſtaturæ decrementis examinare ſententiam animus eſt. *

* Antiqua ſane & jam ab *Homeri* ætate propagata ſententia, decreſcere indies hominum ſtaturam, ut *Gellius* teſtatur l. 3. c. 10. & *Plin.* l. 7. c. 16. è Varrone. Hinc frequens *Homeri* illud:

Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

quod *Virgilius* Homeri imitator ita eloquitur l. 12. Æneid.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus;

cui ſuccinit *Juvenal.* Sat. 15.

Terra malos homines nunc educat, atq; puſillos.

Sed & ipſe *Plinius* l. 7. c. 16. *In cuncto mortalium genere minor indies menſura fit ſariique parentibus proceriores filii, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

cabilis prout ſequitur intervenerit. Videlicet quod tertiam partem idem Dn. F. assignat ad ſtructuram eccleſiæ & Capitulum prædictum intra triennium vel biennium illam obligat ſe daturam. Item tertiam partem relaxat & ad petitionem ejus Canonici præfati cantabunt ſingulis annis a feſto Paſchæ usque ad aſcenſionem Dñi ſingulis ſabbathis in medio monaſterii poſt exitum proceſſionis Antiphonam *O Crux gloriosa*, & in Transfiguratione Dni, Sequentiam: *Benedicta*, cum Officio *Dominus dixit*, ad &c. & de Confeſſoribus Patronis Eccleſiæ prædictæ Sequentiam: *Ad laudes Sal.* & Reſponſorium: *Benedicens quod Ds.* cantabit ad veſperas, ad matutinas & poſt circuitum in reditu proceſſionis in Dominica qua cantatur *Exurge*. Item pro tertia parte præfati Canonici dabunt prænominato Dno F. ij. tal. Magdeburg. denariorum in feſto B. Mauricii & iij. tal. B. -- denariorum in feſto B. Galli anno tantum in præſenti. Quod ſi prædicta ſervata non fuerint ex tunc ſicut ex nunc autoritate nobis commiſſa contra ſæpe dictum Capitulum ſententialiter procedemus. Ut autem prælibata ordinatio inconvulſa perpetuo permaneat, jam dictum Capitulum & nos judices ſupra dicti præſens ſcriptum inde confectum ſigillorum munimine duximus roborandum. Act. & dat. Aō Dni M. CC. LXXXVIII. IX. Kl. Maji.

In prædones Pfefferkelleros deinde a Sifrido Hildeſienſi Epiſcopo excommunicationis ſententia prolata & curia, quam eccleſia Langenbergenſis Goslariæ noſtræ poſſidebat, publica cuſtodia tantiſper attenta eſt, quoad Pfefferkelleri oblata digna ſatisfactione execrationis veniam impetrarent. Quam ſententiam idem Hermannus de Bonſteten, judex aulicus Cæſareus ratam habuit:

Ich Herman von Bonſteten der Hoverichter mins Heren des Künges Ru. von Rome tun kunt daz H. Baſilius ein tumh. von Goßlar kam vor Gerichte unde erzuget mit mins Herrn offenen Brieven des --- Biſchoffes von Hildensheim daz kunſe Pheſferkeller und ſein Bruder lange ze Banne ſind gekundet umbe die ſchulde / daz ſie einen Tumherrn von Goßlar viengen vrekelich / dar wart ertheilet alle die wile / daz ſie in offenen Banne ſint / daz ſie uff daz gut za Goßlar des Gotteshuſes ze Langenberge nicht mögen clagen / noch uff die Tumherrn noch uff nieman de ſie do umb den Ban verſprechen will. Der Briev ward geven an den Montage nach S. Johannes Tage Baptiſten in den ſiebenzehenden Jahre do min Herr der Künik Ku. von Rome ward gekronet.

Non ingratas haſce tabulas fore ſperabo, quæ ſtylum eorum temporum, quibus Germanica lingua primum in judiciis invaluiſſe dicitur, ſatis declarant. Quo certius autem conſtet, quinam tunc eccleſiæ hujus Canonici extiterint, addo nomina, quæ in membrana Meyneri Comitis Slademenſis deprehendi: *Conemannus Decanus, Volkmarus de Goslaria, Bertholdus de Govviſche, Magiſter Hildebrandus & Magiſter Reinardus de Lapide, Canonici eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.*

Noſtulla nomina Canonicorum Goslarienſium.

Nec Richenbergenſe etiam Monaſterium his annis in vetuſtis membranis ignotum eſt. Cum enim funeſto incendio nuper devaſtatum indulgentias præſulum ubique conquireret: Johannem etiam Magyncenſem Archiepiſcopum licet in diſſitiſſimis Oceani fluctibus jactatum neſcio qua ratione permovit, ut haſce literas e navi ſua remitteret:

Johannes Magyncenſis Archiep. Richenbergenſibus indulgentias concedit.

JOannes divina gratia Magyncenſis Archi-Epiſcopus Univerſis in Chriſto fidelibus pacem in Domino & ſalutem. Solet annuere Mater Eccleſia piis petitionibus ac favorem benevolum impertiri. Ea propter dilecti in Chriſto devotionem veſtram ſollicite exhortantes rogamus attente, quatenus in relevationem Eccleſiæ Monaſterii B. Mariæ in Richenberg manus veſtras ita dignemini porrigere adjutrices, ut in præſenti munus gratiæ & in futura veſtra devotio æternam vitam conſequi mereatur. Nos autem de Omnipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli & omnium ſanctorum bonitate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ob Dei reverentiam præfatæ Eccleſiæ in propriis perſonis ac rebus Eccleſiæ devote & fideliter miniſtrabunt de injuncta vobis pœnitentia omnium peccatorum quadraginta dierum indulgentiam tam devote, quam liberaliter elargimur. Datum in navi ſupra marce juxta Cyprum. Anno M. CC. LXXXIX.

Quis hic Johannes Archiepiſcopus Magyncenſis ſit adhibita licet diuturna indagine reperire nusquam potui. Congruit fere nomen cum Maguntenſi, ſed ibi

ibi tunc nullus Johannes sedem tenuit, nec sigillum, quod integrum membranæ annexum superat, insignia archiepiscopatus Moguntini præfert, sed in superiore parte B. Virginem cum puerulo Jesu, in inferiore peregrinatorem pileatum & dextra baculum his hominibus solennem gerentem. (Einen Pilgram bedeckt mit einem Huth / und haltend in seiner rechten einen Pilgrams-Stab.] Delio igitur hic natatore opus est; ego hic meam fateor infelicitatem.

Capella S. Ægidii

Denique Theodoricus S. Ægidii sacerdos, qui in Everhardi & Aschwini fratrum de Lutter tabulis anno MCCLXXXIX consignatis occurrit, nos monet, ut & hanc capellam non plane sicco pede præteream. Sita est illa in media ferme civitate, ubi platea Frankenbergensis in alias duas se dividit; & jam inde a reformatione privatis usibus est addicta. Restat tamen turris satis firma (den Süntillen Thurm vulgo vocant,) quæ hodienum accolis horas campanæ sonitu solet indicare.

Annus Christi 1290.

Rudolphi I. Imp. 18.

Ab. V. C. 367.

Comitia Erfurtensia. *Hist. Landgr. Thur. c. 76. p. 932. Sifrid. presb. ad h. ann. p. 700. Addit. ad Lamb. Schaffn. ad h. ann. p. 260. Engelh. Chron. p. 255. Dominic. Colmar. fasti ap. Urstisium. tom. 2. rer. germ. p. 25 Paralip.*

Succedit annus post millesimum ac ducentesimum nonagesimus, quo primum a tanto interjecto tempore Saxonia Imperatorem in se venerata est. Popularibus tumultibus tunc agitabatur Erfurtum, civesq; magistratus rapacitatem perosi fœdis omnia motibus miscebant, nec solum intra mœnia sæviebant, sed circumjacentes etiam agros excursionibus ac latrociniis turbabant. Cumque nullis Henrici Archiepiscopi precibus ab instituto divelli poterant, tum sede inprimis vacante multo insolentius, quam antea tumultuabantur. Hinc Gebehardus Archiepiscopus Moguntinus, nuper in Henrici locum suffectus rem ad Cæsarem detulit, qui cum delecta manu in Thuringiam properans, adventu suo adeo Erfurtenses perterruit, ut supplices eum in civitatem deducerent. At strenuus scelerum vindex causam sedulo cognoscit, atque a turbarum auctoribus, quos inter octo ex ordine senatorio erant, sumit supplicium. Rebus sic ad summam tranquillitatem compositis, principes Imperii ad comitia evocavit, quibus interfuere Gerhardus Moguntinus, Sifridus Colonienſis, Rudolphus Salisburgensis & Ericus Magdeburgensis Archiepiscopi, Siffridus Hildesiensis, Albertus Halberstadensis, Volquinus Mindensis, Conradus Laventinus, Henricus Constantiensis, Otto Paderbornensis, Mangoldus Herbipolensis, Bruno Numburgensis, Henricus Mersburgensis, Wittichius Misenensis, Conradus Archstadiensis, Conradus Verdensis Episcopi, Henricus Abbas Fuldensis, Wenceslaus Rex Bohemiæ, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Albertus Saxoniæ, Albertus, Henricus, Wilhelmus & Otto Brunsvicensium & Luneburgensium Duces Otto & Tilo Marchiones Brandenburgenses, Albertus Landgravius Thuringiæ cum Filiis Friderico & Theodarico; Henricus Landgravius Hassiæ, Dux Carinthiæ, Princeps Megalopolitanus, Henricus & Gunzelinus Comites Sverinenses, Fridericus Burggravius Noribergensis, Comites Hoenloenses, Catzinelibocenses, Bremenses, tantusque e Saxonia, Thuringia & Misnia procerum numerus, ut vix splendidiora Comitia in annalibus ante hæc tempora occurrant. Imperatorem comitati sunt Albertus & Rudolphus filii & filiæ potentissimis Imperii principibus denuptæ. Miramur ergo cum tot auctorum ac diplomatum testimonia in annum hunc MCCXC. conspirent, alios tamen hunc celebrem principum congressum in annum MCCLXXXVI. referre. Multo minus ferendus Henricus Stero, qui hunc ipsum conventum cum Herbipolensi synodo permiscet, quadriennio ante habita. Ceterum plurima *de stabilienda publica pace * inter principes agitata leguntur. Albertus Landgravius Thuringiæ cum filiis in gratiam redire jussus, latrones viscera patriæ dilacerantes suspendio puniti, castra prædonum supra LXIX. per Thuringiam Saxoniamque solo æquata, Comes Zolleranus Burggraviatu Nurenbergensi auctus, aliaque sapienter acta, quæ reipublicæ salus videbatur postulare.

Henr. Stero. p. 397. *Vid. dipl. Rud. ap. Ekstorm. p. 110. Chron. Walker.*

In his quoque Comitiis multa in Rudolphi Imp. tribus Gosl. confirmatum a laudatissimo Imperatore aliisque principibus decreta sunt. Quorum haut ultimum reputandum est, quod tribus nostræ Civitatis, de quibus abolendis aliquoties fuerat cogitatum, luculento privilegio stabilivit, hisce formulis concepto:

RODOLFUS *Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus universis sacri Imperii Romani fidelibus præsentes litteras inspecturis graciam suam & omne bonum. Ex injuncto nobis cælitus officio, qui stateram justitiæ gestamus in manibus errata corrigere, lapsa erigere & quæque in melius reformare satagimus noctibus ac diebus. Cum itaque ad fervidam aliquorum instanciam credentes proficere quod nunc cernimus officere,* quasdam fraternitates *in oppido nostro Goslari-*

ensi extinxerimus & annulaverimus, quæ Inninge vel Gelden *vulgariter appellantur, modo saniori potiti consilio considerantes, quod dictæ fraternitates oppido nostro Goslariensi nec non civibus ejusdem & earum usibus proficiunt & fructificant, & earum destructio in dicti nostri Oppidi vergit non modicum præjudicium & gravamen, & volentes paucorum commodis utilitatem publicam anteferre, dictas fraternitates & earum usus ad statum pristinum & eandem consuetudinem auctoritate regia, ut sicut consueverunt ante nostram revocacionem, stent, durent & permaneant, resuscitamus ac ad firmitatem rei perpetuæ restauramus, contra hanc nostram restitucionem dictarum fraternitatum nulla indulgencia seu privilegium quibuscunque concessum ullatenus valiturum. Si quis autem cujuscunque status vel condicionis huic nostræ restitucioni obviare præsumserit, nostræ majestatis offensam gravem se noverit incursurum, in cujus rei testimonium præsens scriptum Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Testes hujus rei sunt Illustriss.* Albertus *Dux Saxoniæ, honorabilis vir Magister* Henricus *de Clingenberg, nobiles Viri* Fridericus *Burggravius de Sturenberg.* Eberhard *Comes de Cazenelebogen.* Lodevvicus *Comes de Otinge*, Henricus *Comes de Blanckenburch.* Theodoricus *Comes de Honstein*, Gerlacus *de Bruberg.* Conradus *de Winsbg.* & Burchardus *dictus Lappe, de Querenvorde & quam plures alii fide digni. Datum* Erfordiæ *decimo Calendas Maji indictione tertia Anno Domini M°. CC°. LXXXX°. Regni vero nostri Anno septimo decimo.*

Quod decretum, ut eo certius effectui daretur, negotium datum est Ottoni Comiti Aschariæ & Principi Anhaltino, *judici a Serenissimo Dno Rodolfo, Romanorum Rege per terram Saxoniæ constituto,* ut omnem controversiam inter *montanos & Sylvanos Goslariæ civitatis & montis Rammesberg ex una*, & tribus Goslarienses ex altera parte diutissime agitatam Cæsarea auctoritate sopiret. Binæ hac de re extant literæ, tum Ottonis Principis, tum montanorum & Sylvanorum Goslariensium, in quibus hi occurrunt testes:

Hujus compositionis testes sunt & præsentes aderant Dominus *Hermannus* nobilis de Werberge, *Olricus* Marschalcus Dni nostri præfati *Ottonis* Comitis & Principis de Anehalt, *Johannes* de Dingellenstede milites, idem Burgenses, *Burchardus* de Bilsteyn, *Johannes* Copman, *Hinricus* Haut-fetere, *Johannes* de Duderstad, *Johannes* de Dornethen, Dno *Conradus* de Viskbike, *Conradus* Trost, *Sifridus* Scap. *Johannes* de Astvelde, *Jodoco* Busch & alii quam plures Dat. *Goslariæ* ão Dni. M°CC°LXXXX°, In assumptione B. Mariæ Virginis.

Ecclesia SS. Sim. & Judæ de securitate prospicit contra nobiles Hadmerslebios.

Eadem cura ecclesiæ SS. Simonis & Judæ sapientissimus Imperator de securitate prospexit. Tumultabatur adhuc per Saxoniam pernicioſa prædonum factio, qui nefarii homines ipsas quoque ecclesiarum facultates incredibili sævitia spoliabant. Ecclesiæ nostræ Nobiles inprimis Hadmerslebienses negotium facessebant, contra quos cum multis apud Imperatorem conquesti essent Canonici, negotium datum est Ottoni Anhaltino Principi & fœderis adversus prædones initi duci primario, ut ecclesiæ nostræ susciperet patrocinium, eique secundum libertatem contra vultures hosce daret vindicias. Reni Chæricus quoque in collectaneis Anhaltinis his verbis notavit: *Rudolphus I. mandat Alberto Principi Anhaltino, ut Capitaneo Conservatorum per Saxoniam*, daß er das Stifft Goßlar in seinem Schuz nehmen/und vertreten solte vor eingriff der edelen Herrn von Hadmersleben. Hæc Chæricus, qui tamen & in nomine Principis hallucinatur & rei eventum aut ignoravit, aut memoriæ prodere omisit. Id vero ex tabulis laudatæ ecclesiæ liquet, non Albertum sed Ottonem Anhaltinum in conciliandis Hadmerslebiis & ecclesiæ nostræ Canonicis aliquandiu frustra laborasse. Rem tamen ejusdem Rudolphi Cæsaris auspiciis felicius ad exitum perduxit Henricus Comes de Blanckenburg, Conjudex Ottonis Anhaltini cujus hodienum extant literæ satis prolixæ, quibus certam sententiam inter Wernerum, Gerdungum & Ottonem Hadmerslebios & ecclesiam SS. Simonis & Judæ pronunciavit. Diploma, quod in hanc rem literis insignitus prælibata ecclesia in tabulis suis servat, cum varia notatu digniora contineat, ac præcipue illustrem Blankenburgensium Comitum familiam multum illustret, integrum, quamvis satis prolixum, adscribimus:

Collectan. Cherici ap. Sagitt. in Hist. princ. Anhalt. p. 74.

Quibus legibus inter ecclesiam & Hadmerslebios convenerit?

in

IN nomine Domini Amen. HEINRICIIS Dei gratia Comes de Blankenburch univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Ad ſciendarum rerum indeficientem memoriam non incaute ſcripturarum & ſigillorum teſtimonium imploratur. Unde ſciant præſentium Inſpectores, quod nos ad ſpeciale mandatum Domini noſtri incliti Regis Rom. *Rodolfi* quandam amicabilem compoſitionem ordinavimus inter nobiles Viros *Wernerum*, *Gard.* & *Ottonem* fratres ejus dictos de Hademersleve parte ex una, & Dominum Decanum & Capitulum Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ & Matthiæ in Goslaria parte ex altera ſuper diſcordiis & controverſiis inter ipſos jamdudum habitis & ventilatis ſuper quibusdam bonis & reditibus prædictæ Eccleſiæ pertinentibus, ſpectantibus ad villicationem in *Weſter Egeln* & in *Edekersleve* cum villis circumjacentibus, quas infra per ordinem plenius diſtinguemus, quam villicationem dicti nobiles de Hademersleve ſibi jam longo tempore contra voluntatem Goslarienſis Eccleſiæ uſurparant. Placitavimus autem in hunc modum, quod prædicti Goslarienſes Canonici locaverunt & commiſerunt villicationem prædictam cum omnibus quæ ſpectant ad villicationem eandem jam dictis nobilibus de Hademersleve ſub his conditionibus & hac forma: Quod dicti nobiles de bonis eccleſiæ prænotatis dabunt annis ſingulis eisdem Canonicis de VII. manſis & dimid. ad alodia in Weſter Egeln & in Edekersleve pertinentibus de quolibet manſo chorum & dimidiū tritici Magdeburgenſis Menſuræ. Eadem etiam eccleſia Goslarienſis locavit IV. manſos cum dimidio ſpectantes ad alodia cum patris & ſalignis ad tempora vitæ Relictæ Domini *Johannis* de Weſter Egeln & filii ipſius, qui cum vacaverint nobiles antedicti eosdem recipient & de quolidet manſo dabunt chorum & dimidium tritici, ſicut de aliis ſuperius eſt expreſſum. De duobus etiam molendinis ſitis in *Egeln* & in *Edekersleve* nunc XII. choros ſolventibus & ij magnos pingues porcos quolibet anno VIII. choros tritici Magdeburdenſis menſuræ miniſtrabunt. Si vero prædicta molendina creſcente cenſu meliora. ri contigerit, duplex portio meliorationis cedet dominis, tertia apud dictos nobiles remanente. Idem de pejoratione judicamus, ut ſint tribulationis participes, qui conſolationis eſſe participes, voluerunt Idem de XX. manſis in *Weſter Egeln* & de XXXII. in *Edekersleve* quorum quilibet ſolvit V. maldra menſuræ Granarii Goslarienſis, de quolibet iſtorum manſorum ſolvent dimidium chorum tritici & V. ſolidos menſuræ & monetæ Magdeburgenſis & de XX. manſis Cenſualibus in *Edekersleve* de quolibet manſo VIII. ſolidos tribus exceptis quorum duo ſolvunt XX. ſolidos, tertius ſex. Etiam de VII manſis cenſualibus in *Starendorp* XXXV. ſolidos, miniſtrabunt, item de ſex manſis cenſualibus ſitis in *Weſter Egeln* de quolibet ipſorum VIII. ſolidos, & de XII. manſis in *Hondorp* quorum ſex ſolvunt quilibet XVIII. ſolidos, quinque autem ex eis quilibet VIII. ſolidos & VII. XII. ſol. & de uno manſo in *Ammendorp* XIV. ſol. miniſtrabunt. Si quid a de prædictis bonis adhuc alienatum vel diſtractum revocatum fuerit, de his facient ſicut ſuperius eſt expreſſum. Hic ſpecificatus *cenſus litonicus* quoad denarios Magdeburg. in die B. Michaëlis integraliter perſolvetur, & ſub periculo prædictorum nobilium de Hademersleve Magdeburg. vel Halberſt. præſentabitur in quacunque civitatum iſtarum Dñi Goslarienſes ipſum præſentandum elegerint, ſed talis locus præſentationis eſt debitoribus antea præfigendus. Præterea omne frumentum ſuperius diſtinctum de alodiis molendinis, manſis, litonicis ante feſtum B. Martini ſine diminutione Goslariam per prædictos nobiles transmittetur, ſub periculo tamen ipſorum usque Halberſtad. & ulterius ſub periculo Goslarienſium Dominorum. Pœna autem ſæpe dictorum nobilium hæc erit, ſi in ſolutione, quod abſit, in terminis prænotatis, ſc. diebus SS. Michaëlis & Martini, inventi fuerint negligentes, quod in quolibet Craſtino ipſorum terminorum reddere tenebuntur in duplo id quod antea ſolvere neglexerunt. Hanc duplicationem cenſus tam frumenti, quam denariorum infra IV. ebdomadas proxime ſubſequente ſolvere tenebuntur, vel ex tunc inmediate Magdeburg. vel Halberſt. ad jacendum intrabunt, & nulla nocte deerunt quamcunque civitatum iſtarum ad ſic jacendum primum intraverint ibidem jacebunt ſine permutatione, quo usque in toto perſolverint, quod tenentur. Inſuper dicti nobiles aſſignaverunt I. m puri argenti ſitam in *Ammendorp*. ſingulis annis Eccleſiæ Gosl. ad peragendum quater in anno memoriam Dñi *Ottonis* Senioris & Uxoris ejus Dña *Jutta* & filiorum ipſorum Dominorum *Ottonis* & *Bodonis*, & idem fiet Dnis *Wernero* & *Gardun.* & *Ottoni* cum ingreſſi fuerint viam carnis univerſæ. In his autem IV. memoriis prædicta marca liberaliter collata præſentibus dividetur. Item præmemorati nobiles bona fide & diligentia Goslarienſem Eccleſiam & Dnos in omnibus ſuis negotiis prout poterunt, ſtudioſius promovebunt, & litones ſeu colonos Eccleſiæ in ſuo jure faciant & permittant integraliter permanere. Hæc autem omnia præſentibus literis annotata ſe firmiter obſervaturos ſæpe dicti nobiles W. *Gar.* & *Otto* in manus noſtras & fratris noſtri Dni *Hermanni* Præpoſiti S. Bonifacii ac Dni *Wer.* militis Spegel fide præſtita promiſerunt, procurabuntque nihilominus, quod filii eorum quos nunc habent ejusdem nominis

„ *Otto* & *Otto* cum primum ad legitimos annos pervenerint, quod promittant fide data se omnia supra scripta sine exceptione qualibet integraliter servaturos. Si vero dicti „ nobiles vel alter eorum ante promissum filiorum decederet, & filiis eorum conditi„ onibus prælibatis manuali promisso se obligare nolentibus prædicta bona sine quali„ bet contradictione vacabunt, & ex tunc Ecclesia memorata de prædictis bonis libe„ re & absolute quod sibi fuerit placitum & proficuum poterit ordinare. Dicti etenim nobiles exinde filii in præmissis bonis præter advocatiam tantum in *bonis litoricis* ni„ hil prorsus juris poterunt vindicare: quia in alodiis & ad ea pertinentibus advocati„ am non habent. Cum autem sæpedicti nobiles quinque de Hedemersleve de hujus „ medio sublati fuerint, antedicta bona sine omnium hæredum suorum reclamatione „ ad præfatam Ecclesiam Goslariensem sine diminutione libere & absolute redibunt, „ pacto & conditione qualibet non obstante. Ad omnium autem præmissorum per„ petuam firmitatem & liberaliter propter Deum Goslarienses Dñi renunciant omni „ actioni quam habent contra Dnum *Ottonem* & filios suos & filios filiorum. Si autem, „ quod absit, magna plaga, ut est pestilentia aëris vel hostilis invasio incendiis & exa„ ctionibus prænarrata bona graviter devastaret, tunc infra octo dies proximos talis „ devastatio Goslariensibus Dñs adeo lucide demonstrabitur, ut ipsam discernere fide „ valeant oculata, ut secundum modum devastationis gratia moderetur. nequaquam „ enim ad faciendam gratiam tenebuntur nisi devastatio fuerit eisdem per modum „ quem prædiximus demonstrata. Hæc autem forma & modus compositionis ordina„ tus extitit per nos & inventus in monte apud civitatem *Halberstad.* prope parvum „ *Hsleve* apud clusam lapideam cooperantibus fratre nostro Dño *Hermanno* Præposito „ * & filio nostro *Heinrico* Halberstadensis majoris Ecclesiæ canonicis , & militis Dno „ W. dicto Spegel, *Ekbert.* de Kocstede, *Otto* de Bleckendorp, *Bñ.* de Meyendorp. „ *Joh.* de Borncke & aliis quam pluribus fide dignis. Actum die Dominica ante nati„ vitatem B. V. Et ut hujuscemodi compositionis ordinatio per nos facta autoritate „ quam prædiximus consensu partium nihilominus accedente ex notitia plurium majo„ rem sortiretur effectum eandem in Crastino B. Michaëlis Archangeli in monte qui „ *Emersberg* nuncupatur evidenter & literatorie fecimus pro autenticando negotio pu„ blicari coram Dño nostro *Ottone de Anehalt judice Capitaneo a glorioſissimo Rom. Rege Ro„ dolpho prætaxato per Saxoniam de consensu Principum constituto* & venerabili patre ac Dño „ stro *Erico* sanctæ Magdeb. Ecclesiæ ArchiEpiscopo nec non & fratre ipsius illustri „ principe *Ottone* de Brandenburg qui tres jam dicti etiam manuale promissum ad manus „ Ecclesiæ & Capituli Gosl. a sæpedictis nobilibus de Hadmersleve ad omnia præmissa „ fide præstita observanda inviolabiliter receperunt. Præsentibus etiam nobis Dni no„ stri *Ottonis* prædicti de Anehalt Conjudicibus scilicet nobili viro Comite *Conrado* de „ Werni·gerode & nobis *Henrico* Comite de Blankenb. ac Comite *Henrico* de Regen„ st·n. In omnium itaque præmissorum evidens testimonium & munitionem præsens „ scriptum exinde confectum sigillis omnium prædictorum principum ac nobilium una „ cum sigillis nobilium de Hademersleve & Goslariensis Capituli procuravimus insi„ gniri. Hujus rei testes sunt, quia præsentes aderant Dñus *Gevehardus* de Querenvor„ de præpositus Hildens. Dñus *Hermannus* & *Borchardus* fratres dicti de Blankenb. Ca„ nonici majoris Ecclesiæ Halberst. Item Dñus *Bosso* de Mansvelt, Dñus *Abeko* de Bar„ buije, Comes *Otto* de Valkenstein, Comes *Fridericus* de Werningerode, Dñus *Her„ mannus* & *Conradus* fratres de Wereberg dicti: milites vero Dnus *Hildebrandus* de Eus„ velde, *Conradus* de Biwende, Dnus *Lodewicus* pincerna de Nendorp, *Fridericus* dictus „ Leo & alii quam plures Clerici & Laici fide digni. Acta sunt hæc Anno Incarnationis „ Dominicæ MCCLXXXX. die & loco superius annotatis.

* *S. Bonefacii Halberstad.*

Hadmerslevii anniversariú sibi Goslariæ constituunt.

Ne autem ignores quibus legibus inter pacisentes convenerit en breviores Hadmerslebiorum literas in hujus rei memoriam confectas.

NOs WERNERUS & GARDVNG nobiles dicti de Hademersleve universis hanc literam inspecturis notum esse volumus & constare, quod nos quendam dimidium mansum situm in villa & campis *Ammendorp* jure proprietatis ad nos pertinentem solventem annuatim chorum duri frumenti Magdeburgensis mensuræ contulimus cum omni jure libere & absolute Ecclesiæ SS. Apostolorum Symonis & Judæ & S. Matthyæ in Goslaria jure proprietatis perpetuo possidendum, sub hac conditione quæ subsequitur & hac forma ut eadem Goslariensis Ecclesia peragat cum vigiliis & missis quater in anno memoriam amicorum nostrorum jam mortuorum, & nostram cum ingressi fuerimus viam carnis universæ quemadmodum instrumentis super compositione nostra editis plenius & distinctius invenitur. Datum Egeln anno gratiæ M. CC. XC. II. Id. Martij.

Deniq:

Rudolphus Imp. Monaſterio Novi Op

Denique etiam in his ipſis comitiis Erfurtenſibus cum Albertus Dux Saxoniæ Monaſterio Novi Operis Advocatiam ſuper xxi. manſos in Weſte Wenrode & Doringerode liberaliter contuliſſet, Rudolphus hanc donationem propter *inſignia vita monialium flagrantiam* hoc diplomate ratam habuit:

donationem Alberti Duc. Sax confirmat.

NOs RODOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus ad Univerſorum ſacri Imperii Romani fidelium notitiam tenore præſentium volumus pervenire, quod nos honorabiles & religioſas perſonas *Abbatiſſam & Conventum Monaſterii Novi Operis* in Goslar *propter inſignis vitæ ſuæ flagrantiam* favore benivolo proſequentes & volentes hilariter ſuis commodis adſpirare collationem Advocatiæ ſuper viginti & uno manſis in *Weſtewenrode & Doringerode* eidem monaſterio factam cum quibusdam aliis adjectionibus per illuſtrem *Al.* Ducem Saxoniæ principem & filium noſtrum dilectum ſicut in literis per eum traditis continetur expreſſius, ratam habemus & gratam, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Datum *Erfordiæ* XVII. Kln. Maij. Indict. III. Anno Dñi. MCCXC. Regni vero noſtri XVII.

Auctæ Francobergenſibus & Richenbergenſibus indulgentiæ.

At Epiſcopi qui comitiis Erfordenſibus hactenus deſcriptis interfuerunt, eadem liberalitate monaſteria noſtra, inprimis Francobergenſe & Richenbergenſe indulgentiis cumulatiſſimis ornarunt. Illud certe comoda occaſione arrepta, a Rudolpho Salisburgenſi & Conrado Laventino pridie Non. Jun. octoginta primum mox XL. dierum & unius Carenæ indulgentias impetravit. Hoc vero ut eo felicius ex buſto reſurgeret non ab his modo, verum etiam Arnoldo Bambergenſi, Mangoldo Herbipolitano, Borchardo Lubecenſi ejusdem notæ literas exoravit. Ampliſſimæ ſunt Arnoldi Bambergenſis olim Præpoſiti Goslarienſ. qui veteri procul dubio Richenbergenſium amore adductus, ſingulis ad hujus eccleſiæ ſubſidium manus adjutrices porrigentibus XL. dies criminalium atque integrum annum venialium, nec non unam carenam de injuncta pœnitentia remiſit. Nos Mangoldi tantum Herbipolenſis tabulas in annales hos referemus, cum prolixe inprimis eccleſiæ hujus clades enumerent:

MANGOLDUS Dei gratia Erbipolenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Univerſis præſens ſcriptum viſuris vel audituris ſalutem in filio Virginis glorioſæ. Eccleſiam B. Mariæ Dei genitricis in *Richenberg* ordinis B. Auguſtini Canonicorum regularium Hildenesheimenſis dioceſis honorare cupientes, *quæ a diripientium manibus, prædonum rapinis, & incendiis cinerum, dilacerata*, nos de omnipotentis Dei miſericordia B. Kiliani Martyris meritis confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis in quatuor feſtivitatibus B. Virginis Mariæ, in die *B. Auguſtini* & aliorum Patronorum, in die Paraſceve & omnibus diebus Sabbathis, qui ad eandem Eccleſiam cauſa devotionis convenerint & prædictæ Eccleſiæ, conſilio & auxilio juvamen ſeu benignitatem impenderint quadraginta dies & unam carenam de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Dummodo conſenſus & licentia Dioceſiani interveniat & accedat. Datum *Erfordiæ* Anno gratiæ MCCXC. Feria IIda poſt diem Apoſtolorum Petri & Pauli.

Ejusdem exempli indulgentias etiam Ghiſelbertus Bremenſis Archiepiſcopus Vordæ, & Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus Goslariæ noſtræ verſati hoc anno monaſteriis noſtratibus elargiti ſunt, quas tamen conſulto hic omittimus.

Cæſar an Saxoniam perluſtravit? *Dominic. Colm. faſti ap.*

Solutis Erphordienſibus Comitiis Rudolphus Cæſar e Thuringia in Saxoniam divertiſſe multaque laudabiliter peregiſſe dicitur Dominicanis Colmarienſibus apud Urſtiſium; Quousque vero pervenerit, a nullo ſcriptore proditum eſt memoriæ. Schatenius equidem, eum priſco Cæſarum & Regum inſtituto præcipuas inter Albim, Viſurgin & Rhenum Epiſcoporum & Principum urbes adiiſſe, juri dicundo præfuiſſe & pacem concordiamque populorum firmaſſe ſuſpicatur, ſed ſuſpicatur tantum. Multo probabilius enim Spangenbergius Cæſarem ipſis omnium Sanctorum Vigiliis Erfurto per Oſterlandiam Altenburgum perrexiſſe, atque hanc urbem a Friderico Marchione repetiiſſe; ablata vero repulſa, iter in Franconiam reflexiſſe, procul dubio e vetuſtis annalibus enarrat. Vt adeo fruſtra de Weſtphalia Saxoniaque hac inferiore ſuſpicionem injicere videatur Schatenius.

Vrſtis. p. 25. *lib. 12. p. 2. annal* *Paderb. p. 169.* *Spangenb cap. 269. p. 456.*

Bodo Richenb. Prior quædam bona redimit.

Inter hæc Henrico Præposito Richenbergensi Patri Patrum Ordinis S. Augustini per Alemanniam adjungitur Bodo, Prior, Vir tanta prudentia ac auctoritate præditus, ut sæpius ad causas principum virorum ex æquo bonoque componendas fuerit adhibitus. Hoc ipso statim anno monasterio suo quinque mansos a *civibus quibusdam Gerstedienſibus* redemit, cui actui præter Consules Goslarienses interfuere etiam *Conemannus Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Decanus, & Frater Ludovicus Domus Sacri Hospitalis Ierosolymitani Commendator in Goslaria.*

Annus Christi 1291.
Rudolphi. I. Imp. ult.
Ab. V. C. 368.

Rudolphus I. Imp. moritur. *Siffrid. presb. ad h. ann. p. 700. Henr. Stero. p. 397. Chron. Austral. p. 337. Lehm. Chron. Spir. l. 5. c. 104. p. 624 Albert. Argent. p. 109.*

VEnitur ad tempus Imperio Germanorum funestissimum, quod Rudolphum Cæsarem demerendis hominibus genitum immatura morte rapuit. Processerat laudatissimus Imperator superiore anno in Franconiam ubi reliqua latronum receptacula excisurus, eaque quæ bello perdomuerat, pace firmaturus, frequentissima Comitia Francofurtum indixerat. Actum etiam in hoc congressu de Alberto filio patri subrogando, si quid ei humanitus accedisset. Sed hasce salubres Rudolphi spes fortuna opinione citius elusit. Vix enim de componenda republica cum proceribus agere cœperat, cum motus imbecillitatem inclinatæque in deterius principia valetudinis sentiret. Attamen obfirmato animo propositum persecutus, multaque sapienter constituens morbi vim incredibili constantia occultavit. Verum igravescente in dies valetudine, cum se fato suo urgeri animadverteret, Spiram petere decrevit, multos ibi Reges sibi conveniendos, per jocum dictitans. Mox cum Germersheimium attigisset, omnemque medicorum curam fata vincerent, ad mortem se pie componens, nec quidquam de fine, si Deus posceret, recusans, VIII. Calend. Augusti Septuagesimo quarto ætatis anno diem obiit supremum, Spiramque deportatus inter ceteros Germaniæ Cæsares conditorium reperit, hoc titulo insignitum:

RVDOLPHVS DE HABISBVRG ROMANORUM REX ANNO REGNI SVI XVIII. DOMINI MCCLXXXXI. IN DIE DIVISIONIS APOSTOLORUM.

Princeps admirandus & sine exemplo maximus, libertatis Germanicæ vindex egregius, severus scelerum ultor, temporum reparator, pacis publicæ auctor, dignissimus [illegible] tis parens.

Sensit Saxonia nostra dignissimum [illegible] stodia reipublicæ Rudolphum. Quum enim Herlingsbergam bellum civile nuper principum quorundam consiliis sanatum multo infelicius quam antea recruduit, omnesque Saxoniæ ordines in societatem attraxit. Tentata nuper a socialibus civitatibus fuerat Herlingsberga, ex qua præsidiarii Henrici Morosi milites sæpius Goslarienses aliasque vicinas civitates vexaverant. Sed cum Henricus hostes suos cruento prælio ab obsidione depulisset, pax iis legibus facta est, ut dirutis munimentis castelli milites inposterum a latrociniis se abstinerent. Henricus tamen sive superiori victoria inflatus, sive per indolem quietis impatiens, mox rediit ad ingenium, & muris tumultuaria opera instauratis non minus, quam paulo ante ditiones circumjacentes concussit. Bellum itaque summis utrinque viribus redintegratum est. Convenere in unum Magdeburgenses, Hildesienses & Halberstadienses Præsules, Duces Brunsvicenses, Comites & Blankenburgenses, Regensteinenses, Wernigerodani, Stolbergenses, ceterique quorum res agebatur. His se adjunxere cives Goslarienses, Brunsvicenses, Hildesienses, Magdeburgenses ac Halberstadienses, qui contractis subito copiis denuo Herlingsbergam oppugnant, capiunt, solo æquant, & Hildesiensis Episcopi ditionibus adjiciunt. Atque adeo Goslaria nostra diuturno metu liberata, multo quietius, quam adhuc, cum vicinis cœpit negotiari. Sifridus, Hildesiensis Episcopus prohibiturus, quo minus tam periculosa arx denuo e ruderibus renasceretur, non longe ab illa molitus est castellum, Levenburgi nomine hodienum celebre, quod Henricus paulo post irrito conatu obsedit. Ceterum hoc Herlingsbergæ excidium sequentibus versiculis ad posteros est propagatum:

Sifr. Chron. Hild. p. 97. Rensel. Chron. Hildesh. p. 97.

Post. M. post duo CC. post nonaginta, monosque.
*Herlingsberg capitur, moritur Rex, Dux * sepelitur.*

* *Wilhelmus Chronicon Magd. legit Dux superatur. Spangenb. c. 270. Chr. Sax. p. 458.*

In quem annum & Hildesienses fastos convenire auctor est Meibomius. Vnde erroris compertus Spangenbergius, qui superiori anno hæc contigisse existimat.

Lis inter Richenberg. & Conradum de Piscina de agris composita.

At multo saniore consilio Fridericus & Woltherus fratres Dynastæ Dorstadiani litem inter Præpositum Richenbergensem & Conradum de Piscina de agris quibusdam diutius agitatam ex æquo bonoque composuerunt, eamque rem publicis tabulis satis luculentis testati sunt:

NOs FRIDERICUS & WALTHERUS Fratres milites dicti de Dorſtadt, præſentium recognoſcimus in tenore, quod cum ſuper decidenda controverſia, quæ inter Dnũm *Conradum* militem dictum de piſcina conſanguineum noſtrum, ex parte altera jamdudum extitit agitata, ſuper agris quinque jugerum, nec non & decima quorundam agrorum inter duas vias, videlicet publicam ſtratam, quæ de *Goslar* & ſemitam quæ de *Richenberg* ducunt verſus *Jerſtede* ſitorum in ejusdem clauſtri bonorum terminis quibusdam magnis lapidibus conſignatis præfati Domini Præpoſitus pro ſe ac ſuo Capitulo & Conradus Cognatus noſter pro altera parte in nos tanquam in arbitros compromiſerint fide data. Nos igitur perſpectis ipſius Eccleſiæ inſtrumentis, nihilominus inveſtigatione præhabita diligenti, prout didicimus de antiquis locorum incolis, vicinorum ac de concilio diſcretorum dictos agros & decimam memoratam ſimul cum omni jure ſententialiter adjudicamus Eccleſiæ ſupra dictæ præſentibus & prædictam ſententiam approbantibus religioſis viris *Sifr.* de Dorſtadt, *Geverhardo* de Schladem ordinis minorum fratrum, Fratre *Ludolpho* de ſancto ſepulchro & honorandis viris ac Dominis *Rainardo* dicto de lapide Canonico Goslarienſi, *Volcmaro* dicto de Schladem, *Bernhardo* dicto de Gowiſche militibus & aliis fide dignis. Ne vero hujusmodi noſtrum arbitrium ſeu ordinatio aliquorum calumnia valeat impoſterum infirmari tenorem præſentium inde confectum ſigillorum noſtrorum una & ſupra dictorum virorum videlicet Doñi Præpoſiti, Dni *Volcmari* de Schladem, ac Dñi *Conradi* de Piſcina appenſione duximus roborandum. Acta ſunt hæc *Goslariæ* in Domo ſæpe dicti Dñi M. CCXCI. III. Idus Martii.

Anni Chriſti 1292. 1293.
Adolphi Reg. 1. 2.
Ab. V. C. 369. 37*P.*

Adolphus Naſſovius Cæſar renunciatur. *Paralip. Viſſ. p. 341 Spangenb. Chron. Sax. f. 271. p. 459. Dominic. Colmar. Faſt. ap. Urſt. p. 26. Albert. Arg. p. 109*

PRoximis annis, a Rudolphi obitu graviter commoveri respublica ac priſtinis turbis involvi cœpit. Circa ipſa enim anni auſpicia de novo eligendo Cæſare ſolliciti principes incerti inter plures Candidatos fluctuabant. Videbatur equidem una omnium luctatio futura, pugnantium cum Alberto Auſtriaco, ut ſtationi paternæ ſuccederet, ejusq; virtutis telá feliciter pertexeret. Præterea enim, quodomnes Germaniæ principes opibus ac potentia anteiret, quatuor etiam electores ſeculares affines habebat, quos non erat dubium daturos operam, ut Cæſareæ majeſtatis decus in domo Auſtriaco continuetur. Sed hanc ejus opinionem fefellere Electores eccleſiaſtici, quorum anteſignanus Moguntinus neglecto Alberto, & ceterorum ſeptemvirûm ſuffragiis aſtute emendicatis Regem renunciavit, Adolphum Naſſovium, ſumma neceſſitudine ſibi junctum. Quem deinde ingenti omnium concurſu Aquisgranum deductum, Sifridus Colonienſis Archiepiſcopus, more majorum, diademate incinxit, cum pro hoc veterano milite ſuo ſatis ſedulo laboraſſet.

Alberto Landgr. Thur. adolpho Cæſari

Sed triſtia mox Imperii novi auſpicia Saxonia noſtra vidit. Albertus enim Thuringiæ Landgravius exuta parentis natura duos optimæ indolis filios Fridericum & Theodoricum codicillis ſuis exhæredes ſcripſerat ac ne quæ ſpes provinciasve ad paternas provincias redeundi illis illis ſupereſſet, totum quam late patet Misniam Luſatiam & terram Pliſenſem Regi emendam obtulerat. Quas provincias cum Adolphus datis XXI. marcarum purioris argenti millibus ſuas faceret, patruumque Philippum cum inſtructiſſimo exercitu ad eas occupandas mitteret; Friderico & Theoderico fortiter repugnantibus omnis pene Saxonia bello inteſtino ardere cœpit; quo ita ſenſim invaluit, ut poſt Henrici IV. tempora vix gravius aut atrocius in Saxonia fuerit. *1294. p. 700. Henr. Stero. p. 398. Paulin. Annal. Iſenach. p. 63.*

Hiſt. Landgr. Thur. c. 78 p. 932. Addit. ad Lamb. ad hos annos p. 261. Siffrid. ad h. ann.

Maturius de ſopiendis diſcordiis cogitabat Sifridus Epiſcopus Hildeſienſis, qui cum inter prælatos Civitatis noſtræ ac Senatum de molendinis quibusdam lites difficillimas ſeri cognoſceret, ſtatim id dedit operam, ut amica compoſitione mutua odia ex animis delerentur. Plures tum in civitate tum extra mœnia molas, adhuc poſſederant noſtrates & vicinæ eccleſiæ, quibus cum ſenatus fructus nonnullos ſibi haberi aſſereret, clerusque, ne quicquam detur, prohiberet; Senatus nonnullos reditus annuos publica cuſtodia attinuit. Commoti hac re clerici excommunicationis ſententiam pronunciarunt in civitatem, eamque campanarum ſonitu promulgarunt. Hoc facto, cives uſu ſacrorum in ſequens usque S. Martini feſtum caruerunt; cum interea Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus ſopiendis his litibus omnem adhiberet induſtriam: gentes

Controverſia inter Prælatos & Coss. Goslarienſes.

Vnde excommunicata civitas.

Sæpius frustra laboratum, nec Cæsaris ea in re valuit autoritas, crebris edictis litigantes ad concordiam frustra revocantis. Denique pacis negotium iterum iterumque in se susceptum feliciter ad liquidum perduxere Sifridus Hildesiensis Episcopus & Arnoldus Decanus, quorum suasu Ecclesiæ venditis senatui plerisque molendinis omnem litium materiam in futurum præciderunt. Breviter hoc dissidium enarrat Chronicon MSC. Goslariense, e quo locum ipsum proferre non erit incongruú. In derselben Zeit in Sünt Jacobi Tage erhub sich ein groß unwille unter den Prälaten und den Kirchen-Leuten auſen und in der Stadt von einem Parte und dem Rath und der gemeinde von dem andern parte / so groß / daß alle Verfolgers der Kirchen verbannet wurden / und verlüdden sie mit den Klocken / und die Klage der Papheit schloß auff [decidit] Herr Sivert der Bischoff zu Hildesheim biß an den König / der da schrieb der Papheit / und bat sie / und wolte erstlich vom Raht gehabt haben / daß alle Overmuth / die den Kirchen geschehen were / daß sie daran weren / daß ihnen dar vollkömlich voll vor geschehe. Dieser grosse Zwietracht stunde bis um Martini. Die Ursach dieses Zwietracht war / es hätten etzliche von den Mühlen den Zins vor behalten / etzliche mit schnödigkeit und hinterlist / so ward dieser harter Unwille Zuletzt geschahe mittelst der vorgemelten Sivert Bischoff zu Hildesheim und den Dechant Herrn Arnold derselben Kirche und viel ander frommer Leute der Vertrag etc. Soleo ego ejusmodi chronicis paulo rarius uti, cum sciam eorum pauca fide digna habenda esse. Attamen quo minus huic narrationi fidem detraham, movent me alia monumenta, de quibus nemo temere putaverit dubitandum. Extant enim hac de re luculentæ Senatus Goslariensis tabulæ, quibus omnium pene prælatorum & clericorum Goslariensium ac vicinorum nomina aliæque res notatu dignissimæ continentur:

NOs Conradus *de Visbeke*, Conradus *Meso*, Joannes *de Duderstat*, Giseko *de Broclede*, Joannes *de Dornden*, Conradus *Trost*, Sifridus *Ovis*, Wedego *de Astvelde*, Borchardus *Gude*, Borchardus *Honestus*, Hermannus *parvus*, Johannes de *Vordhem*, Conradus *Kopmann*, Arnoldus *Bone*, Bernhardus *juvenis*, Erembertus *de Ringelem*, Henricus *de Bergbrugge*, Johannes *de Nowen*, Conradns *de Borsum consules civitatis Goslariensis*, *præsentium tenore recognoscimus*, *protestantes publice*, *quod cum litis materia & rancoris inter prælatos & Ecclesias scil. Dñum* Konemannum *Decanum & Capitulum Sanctorum Apostolorum Symonis & Judæ Civitatis nostræ Dñum* Henricum *Prapositum & Conventum Ecclesiæ in Richenberg*, *Dñum* Witekindum *Prapositum Montis S Georgii & Conventum Dñum* Albertum *Præpositum & Conventum Ecclesiæ Novi Operis*, *Fratrem* Ludolphum *Commendatorem Domus sacri hospitalis Jerosolymitani*, *Fratrem* Conradum *Commendatorem Domus Theutonicæ ex una*, *& nos ex parte altera propter molendini cujusdam novi & quarundam structuram Hallarum succrevisset*, *ad eradicandum hujusmodi rancoris Zizaniam mediantibus venerabili Dño nostro* Sifrido *Hildenesheimensi Episcopo ac Dño* Arnoldo *Decano ibidem*, *priore & Lectore fratrum prædicatorum Gardiano & Lectore fratrum minorum domorum Hildesii*, *& Gardiano Domus Goslariensis hanc viam pacis & concordiæ subivimus cum ipsis de consensu libero & beneplacito eorundem molendina videlicet Ecclesiarum Sanctorum Apostolorum Symonis & Judæ*, *unum quod dicitur novum molendinum in Wiwario intra civitatem & tria extra propinqua civitati*, *quorum unum appellatur Diokmöle aliud Brockmöle & tertium parvũ molendinum nuncupat*, *molendinum quoq; unum Ecclesiæ Richenbergensis*, *quod dicitur Quotemöle intra civitatem*, *& tria extra*, *quorum unum vocatur Benzingemöle*, *aliud Regtenberges-möle*, *tertium quoque Hoffmöle appellatur. Item duo molendina fratrum de domo Theutonica*, *scil. Pepermöle & Stenmöle in proprietatem civitatis nostræ comparavimus titulo emptionis*, *ita tamen*, *quod personis quæ nunc ipsa tenent molendina præfata servabimus & locationem*, *quam ab Ecclesiis sibi concessum*, *in ipsis Ecclesiarum literis poterunt demonstrare*, *aut eos in amicitia deponemus. Providentes etiam ne aliqua radix amaritudinis sursum germinans inter dictos prælatos*, *aut nos*, *sensum charitatis & amicitiæ valeat disturbare*, *obligamus nos pro nobis nostrisque successoribus ac universitate civitatis nostræ in perpetuum*, *quod de cætero nullas novas generales structuras*, *utpote officinas*, *seu stationes monetariorum*, *instito-*

stitorum, sutorum, Cerdonum, alecia vendentium & similium ædificabimus, quibus Ecclesiarum census diminui possit, vel præjudicium generari; si vero aliqua ædificia, vel structuras prædictis consimiles fieri contingeret pro communi utilitate civitatis, in futurum has structuras non attentabimus, nisi prædictorum prælatorum & Ecclesiarum quorum interest interveniente amicitia & consensu vel nisi ipsorum ballas componemus titulo emtionis solvendo precium secundum æstimationem & judicium discretorum; ballæ autem pistorum apud cæmeterium forensis Ecclesiæ noviter constructæ & jam locatæ eadem locatione remanebunt. Nunquam autem vacantes nonnullis artificibus aut venditoribus præterquam pistoribus locabuntur, præterea prælatos & Ecclesias prædictas ac Clerum secundum Canonum formam in sua libertate & jure conservantes promotionem & favorem eisdem in quibuscunque valebimus, ostendemus. Ad prædictorum igitur omnium indeficientem notitiam ac perseverantiam illibatam præsens scriptum appensione sigilli civitatis nostræ duximus roborandum hujus rei testes sunt Dñus Theodericus *Decanus Montis S. Petri, Dnus* Henricus *Præpositus in Frankenberg, Dñus* Conradus *Plebanus forensis Ecclesiæ, Dñus* Johannes *Plebanus S Stephani. Dñus* Henricus *plebanus sancti Jacobi, Dñus* Volkmarus *de Goslaria, Dñus* Conradus *de Piscina milites & quam plures alii fide digni. Datum & actum anno Domini MCCXCIII. in die Beatorum* Galli & Tulli *Confessorum.*

Hanc pactionem deinde non modo Sifridus Hildesiensis Episcopus verum etiam Conemannus Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Decanus, Reinerus Scholasticus, Arnoldus Custos, totumque Capitulum suis literis ratam habuerunt. *Testes* proferuntur *Dnus Henricus Præpositus in Richenberg Pater Patrum totius Alemanniæ Ordinis S. Augustini, Dnus Widikindus Præpositus montis S. Georgii, Dñus Albertus Præpositus Novi Operis, Dnus Henricus Præpositus in Frankenberg, Dnus Volkmar de Gosa, Dnus Conradus de Piscina, Dnus Giso de Lapide milites. Dat. & act. Añ. Dom. MCCXCIII. in die decollationis S. Johannis Baptistæ.* Desideratur tamen inter hosce Goslarienses prælatos Decanus Montis S. Petri, de qua Ecclesia per longum temporis intervallum nihil nobis se obtulit. Ex literis tamen in monasterio Grauhoffiano asservatis mihi constat, hoc ipso anno *Theodericum* quendam Decanatu S. Petri esse perfunctum.

Decanus S. Petri.

Luculentum hoc pietatis Sifridi documentum. Quo referas etiam, quod anno MCCXCII. una cum Eistadensi, Spirensi, Augustano, Herbipolensi, Bambergensi & Wormatiensi Episcopis aliisque quam plurimis Abbatibus præpositis, Decanis & Presbyteris ad provincialem Synodum a Gebhardo Moguntino Archiepiscopo Aschafneburgum convocatam accessit. In quo sacro congressu multa de cultu priscæ disciplinæ restituendo sancita testantur Trithemius, Serrarius & Schatenius. Minus ergo dubitaverim, quin in nostram quoque civitatem commoda quædam ab hac Synodo Sifridi Episcopi industria redundaverint. Sifrid. Hildes. Ep. synodo Aschafneburgensi interest. *Trithem. in Chron. Hirs. ad h ann. Schaten. l. 12. ann. Paderb. part. 2. p. 172.*

At omnium optime Sifridus meritus est de novo hospitali S. Johannis, cujus origines paulo ante commemoravimus. Extat enim ejus donatio satis liberalis, quam hic integram subjicere juvat: Benefacit hospitali S. Johannis.

IN nomine Domini Amen. SIFFRID Dei gratia Hilden. Ecclesiæ Episcopus omnibus in perpetuum. Ne ea, quæ aguntur, lapsu temporis in oblivionem deducantur; imponi solent in linguas testium aut scripturæ testimonio confirmari. Noverint igitur universi, tam præsentes, quam futuri quod de consensu & beneplacito nostri Capituli pro remedio & salute animæ nostræ & sustentatione pauperum damus ad novum hospitale S. *Johannis* in Goslaria decimas novalium spatiorum infra scriptorum. Videlicet *Lyndenberg*, spatium de *domo leprosorum* juxta agros S. Georgii usque ad viam lapideam, præterea spatium quod *leprosorum Oel* dicitur, item spatium situm inter *Agetucht* & *Suthborch*, *Lingeberge*, usque ad domum leprosorum, nec non spatium, quod nuncupatur *Bolans* usque ad aquam dictam *Gelbek* perpetuis temporibus possidenda, cauto tamen, quod si industria aliquorum hæc spatia in culturam redacta fuerint, nullum ex hoc alicui præjudicium generetur. Ut autem hæc nostra donatio liberaliter facta perpetuis temporibus firma permaneat, præsentem literam

inde confectam ſigillis, noſtro videlicet & noſtri capituli in evidens teſtimonium fecimus communiri. Teſtes *Siffrid* de Blanckenborge, Magiſter *Petrus* officialis, *Heinricus* de Woldenberge Canonici Hildeñſ. *Siffrid* de Lutterberge miles, *Andreas* Bulle famulus, *Gijeko* de Broclede, civis Goslarienſis & alii quem plures. Actum & datum *Hildeñ*. Anno Dñi. Mill°. CC°XC°. tertio in die Beatorum *Martirum Johannis & Pauli.*

Conrad. Risbeck Civis Gosl. Walkenredenſi cœnobio benefacit. *Ekſtorm. ſec. 2. Chron. Walkenr. p. 111.*

Erat adhuc tempus, cum in pauperum ejuſmodi domicilia aliasque rebus divinis deſtinatas ædes opulentiorum hominum fontes fluerent. Inprimis Epiſcopi nonnulli adhuc id ſibi negotii præcipue datum exiſtimabant, ut opes ſuas egenis ambabus manibus elargirentur. Quorum exemplum ceteri deinde ultro ad æmulationem usque ſequebantur. Quemadmodum hoc ipſo anno Sifridi Epiſcopi ſui liberalitatem egregie ſectatus eſt Conradus Risbeck Civis Goslarienſis, qui cum filio Johanne, Walkenredenſi monaſterio ſylvam Bockeſtert liberaliter contulit. Quæ largitiones licet ex opinione, quæ de bonorum operum meritis tunc perſvaſerat, non parum vitii contraxerint: vel hoc ſolum tamen nomine laude ſua minus defraudandæ videntur, quòd temporum noſtrorum homines eccleſiarum fortunis inhiantes rubore poſſunt ſuffundere. Quo plura enim vulgo de repurgata religione jactari audimus, eo minus egenorum fratrum rationem haberi animadvertimus, quaſi is Deum a conſpectu noſtro remotum amare dicendus ſit, qui fratrem, quem præſentem intuetur, odio plus quam Vatiniano proſequitur.

Anni Chriſti 1294. 1295.
Adolphi Regis 3. 4.
Ab. V. C. 371. 372.

Adolphus in Thuringia revocatur.

HÆrebat inter hæc Adolphus adhuc in Thuringia, ubi omnia cædibus, ſtupris, ſacrilegiis miſcebantur. Eo majori tamen virtute pro conſervandis avitis provinciis decertabant Fridericus & Theodericus Marchiones, Alberti filii e juſto thoro hæredes. Ab his modo Philippus Adolphi patruus profligatur, modo Albertus Brandenburgicus clade afficitur, modo Bernhardus Anhaltinus fugatur. Anceps tamen erat belli fortuna, inprimis cum Adolphus tot ſociorum auxiliis adjutus novas ſubinde copias adduceret. Unde nec ſacris parcitum, nec profanis, violatæ eccleſiæ, ſpoliata cœnobia, rapti in vincula ſacerdotes, ipſæ ſacræ virgines ſtupris pollutæ ludibrioque habitæ. Adeo denique militaris diſciplina ſoluta eſt, ut nec ſupplicium de ſacrilegis ſumeretur, nec ſeveris edictis modus immanitati ſtatueretur. Donec Adolphum jam a Mulhuſinis civibus turpi clade affectum novi reipublicæ motus e Thuringia revocarent, eumque in tantum odium adducerent, ut jam nulla de re frequentius, quam de rejiciendo Adolpho conſilia inter proceres agitarentur. *ringos & Misnenſes ſævit. Autor. Landgr. c. 78. p. 932. Addit. ad Lamb. ad ann. 1295. p. 270. Sifrid. Presb. ad h. ann. Lang. 700. Chron. Citic. p. 817. ſq. Paul. hiſt. Iſen. p. 63. ſq.*

Eccleſiæ SS. Sim. & Judæ privilegia confirmat.

Inter hos incredibiles bellorum tumultus, quis crederet ullo pietatis ſenſu tangi potuiſſe Adolphum? Attamen nihil habuit antiquius, quam ut cleri ordines ſe illi curæ cordique eſſe crederent. Hinc proximo anno plurimarum eccleſiarum immunitates ac jura literis ſuis rata habuit: ac præcipue eccleſiæ noſtrati SS. Simonis & Judæ hoc diploma Northuſa transmiſit:

„ ADOLFUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri Rom. Imperii fidelibus gratiam ſuam & omne bonum. Quia regni noſtri adminiſtrationem divina gubernatione diſpenſari cupimus, dignum eſt, ut ejus munificentiam, qui de humili nos exaltavit, ſumtis ab ejus largitate muneribus „ honoremus, ſic enim humilitatem noſtram ſcuto ſuæ protectionis ſperamus obumbrari ſi ex eo regnare & regiminis noſtri ſucceſſum ejus gratiæ aſcribere ſatagamus. „ Noveritigitur præſens ætas & ſucceſſura poſteritas, quod integræ fidei puritatem & „ ſincera devotionis affectum quem divi glorioſiſſimi Imperatores & Reges Rom. præ„ deceſſores noſtri ad monaſterium SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslar ſitum „ ab ipſis laudabiliter conſtructum & dotatum inceſſanter habuiſſe dinoſcuntur, Nos „ eorum piis exemplis inhærere volentes pro remedio animæ noſtræ ac ſacri Imperii „ reverentia eidem monaſterio tanquam *ſpeciali noſtræ capellæ* gratias fructuoſas regni no„ ſtri temporibus intendimus impertiri & omnes indulgentias, gratias libertates, & „ jura eidem monaſterio ab Imperatoribus & Regibus prædeceſſoribus no„ ſtris rite & provide tradita & conceſſa præſentis ſcripti patrocinio de benignitate „ regia innovamus & liberaliter confirmamus. In cujus rei teſtimonium præſens ſcri„ ptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtræ ſigilli robore fecimus communiri. Dat. „ in *Northuſen* IV. Non. Jan. Indict. VIII. Aó. Dn. M.CC.XCV. Regni vero noſtri an„ no tertio.

Nea non Eccleſiæ Montis S. Petri.

Haut diſſimili clementia ſub ipſius anni initia Eccleſiæ Montis S. Petri donationem Agnetis Henrici III. Imp. Conjugis ab Henrico IV. confirmatam literis ſuis corroboravit, quarum partem hic exhibemus:

Adol-

ADOLFUS Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Noverit præſens ætas & ſucceſſura poſteritas quod nos privilegium divæ recordacionis *Heinrici* Romanorum Regis prædeceſſoris noſtri nobis exhibitum vidimus & perſpeximus, continentiæ ejusmodi & tenoris:

* * *Ipſum Henrici diploma jam ſupra dedimus ad annum 1162.*

* * *

NOs igitur honorabilis viri præpoſiti Montis *Sc*ti Petri prædicti juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu dictum privilegium, prout provide & juſte conceſſum eſt, & omnia in eo contenta ratificamus, confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ ratificacionis innovacionis & confirmacionis paginam infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, gravem noſtræ indignacionis offenſam ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi & majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Datum in *Mulhuſen* v. Id. Januarii, Indictione octava, anno Domini Millo. ducent. nonag. quinto. Regni vero noſtri anno tercio.

Volrad9 Montis S. Petri Præp.

Qui tunc Præpoſitura Montis S. Petri ſit perfunctus non aliunde rectius, quam ex ipſis hujus eccleſiæ literis perdiſcimus. Extant enim tabulæ, quibus Capitulum Conſulibus & Univerſitati civitatis noſtræ molendina quædam vendit, quæ ſic ordiuntur:

IN nomine Domini Amen. Nos Dei gratia *Theodoricus* Decanus totumque Capitulum in monte S. Petri extra muros civitatis Goslariæ, omnibus præſentem ſcripturam intuentibus vel audientibus recognoſcimus publice proteſtantes, quod cum conſenſu & bona voluntate honorabilis Dni noſtri *Vulradi eccleſiæ noſtræ Præpoſiti*, nec non omnium noſtrûm duo molendina noſtra - - - - - - - - - - . Actum & datum anno Domini M°CC° nonageſimo quarto in die beatæ *Mariæ* aſſumptionis.

Ex his itaque literis dilucet, penes Vulradum quendam Præpoſituræ munus ſub hoc tempus fuiſſe, cujus tamen familiæ fuerit, aut ecquid geſſerit æternitate dignum tacentibus annalibus mihi incompertum eſſe fateor,

Anni Chriſti 1296. 1297.

Adolphi Reg. 5. 6.

Ab. V. C. 373. 374.

Adolph9 omnib9 inviſus. *Sifrid. presb. ad h. ann. Addit. Lamb. ad h. ann. l. c. Henr. Stero annal. p. 401.*

AT Cæſar, licet ſacrum ordinem variis beneficiis demulceret; tantum tamen ſubinde odium ſibi conflavit, ut nomen ejus ſputis & maledictis obnoxium amariſſimis imprecationibus oneraretur, ſi veteſti cujusdam ſcriptoris verbis hic licet uti. Præterea enim, quod Thuringiam ac Miſniam incendiis, cædibusque peſſime devaſtaverat, auſus etiam eſt auguſtæ dignitati labem: ut tum videbatur: inuere, ac turpi fœdere Eduardo Angliæ Regi contra Gallos ſe jungere, ac veluti ſtipendiariam operam exteris dare. Hinc principes in Adolphum invehere, deque abrogando imperio inter ſe agere conſilia cœperunt. Nec ſegnius rerum ſuarum ſatagebat Albertus Auſtriacus, jamdudum Adolpho ob præreptum Imperium infenſus. Quare factum eſt, ut ipſe Gerardus Moguntinus Archiepiſcopus mutato animo de repudiando Adolpho cogitaret, cúm paulo ante multis artibus illi faſces detuliſſet. Secuti ſunt & ceteri proceres, Cæſarem neglecto Imperio familiæ tantum commodis inſervire atque in ipſa reipublicæ viſcera ſævire conqueſti. Denique eo res rediit, ut rejecto Adolpho Albertum Auſtriacum palam Regem Romanum ſalutarent.

Eccleſia SS. Sim. & Judæ bonis nonnullis aucta.

Inferior hæc Saxonia longe quietior per hæc tempora armorum ſtrepitum nonniſi e vicina Thuringia ac Weſtphalia audiebat. Hinc & eccleſiæ fortunis ſuis ſecure frui poterant, nullis quippe latrociniorum ac bellorum turbis perterritæ. Inprimis inclyta SS. Simonis & Judæ eccleſia incrementa tunc cepit. Cum enim ſacrum Monialium Novi operis Collegium ab Alberto Saxoniæ Duce ſeptem abhinc annis advocatiam ſuper xxi. manſos in Weſtewentrode & Doringerode impetraſſet, Capitulum vero laudatum partem ſumtuum toleraſſet; Tidericus præpoſitus & Adelheidis Abbatiſſa impenſas reſtauraturi dimidium advocatiæ fructum capitulo reddiderunt:

NOs *Thidericus* Dei gratia Præpoſitus, *Adelheydis* Abbatiſſa totusque conventus Sanctimonialium Eccleſiæ Novi Operis in Goslar recognoſcimus publice univerſis Chriſti fidelibus literam per præſentem, quod nos impetravimus & obtinuimus a Sereniſſimo Domino Romanorum Rege *Rodolpho* piæ recordationis, quandam literam in hæc verba;

* * *

* * *Ipſa Rudolphi litera apparent ſub anno 1290.*

SEd quia honorabiles viri Decanus & Capitulum SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslar una nobiſcum pertulerunt omnes labores & omnes expenſas, quas apud prædictum Dominum Regem & apud Illuſtrem Principem *Al.* Ducem Saxoniæ pro collatione & comparatione talis advocatiæ fecimus, tunc temporis, nos dimiſimus & præſentium literarum teſtimonio donamus eidem Eccleſiæ Goslarienſi advocatiam cum omni jure ſuo ſuper decem manſis & dimidio ſitis in *Weſtewenredo* pertinentibus prædictæ Eccleſiæ Goslarienſi. Obligamus itaquæ nos & omnes noſtros ſucceſſores per literam præſentem, quod nos hujusmodi noſtram donationem ratam & gratam ſervabimus tempore ſempiterno. In his itaque noſtræ donationis firmiorem perſeverantiam & evidentem notitiam hanc præſentem literam ſæpe dictæ Eccleſiæ Goslarienſi contulimus ſigillis noſtris, Præpoſiti videlicet & Conventus noſtri firmiter roboratam Dat. Anno Dñi. M. CC. XCVI.

Extant & aliæ ex hoc anno literæ Alberti & Friderici fratrum Comitum de Wernigerode, quibus bona nonnulla in Slevede ſibi a Capitulo S. Matthiæ collata teſtantur. *Teſtes* proferuntur *Johannes de Minsleve, Petrus de Tzemmenſtede, Johannes de Hartisrode milites. Dat. Werningerode. A. D. M. CC. XCVI. XV. Kal. April.*

BodoRichenb. Præp. cũ aliis judex a ſede Apoſtolica deputatur. *Ekſt. p. 112 Chron. Walkenr. Alcibiom. Chron. Riddagsh p 361. tom. 3. rer. germ.*

Diſpari longe conſilio Hermannus Comes Blankenburgenſis nuper ad Halberſtadienſem Epiſcopatum evectus Abbatibus Walkenredenſi, Vallis D. Mariæ, Riddagshuſano & Lapidis D. Michaëlis de bonis nonnullis dicam ſcripſerat. Æſtimandæ liti delecti a Pontifice fuerant Bruno Epiſcopus Numburgenſis, Otto Abbas S. Michaëlis Hildesheimenſis, & Bodo Richenbergenſis Præpoſitus. Hermannus tamen Epiſcopus litem ſe perditurum prævidens ultro cauſæ cedit, movendasque remittit actiones. Ipſas Hermanni literas Chronico Walkenredenſi inſeruit Ekſtormius.

Reliquiarum cultus actus

Sed omnium maxime notatu dignus eſt reliquiarum apud nos cultus ſuperſtitioſiſſimus, novo hoc & inſequente annis acceſſione auctus. Nam cum a multis annis reliquiæ a nemine conſpectæ, a multis vocarentur in dubium, viſum eſt Capitulo SS. Simonis & Judæ, ſarcophagos ipſas aperire, & coram intueri, quæ adhuc coluerint numina. Evocatis igitur ipſa hebdomada magna Præpoſito Richenbergenſi, Præpoſito Novi Operis, Gardiano Fratrum minorum, fratribus Prædicatoribus, pluribusque militibus æque ac ſenatoribus, apertis ſarcophagis, invenere corpus S. Matthiæ, S. Valerii & Cyrilli fere integra corpora ac alias innumeras ejusmodi reculas, quas credula antiquitas conſecraverat. Eas conſpectas ſtatim decreverunt futura SS. Petri & Pauli feſtivitate publice exponere populo, ita tamen, ne, quod adhuc factum fuerat, ſarcophagi circumferrentur: Sed in ipſo templo oſtenderentur reliquiæ idque feſtum ut eo ſplendidius eſſet, Sifridus Hildeſienſ. Epc. bina altaria eodem die conſecrare ſtatuit. Ejusmodi nimirum illecebris nummi petebantur. Inſignes ſunt binæ Capituli & Senatus tabulæ, hac de re conſignatæ, in quibus inter alia affirmant ſarcophagos circum ferre ideo ſibi minus conſultũ videri, quod decreſcente indies hominum ſtatura, verendum ſit, ne bajuli vitæ adirent periculum. Dignæ ſane videntur, quæ etiam ab aliis legantur, En igitur harum alteras:

VEnerabilibus viris ac Dominis plebanis & eccleſiarum rectoribus, quibus præſentes fuerint exhibitæ, Dei grãa Decanus & Capitulum Eccleſiæ ſcõrum aplorum Symon. & Judæ in Goslãr, nec non Conſules ejusdem Civitatis, cum devotis orationibus promtitudinem & affectum ſincerum ad obſequia & honores. Etſi ad condigne laudandum in ipſa ſuæ divinitatis eſſentia creatorem Deum, qui lucem habitat inacceſſibilem, pro majeſtatis ſapientiæ ac bonitatis ſuæ immenſitate, angelicus non ſufficiat intellectus, & humana fragilitas prorſus deficiat, tamen ne quod poſſumus ignave negligamus, Deum laudare jubemur in ſanctis ſuis, qui viam manda-

mandatorum Dñi currentes per multas tribulationes ipsum secuti, nunc cœlestia consecuti, spiritu Dño triumphant & corporum suorum reliquias sanctas ecclesiæ militanti pro consolatione & fidei corroboratione reliquerunt, quorum veneratione speramus certissime ipsorum perpetua suffragia promereri. Hujus igitur rei gratia honorabilem discretionem vestram nosse cupimus, quod cum ecclesia nostra Goslariensis prædicta a divis Imperatoribus & Regibus gloriosis scrineis & capsis ornata cernatur, & venerandis reliquiis B. Matthiæ Apli ac aliorum plurium sanctorum in eisdem scrineis, quos sarcophagos dicimus, repositis, ditata & dotata, ut fidelis ad nos retulit antiquitas firmiter præsumatur. Quia tamen infra annos plurimos nulli earum reliquiarum patuit accessus & aspectus scripturæ quoque super his exaratæ vel tempore consumtæ, vel tineis sint exesæ, ita ut nesciatur discrete quæ reliquiæ, in quo contineantur scrineo. Item quia pro salute civitatis nostræ & sanctorum veneratione cum eisdem scrineis vel sarcophagis civitatem circumire solebamus & jam non existentibus corporibus humanis in eo quo quondam exstiterunt robore, *eadem scrinia circumportata mole sua adeo læsere multos quod mortis ex hoc dicantur periculum incurrisse. Quamobrem ad declinandum periculum & ipsam molem levandam præcipueque ut reliquiarum discretam sciremus repositionem & ut de eisdem reliquiis, an in scrineis essent, de quo plures hæsitabant, infallibilem nosceremus veritatem de consensu & consilio Venerabilis patris ac Dni ñri Sifridi Hildeñ. Epi unum de sarcophagis aperiri fecimus præsentibus honorabilibus Viris Præposito in Richenberg, Præposito Novi Operis, Gardyano fratrum minorum, fratribus prædicatoribus, militibus, Consulibus Civitatis nostræ, ac aliis pluribus fide dignis, & pretiosum reliquiarum Beati Matthiæ & aliorum sanctorum thesaurum copiosum invenimus, ita ut spem præhabitam subsequens veritas superaret. Et sic solis nobis cognitum sit cujus agnitio saluti omnium fidelium creditur profutura de consilio & approbatione præfati Dñi Hildeñs. Epi intendimus præfatas reliquias, in die beatorum Aplorum Petri & Pauli humiliter ac devote omnibus fidelibus qui tunc aderunt cernendas cõmunicare, quo fidelium crescat meritum & devotio, & tantus thesaurus innotescat, & sanctorum honor debitus amplietur. Et ut idem solempnius fiat decrevit præfatus Dnus Hildens. duo altaria eodem die in ecclesia nostra consecrare & idem festum ac populi devotionem indulgentiis & sua præsentia decorare. Supplicamus igitur omnibus vobis & singulis, ut pro Dei reverentia, & sanctorum honore, & ut ipsi participes sitis eorum, quæ ipso die & in perpetuum apud nos in Dei laudibus exhibentur præmissa omnia una cum indulgentiis & remissionibus, quæ etiam ipso die large omnibus fidelibus illuc convenientibus tribuuntur dignemini in nostris Ecclesiis vestris plebibus intimare. Ut autem prælibata credibilia faciamus, præsens scriptum sigillis prælatorum & Gardyani qui præsentes affuerunt, nec non nostro ac civitatis nostræ sigillo fecimus roborari. Actum ão Dni M.CC.XCVII. feria tertia post palmas.*

Hæc quidem tunc decreta esse constat, interjecto tamen tempore, mutata hæc sententia sarcophagos more solito circumferri denuo cœpisse infra ubi de reformationis primordiis dicendum fuerit demonstrabitur. An igitur homines ex hoc tempore ad pristinam staturam sensim redierint, videant illi, quibus inveteratam de humanæ staturæ decrementis examinare sententiam animus est. *

* Antiqua sane & jam ab *Homeri* ætate propagata sententia, decrescere indies hominum staturam, ut *Gellius* testatur l. 3. c. 10. & *Plin.* l. 7. c. 16. è Varrone. Hinc frequens *Homeri* illud:

Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

quod *Virgilius* Homeri imitator ita eloquitur l. 12. Æneid.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus;

cui succinit *Juvenal.* Sat. 15.

Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.

Sed & ipse *Plinius* l. 7. c. 16. *In cuncto mortalium genere minor indies mensura fit rariqve parentibus proceriores filii, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

Annus Chriſti 1298.

Adolphi Reg. ult.

Alberti Cæſ. I.

Ab. V. C. 375.

Adolphus R. Imperio vitaque privatur *Chron. Auſtral. p. 341. Henr. Stero. p. 401. Paralip. Vrſp. p. 342. Alb. Argentin. p. 110. Siffrid. presb. ad h. ann. p. 701. Bzov. ad h. ann. Henr. Rebdorf. p. 411. ap. Freher. Engelhuſ. Chron. p. 260.*

SUccedit annus turbulentus & Germano nomini cruentiſſimus, quo colliſis inter ſe duobus reip. capitibus alteroque Romani Imperii oculo effoſſo tanta facta eſt rerum commutatio, ut omnia enarranda non recipiat hic ſcripturæ modus. Dudum hoc inter Germaniæ proceres fuerat agitatum, quo pacto faſces Adolpho abrogari quam commodiſſime poſſent. Hoc negotium jam hoc quoque anno Viennæ in Wenceslai Bohemorum Regis nuptiis continuatum eſt, ad quas præter Vngariæ Regem, Bohemi Socerum, confluebant Dux Saxoniæ; Marchio Brandeburgenſis, Dux Apuliæ, Dux Oppaniæ, Marchio Dephilenſis, nec non Baſileenſis, Conſtantienſis Olnumicenſis, Patavienſis, Georgenſis, Friſingenſis Epiſcopi, tantaque ex Hungaria Bohemiaque principum multitudo, ut nihil fuerit nuptiali hoc feſto ſolennius, ſplendidiusque. Adolphus quid rerum agatur non ignarus, odium in Albertum Auſtriacum convertit, ſeveritatemque ſuam aliena invidia expetere cupiens, non ipſos quidem proceres, ſed factionis caput Albertum opprimere ditionibusque exuere auſus eſt, ceteros facili negotio in officio retineri poſſe exiſtimans, ſi potentiſſimum æmulum dextro Marte obtriviſſet. Verum hæc Cæſaris conſilia Albertus prævertit, qui collecto juſto exercitu, copiisque ſociorum principum firmatus, nullo prohibente per Bavariam, Sveviamque ad Rhenum usque penetravit. Interea a Gerhatdo Moguntino Archiepiſcopo Principum Senatus Moguntiam ad Comitia evocatur, accerſito ſimul Adolpho, ut cauſam diceret. Quod principum decretum cum Cæſar cauſæ diffiſus aſpernaretur, vadimoniumque deſereret: ſtatim cognita cauſa ipſis B. Johannis Baptiſtæ vigiliis Imperio privatur, faſcesque ex compacto Alberto Auſtriaco deferuntur, tanto Principum conſenſu, ut pauciſſimi obnunciarent, aut decreto intercederent. Protinus ad arma concurſum eſt. Albertus luculentiſſimo exercitu ſtipatus ad Rhenum ſe continebat, cui Adolphus contractis ex inferiori Saxonia copiis ad Gelheimium occurrit. Hinc cum ad pugnam ventum eſſet, Adolphus majore animo quam prudentia concitato equo per medias hoſtium catervas ad Alberti conſpectum proruit, atque irarum plenus Hic, inquit, Alberte regnum ſub manu mea relinques. Cui Albertus rem ſe Dei juſtiſſimi arbitrio permittere reſpondit, ſtrictoque ſimul ferro mucronem tanto impetu per laxatam caſſidem in Adolphi oculum adegit, ut vulnere gravis ex equo defflueret, ungulisque equorum conculcatus miſerrime interiret. Reliqua Adolphi acies fuſa fugataque, filius Adolphi cum aliis vivus in Alberti poteſtatem venit. Ipſe Adolphus inter cæſorum cadavera repertus ne dignus quidem habitus eſt, qui Auguſto Conditorio Spirenſi inferretur. Hinc in Roſenthalenſi cœnobio * perfunctorie in præſens terræ mandatus luculentiſſimum poſteris fallacis fortunæ reliquit exemplum. Miramur itaque quid ſibi velit Chronicon Elwangenſe: *In die Proceſſi & Martiniani Martyrum Adolphus Roman. Rex occiſus eſt in bello juxta Wormatiam in campo dicto Burgentrich a Johanne Duce filio quondam Rudolphi Rom. Regis.* Gelheimii erectum trophæum hoc titulo inſignitum:

* *Albert. Argent. in valle Mariæ Henr. Rebdorff. p. 412. Spira eum ſepultum dicunt. Chron. Elvang. p. 457.*

ADOLPHVS A NASSAW ROMANORVM
REX INTERFICITVR AD GELLINHEIM.

Albertus victor Francofurtum egreſſus repetita electione Cæſar ſalutatur. Inde deductus Aquisgranum ſolenni ritu in frequentiſſima procerum corona diademate incingitur. Luſtratis deinde inferioris Germaniæ provinciis Coloniaque exitinere ſalutata, præcipiti jam anno Norinbergam ad comitia proxime celebranda properat. Quo cum Principes ſimul ingenti numero contenderent, compoſitis rebus omnibus conjugem ſuam a Wigboldo Colonienſi Archiepiſcopo diademate ornari juſſit. Nec immemor eccleſiæ SS. Sim. & Judæ omnia privilegia, inprimis a Rudolpho parente illi conceſſa rata hoc diplomate habuit:

Albertus Aquisgrani coronatus. Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ privilegia rata habet.

ALBERTUS Dei gratia Rom. Rex ſemper aug. Univerſis ſacri Rom. Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Venientes ad noſtræ majeſtatis præſentiam honorab. viri *Kon.* Decanus & Magiſter *Jacobus* aulæ noſtræ notarius: prædilectus Canonicus Goslarienſis Eccleſiæ ex parte ſui capituli nobis humiliter ſupplicarunt, ut privilegia, libertates, gratias & jura ab inclitæ recordationis Imperatoribus & Regibus Romanis, noſtris prædeceſſoribus, & præcipue a quondam Dno *Rudolfo* genitore ñro Krñio ipſis tradita & conceſſa innovare & confirmare de benignitate regia dignaremur cujus quidem privilegii noſtri genitoris tenor talis eſt:

* * *

NOs vero prædictorum humilibus ſupplicationibus inclinati præſens privi-

**** Ipſas Rudolphi literas vid. ſub anno 1276.*

Privilegium prout de verbo ad verbum superius est expressum approbamus, confirmamus, innovamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli igitur omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis & innovationis infringere, aut ei in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui fecerit gravem nostræ majestatis offensam se noverit incurrisse,. In cujus rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi & majestatis nostræ sigillo jussimus roborari. Dat. in *Nurenb.* XII. Kl. Januarii. A. D. M.CC.XCVIII. Indict. XII. Regni vero nostri anno primo.

Mágr. Jacobus Gosl. Canonicus Imperialis aulæ Notarius. *Mallinckrot. de Archis, & Cancell Imp. p. 89.*

Præclarum hoc diploma, quippe quod non solum Konemanni Decani mentionem facit, verum etiam de Magistro Jacobo, Canonico, atque Imperialis aulæ notario nos admonet, ad quem honorem a Suevorum Imperatorum temporibus nemo ferme hujus ecclesiæ Canonicus adspiravit. Suppleri itaque ex hisce tabulis poterunt Mallinckrotii lucubrationes de Archicancellariis & Cancellariis Imperii. Ubi sub Alberto Cæsare non nisi Gebewinum quendam Notarium & Eberhardum de Lapide nec non Johannem Thuricensem Cancellarios profert. Extant hujus Jacobi notarii literæ ex ipsa regalia aula Ulma ad *honorabiles Viros Decanum & Capitulum Goslariense, Canonicos suos* datæ, quibus ecclesiæ suæ negotia a se feliciter in aula expedita nunciat. Alias quoque vidi literas, in quibus vocatur Meyster Jacob uses Hern Scriber des Romschen Künighs/ der ein Domher ist ze Goßlar. Ejus sigillum sistit lectori Tab. IV. Fig. 6. Satis portentosum.

Eadem ecclesia hoc ipso anno unum manſum in Tillinge a Johanne Castellano Derenburgensi XXIII. marcis puri argenti coemit. Quem contractum ratum habuit Henricus comes Reinsteinensis, a quo Johannes iste Castellanus manſum hunc feudi titulo collatum possederat. Literas has in quibus Henrici & Olrici filiorum nec non Henrici Comitis de Woldenberg Canonici Hildesiensis & Johannis Comitis de Werdere avunculorum Henrici Comitis Reinsteinensis mentio fit, testimonio suo corroborarunt *Dominus Albertus plebanus in Tzillingen, Reynerus Schat, Jordanus dictus Gallus milites, Conradus Advocatus de Hesnen & alii fide digni. Dat. & act. in Derneburg. A. Dom. M.CC.XCVIII. XVI. Kl. Sept.*

Sifridus Hildes. Ep. Richenbergensibus benefacit.

Majori pietatis sensu Sifridus Hildesiensis Episcopus Richenbergensi Ecclesiæ nondum penitus ex lugubri incendio instauratæ, terras incultas monasterio vicinas aratro subigere aut quocunque modo in usus suos convertere permittit, his tabulis hanc in rem confectis:

SIFRIDUS Dei gratia Hildenesheimensis Eps. Noverint universi, quod ad competitionem dilecti nobis Præpositi in *Richenberge* permittimus, quod novare valeat & terram incultam colere, quæ sita est inter claustrum in *Richenberge* & montem, qui dicitur *Northberg*, & locum qui dicitur *Gotze* ex altera parte claustri, & ibi suam utilitatem valeat ordinare. In cujus rei testimonium præsentem literam sigillo nostro fecimus communiri. Datum in *Aula nostra* Aõ. Dñi. M. CC. XCVIII. IVto Kalend. Febr.

Capella S. Cæciliæ Patronos mutat & ab Archidiaconatus banno absolvitur. *Leukfeld. p. 129. Chron. Walkenred.*

Jus Patronatus Capellæ S. Cæciliæ, de qua supra passim agere me memini, inter hæc a Woldenbergensibus devolutum fuerat ad cœnobium Walkenredense. Factum id erat jam anno MCCLV. cum a Walkenredensibus Comites Woldenbergenses in fraternitatem reciperentur. Quod beneficium tanti visum est Woldenbergensibus, ut anno MCCLXX. omne jus suum in capellam istam dimitterent. Multum inde commodi ad monasterium istud rediit. Extracta enim ad capellam curia non modo singularem parochum ibi aluit, verum etiam Oeconomum, qui vicinorum bonorum haberet rationem, & adventantes fratres Cistercienses hospitio exciperet, quemadmodum adhuc anno MD. in literis montis S. Petri occurret Hermannus Stolle Conventualis Broder des Klosters tho Walckenreden / unde Hoffemester des grawen Hofes binnen Goßlar gelegen. At quamvis Dominum mutasset Capella, nondum tamen subesse desierat banno Archidiaconatus Goslariensis, a quo tamen in Walkenredensium commodum hoc ipso anno absolvit Sifridus Hildesiensis Episcopus, cujus diploma integrum post Leukfeldium damus:

IN nomine Domini Amen. Sifridus Dei gratia Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopus omnibus in perpetuum. Si Ecclesias Deo dicatas & religiosos quosque pre viribus nostris promovere studuerimus, id nobis ad fœlicitatem perpetuam profuturum minime dubitamus. Igi-

Igitur univerſis notum eſſe volumus & conſtare, quod nos de unanimi conſenſu capituli noſtri, nec non Domini Wolradi Præpoſiti Montis S. Mauritii & Archidiaconi Goslarienſis civitatis ob dilectionem & reverentiam Abbatis & Conventus in Walkenred Ordinis Ciſtercienſis Moguntinæ Diœceſis, quos ſpeciali favore propter diverſa ſervitia nobis exhibita proſequimur, capellam Sanctæ Cæciliæ in Goslaria, cujus jus Patronatus ad præfatos, Abbatem & Conventum hactenus ſpectabat, cum omni jure in ipſos liberaliter transferimus, nihil juris nobis & Eccleſiæ noſtræ, nec non Archidiacono ipſius loci, qui pro tempore fuit, penitus reſervantes. Caute tamen, quod ſi a nobis vel a noſtris ſucceſſoribus generale poſitum fuerit interdictum, in civitate præmiſſa, rector Capellæ qui pro tempore fuerit, ſi ſecularis extiterit, illud reverenter ſicut alii ejusdem loci Clerici obſervabit. Religioſi vero dicti ordinis ſive per ſe, ſive per ſecularẽ perſonam prænominatã Capellã officiaverint, poterunt ibidẽ perſonis ſui ordinis, ac familia ipſorum præſentibus ſtante interdicto clauſis januis licite celebrare. Hæc omnia ſupra dicta eis damus, & in ipſos transferimus perpetuo poſſidenda. Vt autem hæc noſtra donatio rata & inconvulſa perpetuis perſeveret temporibus, præſentem paginam inde conſcriptam ſigillis noſtro videlicet & capituli noſtri, nec non Domini Wolradi Archidiaconi prædicti fecimus roborari. Teſtes ſunt Arnoldus Decanus, Bernardus Scholaſticus, Bernardus Cantor, Lippoldus de Stocheim. Conradus de Valkenſten. Otto & Ludolphus de Woldenberg. Canonici Hildenesheimenſes. Erneſtus Pincerna Ludolphus Camerarius, Hermannus Oltwardeshuſen. Sifridus de Rutenberg. Thetmarus de Luttem, milites & alii quam plures. Actum & datum Hildenſem. Anno Domini Milleſimo CCmo nonageſimo octavo, in die decollationis beati Johannis Baptiſtæ.

† Sig. Sifridi Dei Gra Epi. Hildenesheimenſis.
† Sig. Hildeneſemenſis Eccleſiæ.
† Sig. Valrudi Præpoſiti-Sci Mauritii Hildeſemen.

Annus Chriſti 1299.

Alberti I. Cæs. 2.

Ab. V. C. 376.

Richenbergenſes bonis aucti.

ANno proxime inſequente cum Albertus habitis Norimbergæ comitiis ad Rhenum Moſellamque deflecteret, nihilque ageret ſollicitius, quam ut principes ad novum Imperium fluctuantes beneficiis deliniret: Eccleſiæ noſtræ vicinaque monaſteria inprimis de augendis bonis ſuis cogitarunt. Richenbergenſe Canonicorum Collegium, quod ſub Bodone præpoſito ſuo efflorescebat, hoc anno a *civibus quibusdam Gerſtedienſibus* recepit unum manſum in Gerſtede: Cui rei aſſenſere *Conradus Meſo, Giſelbertus de Broclede, Wedigo de Aſtveld, Borchardus Bonus, Conradus Copmann, Borchardus Honeſtus, Reinardus de Gradu, Johannes Paſchedog, Johannes de Vedo, Johannes Schlutere, Henricus de Dornten, Johannes Sommer, Hildebrandus de Bokenem, Henricus Municipiator, Johannes Rokesberg, Simon Piſtor, Hillebertus de Fiſtula, Arnoldus Bone, Wedego C.. Tidericus Vogedeke, Johannes Eodo, Conſules Civitatis Goslarienſis. Actum & Datum Annò Dñi milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono X. Kalend. Martii.*

Eadem liberalitate Bertholdus & Johannes fratres de Dolchem Cives Goslarienſes religione tacti dimidium manſum Langesheimenſem eccleſiæ Richenbergenſi obtulerunt, quorum donationem Konemannus Decanus SS. Simonis & Judæ Giſelbertus de Broclede, & Tidericus de Bornemehuſen Burgenſes Goslarienſes hiſce literis teſtati ſunt.

„ NOs *Konemannus* Dei gratia Decanus Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ in Goslaria, *Giſelbertus* dictus de Broclede, *Thidericus* dictus de Bornemehuſen civitatis ejusdem Burgenſes, harum ſerie literarum publice proteſtando recognoſcimus Chriſti fidelibus univerſis, quod *Bertholdus* & *Joannes* dicti de Dolchen fratres dimidium manſum in *Langenzen* ſitum Eccleſiæ Richenbergenſi pertinentem ad manus honorabilis viri Domini *Eodonis* Præpoſiti & Conventus ejusdem Eccleſiæ, cum omni utilitate & uſu fructu inde proveniente, omnium quoque ſuorum hæredum & amicorum accedente conſenſu, voluntarie & liberaliter reſignarunt. In hujus ergo reſignationis, cujus nos una cum *Hildebrando* dicto de Aſtvelde cive Goslarienſi teſtes ſumus, fidem certiorem ac notitiam præſentem literam ſigillorum noſtrorum ſignaculo duximus ſigillandam. Actum & datum anno Dñi. M. CC. XCIX.

An-

Annus Christi 1300.
Alberti I. Cæs. 3.
Ab. V. C. 377.

Bonifacius VIII primum annum jubilæi indicit. *Henr. Stero. p. 403. Henr. Rebdorff. p. 412. Alb. Ar. gent. p. 111. Chron. M. Belg. ad h. ann. Polyd. vergil. l. c. p. m. 598. Munsard. c. 6. de cæremon. Engelh. p. 262. Variæ*

SUbit annus secularis a Christo nato post millesimum centesimus tertius, quo novam & ante hoc dies inauditam festivitatem Bonifacius VIII. Romanus Pontifex excogitavit, sive quod veterum Romanorum profanos mores sequeretur, sive quod e toto terrarum orbe numos colligere cuperet. Literis quippe per orbem emissis omnes gentes Romam evocavit, innumeros indulgentiarum thesauros iis pollicitus, qui limina Apostolorum hoc anno jubileo visitassent. Solent mortales ad novarum rerum conspectum incredibili curiositate convolare, seque ipsos infelices ac sub Herculis sidere natos clamare, nisi se occasio explorandæ rei obtulerit. Idem tunc hominibus istis animi fuit. Adeo frequentes enim Romam ad emendandas indulgentias proruerunt, ut veterem legem Mosaicam, quæ homines ad templum Hierosolymitanum convocabat, resuscitatam, templumque ipsum non Hierosolymis quidem, sed Romæ instauratum credidisses. Non est dubium, quin e nostra etiam civitate plures ad seculare hanc pompam properaverint. Idem enim satis probant tot indulgentiæ a peregrinis Episcopis ecclesiis nostris concessæ, quæ omnes e Laterano prodierunt. Jam pridem earum exemplum Autor Chronici Cœnobii Montis Francorum protulit, quo singuli Episcopi singulis monasterium hoc (quod S. Augustini ordini adstrictum falso scribunt) in SS. Petri & Pauli, ceterorumque Apostolorum nativitatibus, necnon festis nativitatis Christi, Epiphaniæ Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Mariæ, Annunciationis, Purificationis & Assumtionis B. Virginis, Sanctorum præterea Vincentii, Stephani, Laurentii, Michaëlis Arch-Angeli, Nicolai, Martini, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Luciæ, Elisabethæ, Ottiliæ, & Agnetis, omniumque cœlitum commemoratione, aliisque festivitatibus huic ecclesiæ propriis devota mente visitantibus, aut quicquam ad monialium usum elargientibus, singulas dierum quadragenas remittunt. Verum longe splendidiores sunt indulgentiæ, quas ab iisdem ferme Episcopis Ecclesia Montis S. Petri impetravit, Petri quippe non elegantissime tantum conscriptæ, verum etiam longe uberiores. Eas hic integras adscribere juvat:

inde indulgentiæ Goslariam delatæ.

Inprimis monti S. Petri concessæ.

Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis nos Frater Basilius *Jerlitanus Armenorum Frater* Ranucius *Olevitanus &* Adenulphus *Cousanus miseratione divina Archiepiscopi & nos* Adam *Marturanensis*, Robertus *Yerniensis sive Angulus Fesulanus* Benedictus *Draconariensis*, Thomas *Etesiensis*, *Frater* Anthonius *Benadiensis*, Bonifacius *Paremensis*, Bernhardus *Pacensis*, Nicolaus *Neocastrensis*, *Frater* Jacobus *Calcedonsensis & Frater* Nicolaus *Tortibulensis Episcopi salutem in Domino. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate pia vota fidelium de clementissima Apostolorum majestate sperantium, hos præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur ut* Ecclesia conventualis Montis S. Petri *extra muros Goslarienses Hildensemensis dioceses congruis honoribus frequentetur & a Christi fidelibus jugiter veneretur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad dictam Ecclesiam in singulis festivitatibus ipsius beati* Petri *ac* Pauli *& omnium aliorum Apostolorum, nec non Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Asensionis & Pentecostes Domini nostri* Jesu Christi, *& Nativitatis, Annunciationis, Purificationis & Assumptionis* Bt. Mariae *Virginis*, Johannis Baptistae *& Evangelistæ*, Laurentii, Stephani & Bartholomaei *Martirum*, Nicolai & Martini *Confessorum*, Katerinae, Margaritae & Luciae *Virginum in commemoratione omnium sanctorum ac in dedicatione ipsius Ecclesiæ, & per ipsarum festivitatum octavas devote accesserint annuatim, seu qui presbytero ejusdem Ecclesiæ Eucharistiam ad infirmos deferenti devote secerint comitiva, vel qui in cimiterio venerit Ecclie prælibatis pro defunctis ibidem sepultis fideliter exorando. Aut qui ad fabricam libros, luminaria, reparamenta, ornamenta & alia caritatis subsidia manus porrexerit adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis & autoritate confisi singuli singulas dierum quadragenas de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus dummodo ----- In cujus rei testimonium præsentes literas sigillis nostris fecimus communiri. Datum* Laterani. *Anno Domini M. CCC. Indictione XIII. die VI. Decembr. & Pontificatus Domni Bonifacii Pontificis anno sexto.*

Lis inter Albertú Halb. Ep & Abbatiſſam Quedl. Bodoni Richenb Præp. committitur.

Inter hos feſtivos Romæ plauſus Saxonia noſtra exoptatiſſima quiete fruebatur, niſi quod prædones arrepta denuo e reipublicæ motibus occaſione vias obſidere ac peregrinantibus inſidiari cœpiſſent. Præterea Albertus Halberſtadienſis Epiſcopus cum Bertradi II. Quedlinburgenſi Abbatiſſa, neſcio quas, lites agebat, quibus diſcutiendis a ſede Apoſtolica judex conſtitutus Bodo Richenbergenſis Præpoſitus vir præclarus & mira prudentia præditus. Jam locus cognoſcendæ cauſæ conſtitutus fuerat Goslaria noſtra, jam dicta dies, cum ipſi litigantes viarum diſcrimina veriti judicium hoc differri peterent, ſi forte interjecto tempore ex æquo bonoque res componi poſſet. Paruit Bodo Richenbergenſis Præpoſitus, idque his literis utrique parti nunciavit:

* *Albertũ.* ** *Bertra-dim II.* *** *Bodo-nẽ.*

IN cauſa quæ vertitur inter venerabilem Dnũm - * - Halberſtad. Epm̃, parte ex una, & Reverendam Dnãm - - ** Abbatiſſam in Caſtro Quedelingeb. & Capitulum ſuum Canonicarum ſecularium parte ex altera. Coram - - *** Præpoſito in *Richenbergbe* Judice a ſede Aplica delegato, anno Dñi M°CCC°. feria quarta proxima poſt Dñicam Quadrageſimæ, nobis qua cantatur *Invocavit*, prædictis partibus aſſignata, ſicut pluribus vicibus præteritis & elapſis ad interloquendum ſuper exceptionibus, replicationibus & triplicationibus propoſitis & oblatis contra inſtrumenta prædictæ Dñæ - - - - Abbatiſſæ in *Goslaria*, quia malus ſtatus terræ, cujus emendatio eſt dubia & incerta, propter defectum Advocatorum & Aſſeſſorum, qui propter diſcrimina viarum ante dictum locum, videlicet *Goslariam* accedere non poſſunt, in praedicta cauſa, prout dies & terminus deſiderant, nos procedere non permittit. Sane cum Judicis ſit de ſecuritate partibus providere & eisdem parcere in laboribus & expenſis; Ideo aequitate penſata praemiſſam cauſam in eodem ſtatu, in quo nunc exiſtit, de conſenſu partium etiam ſine praefinitione ac aſſignatione certi termini & diei propter bonum pacis & concordiae, quae medio tempore poſſe intervenire ſperatur, in ſuſpenſo habere volumus & praeſentibus prorogatum - - - - - Actum & Datum Anno & die praelibatis.

Anni Chriſti 1301. 1302.
Alberti I. Cæſaris 4. 5.
Ab. V. C. 378. 379.

Alberto Cæſar tres Electores eccleſiaſticos bello domat. *Hiſtor. Auſtr. p. 342. Henr. Rebdorff. p. 412. Levold. a North. Chron. Marcan. p. 255. Ab. Argent. p. 112 Siffrid. Presb. ad ann. 1300. p. 702. Dominic. Colmar. faſti. p. 35.*

AT poſthinc denuo in Imperio tumultuatum eſt, pontifice quippe indignante, Albertum ſe inconſulto ad Imperium admiſſum. Hinc literis ad tres electores Eccleſiaſticos datis monere juſſit Albertum, veniret Romam, deque præreptis Adolpho faſcibus cauſam diceret. Nihil Gerardo Moguntino ad perfidiam proclivius, quippe qui exauctorato nuper Adolpho, quem ipſe præcipue ad Auguſtam dignitatem extulerat, pari levitate Alberto quoque faſces abrogare non dubitabat. Hic itaque Vertumnus arrepta occaſione, quod ſciret Cæſarem minime Pontificis judicio ſtaturum, junctis ſibi Trevirenſi & Colonienſi Archiepiſcopis & Comite Palatino Rheni palam de repudiando Alberto loquebatur. Quæ turbulenta tamen conſilia Alberti celeritas prævertit. Priusquam enim rem ſerio agere liceret, ſtatim cum delecto exercitu ad Rhenum adfuit oppreſſoque comite Palatino & in deditionem accepto eadem felicitate Moguntinum in ordinem cogit, quod factum & Colonienſis & Trevirenſis brevi tempore tubae coacti ſunt. Debellatis Archiepiſcopis mutata-que ſcena Pontifex quoque, ſubito alius, perſonam priſtinam exuere cœpit, depoſitoque odio Albertum non modo miſſum fecit, verum etiam ultro ad ſuſcipiendum diadema Romam invitavit.

Lis inter Comites Wernin. & Walkenred. Monaſt. Scholaſtico SS. Sim. & Judæ committitur. *Ekſtorm. p. 117. Chron. Walkenr.*

Inter haſce turbas Saxonia noſtra veluti extra teli jactum conſtituta ſumma tranquillitate fruebatur, niſi quod Albertus & Fridericus Comites Wernigerodani, Conradi filii nec non Gebhardus de Arnſtein, Canonicus Halberſtadienſis cum Walkenredenſibus colliſi nonnihil turbarum darent, pecoribus quippe Walkenredenſium abactis, frumentoque procul dubio in Schowen intercepto. Re tamen ad Pontificem Romanum delata, cauſa cognoſcenda committitur Scholaſtico eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Goslarienſis, cujus induſtria, uti ſuſpicamur res brevi tempore ad liquidum perducta eſt. Literæ Bonifacii Pontificis ab Ekſtormio prolatæ annum Pontificatus præferunt octavum, qui omnino cum anno M. CCCII. concurrit, unde miramur Ekſtormium hanc litem in annum MCCCIV. referre. Scholaſtici dignitate tum apud nos, ut e literis eccleſiæ SS. Simonis & Judæ patet, defungebatur Rannemannus de Jerxen, qui eo anno MCCCVII. usque ad MCCCXI. præmiſſe dicitur. Alter hic notus de Jerxen, quem in ec-

Quæſtio Scholaſticus fuerit.

cleſia

clesia laudata honoribus perfruitum esse constat, nec dubito quin plurimorum memoria perierit. Nos ex tabulis nostris sequentes observavimus:



Annus Christi 1304.
Alberti I. Cæs. 7.
Ab. V. C. 381.

Gerhardi Moguntini obitus.

PRoximus ãnus nulla alia re in annalibus celebratur magis, quam excessu Gerhardi Moguntini Archiepiscopi, Viri sui pleni ac turbulento ingenio præditi, qui Adolphum mille artibus extulerat, nec minori astutia imperio exuerat; Alberto quoque nuper a se potissimum principibus commendato exitium fuerat minatus sæpius per jocum professus; plures sibi Cæsares in pera esse. Denique cum omnia intestinis dissidiis miscuisset; domi suæ in conclavi sedens subitanea morte oppressus exspiravit.

Theodericus Vicarius Goslariensis captus e turri altissima saltum facit feliciter.

Lis inter hæc ecclesiæ SS. Simonis & Judæ intercesserat cum Remboldo Comite ut opinor Solmensi de bonis quibusdam illic terrarum sitis. Quare causam ecclesiæ suæ acturus eo abiit Theodericus Subdiaconus & Vicarius; qui aliquandiu negotium isthoc magna prudentia curavit. Verum conflata sibi hac re Comitis invidia, iter Wetslariam faciens in captivitatem abripitur a Remboldi ministris, omnibusque rebus spoliatur. Cum igitur in arce Brunigesberg satis diu in vinculis fuisset habitus, ausus est ipso exaltationis & crucis die saltum e turri perexcelso facere; & fortuna non minore quam audacia salutem quærere. Testatur id literis suis Wilhelmus de Isenberch, quas adscribo.

Nos Wilhelmus dñ9 de Ysenborch ad uniuersorum notitiam, quibus hæc litera fuerit exhibita, deuenire cupimus, quod Theodericus subdiaconus, ecclie Scti Matthiæ in Goslaria Vicarius ecclie suæ negotia omnibus, quibus potuit & debuit, diligenter discrete & fideliter procurauit. & quod ipsum in negotio ejusdem ecclie anno Dni MCCCIV. feria quarta proxima ante festum natiuitatis B. Virginis Mariæ misimus Wetslariam, juxta quam ciuitatem in die beati Gorgonii martiris a comite Remboldo captus, pedibus ligatꝰ, castrum Brunigesberg deductus; equo, vestibus, literis quibusdam ecclie suæ spoliatus & pecunia & rebus aliis consistentibus, ibique coactus, ut daret eidem comiti bullam dnl PP. Bonifacii cum omnibus literis judiciaribus actis in causa, quæ inter dictam eccliam Goslariensem & dictum comitem Remboldum per biennium extitit ventilata; a quo tandem in die exaltationis Sctæ crucis per adjutorium diuinum ex casu altissimo de turri liberatus. Quod præsentibus sigilli nri appositione protestamur. Datũ anno dni MºCCCºIIIIº feria quarta post dominicam qua cantatur Oculi.

Sifrid. Hild. Ep. beneficentia in Richenbergenses.

Longe laudabiliori consilio Sifridus Hildes. Episcopus senio jam languens sacrorum curam unice habuit, sibi præpositam seque pietatis operibus in mortem composuit. Hac causa inductus hoc ipso anno Richenbergensibus decimæ Hanendorpiensis proventus liberaliter donavit, confectis ea de re tabulis:

IN nomine Domini Amen. *Sifridus* Dei gratia Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopus omnibus in perpetuum. pastorale nostrum officium exigit & requirit, ut assidue intendamus subditorum nostrorum utilitatibus & quieti. Igitur notum esse volumus tam præsentibus, quam futuris, quod nos moti & inclinati precibus dilectorum nobis in Christo *Bodonis* Præpositi & Conventus in Richenberg dedimus & præsentibus damus eisdem pro remedio animæ nostræ decimam unius mansi & dimidii, cujusdam spatii, *Creber* dicitur, situm apud novam curiam ad *Hanendop* cum omni jure & utilitate perpetuo possidendam. Ut autem hæc nostra donatio firma & inviolabilis perseveret, præsentem literam inde scriptam

sigillis nostro videlicet & nostri Capituli fecimus communiri. Testes sunt *Henricus* Decanus, *Bernardus* Scholasticus, *Bernardus* Cantor, *Otto* Præpositus Montis, *Conradus* de Valkensten, *Bernardus* de Hardenbusch. *Ernestus* de Indagine, Canonici Ecclesiæ nostræ & alii complures fide digni. Actum & datum *Hildesiem*. Anno Domini M.CCC.IV.

Anni Christi 1305. 1306.

Alberti I. Cæs. 8. 9

Ab. V.C. 382. 383.

Johañes de Barú Advocatus Goslariensis.

SEquentibus annis urbi nostræ Advocati titulo præfuit Johannes de Barum, quem anno M.CCC.V. negotio Capitulari transacto testem interfuisse reperio. An vero quicquam egerit dignum, quod in annales eat, incompertum habeo, siquidem fasti historicorum me in hisce barbaris seculis versantem plane destituunt.

Peregrinationes ad sacra loca. *Lezner. lib. 6. c. 13. Chron. Dassel. f. 79.*

Sed nihil his annis in historia frequentius, quam peregrinationum ad sanctorum delubra institutarum memoria. Existimabant enim mortales non alia re facilius sanctas eorum animas propitiari, quam si ad reliquias illorum preces funderent. Ceterum duo inprimis loca reperio, ad quæ præ ceteris homines tunc confluebant. Corbeiam nimirum ad Visurgim & Benhusum pagum prope Eimbeccam. Benhusú etiam Goslarienses nostri quotannis circa Pentecosten profecti cum crucibus, vexillis, cantu ac chordis interfuerunt pompæ, oblatoq; fertone domum redierunt. Longe tamen splendidius Corbeiæ sacra B. Viti peracta sunt, quemadmodum hodieque incredibili solennitate peraguntur. Cum autem e tota Westphalia mirus eo solebat esse concursus hominum: tum præcipue e Brunsvicensi ditione ac urbe nostra frequentes eo commigrarunt, antequam purioris religionis lumen hisce regionibus illuxit. His ipsis annis ab hoc pietatis genere apud nos celebratur Paulus Nomborger, Presbyter & Vicarius Senior ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, qui cum jam quadragesima vice S. Viti festivitati Corbeiæ interfuisset mane coram altari S. Viti prostratus, compositisque manibus orans repentina apoplexia correptus expiravit, ac honorificis exequiis ibidem terræ mandatus est. Id quod Antonii Schmækenburgii Corbeiensis Annalistæ verbis referre libet: *Paulus Nomborger, Presbyter & Senior Vicarius in Gozler, cum jam quadragesima vice festo S. Viti interesset, coram altari & imagine istius S. Viti altero mane procumbens, & devotionem suam habens, repentina apoplexia tactus in momento obit. Sepultus apud nos honeste, summus S. Viti cultor.* Nomborger Cler. Goslar. Corbeiæ inter preces extinctus. *Anton. Schmak. Annal. Corb. p. 406. ap. Paulin.*

Petrus de Rammesb. libidinosus Clericus

Hoc religionis genere tempus tunc terebatur, hominibus multum se a Deo promeruisse ratis, si aut S. Vitum, aut alium divum salutassent. Interea tamen non pauci Clerici, hujus superstitionis auctores Curios simulantes bachanalia vivebant, adeo ut ne quidem a scortis & adulteriis abstinerent. Nihil ex invidia, aut odio scribimus. Extant enim ex hoc ipso anno M.CCC.VI°. acta Capituli Ecclesiæ --- in causa Theoderici de Rammesberch Clerici, quorum partem recensebo. Quidni enim rem barbaram barbaro eorum temporum stylo describamus?

FEria tertia post omnium sanctorum monitus est Theodoricus de Rammelsberch, quod faceret solutionem cum statutis L. Barchenkeller sub pœna claustrali. Intra tempus statutum minime fecit, non solvit, sed intravit claustrum, & fuit chordis usus in vigilia Katherinæ. Tunc petiit dilationem a Capitulo, ut & sibi defalcarent aliquid de statutis. Fuit sibi responsum, quod Domini non essent præsentes, sed in crastina die --- omnes convenirent, sic debeat se rursum dare. Noluit quiescere huic, sed irato animo dixit: Ego apello, & inobediens recessit. In die -- Capitulum sibi objecerunt, quod promisit infra annum ædificare domum & in secundo complere, sub pœna absentiæ, quod minime fecit. Sic pro isto delicto, quo tenetur ecclesiæ & propter id promissum, quo vovit Capitulo, est suspensus a præbenda, donec solveret debitum ecclesiæ & ædificaret domum. Præsentes -- *Theoboldus*, *Himricus* Sagemüller, & *Redeken*, *Johannes* Solling, *Himricus* Busen --- die ut supra in loco Capitulari. Et ibidem habuit die dominica Ceciliæ Acten Wormes, similiter in vigiliæ Katherinæ unam suspectam in loco Capitulari sub dormitorio cum duobus viris. Quando appellavit fuit: XXV. dies Novembris, die mercurii hora quasi quarta post vesperas, & erat quasi ebrius, quia per totum diem habuit solatia cum viris & mulieribus in dormitorio, quod tamen minime fieri debeat.

Adeo his seculis disciplina Cleri laxari cœpit. Et licet non sim tam insipiens, ut quæ a paucis per acta sunt, universo Ordini imputanda putem: nec hoc tamen negari potest, crescentibus tunc indies Cleri corum opibus, vitia etiam creviisse, atque in id demum pervenisse fastigium, supra quod ascendere haut poterant, ut omnes pene cordatiores viri, qui hac ætate floruerunt, uno ore fatentur. Anni

Anni Chriſti 1307. 1308.
Alberti I. Cæſ. 10. *&* 11.
Ab. V. C. 384. 385.

Thuringia ab Alberto Cæſare vexata.

AT annus ſeculi decimi quarti ſeptimus e priſtina tranquillitate in novos bellorum tumultus Saxoniam conjecit, quamvis vicinia noſtra hæc incendia non niſi in proxima Thuringia e longinquo intueretur. Thuringi enim, & in his Iſenacenſis civitas potentia freta ab officio dilapſi Alberto Cæſari ſe ſubjicere auſi fuerant, quibus non difficulter aſſenſus eſt Albertus, hanc provinciam ab Adolpho Imperio redemtam eſſe prætexens. Verum eo fortius repugnabant Fridericus & Theodoricus & Theodericus Marchiones, qui Alberti copiis occurrentes, eas ad Luccam tam cruento prælio profligarunt, ut funeſta ſtrages in proverbium abierit: *Accidit eis, quod Suevis ad Luccam.* Theoderico deinde Marchione a Philippo Naſſovio, ut ferunt, Lipſiæ inter ſacra nocturna trucidato, Fridericus frater ultionem ſpirans inter Bornam atque Fribergam denuo Suevos aggreſſus plurimis cæſis ipſius quoque Philippi Naſſovii nece fratris manibus parentavit.

Fabric. l. 6 Orig. Sax. f. 628. Hiſt. Landgr. Thur. c. 81. p. 933. Sifrid. Presb. ad h. ann. p. 704. Paulin. Chron. Iſen. p. 70.

Alberti Cæſaris cædes.

Verum triſte hoc bellum abrupit funeſtus Alberti Cæſaris interitus, qualem a Philippi Regis cruenta nece Germania non adſpexerat. Parricidii autor creditur Johannes, ejus e fratre nepos, cujus tutelam a morte parentis ſuſceperat. Sed juvenis ferox & moræ impatiens paternam hæreditatem ſibi tamdiu detineri moleſte ferens, peſſimisque monitoribus præbens aures de cæde patrui cum equitibus quibusdam conſpirat, quorum auxilio Cæſarem per viam publicam equitantem nihilq; mali ſuſpicantem aggreſſus multis eum vulneribus conſodit. Alter hic e Germanorum gente Imperator ſacrilegis ſicariorum manibus interemtus, princeps egregius, & cunctis ſeculis memorandus, ſi eadem induſtria, qua ornandæ familiæ dabat operam, Imperii etiam negotia priorum Cæſarum more peregiſſet. Ineptit ergo Engelhuſius: *Albertus*, inquiens, *Imperator a Johanne filio fratris ſui ad prandium invitatus nequiter occiſus eſt in balneo, cum LXXX. ſervis. Quem uxor ejus Spira ſolemniter ſepelivit & ærarium aperiens omnes illius occiſores captos ſuſpendit.*

Henric. Henric. Luzelburgen. Chron. Brunſv. p. 232. Henric. Rebdorff. p. 413. Ildalr. & Conr. Welling. p. 406. Chron. ap. Freher. Beneven. a Rambold. p. 13. lib. Aug. Engelh. Chron. p. 264.

Henricus Luzelburgenſis Imperator electus.

Cæſo per inſidias Alberto taſces ab Auſtriaco gente pauliſper abfuerunt, forte ut aliorum comparatione eo dilucidius conſtaret, quantum ab Auſtriacorum virtute plures alii diſtent. Ineunte enim jam hyeme Electores Francofurti congregati elegerunt Henricum Luzelburgenſem Comitem, principem toga ſagoque celebrem, remque publicam ad priſtinam majeſtatem provecturum, ſi per fata licuiſſet.

Equites Templarii extirpati.

Incidunt etiam in hos annos lanienæ Templariorum primordia, tam cruenta ac inhumana, ut ipſam paganorum Cæſarum crudelitatem longo poſt ſe intervallo relinquant. Equeſtris hic ordo binis abhinc ſeculis Hieroſolymis natus, viatoribus ſacra loca adeuntibus præſidio adverſus barbarorum latrocinia fuerat. Interjecto vero tempore opibus potentiaque auctus adeo totum Chriſtianum orbem impleverat, ut ultra novem Maneriorum, ſeu domiciliorum millia poſſediſſe dicatur Matthæo Pariſio. Hiſce opibus inprimis inhiabat Philippus Galliæ Rex, qui ut iis eo ſecurius potiretur, inhumanorum plane ſcelerum Templarios poſtulavit, eſſe hæc humani generis opprobria, Chriſtianique nominis hoſtes juratos, qui rejecto Chriſti cultu idolum cincinnis hirſutum venerentur, nates novitiis oſculandos offerant, ſacras imagines conſpuant, libidinibus denique tam inceſtis ſe polluant, ut vix humani quidquam in iis manſiſſe reliquum videatur. Hinc inaudita plane crudelitate in reos per Galliam ſævitum eſt, nobiliſſimi juvenes, & multis majorum imaginibus clari diris quæſtionibus ſubjecti, lento igne uſtulati, omni denique cruciatuum genere enecti ſunt, medias inter flammas clamitantes, ordinem ſuum injuſte opprimi, nec impietate, nec vaga libidine unquam ſe delectatos, ultorem fore Deum juſtum judicem, ad ejus tribunal cunctos ſe perſecutores evocare. Jacta in Galliæ provinciis alea, Germani etiam licet paulo mitiores de Templariis e medio tellendis cogitarunt. Pluribus jam in locis ideo Epiſcopi cauſam eorum cognituri convenerant, ſed irrito ubique eventu, donec anno M. CCC. XI. in Viennenſi Concilio communi Patrum conſenſu eorum abolitio decerneretur. Ex eo tempore promiſcue per orbem terrarum peremti nusquam tamen mitius, quam in Saxonia noſtra habiti ſunt, ubi pleriq; omnes carnificum manus effugerunt, ſive quod multi generoſorum virorum miſerti eos clam dimitterent, ſive quod ex ipſa Brunſvicenſi domo Otto Alberti M. filius inter hos equites nomen fuerat profeſſus, cujus in gratiam reliquorum etiam patrocinium ſuſcepiſſe Duces Brunſvicenſes credibile eſt. Bona tamen eorum ſatis opima; qualia etiam in vicinia noſtro celebrantur; Bodenſteinium, Heinda, Luttera, Reuden, Barum & Weddi, partim Johannitis, partim aliis eccleſiis ceſſere. Heindæ tunc vixere Walmodii nonnulli, eidem ordini addicti, qui cum feralem de ſe ſententiam pronunciatam reſciviſſent, moniti ab amicis mutato habitu aufugerunt; & Hildeſiæ in Paulinorum monaſterio delituerunt, donec abjecto Templariorum habitu veniam impetrarent. Eſt hæc triſtis Templariorum tragœdia. Non equidem eos ceteris purius ſanctiusque vixiſſe aſſerimus, [dudum enim caſte ſobrieque vivendi ratio e medio ſublata fuerat: ipſique templarii ita compotationibus

Fabric. l. 6. f. 628. Hiſt. Landgr. Thur. c. 81. p. 933. Sifrid. Presb. ad h. ann. p. 704. Paulin. Chron. Iſen. p. 70. Ildalr. Conr. Welling. Chron. p. 407. Henr. Rebdorff. p. 418. Lezner. l. 3. c. 12. f. 78. & c. 28 f. 91. Chrō Daſſil. & l. 2. c. 36. Chron. Hildes. MSC. Petr. Puteanus. lib. ſing. de extirp. Templ. in Gall. Cranz. lib 9. cap. 6. Metrop. p. 240. Goguin. lib. 7. c. 16. Spangenb. l. 1. Spec. nobil. cap. 55. Ertwin. Chron. Osnabrug p. 221. Parulip. Vrſp. p. 345. Naucler. gener. 44. p. 244. Drexel. c. 3. §. 2. de trib. Chriſti. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 232. Quomodo in Saxonia tractati?

nibus assidue vacabant, ut in proverbium abierit Templariorum bibacitas) attamen totum ordinem nec convictum, nec confessum causa incognita capitis damnari, id profecto ab omni sana ratione abhorret, ipsique humanitati repugnat. Vnde & hominum tanta fuit de cæsorum innocentia opinio, ut eos tanquam martyres colerent.

Hermannus Decanus SS. Sim. & Jud.

Inter hæc Decani munere apud nos perfunctus est Hermannus cujus memoriam publicæ Borchardi de Wildenstein tabulæ in Grauhoffiano tabulario servatæ suggerunt, quas ita signavit Hermannus: *Nos quoque Hermannus Decanus Ecclesiæ SS. Simonis & Jude in Goslaria, predicti ad instantiam Dom. Borchardi de Wiltenstein militis & filiorum suorum predictorum, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Hujus rei testes sunt Dominus Ghiselbertus dictus de Wiltenstein frater meus, Dnus Anno dictus de Govvische Senior, Canonici predictæ Goslariensis Ecclesiæ, Dnus Hermannus dictus de Govvische Miles, Henricus dictus de Piscina Hermannus dictus Eppelecke & plures alii fide digni. Actum & datum Anno Dom. M. CCC. VIIIo. In die Sanct. Martyrum Gervasii & Prothasii.*

derentur. Hinc lustratis provinciis, Spiram quoque accessit, ubi Albertum & Adolphum Cæsares tumultuaria opera sepultos augusto monumento intulit, tamque propinquos sibi invicem jussit collocari, ut vix palmum distarent. Adeo quos vasta Germania simul haut capiebat, idem tumulus in se tenuit nec invitos nec repugnantes. *Leuvold. a North. p. 397. catal. Archiep. Col. p. 10. Lehman. l. 7. c. 11. Chr. Spir. p. 735.*

Suscepto diademate Cæsar, ut erat magno animo præditus, statim Italico itineri se accinxit, rem ausus a Friderici II. temporibus plane insolitam. Ægre enim ferebat optimus princeps, nobilissimam provinciam inter pristinos Germaniæ tumultus ab Imperio avulsam, Pontificiisque in prædam cessisse. Missis ergo Avionem legatis, qui coronam more majorum a Pontifice poscerent, ipse interea contrahendis copiis delectibus instituendis vacavit. Quamvis autem initio Clemens Papa non alienum se ostenderet, mox tamen ubi de apparatu Henrici pervulgatum est, mutato consilio, variis artibus eum ab instituto retrahere, plurimaque impedimenta objicere non dubitavit, veritus ne spolia repeteret, quæ non sine cruore antecessores sui rapuissent. Vicit tamen Cæsaris voluntas, & expeditio magno principum consensu in sequentem annum decreta est. Expeditio in Italiam decreta. *Vecer. l. c. Lehm. l. 7. c. 11. Chron. Spir. p. 735.*

Multo largiori beneficio idem Clemens Pontifex ornavit Montis S. Gorgii Canonicorum collegium, cui omnia jura, privilegia ac facultates confirmavit, misso hoc diplomate, quod tanquam scutum raptoribus objicerent: Mons. S. Georgii confirmatione bonorum suorum a Pontifice impetrat.

Annus Christi 1309.
Henrici VII. Cæs. I.
Ab. V. C. 386.

Henrici VII. initia. *Vecer. gest. Henr. VII. p. 463 ap. Reub.*

AT Henricus Lutzelburgicus nuper Alberto Cæsari subrogatus hoc ipso ineunte anno Aquisgrani in Carolina basilica inunctus est, tam festivis applausibus, ut omnes sibi de optimo principe gratulari vi-

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Præposito & Conventui *Montis S. Georgii* apud *Goslariam*, per præpositum solito gubernari, ordinis Augustini, Hildesem. Dioc. salutem & benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Dno filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia, vel alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & principibus ac aliis Christi fidelibus vobis & monasterio prædicto indultas, sicut ea omnia juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum *Avignioni* Non. Jun. Pontificatus nostri anno V.

Gherardus de Querenvorde Ecclesiæ SS. Sim. & Jud. Præp.

Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ, cujus a tanto temporis intervallo nullum Præpositum nobis expiscari licuit: per hæc tempora præfuere *Gerhardus* de Querenvorde Præpositus & Hermannus *Solamen*, Decanus, qui hoc ipso anno totius Capituli consensu omnium personarum, bonorum, beneficiorum, obedientiarum censum egerunt. Cujus acta sic ordiuntur:

Census in hac ecclesia actus.

Anno gratiæ MCCCIX. Hildensem. Episcopi *Sifridi* dicti de Querenvorde anno Pontificatus XXIX. facta est descriptio in Gos-

Goslarienſis eccleſia tam prælatorum, quam Canonicorum tunc temporis exiſtentium & obedientiarum & omnium beneficiorum ad eandem eccleſiam pertinentium. Erat tunc temporis præpoſitus *Gherardus* dictus de Quérenvorde & Decanus dictus *Hermannus Solamen.* ***---

Breve hoc monumentum vel ideo tamen magni mihi videtur habendum, quòd res nonnullas alibi non facile obvias inde licebit haurire. Primo enim occurrit in eo Præpoſitus *Gerardus* de *Qucrenverde* Præpoſitus hujus eccleſiæ, quem alibi fruſtra quæſiveris. Natus is fuit ex illuſtri Comitum Querfurtenſium familia, ex qua & Sifridus Epiſcopus & Conradus Præpoſitus Hildeſienſis major eodem tempore celebrantur, quamvis neque Conradus nec Gevehardus ab Henningelio & Hoppenrodio in genealogia iſtorum Comitum ſint collocati. Geverhardus, ſive Gherhardus noſter, non modo Præpoſitus Goslarienſis erat, ſed & eundem dignitatis gradum in Hildeſienſi Cathedrali eccleſia tenebat, ut & Halberſtadii ubi Cellarii munere fungebatur. Video equidem eum à Dn. Conr. Bertholdo Behrens in Catalogum Præpoſitorum Hildeſienſium relatum, ſed ex qua familia prodierit virum doctiſſimum videtur latuiſſe, unde pauca de illo dedit. Attamen Quervordenſem Comitem fuiſſe compertum habeo ex ipſius diplomate anno 1298. dato, quod ita orditur: *Nos Ghevehardus Hildenſ. eccliæ Præpoſitus ac Halberſtadienſis eccleſiæ Cellarius, dictus de Querenvorde.* Quamvis autè ineunte ſeculo decimo quarto præpoſituram Hildeſienſem neſcio qua de cauſa videatur reſignaſſe, apud nos tamè eâ dignitatè in hæc ipſa usq; tempora retinuit, quâ jâ plures ex majoribus tenuerant.

Henning. Op. Gen. p. 104.

Behrens Catal. Præpoſ. Hildeſ. p. 8

Deinde & hoc inde conſtat, quod Sifridus Hildeſienſis Epiſcopus in hæc usq; tempora lucis hujus uſura fruitus ſit, quem ante triennium jam obiiſſe credidit Reutelius. Jam verò cum literæ extent Henrici ejus in Epiſcopatu ſucceſſoris, inſequente anno circa Pentecoſtes feſtivitatem datæ, patet eum appetente jam vere anno M.CCC.X. ad meliora evolaſſe, in quod tempus & Bruſchius & Bucelinus & Chronicon meum MSC. Hildeſienſium Epiſcoporum conſentiunt.

Bucelin. Tom. I. Germ. ſ. p. 19.

Denique idem monumentum nobis prodit cognomen Hermanni Decani, quem antea e literis Montis S. Georgii in lucem protraximus. Vocatur enim hic Hermannus Solamen, quod loco Germanici Troſt more ſeculi invectum in literas eſt. Troſtiorum ſane familiam non ignotam in hac civitate fuiſſe, cum aliûnde, tum e Chronico Montis Francorum conſtare poterit.

Anni Chriſti 1310. 1311.
Henrici VII. Cæſ. 2. 3.
Al. V. C. 387. 388.

SIfrido itaque Hildeſienſi Epiſcopo, viro ſanctiſſimo V. Cal. Maji ad plures abeunti ex illuſtriſſima Woldenbergenſium familia ſubrogatur Henricus, a caſtitate illibata præcipue commendatus, qui multis acceſſionibus epiſcopatum ſuum auxit, licet mox invidiam vicinorum ſubire coactus. Anno demum MCCCXVIII. cum Avinionem cauſam dicturus coram pontifice proficiſceretur, ſubitaneo morbo correptus expiravit. Nos morem noſtrum ſecuti hujus quoque Epiſcopi res geſtas vicinam noſtram ſpectantes in annales referemus.

Hild. Ep. creatur. *Reut. p. 98* *Chron. Ep. Hildeſ. MSC. c. 36. Cranz. l. 9. metr. c. 3. p. 238.* *Bucelin. Germ. S. part. 1. p. 19*

Bruſch. c. 11. n. 34. p. 1052. ſq.

Imperator interea per Helvetiam in Italiam penetrans miro civitatum plauſu exceptus, Mediolanum, ceterasque Lombardiæ urbes ſalutat, multisque muneribus locupletatur. Cremonam deinde, Brixiam, & ceteras civitates, quæ ab officio deſciverant aggreſſus partim minis & extremorum denunciatione, partim metu in deditionem ſuſcepit. Omni demum Lombardia victricibus armis perdomita, exercitusque per agros diviſo, ipſe Genuam in in hyberna conceſſit.

Cæſaris geſta in Italia. *Vecer. p. 464. Alb. Argent. p. 116.*

Richenbergenſis Eccleſia hoc tempore cum Henrico Hildeſienſi Epiſcopo aliquantulum colliſa eſt ob decimarum quarundam proventus e novalibus ad agriculturam redactis redeuntes, quos ſibi Epiſcopus vindicabat. Litis tamen pertæſi Richenbergenſes rem Epiſcopi arbitrio permiſerunt, qui decimam in quæſtionem venientem liberali donatione Richenbergenſibus contulit. Nec immemores accepti beneficii Richenbergenſes alios decimæ reditus Dorntehuſanos Eccleſiæ Hildeſienſi obtulerunt. Negotium Hildeſiæ transactum Anno M. CCC. XI. die beatorum Gordiani & Epimachi. Cum tamen pendente adhuc lite Richenbergenſes privilegium quoddam Bertholdi Epiſcopi in teſtimonium proferrent, *Hermannus* Decanus SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ, *Borchardus* Præpoſitus Montis S. Georgii & *Tidericus* Præpoſitus Novi Operis apographum cum membrana accurate coincidere teſtati ſunt.

Epiſcopi Hildeſ. & Richenbergenſium mutua liberalitas. *Litera Richenb.*

At Francobergenſis conventus tunc ſub Alexandro Præpoſito ſuo, ut e Chronico Montis Francorum conſtat, ſatis feliciter egit, areis etiam quibusdam incultis hoc anno aratro ſubactis. Id quod ratum habuit *Arnoldus* Theſaurarius eccleſiæ B. B. Simonis & Judæ, literis hanc in rem datis adhibitisque teſtibus *Friderico, Bodone & Hermanno de Gradu, præpoſitis Richenberge commorantibus Konemanno Scholaſtico Eccleſia Apoſtolorum Simonis & Jude, Fratre Conrado ab Hardenberg, ordinis Minoris, Aſchwino de Saldere, Hermanno de Gowiſche militibus, Siffrido Scap, Giſelberto de Broclede aliisque. Actum & dat. anno Domini M. CCC. XI. die B. Johannis baptiſte.*

Res Franckenbergenſes. *Chron. Coenob. Mont. Franc. p. 57.*

An.

Anni Christi 1312. 1313.
Henrici VII. Cæs. 4. & ult.
Ab. V. C. 389. 399

Cæsaris in Italia felicitas & coronatio. *Vecer. vit. Henr. VII p. 466. Alb. Argent p. 117. Trithem. ad h. ann.*

VExabatur adhuc Henricus Cæsar in Italia, ubi omnia ipsi ad vota fluebant. Rebus enim in Longobardia constitutis mox ingenti agmine Germanorum stipatus Romam pergit, Viterbio etiam, quæ dicto minus fuerat audiens, ex itinere intercepta. Romam ubi venit omnia inter Gibellinorum & Guelphorum diras factiones fluctuare reperit. Vrbem ipsam Pontificis nomine insidebat Robertus Apuliæ Dux, qui Vrsinorum potentia fretus manibus pedibusque obnixe omnia faciebat, ne diademate Henricus potiretur. Sed & Cardinales a Pontifice missi ad peragenda coronationis solennia, moras jam nectere ac repulsam Imperatori dare audebant. Denique ad arma itum, quo conflictu Vrsinis cum Roberto ex urbe pulsis Cardinales etiam tanto terrore perculsi sunt, ut ultro jam offerrent, quod paulo ante insigni pertinacia negaverant. Henricus itaque inter innumeras civium Romanorum congratulationes suscepto diademate, rebusque in urbe ad summam tranquillitatem compositis victrices aquilas per reliquas Italiæ provincias circumferebat, continuatisque trophæis quicquid ab Alpibus Romam usque patet, Imperio postliminio vindicabat, tanto Guelphorum Pontificisque terrore, ut Fridericos Cæsares in Henrico sibi resuscitatos crederent.

Cæsaris funestus obitus. *Conrad. Vecer. p. 467. Alb. Argentin p. 118. Vdalr. & Conr. Welling. p. 407. Henr. Rebdorff. p. 417. Vet rythmi ap Freher. append. ad tom. 1. rer. Germ p. 16. Pan. Iul Lang. Chron. Citiz. ad h. ann. p. 826.*

Visa tamen est paulo post a seipsa discordare fortuna, magnaque invidia ejus felices armorum successus abrumpere, quos mira clementia paulo ante adjuverat. Rebus ubique ex voto confectis Roberto Apulo solenniter proscripto, ultionem minabatur Henricus, obtriturus reipublicæ hostem, quem Clemens Pontifex Avinione hærens in ejus odium sollicitaverat. Veriti itaq; Guelphi, ne factio sua debellato Roberto plane opprimeretur, nihil habuere antiquius, quam Cæsaris victoriis ponere obicem, Pontificisque dominatum in Italia stabilire. Veruntamen cum se impares felicissimo Cæsari esse animadverterent, dolis rem agere aggressi, Dominicanum quendam monachum, ut fama est, pecunia corruptum huc induxerunt, ut Henricum sacra Eucharistica refici cupientem, pane venenato necaret. Nec caruit res successu. Ea enim religione erat optimus princeps, ut teste Cuspiniano, sacram Eucharistiam aliquando quotidie, aliquando summis festis acciperet, quã cũ tunc etiá levi morbo correptus expeteret, venenata hostia intoxicatus paulo post expiravit, princeps *Averse*, cujus mors reipublicæ tam fuit luctuosus, *l. 7. p. 551.* quam felix & necessaria vita fuerat. Scio de *Arnold. l.* mortis genere varie inter scriptores dispu- *14. c. 1. hist.* tari, pontificiis quippe tam propudiosum *eccl. & hoc* scelus omni nisu a se amolientibus, *rer. p. 313.* eumque morbo naturæ debitum red- *Benevt.* didisse ferentibus. Plures tamen scri- *nut. de* ptores parricidium hoc non silent, ceteri *Rambald.* metu & partium studio videntur mussitare. *lib. Au-* Extant sane vetusti rythmi a Freherо editi, *gust. p. 13.* eodem ferme tempore, quo Henricus peri- *Vern.* it, scripti, quibus hoc scelus satis graviter *Rolu fasc* pro temporum illorum ignorantia recen- *temp. ar. 6.* setur. Addere possemus Henricum Reb- *fol. 83. sq.* dorfiensem, Benevenutum de Rambaldis, *ap. Pistor.* Albertum Argentinensem, Paulum Langium, Platinam, Aventinum, aliosque innumeros, si causam hic agere liberet. Unicum subjungimus Vecerii judicium, quod se vel maxime ob modestiam commendat: *Nobis potius in medio relinquere placet disputationem funestam, quam de infanda audaciæ fama certam proferre sententiam.*

Hildesienses turbæ. *Cranz. l. 9 metr. c. 3. p. 258. Bunting. Chron. Brunsv. part. 1. p. 232. Chron. Corneb. Mont. Franc. p. 65. Rentel. p. 61.*

Saxonia nostra non multo felicior novis hoc anno motibus concussa est, eo funestioribus, quo propius a Goslaria nostra absuerunt. Henricus qui nuper ad Episcopatum Hildesiensem fuerat provectus, Hildesiensibus minus probatus, multa suorum odia sustinebat, quod cives se paulo durius ab antecessoribus habitos quererentur. Hinc armis opibusque subnixi ingenti animo dominatum Episcopi exuere, seque in libertatem vindicare ausi sunt, inprimis cum nihil esset eo tempore usitatius, quam ut civitates paulo opulentiores principum imperia sensim exuerent, seque initius, quam ceteros subditos haberi vellent. At Episcopus, quamvis esset quietis otiique cupidissimus, ne tamen res ad seditionem perveniret, conscriptis copiis urbem obsidione territam, imperata facere coëgit. Cives tamen tantum abest, ut æquo animo Episcopum ferrent, ut occasionem potius speculari viderentur, jugum abjiciendi, quæ consilia disjecturus Episcopus arcem munitissimam e regione urbis molitus est, quam a fundationis causis Steuerwald quasi Steuer-Gewalt/appellavit. Interea ad Henricum Cæsarem profectus ab eodem Dassilensia bona a Sifrido coëmta feudi titulo obtinuit.

Richenbergenses fortunis aucti.

Feliciores multo Richenbergenses, quibus cum Bodone nuper Fridericus Præpositus præesse cœperat, de augendis monasterii facultatibus admodum sollicitus. Hic primo statim præposituræ anno mansum in agro Hanendorpiensi ab Henrico comite Slademensi coëmit, cujus diploma illustris familiæ dudum extinctæ causa hic proferre non piget:

NOs *Henricus* Dei gratia Comes de Sladum recognoscimus publice literam per præsentem, quod nos cum bona deliberatione & consensu omnium hæredum nostrorum, quorum interfuit, vendidimus honorabili viro Dñó *Friderico* Præposito & Conventui Ecclesiæ Richenbergensis pro viginti octo marcis puri argenti, & in proprium tradidimus unum mansum

sum nostræ proprietatis, ab omni jugo & Advocatiæ liberum, situm in villa & campis Hanendorpe, quem olim *Conradus* cum Pugno habuit, cum omni utilitate & omnibus pertinentiis suis, tam in villa, quam in campis prædictis, quiete & pacifice absque nostra vel hæredum nostrorum impeditione qualibet, perpetuis temporibus possidendum: Eosdemque Præpositum & Conventum in ejusdem mansi corporalem misimus & mittimus possessionem, literam per præsentem. Debentes nihilominus & volentes eis veram & justam de eodem manso facere Warandiam, quandocunque ab eis fuerimus requisiti. Ceterum pueri nostri, quos nunc habemus videlicet *Mynerus*, *Albertus*, & *Adelhardus*, cum ad annos discretionis & legitimos pervenerint, hujusmodi nostram venditionem rectam & firmam tenebunt, & omni juri, quod ad ipsos in tali manso devolvi posset, penitus renunciabunt, pro his siquidem pueris nostris & pro hujus rei processu una nobiscum *Conradus* de Sowingne, *Fridericus* de Bunede, *Ludovicus* de Lochtene, *Johannes* Friso milites fide data firmiter promiserunt, dum tamen ipsi, cum pueri nostri prædicti ad annos discretionis pervenerint, fuerint requisiti. Sed postquam hi rem hujusmodi perfecerint, & tunc milites prædicti erunt ab hujusmodi promisso liberi penitus & exemti. In hujus ergo rei robur indeficiens & testimonium evidens duximus præsentem literam prædictæ ecclesiæ Richenbergensi traditam super prædicto contractu sigilli nostri appensione firmiter roborandam. Actum & datum Aõ Domini M. CCC. XII. In vigilia B. Martini Episcopi & Confessoris.

Civitas Goslariensis excõmunicata absolvitur. *Ex literis ecclesiæ SS. Sim. & Jud.*

Civitas e contrario nostra communem per hæc tempora subiit Christiani orbis fortunam, sæpiuscule nimirum cum Clero collisa. Erat e fece hominum nescio quis, qui gravi se delicto polluerat, justamque Senatus nostri promeruerat animadversionem. Sed homuncio, vitæ suæ timens, fugaque in curiam quandam claustralem se propipiens, lictorum insequentium celeritatem elusit. Ideo Senatus sceleris ultor reum e curia extrahi jussit. Graviter ea res commovit Canonicorum Capitulum, forte quod se imprudentibus id factum fuerat. Hinc litem movit senatui, prolatisq; Pontificum, Cæsarumque privilegiis, quibus de plena securitate ecclesiæ cautum fuerat, ostendit, civitatem re ipsa excommunicationis sententiam incidisse. Suspensis aliquandiu sacris, ac lite diutius protracta demum cognoscendæ causæ judex deligitur Henticus Hildesiensis Episcopus, cujus industria iis legibus concordia restabilitur, ut civitas ab excommunicatione soluta lumen perpetuum in ecclesia aleret, à violandisque ecclesiæ bonis imposterum abstineret; ecclesia vero tabernas publicas civitati detrimento futuras penitus abrogaret. Transactum negotium anno M.CCC.XIII. die Mauritii & Sororum ejus.

Anni Christi 1314. 1315.
Ludovici IV. & Friderici III. Reg. 1. 2.
Ab. V. C. 391. 392.

Dissidia in electione Cæsaris. *Alb. Arg. p. 119. Bzov. l. 17. annal.*

HEnrici VII. nuper in Italia funesta morte extincti fatum protinus ingens rerum omnium perturbatio consecuta est. Septem viri enim cum Francofurtum ad electionem convenissent, inter diversos Candidatos fluctuantes de novo salutando rege decertarunt. Dissidio demum diutius protracto, Moguntinus, Trevensis, Bohemus & Brandeburgicus elegere Ludovicum Ducem Bavariæ, principem, quicquid Bzovius garriat, magnanimum & dignitatis Augustæ servantissimum. Ceteri in Fridericum Austriacum Alberti Cæsaris filium, non minore virtute ac prudentia præditum consenserunt. Ex quo dissidio scissa in duas partes republica tot turbæ Germaniam afflixerunt, ut ex iis respirare diutissime haut potuerit. Capto tamen anno M.CCCXXII. Friderico Austriaco & in diuturna custodia detento penes Ludovicum Bavarum imperium permansit, felicem principem ac Imperio utilissimum, si Pontificis effugere odium potuisset. *Eccles. & contra eum Hervvartus in apol. Ludovici. Henric. Rebdorf. 421. Udalr. & Conr. Welling. Chron. p. 408.*

Fames & pestis per Saxoniam.

Inferior Saxonia nostra inter hos quidem publicos tumultus quieta admodum mansit; attamen inaudita fames & frugum caritas quæ totam Germaniam affligebat, vicinam præcipue nostram frugum minus feracem adeo exhausit, ut plures longa inedia perirent. Publicam hanc calamitatem, sæva lues secuta est, omnes fere horum temporum annales signant, maldrum Erfordiensis mensuræ, quatuor marcis purioris argenti, hoc est XXIV. florenis constitis se, peste vero tertiam pene mortalium partem absumtam denarrantes. Annus vulgo hoc Leonino chronosticho notatur: *Engelhus. Chron. p. 266. Chron. Colon. ad h. ann. Levold. a Northof. p. 398 Chr. Markan.*

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CVCVLLVM.

Quo stolidior multo est Germanicus hic hexameter invita Minerva natus:

Ein Meyse/ drey Crayen / drey Vnken wil
set den Hunger.

Plura annales literæque horum tempo- Aschw.
rum non suggerunt, Goslariam nostram de Salviciniamq; spectantia. Extant tamen tabulæ der Ec-
Aschwini de Salder, quibus Advocatiam clef. Ri-
Richenbergensis ecclesiæ dimittit, quæ do- chenb.
cumento sunt, quanto studio ecclesiæ ab ad- advoca-
vocatorum injuriis sese liberare studuerint. tiam re-

Anni Christi 1316. 1317.
Ludovici IV. & Frider. III. *Reg.* 3. 4.
Ab. V. C. 393. 394.

Henrico Dux Brunsv. & Lun. Richenbergens. benefacit.

SEquuntur anni maxime turbulenti, quibus magno animorum motu inter binos Imperii æmulos decertatum est, victore plerumque Ludovico Bavaro potentioribus quippe amicis fulto. Interea meliore consilio Henricus Dux Brunsvico Luneburgensis, Mirabilis cognomine notatus, extrema respiciens Witekindo Garsebuttle sylvæ partem in Wolfshagen ea lege donat, ut eandem ecclesiæ cuidam, cui plurimum faveret, largiatur. Nec abnuit Witekindus, sylvam quippe hancce Richenbergensibus addicens. En ipsum Henrici Ducis diploma:

IN nomine Domini Amen. Ad cavendam versutiam & oblivionem in actibus humanis, expedit eos ex scripturarum testimonio memoriam & robur accipere firmitatis. Hinc est, quod nos Dei gratia *Henricus* Dux de Brunswich omnibus præsentia visuris vel audituris volumus esse notum, quod nos cum consensu hæredum nostrorum medietatem loci seu sylvæ, quæ dicitur *Scherde* jnxta villam *Walffshagen* sitæ, quam scilicet medietatem jam dictæ sylvæ *Nicolaus*, *Albertus* & *Volcmarus* fratres dicti Brunsche a nobis tenuerant in feudo, & libere resignaverunt eandem, donavimus cum pleno jure proprietatis, quod ad nos hactenus pertinuisse innotescitur & donamus liberaliter per præsentes, fideli nostro dilecto *Widekindo* dicto de Garsebuttele, militi ad cultum quidem divinum in ecclesia, quam suo prætulerit affectu, in salutem animarum piorum parentum nostrorum, nostræque, & ipsius nec non progenitorum suorum, eandem sæpedictæ sylvæ medietatem transferendam & in perpetuum libere condonandam. In hujus rei testimonium præsentes literas dedimus, sigilli nostri authentici munimine roboratas, cujus etiam testes sunt *Henricus* dictus de Mutzeval, *Ludolphus* de Metem, *Borchardus* de Wildensten milites nostri fideles & quam plures alii fide digni.

Datum per manus *Tiderici* dicti de Dorstad Notarii nostri anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto. In die Kal. Martii.

Cui & Witekindi literas subnecto:

IN nomine Domini Amen. Ego *Witekindus* dictus de Garsebuttele miles, omnibus præsentium inspectoribus, in perpetuum recognosco, quod ex nutu & inspiratione Dei omnipotentis Domini & Salvatoris nostri *Jesu Christi*, nec non & ob reverentiam ipsius piæ genetricis *Mariæ* virginis perpetuæ dedi & donavi præsentibus literis monasterio in *Richenberge* & omnibus personis inibi Deo jugiter famulantibus medietatem Sylvæ dictæ *Scherde*, prope villam *Wulfeshagen* possidendam quiete & proprie cum omnibus suis pertinentiis ac proventibus & jure, quo vel quibus eandem conquisivi ab illusti principe ac Domino, Domino meo Duce, *Henrico* de Brunschwick ob spem æternæ retributionis & salutem animarum hinc & inde meritum expectantium, maxime cum hæc eadem medietas memoratæ sylvæ in nullos alios usus præterquam in spirituales convertenda sit, docentibus specialiter instrumentis approbationis super hoc datis & confectis. Hujus vero donationis testes sunt Dnus *Borchardus*, Præpositus Montis S. Georgii prope muros Goslariæ, *Johannes* de Oberg, *Hermannus* de Gowische, *Ludolphus* de Meden, *Borchardus* de Wildensten milites, *Albertus* & *Volcmarus* fratres dicti de Gowische famuli & quam plures alii fide digni. In hujus certitudinis evidentiam & majus testimonium meum sigillum una & testium præsentibus sunt appensa. Datum & actum ão incarnationis Domini M. CCC. XVII. sequenti die beati *Andreæ* Apostoli.

Sophia de Walmoden Priorissa Nov. Operis. *Lezn. l. 2. c. 51. Chr. Hildes. MCC.*

In monasterio Novi Operis tunc claruisse Sophiam de Walmoden Priorissam Leznerі Indicio debeo, qui plures hujus cœnobii moniales ex antiquis breviariis collegit.

Annus Christi 1318.
Ludovici IV. & Friderici III. Reg. 5.
Ab. V. C. 395.

ALtero abhinc anno e vivis excessit Albertus pinguis Brunsuicensis ac Luneburgensis Dux princeps nec commemorandus nec tacendus sine cura; a cujus excessu ita paternas provincias diviserunt filii Otto, Magnus atq; Ernestus, ut hic provinciam Gottingensem, ille partem Brunsvicensis ditionis, iste denique reliqua obtineret. Idem annus supremus extitit Henrico

Alberti Dux Brunsvico Luneburgensis obit.

Vt & Henrico9 Hild.Ep. cui succedit Otto Woldenb.

rico Hildesiensi Episcopo, qui cum a suis apud Pontificem delatus Avenionem causam dicturus peteret, in itinere diem obiit supremum. Huic ergo consentientibus Cleri suffragiis subrogatur Otto ejusdem stirpis Woldenbergensis propago, princeps Reutelii judicio prudens & animosus. Jam ab anno MCCXCIV. inter Canonicos Hildesienses cooptatus in diplomatibus occurrit. Mox ad præposituram S. Mauritii adspiravit, quam spartam ita ornavit, ut omnes antecessores suos longo post se intervallo relinqueret. Inprimis aureæ charitatis, quam insigne memoriale vocat Cranzius tunc auctor extitit, qua singulis annis mense Octobri gallina elixa cum flavo & pinguedine affluente jusculo parata, adornata simul recente carne suilla ac pipere aliisque aromatibus adsperso confecta inter egenos distribuitur. A Præpositura S. Mauritii ad majoris Ecclesiæ præposituram transiit, multisque laudabiliter sapienterque gestis hoc ipso anno dignus visus est, qui patruo in Episcopatu succederet. Statim tamen suscepto sacerdotio adversarios nactus est Munchhusios, Engelbostelios aliosque diœceseos Hildesiensis nobiles, qui junctis tumultuariis armis percussoque fœdere agrum vicinum Hildesiensem, quam late patet hinc inde diripiebant. Cui licentiæ modum statuturus Otto Episcopus, contractis subito copiis prædam agentibus ad pagum Osselse occurrit, plurimisque obtritis factionis principes captivos abduxit tantoque ære mulctavit, ut facultatibus ecclesiæ suæ oppignoratis redimendis, novisq; coëmendis sufficeret.

Cranz. l. 9 metrop. c. 12. p. 242. Reutel. p. 92. Chr. Hildesh. Coron. MSC. Hildes. Ep. c. 37. Fabricius Catal. Prep. Hild. p. 8. 9 Leuc. l. 2. Chron. Dassel. c. 3 p. 21.

Hartm. Zabell. Advocatus Gosl. *Ex literis Eccles. SS. Sim. & Jud.*

Nondum sub hæc tempora apud nos desiit Advocatorum officium. Extant enim Hartmanni dicti Zabel Advocati Goslariensis literæ hoc ipso anno consignatæ. Id quod ad supplendum Advocatorum notatium catalogum notandum existimavi.

Anni Christi 1320. 1321.
Ludovici IV. & Friderici III. R. 7. 8.
Ab. V. C. 397. 398.

Tidericus a Stockem Archid. Goslar. *Chron. Cœnob. Mont. Franc. p. 67.* Rectores Capellarum qui nam?

NEc prætereundus hoc loco Tidericus de Stockem Canonicus Hildesiensis, quem Archidiaconi munere his annis apud nos perfunctum ipsius literæ declarant, quibus cœnobium Franckenbergense ad solutionem annuam unius fertonis haut obligari testatur, quamdiu Johannes Plebanus Jerzensis rectoratum ejusdem ecclesiæ administraverit. Discere simul ex hisce literis licet, quis nam tunc Francobergensis ecclesiæ Rector fuerit? Neque enim alii tunc notabantur Rectorum vocabulo, quam ii, quibus capella aut parochia commissa fuerat, ea lege, ut personam idoneam ei præficerent, de certisque reditibus prospicerent. Neque quicquam intererat, an seculares fuerint, an clerici. Mirum ergo nonnullos subtilioris sc. Criticæ studiosos eo delabi, ut eos tantum Rectores vocatos existiment, qui a Theologiæ scientia fuerint inopes, aut Notarii Publici munere simul functi sint. Quasi vero esset ignotum seculis hisce barbaris Notariatus, ut ita dicam, monopolium penes Clerum fuisse. Nihil certe in antiquis instrumentis occurrit frequentius, quam nomina Clericorum, qui simul Apostolica, aut Cæsarea auctoritate notarios se esse profitentur.

Opibus per hæc tempora in vicinia nostra præcipue florebat equestris Borgtorpiorum familia, penes quam simul ecclesiarum complurium advocatiæ erant. Eodem jure Henricus Miles & Alardus famulus fratres de Borchtorpe in septem ecclesiæ Montis S. Petri mansis, partim ad montem Suthberg, partim in Hanendorp & Gittelde sitis, utebantur. Cum tamen hi fratres ære indigentes hanc advocatiam Ludolpho de Gittelde pro XXIV. marcis purioris argenti oppignorassent, laudata vero ecclesia multas inde molestias pateretur: Capitulum hoc cum Burchtorpiis pepigit, ut hanc advocatiam sibi eodem ære oppignorarent, non alia lege redimendam, nisi ipsi Burchtorpii eam administrare vellent. Adeo nihil impensius tunc egerunt ecclesiæ, quam ut se a molestis Advocatorum rapinis liberarent.

Ecclesia Montis S. Petri advocatiam a Borchtorpiis certis legibus redimit. *Ex literis Mont. S. Petri.*

Anni Christi 1222. 1223.
Ludovici IV. Frid. III. Reg. 9. 10.
Ab. V. C. 399. 400.

FErvebant adhuc præcipiti hoc Goslariæ seculo inter æmulos Reges arma civilia, quibus tamen post varios conflictus Fridericus oppressus ac captus in Ludovici venit potestatem. Ausus nimirum Fridericus denuo fuerat post tot clades belli fortunam experiri. Hinc contracto luculento exercitu in Bojorum ditiones irrupit, ferroque facta via omnia hinc inde hostili animo devastavit. Qua clade pervulgata, Ludovicus Bavarus socialibus copiis adjutus ipse quoque adfuit castrisque Friderico oppositis statim exercitum in aciem eduxit. Pugnatum ipso S. Wenceslai die, quo conflictu inclinatæ primum Bavarorum acies terga dare coactæ in certam spem victoriæ Fridericum adduxere. Mox conversi Bavari redintegrato prælio Austriacos in fugam conjecerunt, tantaque strage obtriverunt, ut ipse etiam Fridericus cum aliis principibus viris captus in arcem Trausnitiam abriperetur. Qua cruenta victoria Ludovicus imperio solus potitus nihil habuit antiquius, quam rempublicam multis concussam motibus ad concordiam revocare. Intervenit tamen mox Pontificis odium, quod magna molientem ad fœdas decertationes aliaque consilia traduxit.

Ludovicus Bavarus victo æmulo solus Imperio potitur. *Henr. Rebdorf. p. 422. Chron. Elwang. p. 458. Albert. Argentin. p. 121. sq. Vdalr. & Conr. Welling. Chron. p. 410. Andr. Ratisb. Chron. Bavar. p. 32. Maynard. & Albertus. Comites Sladenses patris dolore ratam*

Contulerat nuper Heinricus Slademensis Comes Richenbergensibus quosdam Abermansos in Hanendorpe, ea lege, ut si filii ad pubertatem perveniissent istam concessionem ratam haberent. Factum ergo hoc est anno M. CCC. XII. uti Maynardi & Alberti literæ docent, quas integras proferre libet, cum de ultimis Slademensibus Comitibus omnia ambigua sint:

Nos habent.

NOs *Maynardus* & *Albertus* fratres filii nobilis viri domini *Henrici* Comitis Sladem. præsentibus contestamur, quod donationem dilecti patris nostri prædicti unius videlicet mansi siti in *Hanendorp*, quem quondam *Conradus* dictus cum Pugno coluerat, Ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis in *Richenberg*, ratificavimus & præsentibus ratificamus, renunciantes omni juri, quod nobis vel nostris successoribus in ipso competit, seu competere in futuro poterit, præsentibus fidelibus nostris Domino *Conrado* de Piscino milite, *Bertholdo* de Dorstad, *Gotfrido* de Inferno nostro advocato, *Johanne* de Suderode famulis & aliis quam plurimis fide dignis. Nos vero *Conradus* de Piscina miles, *Gotfridus* de Inferno, *Johannes* de Suderode famuli prædicti ad rogatus nobilium prædictorum sigilla nostra in testimonium & cautionem firmiorem præsentibus duximus appendenda. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo secundo. Ipso die *Johannis* & *Pauli* Martyrum.

Herizo de Barú jus suum Richenbergensibus resignat.

Eadem Richenbergensis Ecclesia de bonis quibusdam cum Herizone quodam de Barum habuerat controversiam, quam tamen Ruthardus miles de Meinersen hoc anno tam feliciter sopivit, ut Herizo omne jus suum ultro dimitteret. *Testes* proferuntur *Honorabiles Viri Dnus Johannes Thesaurarius Ecclesiæ S. Matthiæ in Goslaria, Dnus Gerzwinus Canonicus, ejusdem ecclesiæ sacerdos Dominus Wilbrandus de Harboldessen, Dnus de Lindede & alii quam plures fide digni. Actum & datum anno Domini MCCCXXII. in die BB. Martyrum Nerei Achillei & Pancratii.*

Ex literis Richenb.

Maria de Mander Monialis scribendo clara.

In Franckenbergensi coenobio tunc claruit Maria de Mander, libris eleganter ac artificiose exaratis laudem consecuta, si audiendus Leznerus.

Lezn. c. 89. opp. MSC. de Monast.

Sæculi præterlapsi facies.

Quartum itaque Goslariæ nostræ seculum, quod huc pertingit, quantam malorum iliadem nobis ob oculos ponit? Modo enim Cæsares a Pontifice exagitatos, modo binos Imperii æmulos inter se collidentes capita, modo rempublicam capite plane destitutam, tumultuariisque nobilium armis ac latrociniis oppressam spectavimus. Cleri perversos mores, sestorum minus necessariorum institutionem, aliosque ritus sensim introductos, plurimas quoque lites, bruta excommunicationum fulmina, & quicquid seculi vitio excogitabant homines, apud nos quoque invaluisse vidimus. Vtinam vero antiquorum commentarii, quos magna cura frustra investigavimus, ætatem tulissent, dubium non est, quin innumeras superstitionis detestandæ notas aliaque cognitu haut indigna petere inde licuisset. Sed neglectu hominum aut contemtu omnes fasti monastici, omnes ecclesiarum annales perierunt. Nec recentiorum scriptorum multum nos juvit industria; quod parce admodum rerum nostrarum rationem aliquam per hæc secula habuerunt. Pleraque ergo e diplomatibus, literis atque actis haurire nos oportuit, quæ cum nobis veluti per transennam res gestas nonnunquam spectandas obtulerint, veniam dabit Lector, si non satis prolixe omnia enarrata invenerit.

ANTI-

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM ET VICINARUM REGIONUM

LIBER IV.

AB ANNO CHRISTI
MCCCXXIV AD MCCCCXXIII.
IMPERANTIBUS

LUDOVICO IV.
GUNTERO & mox CAROLO IV.
WENCESLAO.
RUPERTO.
ET
SIGISMUNDO.

CAESS. AUGG.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM INPRIMIS ECCLESIASTICARUM

LIBER IV.

DE REBUS

Seculo quarto Goslariæ gestis

Ab ANNO Christi 1324 usq; ad 1423.

OVintum ordimur Goslariæ nostræ seculum, parum quietum, multisque civilibus discordiis turbidum. Imperatores penes quos per hoc decurrens seculum fasces Imperii fuerunt, multis Pontificum Romanorum Principumque artitibus vexati, majori plerumque animo quam fortuna reipublicæ jura tuiti sunt. Ludovico enim Bavaro Carolus Bohemus, Carolo Guntherus Schwartzburgicus oppositi. Unde inter continua bella turbasque perpetuas imperium fluctuavit. Successit his Wenceslaus, iners & propudiosus homo, cui nec animus quidem fuit rempublicam cum laude gerendi. Hinc a clavo Imperii deturbatus locum fecit Ruperto Palatino, quo extincto denuo distractis Electorum suffragiis a nonnullis Jodocus Moraviæ Marchio, ab aliis Sigismundus Rex Hungariæ Reges Romanorum salutantur. Finita demum mox discordia & Jodoco ad plures abeunte Sigismundus equidem ab æmulo liberatus inveteratis reipublicæ morbis mederi summo studio tentavit: Sed hanc curam ipsa morborum malignitas respuit. Incidit enim ejus ætas in calamitosa reip. tempora, mediumque rerum omnium certamen, cui ipsa salus frustra adhibuisset medicinam. Nec serenior ecclesiæ facies, prope dixerim multo deterior apparebat. Pontificum avaritia, crudelitas, ambitio ac improbitas eo usque jam pervenerant, ut quo progrederetur amplius, non haberet. Crescebant opes oscitantibus Cæsaribus extortæ, tantusque erat Romanorum Pontificum ceterisque Cleri splendor, ut pauper præ illis Crassus posset videri. Nec omittendus hic indulgentiarum mercatus, qui per hæc tempora maximo ecclesiæ detrimento invaluerat. Percurrebant terrarum orbem monachi quidam in obsequium servile submissi, palliati mendici, totius Christiani orbis opes Romam aut Avinionem comportantes. Auream ætatem rediisse crederes: Adeo jam omnia spirabant aurum, ipsumque cœlum auro venale exponebatur. Tam manifestum hoc malum erat, ut in omnium oculos incurreret. Hinc Cæsares nonnulli ac Reges de instauranda veteri disciplina, abrogandisque pessimis abusibus serio cogitabant, sed irrito plerumque conatu, sive quod meticulositate quadam mitius cum sanctissimis patribus agendum putarent, sive quod præpostere nimis rem aggrederentur. Celeberrima inter has tenebras illuxerant Jo. Wiclefi Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis ingenia sine, exemplo maxima, qua tanto acumine publicos errores perviderant, ut divinitus veluti θεοὶ ἐκ τῆς μηχανῆς suscitati crederentur. Sed dici non potest, quantopere hisce veritatis testibus sit ubique repugnatum, reclamatumque. Non destitit humani generis hostis classicum canere, donec Joannes Hussus & Hieronymus Pragensis diro supplicio e medio tollerentur. Verum non capit præfationis hujus compendium seculi mala, quibus nec summæ quidem molis volumina sufficerent. Clarius res elucebit ex iis, quæ in ipsa tractatione persequemur. Neque enim dubitamus, quin quivis paulo subactiore judicio præditus e Goslariensis ecclesiæ corruptione totius reipublicæ Christianæ faciem, hoc est, ex ungue Leonem, sit æstimaturus.

Anni

Anni Chriſti 1324.1325.1326.

Ludovici IV. Reg. 11.12.13.

Ab. V. C. 401.402.403.

Ludovicus Cæſar a Pontifice excommunicatus & imperio privatus. *Alb. Arg. p. 123. Henr. Rebdorff. p. 419. Herwv. apol. Ludovici Bavari. Appendix tom. I. Freher. ſcript. rer. Germ. p. 19. ſq. Mutius l. 24. rer. Germ. Naucler. gener. 45. p. 882. Lehm. l 7. Chron. Spir. c. 16. p. 746.*

ANnum igitur ſeculi quinti Goslarienſis primum, qui cum milleſimo trecenteſimo vigeſimo quarto a Chriſti nativitate concurrit turbulentum reddidit Joannis XXII. Pontificis Romani ambitio ac faſtus plane deteſtandus, quo optimum Cæſarem Ludovicum non ſolum anathemate percuſſit, verum etiam ipſo imperio privare auſus eſt. Cauſa odii non alia, quam quod Ludovicus Henrici VII. exemplo principibus ac civitatibus Italiæ, quibus inhiabat Pontifex, paulo familiarius utebatur ac Galeatium inprimis Præſidem Mediolanenſem Gibellinorum Ducem omni ſtudio fovebat. Quæ res ſtatim in eam ſpicionem adduxit Pontificem, ut Ludovicum conſtanter Imperii dignitatem defenſurum crederet. Idque eo certius ei præſagiebat animus, quod ſe inconſulto Imperatoris titulo eum uti cognoverat. Accedebant Galliæ Regis, cujus a nutu Pontifex pendebat, turbulenta conſilia, cum ipſe ſibi jam certa ſpe deſpondiſſet imperium ſi diris execrationibus compulſi Germaniæ proceres adverſus Ludovicum odium concepiſſent. Denique Mutio auctore ipſi Johanni Pontifici in turbido erat conſilium, quod ſperaret, diviſis in factiones proceribus, imperioq; inteſtinis discordiis vexato, exoptatiſſimâ ſe habiturũ occaſionẽ neceſſarios ſuos locupletandi, atq; Imperii poſſeſſiones convertendi in familiæ ſuæ emolumentum. Vt videas, quid conſilii fuerit Romanis Epiſcopis, tanto ſupercilio, tamque cenſoria gravitate ſacra fulmina in Cæſarum capita vibrantibus. Reperta tamen animadverſionis hujus cauſa, ne injuria oppreſſus videretur Imperator. Dicto enim die Avignionem ad interdictum venire jubetur, cauſamque dicere, quam ob rem inconſulto Papa Imperium uſurpet. Qua inopina ſententia perterritus, initio Cæſar ultra ingenium ſuum ſubmiſſus, legatos ſuos ad Pontificem mittit, objecta crimina diluit, ſeque ad ſatisfactionem, ſi qua in re quicquam humani paſſus eſſet, promto animo offert, ſtudioſiſſimum denique ſedis Romanæ religionisque aſſertorem ac vindicem ſe fore liberaliter pollicetur. Solent homines fortuna, aut naturali quodam faſtu ſuo inflati deteriores plerumque adverſariorum æquanimitate fieri. Videntes enim eos ſua auctoritate ad mitiora conſilia flexos, nihil jam mediocre amplius concupiſcunt, ſed laxatis ambitioni frenis plane obterendos illos exiſtimant, quos ſua ſeveritate terruiſſent, quaſi parum eſſet glorioſum, ſpolia incruenta detrahere. Idem tunc viſum eſt Johanni Pontifici, qui nulla excuſatione ad ſaniorem mentem pertractus miro tumore Imperatorem V. Calendas Julii incognita cauſa damnavit, diris devovit, Imperio exuit. Ea res quantam malorum Iliadem in Germaniam nondum a ſuperiore bello inteſtino reſpirantem intulerit, omnes loquuntur eorum temporum annales. Diſtractis enim per factiones animis, principibusq; inter Pontificem Cæſaremq; mediis ad arma itum eſt, quibus Ludovicus ingenti virtute nec minore felicitate imperii dignitatem, viginti tres annos contra Pontifices defendit, inprimis cum Fridericus Auſtriacus e carcere dimiſſus imperii dignitatem ſe nunquã Ludovico vivente uſurpaturum juraſſet. Eadem prudentia calamum quoque in Pontifices ſtringi juſſit, inventique ſunt ad munus hoc ſubeundum proclives Marſilius Patavinus, Wilhelmus Occam, Dantes Aligherius Florentinus, Johannes de Pariſiis, Lupoldus de Babenberg aliique excitati ingenii viri, qui tam graviter tamque luculenter Pontificis improbitatem expoſuerunt, ut nihil ſit eorum ſcriptis in hoc genere præclarius. Recentioribus Pontificiis qui cum Bzovio atque Odorico Rainaldo omnia ſibi in optimum hunc Principem permittunt, unum oppoſuerim Herwartum, qui Bzovii calumnias ſumma eruditione diluit, publicum commeritus doctorum plauſum, atque conſentiens ſuffragium.

Inter hæc Saxonia noſtra veluti e longinquo Colonienſis & Moguntini Archiepiſcoporum, fortunam ſpeculata, exemplo eorum cautius mercari didicit, fidemque Ludovico Cæſari mira conſtantia ſervavit integram. Nec tamen a civilibus diſſidiis per hos annos quievit. Mortalitatis enim legem impleverat Albertus Princeps Anhaltinus Halberſtadienſis Epiſcopus, cui cum diſcordantibus ſuffragiis altera canonicorum pars Albertum Ducem Brunſvicenſem, Eimbeccenſem præpoſitum, altera Ludovicum de Neindorp ſucceſſorem daret: ingens ſecuta eſt rerum perturbatio & funeſtum diſſidium. Ratam habuit Alberti electionem Matthias Moguntinus metropolitanus, atque ipſe Imperator Epiſcopum more ſolenni inveſtivit: Papa tamen Johannes ne quicquam inturbatum relinqueret, Ludovico Neindorpio ad Brandeburgenſem Epiſcopatum evecto alium ſubmiſit Giſekonem, gente Holſatum, quo paulo poſt extincto Albertum Mansfeldenſem Comitem æmulum oppoſuit. Æmulis tamen his omnibus feliciſſime triumphatis invito Papa triginta annos Epiſcopatum obtinuit. Interjecto tempore plura prædonum caſtella diripuit, diœceſeos terminos latius protulit nihilque habuit antiquius, quam ea recuperare, quæ dudum a diœceſi fuerant avulſa.

Albertꝰ Halberſtad. Ep. creatur, unde diſſidia. *Narrat. hiſt. de Albert. Ep. Halb. p. 381. ſq. Alcib. Cranz. l. 9 metr. c. 15. p. 244. Guil. Bud. vit. Alb. II Winning. Chron. Halb. MSC.*

Goslariæ noſtræ tunc præfuit Johannes Meſo Advocatus, primus, qui ex patritia urbis familia ad hanc dignitatem aſpiravit. Meſonum enim familia in diplõma-

Johañes Meſo Advocatus Goslarienſis

nonnullique prælati. *Ex lit. Richenb. & Mont. S. Georgii*

matibus Senatus noſtri frequentiſſime occurrit, nec raro Conſules civitati noſtræ dedit. Ceterum ejus memoriam mihi ſuggerunt literæ Richenbergenſes, in quibus venditionem quandam civium Goslarienſium hac formula confirmat: *Et nos Conradus dictus de Piſcina miles, Johannes dictus Meſo Advocatus Civitatis Goslarienſis ad majorem evidentiam ſigilla noſtra huic ſcripto duximus appendenda. Datum anno Domini M. CCC. XXIV. ſequente die Symonis & Judæ.* Huic ex aliis literis ejusdem eccleſiæ addo *Borchardum Prapoſitum Montis S. Georgii, Ludolphum Prapoſitum Novi Operis, Henricum Decanum Montis S. Petri*, qui diplomata Richenbergenſia, nec non teſtamentum aliquod ſe vidiſſe hoc anno teſtati ſunt. Archidiaconatus Goslarienſis fuit penes Dnúm Johannem de Schwichelte, Canonicum Hildeſienſem, qui, cum hoc anno controverſia eſſet ventilanda, nec ipſe coram adeſſe poſſet, ſuo nomine miſit Detmarum Stacies qui rem in monaſterio S. Georgii ad liquidum perduxit. Extant ejus literæ, quæ ſic ordiuntur: *Detmarus Stacies Commiſſarius banni Goslarienſis Hildenesheimenſis diœceſis a Domino Johanne de Schwichelte Archidiacono Goslarienſi ſpecialiter deputatus . . Datum & actum in Prepoſitura monaſterii Montis S. Georgii predicti ſub anno Domini Mileſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto Indict. IV. die XX. Menſis Novembris, hora veſperorum vel quaſi.* Denique extant aliæ Willekini, Ludolphi & Johannis de Borchtorpe tabulæ, quibus cum Monte S. Georgii certis legibus paciſcuntur. Teſtes ſunt Dominus *Conradus Abbas Montis Celle, Dominus Henricus Decanus Montis S. Petri prope Goslariam, Dominus Widekindus de Barckevelde, Dnũs Borchardus de Wiltenſtene milites, Bertoldus & Bertoldus fratres, famuli, Johannes de Polede, David & Henningus de Weſterode, Tylo de Bornum, Burgenſes in Oſterode, Tylo de Dornten, Henricus de Levede, Albertus Apeceus Burgenſes Goslarienſes & plures alii fide digni. Datum anno Domini M. CCC. XXVI. feria VI. poſt Dominicam Invocavit.*

Anni Chriſti 1330. 1331.

Ludovici IV. Reg. 17. 18. *Imp.* 3. 4.

Ab. V. C. 407. 408.

Ludovicus in variis comitiis Pontifi-

INterea Ludovicus Cæſar ſuperioribus annis in Italia verſatus mira felicitate ac prudentia res conſtituerat, urbes præcipuas ſibi in fide conſervaverat, Johanni Pontifici Sacerdotium abrogaverat, ac more antiquo Coronam Romæ ſuſceperat. Rebus itaque proſpere geſtis in Germaniam rediit, erebrisque comitiis Spiræ, Norimbergæ ac Francofurti celebratis multum de Pontificum ſeveritate conqueſtus id obtinuit a principum ſenatu, ut veluti e diuturno ſopore excitati decretum Pontifici opponerent, *non debere regem juſtis electorum ſuffragiis creatum Imperatoris juribus ac titulo defraudari, ſi vel maximè diadema ac confirmationem a Pontifice nondum obtinuerit.* Quod Senatus Conſultum deinde anno MCCCXXXVIII. communi procerum voluntate repetitum, literisque electorum ad Benedictum Pontificem delatum dici non poteſt, quantum ubique applauſum meruerit. Sed Johannes Pontifex cum ſe ubique premi, nec principes ſuo hortatu ad arma transcurrere animadverteret, alia via rem aggreſſus, æmulos Ludovico partim largitionibus, partim vanis promiſſis excitare tentavit. Jam enim Ottonem Auſtriacum oblatis quinquaginta florenorum millibus ad arma concitabat; Jam Johannem Bohemiæ regem ab Imperatore in Italiam miſſum ſpe regni in Ludovici odium ſollicitabat, ſed irrito utrinque conatu. Auſtriacus enim otii quietisque quam civilium bellorum ſtudioſior oblatam conditionem aſpernatus eſt; Joannes vero Bohemus re nimis mature prodita Ratisbonæ multum ſe Imperatori excuſavit, maluitque Imperatorem falſa opinione deluſum ſibi reconciliare, quam rem aggredi tam periculoſæ aleæ plenam.

cis conſiliis regnat. *Trithem. ad h. ann. Spangenb. c. 282. p. 480. H. Rebd. p. 425. & 426. ubi conf. Freher. addit. Naucler. gen. 45. p. 888. Latom. Chron. Francof. ad h. ann. 1338.*

Saxoniam noſtram adhuc turbabant latrones Alberti Halberſtadienſis Epiſcopi æmuli, Goslariá qui Hercynicorum Comitum inprimis vexantes. Reinſtenenſium & Mansfeldenſium auxiliis ſuffulti mira crudelitate in Halberſtadienſem Diœceſin graſſabantur, pari tamen clade ab Alberto Epiſcopo rejecti. Vicinia noſtra etſi a bellis vacua, bello tamen quovis pejores aluit prædones, qui præmunitis montium cacuminibus, ac cuniculis ſuffoſſis, nulli aut ordini, aut dignitati parcebant, omnia intercipientes, quæ in urbem noſtram erant deferenda. Adeo hoc invaluit malum, ut ne judiciis quidem amplius coërceri poſſent togati hi vultures. Quapropter Ludovicus Cæſar multis Goslarienſium precibus fatigatus luculento diplomate conceſſit facultatem vim vi repellendi, armisque frangendi perniciosam hanc reipublicæ catervam. Nos ipſas Ludovici literas ſubjiciemus:

Ex literis Richenb.

Conſenſu Ludovici Imperatoris armis coërcentur.

LVDEWICUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus prudentibus viris Conſulibus Communitati & univerſis incolis civitatis & diſtrictus *Goslarienſis*, ſuis & Imperii fidelibus dilectis gratiam ſuam & omne bonum. Frequens & aſſidua clamoſa inſinuatio noſtræ defertur auribus majeſtatis, quod vos in medio malignorum latrunculorum poſiti ſuſtinetis tam in perſonis, quam

in rebus quotidianas injurias, violentias, & rapinas de iisdem. Cum igitur divorum Romanorum Imperatorum prædeceſſorum noſtrorum ſacris legibus ſit ſtatutum, quod nemini ſine judice & judicio ſe liceat vindicare, hoc ideo ſtatutum fuit, ut judicio & juſtitia ſinguli contententur, qui Imperiali clementia gubernantur. Sed quia malitiæ multorum hominum invaluerunt adeo, quorum iniquis conatibus per noſtram magnificentiam obviandum eſt remediis oportunis, quod juſtitia & judicio non contenti invadant violenter vos & veſtros manu armata, non judicis auctoritate ſed propria temeritate, non ſolum in rebus verum etiam in perſonis. Nos igitur, qui omnem injuriam Imperiali majeſtate nobis divinitus commiſſa debemus refrænare, vobis prædictis præſentibus & futuris concedimus & injungimus autoritate Imperiali, quod poſſitis & debeatis injuriatores veſtros & veſtrorum, imo ſacri Imperii & noſtri quoscunque in continenti vel etiam per temporis intervalla manu armata & militari prohibere & vindicare, commiſſa & committenda præcavere, tam in injuriatorum perſonis, quam in rebus eorum vim vi repellere liceat, ubi judicium injuriator non expectat, dummodo coram fide dignis & honeſtis perſonis ſtrictam juſtitiam vel æquam amicitiam exhibeatis, vos ſtaturos injuriatoribus prædictis & ſimiliter recepturos arbitrium vel judicium ſapientum & de hoc facere velitis juſtam quoque & idoneam recipere cautionem. Præterea quia non convenit membra de ſuo capite diſcrepare, vosque membra ſacri Imperii ſitis, vobis prædictis tam præſentibus, quam futuris autoritate præſentium damus firmiter in mandatis, quatinus Advocatus veſter præſens vel futurus judicia & edicta in diſtrictu prædicto celebranda ſub banno Imperiali judicet & edicat temporibus in futuris. In cujus rei teſtimonium præſentes conſcribi & noſtræ majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum *Nurenberch* in die B. Viti Martiris. Anno Domini M. CCC. XXXI. regni noſtri XVII. Imperii vero quarto.

Advocatorum Goslariensium potentia ſenſim collapſa.

Ex luculento hoc diplomate hoc ſimul dilucet, civitatem noſtram per hæc tempora Advocati jugum excutere ſenſim cœpiſſe. Quod tamen Ludovicus Imperator jurium ſuorum ſervantiſſimus diplomate hoc ſevere interdicit. Videtur autem ex hoc tempore ſenſim expiraſſe advocatorum potentia, atque eorum jura ad ampliſſimum Senatum noſtrum paulatim devoluta. Neque tamen Advocatorum nulla amplius mentio fit in diplomatibus, ut enim reliquos taceam, quos ſuo loco indicabimus, ſub finem certe hujus ſeculi Sivert de Rottinghe in Cæſareo Palatio Imperatoris nomine juri dicundo ſe præfuiſſe teſtatur, cujus literas jam libro primo, ubi de palantiis civitatibus actum eſt, protulimus in medium. Atque hic ſolus Advocatum Cæſareum ſe appellat, ceteri qui ſe ex illo tempore Advocatos Vögte to Goßlar vocare ſoliti ſunt, non Cæſarei reputari debent, ſed prætores urbani Stadt-Voigte / quorum jurisdictio non immediate a Cæſare ſed a Senatu dependet.

Anni Chriſti 1334. 1335.

Ludovici IV. Reg. 21. 22. *Imp.* 7. 8.
Ab. V. C. 411. 412.

Ludovicus Imp. fruſtra ecclesiæ optat reſtitui *Alb. Arg. ad p. 135.*

MOrari ſubinde inter homines deſiit Joannes Pontifex Romanorum, homo turbulentus & capitalis Ludovici Cæſaris inimicus; cui Benedictus XII. ſucceſſit, placidiore ingenio præditus, magnamque proclivitatem præ ſe ferens Ludovicum in eccleſiæ gremium recipiendi. Lætus hac rerum commutatione Cæſar oſſiciosa legatione Benedictum prenſavit, ut demum finem faceret diuturni diſſidii, omnia ſimul liberaliter pollicitus, quibus ſedem Romanam demereri liceat. Reſtitere tamen Pontifici Philippus Rex Franciæ, Robertus Rex Siciliæ, Johannes Bohemus plurimique Cardinales a Ludovici hoſtibus corrupti, nunquam ſe commiſſuros eſſe clamantes, ut Ludovicus eccleſiæ reſtituatur: quam tamen illatam ſibi injuriam Ludovicus Cæſar in Bohemiæ Rege egregie vindicavit.

Bellum ex diſſentiente Epiſcopi Hildeſ.

At Saxoniam viciniamque noſtram occultis latronum inſidiis jam ſatis vexatam, proximus annus in apertum bellum conjecit. Cauſa belli non alia, quam diſcors Hildeſienſis Epiſcopi electio, quæ tunc ſæpius eccleſias affixit. Ex quo enim jura electio ſacrorum ab Imperatoribus ad eccleſias ne confuerant devoluta, non ſolum Canonici ſubtractis Epiſcopis in diverſa ſuffragia ſciſſi binos aut plures ſæpe candidatos obtulerunt, verum etiam Pontifex Romanus ſuo arbitrio ſubmiſit Epiſcopos, quibus de prælatura eccleſiaſtica proviserat. Ex qua re immenſa ſubinde bella diſſidiaque funeſtiſſima exarſere, inprimis hoc tempore, quo colliſis inter ſe Imperatore & Pontifice Ludovicus a ſede Apoſtolica pro-

Lerbec. Chron. Schavinburg p. 515 Cranz. l. 9 metr. c. 21. p. 247. Rent. p. 99 Chron. Hildesh. ſq

provisos strenue rejecit. Quam rem ita refert Henricus Rebdorffiensis: *In Alemannia magnum schisma fuit in clero & populo, ex provisionibus sedis Apostolicæ ad Episcopatus & solennes prælaturas & alia beneficia, quæ idem Ludovicus in odium sedis Apostolicæ fortiter impedivit, multos etiam provisos a sede, qui ei obedire nolebant, non admisit*, quemadmodum & auctor Chronici SS. Udalrici & Afræ a Frehero editi jam dudum fuerat conquestus: *Ex hoc ita facto gravissimum schisma oritur inter regnum & sacerdotium, ita ut fere tota Christianitas per plures annos novis & insolitis pressuris plurimum turbaretur. Nam electiones episcoporum, personatuum & aliarum magnarum dignitatum tunc a sede Apostolica & legatis ejus taliter sunt suspensæ, ut contra voluntatem eligentium is vel ille præficeretur, qui vel cujus amici videbantur sedi Apostolicæ plus favere.* Ejusmodi rei exemplum nuper viderat Halberstadiensis Ecclesia, in qua Canonicorum alii Ludovicum Neiendorpium, alii Albertum Brunsvicensem, Pontifex Romanus Gisekonem quendam Holsatum Episcopum saluti averant. Eadem tragœdia in Hildesiensi sede hoc tempore acta est. Obierat nuper Otto Comes Woldenbergensis, Hildesiensis Episcopus, cui cum Canonici successorem daturi convenirent, scissi in diversas factiones alii Henricum Ducem Brunsvicensem ingentis animi principem & consanguineorum potentia florentissimum, alii Ericum Schauenburgensem Comitem elegere. Henrico favebant quamplurimi diœceseos ministeriales, qui & munitiores arces ei tradiderunt. Erico econtrario hærebant Canonici nonnulli & Hildesheimensis civitas, atque ipse Romanus Pontifex, qui Henricum Brunsvicensem in Erici gratiam anathemate percussit. Delitescebat interea Ericus in urbe, civiumque armis adjutus modo Sturwaldiam aliasque vicinas arces ferro flammisque devastabat, modo facta in circumjacentem agrum irruptione prædas agebat. Henricus vero omnes arces officium detrectantes aggressus brevi tempore ad obsequium coegit. Factis induciis a bello aliquandiu cessatum, sed utroque tamen, quæ occupaverat, munimenta retinente, mox ad arma reditum est, nec reddita prius episcopatui quies, quam Ericus post acre quatuordecim annorum bellum mortalem vitam exuens Henrico insignia sacerdotii relinqueret. Remoto itaque æmulo Henricus ab anathemate pontificio solutus Episcopali muneri cum laude præfuit, Hildeshemenses gravi æremulcatos & ad extruendum Mariæburgense castrum compulsos in gratiam recepit, omnibusque hostibus dextro Marte debellatis successoribus decem munitissima castella una cum totidem præfecturis reliquit, anno MCCCLXII. vita defunctus.

Chron. MSC. de Ep. Hild. c. 38. Brusch. c. 11. de Ep. n. 36. p. 254. Bucelin. part. 3. p. 19 Germ. S. Henr. Rebdorff. p. 425. Chron. SS. Udalr. & Afrap. 368. ap. Freher. tom. I.

Cives Goslarienses certas missas Richenbergæ instituunt.

Inter hunc civilium bellorum strepitum, quo Hildesiensis ac Halberstadensis diœceses, atque adeo tota vicinia nostra undiquaque personabat, Cives tamen nostri id inprimis pro virili dabant operam ut cultus divinus suo beneficio quotidie efloresceret magis. Veluti hoc anno Hermanni & Burchardi de Dornten civium Goslariensium filii procul dubio de parentum salute anxii Richenbergensi Canonicorum Collegio decem marcas puri argenti ea lege largiti sunt, ut quatuor missæ singulis septimanis, una videlicet de S. Trinitate, altera de Domina nostra, tertia pro defunctis, & denique ultima de S. Joanne Evangelista perpetuo inposterum celebraretur. Quibus sacris se Richenbergenses his tabulis adstrinxerunt:

NOs *Johannes* Dei gratia Præpositus *Hermannus* Prior totusque Conventus Ecclesiæ S. Mariæ in Richenberg publice recognoscimus in his scriptis quod recepimus a pueris *Hermanni* & *Burchardi* fratrum bonæ memoriæ dictorum olim de *Dornten* burgensium in Goslaria, decem marcas puri argenti de quibus procurabimus annuatim redditus unius marcæ consimilis argenti, in hunc videlicet modum, quod nos in cripta Ecclesiæ nostræ servare debemus quatuor missas singulis hebdomadis, unam videlicet de S. Trinitate, unam de Dnã nostra, unam pro defunctis, unam de S. Joanne Evangelista perpetuis temporibus duraturas, ita quod quicunque de nostris easdem servaverit missas, eidem dabitur unus solidus Goslariensis denariorum dativorum singulis septimanis de marcæ reditibus prænotatæ. Si vero dictæ missæ debitæ, ut præscriptum est, observatæ non fuerint casu qualicunque eveniente, quod absit, tunc prædicti pueri ac eorum hæredes plenum habent posse extorquendi dictæ marcæ pecuniam absque periculo de officiis communibus Dnorũm, quousque dictarum missarum officia compleantur & si tunc aliqua ex ipsorum extorsione completa fuerint, hæc Dñis nostris modo ut præscriptum est, debent integre ministrari. Ad hæc omnia præmissa jugiter observanda, nos nostrosque successores firmiter obligamus præsentibus, quorum in testimonium præsens scriptum nostris sigillis præpositi videlicet & conventus ipsis dedimus firmiter communitum. Datum anno Dñi. M. CCC. XXXIV. ipsa die B. Galli confessoris.

Goslarienses per 20 annos excommunicationi sub jacent. *Ex diplom. SS. Sim. & Jude ad ann. 1355.*

Ast non diu hujusmodi sacris ut putabant operibus sibi consulere civibus Goslariensibus licuit, tota quippe civitate una cum vicinia a Johanne Papa XXII. anathematis fulmine percussa. Constantius adhuc civitas nostra Ludovico Cæsari indignante licet Pontifice obsequium præstiterat, nec minore fide hærebat Henrico Hildesiensi, quem consentientibus sanioris Capituli suffragiis noverat electum, nec cives, neque Clerus noster eo se pasti sunt adduci, ut Ericum Schawenburgensem, a Papa intrusum Episcopum agnoscerent. Quid? quod, nisi conjectura me fallit, civitas armis adjuvaret Henricum, eique omnem operam navaret. Qua constantia offensus Pontifex in senatum non minus, quam Clerum omnem, ut & vicina monasteria excommunicationis pronunciat sententiam ipsique civitati sacris interdicit, tanta severitate usus, ut intra viginti annos ab hac ferali censura non absolverentur. Qua de re suo loco plura sumus dicturi. An vero a sacris interea cessarint, pontificiisque iniquæ paruerint sententiæ, multa sunt, quæ dubitare me jubent.

Anni Christi 1336. 1337.
Ludovici IV. Reg. 23. 24. Imp. 9. 10.
Ab. V. C. 413. 414.

Plures de hæresi suspecti in Saxonia supplicio affecti. *Chron. Magdeb. p. 340. ap. Meib. Arnold. l. 14. c. 5. hist eccl. & her. p. 395.*

Isdem fluctibus, quibus respublica annis superioribus jactabatur ecclesia etiam sub id tempus afflicta est, quemadmodum ferme semper turbæ ejusmodi cum corruptione ecclesiæ solent esse conjunctæ. Videbantur jam Clerici in utramque aurem stertere, & licet omnis disciplina cum doctrina saniore dudum evanuisset, adeo tamen sibi placebant suis moribus, ut incredibili sævitia omnes capitis damnarent, qui paulo liberius ecclesiæ Clerique vulnera detegebant. Hinc dici non potest, quanta severitate in Saxonia nostra in eos sævitum sit, quibus hæreticorum nomen clerus impegerat. Magdeburgi prodibant aliquot mulieres communem seculi superstitionem adspernantes. Has *Beguinas de alto Spiritu*, nomine satis barbaro appellabant, custodiæque mancipatas non patiebantur in liberam auram prodire, donec dimissis erroribus suis cum vulgo se in posterum sentire velle promitterent. At multo crudelius consultum in cives quosdam Angermundanos Luciferianorum nomine infames. Missi illuc Fr. Jordanus hæreticæ pravitatis inquisitor Fr. Nicolaus Gardianus fratrum minorum Berolinensium & Magister Vinearum præpositus Schusanus, qui convocatis reis & ad purgationem canonicam compulsis, XIIII. utriusque sexus homines in purgatione deficientes vivicomburio excruciandos statuerunt. Quæ feralis sententia Erphordiæ quoque in quendam Constantinum Begardicæ hæreseos postulatum a eodem Jordano pronunciata est. Adeo nihil non agebant Pontificis servoli, ut homines paulatim nutantes exquisitissimis plurimorum suppliciis in obsequio retinerent.

Prælatorum nonnullorum Goslariensium nomina. *Ex literis Grubenh.*

Goslariæ quid hac tempestate gestum sit incompertum habeo. Extant tamen Ludolphi militis & Alferici & Alardi famulorum de Borchtorpe literæ, quibus cum monte *S.* Georgii de bonis nonnullis paciscuntur. In iis testes nonnulli proferuntur, quorum mentionem alibi vix fieri deprehendi: *Hujus rei testes sunt honorabiles viri Dominus Anno Decanus Ecclesiæ SS. Apostolorum Symonis & Jude Goslariæ, Dominus Bertholdus præpositus in Richenberg, Dnus Henricus præpositus Novi Operis, Witego dictus Copmann, Albertus de Dornten, Bodo dictus Trabes burgenses Goslarienses cum pluribus aliis fide digni. Actum & datum A. D. M. CCC. XXXVII. in die Servatii Confessoris & Pontificis.*

Annus Christi 1338.
Ludovici IV. Reg. 25. Imp. 11.
Ab. V. C. 415.

Princ. pes Ludovico Cæsari favent. *Respice ad ann. 1350.*

Succedit annus Christi post millesimum & trecentesimum trigesimus octavus multis comitiis in Ludovici gratiam habitis celebris. Convenere hanc in rem principes Spiræ, Coloniæ Francofurti eodem semper consilio, ut Ludovicum Cæsarem Pontifici reconciliarent. Sed frustra erant Germani, Galliæ quippe Rege nihil agente sollicitius, quam ne Pontifex ad mitiora se consilia flecti patiatur. Hinc mirati Pontificis supercilium magno consensu Senatus Consultum nuper in Francofurtensi conventu factum revocarunt, Cæsares a Pontifice minus juste excommunicari, eosque qui Pontifici hac in re morem gerant ex imperio proscribendos esse sancientes. Vt adeo videas, quanta prudentia Ludovicus Imperii fasces gesserit, cum principum animos in pontificem ante hæc tempora fere procliviores adeo sibi devinxerit, ut nemo esset e tanto numero, quin Pontificis impotentem dominandi libidinem detestaretur.

Otto Dux Brunsvicensis in Italiam militatum profectus Goslar. tertiam partem montis Rameli-ni offert,

Florebat inter has turbas in Grubenhagensi familia Otto Dux Brunsvico Luneburgensis Henrici junioris filius, princeps, Theodorici Niemii judicio, ab ineunte puericia in armis enutritus, omnes æquales suos & bellica laude & prudentia civili longe supergressus. Hic quamvis fratres suos ætate anteiret, patriis tamen provinciis patruo Ernesto demandatis noluit, virtutis suæ gloriæque theatrum intra abdita tantum Hercyniæ juga constituere, sed alium sibi quæsivit campum, in quo sua virtus tot veluti præludiis spectata latissime excurreret. Oportunum igitur acci-

accidit, ut Johannes Bohemiæ Rex occulte nuper a Pontifice ad suscipiendum Italiæ Regnum sollicitatus expeditionem suscipere trans Alpes statueret, cujus societatem Otto eo cupidius ambiebat, quo magis se ibi Guelphorum potentia suffultum iri sperabat. Itineri se accingens copiasque undique conscribens cum se minus a pecunia instructum animadverteret, Ernestum patruum ex pacto rogavit, ut pro bonis oppignoratis certam pecuniæ summam pignoris loco solveret. Quod cum minus commodum videretur Ernesto, Ottoni auctor fuit, ut certam pecuniæ summam aliunde mutuam sumeret, tertia proventuum parte e monte Ramelino redeuntium hypothecæ loco opposita. Oblata hæc conditio civitati nostræ, quæ illam minus adspernata, statim argentum affatim se daturam pollicita est, si Ernestus Gottingensis pactionem ratam esset habiturus. Cum tamen hic abnueret & jus omne in metalla Goslariensia Grubenhagensibus denegaret, resoluta hac emtione Otto Duderstadium, Gebelhusum & quicquid in Eichsfeldia possederat, Moguntino Archiepiscopo oppignorare coactus est. Vbi in Italiam pervenit, a Pontifice adversus Galeatium aliosque Gibellinos Dux constitutus multas laudum adoreas palmasque consecutus est, quadragies victor, nunquam victus, dignusque demum Johannæ Neapolis & Siciliæ Reginæ visus, quem anno M. CGC. LXXVI. (nisi Kollenutii computus fallit) in maritum adoptaret.

Theod. Niem. l. 1. de Schism. c. 24. Lezn. l. 3. Chron. Dassel. c. 18. 19. fol. 82. sq. Bunting. part. 4. Chron. Brunsv. p. 573. Melib. de aurea bulla Andron. p. 477. sq. Werdenh. part. 4. de reb. Hans. p. 477. sq.

Cives nostri dudum excommunicatione perculsi, non omisere tamen opes suas ad promovendum cultum divinum more seculi conferre. Hoc pietatis sensu tactus hoc anno Henricus Backmeisterus Civis Goslariensis Richenbergensium Canonicorum Collegio pietatis ac disciplinæ laude præcipue florenti pro suæ parentumque animarum remedio XII. marcas puri argenti eo consilio obtulit, ut singulis septimanis in capella S. Augustini ecclesiæ Richenbergensi contigua tres missæ, una de tribus magis, altera de Domina nostra, tertia de S. Johanne Evangelista, & ultima denique pro defunctis rite conficiantur. Quod institutum literis suis ratum habuere Bertholdus præpositus, Johannes Prior, totusque Conventus Canonicorum Regularium in Richenberge:

Henricus Bakmeisterus Civis Goslar. missas aliquod Richenbergæ instituit. *Ex lit. Richenb.*

Ad perpetuam rei memoriam:

NOs Dei gratia *Bertholdus*, Præpositus, *Joannes* Prior, totusque conventus Canonicorum regularium Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in *Richenberge*, notum facimus omnibus Christi fidelibus tam præsentibus, quam futuris, quod *Henricus* dictus Baemester, Burgensis in Goslar divino inductus spiramine ad honorem omnipotentis Dei & sanctissimae Genetricis ejus Virginis Mariæ, ac etiam pro salute animæ suæ & parentum suorum contulit nobis & Ecclesiæ nostræ, duodecim marcas puras, quas ad comparationem domus quondam Dñi *Himrici* de Goteringe, sitæ juxta capellam S. Viti expendimus, pro qua quidem pecunia vendimus eidem reditus unius marcæ puri argenti, de quatuor mansis *Astveldæ* sitis, quos Hermanno Stellenberge & uxoris suæ ad vitæ eorum tempora sub annuo censu locavimus, dimidietatem festo B. *Michaelis* & dimidietatem festo *Paschæ* annis singulis persolvendas. De hac quidem marca redituum idem Henricus in nostra Ecclesia decrevit taliter statuendum, quod singulis Hebdomadis in Capella *S. Augustini* perpetuis temporibus quatuor missas procurabimus celebrari unam de tribus magis, videlicet *Ecce advenit*, secundam de Domina nostra: tertiam de S. Johanne Evangelista & ultimam pro defunctis, has vero missas præfatas, memoratus Dñus noster *Bertoldus* nunc Præpositus recepta marca prædictorum redituum vitæ suæ temporibus si sibi placuerit per se sive per alium dici singulis septimanis ut præmittitur procurabit. Quo defuncto & tunc sacerdotes confratres præfatis reditibus pro emolumento receptis celebrabunt tempore sempiterno, si vero, quod absit, dicta marca redituum aliquo terminorum prædictorum non solveretur, ex tunc *Henricus Bakmeister* praedictus, aut sui haeredes, una cum sacerdotibus Ecclesiae nostrae, eam pandatione in dictis bonis extorquere poterunt, cum auxilio praepositi, quod ad hoc minime denegabit. Caeterum adjectum est, quod Praepositus noster, quandocunque ad hoc facultates Ecclesiae suppetunt, dictos reditus reemere poterit pro duodecim marcis puri argenti praefatis, quas Henricus saepe dictus aut sui haeredes una cum sacerdotibus nostris in alios reditus unius marcae perpetuos debebunt convertere. De quibus

omnia & ſingula praeſcripta inviolabiliter perpetuis temporibus ſervabuntur. Inſuper propter ſingularem devotionem, quam idem Henricus ad noſtram Eccleſiam habere dinoſcitur, damus ei tam in vita, quam in morte plenam fraternitatem & communionem & patentibus ſuis, orationum, vigiliarum, miſſarum, caeterorumque bonorum operum, quae in noſtra Eccleſia per nos & noſtros ſucceſſores operare dignabitur clementia ſalvatoris. Ad praemiſſorum evidentiam & firmiorem perſeverantiam duximus praeſens ſcriptum ſigillis noſtris Praepoſiti videlicet & Conventus firmiter roborandum. Datum anno Dni M. CCC. XXXVIII. die Converſionis S. Pauli Apoſtoli.

Diſciplinæ integritas in hoc monaſterio. *Ex literis Richenb.*

Ut autem appareat, quam continentis diſciplinæ vir fuerit Bertholdus Richenbergenſis Præpoſitus, non fuerit ab hoc loco alienum rem notatu dignam referre. Receptus in ſacram hanc familiam fuerat quidam Florinus, religioſam vitam profeſſus, qui cum juſto viveret liberius, moribusque nimis profanis adſueſceret, a Bertholdo Præpoſito ſæpius increpatus, omnem ſalubrem admonitionem incredibili pertinacia reſpuit, eoque demum prolapſus eſt, ut ad pœnam clauſtralem poſtulatus armis, quæ furor miniſtrabat, ſe opponeret. Ceſſit equidem Præpoſitus homini irarum pleno, Florinus tamen nimis ſe jactans juſto Dei judicio tibiam confregit. Quo caſu tantum abeſt, ut reſipuerit, ut potius conſanguineorum conſiliis ac ope adjutus longe furioſius, quam antea Præpoſito ſe opponeret, omneque exueret obſequium. Hac re pervulgata Henricus Hildeſienſis Epiſcopus directis ad Plebanos & Vice-plebanos Goslarienſes literis omnes Florini conſanguineos ſerio juſſit dehortari, ne pertinacis hominis animum ſuis monitis magis exacerbent, ſed id potius dent operam ut ad frugem redeat dignamque præpoſito ſuo offerat ſatisfactionem. Quod niſi feciſſent fore, ut omnes excommunicationis ſententia notentur. Idque ne quis ignoret, anathematis formulam quavis die Dominica e ſuggeſtu promulgari præcepit. Præclarum ſane integræ diſciplinæ documentum, quod Religioſis Richenbergenſibus ne minimam quidem exorbitandi licentiam, relictam fuiſſe declarat. Patet etiam inde, Goslarienſes plebanos inſuper habita interdicti papalis ſententia non modo epiſcopo ſuo Henrico conſtanter adhæſiſſe verum etiam ſacra more ſuo feciſſe conſtanter.

Henricus Decanus Montis S. Petri.

Eccleſiæ Montis S. Petri per hæc tempora præfuit Henricus Decanus, qui reditus quosdam olim Henrico plebano Oſteracheni & Vice-Rectori Capellæ S. Catharinæ Goslarienſis locatos, hoc ipſo anno Richenbergenſibus vendidit. Hæc Capella cujus jam primo libro fecimus mentionem, in civitatis noſtræ infima plaga ad mœnia ſita, jam olim ad eccleſiæ Montis S. Petri Canonicos ſpectavit, quorum rogatu a Pontificibus plurimis indulgentiis locupletata atque a civibus magna devotione frequentata eſt. Ex quo vero eccleſia Montis S. Petri in buſtum conſedit, Canonicorum collegium abrogatis Romanenſibus ſacris in hanc capellam migravit, ubi hodienum laudis divinæ reſonat melos. Quæ de re ſuo loco plura ſumus dicturi.

Capella S Catharinæ.

Anni Chriſti 1339. 1340.
Ludovici IV. Reg. 26. 27. *Imp.* 12. 13. *Ab. V. C.* 416. 418.

Pax publica inter Saxoniæ principes ſtabilita. *Henr. Aquitanepol. l. 2. de prim. Lub. cap. 5. p. 6. 3. ap. Meib. Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 237.*

NOndum in vicinia noſtra aliisque circumjacentibus provinciis a tumultuariis armis ceſſatum eſt. Equites enim quidam lucri dulcedine illecti inſuper habita omni generis nobilitate prædato vivere, viasque publicas latrociniis infeſtare, non dubitabant. Nec principes conglobato prædonum cuniculo pares amplius erant, eo quippe audaciæ progreſſo, ut apertis ſæpe armis contenderet, prælliique juſti faceret copiam. Hinc Bremenſis, Brandenburgenſis, Havelbergenſis, Verdenſis, Sverinenſis, Razeburgenſis, Lubecenſis & Halberſtadenſis Epiſcopi, Principesque Brunſvico-Luneburgenſes, Stetinenſis, Wolgaſtienſis, Saxo-Luenburgenſis, Marchio Brandeburgenſis, Comites Holſatiæ, Sverinenſes, Ruppinenſes, Wittegburgenſes & Meklenburgenſes, aliique Saxoniæ proceres Lubecæ convenere, quorum in congreſſu de extirpandis latrociniis publicaque ſecuritate reſtabilienda actum eſt, ſtatutumque, ut inter hos principes civitatesque Lubecam & Hamburgum pax publica ſex annos inviolata ſervetur, ſuſpendii ſupplicio iis denunciato, qui neglecto hoc fœdere turbas dare fuerint auſi.

Conradus Cocus Franciſc.

Franciſcanorum apud nos monaſterium tunc aluit Conradum Cocum Hornburgenſem, quem ad annum usque M. CCC. L. Gardiani munere perfunctum auctor eſt Leznetus. *Gosl. Lezn. c. 19 MSC. de monaſt. Richenbergenſes.*

Advocatorum injuriis ſe liberat

At Richenbergenſibus id præcipuæ curæ cordique fuit, ut Advocatorum injuriis ſenſim ſe liberarent. Quam rem omnes, quibus advocatiæ jus in aliquot agros competere videbatur, oblata certa pecunia eo permoverunt, ut juri ſuo renunciarent. Quemadmodum anno M. CCC. XL. idem factitatum a Johanne de Rotzinghe famulo. Literis ea de re *Datis anno Dñi, M. CCC. XL. in die Palmarum,* *Ex lit. Richenb.*

Anni

Anni Christi 1341. 1342.
Ludovici IV. Reg. 28. 29. *Imp.* 14. 15.
Ab. V. C. 418. 419.

Pax in Imperio. *Henr. Rebdorff. p. 433. Albert. Argent. p. 129.*

NIhil jam sequentibus annis Imperio quietius. Principes enim Ludovici virtutem magis magisque indies suspicientes, imperium ejus æquo animo ferebant. Quam publicam tranquillitatem Ludovicus Cæsar suo edicto firmaturus, Henrico Rebdorffio auctore, *generalem pacem in Alemannia fecit, in Suevia, Bavaria, Franconia, & circa Rhenum, qualis antea longo tempore citra non est audita; quam juramentis suis firmaverunt principes, Domini & civitates, & judices speciales hujus pacis sunt dati.* Et quamvis paulopost inter principes & civitates Franconicas lites gliscerent in ferale bellum erupturæ, Ludovicus tamen, qua erat auctoritate dissidium hoc facile sopivit, jussitque utramque partem arma ponere. Adeo constanter Imperatori suo favebant Germani, ut injustam Pontificis execrationem plane nihili facerent, id quod a tot seculis pene fuerat inauditum.

Alberto Halb. Ep.

At turbulenta inter hæc Saxonia nostra, nondum sopita discordia, quæ ex discrepante electione Halberstadiensi exarserat. Inprimis Reinsteinenses & Mansfelder's comites, irruptione in diœcesin facta, ferro flammisque omnia devastabant, nullique parcebant loco, nec sacro nec profano, imo proxime insequente anno M. CCC. XLIII. nocte natalitia Christi præcedente per mœnia occulte in urbem penetrantes cives ad arma concurrentes trucidabant, inermes captivos secum abducebant. Nec segnior Albertus Episcopus collectis copiis suis fratrumque subsidiis adjutus cladem hanc ulcisci studuit. Comitum quippe horum provinciis, quam late patent, ultrice flamma devastatis. Parentatum tunc quoque tot civium stragi Monasterii Helmstani excidio, nec Comitibus his mitiora contigissent, nisi Alberti clementia eorum delicto auctior ampliorque fuisset.

denuo cum Comitibus Hercyni cis collisus. *Cranz l. 9 Sax. c. 28. p. 249. Anon. Contin. Annal. Halb. MSC. ap. Reimann. in idea Chron. Halb. ad h. ann.*

Bunting. part. 1. Chr. Brunsv. p. 237. sq.

Richenbergensis Ecclesia facultatibus tunc novis locupletata a Roberto Abbate Betzingerodano bona nonnulla in Haverla XXX. marcis argenti coëmit, quam venditionem Tidericus Abbas Riddagshusanus hisce literis ratam habuit;

Mariæro dani Richenbergensibus bona quædam vendunt

NOs frater *Thidericus* Abbas Monasterii Riddageshusa prope Brunsvic recognoscimus in his scriptis, quod religiosi & dilecti nobis in Christo Dnūs Abbas & conventus Monasterii in Betzingerod venientes ad præsentiam nostram nobis humiliter supplicarunt, ut venditionem trium mansarum & unius curiæ in *Haverla* per ipsos honorandis viris Præposito, priori, & Conventui in *Richenberg* pro bono & utilioribus reditibus comparandis factam approbare dignaremur. Nos igitur videntes dictum contractum rationabilem reperiri, consensum nostrum adhibemus & eum auctoritate, qua possumus confirmamus, volentes ipsam Richenbergensem Ecclesiam possessione hujusmodi in perpetuum frui pacifice & quiete, in cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Anno Dñi. M. CCC. XLI. in Dominica qua cantatur *Esto mihi.*

Robertus Abbas Betzingerodanus, (qui & Mariærodanus audit) incidit in tam infausta tempora, quibus inclinata disciplina opibus fere omnibus excidit monasterium. Atque hanc causam existimo, quamobrem bona hæc Richenbergensibus vendiderunt. Abbas quidem Riddagshusanus, cujus erat dare operam, ne quid istud monasterium detrimenti caperet, tam strenue pro conservandis Mariærodanorum bonis laboravit, ut nihil se inconsulto vendi permitteret. Fratribus tamen parere nesciis omnia corruerunt, nihilque monasterio præter pauperiem mansit reliquum, donec circa annum M. CCC. LXXVI. Hermannus Peinensis a Riddagshusano Abbate Mariærodam submissus instaurata disciplina monasterium ad pristinam felicitatem proveheret. Qua de re jam superiore libro, ubi Abbatum Catalogum suppeditavimus, quædam nos delibare meminimus.

Transit stylus in Henrici Slademensis Comitis laudes, qui hæredum suorum Comes consensu curiam quandam Gerstediensem Sladecum agris ad illam spectantibus eidem mensis Richenbergensi Ecclesiæ addixit, omni jure dimisso, quod antea in hæc bona superioritatis titulo obtinebat. Quam præclaram beneficentiam suam hoc diplomate testatus est:

Henrico Comitis Ecclesiæ Richenbergensi bona quædam addicit.

NOs Henricus *Dei gratia Comes in Sladem* & Albertus *Filius ejus cupimus omnibus visuris vel audituris has literas esse notum, quod ob reverentiam omnipotentis Dei ac gloriosæ Genitricis ejus Virginis Mariæ donavimus & donamus præsentis scripti patrocinio proprietatem & dominium directum & utile cujusdam curiæ* Jestede *sitæ, cum quibusdam agris*

iis

in campis ibidem ad ipsam curiam spectantibus, aliisque suis pertinentiis universis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in Richenberge *perpetuo possidendis, quæ quidem bona honorabiles & discreti viri, Præpositus, Prior & Conventus ejusdem Ecclesiæ Richenbergensis a* Bertoldo *dicto de Bredenem ac* Gertrude *matre sua, qui ea a nobis in pheudum tenuerant justo emtionis titulo compararunt, proprietatemque hujusmodi sive dominium curiæ & agrorum prædictorum ac aliorum suorum pertinentium cum omni suo jure & utilitate, pleno consensu propinquorum hæredum nostrorum ac omnium, qui merito requirendi fuerant, accedente, in Dei nomine* transferimus *in dictam Ecclesiam Richenbergensem, translatione perpetuis temporibus valitura, nihil nobis aut nostris hæredibus juris aut exercitii in ipsis bonis aliqualiter reservantes, volentes etiam hujusmodi donationis nostræ Warandiam præstare legitimam & de evictione causæ, quando & quoties fuerimus requisiti. Et in hujusmodi donationis nostræ evidentiam & firmam perseverantiam duximus præsens scriptum sigillis nostris firmiter roborandum.*

Datum Anno Dñi M. CCC. XLI. in die Beati *Laurentii* Martyris.

Anni Christi 1343. 1344.
Ludovici IV. Reg. 30. 31. *Imp.* 16. 17.
Ab. V. C. 420. 421.

Quod & sequente anno

NEc insequens annus laude Slademensis familiæ vacuus ibat. Henricus enim jam laudatus, filiusque ejus Albertus reverentia omnipotentis rei & Genitricis ejus Mariæ Virginis adducti; Richenbergensi Ecclesiæ bona nonnulla in Hanendorpe iisdem legibus concesserunt. Quas literas ad splendidæ familiæ dudum emortuæ memoriam non piget hic interserere: ab illo factitatum,

NOs Henricus *Dei gratia Comes in Sladum, & Albertus filius ejus, omnibus visuris vel audituris has literas cupimus esse notum, quod ob reverentiam omnipotentis Dei ac gloriosæ Genitricis ejus virginis Mariæ donavimus & donamus præsentis scripti patrocinio proprietatem & dominium directum & utile cujusdam dimidii mansi* Hanendorpe *siti cum omnibus pertinentiis suis, tam in villa quam in campis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in Richenberge perpetue possidendum. Quem quidem dimidium mansum honorabiles ac discreti Viri Præpositus & Conventus ejusdem Richenbergensis Ecclesiæ, a* Rodolpho *de Combarum, qui ipsum a nobis in feudum tenuerat, nobisque eum libere resignavit, justo emptionis titulo compararunt, proprietatemque hujusmodi sive dominium dimidii mansi suorumque pertinentium, cum omni suo jure & utilitate pleno consensu propinquorum hæredum nostrorum ac omnium, qui merito requirendi fuerunt, accedente, in Dei nomine in dictam transferimus Ecclesiam, translatione perpetuis temporibus valitura, nihil nobis ac nostris hæredibus juris aut exercitii, in sæpe dicto dimidio manso aliqualiter reservantes, volentes etiam hujusmodi donationis nostræ, Warandiam præstare legitimam & de evictione cavere, quando & quoties fuerimus requisiti, & in hujus donationis nostræ evidentiam & firmam perseverantiam duximus præsens scriptum sigillis nostris firmiter roborandum. Datum anno Dñi. M. CCC. XLIII. die beati* Joannis ante portam Latinam.

Henrico Comes Slademensis an ultimus familiæ suæ. *Meib. Chron. Marienthal. p. 261*

Patet ergo manifesto hallucinari eos, qui cum Henrico hoc Slademensi Comite familiam hanc illustrem abruptam existimant, cui sententiæ ideo ipse Meibomius accedere subveretur. In literis enim, quas adhuc protulimus in medium, diserte ejus filiorum Alberti Maynardi & Adelhardi mentionem fieri vidimus. Ac ne cui hi omnes mature admodum vivis excessisse videantur, Albertus adhuc anno M. CCC. LVIII, Maynardus anno M. CCC. XXII. adhuc vixerunt, ipsis eorum literis hoc satis aperte testantibus. Vt adeo liceat inde colligere, quam parum feliciter ad illustrium familiarum tabulas genealogicas conficiendas accedant, qui diplomatum antiquorum subsidio destituuntur.

Lucæ atrium Comit. part. 2. p. 1104.

In cœnobio Novi Operis hoc tempore celebratur quædam Margaretha de Herre Conventualis, quæ anno M. CCC. IV. die omnibus sanctis sacro hora V. vespertina in Choro ecclesiæ sublatis manibus orans subitanea morte expiravit,

Margaretha de Herre monialis N.O. subitanea morte obit.

Anni

Anni Christi 1347 1348.

Ludovici IV. Reg. 34. Imp. 20. & ult.
Caroli IV. Reg. 1. & 2.
Ab. V. C. 424. 425.

FAtalem Ludovici Cæsaris annum ingredimur, multis de causis Germaniæ luctuosum. Clemens VI. Pontifex superiore anno revocata Gregorii VIII. severitate optimum Imperatorem toties adhuc diris devotum in solenni Præsulum corona Imperii dignitate exuerat, sive Regis Galliæ aliorumque Ludovici inimicorum monitis illectus, sive suo ipsius fastu ad tam sacrilegum facinus proclivis. Verebatur enim inclementissimus Clemens, ne anathematum metus Pontificumque auctoritas sensim evilesceret, si Ludovicus toties hoc fulmine percussus tanta felicitate fasces Imperii retineret. Ideoque directis per Germaniam literis Regem hunc a se diademate privatum nunciavit, serioque aliud reipublicæ Caput dare Electores jussit. Neminem sibi hac in re magis adversaturum suspicabatur, quam Henricum Moguntinum Archiepiscopum, Cæsari conjunctissimum, omniumque ejus consiliorum participem: quam Sudem, ut eo maturius ex oculis evelleret, eodem odio eum habere cœpit, sacerdotio exuit, eique successorem misit Gerlacum Nassovium. Ceteri electores partim largitionibus corrupti, partim propinquitatis fœdere connexi facilius videbantur in papæ sententiam pedibus ituri. Nec fefellit eum sententia. Jacta enim alea, scenaq; hunc in modum instructa; statim Renselii electorum comitia indicta. Accessere ex compacto Gerlacus Moguntinus, Balduinus Trevirensis, Walramus Colonien sis, Johannes Rex Bohemiæ, & Rudolphus Dux Saxoniæ, qui repudiato Ludovico, consentiente suffragio Carolum Marchionem Moraviæ, Johannis Bohœmiæ Regis filium Regem salutarunt, Bonnamque deductum diademate incinxere. Parum hæc res commovit Ludovicum, causæ bonitate fretum, inprimis cum Carolum binis cladibus jam attritum indecora fuga per Germaniam vagari videret. Ne tamen occasionem rei gerendæ e manibus dimitteret, collectis subito copiis novisq; subsidiis a Ludovico filio Marchione Brandeburgensi accersitis Carolo Tyrolensi Comitatui imminenti occurrit, eumque commissis signis tam felici prælio prostravit, ut repentina fuga in Bohemiam se subduceret.

Papa Ludovicū frustra tentat exaucto rare. *Henr. Rebdorff. p. 436. Alb. Arg. adj. 121. sq Naucler. gener. 45. p. 190. Mut. l. 24 rer. germ. p. 225. Villan. l. 12 c. 59. Heidegg. period. 5. p. 65. Badius de Ludov. Bavaro. p. 18. sq.*

Hæc scenæ Ludovicinæ catastrophe, mira sane & posteris exemplo futura, tam admirabili vi, tamque divino robore justitiam præmuniri, ut quantumvis eam hostium livor oppugnet, contra omnes tamen machinarum impressiones insidiasq; invicta semper persistat, seque per se ipsam incredibili virtute defendat. Nec tamen diutius hasce turbas vidit Ludovicus, Monachii enim tempus venationibus fallens ex equo defluxit, tactusque paralysi V. idus Octobris vitam cum morte commutavit, ingentis animi princeps, quo superiorem vix annales suggerunt, quippe qui tot adversæ fortunæ telis petitus suæ se virtutis præsidio munivit, dignitatemque Cæsaream invito Pontifice ad extremum usque vitæ halitum retinuit, & libertatis Germanicæ restituendæ, præclara jecit fundamenta.

Ludovici obitus *Henr. Rebdorff. l. c. Alb. Arg. l. c.*

Carolo itaque ad reipublicæ gubernacula admisso tristis ubique rerum facies apparuit, nobilibus quam plurimis ad tumultuaria arma redeuntibus. Viciniam nostram inhospitam tunc reddidere Schwicholti, quæ nobilissima familia inter Hildesiensis Episcopatus ministeriales Marschallorum hæreditariorum munere cum laude perfungitur, atque vel ideo sibi his locum deposcit, quod a tot seculis in urbe nostra præclarissimis bonis fruita est, hodienum curiarum Schwigoltorum (Schwiegelt-Höffe) nomine nondum abolito. Hi itaque equites & nobilitate generis & rerum gestarum gloria florentissimi, cum Hildesiensi Episcopo tunc collisi Walmodensem arcem præmuniverant, militesque suos præsidiarios crebris excursionibus locupletabant, tanto terrore totam diœcesin concutientes, ut Henricus Episcopus se solum reprimendis Schwicholtis minimie parem crederet. Subsidiariis itaque copiis a Magno Duce Brunsvicensi ac Alberto Halberstadiensi Episcopo auctus castra sub arce metatur, novum propugnaculum irrito insultu diutissime tentat. Additum demum vi stratagema & amnis aggere obducto in arcem immissus. Unde Schwicholti ad ultima redacti Episcopo se æquis conditionibus dediderunt. Vulgo equidem hoc bellum in annum M.CCC.XLVI. annalium auctoribus refertur, cum tamen illud defuncto demum Erico Schaumburgensi Henrici Episcopi æmulo gestum ipsi fateantur. Jam vero Reutelius aliique paulo accuratiores Erici obitum referunt in annum M. CCC. XLVIII. quorum calculum nullo vitio laborare dixerim, siquidem bellum inter Henricum & Ericum Episcopos XIV. annos durasse communis omnium sententia est. Quod si ergo ab anno M.CCC.XXXV. quo dissidium hoc cœpit, numerum ineas, Erici obitus minimum in annum M.CCC.XLVIII. incidit. Ex quo consequitur etiam Walmodensem obsidionem ante hunc annum non fuisse susceptam.

Castrum Walmodense, occupatum ab Henrico Ep. Hild. *Pomar. p. 321. Chron Sax. Lexn. l. 2. Chron. Dasselc. f. 33. Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 239.*

Eadem animorum commotione in Halberstadiensi diœcesi bellum resumtum est. Comites enim Reinsteinenses ac Mansfeldenses nuperæ cladis memores incredibili pertinacia ad arma concurrunt, itaque cum Northusensibus fœdere Halberstadensem diœcesin, quam late patet prædis & incendiis exhauriunt. Hæc res Albertum quoque Episcopum eo adduxit,

Bellum Halberstadiense *Annales MSC. ap. Reiman. in Idea hist. Halb. ad ann. 1346. sq.*

Anni Chriſti 1324.1325.1326.

Ludovici IV. Reg. 11.12.13.

Ab. V. C. 401.402.403.

Ludovicus Cæſar a Pontifice excommunicatus & imperio privatus. *Alb. Arg. p. 123. Henr. Rebdorff. p. 419. Hervv. apol. Ludovici Bavari. Appendix tom. I. Freher. ſcript. rer. Germ. p. 19. ſq. Mutius l. 24. rer. Germ. Naucler. gener. 45. p. 882. Lehm. l. 7. Chron. Spir. c. 16. p. 746.*

ANnum igitur ſeculi quinti Goslarienſis primum, qui cum milleſimo trecenteſimo vigeſimo quarto a Chriſti nativitate concurrit turbulentum reddidit Joannis XXII. Pontificis Romani ambitio ac faſtus plane deteſtandus, quo optimum Cæſarem Ludovicum non ſolum anathemate percuſſit, verum etiam ipſo imperio privare auſus eſt. Cauſa odii non alia, quam quod Ludovicus Henrici VII. exemplo principibus ac civitatibus Italiæ, quibus inhiabat Pontifex, paulo familiarius utebatur ac Galeatium inprimis Præſidem Mediolanenſem Gibellinorum Ducem omni ſtudio fovebat. Quæ res ſtatim in eam ſuſpicionem adduxit Pontificem, ut Ludovicum conſtanter Imperii dignitatem defenſurum crederet. Idque eo certius ei præſagiebat animus, quod ſe inconſulto Imperatoris titulo eum uti cognoverat. Accedebant Galliæ Regis, cujus a nutu Pontifex pendebat, turbulenta conſilia, cum ipſe ſibi jam certa ſpe deſpondiſſet imperium ſi diris execrationibus compulſi Germaniæ proceres adverſus Ludovicum odium concepiſſent. Denique Mutio auctore ipſi Johanni Pontifici in turbido erat conſilium, quod ſperaret, diviſis in factiones proceribus, imperioq; inteſtinis discordiis vexato, exoptatiſſimâ ſe habiturũ occaſionẽ neceſſarios ſuos locupletandi, atq; Imperii poſſeſſiones convertendi in familiæ ſuæ emolumentum. Vt videas, quid conſilii fuerit Romanis Epiſcopis, tanto ſupercilio, tamque cenſoria gravitate ſacra fulmina in Cæſarum capita vibrantibus. Reperta tamen animadverſionis hujus cauſa, ne injuria oppreſſus videretur Imperator. Dicto enim die Avignionem ad interdictum venire jubetur, cauſaur.que dicere, quam ob rem inconſulto Papa Imperium uſurpet. Qua inopina ſententia perterritus, initio Cæſar ultra ingenium ſuum ſubmiſſus, legatos ſuos ad Pontificem mittit, objecta crimina diluit, ſeque ad ſatisfactionem, ſi qua in re quicquam humani paſſus eſſet, promto animo offert, ſtudioſiſſimum denique ſedis Romanæ religionisque aſſertorem ac vindicem ſe fore liberaliter pollicetur. Solent homines fortuna, aut naturali quodam faſtu ſuo inflati deteriores plerumque adverſariorum æquanimitate fieri. Videntes enim eos ſua auctoritate ad mitiora conſilia flexos, nihil jam mediocre amplius concupiſcunt, ſed laxatis ambitioni frenis plane obterendos illos exiſtimant, quos ſua ſeveritate terruiſſent, quaſi parum eſſet glorioſum, ſpolia incruenta detrahere. Idem tunc viſum eſt Johanni Pontifici, qui nulla excuſatione ad ſaniorem mentem pertractus miro tumore Imperatorem V. Calendas Julii incognita cauſa damnavit, diris devovit, Imperio exuit. Ea res quantam malorum Iliadem in Germaniam nondum a ſuperiore bello inteſtino reſpirantem intulerit, omnes loquuntur eorum temporum annales. Diſtractis enim per factiones animis, principibusq; inter Pontificem Cæſaremq; mediis ad arma itum eſt, quibus Ludovicus ingenti virtute nec minore felicitate imperii dignitatem, viginti tres annos contra Pontifices defendit, inprimis cum Fridericus Auſtriacus e carcere dimiſſus imperii dignitatem ſe nunquã Ludovico vivente uſurpaturum juraſſet. Eadem prudentia calamum quoque in Pontifices ſtringi juſſit, inventique ſunt ad munus hoc ſubeundum proclives Marſilius Patavinus, Wilhelmus Occam, Dantes Alighierius Florentinus, Johannes de Pariſiis, Lupoldus de Babenberg aliique excitati ingenii viri, qui tam graviter tamque luculenter Pontificis improbitatem expoſuerunt, ut nihil ſit eorum ſcriptis in hoc genere præclarius. Recentioribus Pontificiis qui cum Bzovio atque Odorico Rainaldo omnia ſibi in optimum hunc Principem permittunt, unum oppoſuerim Herwartum, qui Bzovii calumnias ſumma eruditione diluit, publicum commeritus doctorum plauſum, atque conſentiens ſuffragium.

Inter hæc Saxonia noſtra veluti e longinquo Colonienſis & Moguntini Archiepiſcoporum, fortunam ſpeculata, exemplo eorum cautius mercari didicit, fidemque Ludovico Cæſari mira conſtantia ſervavit integram. Nec tamen a civilibus diſſidiis per hos annos quievit. Mortalitatis enim legem impleverat Albertus Princeps Anhaltinus Halberſtadienſis Epiſcopus, cui cum diſcordantibus ſuffragiis altera canonicorum pars Albertum Ducem Brunſvicenſem, Eimbeccenſem præpoſitum, altera Ludovicum de Neindorp ſucceſſorem daret: ingens ſecuta eſt rerum perturbatio & funeſtum diſſidium. Ratam habuit Alberti electionem Matthias Moguntinus metropolitanus, atque ipſe Imperator Epiſcopum more ſolenni inveſtivit: Papa tamen Johannes ne quicquam inturbatum relinqueret, Ludovico Neiendorpio ad Brandeburgenſem Epiſcopatum evecto alium ſubmiſit Giſekonem, gente Holſatum, quo paulo poſt extincto Albertum Mansfeldenſem Comitem æmulum oppoſuit. Æmulis tamen his omnibus feliciſſime triumphatis invito Papa triginta annos Epiſcopatum obtinuit. Interjecto tempore plura prædonum caſtella diripuit, diœceſeos terminos latius protulit nihilque habuit antiquius, quam ea recuperare, quæ dudum a diœceſi fuerant avulſa. Albert. Halberſtad. Ep. creatur, unde diſſidia. *Narrat. hiſt. de Albert. Ep. Halb. p. 381. ap. Meib. Cranz. l. 9 metr. c. 35. p. 244. Guil. Bud. vit. Alb. II Winning. Chron. Halb. MSC.*

Goslariæ noſtræ tunc præfuit Johannes Meſo Advocatus, primus, qui ex patritia urbis familia ad hanc dignitatem aſpiravit. Meſonum enim familia in diploma- Johañes Meſo Advocatus Goslarienſis

nonnulli prælati. *Ex lit. Richenb. & Mont. S. Georgii*

matibus Senatus noſtri frequentiſſime occurrit, nec raro Conſules civitati noſtræ dedit. Ceterum ejus memoriam mihi ſuggerunt literæ Richenbergenſes, in quibus venditionem quandam civium Goslarienſium hac formula confirmat: *Et nos Conradus dictus de Piſcina miles, Johannes dictus Meſo Advocatus Civitatis Goslarienſis ad majorem evidentiam ſigilla noſtra huic ſcripto duximus appendenda. Datum anno Domini M. CCC. XXIV. ſequente die Symonis & Judæ.* Huic ex aliis literis ejusdem eccleſiæ addo *Borchardum Prepoſitum Montis S. Georgii, Ludolphum Prepoſitum Novi Operis, Henricum Decanum Montis S. Petri*, qui diplomata Richenbergenſia, nec non teſtamentum aliquod ſe vidiſſe hoc anno teſtati ſunt. Archidiaconatus Goslarienſis fuit penes Dnúm Johannem de Schwichelte, Canonicum Hildeſienſem, qui, cum hoc anno controverſia eſſet ventilanda, nec ipſe coram adeſſe poſſet, ſuo nomine miſit Detmarum Stacies qui rem in monaſterio S. Georgii ad liquidum perduxit. Extant ejús literæ, quæ ſic ordiuntur: *Detmarus Stacies Commiſſarius banni Goslarienſis Hildenesheimenſis diœceſis a Domino Johanne de Schwichelte Archidiacono Goslarienſi ſpecialiter deputatus . . Datum & actum in Prepoſitura monaſterii Montis S. Georgii prædicti ſub anno Domini Mileſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto Indict. IV. die XX. Menſis Novembris, hora veſperorum vel quaſi.* Denique extant aliæ Willekini, Ludolphi & Johannis de Borchtorpe tabulæ, quibus cum Monte S. Georgii certis legibus paciſcuntur. Teſtes ſunt Dominus *Conradus Abbas Montis Cellæ, Dominus Henricus Decanus Montis S. Petri prope Goslariam, Dominus Widekindus de Barckevelde, Dnús Borcharaus de Wiltenſtene milites, Bertoldus & Bertoldus fratres, famuli, Johannes de Polede, David & Henningus de Weſterode, Tylo de Bornum, Burgenſes in Oſterode, Tylo de Dornten, Henricus de Levede, Albertus Apecens Burgenſes Goslarienſes & plures alii fide digni. Datum anno Domini M. CCC. XXVI. feria VI. poſt Dominicam Invocavit.*

re antiquo Coronam Romæ ſuſceperat. Rebus itaque proſpere geſtis in Germaniam rediit, crebrisque comitiis Spiræ, Norimbergæ ac Francofurti celebratis multum de Pontificum ſeveritate conqueſtus id obtinuit a principum ſenatu, ut veluti e diuturno ſopore excitati decretum Pontifici opponerent, *non debere regem juſtis electorum ſuffragiis creatum Imperatoris juribus ac titulo defraudari, ſi vel maxime diadema ac confirmationem a Pontifice nondum obtinuerit.* Quod Senatus Conſultum deinde anno MCCCXXXVIII. communi procerum voluntate repetitum, literisque electorum ad Benedictum Pontificem delatum dici non poteſt, quantum ubique applauſum meruerit. Sed Johannes Pontifex cum ſe ubique premi, nec principes ſuo hortatu ad arma transcurrere animadverteret, alia via rem aggreſſus, æmulos Ludovico partim largitionibus, partim vanis promiſſis excitare tentavit. Jam enim Ottonem Auſtriacum oblatis quinquaginta florenorum millibus ad arma concitabat; Jam Johannem Bohemiæ regem ab Imperatore in Italiam miſſum ſpe regni in Ludovici odium ſollicitabat, ſed irrito utrinque conatu. Auſtriacus enim otii quietisque quam civilium bellorum ſtudioſior oblatam conditionem aſpernatus eſt; Joannes vero Bohemus re nimis mature prodita Ratisbonæ multum ſe Imperatori excuſavit, maluitque Imperatorem falſa opinione deluſum ſibi reconciliare, quam rem aggredi tam periculoſæ aleæ plenam.

cis conſiliis regnat. *Trithem. ad h. ann. Spangenb. c. 282. p. 480. H. Rebd. p. 425. & 426. ubi conf. Freher. addit. Naucler. gen. 45. p. 888. Latom. Chron. Francof. ad h. ann. 1338.*

Saxoniam noſtram adhuc turbabant latrones Alberti Halberſtadienſis Epiſcopi æmuli, Goslariá qui Hercynicorum Comitum inprimis vexan- tes. Reinſteneníium & Mansfeldenſium auxiliis ſuffulti mira crudelitate in Halberſtadienſem Diœceſin graſſabantur, pari tamen clade ab Alberto Epiſcopo rejecti. Vicinia noſtra etſi a bellis vacua, bello tamen quovis pejores aluit prædones, qui præmunitis montium cacuminibus, ac cuniculis ſuffoſſis, nulli aut ordini, aut dignitati parcebant, omnia intercipientes, quæ in urbem noſtram erant deferenda. Adeo hoc invaluit malum, ut ne judiciis quidem amplius coërceri poſſent togati hi vultures. Quapropter Ludovicus Cæſar multis Goslarienſium precibus fatigatus luculento diplomate conceſſit facultatem vim vi repellendi, armisque frangendi perniciosam hanc reipublicæ catervam. Nos ipſas Ludovici literas ſubjiciemus:

Ex literis Richenb.

Anni Chriſti 1330. 1331.

Ludovici IV. Reg. 17. 18. *Imp.* 3. 4.

Ab. V. C. 407. 408.

Ludovicus in variis comitiis Pontificis.

INterea Ludovicus Cæſar ſuperioribus annis in Italia verſatus mira felicitate ac prudentia res conſtituerat, urbes præcipuas ſibi in fide conſervaverat, Johanni Pontifici Sacerdotium abrogaverat, ac mo-

Conſenſa Ludovici Imperatoris armis coërcentur.



VDEWICUS Dei gratia Romanórum Imperator ſemper Auguſtus prudentibus viris Conſulibus Communitati & univerſis incolis civitatis & diſtrictus *Goslarienſis*, ſuis & Imperii fidelibus dilectis gratiam ſuam & omne bonum. Frequens & aſſidua clamoſa inſinuatio noſtræ defertur auribus majeſtatis, quod vos in medio malignorum latrunculorum poſiti ſuſtinetis tam in perſonis, quam

in rebus quotidianas injurias, violentias, & rapinas de iisdem. Cum igitur divorum Romanorum Imperatorum prædecessorum nostrorum sacris legibus sit statutum, quod nemini sine judice & judicio se liceat vindicare, hoc ideo statutum fuit, ut judicio & justitia singuli contententur, qui Imperiali clementia gubernantur. Sed quia malitiæ multorum hominum invaluerunt adeo, quorum iniquis conatibus per nostram magnificentiam obviandum est remediis oportunis, quod justitia & judicio non contenti invadant violenter vos & vestros manu armata, non judicis auctoritate sed propria temeritate, non solum in rebus verum etiam in personis. Nos igitur, qui omnem injuriam Imperiali majestate nobis divinitus commissa debemus refrænare, vobis prædictis præsentibus & futuris concedimus & injungimus autoritate Imperiali, quod possitis & debeatis injuriatores vestros & vestrorum, imo sacri Imperii & nostri quoscunque in continenti vel etiam per temporis intervalla manu armata & militari prohibere & vindicare, commissa & committenda præcavere; tam in injuriatorum personis, quam in rebus eorum vim vi repellere liceat, ubi judicium injuriator non expectat, dummodo coram fide dignis & honestis personis strictam justitiam vel æquam amicitiam exhibeatis, vos staturos injuriatoribus prædictis & similiter recepturos arbitrium vel judicium sapientum & de hoc facere velitis justam quoque & idoneam recipere cautionem. Præterea quia non convenit membra de suo capite discrepare, vosque membra sacri Imperii sitis, vobis prædictis tam præsentibus, quam futuris autoritate præsentium damus firmiter in mandatis, quatinus Advocatus vester præsens vel futurus judicia & edicta in districtu prædicto celebranda sub banno Imperiali judicet & edicat temporibus in futuris. In cujus rei testimonium præsentes conscribi & nostræ majestatis sigillo jussimus communiri. Datum *Nurenberch* in die B. Viti Martiris. Anno Domini M. CCC. XXXI. regni nostri XVII. Imperii vero quarto.

Advocatorum Goslariensium potentia sensim collapsa.

Ex luculento hoc diplomate hoc simul dilucet, civitatem nostram per hæc tempora Advocati jugum excutere sensim cœpisse. Quod tamen Ludovicus Imperator jurium suorum servantissimus diplomate hoc severe interdicit. Videtur autem ex hoc tempore sensim expirasse advocatorum potentia, atque eorum jura ad amplissimum Senatum nostrum paulatim devoluta. Neque tamen Advocatorum nulla amplius mentio fit in diplomatibus, ut enim reliquos taceam, quos suo loco indicabimus, sub finem certe hujus seculi Sivert de Rottinghe in Cæsareo Palatio Imperatoris nomine juri dicundo se præfuisse testatur, cujus literas jam libro primo, ubi de palantiis civitatibus actum est, protulimus in medium. Atque hic solus Advocatum Cæsareum se appellat, ceteri qui se ex illo tempore Advocatos Vögte to Goßlar vocare soliti sunt, non Cæsarei reputari debent, sed prætores urbani Stadt-Voigte/ quorum jurisdictio non immediate a Cæsare sed a Senatu dependet.

ecclesiæ optat restitui *Alb. Arg. adp. 125.*

faris inimicus, cui Benedictus XII. successit, placidiore ingenio præditus, magnamque proclivitatem præ se ferens Ludovicum in ecclesiæ gremium recipiendi. Lætus hac rerum commutatione Cæsar officiosa legatione Benedictum prensavit, ut demum finem faceret diuturni dissidii, omnia simul liberaliter pollicitus, quibus sedem Romanam demereri liceat. Restitere tamen Pontifici Philippus Rex Franciæ, Robertus Rex Siciliæ, Johannes Bohemus plurimique Cardinales a Ludovici hostibus corrupti, nunquam se commissuros esse clamantes, ut Ludovicus ecclesiæ restituatur: quam tamen illatam sibi injuriam Ludovicus Cæsar in Bohemiæ Rege egregie vindicavit.

Anni Christi 1334. 1335.

Ludovici IV. Reg. 21. 22. Imp. 7. 8.

Ab. V. C. 411. 412.

Ludovicus Imp. frustra

MOrari subinde inter homines desiit Joannes Pontifex Romanorum, homo turbulentus & capitalis Ludovici Cæ-

At Saxoniam viciniamque nostram occultis latronum insidiis jam satis vexatam, proximus annus in apertum bellum contiente jecit. Causa belli non alia, quam discors Episcopi Hildesiensis Episcopi electio, quæ tunc sæ- Hildes. pius ecclesias afflixit. Ex quo enim jura electio- sacrorum ab Imperatoribus ad ecclesias ne consuerant devoluta, non solum Canonici flatum. subtractis Episcopis in' diversa suffragia *Lerbec.* scissi binos aut plures sæpe candidatos ob- *Chron.* tulerunt, verum etiam Pontifex Roma- *Schaven-* nus suo arbitrio submisit Episcopos; qui- *burg p. 515* bus de prælatura ecclesiastica providerat. *Cranz. l. 9* Ex qua re immensa subinde bella dissidia- *metr. c. 21.* que funestissima exarsere, inprimis hoc *p. 247.* tempore, quo collisis inter se Imperatore *Reut. p. 99* & Pontifice Ludovicus a sede Apostolica *Chron.* pro- *Hildesh. ſa*

Bellum ex dissen tiente

Chron. MSC. de Ep. Hild. c. 38. Brusch. c. 11. de Ep. n. 86. p. 254. Bucelin. part. 1. p. 19 Germ. S. Henr. Rebdorff. p. 425. Chron. SS Uldalr. & Afræ p. 368. ap. Freher. tom. I.

provisos strenue rejecit. Quam rem ita refert Henricus Rebdorffiensis: *In Alemannia magnum schisma fuit in clero & populo, ex provisionibus sedis Apostolicæ ad Episcopatus & solennes prælaturas & alia beneficia, quæ idem Ludovicus in odium sedis Apostolicæ fortiter impedivit, multos etiam provisos a sede, qui ei obedire nolebant, non admisit*, quemadmodum & auctor Chronici SS. Udalrici & Afræ a Frehero editi jam dudum fuerat conquestus: *Ex hoc ita facto gravissimum schisma oritur inter regnum & sacerdotium, ita ut fere tota Christianitas per plures annos novis & insolitis pressuris plurimum turbaretur. Nam electiones, episcoporum, personatuum & aliarum magnarum dignitatum tunc a sede Apostolica & legatis ejus taliter sunt suspensa, ut contra voluntatem eligentium is vel ille præficeretur, qui vel cujus amici videbantur sedi Apostolicæ plus favere.* Ejusmodi rei exemplum nuper viderat Halberstadiensis Ecclesia, in qua Canonicorum alii Ludovicum Neiendorpium, alii Albertum Brunsvicensem, Pontifex Romanus Giselconem quendam Holsatum Episcopum salutaverant. Eadem tragœdia in Hildesiensi sede hoc tempore acta est. Obierat nuper Otto Comes Woldenbergensis, Hildesiensis Episcopus, cui cum Canonici successorem daturi convenirent, scissi in diversas factiones alii Henricum Ducem Brunsvicensem ingentis animi principem & consanguineorum potentia florentissimum, alii Ericum Schauenburgensem Comitem elegere. Henrico favebant quamplurimi diœceseos ministeriales, qui & munitiores arces ei tradiderunt. Erico econtrario hærebant Canonici nonnulli & Hildesheimensis civitas, atque ipse Romanus Pontifex, qui Henricum Brunsvicensem in Erici gratiam anathemate percussit. Delitescebat interea Ericus in urbe, civiumque armis adjutus modo Sturwaldiam aliasque vicinas arces ferro flammisque devastabat, modo facta in circumjacentem agrum irruptione prædas agebat. Henricus vero omnes arces officium detrectantes aggressus brevi tempore ad obsequium coegit. Factis induciis a bello aliquandiu cessatum, sed utroque tamen, quæ occupaverat, munimenta retinente, mox ad arma reditum est, nec reddita prius episcopatui quies, quam Ericus post acre quatuordecim annorum bellum mortalem vitam exuens Henrico insignia sacerdotii relinqueret. Remoto itaque æmulo Henricus ab anathemate pontificio solutus Episcopali muneri cum laude præfuit, Hildesheimenses gravi ære mulcatos & ad extruendum Mariæburgense castrum compulsos in gratiam recepit, omnibusque hostibus dextro Marte debellatis successoribus decem munitissima castella una cum totidem præfecturis reliquit, anno MCCCLXII. vita defunctus.

Cives Goslarienses certas missas Richenbergæ instituunt.

Inter hunc civilium bellorum strepitum, quo Hildesiensis ac Halberstadensis diœceses, atque adeo tota vicinia nostra undiquaque personabat, Cives tamen nostri id inprimis pro virili dabant operam ut cultus divinus suo beneficio quotidie efloresceret magis. Veluti hoc anno Hermanni & Burchardi de Dornten civium Goslariensium filii procul dubio de parentum salute anxii Richenbergensi Canonicorum Collegio decem marcas puri argenti ea lege largiti sunt, ut quatuor missæ singulis septimanis, una videlicet de S. Trinitate, altera de Domina nostra, tertia pro defunctis, & denique ultima de S. Joanne Evangelista perpetuo inposterum celebraretur. Quibus sacris se Richenbergenses his tabulis adstrinxerunt:

NOs *Johannes* Dei gratia Præpositus *Hermannus* Prior totusque Conventus Ecclesiæ S. Mariæ in Richenberg publice recognoscimus in his scriptis quod recepimus a pueris *Hermanni* & *Burchardi* fratrum bonæ memoriæ dictorum olim de *Dornten* burgensium in Goslaria, decem marcas puri argenti de quibus procurabimus annuatim redditus unius marcæ consimilis argenti, in hunc videlicet modum, quod nos in cripta Ecclesiæ nostræ servare debemus quatuor missas singulis hebdomadis, unam videlicet de S. Trinitate, unam de Dnã nostra, unam pro defunctis, unam de S. Joanne Evangelista perpetuis temporibus duraturas, ita quod quicunque de nostris easdem servaverit missas, eidem dabitur unus solidus Goslariensis denariorum dativorum singulis septimanis de marcæ reditibus prænotatæ. Si vero dictæ missæ debitæ, ut præscriptum est, observatæ non fuerint casu qualicunque eveniente, quod absit, tunc prædicti pueri ac eorum hæredes plenum habent posse extorquendi dictæ marcæ pecuniam absque periculo de officiis communibus Dnorũm, quousque dictarum missarum officia compleantur & si tunc aliqua ex ipsorum extorsione completa fuerint, hæc Dñis nostris modo ut præscriptum est, debent integre ministrari. Ad hæc omnia præmissa jugiter observanda, nos nostrosque successores firmiter obligamus præsentibus, quorum in testimonium præsens scriptum nostris sigillis præpositi videlicet & conventus ipsis dedimus firmiter communitum. Datum anno Dñi, M. CCC. XXXIV. ipsa die B. Galli confessoris.

Goslarienses per 20 annos excommunicationi sub jacent. *Ex diplom. SS. Sim. & Jude ad ann. 1355.*

Aſt non diu hujusmodi ſacris ut putabant operibus ſibi conſulere civibus Goslarienſibus licuit, tota quippe civitate una cum vicinia a Johanne Papa XXII. anathematis fulmine percuſſa. Conſtantius adhuc civitas noſtra Ludovico Cæſari indignante licet Pontifice obſequium præſtiterat, nec minore fide hærebat Henrico Hildeſienſi, quem conſentientibus ſanioris Capituli ſuffragiis noverat electum, nec cives, neque Clerus noſter eo ſe paſſi ſunt adduci, ut Ericum Schawenburgenſem, a Papa intruſum Epiſcopum agnoſcerent. Quid? quod, niſi conjectura me fallit, civitas armis adjuvaret Henricum, eique omnem operam navaret. Qua conſtantia offenſus Pontifex in ſenatum non minus, quam Clerum omnem, ut & vicina monaſteria excommunicationis pronunciat ſententiam ipſique civitati ſacris interdicit, tanta ſeveritate uſus, ut intra viginti annos ab hac ferali cenſura non abſolverentur. Qua de re ſuo loco plura ſumus dicturi. An vero a ſacris interea ceſſarint, pontificiisque iniquæ paruerint ſententiæ, multa ſunt, quæ dubitare me jubent.

Anni Chriſti 1336. 1337.
Ludovici IV. Reg. 23:24. Imp. 9. 10.
Ab. V. C. 413. 414.

Plures de hæreſi ſuſpecti in Saxonia ſupplicio affecti. *Chron. Magdeb. p. 340. ap. Meib. Arnold. l. 14. c. 5. hiſt eccl. & ſecr. p. 396.*

Isdem fluctibus, quibus respublica annis ſuperioribus jactabatur eccleſia etiam ſub id tempus afflicta eſt, quemadmodum ferme ſemper turbæ ejusmodi cum corruptione eccleſiæ ſolent eſſe conjunctæ. Videbantur jam Clerici in utramque aurem ſtertere, & licet omnis diſciplina cum doctrina ſaniore dudum evanuiſſet, adeo tamen ſibi placebant ſuis moribus, ut incredibili ſævitia omnes capitis damnarent, qui paulo liberius eccleſiæ Clerique vulnera detegebant. Hinc dici non poteſt, quanta ſeveritate in Saxonia noſtra in eos ſævitum ſit, quibus hæreticorum nomen clerus impegerat. Magdeburgi prodibant aliquot mulieres communem ſeculi ſuperſtitionem adſpernantes. Has *Beguinas de alto Spiritu*, nomine ſatis barbaro appellabant, cuſtodiæque mancipatas non patiebantur in liberam auram prodire, donec dimiſſis erroribus ſuis cum vulgo ſe inpoſterum ſentire velle promitterent. At multo crudelius conſultum in cives quosdam Angermundanos Luciferianorum nomine infames. Miſſi illuc Fr. Jordanus hæreticæ pravitatis inquiſitor Fr. Nicolaus Gardianus fratrum minorum Berolinenſium & Magiſter Vinearum præpoſitus Sehuſanus, qui convocatis reis & ad purgationem canonicam compulſis, XIIII. utriusque ſexus homines in purgatione deficientes vivicomburio excruciandos ſtatuerunt. Quæ feralis ſententia Erphordiæ quoque in quendam Conſtantinum Begardicæ hæreſeos poſtulatum a eodem Jordano pronunciata eſt. Adeo nihil non agebant Pontificis ſervoli, ut homines paulatim nutantes exquiſitiſſimis plurimorum ſuppliciis in obſequio retinerent.

Prælatorum nonnullorum Goslariensium nomina. *Ex literis Gravii ſ.*

Goslariæ quid hac tempeſtate geſtum ſit incompertum habeo. Extant tamen Ludolphi militis & Alferici & Alardi famulorum de Borchtorpe literæ, quibus cum monte *S.* Georgii de bonis nonnullis paciſcuntur. In iis teſtes nonnulli proferuntur, quorum mentionem alibi vix fieri deprehendi: *Hujus rei teſtes ſunt honorabiles viri Dominus Anno Decanus Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ Goslariæ, Dominus Bertholdus præpoſitus in Richenberg, Dnūs Henricus præpoſitus Novi Operis, Wetego dictus Copmann, Albertus de Dornten, Bodo dictus Trabes burgenſes Goslarienſes cum pluribus aliis fide digni. Actum & datum A. D. M. CCC. XXXVII. in die Servatii Confeſſoris & Pontificis.*

Annus Chriſti 1338.
Ludovici IV. Reg. 25. Imp. 11.
Ab. V. C. 415.

Princ. pes Ludovico Cæſari favent. *Reſpice ad ann. 1330.*

Succedit annus Chriſti poſt milleſimum & trecenteſimum trigeſimus octavus multis comitiis in Ludovici gratiam habitis celebris. Convenere hanc in rem principes Spiræ, Coloniæ Francofurti eodem ſemper conſilio, ut Ludovicum Cæſarem Pontifici reconciliarent. Sed fruſtra erant Germani, Galliæ quippe Rege nihil agente ſollicitius, quam ne Pontifex ad mitiora ſe conſilia flecti patiatur. Hinc mirati Pontificis ſupercilium magno conſenſu Senatus Conſultum nuper in Francofurtenſi conventu factum revocarunt, Cæſares a Pontifice minus juſte excommunicari, eosque qui Pontifici hac in re morem gerant ex imperio proſcribendos eſſe ſancientes. Vt adeo videas, quanta prudentia Ludovicus Imperii faſces geſſerit, cum principum animos in pontificem ante hæc tempora fere procliviores adeo ſibi devinxerit, ut nemo eſſet e tanto numero, quin Pontificis impotentem dominandi libidinem deteſtaretur.

Otto Dux Brunſvicenſis in Italiam militatū profectus Goslar. tertiam partē montis Rameli-ni offert.

Florebat inter has turbas in Grubenhagenſi familia Otto Dux Brunſvico Luneburgenſis Henrici junioris filius, princeps, Theodorici Niemii judicio, ab ineunte puericia in armis enutritus, omnes æquales ſuos & bellica laude & prudentia civili longe ſupergreſſus. Hic quamvis fratres ſuos ætate anteiret, patriis tamen provinciis patruo Erneſto demandatis noluit virtutis ſuæ gloriæque theatrum intra abdita tantum Hercyniæ juga conſtituere, ſed alium ſibi quæſivit campum, in quo ſua virtus tot veluti præludiis ſpectata latiſſime excurreret. Oportunum igitur acci-

accidit, ut Johannes Bohemiæ Rex occulte nuper a Pontifice ad suscipiendum Italiæ Regnum sollicitatus expeditionem suscipere trans Alpes statueret, cujus societatem Otto eo cupidius ambiebat, quo magis se ibi Guelphorum potentia suffultum iri sperabat. Itineri se accingens copiasque undique conscribens cum se minus a pecunia instructum animadverteret, Ernestum patruum ex pacto rogavit, ut pro bonis oppignoratis certam pecuniæ summam pignoris loco solveret. Quod cum minus commodum videretur Ernesto, Ottoni auctor fuit, ut certam pecuniæ summam aliunde mutuam sumeret, tertia proventuum parte e monte Ramelino redeuntium hypothecæ loco opposita. Oblata hæc conditio civitati nostræ, quæ illam minus adspernata, statim argentum affatim se daturam pollicita est, si Ernestus Gottingensis pactionem ratam esset habiturus. Cum tamen hic abnueret & jus omne in metalla Goslariensia Grubenhagensibus denegaret, resoluta hac emtione Otto Duderstadium, Gebelhusum & quicquid in Eichsfeldia possederat, Moguntino Archiepiscopo oppignorare coactus est. Vbi in Italiam pervenit, a Pontifice adversus Galeatium aliosque Gibellinos Dux constitutus multas laudum adoreas palmasque consecutus est, quadragies victor, nunquam victus, dignusque demum Johannæ Neapolis & Siciliæ Reginæ visus, quem anno M. CGC. LXXVI. (nisi Kollenutii computus fallit) in maritum adoptaret.

Theod. Niem. l. 1. de Schism. c. 24. Lezn. l. 3. Chron. Dassel. c. 18. 19. fol. 82. sq. Bunting. part. 4. Chron. Brunsv. p. 573. Meib. de area bulla Andron. p. 477. sq. Werdenh. part. 4. de reb. Hans. p. 477. sq.

Cives nostri dudum excommunicationis perculsi, non omisere tamen opes suas ad promovendum cultum divinum more seculi conferre. Hoc pietatis sensu tactus hoc anno Henricus Backmeisterus Civis Goslariensis Richenbergensium Canonicorum Collegio pietatis ac disciplinæ laude præcipue florenti pro suæ parentumque animarum remedio XII. marcas puri argenti eo consilio obtulit, ut singulis septimanis in capella S. Augustini ecclesiæ Richenbergensi contigua tres missæ, una de tribus magis, altera de Domina nostra, tertia de S. Johanne Evangelista, & ultima denique pro defunctis rite conficiantur. Quod institutum literis suis ratum habuere Bertholdus præpositus, Johannes Prior, totusque Conventus Canonicorum Regularium in Richenberge:

Henricus Bakmeisterus Civis Goslar. missas aliquod Richenbergæ instituit. *Ex lit. Richenb.*

Ad perpetuam rei memoriam:

OS Dei gratia *Bertholdus*, Præpositus, *Joannes* Prior, totusque conventus Canonicorum regularium Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in *Richenberge*, notum facimus omnibus Christi fidelibus tam præsentibus, quam futuris, quod *Henricus* dictus Backmester, Burgensis in Goslar divino inductus spiramine ad honorem omnipotentis Dei & sanctissimae Genetricis ejus Virginis Mariæ, ac etiam pro salute animæ suæ & parentum suorum contulit nobis & Ecclesiæ nostræ, duodecim marcas puras, quas ad comparationem domus quondam Dñi *Himrici* de Goteringe, sitæ juxta capellam S. Viti expendimus, pro qua quidem pecunia vendimus eidem reditus unius marcæ puri argenti, de quatuor mansis *Astveldæ* sitis, quos Hermanno Stellenberge & uxoris suæ ad vitæ eorum tempora sub annuo censu locavimus, dimidietatem festo B. *Michaelis* & dimidietatem festo *Paschæ* annis singulis persolvendas. De hac quidem marca redituum idem Henricus in nostra Ecclesia decrevit taliter statuendum, quod singulis Hebdomadis in Capella *S. Augustini* perpetuis temporibus quatuor missas procurabimus celebrari unam de tribus magis, videlicet *Ecce advenit*, secundam de Domina nostra: tertiam de S. Johanne Evangelista & ultimam pro defunctis, has vero missas præfatas, memoratus Dñus noster *Bertoldus* nunc Præpositus recepta marca prædictorum redituum vitæ suæ temporibus si sibi placuerit per se sive per alium dici singulis septimanis ut præmittitur procurabit. Quo defuncto & tunc sacerdotes confratres præfatis reditibus pro emolumento receptis celebrabunt tempore sempiterno, si vero, quod absit, dicta marca redituum aliquo terminorum prædictorum non solveretur, ex tunc *Henricus Bakmester* praedictus, aut sui haeredes, una cum sacerdotibus Ecclesiae nostrae, eam pandatione in dictis bonis extorquere poterunt, cum auxilio praepositi, quod ad hoc minime denegabit. Caeterum adjectum est, quod Praepositus noster, quandocunque ad hoc facultates Ecclesiae suppetunt, dictos reditus reemere poterit pro duodecim marcis puri argenti praefatis, quas Henricus saepe dictus aut sui haeredes una cum sacerdotibus nostris in alios reditus unius marcae perpetuos debebunt convertere. De quibus

omnia & ſingula praeſcripta inviolabiliter perpetuis temporibus ſervabuntur. Inſuper propter ſingularem devotionem, quam idem Henricus ad noſtram Eccleſiam habere dinoſcitur, damus ei tam in vita, quam in morte plenam fraternitatem & communionem, & parentibus ſuis, orationum, vigiliarum, miſſarum, caeterorumque bonorum operum, quae in noſtra Eccleſia per nos & noſtros ſucceſſores operare dignabitur clementia ſalvatoris. Ad praemiſſorum evidentiam & firmiorem perſeverantiam duximus praeſens ſcriptum ſigillis noſtris Praepoſiti videlicet & Conventus firmiter roborandum. Datum anno Dni M. CCC. XXXVIII. die Converſionis S. Pauli Apoſtoli.

Diſciplinæ integritas in hoc monaſterio. *Ex literis Richenb.*

Ut autem appareat, quam continentis diſciplinae vir fuerit Bertholdus Richenbergenſis Præpoſitus, non fuerit ab hoc loco alienum rem notatu dignam referre. Receptus in ſacram hanc familiam fuerat quidam Florinus, religioſam vitam profeſſus, qui cum juſto viveret liberius, moribusque nimis profanis adſueſceret, a Bertholdo Præpoſito ſæpius increpatus, omnem ſalubrem admonitionem incredibili pertinacia reſpuit, eoque demum prolapſus eſt, ut ad pœnam clauſtralem poſtulatus armis, quæ furor miniſtrabat, ſe opponeret. Ceſſit equidem Præpoſitus homini irarum pleno, Florinus tamen nimis ſe jactans juſto Dei judicio tibiam confregit. Quo caſu tantum abeſt, ut reſipuerit, ut potius conſanguineorum conſiliis ac ope adjutus longe furioſius, quam antea Præpoſito ſe opponeret, omneque exueret obſequium. Hac re pervulgata Henricus Hildeſienſis Epiſcopus directis ad Plebanos & Vice-plebanos Goslarienſes literis omnes Florini conſanguineos ſerio juſſit dehortari, ne pertinacis hominis animum ſuis monitis magis exacerbent, ſed id potius dent operam ut ad frugem redeat dignamque præpoſito ſuo offerat ſatisfactionem. Quod niſi feciſſent fore, ut omnes excommunicationis ſententia notentur. Idque ne quis ignoret, anathematis formulam quavis die Dominica e ſuggeſtu promulgari præcepit. Præclarum ſane integræ diſciplinæ documentum, quod Religioſis Richenbergenſibus ne minimam quidem exorbitandi licentiam, relictam fuiſſe declarat. Patet etiam inde, Goslarienſes plebanos inſuper habita interdicti papalis ſententia non modo epiſcopo ſuo Henrico conſtanter adhæſiſſe verum etiam ſacra more ſuo feciſſe conſtanter.

Henricus Decanus Montis S. Petri.

Eccleſiæ Montis S. Petri per hæc tempora præfuit Henricus Decanus, qui reditus quosdam olim Henrico plebano Oſteracheni & Vice-Rectori Capellæ S. Catharinæ Goslarienſis locatos, hocipſo anno Richenbergenſibus vendidit. Hæc Capella cujus jam primo libro fecimus mentionem, in civitatis noſtræ infima plaga ad mœnia ſita, jam olim ad eccleſiæ Montis S. Petri Canonicos ſpectavit, quorum rogatu a Pontificibus plurimis indulgentiis locupletata atque a civibus magna devotione frequentata eſt. Ex quo vero eccleſia Montis S. Petri in buſtum conſedit, Canonicorum collegium abrogatis Romanenſibus ſacris in hanc capellam migravit, ubi hodienum laudis divinæ reſonat melos. Quæ de re ſuo loco plura ſumus dicturi.

Capella S Catharinæ.

Anni Chriſti 1339. 1340.

Ludovici IV. Reg. 26. 27. *Imp.* 12. 13.
Ab. V. C. 416. 418.

Pax publica inter Saxoniæ principes ſtabilita. *Henr. Aquitanopol. Lib. de prim. Lub. cap. 5. p. 613. ap. Meib. Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 237.*

NOndum in vicinia noſtra aliisque circumjacentibus provinciis a tumultuariis armis ceſſatum eſt. Equites enim quidam lucri dulcedine illecti inſuper habita omni generis nobilitate prædato vivere, viasque publicas latrociniis infeſtare, non dubitabant. Nec principes conglobato prædonum cuniculo pares amplius erant, eo quippe audaciæ progreſſo, ut apertis ſæpe armis contenderet, prælliique juſti faceret copiam. Hinc Bremenſis, Brandenburgenſis, Havelbergenſis, Verdenſis, Sverinenſis, Razeburgenſis, Lubecenſis & Halberſtadenſis Epiſcopi, Principesque Brunſvico-Luneburgenſes, Stetinenſis, Wolgaſtienſis, Saxo-Luenburgenſis, Marchio Brandeburgenſis, Comites Holſatiæ, Sverinenſes, Ruppinenſes, Wittegburgenſes & Meklenburgenſes, aliique Saxoniæ proceres Lubecæ convenere, quorum in congreſſu de extirpandis latrociniis publicaque ſecuritate reſtabilienda actum eſt, ſtatutumque, ut inter hos principes civitatesque Lubecam & Hamburgum pax publica ſex annos inviolata ſervetur, ſuſpendii ſupplicio iis denunciato, qui neglecto hoc fœdere turbas dare fuerint auſi.

Conradus Cocus Franciſc. Gosl.

Franciſcanorum apud nos monaſterium tunc aluit Conradum Cocum Hornburgenſem, quem ad annum usque M. CCC. L. Gardiani munere perfunctum auctor eſt Leznetus.

Lezn. c. 19 MSC. de monaſt. Richenbergenſes advocatorum injuriis ſe liberat Ex lit. Richenb.

At Richenbergenſibus id præcipuæ curæ cordique fuit, ut Advocatorum injuriis ſenſim ſe liberarent. Quam rem omnes, quibus advocatiæ jus in aliquot agros competere videbatur, oblata certa pecunia eo permoverunt, ut juri ſuo renunciarent. Quemadmodum anno M. CCC. XL, idem factitatum a Johanne de Rotzinghe famulo. Literis ea de re *Datis anno Dñi, M, CCC, XL. in die Palmarum,*

Anni

Anni Christi 1341. 1342.
Ludovici IV. Reg. 28. 29. *Imp.* 14. 15.
Ab. V. C. 418. 419.

Pax in Imperio. *Henr. Rebdorff. p. 433. Albert. Argent. p. 129.*

NIhil jam sequentibus annis Imperio quictius. Principes enim Ludovici virtutem magis magisque indies suspicientes, imperium ejus æquo animo ferebant. Quam publicam tranquillitatem Ludovicus Cæsar suo edicto firmaturus, Henrico Rebdorffio auctore, *generalem pacem in Alemannia fecit, in Suevia, Bavaria, Franconia, & circa Rhenum, qualis antea longo tempore citrà non est audita; quam juramentis suis firmaverunt principes, Domini & civitates, & judices speciales hujus pacis sunt dati.* Et quamvis paulo post inter principes & civitates Francnicas lites gliscerent in ferale bellum erupturæ, Ludovicus tamen, qua erat auctoritate dissidium hoc facile sopivit, jussitque utramque partem arma ponere. Adeo constanter Imperatori suo favebant Germani, ut injustam Pontificis execrationem plane nihili facerent, id quod a tot seculis pene fuerat inauditum.

Alberti Halb. Ep.

At turbulenta inter hæc Saxonia nostra, nondum sopita discordia, quæ ex discrepante electione Halberstadiensi exarserat. Inprimis Reinsteinenses & Mansfelderi comites, irruptione in diœcesin facta, ferro flammisque omnia devastabant, nullique parcebant loco, nec sacro nec profano, imo proxime insequente anno M. CCC. XLIII. nocte natalitia Christi præcedente per mœnia occulte in urbem penetrantes cives ad arma concurrentes trucidabant, inermes captivos secum abducebant. Nec segnior Albertus Episcopus collectis copiis suis fratrumque subsidiis adjutus cladem hanc ulcisci studuit. Comitum quippe horum provinciis, quam late patent, ultrice flamma devastatis. Parentatum tunc quoque tot civium stragi Monasterii Heilstani excidio, nec Comitibus his mitiora contigissent, nisi Alberti clementia eorum delicto auctior ampliorque fuisset. denuo cum Comitibus Hercyni cis collisus. *Cranz. l. 9 Sax. c. 28. p. 249. Anon. Contin. Annal. Halb. MSC. ap. Reimann. in idea Chron. Halb. ad h. ann.*

Bunting. part. 1. Chr. Brunsv. p. 237. sq.

Richenbergensis Ecclesia facultatibus tunc novis locupletata a Roberto Abbate Betzingerodano bona nonnulla in Haverla XXX. marcis argenti coëmit, quam venditionem Tidericus Abbas Riddagshusanus hisce literis ratam habuit: Mariæro dani Richenber gensibus bona quædam vendunt

NOs frater *Thidericus* Abbas Monasterii Riddageshusa prope Brunsvic recognoscimus in his scriptis, quod religiosi & dilecti nobis in Christo Dnūs Abbas & conventus Monasterii in Betzingerod venientes ad præsentiam nostram nobis humiliter supplicarunt, ut venditionem trium mansarum & unius curiæ in *Haverla* per ipsos honorandis viris Præposito, priori, & Conventui in *Richenberg* pro bono & utilioribus reditibus comparandis factam approbare dignaremur. Nos igitur videntes dictum contractum rationabilem reperiri, consensum nostrum adhibemus & eum auctoritate, qua possumus confirmamus, volentes ipsam Richenbergensem Ecclesiam possessione hujusmodi in perpetuum frui pacifice & quiete, in cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Anno Dñi. M. CCC. XLI. in Dominica qua cantatur *Esto mihi.*

Robertus Abbas Betzingerodanus, (qui & Mariærodanus audit) incidit in tam infausta tempora, quibus inclinata disciplina opibus fere omnibus excidit monasterium. Atque hanc causam existimo, quamobrem bona hæc Richenbergensibus vendiderunt. Abbas quidem Riddagshusanus, cujus erat dare operam, ne quid istud monasterium detrimenti caperet, tam strenue pro conservandis Mariærodanorum bonis laboravit, ut nihil se inconsulto vendi permitteret. Fratribus tamen parere nesciis omnia corruerunt, nihilque monasterio præter pauperiem mansit reliquum, donec circa annum M. CCC. LXXVI. Hermannus Peinensis a Riddagshusano Abbate Mariærodam submissus instaurata disciplina monasterium ad pristinam felicitatem proveheret. Qua de re jam superiore libro, ubi Abbatum Catalogum suppeditavimus, quædam nos delibare meminimus.

Transit stylus in Henrici Slademensis Comitis laudes, qui hæredum suorum consensu curiam quandam Gerstedicnsem cum agris ad illam spectantibus eidem Richenbergensi Ecclesiæ addixit, omni jure dimisso, quod antea in hæc bona superioritatis titulo obtinebat. Quam præclaram beneficentiam suam hoc diplomate testatus est: Henrico Comes Sladecmensis Ecclesiæ Richenb benefacit.

NOs Henricus *Dei gratia Comes in Sladem* & Albertus *Filius ejus cupimus omnibus visuris vel audituris has literas esse notum, quod ob reverentiam omnipotentis Dei ac glorioſæ Genitricis ejus Virginis Mariæ donavimus & donamus præsentis scripti patrocinio proprietatem & dominium directum & utile cujusdam curiæ* Jestede *sitæ, cum quibusdam agris*

in

in campis ibidem ad ipsam curiam spectantibus, aliisque suis pertinentiis universis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in Richenberge *perpetuo possidendis, quæ quidem bona honorabiles & discreti viri, Præpositus, Prior & Conventus ejusdem Ecclesiæ Richenbergensis a* Bertoldo *dicto de Bredenem ac* Gertrude *matre sua, qui ea a nobis in pheudum tenuerant justo emtionis titulo compararunt, proprietatemque hujusmodi sive dominium curiæ & agrorum prædictorum ac aliorum suorum pertinentium cum omni suo jure & utilitate, pleno consensu propinquorum hæredum nostrorum ac omnium, qui merito requirendi fuerant, accedente, in Dei nomine transferimus in dictam Ecclesiam Richenbergensem, translatione perpetuis temporibus valitura, nihil nobis aut nostris hæredibus juris aut exercitii in ipsis bonis aliqualiter reservantes, volentes etiam hujusmodi donationis nostræ Warandiam præstare legitimam & de evictione causæ, quando & quoties fuerimus requisiti. Et in hujusmodi donationis nostræ evidentiam & firmam perseverantiam duximus præsens scriptum sigillis nostris firmiter roborandum.*

Datum Anno Dñi M. CCC. XLI. in die Beati *Laurentii* Martyris.

Anni Christi 1343. 1344.
Ludovici IV. Reg. 30. 31. *Imp.* 16. 17.
Ab. V. C. 420. 421.

Quod & sequente anno

NEc insequens annus laude Slademensis familiæ vacuus ibat. Henricus enim jam laudatus, filiusque ejus Albertus reverentia omnipotentis rei & Genitricis ejus Mariæ Virginis adducti, Richenbergensi Ecclesiæ bona nonnulla in Hanendorpe iisdem legibus concesserunt. Quas literas ad splendidæ familiæ dudum emortuæ memoriam non piget hic interserere: ab illo factitatum,

NOs Henricus *Dei gratia Comes in Sladum, & Albertus filius ejus, omnibus visuris vel audituris has literas cupimus esse notum, quod ob reverentiam omnipotentis Dei ac gloriosæ Genitricis ejus virginis Mariæ donavimus & donamus præsentis scripti patrocinio proprietatem & dominium directum & utile cujusdam dimidii mansi* Hanendorpe *siti cum omnibus pertinentiis suis, tam in villa quam in campis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Virginis in Richenberge perpetue possidendum. Quem quidem dimidium mansum honorabiles ac discreti Viri Præpositus & Conventus ejusdem Richenbergensis Ecclesiæ, a* Rodolpho *de Combarum, qui ipsum a nobis in feudum tenuerat, nobisque eum libere resignavit, justo emptionis titulo compararunt, proprietatemque hujusmodi sive dominium dimidii mansi suorumque pertinentium, cum omni suo jure & utilitate pleno consensu propinquorum hæredum nostrorum ac omnium, qui merito requirendi fuerunt, accedente, in Dei nomine in dictam transferimus Ecclesiam, translatione perpetuis temporibus valitura, nihil nobis ac nostris hæredibus juris aut exercitii, in sæpe dicto dimidio manso aliqualiter reservantes, volentes etiam hujusmodi donationis nostræ, Warandiam præstare legitimam & de evictione cavere, quando & quoties fuerimus requisiti, & in hujus donationis nostræ evidentiam & firmam perseverantiam duximus præsens scriptum sigillis nostris firmiter roborandum. Datum anno Dñi. M. CCC. XLIII. die beati* Joannis ante portam Latinam.

Henrico Comes Slademensis an ultimus familiæ suæ. *Meib. Chron. Marienthal. p. 261*

Patet ergo manifesto hallucinari eos, qui cum Henrico hoc Slademensi Comite familiam hanc illustrem abruptam existimant, cui sententiæ ideo ipse Meibomius accedere subveretur. In literis enim, quas adhuc protulimus in medium, diserte ejus filiorum Alberti Maynardi & Adelhardi mentionem fieri vidimus. Ac ne cui hi omnes mature admodum vivis excessisse videantur, Albertus adhuc anno M. CCC. LVIII, Maynardus anno M. CCC. XXII, adhuc vixerunt, ipsis eorum literis hoc satis aperte testantibus; Vt adeo liceat inde colligere, quam parum feliciter ad illustrium familiarum tabulas genealogicas conficiendas accedant, qui diplomatum antiquorum subsidio destituuntur.

Lucæ atrium Comit. part. 2. p. 1104.

In cœnobio Novi Operis hoc tempore celebratur quædam Margaretha de Herre Conventualis, quæ anno M. CCC. IV. die omnibus sanctis sacro hora V. vespertina in Choro ecclesiæ sublatis manibus orans subitanea morte expiravit, Margaretha de Herre monialis N. O. subitanea morte obit,

Anni

Anni Chriſti 1347 1348.

Ludovici IV. Reg. 34. Imp. 20. & ult.
Caroli IV. Reg. 1. & 2.
Ab. V. C. 424. 425.

FAtalem Ludovici Cæſaris annum ingredimur, multis de cauſis Germaniæ luctuoſum. Clemens VI. Pontifex ſuperiore anno revocata Gregorii VIII. ſeveritate optimum Imperatorem toties adhuc diris devotum in ſolenni Præſulum corona Imperii dignitate exuerat, ſive Regis Galliæ aliorumque Ludovici inimicorum monitis illectus, ſive ſuo ipſius faſtu ad tam ſacrilegum facinus proclivis. Verebatur enim inclementiſſimus Clemens, ne anathematum metus Pontificumque auctoritas ſenſim evileſceret, ſi Ludovicus toties hoc fulmine percuſſus tanta felicitate faſces Imperii retineret. Ideoque directis per Germaniam literis Regem hunc a ſe diademate privatum nunciavit, ſerioque aliud reipublicæ Caput dare Electores juſſit. Neminem ſibi hac in re magis adverſaturum ſuſpicabatur, quam Henricum Moguntinum Archiepiſcopum, Cæſari conjunctiſſimum, omniumque ejus conſiliorum participem: quam Sudem, ut eo maturius ex oculis evelleret, eodem odio eum habere cœpit, ſacerdotio exuit, eique ſucceſſorem miſit Gerlacum Naſſovium. Ceteri electores partim largitionibus corrupti, partim propinquitatis fœdere connexi facilius videbantur in papæ ſententiam pedibus ituri. Nec fefellit eum ſententia. Jacta enim alea, ſcenaq; hunc in modum inſtructa, ſtatim Renſelii electorum comitia indicta. Acceſſere ex compacto Gerlacus Moguntinus, Balduinus Treverenſis, Walramus Colonienſis, Johannes Rex Bohemiæ, & Rudolphus Dux Saxoniæ, qui repudiato Ludovico, conſentiente ſuffragio Carolum Marchionem Moraviæ, Johannis Bohœmiæ Regis filium Regem ſalutarunt, Bonnamque deductum diademate incinxere. Parum hæc res commovit Ludovicum, cauſæ bonitate fretum, inprimis cum Carolum binis cladibus jam attritum indecora fuga per Germaniam vagari videret. Ne tamen occaſionem rei gerendæ e manibus dimitteret, collectis ſubito copiis novisq; ſubſidiis a Ludovico filio Marchione Brandeburgenſi accerſitis Carolo Tyrolenſi Comitatui imminenti occurrit, eumque commiſſis ſignis tam felici prælio proſtravit, ut repentina fuga in Bohemiam ſe ſubduceret.

Papa Ludovicũ fruſtra tentat exauctorare. *Henr. Rebdorff. p. 436. Alb. Arg. adp. 128. ſq. Naucler. gener. 45. p. 699. Blond. l. 24 hiſt. germ. p. 435. Villan. l. 12 c. 59. Heidegg. period. 5. p. 165. Baldeus de Ludov. Bavaro. p. 2. ſq.*

Hæc ſcenæ Ludovicinæ cataſtrophe, mira ſane & poſteris exemplo futura, tam admirabili vi, tamque divino robore juſtitiam præmuniri, ut quantumvis eam hoſtium livor oppugnet, contra omnes tamen machinarum impreſſiones inſidiasq; invicta ſemper perſiſtat, ſeque per ſe ipſam incredibili virtute defendat. Nec tamen diutius haſce turbas vidit Ludovicus, Monachii enim tempus venationibus fallens ex equo defluxit, tactusque paralyſi V. idus Octobris vitam cum morte commutavit, ingentis animi princeps, quo ſuperiorem vix annales ſuggerunt, quippe qui tot adverſæ fortunæ telis petitus ſuæ ſe virtutis præſidio munivit, dignitatemque Cæſaream invito Pontifice ad extremum usque vitæ halitum retinuit, & libertatis Germanicæ reſtituendæ præclara jecit fundamenta.

Ludovici obitus. *Henr. Rebdorff. l. c. Alb. Arg. l. c.*

Carolo itaque ad reipublicæ gubernacula admiſſo triſtis ubique rerum facies apparuit, nobilibus quam plurimis ad tumultuaria arma redeuntibus. Viciniam noſtram inhoſpitam tunc reddidere Schwicholti, quæ nobiliſſima familia inter Hildeſienſis Epiſcopatus miniſteriales Marſchallorum hæreditariorum munere cum laude perfungitur, atque vel ideo ſibi his locum depoſcit, quod a tot ſeculis in urbe noſtra præclariſſimis bonis fruita eſt, hodienum curiarum Schwigoltorum (Schwiegelt-Höffe) nomine nondum abolito. Hi itaque equites & nobilitate generis & rerum geſtarum gloria florentiſſimi, cum Hildeſienſi Epiſcopo tunc colliſi Walmodenſem arcem præmuniverant, militesque ſuos præſidiarios crebris excurſionibus locupletabant, tanto terrore totam diœceſin concutientes, ut Henricus Epiſcopus ſe ſolum reprimendis Schwicholtis minimie parem crederet. Subſidiariis itaque copiis a Magno Duce Brunsvicenſi ac Alberto Halberſtadienſi Epiſcopo auctus caſtra ſub arce metatur, novum propugnaculum irrito inſultu diutiſſime tentat. Additum demum vi ſtratagema & amnis aggere obducto in arcem immiſſus. Unde Schwicholti ad ultima redacti Epiſcopo ſe æquis conditionibus dediderunt. Vulgo equidem hoc bellum in annum M.CCC.XLVI. annalium auctoribus refertur, cum tamen illud defuncto demum Erico Schaumburgenſi Henrici Epiſcopi æmulo geſtum ipſi fateantur. Jam vero Reutelius aliique paulo accuratiores Erici obitum referunt in annum M. CCC. XLVIII. quorum calculum nullo vitio laborare dixerim, ſiquidem bellum inter Henricum & Ericum Epiſcopos XIV. annos duraſſe communis omnium ſententia eſt. Quod ſi ergo ab anno M.CCC.XXXV. quo diſſidium hoc cœpit, numerum ineas, Erici obitus minimum in annum M.CCC.XLVIII. incidit. Ex quo conſequitur etiam Walmodenſem obſidionem ante hunc annum non fuiſſe ſuſceptam.

Caſtrum Walmodenſe, occupatum ab Henrico Ep. Hild. *Pomar. p. 321. Chron. Sax. Lexm. l. 2. Chron. Daſſel. c. 5 f. 33. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 239.*

Bellum Halberſtadienſe *Annales MSC. ap. Reiman. in idea hiſt. Halb. ad ann. 1346. ſq.*

Eadem animorum commotione in Halberſtadienſi diœceſi bellum reſumtum eſt. Comites enim Reinſteinenſes ac Manſfeldenſes nuperæ cladis memores incredibili pertinacia ad arma concurrunt, itaque cum Northuſenſibus fœdere Halberſtadenſem diœceſin, quam late patet prædis & incendiis exhauriunt. Hæc res Albertum quoque Epiſcopum eo adduxit,

Engelhus. Chron. p. 272. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 239. ſq.

ut damnatis pacis conſiliis, ferro rem agendam ſtatueret. Suppetitas ei ferebat Henricus Hildeſienſis Epiſcopus Northuſanis præcipue infenſus, quos e publicis viis Hercyniæque latebris ſæpius captivos abſtrahebat, verberibus mulctabat, membrisque mutilabat. Adeo facile, ſi ſemel odiis vindictæque cupidini viam patefacias, ad inhumana plane facinora pervenitur. Delata res ad Carolum Cæſarem, qui Hildeſienſem Epiſcopum mitius cum Northuſanis agere juſſit, ſed ſurdo cecinit fabulam. Nihil enim non hic ſibi belli jure in fratris hoſtes licere affirmabat. Comites quoque cum Northuſanis par pari relaturis Halberſtadenſes ſuis armis vexare non deſiſtebant. Denique captus Bernhardus Comes Reinſteinenſis, & Albertus ejus frater periclitanti Bernhardo opem allaturus in Danſtadienſi agro occiſus, unde partes mutuis cladibus feſſæ, ultro quieverunt. Sunt, qui Halberſtadium tunc per inſidias captam a Comitibus volunt: Sed hanc cladem jam anno M. CCC. XLIII. contigiſſe e MSCis domeſticis refert Reimannus, quem potiſſimum hac in re ſumus ſecuti, licet temporum ordinem in hujus ævi hiſtoria adeo turbatum reperiam, ut ſæpius auctorum fides vacillare videatur.

Annus peſte & rei metallicæ detrimento calamitoſus. *Aventin. l. 7. p. 633. Schreib. relat. hiſt. de origine metall. Harzic. c. 5.*

Goslaria noſtra undiquaque bellis civilibus cincta paulo quietius egit, niſi quod peſtilenti ſidere afflata eandem cum ceteris hujus regionis civitatibus ſortem ſubiit. Periere tunc ſæva luce innumeri homines, adeo ut vix decima hominum pars evaſiſſe communem ſtragem crederetur. Malum hoc integro triennio ſæviit, exhauſta monaſteria, vaſtatæ urbes, pagi denique colonis orbi lupis & feris ceſſere. Res vitio data Judæis, qui fontes veneno intoxicaſſe dicebantur. Vnde miſera gens ubivis ferme gentium diris ſubjecta quæſtionibus, omnique ſuppliciorum genere a furibunda plebe trucidata eſt. Neque tamen hoc facinore civitas noſtra ſe polluit. Extant enim documenta, e quibus hoſce recutitos ſatis benigne per hæc tempora apud nos habitos conſtat. Vix tamen ulli civitati, tam calamitoſam hanc peſtem fuiſſe exiſtimo, quam Goslariæ noſtræ, quæ metalli foſſoribus præcipue exhauſta Rammelinas ſodinas deſerere coacta eſt. Et quamvis novis ſubinde accerſitis colonis venas denuo ſcrutari cœpiſſent, ii, quorum referebat, res tamen eventu plerumque caruit, nec potuerunt intra proximos centum annos in integrum reſtitui.

Annus Chriſti 1349.
Caroli IV. Reg. 3. Gumberti I.
Ab. V. C. 426.

Gunthe. rus Comes

LUdovico rebus humanis erepto tantum aberat, ut Carolus quieto imperio potiretur, ut potius appetente hoc anno a majore electorum parte novus ei æmulus objiceretur Guntherus Svarzburgicus Comes, & prudentia togata & armorum diuturno uſu inſignem laudem conſecutus. Qui etſi initio aut Caroli potentia deterritus, aut Eduardi Angliæ Regis & Friderici Misnenſis exemplo oblatum diadema recuſaret, paſſus tamen eſt demum ſe expugnari ea quidem lege ut electores Carolo repudiato Imperium capite deſtitutum, ſibi offerrent, ſeque nullo ambitu aut dolo malo electum, ſcripto profiterentur. Quo facto Guntherus in Francofurtenſi agro Cæſar ſalutatus urbem more majorum ſolenniter introire decrevit. Obſtitere tamen Francofurtenſes, cautum ſibi legibus eſſe afferentes, ut ſi electorum divitis ſuffragiis bini Cæſares eſſent renunciati; neuter in urbem intromitteretur, niſi integrum menſem extra mœnia æmulum expectaſſet, tunc demum qui victor evaſiſſet, reciperetur. Guntherus itaque collecto validiſſimo exercitu caſtra in Frankofurtenſi agro metatus Carolum ſex ſeptimanas oppertus eſt, qui etſi cum ſuis adventare diceretur, jamque diem expeditioni præfixiſſet dominicam Eſto mihi, adeo tamen Gunthero contemtui fuit, ut eodem tempore ludos equeſtres in caſtris inſtruendos indiceret. Carolo hunc in modum belli fortunam ſubverente Guntherus illa ipſa Dominica die Francofurtum ſplendidiſſima pompa ingreſſus, res ſumma prudentia conſtituit, confirmato ſimul Ludovici Cæſaris edicto quo Imperatorem ſeptemvirûm ſuffragio electum ſuo jure uti poſſe fuerat cautum, etiamſi Pontifex Romanus electionem ratam non haberet. At magna ſubito facta eſt rerum converſio; cum Carolus oblata affinitate Rudolphum Palatinum a Guntheri partibus abſtraheret. Quamvis enim Guntherus auctis ſubinde viribus eadem qua antea fortuna, Frideburgum Wetteraviæ interciperet, Carolus tamen, ut erat callidiſſimo ingenio tot cauſæ ſuæ ſocios invenit, ut Guntheri res non parum videretur periclitari. Acceſſit aliud Guntheri inclementius fatum, Medico pharmacum ei propinante, cujus partem licet imbibito antidoto evomeret, morbo tamen tam pertinaci ex eo cœpit affligi, ut mortem imminere non poſſet non ſuſpicari. Veritus proinde ne ſe mortuo illuſtris familia aliquid pateretur detrimenti, facile ſe paſſus eſt eo deduci, ut de dimittendis faſcibus cum Carolo paciſceretur.

Schwarz. Cæſar electus a ſociis deſeritur. Henr. Rebdorff. p. 445. Albert. Argentin. p. 150. ſq. Aventin. l. 7. p. 634. Trithem. ad h. ann. Paul. Jov. Chron. Schwarzb. MSC. ap. Tenzel. dial. menſtr. ann. 1694. p. 610. conf. ad ann. 1696. p. 628. ſqq. Friſch. diſc. hiſt. de Gunthero Cæſ. Eyben. ſyntagm. hiſt. de eodem.

Carolus Goslariâ una cum aliis civitatibus oppignorat Gunthero.

Pax itaque Ducum Bavariæ interventu proxima ante pentecoſten ſeptimana iis legibus convenit, ut Carolus retento imperio Gunthero viginti marcarum millia, quantum bello impenderat, & mille ducentas marcas pompæ imperiali aliisque rebus inſumtas redderet, oblato interea idoneo pignore, donec ipſum argentum ſolutum eſſet. Breviter rem complexus eſt

Tenzel. de Chron. Slav. ap. Lindenbr p. 208.

est auctor Chronicæ Slavicæ apud Lindenbrogium; *Ratificatus* inquiens *fuit dictus Comes* [Guntherus] *de certis censibus, quos receperunt adhuc sui heredes, & regnum Carolo in vita resignavit & ipsum regem salutavit.* At quinam isti census, quibus coronam a Schwarzburgico redemit Carolus? Diu multumque de ejusmodi pignore deliberatum fuit, statutumque demum ut urbs cum arce Gelenhusa, vectigal e Mœno redire solitum, Northusa, Goslria & redit' Cæsaris e civitate Mulhusina pignoris loco opponerentur, donec oblatam pecuniá Guntherus a Carolo accepisset. Dici non potest, quam se huic transactioni opposuerint Goslaria, Mulhusum, & Northusa, ratæ nimirum id libertati suæ detrimento futurum, si Gunthero fidem jurarent. Cum igitur nonnullis minis se paterentur eo adduci, ut Gunthero præstarent obsequium, Carolus alia ratione Schwarzburgensibus prospecturus urbem Fridbergensem & proventus Francofurtenses iis tantisper oppignoravit dum Goslarienses, Northusani, & Mulhusini ad obsequium compellerentur. Partem literarum a Tenzelio ex archivo Sontershusano prolatam hic repetere juvat:

Auch setzen wir in zu rechten Pfande für die Stat Northusen / Goßlar und die Nutz zu Mülhusen / als obgeschriben stet / vnd vmb daz wir im dieselben in antworten süllen / nnd wüllen / Fridberch die Stat mit allen Sturen / Nutzen / Gülten / Dinsten / Zinsen / Rechten / und Gerichten / vnd allen Zugehörungen / die daz rich daselbis hat / vnd dieselben Bürger ze Fridwerch süllen in hulden und sweren ze einen rechten Pfande. Auch sezzen wir in ze rechten pfande aller unser und des Richs Gult und Stüer / die wir vnd daz Riche haben ze Franckenfurt ... und wann wir in sinen Erben vnd sinen offtgenanten Fründen geendet haben. um die Stat Northusen und Goßlar: vnd um die Nütze zu Mulhusen. als vorgeschriben stet. So süll Fridwerch vnd die Nutze ze Franckenfurt von in ledig und loz sin. Ejusdem exempli literas ipso S. Viti die datis Henrico etiam Guntheri filio Fridbergam obtulit tam diu pignoris loco possidendam, donec Goslaria, Northusa Mulhusum tradi possent: quarum partem etiam hic e laudati Tenzelii dialogis menstruis inserimus:

MIr Karl .. tun kunt. daz wir den edlen Heinrichen .. Stadt Fridberch ... und alle Gülte. Stüer. nutze zu Franckenfort etc. zu rechten Pfande versetzet haben / unz an die Zit / daß wir in die zwu Stet Northusen und Goßlar zu rechten Pfande ingeantworten ... und auch geschaffen. daz die Bürger zu Mülhusen in Geloben in guten Truwin mit gerichten. velle ... gehorsam und wartende sin süllen. Und wenn wir daz getun. so soll die Stat zu Fridberch und die Gülde und Nütze zu Franckenfort ledig und loz sin. ..

Neque multo post XIII. Kal. Julii rebus humanis valedixit Guntherus Cæsar, qui ex Imperio intestinis malis turbido nihil pene tulit commodi, quam quod illustri familiæ gloriam Augustæ originis reliquit. Eo gravius post ejus obitum Goslarienses & Northusani obstiterunt, quo minus in Schwarzburgensium venirent potestatem, licet vel maxime Carolus promulgatis edictis eos ad præstandum fidei juramentum compelleret, negotiumque jam dedisset Ernesto Brunsvicensium Duci, ut civitates has in ordinem redigeret. Oblanguisse demum videtur negotium siquidem Comites Schwarzburgenses urbes has in sua tenuisse potestate nusquam leguntur. Si conjecturæ locus, ære hæc Schwarzburgensium jura eas redemisse crediderim, quod tamen affirmare monumentis destitutus vix ausim. Carolus certe Cæsar transacto abhinc biennio omnia civitatis nostræ privilegia egregio diplomate rata habuit, luculento indicio, Schwarzburgensem causam jam tum fuisse ad liquidum perductam.

NOndum hoc anno desævierat pestilentissima lues, cum nefarii nonnulli, aut, ut rectius dicam, simplicissimi nebulones novo delirio dementati Flagellantium sectam superiore seculo enatam revocarent. Hi homines totam Germaniam pervagantes dici non potest, quantam e plebe multitudinem in stoliditatis societatem attraxerint. Solent enim homines nulla re magis, quam ficta religionis specie decipi. Erat hoc iis veluti proprium ut pœnitentium habitu, vultu demisso oculisque in terram defixis, urbe obirent, templa ac cœmiteria adirent, verberibus in sua viscera sævirent, recitatoque incondito carmine in terram projecti vota facerent. Admissi in urbem nec eleemosynas, nec dona oblata accipere ausi sunt, ad cœnam vero invitati singuli in singulas domus, nec nisi semel permissu Magistrorum ibant. Addita mendacia, effictæ literæ, quas cœlitus missas dicebant, jactata miracula, visiones, magno supercilio enarratæ, clero denique Flagellantibus infenso certa denunciantur supplicia. Hisq; institutis Deum placatum iri, pestemque desituram ferebant. Re denique ad Pontificis tribunal relata, Flagellantes hi a deliriis resipiscere multis minis jussi sunt. Sed

Secta flagellantium. *Henr. Ribdorff. p. 439. Jo. Pom. Chron. Sax. p. 384. Naucler. f. 891.*

Anni Christi 1350. 1351. 1352.
Caroli IV. Reg. 4. 5. 6.
Ab. V. C. 427. 428. 429.

ſua ſponte evanuit ſtultorum ſocietas. Cum enim vulgo contemni, nec tanto in pretio, quanto olim, haberi cœpiſſet, plures revulſis a veſtitu crucibus abjectisq; flagellis aufugere. Hoc ergo inſtitutum cum Magdeburgi, Brunsvici, Helmſtadii, Hildeſiæ aliisque vicinis locis invenerit ſui admiratores: non eſt mihi dubium, quin Goslaria quoque hiſce ardelionibus aliquandiu præbuerit hoſpitium.

Feſtum Corporis Chriſti apud nos inſtitutum *Reutel. Chron. Hildesh. p. Chron. MSC. Ep. Hild. c. Fr. de Hagen. Catal. Epiſc. Hildes. p. 22.*

Ad ſaniorem itaque devotionem plebem traducturus Henricus Hildeſienſis Epiſcopus feſtum corporis Chriſti ſuperiore ſeculo ab Urbano Pontifice inſtitutum in Epiſcopatum ſuum introduxit, juſſitque illud omnibus ſuæ diœceſeos locis proceſſionibus, votis, ſupplicationibus celebrari. Officium hujus feſti Pontificis juſſu Thomas de Aquino compoſuit omnique veneration is genere hoſtiâ hierothecæ incluſâ afficiendam ſtatuit, quod non mirû eſt eo ſeculo, quo ſententia de transſubſtantiatione panis Scholaſticorû ope veluti in throno collocata plures ejusmodi peperit conſequentias. Primus ergo hic annus, quo Goslaria noſtra celebrem hanc feſtivitatem peregit. Peſte enim adhuc ſæviente quicquid excogitatum eſt, quod ad propitiandum indignantem Deum facere videbatur. Quemadmodum alii ad ſanctorum reliquias, alii ad cruces prodigioſas confugiſſe memorantur Pomario. Immo ne cuidam forte occaſio deeſſe poſſit Deum propitiandi, indictus in hunc annum jubilæus magno hominum concurſu celebratus, peſtis remiſſione nec quicquam efflagitata.

Bellum Magdeburgenſium ſociale. *Pomar. Chron. Sax. p. 587 Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 241.*

Peſtem nondum remiſſiorem proximo anno ſecutum eſt bellum civile inter Magdeburgenſem civitatem & equites ejusdem diœceſeos, magno animorum motu geſtum, id quod ſibi hic vel ideo locum depoſcit, quod Goslaria noſtra fœderis religione Magdeburgenſibus ſe junxit, ex qua re innumeræ turbæ in Saxonia enatæ ſunt. Tumultuabantur adhuc in hiſce regionibus nobiles quidam prædones, contra quos jam nuper inferioris Saxoniæ principes fœdere Lubecæ inito ſe præmunierant. Ne igitur ſolæ civitates harpyarum iſtarum rapinis eſſent expoſitæ, cœperunt & ipſæ inter ſe in hanc legem paciſci, ut mutuis auxiliis communes inimicos profligarent. Venêre in hoc fœdus Goslaria, Magdeburgum, Brunſvicum, Quedlenburgum, Halberſtadium, Helmſtadium, Aſcherslebia & Hala Saxonum, quæ civitates incredibili concordia de opprimendis prædonibus cogitabant. Equites Magdeburgenſes cognito hoc fœdere ad alia conſilia converſi pacem civitati offerebant, ſed rem minus adhuc integram eſſe clamabant Magdeburgenſes, jactam eſſe aleam, debere ſe ſibi demum conſulere, occaſionem frangendi inviſos nobiles non eſſe e manibus dimittendam. Hinc & equites irarum pleni ad bellum ſe compoſuerunt ac per inſidias diviſi pecora Magdeburgenſium abegerunt, quod quidem prædandi genus tunc erat bella gerentibus quam familiariſſimum. Cives ſua pecora recuperaturi fugientes ad oram usque prope Wolmerſtadium inſecuti ſunt, ubi converſi a fuga equites & in aciem diſpoſiti, tam cruento prælio Magdeburgenſes profligarunt, ut multi occumberent, plures capti in hoſtium venirent poteſtatem mille & trecentis marcis deinde redimendi. Hinc refectis copiis ſuis Magdeburgenſes ulturi cladê Wandslebiam & Erxlebiam obſidione premunt, Altenhuſum flammis devaſtant, Ducemq; Lauenburgicum ſuppetias Nobilibus laturum ad Vrslebiam juſto prælio profligant, eoque impellunt equites, ut reſtitutis rebus omnibus, quas prædando abegerant & capella pro occiſorum ſaluti condita pacem offerrent.

Goslaria licet fœdere juncta Magdeburgenſibus ſubſidiarias procul dubio copias ſubmiſerit meliore tamen fato ſuo veluti extra teli jactum fuit, & libertate novisque ſubinde privilegiis aucta præ ceteris civitatibus effloruit. Præcipue hoc loco non omittenda videtur inſignis Caroli Cæſaris clementia, qua civitati noſtræ communi principum conſenſu de ſecuritate aliisque juribus proſpicit, hoc ſubmiſſo diplomate, quo fidem Goslarienſium nulla fortuna interruptam inſigni elogio tollit:

Carolus Imp. Goslariensibus præclara privilegia indulget.

CAROLVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, Notum facimus univerſis, quod attendentes multiplicia merita probitatis, & grata quidem obſequia dilectorum nobis Civium *Goslarienſium*, quibus iidem puritate conſtantis fidei, ſacro frequenter adhæſerunt Imperio, & in futurum aucto fidelitatis ſtudio, ferventius adhærebunt, ipſis, hæredibus, ſucceſſoribus ipſorum, ac eidem Goslarienſi civitati in perpetuum infraſcriptas gratias ſicut easdem a celebris, ac recolendæ memoriæ divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædeceſſoribus noſtris pridem obtinuiſſe noſcuntur, animo deliberato, ſano Principum Baronum & Nobilium noſtrorum præcedente conſilio, dignum duximus liberaliter erogandas. Inprimis ſiquidem ut liceat eis bona, prædia, poſſeſſiones & agros ipſorum quibuscunque perſonis, indigenis, incolis ſive Monaſteriis, adſcriptis, enari-

enariis, aut aliis, vel etiam advenis, & præſolitis ſicut utilitati ipſorum expediens fuerit, pro ſuo locare & exponere beneplacito, ſub ea libertate, quod etiam circumſedentes & vicini nobiles, & inhabitatores diſtrictuum nulla ratione Dominos, Conventores bonorum & agrorum talium derogare, ſpoliare præſumant, aut alias, quomodolibet, deprædari: nec non univerſitas Civitatis ipſius, dum & quoties, quavis ratione in cauſam tracta fuerit, duo concives, & jurati ſui plenum & ſufficiens mandatum habentes, juri ſtare valeant, & reſpondere objectis quibuslibet, ac nomine & vice univerſitatis ipſius triumphare, ſuccumbere, in noxam prolabi, ſeu culpam, & etiam ſuffragante ſibi juſtitia rationabiliter expurgari, quodque nullus ſuorum concivium, aut incola Civitatis, occaſione cauſæ cujuslibet, ad alia quævis judicia extra muros Civitatis Goslarienſis prædictæ citari, ſeu evocari valeat, niſi conſtet liquido & manifeſte prius appareat, quod Actoribus & impetentibus eos, *coram Imperiali Advocato, & Imperiali Civitatis ejusdem Palatio* juſtitia denegata fuerit, & partes non valeant, aut non poſſint juſtitiæ aſſequi complementum, ac *Advocatus Imperialis Civitatis prædictæ* liberam poteſtatem & plenam facultatem habeat, ſine cujuslibet hominis contradictione, vel offenſa, pro certis obventionibus, puta, Koppertſchelle. Schlegeſchatz/ & cæteris ejusdem loci, redditibus, juribus, & uſufructibus impignorandi quoslibet, qui ſunt ad ſolutionem talium obligati, denique pro bona reipublicæ & pacis tranquillitate juvanda liceat antedictis Civibus raptores, proſcriptos, & hoſtes ipſorum, in omnibus quorumcunque diſtrictibus & ubicunque deprehendi vel haberi poterunt, absque metu quolibet inveſtigare, ſcrutari, quærere, apprehendere captivare, captivatos abducere & ſententiare, judicare ac condemnare prædictos juxta demeritorum & reatuum exigentiam ſeu perpetrati criminis qualitatem. Inhibentes nihilominus firmiter & diſtricte univerſis Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Communitatibus, judicibus & perſonis aliis, cujuscunque ſtatus, ſeu conditionis exiſtant, noſtri & Sacri Imperii fidelibus, ne præfatos Cives, heredes & ſucceſſores ipſorum in perpetuum adverſus præſentis noſtræ largitionis indultum in præmiſſis, vel eorum altero ullo unquam tempore offendere ſeu impedire præſumant, aut conſtituere ſeu procurare, per alios impediri, ſub pœna ducentarum marcarum puri argenti, quas a quolibet contraveniente ſeu faciente, irremiſſibiliter exigi volumus & medietatem earum noſtro Regali ærario ſive Fiſco, reſiduam vero partem injuriam paſſorum uſibus applicari. Publicatum ſub noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum *Pragæ*. Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo. Indictione qnarta Calendis Julii. Regnorum noſtrorum Anno quinto.

Per Dominum Regem *Johannes* Ponifax. &c.

Lis inter Francob & Archid. Gosl. ſopita, *Chron. Mont. Franc. p. 81.*

Eadem felicitate Franckenbergenſis Conventus moleſta lite, quæ ſibi cum Archidiacono Goslarienſi Thiderico de Stochem de cura animarum interceſſit, ſoluta eſt. Archidiaconus enim ratus præpoſitum Franckenbergenſem a ſe debere curam animarum ſuſcipere, viſis Epiſcoporum privilegiis, quæ aliud innuebant, ultro monaſterium ab hac re abſolvit. Literas hac de re datas ſervavit auctor Chronici Montis Francorum.

Variorũ Prælatorũ Gosl. nomina.

Et ne ignores, qui nam tunc prælati Goslarienſibus vicinisque eccleſiis præfuerint, teſtes ſubjicio, quos in literis Alverici, Aladri, & Henrici de Borchtorpe adſcriptos reperi: *Hujus rei teſtes ſunt honorabiles viri Dnus Conradus Decanus SS. Apoſtolorum Symonis & Judæ Goslariæ, Dominus Hinricus Præpoſitus S. Mariæ in Richenberge, Dnus Olricus Præpoſitus Novi Operis, Johannes de Levede dictus Meyſo, Hermannus de Dornten, Giſecko & Burchardus dicti de Rovven Burgenſes Goslarienſes cum pluribus aliis fide dignis. Actum & datum A. D. M. CCC. LII. in Dominica die qua cantatur Invocavit.*

Ex literis Grauhoff.

Annus Chriſti 1355.
Carol. IV. Reg. 9. Imp. I.
Ab. V. C. 432.

APpetente demum hoc anno æſtate Johannes Pontifex recepto in gratiam Goslarienſes ab Hen-

excommunicatione absolvuntur. *Ex lit. SS. p.m. & ind.*

Henrico Hildesiensi Episcopo, Goslarienses etiam illi faventes a diuturno sacrorum interdicto absolvit, deditque negotium Eghelingho Abbati Riddagshusano, ut suo nomine excommunicatis absolutionẽ impertiret. Extat hac de re ipsũ Eghelingi diploma, quo omnium Goslariensium prælatorum nomina in quos excommunicationis sententiá vibraverat Pontifex recensentur, quod ideo non possum non hic integrum subnectere:

NOs frater *Eghelinghus* Abbas Monasterii Riddagshusani Cystertien. Ordinis Halberstadien dyocesis recognoscimus publice per præsentes. Quod honorabiles & discretos viros Dominos infra scriptos, videlicet, Conradum de Polde Decanum. Bertramum de Bylsten Thesaurarium. Tzabellum. Conradum de Knistede, Adrianum, Detmarum de Inferno. Bertholdum de Redhen, Wernerum Westerod, Hermannum Duderstad, Bernardum de Pölde, Ottonem divitem, Conradum de Knistede Juniorem, & Hermannum de Astvelde, Canonicos, Ecclesiæ Sanctorum Aplorum Symon. & Judæ Goslar. Johannem de Huddesem. Hinricum de Stupa, Thidericum de Dörnthen, Henricum de Borchtorp. Henricum de Halberstad. Thidericum de Bolde, Johannem de Lochtene. Sanderum dictum crassus, Henricum Olificem. Conradum de Ghifhorne, Johannem de Uslaria, Hermannum Bredesten. Bertoldum de Osterode & Bertoldum de Noverhusen ejusdem ecclesiæ vicarios. Johannem Decanum. Reynerum, Widekindum, Johannem Bodeker, Henricum de Dornthen, Johannem Custodem. Johannem Groning, Thidericum, Canonicos Montis S. Petri prope muros. Johannem Scolarem ibidem. Dnum Johannem Præpositum, Johannem Goddesmann Priorem, Annonem de Duderstad Custodem, Ecbertum institorem, Hinricum Himteken, Hermannum de Dornthen, Ludolphum Durekop, Wedegonem Duderstad, Ludolphum de burchtorp, Bartholdum de Barum, Ludolphum de Brughen, Canonicos regulares Montis S. Georgii prope muros. Hermañum rectorem Scolarium. Volquinũ, Henricũ de Groninghe, Henricum de Dörne, Henricũ Gheismaria, Conradum Santreygher. Albertum Reymberti, Bertholdum de Northem, scolares Montis ejusdẽ, Dnũ Johannem Præpositum--Priorissam & Conventum in Vrankenberghe, Johannẽ Craterarium. Meynhardum Præbendarium. Albertum de Dalem, Johannem de Northem Capellanos, Johannem Bruningh Ecbertum Tynten, scolares ibidem. Dnum Hermannum Præpositum, Mechtildem Abbatissam, Ghertrudim priorissam & Collegium Sanctimonialium Novi Operis Goslariæ, Johannem de Barum, Henricum Grotehene Capellanos ibidem, Henricum Johannem Conradum & Johannem Scolares, nec non fratres Bertholdum, & Bertholdum conversos ibidem. Dnum Hildebrandum plebanum forensis Ecclesiæ, Olricum Plebanum in Hauckenstede. Thidericum Plebanum in Lende, Hinricum de Jerstede Canonicum Richenbergen. Capellanos suos. Henricum Regem, Thidericum Snelle, Johannem Militem, Hartmannum de Dornthen, Arnoldum de Astvelde, Hinricum de Vrankenberghe, Altaristas ejusdem forensi Ecclesiæ, nec non Borchardum Gruzer Dyaconum, Hildebrandum plebanum in Astvelde, Johannem fabrum sacerdotes, Hermannum, Johannem Albertum. Ernestum Hermannum Henricum & Johannem Hildeñ. scolares ibidem, Dnũ Georgium plebanum Sancto Stephani, Henricum de Gethelde, Johannem Tzabel, Johannem Sapian, Altaristas, Hermannum de Levenstede, & Henricum Capellanos, Conradum & Bennonem scolares ibidem, Dnũm Olricum plebanum Ecclesiæ sci Jacobi, Hildebrandum & Hermannum Capellanos. Widekindum bodeker, Henricum & Thidericum Campanarios ibidem, fratrem Conradum & fratrem Johannem terminarios Ordinis heremitarum, Dnũm Bertholdum plebanum Sci Thomæ, & Johannem scolarem suum, nec non Johannem de Levede, Johannem Meysen, Ghisekonem de Nowen, Henricum de Nowen, Rodolphum de Barum Henricum de Uslaria & Arnoldum de Ghifhorne, Consules civitatis ejusdem auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa absolvimus in hunc modum. Auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte, ab omnibus processibus, excommunicationum, suspensionum, interdictorum, ac inhabitationum, & aliis quibuscunque sententiis ac pœnis spiritualibus, ac temporibus, tam

per

per quoscunque proceſſus, quacunque autoritate factos & habitos, quam alias ab homine vel a jure, ſeu conſtitutionibus provincialibus, ac ſyrodalibus, ſive nominatim & expreſſe ſive generaliter latis, ſeu inflictis, vos abſolvimus. Vosque ad honores & ſtatum & famam in quibus eratis, ac ad pheuda, privilegia, immunitates, nec non bona & jura quæcunque, quæ obtinebatis antequam excederetis, ſeu delinqueretis, reſtituimus & omnem infamiæ & inhabilitatis maculam ſive notam quam incurriſtis, occaſione adhæſionis Dñi Henrici Epi Hildeſi. dum erat in rebellione totaliter abolemus. Vosque ad eccleſiaſtica beneficia obtinenda habilitamus, nec non ſuper irregularitate ſi quam ſic ligati celebrando divina vel vos immiſcendo ipſis contraxiſtis, & ſuper Ordinibus â dicto Dño Henrico ſeu ejus auctoritate dum erat in rebellione vel ab aliis quibuscunque prælatis, receptis, dum eratis prædictis ligati ſententiis, in nomine Patris & filii & Spiritus Sancti, miſericorditer diſpenſamus. Proteſtamur inſuper quod præſcriptis dominis diximus, quod iſta abſolutione facta per nos tam vivorum quam mortuorum in ipſorum monaſteriis, Eccleſiis & cymiteriis ſepultorum ſecura conſcientia & libere celebrare poſſent divina, dummodo aliud canonicum non obſtaret, niſi quod ex adhæſione Dñi Henrici Epi Hildeſi. ſæpe dicti cum in rebellione fuerant incurriſſent. In premiſſorum evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus & appenſum, facta eſt hæc abſolutio Goslariæ, præſentibus Johanne de Hamelen & Henrico de Kiſſenbrughe noſtris confratribus & monachis in Riddageshuſ. Anno Incarnationis Dominicæ MCCC. quinquageſimo quinto feria ſexta poſt dominicam qua cantatur Lætare.

Monaſteria Goslarienſia ignota.

Mentio in hoc diplomate fit Fr. Contadi & Fr. Johannis Terminariorum Ordinis heremitarum, procul dubio S. Auguſtini, ſed qui nam hi ſint, aut quo in loco eorum monaſterium ſteterit, cum ignariſſimis ſcire me fateor; horum enim mentionem in ſolo hoc diplomate fieri adhuc deprehendi. Inter ea igitur, quæ mihi nondum liquent, invitus licet, referre cogor quatuor potiſſimum ſacra collegia, quorum nec vola nec veſtigium in omni antiquitatis memoria ſupereſt:

Monaſterium heremitarum Ord. S. Auguſtini, cujus in hoc diplomate mentio fit.

Monaſterium fratrum Prædicatorum, quod in diplomate ſupra ad ann. 1297. relato occurrit.

Das Clöſterlein der Troll-Brüder/Equitibus S. Johannis in S. ſepulcro datum.

Hoſpitale Domus Teutonicæ, de quo in diplomate ad annum 1254.

Anni Chriſti 1357. 1358.

Caroli IV. Reg. II. 12. *Imp.* 3. 4.

Ab. V. C. 434. 435.

Rupertus Comes Mansf. Comendator S. Sepulcri. *Ex deduct. Mudersbachiana.*

ANnus a Chriſto nato M. CCC. LVII. nobis monaſterium ſepulcri in memoriam revocat, ad Johannitarum ordinem ſpectans, de quo jam ſupra quædam diximus. Præfuit ei per infeliciſſima hæc tempora Rupertus Comes Mansfeldicus Commendator, qui in platea die Reppersſtraße tabernam cerevisiariam erexit, interjecto tempore cum ipſa platea collapſam.

Deflagraverat interea peſtilens ſidus, quod univerſum terrarum orbem tot funeribus exhauſit, ut e Franciſcanorum ordine ultra centum & viginti quatuor fratrum millia lue huc extincta ferantur. Sed vix plures homines peſtis, quam nonnullorum furor enecavit. Judæi enim, quod fontes veneno temeraſſe vulgo dicerentur, tanta ſævitia ubique a furibunda plebe trucidati ſunt, ut haut pauci, veriti, ne in crudelium hominum manus incidant, mortem ſibi conſciſcerent. Hac deſperatione perciti, ter mille Judæi Erphordiæ degentes in ædes ſuas convolarunt, ſubjectoque igne ſe ipſos miſerabili incendio enecarunt. Vt alia jam taceamus, eodem enim ſcelere ceteris locis in miſeros homines ſævitum eſt, adeo ut nec magiſtratus quidem coërcendæ plebi ſufficeret. Saniore conſilio cives apud nos Judæis pepercere ſive ampliſſimi Senatus auctoritate a tanto ſcelere cohibiti, ſive de Judæorum noſtratium innocentia certi. Extant ex hoc anno Conradi Romoldi Advocati Goslarienſis literæ, quibus Judæos a Montis S. Georgii Canonicis locum ſepeliendis mortuis accepiſſe, ac hac de cauſa quotannis Præpoſito vini congium debere teſtatur. Ex quibus & hoc licebit colligere, priſtinum Judæorum cœmeterium cadaveribus e peſte obeuntium ita fuiſſe repletum, ut de alio comparando fuerint ſolliciti. Neque enim crediderim, olim quoque non niſi decem Judæorum familias hic habitaſſe. Verum en ipſas literas:

Conr. Romolt Advoc. Gosl. Judæis cœmeterium addicit. Spangenb. c. 288. p. 490. Ex literis Grauhoff.

Ex

EK Conrad Romolt Voget to Goslere bekenne und betüghe openbar in deſſen Brove de Jüden gemeine / de to Goslare wonende ſind / hebbet vor meck geweſen / van eren Weghen / undte hebbet vor meck an Richters ſtadt bekaunt / dat ſe / undte ere Nakomelinge willen vndte ſchüllen alle Jahr ewilken und immermehr in ſunte Merdens Avende geven vndt antworten üppe ſünte Jürgenberge dem Proveſte des Stifts eyn Stüveken Wynes / odder alſo vele Pennyrge / alſo et deme gfilt to ener weder-ſtadinghe des / dat de Proveſt undte de Herren van ſünte Jürienberge der bede wellen / vser Herren deß Rades to Goßlare hebbet georlovet der vorbenanden Judeſchop vndt eren Nakomelingen / dat ſe ere todte Juden graven moghet üppe dat Bleck by der vorbenannten Herrn vor ſünte Jurienberge Kolgarden / alſo den Breff utwieſet / dem de proveſt vndt de Herrn van ſünte Jürjenbergen en darup hebbet gegeven. Dyſes ſind tüghen Hennecke von Uſſlere / Hennecke van Nauen vndte vele andere guter Lüte / to Urkunde vndt to tüghe dat ſe dat ſtede ewhig vaſt halten wüllen undt ſchüllen. So hebbe eck Conrad Romolt verenamt ter bede der Jüden vndt van rights weghe myn Jungeſiegel gehenget an deſſen Breff. Na Godes Bort drittein hundert Jar in deme achteten vndt veſtigheſten Jars des Sontags to Lætare.

Monte S. Georgii diruto locus quoque Judæorum cœmiterio deſtinatus deſeri cœpit, eorumque ſepultura in vallum civitatis translata, ubi hodienum permanet.

Anni Chriſti 1359. 1360.

Caroli IV. Reg. 13. 14. *Imp.* 5. 6. *Ab. V. C.* 436. 437.

Cleri luxus Carolo Cæſari inviſus. *Naucler. gen. 46. p. 99.*

INter hæc Carolus Imperator quamvis id omni niſu daret operam, ut periclitantem Cleri libertatem ſtabiliret, pontificis quippe ad nutum omnia agens; luxum tamen ejus & inexplebilem habendi aviditatem adeo deteſtatus eſt, ut Pontificis legato novam pecuniam Cameræque ſubſidia a Germanis poſtulanti reſpondet, luxuriæ Cleri ante omnia modum ſtatuendum, ſatius eſſe, ſi Pontifex de inſtauranda veteri diſciplina cogitaret, quod niſi mature fieret, ſuperflua Cleri bona ſe redacturum ad fiſcum, & luxuriæ materiam ſubtracturum eſſe. Adeo ſcilicet ſacerdotum ordo in luxum & proterviam erat ſolutus, ut & veſtibus tumorem præferrent. Quemadmodum hoc anno Cuno quidam de Falkenſtein Canonicus Moguntinus in principum comitiis capitio ſericis ſegmentis variegato inceſſit, tam ſplendido, ut Carolus Imperator illud capiti ſuo impoſitum omnibus adſtantibus oſtenderet, quæreretque, an non militem potius quam Clericum hoc habitu referat. Qua reprehenſione publica non modo Falkenſteinius ſed & plures alii cautius mercari, habituque magis decoro uti cœperunt.

Joh. Decanus & Capitulum SS. Simon. & Judæ Cluſam Einbeccenſem Rectori committunt.

Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ tunc Decanus præfuit Johannes, qui capitulo ſuo ſuffragante hoc anno Cluſam ſub ruſſo Lapide prope Eimbeccam, ad hanc eccleſiam ſpectantem Wichmanno presbytero & plebano eccleſiæ Huldeſienſis ea lege commiſit, ut perſonam idoneam eligat, quæ in iſta Cluſa moretur, eique de ſufficiente victu proſpiciat:

Ex lit. SS. Sim. & Jud.

IN nomine Domini Amen. Nos *Johannes* Decanus & Capitulum Eccleſiæ Sanctorum Symonis & Judæ Apoſtolorum Goslarienſis Hildenſ. Dioceſis recognoſcimus publice per præſentes quod confiſi de probitate & ydoneitate diſcreti Viri Dni *Wichmanni* Presbyteri plebani eccleſiæ parochialis in *Huldeſſe* Magunt. Divi. committimus ſibi in his ſcriptis *Cluſam noſtram ſitam ſub ruſſo lapide prope Einbeck* cum ſuis pertinentiis ut eam regat & ordinet de perſona ydonea in ea morante, ut ſibi aſſignet de agris, ortis quo ſuſtentatione ſua prout ſibi viſum fuerit & ſi & quoties expedire viderit, inſtitutam removeat & aliam inſtituat, quod ſibi quam diu vixerit committimus in his ſcriptis. In cujus teſtimonium *ſigillum noſtrum ſcilicet impreſſionem S. Matthiæ continens* præſentibus eſt appenſum. Datum aõ Dñi. M. CCC. LX. in Vigilia omnium ſanctorum.

Cluſa Goslarienſis, *Andr. Hug.*

Ejusmodi Cluſa etiam Goslariæ noſtræ ante portam latam viſitur in rupe petroſa e media planitie prominente & multo labore exeſa. Hæc in alios hodie uſus converſa ad Eccleſiæ Montis S. Petri Canonicos pertinet, ſuoque ſitu & artificio merito ſpectantium allicit oculos. De origine ejus nihil compertum. Vulgarem enim traditionem, quæ Bertham Henrici IV. Imperatricis conjugem a præfecto

Calend. anni 1604.

fecto prætorio furti male suspecto sumsisse supplicium, deinde pœnitentia tactam A. M. LXXIV. hanc Clusam fieri jussisse, multisque agrorum proventibus locupletasse refert, pro certo asserere non ausim.

Annus Christi 1362.
Caroli IV. Reg. 16. *Imp.* 8.
Ab. V. C. 439.

Henrico Hildesi Ep. obit. *Reutel. Chron. Hildesh. p. 169. Cranz. l. 9. Metr. c. 21. & 35. p. 247. 254 Chron. Ep Hildes. MSC. c. 38. Brunsch. esp. 11. de Archiep. & Ep. n. 36. Bucelin. part. 1. Germ. S. p. 19. Lezn. l. 2. Chron. Dassel. c. 4.*

Hildesiensis ecclesia ad summam felicitatem evecta transacto abhinc biennio in maximum luctum incidit, rebus humanis exemto Henrico Episcopo, principe ad defendenda hujus ecclesiæ jura veluti facto, quippe qui hostibus suis dextro Marte debellatis contra tumultuaria quoque prædonum arma paucis ante mortem diebus præclarum a Carolo Cæsare diploma impetravit, quo Duci Saxoniæ, Archiepiscopo Magdeburgensi & Paderbornensi Episcopo id datur negotii, ut vexatores ecclesiæ Hildesiensis in jus vocatos suo arbitrio puniant, donec Henrico Episcopo ex asse satisfecissent. Fatalis illi dies extitit sextus Februarii, quo ejus anniversaria in Hildesiensi ecclesia solenni ritu celebrantur. Sepultus in ecclesia cathedrali Hildesiensi hoc meruit epitaphium:

Post M post tria C post sexaginta duosq;,
Hunc sol sexta necat Februi, qui pace quiescat;
Creverat Ecclesia per eum, præstante Maria,
Præsul pacificus, Henricus, honoris amicus,
Hic est prostratus; Brunschwig de principe natus.

Hæc Leznerus, Reutelius, Buntingius & quibuscunque de Episcopis Hildesiensibus scribere curæ fuit, magno consensu enarrant; Cranzius tamen hunc Episcopum non Hildesiæ sed Brunsvici in æde S. Blasii terræ mandatum refert, procul dubio falsus, cum membrana S. Blasii a Madero edita, illustresque in ista basilica sepulturas complexa Henrici Episcopi plane non meminerit.

Ei succedit Johannes.

Huic ergo Henrico ad plures abeunti a Pontifice subrogatur Johannes quidam Schadelandius, (quem & Schadebrandum a Reutelio vocari video,) aliis genre Frisius, aliis Rhenanus, domo Coloniensis aliis Saxo civisque Hamelensis creditus, celebris e S. Dominici familia Theologiæ Doctor, otiique & quietis, quam belli cupidior. Quippe a juventute in monasterii umbra delitescens secum vixerat, studiorumque suorum habuerat rationem; Sed interjecto tempore ad Pontificis clementiam adspirans rebus gerendis adhiberi cœpit, quemadmodum & ano M.CCC.LXV. positis Episcopi Hildes. insignibus Nuncii Apostolici munere functus est, teste ejus tabula, quam in Catalogo Præpositorum Hildesiensium allegat Conr. Berth. Behrens. Hildesiam ab Urbani Pontifice missus nihil habuit antiquius, quam ut ecclesiæ suæ curam unice susciperet, ovesq; sibi commissas ad sempiterna illa beatorum gaudia docendo pascendoque deduceret. Fertur a Canonicis aliquando quæsiviisse, ubinam libri, quibus tempus ante se Episcopi trivissent, serventur, numque bibliotheca satis luculenta ab antecessoribus suis collecta sit? Cui illi in armamentarium deducto, ostensis tormentis, *En*, inquiunt, *libros, quibuscum adhuc antecessoribus tuis commercium fuit, quos si tu quiescere passus fueris, ilicet actum est.* Ingemuit Episcopus ad hanc rerum faciem, & ad pigendum induci cœpit, quod e monasterio suo in hunc Episcopatum tanquam e tranquillo portu in turbulentissimam tempestatem mediamque rerum omnium perturbationem deduci se passus sit. Hinc assiduis precibus flagitavit pontificem ut vacationem sibi ab Episcopatu concederet, aliiq; hoc imponeret munus; qui ad gerenda bella esset proclivior. Ea videlicet erat temporum iniquitas, ut non Episcopi amplius & Doctores, sed propugnatores & milites expeterentur, quasi vero summus animarum nostrarum pastor Episcopus potius diœcesin augere, quam oviculas pascere jussisset. Hinc non est mirum, Johannem hunc umbraticum doctorem cum ad publicum munus accederet, in alium terrarum orbem delatum se credidisse.

Anni Christi 1364. 1365.
Caroli IV. Reg. 18. 19. *Imp.* 10. 11.
Ab. V. C. 441. 442.

Joanni Ep. Hildes. Augustam abeunti succedit Gerhardus. *Reutel. l. c. Chron. MSC. Episc. Hild. l. c. Brusch. l. c. Bucelin. l. c. Cranz. l. 9. metr. c. 46. p. 259.*

VOti itaque demum compos anno a Christi natali M. CCC. LXIV. impetrata vacatione, Pontificis beneficio deinde Augustensem Episcopatum nullis tum motibus concussum adiit, ibique magna cum laude & insigni religionis profectu insignia tenuit. Successorem in Hildesiensi Episcopatu sequente ano habuit Gerhardum de Monte, quæ familia variis nominib; Schalkerbergiorum, Schalchinburgiorú, Schaltinburgiorú, Schalcisburgiorú, dynastarú de Monte nequam, item Schelm von Bergen[*] in annalibus vetustistisq; documentis celebris advocatia ecclesiæ Mindensis olim diutissime perfuncta est, multisque ecclesiis Episcopos dedit, quemadmodum paulo post anno M. CCC. LXIX. ad Mindense quoque sacerdotium Witekindus de Monte provectus legitur: Gerhardus noster initio Cantor deinde Decanus Ecclesiæ Hildesiensis creatus paulo ante hæc tempora ad Verdensem Episcopatum adspiravit, quem tamen cum degustasset

[*] *Vid. Paulin. not. ad Watensted. Chron. Mind. p. 36. & de Advocat. monast. p. 536. Meibom. not. ad Lerbecc. Chron. Schawenb. p. 542.*

ſtaſſet potius, quam adminiſtraſſet, Hildeſiam poſtliminio revocatur: qua de re extant hi verſiculi a Schlœpkenio evulgati:

GERHARDVS II. Baro de Monte el. 1367. [**]

Schloepk. part. 2. Chron. Bardevic. c. 7. p. 422.

Hic quoque non longum Vertenſi præfuit ædi,
Hildeſiam Antiſtes ad munera ſacra vocatus,
Et tamen interea, ut præſul Verdenſis habere
Jure queat piſces, effecit, in amne Viſurgi.

Meibom. not. ad Lerbecc. l. c.

Vir erat omnibus iis naturæ dotibus ſpoliatus, quæ in oculos incurrunt, naſo quippe aquilino, facie deformi, voce denique tam inſvavi uſus, ut riſum audientibus moveret. Quem tamen naturæ errorem ipſe incredibili virtute correxit tanta prudentia ſcientiaque literarum æquales ſuos ſupergreſſus, ut nonnullæ ejus lucubrationes proſa vorſaque oratione non ineleganter elaboratæ hominum admirationem tulerint. Nec minus in ſago, quam in toga enituit. Cujus rei luculentum ſpecimen ipſo Pontificatus ſui exordio dedit. Cum enim LX. equites Weſtphali rapto viventes Hildeſienſem diœceſin armis & rapinis vexarent; Gerhardus juſta indignatione motus collecta fortiſſima manu prædones ad Aulicam aggreſſus tanta ſtrage profligavit, ut partim occumberent, partim capti in ejus venirent poteſtatem.

** *Fallit hic numerus. Ad minimum enim 1364. Epiſcopus Verdenſis electus ſit oportet. Ipſe enim Schlœpkenius part. 2. c. 2. p. 282. ſq. ejus literas producit, jam anno 1365. datas e quibus ſimul patet eum adhuc appetente feſto Johannis Baptiſtæ Verdenſi Epiſcopatui præfuiſſe, atque adeo anno demum in autumnum vergente veniſſe Hildeſiam.*

Goslaria aliæque civitates Hanſeaticæ ſocietati accedunt.

Inter hæc, ſi Pontano fides, urbes Hanſeaticæ fœdus primum pepigere ad commercia inter tot tumultuaria prædonum arma mutuis auxiliis ſtabilienda, ceterosque ſubmovendos hoſtes, qui eminentem harum civitatum fortunam minus æquo animo ferebant. Quamvis autem Lubeca, Hamburgum, Brema aliæque mari ſeptentrionali viciniores civitates dudum fœdere ſe junxiſſe videantur, ut auctor eſt Werdenhagenius, paulo ſerius tamen mediterraneæ hæ urbes acceſſere, quod ante infauſta interregni tempora cauſas procul haberent. Simul ac vero viæ latrociniis infeſtari ac negotiatores rebus ſuis ſpoliari cœperunt; res ipſa ſuadere videbatur, ut civitates harum regionum jungerent arma, mutuisque auxiliis communibus hoſtibus reſiſterent. Inprimis in Saxonia hac inferiore fœderi Hanſeatico nomina dederunt Brunsvicum, Magdeburgum, Goslaria, Hildesheimia, Hannovera, Eimbecca, Gottinga aliæque civitates, commerciis opibusque tum florentes. *Goslaria in hanc ſocietatem recepta*, ut Werdenhagenii verba repetam, *cum aliis civitatibus ſociis aſſiduam curam adhibuit, ut prædonum ſpolia commeatibus publicis anteverterentur, ſed & commerciorum ſtudioſa varias res e metallis, [quamvis per hæc tempora non ſatis excultis] redeuntes veluti argentum canalitium infectum, puſtulatum hydrargyrum ac caldarium, Orichalcum, electrum, auripigmentum, ferrum, plumbum, Cadmiam, ſalſuginem, pompholycem, ſulphurem, ſalnitri, boracem aphronitrum, ochram, vitriolum aliaque hujus generis mineralia magno commodo ſuo exportavit.* Eique ſocietati ſumma fide adhæſit, donec Carolo V. imperante alia ſuccederet rerum facies, ſolutoque ſenſim fœdere civitatibus alio opus eſſet conſilio.

Werdenhag. part. 4. de rebus Hanſeat. p. 447. ſqq

Anni Chriſti 1366. 1367.
Caroli IV. Reg. 20. 21. *Imp.* 12. 13.
Ab. V. C. 443. 444.

Carolus Imp. de cuſtodiendis viis ſollicitus eſt.

Thritem. Chron. Hirſaug. ad h. ann. Schaten. l. 14 ann. Paderb. P. 2. p. 368

PErrexit interea Carolus Cæſar tempublicam pro virili ſua parte conſtituere. Veluti hoc anno cum prædones omnes vias ac itinera obſediſſent nihil habuit antiquius, quam has reipublicæ peſtes opprimere. Hinc Wenceslaum fratrem Brabantiæ & Limburgi ducem publicum viarum cuſtodem ad Rhenum conſtituit, eique id dedit negotii, ut hos rapaces lupos opibus potentiaque ferocientes armis ſuis imperata facere compelleret. Nec immemor inter hæc negotia Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ id quoque dedit operam, ne quid illa detrimenti caperet. Cum enim hujus eccleſiæ ſcholaſticus, quem a literarum ſtudiis ac vitæ integritate Imperator commendat, præbenda uteretur tantæ dignitati plane impari, quod temporum iniquitate plura bona prædonibus in ſpolium ceſſerant, Carolus reditus Capellæ B. Mariæ Virginis ad palatium Imperiale ſitæ Cæſarea auctoritate cum Scholaſtria conjunxit, quam rem hoc præclaro diplomate ſanxit:

Capellæ S. Mariæ cum Scholaſtria SS Simonis & Judæ conjungit.

* *Gerhardo.*

KAROLUS quartus divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boëm. Rex venerabili Epiſcopo * Hildensheimenſi, noſtro & Imperii Principi & devoto ſuo dilecto gratiam ſuam & omne bonum. Cum Scolaſtria Eccclefiæ Goslarienſ. quæ ad noſtram & Imperii collationem & poteſtatem pertinet in corpore ſuorum reddituum & proventuum adeo ſit debilis & exigua ſicut hoc informatione ſufficienti recepit noſtra Serenitas, & Scolaſticus cui de ipſa proviſum foret, pro tempore ſtatum prælati talis deficientibus ſibi rebus ſumme neceſſariis habe-

habere negat ullo modo, nos qui ſemper ea quæ perſonarum Eccleſiaſticarum utilitates & commoda proſpitiunt generoſo, gratioſo & benigno quodam favore complectimur habito reſpectu gratuito ad conditiones & ſtatum honorabilis ac devoti Scolaſtici ibidem qui literarum ocia, honeſtæ vitæ & laudandæ converſationis præclaris inſigniis in conſpectu noſtræ Celſitudinis a fama volatili plurimum commendabilis redditur ſibique horum ratione præbendam reditus & proventus præfatæ ſuæ Scolaſtriæ gratioſius augmentare volentes Capellam Stæ Mariæ apud aulam Regis cujus præſentatio ſive juspatronatus ad nos velut Romanum Imperatorem rite ſpectare dinoſcitur una cum omnibus ſuis redditibus, fructibus, proventibus & pertinentiis ſcolaſticæ præfatæ & ejus Scolaſtico, qui pro tempore fuerit, quantum in nobis eſt, animo deliberato & auctoritate Cæſarea conferimus, adjungimus & e certa noſtra ſententia gratioſius appropriamus, hortantes & requirentes tuam devotionem præſentibus, quatenus incorporationem & adpropriationem prædictæ capellæ contemplatione noſtri effectualiter velis proſequi, procurans eum conſuetis & debitis cerimoniis adhibitis finaliter conſummari, facturus in eo noſtro Culmini complacentiam ſingularem. Præſentibus ſub Imperiali noſtræ majeſtatis ſigillo teſtimonio corroboratis. Datum *Franckfurd.* Anno Dni milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo ſexto. Indictione quarta. XVIII. Kl. Octobr. Regnorum noſtrorum anno viceſimo primo, Imperii vero duodecimo.

Per Dnum Ducem Saxoniæ
Decanus Glogarienſis.

Bellum Hildeſienſe.

Cranz l. 9 Sax. p. 253 cap. 33. & l. 8 metr. cap. 51. p. 262. Bunting. part. 1. Chr. Brunſvic. p. 245. Pomar. Chron. Sax. p. 407. 408. Chron. Monaſt. S Michael. p. 522. ap. Meib. Chron. Magdeb. ap. eundē. p. 345. Brotuff. l. 6. hiſt. Anhalt. c. 8. Engelhuſ. Chron. p. 274. Compil. Chronol. ap. Piſtor. p. 747. Sagittar. c. 14. hiſt.

At in vicinia noſtra inſequente anno graviſſimum bellum axarſit. Magnus enim Dux Brunſuicens & Luneb. cui a torque cognomen hæſit (*) cum Gerhardo Hildeſienſi Epiſcopo colliſus ingenio ſuo obſequi hoc eſt ultionem & bella ſpirare cœpit. Cauſæ ducis favebant Dietericus Præſul Magdeburgenſis, Albertus Halberſtadienſis Epiſcopus, Principes Anhaltini, Volradus Comes Querphordenſis, Guntherus Schwarzburgicus, Gerhardus, Mansfeldenſis, atque e nobilitate vicina quamplurimi, qui junctis armorum viribus irruptionem in Hildeſienſem dicœceſin fecerunt agrisque devaſtatis adeo Hildeſienſes perterruerunt, ut ne conſilio quidem expediendo locus eſſe videretur. Gerhardus Hildeſienſis Epiſcopus licet parum inſtructum ſe videret; contra fortunam tamen ſpei inſiſtens ipſe quoque delectus inſtituere ſuasque contrahere copias cœpit, ſocialibus principum armis multum impares. Nec tamen ideo animum deſpondit, ſed ſpes ſuas quadam ambitione donans cauſam ſe B. Mariæ Virginis agere profeſſus eſt, hanc patronam eccleſiæ ſuæ non conceſſuram, ut ſub ſtramineo tecto coleretur, cum profligatis hoſtibus ſub aureo ſit habitatura. Nuncupato itaque voto manum adverſus hoſtes eduxit incredibili cupiditate pugnandi flagrantem. Cumque in hoſtium conſpectum veniſſet, converſus ad ſuos, manicam ſanctorum reliquiis onuſtam oſtendit, ac Viri, inquit, eſtote commilitones, en manicam meam in qua tot millia latent ſanctorum, qui omnes vobis præſidia pollicentur. Pugnatum eſt III. Non. Septembris ad Dinclerenſem pagum tanta utriusque exercitus fervore, ut diutius anceps victoria videretur. Inclinata tamen demum principum acie victoria ceſſit Gerhardo Epiſcopo, Woldemarus Anhaltinus, Albertus Mansfeldenſis, Volradus Querphordienſis, Johannes Hadmerslebienſis. Johannes de Oberg, Henningus de Monte, Johannes de Salder in acie occubuere, ceteri ab Epiſcopo capti Hildeſiamque deducti ſunt. Memorabilis victoria, qua tot illuſtres Principes Magnus Dux Brunſvicenſis Albertus Halberſtadienſis Epiſcopus, Duo Dynaſtæ Hackebornenſes, Henricus de Steinfort, Gumpertus & Almiricus Wanzlebii, Henricus & Ludolphus Alvenslebii, Buſſo Aſſeburgenſis aliique inclyti viri in Epiſcopi Hildeſienſis poteſtatem venere. Lætus hac victoria Epiſcopus triumphans Hildeſiam ingreſſus eſt, tantamque argenti ſummam a captivis extorſit, qua non modo voto præſtando turrique eccleſiæ auro Hungarico obducendæ, verum etiam extruendæ Carthuſæ Hildeſienſi, novisque aliquot arcibus condendis ſufficeret. Adeo certus de D. Mariæ auxilio erat Epiſcopus cujus & imaginem e collo pendentem geſſiſſe dicitur chronicæ Slvavicæ auctori Leznerus, Reutelius aliique hanc victoriam referunt in annum M. CCCLXIX. Sed ego potiſſimum Chronicæ Slavicæ & Buntingio, Meibomio aſſenſerim, inprimis cum Dietricum, Archiepiſcopum quem hujus belli ſocium veluti ex compacto trádunt annales, hoc ipſo anno fato conceſſiſſe conſtet. Plane ergo aliud egiſſe putes Schatenium, qui hoc bellum inſigni errore anno M. CCCLXXVI. geſtum autumat.

Princ. Anhalt. p. 78. ſq. Chron Slav. ap. Linden. brog. p. 208.

Schaten. l. 14 p. 396. t. 2. annal. Paderb.

(*) *Cranzius l. c. per errorem enim vocat Ottonem.*

Carthusiæ Hildesiensis initia. *Ertwin. Chron. Osn. p. 238 Cranz. l. 9 metr. c. 25 Lezn. l. 2. Chron. Hildes. MSC. c. 19*

Cum de Carthusa Hildesiensi fecerim mentionem, quam a Gerhardo Episcopo fundatam Ertwinus, Buntingius ceterique hujus prælii scriptores magno consensu tradunt, Cranzius vero tantum instauratam mavult: non possum non hoc loco versiculos non nullos olim in hac Carthusa obvios e Lezneri schedis proferre, e quibus non modo conditor, sed & benefactores primæque coloniæ illius innotescunt:

Christi post annos L, ter X, mille tricenos
Hinc octo subdas [*], tunc it in has patrias
Concio Carthusia, nova non insciа terra
Ex Argentina post Erford subit in ima.
Hildensemensis Antistes, Gerde titulatus,
Nobilis de Monte fundator & est pater hujus.
Sunt huic subsidio Cord de Steinbergque Johannes
De Scovichelt, fortes, fama qui non mediocres,
Gerde Corde narrati loculo sunt hoc inhumati
Supplice parce sibi, Rex pie nate Dei.
His subvenire dum dicitur: ite venite.
Mors tua Christe pie, miseros qua juste recondis,
Eximat a tenebris. Hoc peto voce pia.
Vos qui transitis, memores horum rogo sitis;
Semper ut in requie sint, Dominum petite.

* 1388.

Annus Christi 1368.
Caroli IV. Reg. 22. Imp. 14.
Ab. V. C. 445.

Gerhardus Ep. Hild. Richenb. inopia laborantibus consilio subvenit *Ex literis Richenb.*

EAdem beneficentia insequente anno Richenbergensibus ad extrema redactis suppetias tulit. Monasterium hoc superiore seculo ex busto resuscitatum per varios eventus fortuitos prædonumq; injurias in hunc terum statum devenerat, ut bonis omnibus spoliatum, ac a fundamentis fere proruens, vix sacræ familiæ hospitium amplius præberet, pluresque jam loco migrare in animum inducerent. Re ad Gerhardum Hildesiensem Episcopum delata, iste sacrorum ordinum amantissimus princeps misertus Richenbergensium tecta monasterii plumbo nudari, laminisque phrygiis interea obtegi jussit. Hinc vendito plumbo pecuniam ad redimenda bona dudum oppignorata impendendam statuit. Reditus vero in posterum ita dividi voluit, ut dimidia pars in refectorio victum fratribus præbeat, pars ad ædium instaurationem reservetur. Quam Episcopi curam *Johannes* Præpositus *Woltherus* prior totumque capitulum hujus ecclesiæ insigni diplomate testati sunt, *dato anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, in die annunciationis beatæ Mariæ Virginis.*

Anni Christi 1369. 1370.
Caroli IV. Reg. 23. Imp. 15. 16.
Ab. V. C. 446. 447.

Novum bellum in vicinia hac gestum. *Cranz. l. Sax. c. 34. p. 254. Spangenb. c. 294. Chr. Sax. p. 499. Bunting. part. 3. Chron. Brunsv. p. 16. sq. Lezn. l. 2. Chron. Dessel. c. 11 f. 26. sq. Rent. p. 192 Fomar. Chr. Sax. p. 411*

SEd ab hac ecclesiarum cura Gerhardum Episcopum mox novi tumultus in vicinia nostra exorti abduxere. Equites enim nonnulli, quibus in turbido erat consilium, ad ingenium redeuntes, prædas denuo agere cœperant, iique ab Ottone Malo, Brunsvicensium ac Luneburgensium Duce ad Leinam in tutelam suscepti dicebantur. Hinc nova bellorum causa. Episcopus superiore victoria ferocior contractis subito copiis Walmodensem arcem, quam insederant equites, obsidione incinxit, magnoque apparatu munimenta subvertere cœpit. Interea vero Otto Dux, quo citius ab obsidione Episcopum abstraheret, Harzburgum Wernigerodani comitis castellum ex insidiis aggressus, pridie Calend. Novembris illud expugnat, præsidiaq; sequente die firmaturus, cum delecta manu accedit. Re comperta Gerhardus Episcopus & ipse e castris ad Walmodam copias educit, omnesque vias, quibus adventurum Ottonem suspicabatur, occludit. Unde Otto re infecta discessit domum, neq; Walmodensibus auxilio venire, neq; Hartzburgense castellum præsidio suo firmare potuit. Ne tamen nihil videretur egisse Alfeldam in reditu adortus occupat, firmoque præsidio premunit magno Episcopi detrimento. Intervenientibus de hinc arbitris res ad pactionem pervenit, transactumque in has leges, ut Otto Alfeldam reddat, Episcopus Harzburgum Duci restituat, captivi gratis relaxentur, Schwicholti denique ab Episcopo in gratiam recepti Lewenburgum pignoris loco accipiant. Tam raro Saxonibus ab armis fuit otium, ex quo Cæsarum auctoritas post triste interregnum evilescere cœpit. Ex eo enim tempore principibus non erat amplius religio levissimis de causis ad bella progredi: cum paulo ante ejusmodi dissidia a Cæsaribus in publicis Imperii comitiis sopirentur. Ceterum de Harzburgensi expugnatione hi extant versiculi:

Harciniamq; arcem Comites quam Warnigerodæ,
Hasslenus acceptam Romano a Rege tenebant,
Nocte invasit Otho, (parvum dixere minores)
Capta &c.

Harzburgum Schwicholtis ab Ottone duce donata est, si Spangenbergio & Buntingio fides est. Referunt enim Ottonem circa festum Martini e Marchia redeuntem a Schwicholtis convivio splendidissimo exceptum mane ad solvendum se obtulisse, sed abnuentibus Schwicholtis & pecuniam recusantibus adeo eorum probasse amorem, ut Harzburgensem arcem iis dono dederit.

An-

Anni Christi 1376. 1377.
Caroli IV. Reg. 30 31. *Imp.* 22. 23.
Ab. V. C. 453. 454.

Odo moniales Novi operis

ANnus de hinc a Christi natali M.CCC. LXXVI. Wenceslai Regis inauspicata inauguratione fatalis, Goslariæ luctuosus admodum fuit. Pestis enim in vicinia paulatim serpens civitatem nostram tot funeribus exhausit, ut vix parem ante hæc tempora calamitatem se expertos esse cives recordarentur. Inprimis hæc lues tunc in novi Operis moniales sæviebat, quarum e numero octo pridie idus Maji expirantes uno tumulo clausæ sunt, Anna videlic Kuhnia, Sophia May, Anna Molleria, Margaretha de Achim, Lucia de Dannenhusen, Elisabetha Korneria,

Pestis extinctæ. Pomar. Chron. Sax. p. 419 Lezn. c. 19. Opp. MSC. de Monaster Cl. 2. c. 51.

Mathilda de Collin, & Gesa denique de Langesheim. Ex qua strage de pestis hujus anni inclementia facilis conjectura peti poterit. *Chron. MSC. Hildesh.*

Nec multo felicius hoc tempore monasterium Richenbergense rerum quippe omnium inopia pressum. Periclitanti tamen Religiosorum familiæ non Gerhardus modo Hildesiensis Episcopus verum etiam alii Saxoniæ præsules suppetias ferre pro virili annisi sunt. Veluti hoc anno Bertramus Lubecensis Episcopus misericordia tactus XL. dierum indulgentias unamque carenam liberaliter iis remisit, qui Handorpiensem Ecclesiam B. Kyliano sacram atque ad Richenbergenses spectantem visitassent, preces pro defunctis fudissent, manusque attulissent adjutrices:

Indulgentiæ Handorpiensi Ecclesiæ concessæ. *Ex literis Richenb.*

UNiversis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsens scriptum pervenerit. *Bertramus* Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Lubecensis, sinceram in Domino charitatem. Inclita Christi gaudia sanctorum meritis consequi non dubitamus, qui ipsorum patrocinia, aliquo devotionis obsequio pie venerari cupimus & affectamus. Hinc est quod Ecclesiam parochialem in *Hanendorpe* Hildenesheimensis Diœcesis in honorem beati *Kyliani* fundatam piis consolationibus prosequi cupientes omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus, confessis & contritis, qui ad dictam Ecclesiam in festo *B. Kyliani* devote accesserint & cum reverentia visitaverint, ac orationes suas circumeundo Cœmiterium pro fidelibus defunctis effuderint, nec non ad structuram ipsius Ecclesiæ manus suas exhibuerint adjutrices, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus atque nostra confisi, totiens quotiens fuerint, quadraginta dies indulgentiarum cum una Karena de injunctis sibi pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus, dum tamen ad præmissa diœcesani accesserit consensus & voluntas. Datum *Lubekæ* Anno a Nativitate Dni M. CCC. LXXVI. in die *B. Servatii*, nostro sub sigillo, præsentibus impenso.

Carolus IV. Saxoniam lustrat. *Cranz. l. 10. Sax. c. 1. p. 259. Henr. Aquitonopol. l. 2. de primord. Lubecc. c. 3. p. 614. ap Meibom. Chron. Riddagsh. p. 373. Schaten. l. 14. Ann. Pad. Paderb. p. 308. P. 2. Chron. Mindens. ap. Meib. p. 569.*

Eadem totius Saxoniæ tunc facies erat quod prædones novaque stelligerorum societas omnia latrociniis miscebant. Non parum tamen solatii his ergionibus insequente anno attulit Caroli Imperatoris adventus, eo jucundior omnibus futurus, quo diutius Cæsaream majestatem Saxonia non adspexerat. Jam ante biennium Augustissimus hic Imperator priscorum Cæsarum morem secutus e Bohemia excurrens provincias inferiores obire cœperat, inclytamque Lubecam usque pervenerat, quippe quam vergente in auctumnum anno splendidissima procerum corona cinctus intravit. Sed quo minus has quoque oras adiret, alia prohibuere negotia, quæ eum sub mensem Decembrem in Bohemiam revocarunt. Hinc anno M. CCC. LXXVII. senio jam fatiscens novum iter suscepit, per Saxoniam juri dicundo præfuturus, coramque spectaturus rerum faciem. Mense Octobri Tangermundæ in Marchia Brandenburgensi versatus, Mariærodenti & Riddagshusano cœnobio luculenta privilegia elargitus est. Inde reflexo itinere Hildesiam accessit, solenni pompa exceptus, ac a Gerhardo Episcopo deductus Mindam, quam mense Novembri ingressus est. An hoc itinere Goslariam quoque more majorum inviserit, vix dubitaverim, cum tam prope abfuerit, tacentibus tamen annalibus rem affirmare nolo. Minda ubi in dominicanorum cœnobio hæsit, Bilefeldam petiit, tactusque cupiditate Witekindi Saxonis sepulorum adeundi ad vicinam Angariam deflexit. Herfordiæ denique Paderborna, Susato & Tremonia salutatis deficiente jam anno ad Rhenum perrexit. Provincias itaque has veteri Imperatorum ritu lustranti Carolo principes frequentes officii causa adfuerunt. Mindæ enim consignatis tabulis testes adscriptos reperio Gerhardum Hildesiensem, Henricum Verdensem, Henricum Paderbornensem Episcopos, Albertum Saxoniæ & Luneburgi, Wenceslaum Opaviæ Duces, Borchardum de Hardek, Gerardum de Hoja Bussonem & Heinricum de Schrapelaw Comites Nobilem Ottonem Advocatum de Monte Petrum de Wartenberge, dictum Dechost, Imperialis Curiæ Magi-

Lerbecc. Chron. Schaaven. p. 518. & Meib. not. p. 546. Waten. sted. Chron. Mindens. p. 37. Chron. Mindens. ap. Pistor. p. 457.

Diploma Mindens. Ecclesiæ datum ap.

Piſtor. Schaten. & Watenſtedium l.c. Annal. Corb. f. 412. ap. Paulin.

Magiſtrum, Thunonem de Coldiz Hinzonem de Lippia, Albertum de Sterneberg Simonem de Lippe, Buſſonem de Prizam Buſſironem de Pisken Alhartum de Pusche, Dapiferum in Ravensberg, Henricum de Egizelhelm, quibus ex Schnackenburgii Annalibus Corbeienſibus addas Bodonem Abbatem Corbeienſem. Tam læta Saxonia adventu Imperatoris nunc erat, poſteaquam hoc beneficio aliquandiu caruerat, cum præterlapſis ſeculis, quibus Imperatores in his regionibus frequentius hærebant, omni ope ac induſtria eos hinc ſubmovere niteretur, quemadmodum ex Henrici IV. hiſtoria ſatis elucet. Vt videas carendo ſæpius homines felicitatem ſuam metiri diſcere, quam fruendo contemſerant.

Annus Chriſti 1378.
Caroli IV. Reg. ult.
Wenceslai Reg. 1.
Ab. V. C. 455.

Carolus Delphinum Galliæ vicariũ regni Arelatenſis conſtituit. *Naucler. gener. 46. p. 902. Paralip. Vrſp. p. 362. Schurzfl. diſſ. ſing. tom. 1. diſſ. 18.*

A Rheno ad quem e Saxonia ſuperiori anno deflexerat Carolus cum Wenceslao filio in Galliam divertit, ſive nepotem ſuum Carolum V. Regem Francorum ſalutaturus, ſive quod magis credibile eſt, Wenceslao filio Francorum benevolentiam conciliaturus. Tanta enim ſollicitudine ſenex Imperator Wenceslaum filium ad Imperium provehere laborabat, ut nullam amplius ſumtuum haberet rationem, ipſumque Imperii patrimonium peſſimo exemplo ex hac cauſa diſſiparet. Argumento ſunt tot vectigalia, civitates tot liberæ aliæque poſſeſſiones, quibus filio electorum ſuffragia emendicare ſtuduit. At nunquam majorem errorem commiſit, quam hoc ipſo anno, quo Delphino Franciæ, Caroli V. filio Arelatenſe regnum Vicarii perpetui titulo conceſſit, exemplo plane inutili. Quamvis enim eo ipſo jura ſua Francorum Regibus non ceſſit, experiundo tamen interjecto tempore didicimus, quam ſit res aleæ plena, exteris potentioribus provincias gubernandas dare, hoc eſt lupo ovem committere. Hoc enim nobiliſſimum regnum ſenſim ab imperio avulſum, jamque plane cum Gallorum provinciis conjunctum, tanto certius præſidium Gallis præbet, quo propius ad Moſellã pertingit. Fallunt tamẽ, qui Theodoricum de Niem, Aventinum Peucerum, aliosq; auctores ſecuti Carolum IV. culpæ reum faciunt, parique largitione, qua alia Imperii patrimonia diſſipavit Arelatenſe etiam regnum abalienaſſe exiſtimant. Alia omnia enim e probatiſſimis documentis aſſeruit Cl. Schurzfleiſchius. Imprudentiæ potius arguendus erat, quod nulla urgente neceſſitate, quo Gallos tantum ſibi demereatur, vicarium exterum conſtituit, deditque iis occaſionem, ea concupiſcendi, quorum utilitatem fuerant experti.

At non multum ab hac peregrinatione ſuperſtes Carolus. Regis enim ſumptibus e Gallia in Bohemiam reductus in morbum incidit, ipſisque D. Andreæ vigiliis diem obiit ſupremum, Imperator prudentia, rerumque peritia nulli ſecundus, quippe qui legibus de electorum jure totiusque imperii rebus aurea bulla ſancitis funeſta diſſidia abolevit, pariterque ſempiternum ſibi monumentum apud poſteros ſtatuit. Nec tamen ejus virtutes tantæ fuerunt, ut nullo vitiorum confinio læderentur. Quicunque enim ejus res paulo accuratius procul habita omni aſſentandi cauſa memoriæ prodiderunt, omnes in eo conſentiunt, Carolum Bohemiam familiamque ſuam ſæpius reipublicæ ſaluti antepoſuiſſe. Caroli IV. obitus & eloglum.

Patrem in Imperio ſecutus eſt Wenceslaus, filius, homo ſi ſcriptorum judicio ſteteris, mollitiis fluens, ventri gulæque filius deditus, nihilque ex paterna majeſtate, ſuccedit. præter ſpeciem nominis * retinens per omnem pene vitam in Bohemia deſidens inter epulas, paraſitos, & ſcorta ſe oblectavit, nullamque reipublicæ curam niſi cum impenſis opus eſſet, habuit. Interea inteſtinis civilibusque bellis a principibus decertatum, leges neglectæ, provinciæ laceratæ, nihil in eodem ſtatu relictum. Monſtrum tamen hoc totnm e vitiis ſceleribusque conflatum xx annos tulit respublica, donec invaleſcenre ſubinde reipublicæ morbo, & pene deſperato, imperio exutus ad privatam vitam redire juberetur. Ei Wenceslaus huic referat, luculenta nimirum privilegia, quibus inter ſalia vulgi errorem firmat, civitatemque noſtram ſuper re metallica fundatam perperam aſſerit. Habet tamen Goslaria noſtra, quod acceptum Wenceslao

* *Pater enim Wenceslai nomine antea notus Caroli nomen in gallia juvenis aſſumſit.*

Annus Chriſti 1382.
Wenceslai Reg. 5.
Ab. V. C. 459.

Tidericus Abb. Walkenred. cum Præpoſito Montis S. Georgii paciſcitur. *Ex literis Granhofſian.*

UT jam demum ad Montis S. Georgii monaſterium redeamus, cujus res paulo parcius adhuc ſe nobis obtulerunt; transactionem illud de bonis nonnullis hoc anno iniit cum Tiderico Abbate Walkenredenſi. Extant hujus rei teſtes tabulæ ab Abbate hoc conſcriptæ, e quibus teſtium modo nomina excerpere placuit, notatu digniſſima: *Teſtes vero hujus compoſitionis ſunt Conradus de Reyndeshuſen Capitaneus, Johannes Kyſſenbruyke Advocatus, Henricus Uslere & Johannes Grunesvvald Magiſtri Conſulum in Goslar, nec non Johann van der Heyde Conſul ibidem & complures alii fide digni.*

gni. *Actum & datum anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, ipsa die exaltationis S. Crucis.* De pluribus rebus nos admonent egregiæ hæ literæ. Initio licebit inde discere, Ekstormium minus accurate hujus Abbatis tempora computasse. In ejus enim Walkenredensi Chronico hæc extant: XXV. *Theodoricus Grus, electus est, A. 1386. sequenti anno gubernatione sese propter virium defectum abdicavit, cum unum annum præfuisset.* Quæ tamen hoc ipsum diploma anno quippe 1382. consignatum refellit. Deinde eædem literæ memoriam nobis suggerunt Capitanei cujusdam Goslariensis, cujus dignitatis ante hæc tempora nusquam mentio occurrit. Videtur autem senatus noster, si conjecturæ locus est, turbulentis hisce temporibus quendam e numero suo elegisse, cui supremam rei bellicæ curam demandavit, quod officium tunc paulo splendidius posteris temporibus Capitanei urbani die Stadt-Hauptleute supplere cœperunt. Ad hæc egregie inde erudimur de significatione vocum *Consul* & *Magister Consulum*, ab usu nostrorum temporum plane aliena. Consules enim olim apud nos audiebant, quicunque in Senatorum ordinem adlecti fuerant, quemadmodum superiore libro diplomata protulimus, in quibus novendecim imo viginti duorum Consulum Goslariensium mentio fit; qui tamen procul dubio e senatorum tantum ordine erant. At qui hodie Consules vocari solent, olim Magistri Consulum fuere appellati.

Theodoricus Abbas Walkenr. quando cœperit præesse monasterio, *Ekstorm. Chron. Walkenr. p. 153.*

Capitanei Goslarienses quales.

Consules & Magistri Consulum.

Denique nomen Heinrici ab Vslar nos admonet, ut de celebri hac atque inclyta gente, quæ in civitate nostra diutissime floruit, cujusque aliquoties fecimus mentionem, nonnulla dicamus. Est ea sine controversia omnium antiquissima, adeo, ut ad Tiberii Cæsaris ætatem Vslariorum originem vulgo referant. Ajunt enim Osselarium quendam de Doro-Campo diuturnæ famis, quæ Romam affligebat pertæsum, trans Alpes migrasse, Germaniaque lustrata ad rivum Alam, haut procul a Sollingo leni cursu labentem consedisse, ab eoque deinde Vslarios de Dœrfeld traxisse originem. Addunt huic Osselario conjugem fuisse Giselam, cui caminatam extruxerit, quam a loci oportunitate Insulam Gisela Giesselwerder appellarit. Filios ei tribuunt binos, tresque filias Alericum, Bodonem, Schonetam, Steinmeccam, & Beutissam, qui singuli ferme loci quibusdam in Saxonia notis nomina reliquisse feruntur. Bodonem enim de Doro Campo repertis a se Salinis ad Visurgim (*) Campo Bodonis, Alericum Alrichshuso (**) Schonetam, Schoningæ, Beutissam Botishusæ, Steinmeccam denique Steinmeccæ nomen dedisse perhibent. Denique celebrem illum annalium scriptorem, Fenestellam, quem Hieronymus sexto Tiberii Cæsaris anno septuagenarium obiisse tradit, Osselario huic juveni a literis & moribus fuisse referunt, eumque cum ad Vindelicos secessisset, comperta ejus conditione literis Osselarium monuisse dicunt, præcepta, quibus juvenis esset imbutus diligentius teneret, eaque ad usum nunc converteret, quod si sit facturus, non esse dubium, quin Deorum immortalium ope incepta prospera sint futura. Easq; literas in Haselsteinensi arce repertas, atq; in Helmwardeshusano cœnobio diutius custoditas narrant. Hæc Leznerus Conradi Fontani Monachi Helmwardishusani fide enarrat, cujus scriptum de Visurgi sæpius in consilium adhibere solet. Verum si rem paulo accuratius consideres, vereor, ut cujusquam fidem hæc narratio mereatur. Primo enim Osselarii de Doro Campo nomen plane nihil Romanorum sonat, sed recentiori linguæ Hetruscæ vicinius est. Multo minus deinde Giselæ, Alerici, Bodonis, Schonetæ, Beutissæ & Steinmeckæ nomina ultimam hanc ætatem ferunt, quippe priscis Germanis propria, certe origine Germanica. Fenestella quoque nunquam ad Vindelicos deflexisse legitur, literæq; Helmwardeshusæ procul dubio, ut alia, ei suppositæ sunt, quod fortassis ad oculum pateret, si aut adhuc extarent, aut in lucem prodirent. Ideo nemo facile paulo cordatior hanc Fontani fabulam sibi occini patietur. Redolet enim monachi ingenium, quod hominum genus olim commentis ejusmodi illustrium familiarum favorem aucupari solebat. Dudum sane observatum est eruditis, illius seculi historicos veluti pertæsos Germanici nominis, omnes paulo antiquiores familias ex Italia ortas asseruisse. Quemadmodum vanas ejusmodi genealogias Marcanorum, Lippiensium Hochbergensium, Oldenburgensium, Zolleranorum graviter perstringunt Cranzius, Peucerus, Spangenbergius, Hamelmannus, & Meibomius. Ut taceam monachorum fidem in rebus Germanicis Francorum ætate antiquioribus plerumque vacillare. Quod si ergo Vslarii ex Italia prodierunt, id sane certum est, eos non multum ante Caroli M. tempora huc viciniæ migrasse. An autem Giselwerderam, Bodenfeldam, Alershusum, aliosque vicos condiderint, in medio relinquam. Id tamen certum est, inclytam hanc gentem jam inde a Caroli M. temporibus in Saxonum annalibus celebrari. Quod ut eo certius diluceat, omissis Fontani nugis partem famil æ hic adjicere placet ex Leznero a me locis nonnullis illustratam:

Hieron. Chron. Euseb. ad ann. MXXXVI

Lezner. l. 3. Chron. Hildes. MSC. c. 109.

Meibom. not. ad Lerold. Northov. Orig. Marcan. p. 412.

Vslariorum familia Goslariæ florens.

[*] Salz Bodenfeld.

[**] Alershusen

Heino

Heino de Dœrfeld, *quem in arcis Brunsbergenſis præſidio anno 775. cum aliis fuiſſe ex Suffrido Petri tradit Leznerus.*

Annonem *ejus filium primum omnium ſuæ gentis invito patre religionem Chriſtianam profeſſum idem ex Conrado Fontano refert. al 842.*

Anno de Dœrfeld *interfuit Merſeburgenſi proelio contra Hungaros.*

Anno III. 1049.

Reinhardus *Dœrfeld ab Uslar.*

Conradus		Godebertus 1097.
Hermannus	Heidenricus	Godebertus 1099.
		Erneſtus

Heidenricus Doerfelt *ab Uslar in aula Ottonis IV. puer nobilis omniumque bellorum deinde ſocius a.* 1199. *ad Henricum Palatinum miſſus, rogatum, ut Brunſvicenſibus obſidione preſſis ferret ſuppetias. Ejus conſilio Henricus Palatinus Archiepiſcopi Madeburgenſis aliquot arces intercepit, Hildeſienſes cecidit, Brunsvicenſium obſidionem ſolvit. Ab Ottone deinde eques ſolemni ritu creatus metallis Hercynicis præficitur. Mox novis turbis exortis cum metalliſoſſoribus Fribergam concesſit, ibique metallis indagandis dedit operam. Cujus rei obſcure etiam meminit.* Albin. Chron metall. Miſn. tit. 1. p. 12. *Pulſis deinde ab Ottone comitibus Glichenſibus, & in Thuringiam migrare juſſis, rediit Heidenricus in Saxoniam, & caſtella utraq; Glichenſia* das alte und neue Hauß *a Comitibus numerata pecunia coëmit, quorum alterum hodienum tenent Uslarii.* Luc. atr. comit. part. 1. p. 244. *Tabellas auctoritatis, hujus venditionis teſtes, vidit* Leznerus datas Erfurti in monte S. Petri Anno MCCXI. die S. Cypriani.

Erneſtus *a patre novum caſtellum* (das neue Haus gleichen) *accepit, vir ſumma apud principes dignatione, noviq; ſubinde bonis feudalibus auctus. Duces Brunſuicenſes ei largiti ſunt jura tribus mercatoriae Gottingenſis ea lege, ut quoties tribunus obiret, ejus ſucceſſor ſemper munus ſuum ab Vslariis tanquam feudum recognoſceret.*	Hermannus *Goslariam conceſſit, contractoque ibidem matrimonio rei metallicæ dedit operam* 1246. NB. Parens Vslariorum, qui Goslariæ nunc florent. **	Johannes *vetus caſtellum Glichenſe mortuo parente occupavit, & morimprolis obiit.*	Vertheco *miles* 1286.

Ludovicus *novi caſtelli poſſeſſor*	Hildebrandus *obiit ἄπαις*	Tidericus	Erneſtus *veteris caſtelli poſſeſſor.*	Henricus obiit *ἄπαις*
Henricus improlis obiit	Hermannus	Bertha *conjux Henrici de Kerſtlingenrode* — Johannes	Heiſo *peculiarem inhabitavit veteris caſtelli partem, quam Henrico de Kerſtlingerode vendidit.* 1329.	
Erneſtus	Joannes	Tidericus *miles*, 1308.	Erneſtus, Heinricus, Hermannus, 1386.	
His fratribus cum altera Vslariorum ſtirpe in veteri caſtello commorantium lites diutius fuerunt: Reconciliati tamen Landgravii Haſſiæ & Ducum Brunſvicenſium interventu, teſtantibus id literis Leznero viſis datis anno 1316. *Mox recrudeſcentibus litibus familia veteris caſtelli hæres partem Glichæ veteris vendidit Domino de Kerſtlingerode. Dom. Lætare* MCCCXXIX.			Wetekindus *improlis obiit*	Bodo Gunthierus *vixere adhuc* MCCCC XLI. *ſed mox improlis obierunt.*

Georgius *juvenis obit*	Erneſtus, Tidericus	Hildebrandus *anno* 1376 *cum Lamberto de Stokhauſen, Henrico ab Hardenberge, Sigfrido a Bulzingsleben & Wernero ab Honſtein Comitum Honſteinenſium hoſtis fuit Ekſtorm p.* 152. *Hi fratres cum altera ſtirpe in novo caſtello colligi anno* MCCCXXVIII *vetus caſtellum a Ducibus Brunſv. recognoverunt, Moguntino Archiep. adverſus Marchiones Miſnia opem tulere, pramiiq; loco acceperunt bona Sipoldishuſana & jus in partem molendini Rosdorpiani. Anno* 1364. *hereditatis titulo accepere bona Johannis de Sackſedetitulo accepere bona Johannis de Sackſede. Anno* 1370. *cum Dominis de Kerſtlingenrode fundavit capella S. Chriſtophori Glichenſem.*	Mauritius	Wetekindus *Conj. Lucardis.*

Burchardus	Johannes	Erneſtus
Johannes *ob.* 1446.		Erneſtus
Joannes		Erneſtus

Anno 1443. *prope Mulhuſum globis trajecti perierunt. Vnde pater Erneſtus & Johannes patruum novum caſtellum Landgr. Huſiæ vendiderat, fundatoq; hoſpitali Rinhuſano ſtirpem ſuam finierunt.*

Wetekindus — Erneſtus *obiit ἄπαις*

*

*

Wetekindus *omnium bonorum ex asse hares vir doctus & magne inter nobiles auctoritatis.*
Conj. Anna *de Oldershusen.*

Margaretha *Conj. Joannis de Munchhusen.* | Catharina *Conj. Bernhardi de Gabel. Archistrategi* | Anna, Agnesa, Magdalena *virgines obierunt.* | Christophorus *habitavit Wacha.* | Jobst *Conj. Catharina de Wēper hagē ānaus* | Ernestus *ānaus.* | Johannes *ob. ānaus* 1554. | Melchior *con. jux* Margaretha *de Alen.* | Ludolfus *anno* 1553. *interfuit Erizburgensi præsidio obiit* 1586.

Anna, Dorothea, Levinus

Anna Elisabetha, Dorothea, Mauritius Witekindus. | Wolfgangus Johannes | Georgius, Wilhelmus

Conj. *Dorothea de Hambstein.*

Anna *Conjux* Hans Heinrichs von Hambstein. | Cilicia | Catharina *Conj. Joh. Frid. de Winzingerode* | Margaretha *virgo obiit.* | Carolus Bernhard | Sittich. | Ludolphus Wetekindus | Wernerus Wetekindus | N.N. Dithericus *Wacha sub mersus.* | Johannes Ernestus *Conj. Ilsabe de Luervvald.*

Hæc est illustris Uslariorum familia in Gleichensibus castellis florentissima. Qui Goslariam nostram a tot seculis illustrarunt ab eodem fonte promanant, summisq; honoribus tum in civitate nostra, tum in principum aulis præfecti non minus pretium prudentiæ, quam virtutis a fama tulerunt.

Anni Christi 1386. 1387. 1388.

Wenceslai Reg. 9. 10. 11.
Ab V. C. 463. 464. 465.

Dithericus Comes Wernigerodanus rapinæ pœnas dedit. *Cranz. Lib. 6. 7. p. 262. Spang. c. 209. p. 505. Chr. Sax. Luca str. Comit. part. 1. p. 730. Engelh. p. 281. Chron.*

VAlidius interea quam unquam per hæc tempora rapinis & bellis tumultuariis operam dare nobiles cœperant, quod Wenceslao Rege in gynæceo delitescente quicquid liberet, impune licere existimabant. Hinc ipsi Principes rebus suis consulturi fœdus inter se pacti in severas has leges convenere, ut quicunque latrociniis inposterum se polluisset, capitis damnetur. Venerunt in hujus fœderis societatem Adolfus Moguntinus Archiepiscopus, Albertus Episcopus Halberstadiensis, Otto, Fridericus & Albertus Duces Brunsvico Luneburgenses, Busso Comes Reinsteinensis, Heinricus Comes Honsteinensis; Guntherus Comes Stolbergensis, Conradus & Dietricus Comites Wernigerodani, Busso Comes Mansfeldensis, atque ex equestri ordine quam plurimi uno omnes ore legem hanc sancientes. Sed eam primus omnium violare ausus est Dietricus Comes Wernigerodanus, qui vitæ suæ prodigus arcem Blanckenburgensem hostibus armis invasit, atque diripuit. Re comperta ceteri principes fœderi socii graviter commoti negotium dedere Alberto Magdeburgensi Archiepiscopo, Ottoni Brunsvicensium Duci, & Henrico Comiti Honsteinensi, ut causam ceterorum nomine cognoscerent. Dicta Comiti dies, Busso Reinsteinensis eum rapinæ & violatæ fidei reum postulavit: prolata denique sententia, a Dieterico ex pacto supplicium sumendum esse. Nec multum cunctati judices Comitem gladiis perfossum equi freno alligarunt, atque hunc in modum ad arborem constrinxerunt, ut veluti suspendio videretur punitus. Hanc indecoram mortem Comes intempestiva habendi cupiditate sibi acceleravit, quamvis non desint, qui comitem a culpa absolvant, cumque, quod in conjurationis societatem venire recusarit, hoc supplicio affectum malint. Breviter enim nec eodem modo rem complexus est Engelhusius: *Tyderick Comes de Werningerode vocatus a quibusdam principibus, dolo captus suspensus est prope Heimborg.*

Johañes Decanus SS. Sim. & Judæ. *Ex lit. Grawvh.* Bartholdus Præp. Woltingerod. & Canon. Goslar.

Goslariæ per hæc tempora ecclesiæ SS. Simonis & Judæ præfuit Johannes Decanus, nescio qua familia orfundus. Extant enim in Grauhoffianis tabulariis literæ datæ anno M. CCC. LXXXVI. in quibus præter hunc Johannem mentio etiam fit, Bartholdi de Machtshusen Præpositi Woltingerodani & Canonici Goslariensis. Quod sane non prætereundum videtur, cum Cisterciensis cœnobii præpositum in Canonicorum simul ordinem adlegi non adeo sit consvetum. Woltingerodanos tamen Præpositos in monte etiam S. Petri eodem beneficio aliquoties auctos invenio.

Luderus Præpos. Richenb causam vincit.

At Richenbergense monasterium ad pristinam fortunam paulatim assurgens præpositum tunc habuit Luderum, quem & Ludgerum alibi vocari video. Hic cum Demicone de Holle & Henningo ejus filio de tribus mansis in Baltem sitis contendit, quam litem Conradus de Roma Generalis Auditor causarum Curiæ Hildenesheimensis hunc in modum decidit,

dit, ut manſi iſti Richenbergenſes manerent, fructusque ad reſarciendas expenſas publica cuſtodia attinerentur. Quæ res demandata Arnoldo Præpoſito Montis S. Georgii. *Datum & actum in caſtro Stuervvald ante valvam orientalem in habitatione portenarii ſub anno a Nativitate Dni, M. CCC. LXXXVIII. indictione XI. die XI. menſis Julii hora nona vel quaſi, preſentibus honorabilibus & diſcretis viris Dno Olrico Præpoſito in Winſen Hildenesheimenſis diœceſis, Magiſtro Meyenhardo quondam Rectore Scholarum apud S. Michaëlem notario publico & Alberto de Lerte Cive Hildenesheimenſi teſtibus ad premiſſa vocatis & rogatis.*

Annus Chriſti 1390.

Wenceslai Reg. 13.

Ab. V. C. 467.

Wenceslaus privilegia Goslarienſium confirmat.

Excerpta Sagittariana.

ANnus ſeculi decimi quarti nonageſimus nulla re magis apud nos celebratur, quam prolixo Wenceslai Regis in Goslarienſes affectu, quo luculenta privilegia nobis conceſſit, ſi affectui ac non potius incuriæ cuidam res adſcribenda eſt. Fertur enim ignavus homo perpetuoque luxu diffluens, chartis puris per otium nomen ſuum ſubſcripſiſſe, easque deinde Cancellariis dediſſe, quæcunque liberet adjuncturis, quo ſcilicet perlegendi ſubſcribendiq; opera deinde ſuperſedere poſſet. Quam incuriam ipſius Electores in diplomate exauctorationis acriter perſtringunt. Nondũ vidi hoc Wenceslai privilegium, cum in ampliſſimi Senatus noſtri archivum penetrare nondum integrum fuerit; Meminere tamen illius ipſi Goslarienſes in *Commemoratione ſuccincta, quam miſere Dux Henricus Goslarienſium ac Brunſvicenſium reſpublicas afflixerit*, quæ prodiit anno 1544. ubi ſimul teſtantur, Wenceslaum *urbem noſtram ſuper re metallica fundatam eſſe*, in his tabulis affirmare.

Erneſtus Comes Honſteinenſis Gosl. Præpoſitus Halberſtad. Epiſc. creatur.

Winningenſtad. de Ep. Halberſt. Ep. 32. Ekſtorm. Chron. Walkenred. p. 23. Cranz. l. 10. metrop. c. 33. p. 285.

Præfuit tunc eccleſiæ SS. Sim. & Judæ Erneſtus Comes Honſteinenſis Theodorici IV. filius, Theodorici VI, Bernhardi, Vlrici IV, Henrici VI, Algeri & Ottonis Merſeburgenſis Epiſcopi frater, homo inquieti ingenii, ſagoque quam infulæ ſacræ aptior. A juvene ſacris deſtinatus in Halberſtadienſi Clero locum habuit, mox in Canonicorum Halberſtadienſium collegium cooptatus, denique Præpoſiti Goslarienſis dignitatem adeptus, quemadmodum Winningenſtadii domeſtici, Goslarienſiumque rerum haut ignari ſcriptoris fide aſſerimus. Verum hoc ipſo anno in Halberſtadienſem Epiſcopum plurimis Canonicorum Equitumque ſuffragiis electus, honorem hunc apud nos poſuit. Ad opulentum itaque hunc Epiſcopatum evectus dici non poteſt, quas dederit turbas. Primo adverſam habuit civitatem Halberſtadienſem, quæ ſibi hunc obtrudi aegre admodum ferebat, ſuisque precibus impetrabat a Pontifice, ut confirmationem ejus differret. Verum Canonicis paulo poſt recentem Epiſcopum egregio mactantibus elogio, Pontifex ad alia conſilia flexus electionem ratam habuit. Nihil enim tunc erat opulentis facilius, quam Romæ in tanto infularum mercatu ſacerdotia atque Epiſcopatus obtinere. Vix itaque voti ſe videbat damnatum, cum ſtatim abjecta ſacrorum cura ſuffraganeoque primum conſtituto bellis intempeſtivis daret operam, ſuamque diœceſin, nulla urgente neceſſitate, hoſtibus diripiendam exponeret. Colliſus enim cum Friderico Duce Brunſvicenſi difficili bello ſe implicavit, quod licet nunquam aperto Marte geſtum ſit, mutuis tamen ſubinde incurſionibus, prædis & velitationibus ſe exhauſere. Atque has iras neuter depoſuit donec vitam uterque eodem anno depoſuiſſet. Majoris eccleſiæ Præpoſitus ſæpius eum a turbulentis conſiliis dehortatus ſurdo cecinerat fabulam. Hinc & ipſe ferocior factus occulte de exauctorando illo cogitare, eaque de re cum equitibus conſilia agere ferebatur. Re divulgata Epiſcopus in ſuſpicionem venit, ac ſi ipſe Præpoſitus infulam ambiret, emiſſisque clam aliquot equitibus præpoſitum ſummo mane in portica templi cum Canonicis proceſſionem celebrantem intercipi ac Gruningam avehi juſſit. Huc ubi pervenit, in vincula conjectus & cataſtæ illigatus in cellam ſubterraneam detruditur. Reſte deinde collo inſerta ruſticos aliquot accerſivit Epiſcopus, juſſitque hac reſte dolium e cella protrahere. Ruſtici, quid rerum agatur ignari prehenſa reſte ſummo niſu attrahunt, Præpoſiti innocentis caput e humeris evellunt. Hac crudelitate adeo ſuorum animos a ſe abalienavit, ut apud Pontificem multis de eo verbis conquererentur. Quibus permotus Pontifex abſtentum fecit Epiſcopum ſacerdotioque privavit. Sed Epiſcopus neglecta Pontificis ſententia ſuo more vivere, omniaque prædis & tumultuariis armis miſcere perrexit, donec anno M. CCC. XCIX. magno omnium gaudio deteſtabili morbo periret. Septem exinde annis in deſerta capella aſſervatus, antequam anathemate ſolutus terræ mandaretur.

Statuta civitatis condita.

Eodem ferme tempore totius ampliſſimi Senatus omniumque tribuum ſuffragio in ordinem certumque codicem redacta ſunt ſtatuta Civitatis, opus elegantiſſimum & priſcæ ſimplicitatis monumentum egregium, multisque antiquitatibus Civitatis noſtræ eruendis utiliſſimum, cujus autographum membranaceum in curia aſſervatum anno M. CCC. XCII. exaratum eſſe e deductione Muderſpachiana didici: En præfationem:

Der Rath der Stadt Goſlar iſt zu Rade geweſen mit eindrechtiger fülbort der Kauff-Leute und Waltwerchten und der Gilden

den derselben Stadt / daß sie Jr recht in diß Buch wollen bringen auf das es desto redlicher sey einen Jglichen nach rechte zu entscheiden.

Ein iglicher Raht soll bey seinem Eiden das bewahren / das man in dis Buch kein recht schreibe / Es sey vorgeluttert von Kauffleuthen und Bergleuthen und Gilden / ob es recht sey / wie gewiß sie auch wüsten / daß es recht were. &c.

Ipse codex divisus in libros, quorum titulos hic dare juvat:

Libr. I.
- Tit. 1. Von Erben constat legg. 114.
- tit. 2. Von Vormundschafft. leg. 28.
- tit. 3. Von Hauszins leg. 45.
- tit. 4. Von Erbgüttern. leg. 56.

Lib. II.
- tit. 1. Von Friedebruch. leg. 149.
- tit. 2. Von Haußfriedt. leg. 23.
- tit. 3. Von Overhör. leg. 37.
- tit. 4. Von Verwestung. leg. 56.

Lib. III.
- Von Gerichte und Klage.
- Von Vorbescheidt.
- Von Bekümmerung.
- Von Frawen.
- Von Wehren. } leg. 258.
- Von dem Vogte.
- Von Geweddе und Busse.
- Von Wehrgelde und von Urtheilen.

Lib. IV.
- tit. 1. Von Zeugniß. leg. 56.
- tit. 2. Von Anevange. leg. 24.
- tit. 3. Von manigerley Rechte. leg. 43.

His capitibus Civitatis nostræ jura absolvuntur, de quibus non est, quod plura dicamus, cum jam nonnulla libro II. de iis dixerimus, ubi & præcipuum eorum fundamentam esse Friderici II. Imp. diploma, docere me memini.

In Francomontano coenobio per eadem tempora floruit Margaretha de Gerenroda, cujus calligraphiam suo more commendat Leznerus. Utrum a familia an patria Gerenrodensis nomen habuerit, mihi incompertum est.

Lezn. c. 89 MSC. de monast.

Annus Christi 1393.
Wenceslai Reg. 16.
Ab. V. C. 470.

ANnum de hinc hujus seculi nonagesimum tertium aggredimur, quo ingens *bellum prope Goslariam* gestum memoriæ Engelhusius prodidit, cui etsi Goslaria nostra prudenti consilio se non miscuit, non parum tamun ex eo ecclesia SS. Simonis & Judæ detrimenti passa est, ut tot Pontificis literæ docent, quas sequentibus annis proferemus. Nullæ in diœcesi Hildesiensi familiæ equestres tunc florebant, quæ cum Steinbergiis ac Schwicholtis opibus ac potentia erant comparandæ. Inprimis Johannes de Steinberg & Conradus de Schwicholt, capto Bernhardo Duce Brunsvicensi & ingenti pecuniæ summa ab eo extorta, aliisque rebus ad votum gestis tantum sibi nomen peperarant, ut ab omnibus suspicerentur. Mox tamen, (ut solent plerumque homines adversus fortunam non satis cauti esse) majora subinde concupiscentes Fridericum quoque Brunsvicensem adspernari ac lacessere cœperunt. Nec segnius Fridericus ad arma procurrit, multisque pagis ac prædiis in Levenburgensi agro exustis Saxoniæ Ducem cum nongentis equitibus in insidiis locavit. Equites licet speculatores undique emississent, Ducum exercitum exploraturos: copias tamen Saxoniæ Ducis magno malo suo non animadverterant. Hinc mense demum Octobri ad Beynem non procul a Goslaria nostra Friderico cum copiis suis obviam progressi, conserta manu fortiter pugnarunt adeo, ut centum & quinquaginta utrinque cæsis plurimisque captis ancipiti primum fortuna congredi, mox inclinari jam Ducis acies videretur. Duce tamen Saxoniæ cum phalange sua advolante terga dare coacti, magnamque stragem passi sunt. Qua pugna cum Steinbergius aliique nobilium cæsi, tum Joannes Schwicholtus captus in Friderici venit potestatem, deductusque Guelpherbytum septies mille argenti marcis se redimere jussus est. Ceteri qui in acie occubuerant plerique a lupis exesi sunt. Breviter rem memoriæ prodidit Engelhusius, at paulo copiosius Compilator Chronologiæ apud Pistorium, cujus hic verba adjicere juvat: *Anno* MCCC.XCIII *in die Kalixti Papæ & Martyris factum est prælium in diœcesi Hildesheimensi circa horam vesperorum apud villam Veneni inter Fredericum Ducem de Brunsvvig cum suis & inter milites, videlicet Johannem de Svviegelde, nec non Conradum de Stenbergke cum eorum exercitibus, ibi Deo donante Fredericus Dux victoriam cum suis obtinuit, in quo prælio sunt captivati prafati cum militibus & armigeris numero* LXXXVIII. *& de civibus & villicis numero* XCV. *& ibidem sunt interfecti, trucidati & a lupis devorati numero quasi* CL. *Tota summa horum captivorum & interfectorum est circiter* CCCXXIII Eadem Cranzius, Buntingius & ceteri Saxoniæ nostræ annales referunt in eo tantum discrepantes, quod alii die undecim millium virginum, alii die Kalixti debellatum scribunt.

Compilat. Chron. ap. Pistor. ad h. a. p. 748. Engelh. Coron. p. 284. Cranz. l. 10 Sax. c. 13. p. 268. Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 264.

Bellum prope Goslariam inter Duces Brunsvicenses & Schwicholtos Steinbergiosque gestum.

In Francomontano coenobio per eadem tempora floruit Margaretha de Gerenroda, cujus calligraphiam suo more commendat Leznerus. Utrum a familia an patria Gerenrodensis nomen habuerit, mihi incompertum est.

Lezn. c. 89 MSC. de monast.

Anni Christi 1396. 1397.
Wenceslai Reg. 19. 20.
Ab. V. C. 473. 474.

Inter hæc civilia bella nobiliumque factiones facile æstimare licebit, quæ facies ecclesiarum fuerit. Eo enim processerat nonnullorum aviditas, ut ipsa sacra ecclesiarum bona ad se rapere non dubitarent. Idem fatum, subiit ecclesia SS. Simonis & Judæ, cujus patrimonium Comi-

Mansfeldenses Comites & Nobiles Eglebiani ob directa

bona ecclesiæ SS. Sim. & Judæ injus vocantur.

mites Mansfeldenses, nec non *Archiepiscopi nonnulli, Episcopi, Prelati, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, Laici & Civitates* (*) adeo dissipaverant, ut pene ad incitas videretur redacta. Causa Romam delata Bonifacius Pontifex Decano ecclesiæ S. Mariæ Virginis extra muros Eimbeccenses dedit negotium, ut cognita causa Guntherum & Albertum Co-

mites Mansfeldenses nec non Conradum & Ottonem fratres de Eghelen & Hademersleve reconcinnare detrimentum censura ecclesiastica compelleret, ea tamen lege, ne in Mansfeldenses & Egelenses ditiones; nisi ab apostolica sede singulari edicto monitus eandem excommunicationis sententiam pronunciaret:

Ex lit. SS. Sim. & J.

**vid. dipl. Bonifacii ad a. 1399.*

Bonifacius Eps servus servorum Dei, dilecto filio *Decano ecclesiæ sanctæ Mariæ extra muros Eimbicen.* Moguntin. Diõc. salutem & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Decanus & Capitulum ecclesiæ sanctorum Symonis & Judæ Apostolorum in Goslaria Hildesemen Diõc. quod nobiles viri *Gunterus* & *Albertus* dicti de Mansveld fratres Comites; *Conradus* & *Otto* dicti de Eghelen fratres Domini locorum in Eghelen & in Hademersleve, Halberstaden Diõc. super quibusdam decimis sibi in perpetuum beneficium assignatis annuis redditibus, bladi quantitatibus, terris, possessionibus, pecuniarum summis, & rebus aliis ad eos communiter spectantibus injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audias causam & appellatione remota usuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Proviso ne in Terris dictorum Comitum & nobilium interdicti aut excommunicationis sententiam proferas nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum iij Kl. Junii. Pontificatus nostri anno septimo. *Au. Petra.*

Vt & alii vilioris conditionis homines. *Ex lit. SS. Sim. & Judæ.*

Ea sacra bona diripiendi cupiditas, (ut solent prava exempla satius subinde evagari,) homines quoque proletarios ac pene capitecensos incessit. Cum enim Canonici ejusdem ecclesiæ agros suos aliis oblocassent, non defuere, qui falcem in alienam messem immitterent, eaque bona tanquam sua sibi vindicarent. Unde causa denuo ad Bonifacium Pontificem delata, juri dicundo delectus est Decanus Ecclesiæ S. Cyriaci extra muros Brunsvicenses Hildesienfis diœceseos, uti ex hisce Pontificis literis apparet:

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei Dilecto filio *Decano Ecclesiæ Sancti Ciriaci* extra muros Brunsvicen Hildesemen Dioc. salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod cum dilecti filii Decanus & Capitulum ecclesiæ sanctorum Symonis & Judæ Apostolorum opidi Goslarien Hildesemen Dioc. quam prædecessores eorum decimas, terras, census, redditus, vineas, possessiones, domos, piscinas, casalia, prata, pascua, silvas, grangias, nemora, molendina, jura, jurisdictiones & quædam alia bona ipsius Ecclesiæ datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renunciationibus, & pœnis adjectis in gravem ipsius ecclesiæ læsionem nonnullis clericis & laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus & aliis perpetuo ad firma vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his confirmationum litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hys de oportuno remedio providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius ecclesiæ per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite, vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renunciationibus, pœnis & confirmationibus antedictis, ad jus & proprietatem ejusdem ecclesiæ legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia odio, vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. *Romæ* apud Sanctum Petrum. Non. Maji. Pontificatus nostri anno septimo.

Eckardus.

Fiel

Petrus Ekmannus Franciſcanus celebris Alchemiſta. *Lezn. c. 89 de monaſt. MSC.*

Feliciores turbulentis hiſce temporibus erant monachi Franciſci ordinem profeſſi, quibus cum nihil eſſet, nihil eripi poterat. Familiæ huic cucullatæ apud nos hoc tempore interfuit Petrus Ekmannus, quem ejus temporis prodigium Leznerus vocat. Operam dedit Alchemiæ ejusque artis beneficio tam multa adhuc incognita protulit, ut omnibus ſeſet admirationi. Obiit anno M.CCCC. Adeo hi Monachi nullam artem tanta ſollicitudine ſuſcepere excolendam, quam alchymiam & Chymiam, ex quo ſcilicet Bertholdus Niger hoc ſeculo pulveris pyrei inventione tantam ſibi gloriamne dicam an famam pepererat.

Anni Chriſti 1398. 1399.
Wenceslai Reg. 21. 22.
Ab. V. C. 475. 476.

Johañes Comes de Hoya Hild. Ep. creatur. *Schat. annal. Pad. lib. p. 462 Reutel. Chron. Hilef. p. 103. ſq. Chron. Hild. Ep. MSC. c. 41 42. Cranz. l. 10 metr. c. 46 p. 290. & Sax. l. 11. c. 1. p. 289. Lezn. l. 2. Chron. Daſſel. c. 12. p. 27. Bucelin. part. 1. Germ. S. p. 19. Brunſch. c. 11. §. 39. p. 1057. de Ep. Germ. Compilat. Chron. ap. Piſt. ad h. ann. p. 748 Behrens Catal. Prap. Hildeſ. p. 12.*

PRoximus dehinc annus poſtremus fuit Gerhardo Hildeſienſi Epiſcopo, principi gravi & de eccleſia ſua meritiſſimo. Deceſſit enim hoc ipſo anno, ſenio jam languens, gloriæque ac dierum ſatur. Corporisque exuviæ in Carthuſa prope Hildeſiam, ubi ſibi ipſe conditorium deſtinaverat, requieſcunt. In emortuali ejus anno conſtituendo miram deprehendimus auctorum diſcrepantiam. Bucelinus enim illum anno M.CCC.LXXXIV, Reutelius anno M.CCC.LXXXVIII, ceteri paulo accuratiores anno MCCC.XCVIII, vitam hanc exuiſſe ferunt. Ultimæ ſententiæ ut adſtipulemur ſuadet Schatenius, qui Johannem de Hoya ſubeunte jam anno MCCC.XCIX. Paderborna Hildeſiam transiiſſe refert. Erat hic Johannes Comes de Hoya Gerhardi ſucceſſor Paderbornenſis initio Epiſcopus; verum mox a Gerhardo Hildeſienſi Epiſcopo coadjutoris titulo ſucceſſor deſignatus. Princeps toga ſagoque initio clarus, mox ad alia omnia converſus, potentiaque & opibus tumidus ubique lites ſerens, bellis tumultuariis omnia miſcens, ære alieno premens eccleſiam ſuam, tam denique omnibus inviſus, ut in perniciem Hildeſienſis diœceſeos natus crederetur. Levitatis certe deſultoriæ haut leve argumentum hoc eſt, quod Paderbornenſi epiſcopatu relicto Hildeſienſem præoptavit, non alia ratione impulſus, quam quod hunc longe opimiorem illo potentioremque crederet ipſo hoc ſatente Schatenio. Sævitiam ejus plus ſatis hæc indicarent, quæ contra Ecchardum de Hahnenſee Præpoſitum majoris eccleſiæ Hildeſienſis egiſſe communi hiſtoricorum conſenſu traditur, niſi Dn. Conradus Berth. Behrens rem in dubium vocare, aut potius negare mallet, qui eo de rumore a malevolis ſine judicio in vulgus ſparſo ipſum Epiſcopum in publica diæta coram omni clero ac populo palam conqueſtum eſſe affirmat. Scilicet Ecchardus Præpoſitus cum totam diœceſin bellis civilibus & intempeſtivis exhauriri animadverteret, pertæſus malorum amice monuiſſe dicitur Epiſcopum, ut tot cladibus edoctus cautius demum mercari diſceret. Quam rem ægre ferens Johannes, *Virum hunc pium & honeſtum ſub prætextu pacifragii publici Steurvoldiæ in ſqualidum conjeciſſe carcerem fertur, in quo exacto biennio miſere periit, num præ mœrore, an veneno dubium eſt*, documento poſteris futurus, homines dum vera loquuntur, odia ſibi parere. Hunc in modum ſe gerendo non eſſet mirum, quod demum graviſſima ſuorum odia incurrerit, quæ cum diutius ſuſtinere haut poſſet, anno M.CCCC.XXIV. ultro ad privatam vitam rediit, ſucceſſore deſignato Magno Saxoniæ Angariæ & Weſtphaliæ Duce, nec multo poſt diem obiit ſupremum.

Fatali hoc Gerhardi Epiſopi anno Goſlaria nova cœpit religionis incrementa. Capellæ S. Viti inſtauratio. *Annal. Corb. p. 413 ap. Paul.* Floruerat hic ab aliquot ſeculis capella S. Viti, ad portam Urbis cognominem ſita, quæ ad Corbeienſes Abbates originem ſuam referebat, quemadmodum jam ſupra ea de re mentionem me facere memini. Ea vero temporum iniquitate prolapſa ac corruens non amplius habendis ſacris erat idonea. Hinc Wulbrandus Corbeienſis Abbas re comperta, de inſtauranda hac æde ſerio cogitavit; & ejus patronatus ampliſſimo Senatui noſtro dimiſit, ea lege, ut capella e ruderibus reſuſcitetur, ſacerdos vero cui cura illa committenda in poſterum eſſet alternatim a reverendiſſimo Abbate & ſenatu noſtro creetur. Debemus hæc Schnackenburgii Annalibus Corbeienſibus a Celeb. Paulini editis, ubi ita res refertur: MCCC.XCVIII. *obiit Arnolphe Abba. Q. I. P. ſucceſſit Wulbrant de Hallermund. In die S. Margaretha deſolata Capella S. Viti in Goslar jus Patronatus Senatui ibidem tradit, ut reedificetur Capella & Sacerdos ordinandus alternatim a Monaſterio noſtro & ſenatu præſentari debeat.*

Eadem felicitate Eccleſia quoque SS. Simonis & Judæ ſenſim ad erepta ſibi bona rediit. Dici non poteſt quanto conſenſu tunc in hujus baſilicæ facultates irruerint homines rapto vivere adſueti. Sed magis ſubit mirari, quod ea tempeſtate clerici etiam clericis inſidiari, hoc eſt, graculi graculis effodere oculos non dubitaverint. Extant certe ex hoc anno Bonifacii Pontificis tabulæ, quibus Archiepiſcopi, Prælati & Clerici nonnulli rapinæ poſtulantur, atque ablata jubentur reſtituere. Res commiſſa Eccleſiæ Mindenſi, S. Crucis Northuſanæ & S. Blaſii Brunsvicenſis Decanis, qui ea de re hoc impetrarunt Pontificis diploma; Eccleſiæ SS. Sim. & Judæ bona jubentur reſtitui. *Ex lit. SS. Sim. & J.*

BONIFACIVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis *Mindenſis ac S. Crucis Northuſenſis Moguntinæ dioc. ac S. Blaſii Brunſvicenſis Hildeſemēn dioc.* eccleſiarum Decanis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Militanti eccleſiæ licet immeriti diſponente Domino præſidentes circa curam eccleſiarum & monaſteriorum omnium ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut circa debitum paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis & profectibus divina cooperante clementia ſalubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum Decani --- Theſaurarii -- Scholaſtici & Capituli ac Canonicorum eccleſiæ beatorum Apoſtolorum, Symonis & Judæ Goslarien Hildeſemēn. Dioc. ac univerſorum clericorum perpetuorum beneficiorum in eadem eccleſia conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi aliique eccleſiarum Prælati & Clerici ac eccleſiaſticæ perſonæ tam religioſæ, quam etiam ſeculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & laici communia civitatum univerſitates opidorum, caſtrorum, villarum & aliorum locorum & aliæ ſingulares perſonæ civitatis dioc. ac aliarum partium diverſarum occuparunt & occupari fecerunt caſtra, villas, & alia loca terras, domos, poſſeſſiones, jura & jurisdictiones, nec non fructus, cenſus, redditus & proventus Decani, Theſaurarii, Scholaſtici & Capituli Canonicorum dictorum & eccleſiæ prædictorum & nonnulla alia bona mobilia & immobilia ſpiritualia & temporalia ad Decanum, Theſaurarium, Scholaſticum & Capitulum, Canonicos & Clericos & eccleſiam prædictos ſpectantia, & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus præſtent auxilium, conſilium vel favorem, nonnulli etiam civitates & dioc. & partium prædictorum, *qui nomen Domini in vanum recipere non formidant* eisdem Decano, Theſaurario, Scholaſtico, Capitulo, Canonicis & Clericis ſuper prædictis caſtris, villis, & locis aliis, terris, domibus, poſſeſſionibus, juribus & jurisdictionibus, fructibus, cenſibus, redditibus & proventibus eorundem & quibuscunque aliis bonis, mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & corporalibus & aliis rebus ad eosdem Decanum, Theſaurarium, Scholaſticum, Capitulum, Canonicos & Clericos & eccleſiam ſpectantibus multiplices moleſtias & injurias inferunt ac jacturas, Quare dicti Decanus, Thaſaurarius, Scholaſticus, Capitulum, Canonici & Clerici nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad apoſtolicam ſedem habere recurſum providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, præſumtores moleſtatores & injuriatores hujusmodi illos volentes iisdem Decano, Theſaurario, Scholaſtico, Capitulo, Canonicis & aliis prædictis remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo vel unus veſtrorum per vos vel alium ſeu alios etiam ſi ſint extra loca in quibus deputati eſtis conſervatores & judices præfatis Decano, Theſaurario, Scholaſtico, Capitulo, Canonicis & Clericis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittatis eosdem ſuper his & quibuslibet aliis bonis & juribus ad Decanum, Theſaurarium, Scholaſticum, Canonicos & Clericos ac eccleſiam prædictam ſpectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite moleſtari vel eis gravamina ſeu damna vel injurias irrogari facturi dictis Decano, Theſaurario, Scholaſtico, Capitulo, Canonicis & Clericis cum ab eis vel procuratoribus ſuis aut eorum aliquo fueritis requiſiti de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujusmodi caſtrorum, villarum, terrarum & aliorum locorum, jurisdictionum, jurium & bonorum mobilium & immobilium, redituum quoque & proventuum ac aliorum quorumcunque bonorum nec non de quibuslibet moleſtiis injuriis atque damnis præſentibus & futuris in illis videlicet quæ judicialem requirunt indaginem ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii in aliis vero prout qualitas eorum exegerit juſtitiæ complementum occupatores ſeu detentores præſumt. moleſt. & injuriatores hujusmodi nec non con-

contradictores quoslibet & rebelles cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus vel ordinis exiſterent, quandocunq; & quotiescunque expetierit autoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocata ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis *Bonifacii* PP. VIII. prædeceſſoris noſtri in quibus canetur, quod aliquis extra ſuam civitatem & dioc. niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam diætam a fine ſuæ dioc. ad judicium evocetur. Seu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædicta extra civitatem & dioc. in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere ſive alii vel aliis vices ſuas committere aut aliquos ultra unam diætam a fine dioc. eorundem trahere præſumant, dummodo ultra duas diætas aliquis autoritate præſentium non trahatur. Seu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis & moleſtiis & aliis quæ judicialem requirunt indaginem pœnis in eos ſi ſecus egerint & in id procurantes adjectis conſervatores ſe nullatenus intromittant, quã aliis quibuscunque conſtitutionibus apoſtolicis a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis & conſervatoribus quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis aut aliis editis, quæ noſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati ejusq; libero exercitio quomodolibet obviare. Seu ſi aliquibus conjunctim vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & eorum perſonis locis ordinibus & nominibus propriis mentionem & qualibet alia indulgentia dictæ ſedis generali vel ſpeciali cujuscunq; tenoris exiſtant per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam noſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri & de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in litteris habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus & auctoritate apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quod quæ a dato præſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis præſentibus & futuris perpetuata poteſtas & jurisdictio attributa, ut eo vigore atque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis præſentibus & futuris & pro prædictis procedere ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent & jurisdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitiſſet. Conſtitutione prædictæ ſuper conſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante Dat. Romæ, ap. S. Petrum. VI. Kal. Maji. Pontificatus noſtri anno decimo.

A. de Portegruaio.

Gratis de mandato domini noſtri Papæ
Eckardus.

Jo. Præp. & Baila Abbatiſſa Novi operis.

Cœnobio Novi Operis per hæc turbulenta tempora præfuerunt Johannes Præpoſitus & Baila Abbatiſſa, quorum literæ anno MCCC. XCIX. datæ extant in florentiſſimi Monaſterii Grawenhoffiani tabulariis.

Anni Chriſti 1407. 1408.

Ruperti Reg. 7. 8.

Ab. V. C. 454. 455.

Wenceslaus Rex ano 1400. exauctoratus.

INterea deficiente ſeculo Chriſti XIV. inauſpicatum Wenceslai imperiũ principes excuſſerant, cum experiundo demũ didiciſſent, quid in vitiis extremum ſit, quæq; ſub Claudiis Cajisq; Romani Imperii fuerit facies. Nulla amplius legum, nulla imperandis ratio habebatur, nobiles adſpernati principes, prædis & rapinis ſe locupletabant. Quo quis erat opulentior, eo certiorem a prædonibus perniciem proſpiciebat, fiebatque quisque merces ſui interitus. Hanc luem cum Wenceslai ſupinæ ſocordiæ tribuendam crederent principes, Francofurti congregati; hominem vino epulisque demerſum, coloque quam ſceptro aptiorem miſſo repudio res ſuas ſibi habere juſſerunt. Succeſſorem ei initio conſentiente ſuffragio deſtinaverant Fridericum Brunſvici & Luneburgi Ducem, principem bellicoſum & ſapientem. Sed hunc Moguntino Archiepiſcopo, ut ferebatur inviſum, Henricus Waldec-

Gobelin. Perſon. ætat. 6. c. 70. p. 287. ſq. Hiſtor. Thuring. cap. 142. p. 950. a Cranz. l. 10. Sax. c. 19. p. 270. Meib. diſſ ſing. p. 420 tom. 3. Serar. l. 5. rer. Moguntt. p. 861

decceníis Comes domum cum aliis redeuntem ex inſidiis aggreſſus diutiſſimeque fortiter pugnantem interemit. Cujus nam auctoritate tam dirum facinus perpetratum ſit, inter auctores diſceptatur, aliis quippe Johanni Moguntino Archiepiſcopo dicam ſcribentibus, aliis eundem ab hoc parricidio abſolventibus. Siquidem Serrarius inprimis tanto apparatu ejus cauſam ſuſcepit, ut majori vix potuiſſet. Nos rem in medio relinquimus. Multa enim fama ſpargit in vulgus a veritate aliena, inprimis cum ſuſpicio vocatur in conſilium, quæ mentes mortalium paulo momento huc atque illuc deflectit. Perſvaſa tamen res eſt Ducibus Brunſvico Luneburgenſibus, qui irruptione in diœceſin Moguntinam facta, belloque ſubinde abrupto, mox redintegrato, multarum urbium excidio Friderico ſcelere trucidato parentarunt. Faſces igitur, quos inopina mors Friderico extorſerat, a incredibili Principum Electorum ſtudio deferuntur Ruperto Comiti Palatino, cognomento parvo, aut ut alii legere malunt, ſevero. [*] Nihil enim huic Cæſari erat potius, quam mala, quæ Wenceslai negligentia indulgentiaque in republica invaluerant, juſta ſeveritate abolere, priſtinamq; revocare tranquillitatem.

Succedit Rupertus Palatinus.

(*) *Alii enim Ruperum vocant* den kleinen/ *alii* den klemmen.

Inſequente anno MCCCCVIII. lites quædam ab Henrico de Wendeborg Priore S. Johannis Brunſvicenſi ſopitæ ſunt, quas adhuc ob annuos proventus ſesquimarcæ argenti S. Sepulcro moverat eccleſiæ SS Simonis & Judæ. Compoſitionem hanc amicam ratam habuit Reymarus [Broder Reymar van Ghüntersberge Ordens Sünte Johannes der Hilghen Huſes der Hoßpitals van Jheruſalem gemeyne Bedeghen in Saſſen/ in der Marcke in Went-Lande vnde in Pomern.]

Compoſitio inter eccleſiam SS Sim. & Judæ & S. Sepulcrum

Anni Chriſti 1410. 1411. 1412.
Sigismundi Cæſaris 1. 2. 3.
Ab. V. C. 487. 488. 489.

Ruperto Cæſari ſuccedit Sigism. *Gobelin. Perſ. at. 6. t. 90. p. 331. Langius. Chron. Citicenſ. ad h. ann. p. 849. Chron. M. Belg. ad h. ann. Trithem. Chron. Hirſ. ad h. ann.*

AT hanc felicitatem publicam non parum ſubeunte anno M.CCCCX. interturbavit repentinus Ruperti Cæſaris obitus cum omnium bonorum luctu conjunctus, præcipue cum Electores in electione novi Cæſaris diſcrepantes non parum anxiam redderent rempublicam. Trevirenſis enim Archiepiſcopus, Comes Palatinus Rheni & Brandeburgenſis Marchio conſenſere in Sigismundum Ungariæ Regem Wenceslai exauctorati fratrem, Moguntinus & Colonienſis Jodocum Moraviæ Marchionem ejusdem patruelem Cæſarem ſalutarunt. Hinc novi motus Germaniam concuſſere, quos tamen altero ſtatim anno Jodoci obitus compoſuit. Hinc nullo jam amplius diſidio laboratum, communique ſuffragio itum in Sigismundum Hungarum, principem ſtrenuum & de eccleſiæ ſalute admodum ſollicitum, dummodo alii ei monitores contigiſſent. Violata ſane, quam prius Jo. Huſſo dederat publica fide, pioque homine ad ignes rapto tantam ſibi adſperſit maculam, ut omnem ejus gloriam partam tot vigiliis & bene agendi ſtudio confirmatam obfuſcare quodammodo videatur.

Inter has Germaniæ revolutiones Saxonia quoque noſtra viciniaque contremuit, odiis quippe quæ e nupera Schwigholdorum clade exarſerant, adhuc fumantibus, atque in novum incendium uno impetu excitatis. Florebant tunc in urbe æque ac vicinia noſtra Conradus, Brandanus & Heinricus de Schwichold, qui caſtello Hartesburgico munitiſſimo confiſi, ceterorumque nobilium auxiliis firmati, in Magdeburgenſem atque Halberſtadienſem diœceſes ſæpius arma converterunt, abactisque Hackebornenſium pecoribus, in arcem præda onuſti redierunt. Graviter hæc tulere Conradus Comes de Egeln & Otto de Warberg, qui collectis aliquot ruricolis Schwicholtos prædæ inhiantes ingenti animo aggreſſi ſunt. Attamen his ſtatim ſe objecere Schwicholti, fatoque feliciori uſi occiſoque ex inſidiis Ottone de Warberg, ceteros cum clade repulerunt. Hinc Guntherus Magdeburgenſium Archiepiſcopus cognita Warbergiorum clade, incredibili dolore commotus ultionem ſpirare cœpit, vocatisque in ſubſidium Bernhardo & Henrico Ducibus Brunsvico Luneburgenſibus, Alberto Epiſcopo Halberſtadienſi, civibusque Goslarienſibus, Brunsvicenſibus, Magdeburgenſibus & Halberſtadienſibus Harzburgum arcta obſidione fatigavit. Integrum menſem ab exaltatæ crucis feſtivitate ad S. Dionifii natalem, hoc eſt, a XIV. die ſeptembris ad IX. Octobris fervebat oppugnatio, tantaque erat fœderatorum ſeveritas, ut extructo e regione arcis in Perroſelino monte caſtello *Sturburgenſi* obſeſſos commeatu prohibere niterentur. Militibus tamen vim frigorum hiememque haut amplius ſuſtinentibus intervenientibusque arbitris de induciis ſubinde pertractatum eſt, quas ea lege pepigerunt, ut Schwicholti capella, eo loco, ubi Otto de Warberg occubuerat, condita, a prædis & armis abſtinerent. Hinc Sturburgo præſidiis firmato ſoluta obſidio eſt.

Bellum Harzburgenſe cum Schwicholtis geſtum. *Engelhuſ. Chron. p. 294. Cranz. l. 12. metr. c. 12. p. 299. & l. 10. Sax. c. 29. p. 277 Spang. c. 305. Chr. Sax. p. 314. Bunt. part. 1. Chron. Brunſv. p. 263. Winning. Chron. Halb. MSC. Ep. 35. Compil Chronol. ap. Piſtor. ad h. ann. 1141. p. 749 Fabric. l. 1 memorab. Sax. p. 270*

Inſequente mox anno, ruptis induciis, ferale bellum magno Schwicholtorum malo recruduit. Urebat adhuc nobiles dynaſtas ſuperioris anni obſidio, nec parum ad iram incendebat Goslarienſium ſeveritas, qua ſuperiori anno Epiſcopis & principibus junctı arcem Harzburgenſem preſſerant. Hinc ad ultionem incitati miſſo præſidiario milite civium noſtrorum

Harzburgum ſequente anno funditus exſcinditur.

alia-

aliarumque civitatum pecora abigunt, hisque cibariis arcem de nova obsidione sollicitam instruunt. Nova hæc bellorum causa. Statim ad arma redeunt Guntherus Magdeb. Archiepiscopus, Albertus Halberst. Præsul, Duces Brunsvico-Luneburgenses nec non Goslaria, Brunsvicum, Magdeburgum & Halberstadium civitates. Hi cum instructissimis copiis appetente jam vere arcem aggressi longe majori, quam antea apparatu mœnia quatere cœperunt, novis subinde tormentis Goslaria nostra advectis. Nec segnius Schwicholti innata sibi fortitudine castellum propugnarunt, adeo ut diutius in cassum fœderati laborarent. Denique novum capiunt consilium, atque in imminente monte castellum moliuntur, quod a situs propinquitate Altenaviam (Altona quasi allzunahe) appellant. Sic Harzburgum utriusque tum ex Sturburgo, tum ex Altenavia continuo globorum missiliumque imbre fatigatum, mox turribus, tectis, mœniisque nudatum est. Extrema itaq; veriti Schwicholti ad pacta se obtulerunt, transactúq; est in has leges, ut arx fœderatis traderetur, capella de qua nuper convenerat, sine mora extrueretur, Schwicholti denique nunquam in posterum in principes illos civitatesque hostilia arma resumerent. Sic Harzburgum toties [illegible] deletum, infaustoque subinde [illegible] instauratum denuo in bustum conc[illegible], quo excidio tota vicinia haut paulo fœdior redditur, inprimis Goslaria nostra, quæ a tot seculis incredibiles calamitates ex hoc castello perpessa fuerat. Dies Harzburgo tunc veluti emortualis signatur XII. Calend. Aprilis, quam S. Benedicti memoriæ Romana ecclesia sacram esse voluit.

Anni Christi 1414. 1415.
Sigismundi Cæsaris 5. 6.
Ab. V. C. 491. 492.

Concilii Constantiense indicitur. *Acta Concil. Const. ab Hardtio edit. Gobel. at. 9 c. 94 p. 339*

TRistis inter hæc ecclesiæ facies, quam conturbabat fœdum schisma a tribus Pontificibus excitatum. Italiam enim sibi faventem habuit Johannes XXIII. Galliam Gregorius, Hispaniam Benedictus, ceteræ nationes inter diversa studia fluctuabunt. Adeo tres mundus pontifices uno tempore vidit, cum vix unum ferre posset. Huic malo remedium afferre Sigismundus Cæsar pro virili annisus est. Susceptis enim tot itineribus non quievit, donec universum ferme Christianum orbem ad concilium universale concitasset. Sed in eo concilio Patribus inter se subinde collisis parum fuit actum, nisi quod inveterati errores decretis firmati, novi introducti, Pontificisque auctoritas nemine advertente ad summam evecta est ἀκμήν. Licet dum conciliis subjectabatur, quam maxime videretur suppressa. Accesserat quoque ad hanc Synodum Johannes Huss, præclarus ille veritatis testis, qui communia ecclesiæ Romanæ vulnera flagitiaque Cleri graviter adhuc ac prudenter detexerat. Quo vero nihil ab infenso Clero esset periculi, a Sigismundo Cæsare publicam acceperat fidem, salvumque quem vocant, conductum. Sed huc ubi cum sociis pervenit in concilium admittitur, torvo omnium vultu excipitur, hæreseos postulatur, erroresque suos & Wiclefi jubetur ejurare. Quod cum se, priusquam esset erroris convictus facere posse negaret, dedere nonnullis negotium, ut disputando cum illo contenderent. Hinc etsi Johannes Hussus incredibili animi magnitudine sua dogmata defendebat, clamando tamen oppressus, capitis damnatur. Hic prius in ecclesia solenniter vestitu sacerdotali exutus, infulaque dæmonum imaginibus horrida tectus, ad rogum rapitur, subjectoque igne vivicomburio misere interimitur, Cæsaris fidem frustra implorans. Dici non potest, quas ei pestilentissimas hæreses tribuant Pontificii, quibusque eum calumniis convitiisque proscindant. Sed his refutandis paginas insumere, nimis esset ab instituto alienum, nec omnino necessarium. Hi enim homines, cum in Evangelicorum [illegible] omnia calamo permittunt, jus mori faciant, magnoque labore se putant defunctos. Sed erit aliquando, qui justo judicio mendaces linguas decretorio illo die confundet. Satis hoc nobis videri debet, quod nemo, non dicam pius, sed sana tantum ratione non destitutus homo, inficias ire poterit, Hussum injuste, impie, subdole ac perfide violata publica fide rogo fuisse impositum.

Theod. Goseken Syndico Gosl. ad concilium missus. *Tom. 5. Concil. Const. part. 6. p. 175. sq.*

Senatus nostri nomine ad hoc concilium profectum reperio Theodoricum Goseken, Syndicum Civitatis, qui tamen Judæorum causa potissimum ibi versatus videtur. An ecclesia SS. Simonis & Judæ quendam e numero suo miserit, incompertum habeo, cum in Actis concilii ab Hermanno Hardthio collectis nihil hac de re memoriæ proditum sit. Eo minus tamen dubitaverim, quo certius constat vicinia legatos suos Constantiam misisse.

Richenbergense Monasterium a Capitulo Windesemense reformatur. *Busch. Chron. Windes. Pennot. l. 2 c. 63. hist. Canon. Regul.*

Nihil erat tunc Capitulo Windesemensi illustrius, ex quo novæ subinde Coloniæ in Saxoniæ Westphaliæque monasteria deductæ, perditique Canonicorum Regularium mores instaurati sunt. Florebat superiori Christi seculo jam præcipite Gerhardus quidam Magnus de Groot / natione Belga, domo Daventriensis, disciplinæ continentissimæ vir, ac ultra seculum doctus. Hic Lutetiæ a pueritia inter Musas enutritus tam cito profecerat, ut anno ætatis duodevigesimo Magisterii honore in Theologica facultate ornaretur. Domum reversus non diu latuit, sed adeo doctrina ac virtute cœpit emicare, ut in Aquisgranensium Trajectinorũ Canonicorũ col-

Warthon. append. ad Guil. Cave hist. lit. p. 42. Mireus de Origg. Canon reg. 13.

collegium cooptaretur. Sed ab hoc vitæ instituto mox abhoruit, cum ad Johannem Rusbrochium Viridis Vallis Priorem profectus Canonicorum Regularium laudabilem disciplinam vitamque sanctissimam perspiceret. Religionis zelo excitatus abdicato utroque Canonicatu Conventum Clericorum Daventriæ collegit, qui suasu Gerhardi vitam communem inter se statuentes diutissime orationibus sacrisque exercitiis sub obedientia Florentii cujusdam, qui & ipse congregationi huic nomen dederat, vacarunt, victum, vestitum & cetera ad vitam degendam necessaria labore manuum in comune procurantes, nullique præterea voto adstricti. Animadvertens vero Gerhardus institutum suum, si nulli ordini Religiosorum adstringeretur, subsistere haut posse, maxime, quod infensos sibi haberet nonnullos ex ordine mendicantium, animam jam agens suis auctor fuit, ut ordinem Canonicorum Regularium B. Augustini susciperent, non multum quippe ab hoc instituto discrepantem, nisi quod nullum adhuc votum professi castitatem, obedientiam, & paupertatem ultro illibatam servassent. Paruit Florentius, defunctoque jam Gerhardo, serio de assumendo Regularium ordine cogitans piorum subsidiis adjutus Windesheimi prope Swollam monasterium statuit, cujus conventus juventutem bonis artibus moribusque instituit, tantumque sanctitate disciplinæ integritate ordines alios anteivit, ut pluribus sensim cœnobiis reformandis deligeretur. Sunt hæc celeberrimæ Windesemensis congregationis initia, cui deinde plura per Belgium, Westphaliam, Saxoniamque monasteria unita sunt, quæ omnia susceperunt reformationem, atque in unum Capitulum coaluerunt. Eandem reformationem hoc ipso anno subiit Monasterium Richenbergense per Fratrem Henricum Lœder Priorem in Nortoren autoritate venerabilis Capituli generalis. Primum Priorem habuerunt Henricum professum in monte S. Agnetis, qui tribus Laicis e monasterio suo Richenbergam deductis unum Curiæ, alterum piscinis, tertium rei Culinariæ præfecit, ceterisque fratribus ad labores strenue persequendos compulsis, tam breviter in aliam faciem monasterium redegit, ut cum ante reformationem vix septem fratribus cum Præposito suo præberet hospitium, instaurata postea disciplina fratres & Laici ultra LXXIII. satis commode ibi alerentur. Nec minus sacrorum hic disciplinæ habita ratio est, quæ ad Capituli Windesemensis placita redacta, a posterisque constanter servata consentiente tunc hominum judicio approbata sunt.

Ex list. Richenb.

At Goslaria nostra per hæc tempora opibus ac potentia efflorescens Advocatum habuit *Sivertum de Rottinge*, cujus literas hoc anno in palatio Cæsareo datas jam primo antiquitatum harum libro protuli. Celebris tunc in hac vicinia Rottingorum, seu Rotzingorum familia, e qua annis M. CCC. XL. M. CCC. XLV. & M. CCC. LVII. inprimis Johannem & Albertum fratres gravissimis negotiis adhibitos reperio. Sivertum eadem familia oriundum ultimum Advocatorum nostrorum dixerim, cum ex hoc tempore nullus amplius in diplomatibus occurrat, hoc munere perfunctus. Qua occasione eorum jura apud nos cessarint, incompertum mihi est. Minus tamen dubito, quin civitas aucta subinde potentia & opibus ab Advocatorum subjectione pretio ac prece se liberarit, Cæsarumque consensu hæc potestas in ipsum senatum sit translata. Jam inde enim a Ruperti Cæsaris ævo præfecti ejusmodi paulatim cœperunt summoveri, Civitatibusque imperialibus plena jurisdictio territorii nomine competens in solidum concedi.

Sivert de Rottinge ultimus, ut videtur, Advocatus Goslariensis.

Anni Christi 1418. 1419.
Sigismundi Cæs. 9. 10.
Ab. V. C. 495. 496.

Acta Constantiensia causa Judæorum Goslariensium. Contil. Constant. Tom. V. part. 6. p. 175.

ACcedimus ad ultimum Concilii Constantiensis annum, quo demum ad metam perventum est. Exauctoratis enim tribus Pontificibus, qui ecclesiam adhuc pene oppressérant, subrogatur Otto de Columna, qui Martini V. cognomen assumsit. Ultimo hoc anno varia simul acta deprehendimus, quæ non adeo ad concilium pertinent, quemadmodum e splendida Actorum Constantiensium editione Serenissimi Rudolphi Augusti Brunsv. & Luneburgensium Ducis, qui dum hæc scribo, in beatorum concilium evolasse fertur, auspiciis collecta dilucet. Goslatienses hoc anno cum Brunsvicensibus contendebant de Judæis nonnullis, qui Brunsvico ad se migraverant. Cum enim hi deinde Brunsvicum redirent, suosque debitores de solvendo ære alieno urgerent, Senatus noster non solum hoc prohibuit, verum etiam omnes illorum facultates publica custodia attinuit. Hinc novæ lites, quæ eo usque invaluerunt, ut res ad supremum judicium Aulicum deferretur. Denique res in ipso Constantiensi Concilio a Gunthero Comite de Swarzburg & Ranis Judice Aulico Cæsareo ad liquidum perducta est, procuratoribus quippe Brunsvicensium cum Theodorico Goseken Syndico civitatis nostræ has in leges consentientibus, quas Guntherus Judex suis literis ratas habuit:

Wir

MJr Gunter / Grave von Schwartzburg und Herr zu Raniß / des allerdurchlauchtigsten Fürsten und Herrn / Herrn Sigmunds / Römischen Königes / zu allen Zeiten mehrers des Reichs / und zu Hungarn etc. Königs / Hoffrichter bekennen / und thuen kund offenbar mit diesen Brieffe / allen denen die ihn sehen oder hören lesen / Als der Edel **Conrad Herr zu Winsberg** / des Heil. Römischen Reichs Erb-Cammermeister / von des ehgenanten unsers Herrn des **Königes** wegen geteydingt hat mit Herr **Johann von Ulsen** / Priester / Thiderico **Fritzen** / den Stadtschreiber zu Braunschw. von des Raths zu Braunschw. und der Juden wegen / die von Braunschweig gen Goßlar gezogen sind / uff ein / und Thiderico **Gosseken** / den Stadt-Schreiber zu Goßlar / von des Raths wegen daselbst / auf der andern Seiten / als zwischen derselben beider Räthe vollmächtigen Procuratoren / des sie gute beweissunge und Procuratoria hätten. in solcher maasse als hernach geschrieben stehet.

Zum ersten / daß der Rath zu Goßlar soll und wil von desselben von Winßperg Heissens wegen antworten und folgen lassen dem Rahte zu Braunschweig alle solche Güter / die unverkaufft und ungelöset seyn / und der vorgenanten Jüden gewest seyn / oder ihn Pfandes stunden / und auch was sie an Gereitschafft haben / wo sie das haben / zwischen dieser Zeit / als dieser Brieff gegeben ist / und den negstkünfftigen Ostern.

Wehren **auch** etnige Bürger oder Inwohner zu Goßlar denselben Juden icht pflichtig / der der rechte zu Goßlar mächtig wehre / so soll derselbe Raht die Bürger und Inwohner dazu bestellen / binnen dieser vorgeschriebenen Zeit / daß den Jüden von ihnen beschehe / was man ihm in Rechte pflichtig sey / oder daß sie sich freundlichen mit ihm richteten. Darnach soll der Rath von Braunschweig die Juden wiedrum bestellen / daß sie den Bürgern und Inwohnern zu Goßlar thuen waß sie ihn pflichtig seyn / in Freundschafft oder in Rechte. Und dieß sollen sie zu beden Seiten getreulich halten ohn alle Gefehrde.

Auch soll und wil der Raht zu Goßlar diejenige die der Raht von Braunschweig dar senden wird um diese vorgeschriebene Güter und Sache willen / es seyn Christen oder Juden / und auch alle solche Güter und Geld als ihm dann geantwortet / veligen und geleyden / abe und zu / vor alle das die um ihrer willen thun und lassen wollen und sollen ohne gefehrde.

Und was Gut oder Geld also dem Rahte von Braunschweig von der Juden wegen also geantwortet wird / dar soll der Raht von Braunschweig den Raht von Goßlar Qvit-Brieffe aufgeben / von der Juden wegen als gewöhnlichen ist.

Wehre auch daß der Raht von Braunschweig von der Juden wegen / oder die Juden von ihn selbst wegen / den Raht von Goßlar vorter schulden wolten / von des Guts wegen / oder daß der Raht zu Goßlar die Juden worum zu schuldigen hätte. Des solten sie zu beyden Seiten belieben bei den **Rahte zu Hildesheim** sie zu verscheiden in Freundschafft oder in Rechte. Und dar soll der Raht von Goßlar und der Raht von Braunschweig um bitten den Raht von Hildesheim / daß sie das also zu sich nehmen zu verscheiden in Freundschafft oder in Rechte / zwischen dieser Zeit und St. Johannis Tage zu mitten Sömer nechst-künfftigen. Und was derselbe Raht zu Hildesheim scheidet / dar solt sich manniglich an lassen genügen. Scheideten sie das aber nicht binnen der zeit / so soll mannlich seines Rechten unversäumlich seyn.

Auch solt das um den Wucher uf den vorgenandten von **Winsperg** bestan bleiben / als das in der ersten Teydingen unter den vorgeschriebenen partheyen vegriffen was zu Constentz: Und daß darauf die Ladung / als die Burgermeistere / Rahtmanne und Burgere gemeinlich der vorgenandten Stadt Goßlar uff das Heil. Reichs Hoff-Gerichte darum geladen sind / und alles das darnach an demselben Hoffgerichte gegangen wäre / gäntzlich abseyn solte.

Also haben wir als ein Hoff-Richter von des Gerichts wegen unsern guten Willen und Gunst dazu gegeben / und geben den darzu in Krafft dieses Brieffes.

Mit Uhrkund dieſes Brieffes/ verſiegelt mit des ehegenandten Hoff-Gerichts uffgedruckten Inſiegel. Geben zu Conſtentz/ des nechſten Freytages nach unſer Lieben Frauen Tage Lichtmeſſen/ Purificationis zu Latein/ nach Chriſti Geburt virzehen hundert Jahr und darnach in dem achtzehenden Jahre. *Petrus Wacker.*

Martin9 Papa Brunſvicenſibus Scholas publicas erigere concedit, ubi ſimul de Scholarum raritate per hanc viciniã. *Gebhardi progr. a. ſtui Orat. promiſſ. d. 24. oct. 1695.*

Brunſvicenſium itaque nomine huic Concilio interfuerunt Johannes ab Vlſen Presbyter & Theodoricus Fritzius Syndicus aliique, quorum opera cives id impetrarunt a novo Pontifice, ut ſcholam publicam erigere iis liceret. Dudum hoc conſilium agitaverat Senatus, cum videlicet Scholas, quæ in eccleſiis SS. Ægidii, Blaſii & Cyriaci olim floruerant paulatim vitium cepiſſe deprehenderet. Hinc re ad Johannem XXIII. Pontificem delata quem penes omne rei Scholaſticæ arbitrium eſſe his ſeculis credebatur, (*) multis demum precibus obtinuere, ut hanc Senatui poteſtatem concederet. Verum graviter hæc res uſſit Clerum, qui præterea, quod jam tum civibus infenſus excommunicationis fulmen in eos pronunciaverat, id quoque graviter ferebat, quod rei Scholaſticæ, ut ita dicam monopolio excidiſſet. Cauſa denuo ad ſedem Apoſtolicam defertur, Johannes Pontifex Cleri lenociniis delinitus decretum refigit, Scholas denique aperire ſolis his eccleſiis integrum eſſe pronunciat. Submoto tamen ſuperiori anno Johanne Pontifice in novam ſpem erigebantur Brunſvicenſes, ſuisque legatis dabant negotium, ut Martino Papæ denuo deſiderium cauſamque exponerent. Nec fefellit eos ſententia, Martinus enim ſtatim annuit Brunſvicenſium petitis annoque ſequente hoc diploma Florentia ſubmiſit, quod e Cl. Gebhardi, Rectoris Scholæ Martinianæ Brunſvicenſis longe celeberrimi programmate quodam ideo adſcribendum duxi, ut appareat, quanta tum per hanc viciniam fuerit ſcholarum raritas quantoque niſu Clerus efflorescentibus ſubinde literarum bonarum ſtudiis ſeſe objecerit:

(*) *Conring. antiqu. academ: Omne ſcholaſticum ad Romana curiæ ditionem pertinere tunc judicabatur.*

Ibid. p. 452. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 270.

MARTINVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Proconſulibus, Conſulibus & univerſitati opidi Brunſvicenſis Hildeſemẽn. & Halberſtadenſi. Diœceſ. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, illis præſertim, per quæ ſingulis literarum quærendi ſtudia præſtatur oportunitas, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem venerabili Fratri noſtro Baldaſari Epiſcopo Tuſculanenſi in ſua obedientia de qua partes illæ erant tunc, Johanni XXIII. (*) nuncupato pro parte veſtra expoſito, quod licet in oppido veſtro Brunſvicenſis Hildeſemen. & Halberſtaden. Diœces. ſeptem ſeu plures & præſertim Sancti Martini & Sanctæ Catharinæ, inter alias non mediocres parochiales eccleſiæ exiſterent, tamen de quadam conſuetudine, quæ ut ab aliquibus aſſerebatur per eundem Epiſcopum tunc Johannem XXIII. confirmata fuerat, duæ duntaxat Scholæ pro imbuendis Juvenibus in primitivis & ſcholaſticis diſciplinis, una videlicet apud monaſterium Sancti Egidii, ordinis Sancti Benedicti, & alia apud Sancti Blaſii infra & tertia apud Sancti Cyriaci extra muros dicti opidi eccleſias conſiſterent, quodque nonnulli pueri opidanorum & incolarum ejusdem opidi in ipſis diſciplinis imbuendi propter nimiam diſtantiam & frigus intenſum, quod hyemali tempore in partibus illis communiter vigebat, ſcholas ipſas frequenter negligerent, in eorundem opidanorum & incolarum non modicum præjudicium atque damnum, idem Epiſcopus tunc Johannes XXIII. per ſuas literas ſtatuit & etiam ordinavit, quod etiam, apud quamlibet ex Sancti Martini & Sanctæ Catharinæ Eccleſiis hujusmodi conſimiles ſcholæ inſtitui & teneri, præfatique pueri in eisdem inſtituendis & tenendis ſcholis Grammaticalibus & hujusmodi primitivis diſciplinis erudiri valerent, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio ſubjungebat, licet dilecti filii *Luderus Rottorp*, qui ſe gerit pro Scholaſtico S. Blaſii, in illa, qua vobis tres, ac Decanus & Capitulum Sancti Cyriaci Eccleſiarum, Abbas quoque & Conventus monaſterii prædictorum dictarum literarum caſſationi & irritationi,

* *Ipſius Johannis PP. diploma ex Archivo Brunſvicenſi depromptũ extat in actis Concil. Conſtant. Tom. 5. part. 6. p. 162.*

ni, per eundem Epiſcopum tunc Johannem XXIII. eorum aſſertioni factis, ut præſumitur potiſſime inhærentes, in ea qua ſimiliter vobis occaſione inſtituendarum ſcholarum prædictarum moverant cauſis, & in palatio cauſarum apoſtolico diutius ventilatis, etiam totidem pro ſe & contra vos diffinitivas, per quas etiam in expenſis in hujuſmodi cauſa factis condemnati fuiſtis, & quibus juxta requiſitionem deſuper vobis factam parere curaſtis, ſententias reportarint, cauſæ tamen propter quas inſtitutio ſcholarum fieri deberet, hujusmodi ſubſiſtant viribus expreſſe in literis memoratis pro parte veſtra nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut ſuper præmiſſis oportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi per quas ſcientiarum viros, conſilii maturitate conſpicuos, virtutum dignitatumque ornatibus redimitos efficientium fons ad Dei laudem & gloriam, ac divini augmentum cultus aperiri & diſcendi proſpicitur, ſupplicationibus inclinati, vobis quod unam apud Sancti Martini & aliam apud Sanctæ Catharinæ Eccleſias prædictas pro ejusmodi in eisdem primitivis ſcientiis erudiendis & imbuendis juvenibus, absque requiſitione licentiæ vel conſenſus cujusvis, erigere & per perſonas idoneas regi ac gubernari facere libere ac licite valeatis, auctoritate apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. *Florentiæ*. XVI. Kl. Octobris. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Goslariæ quoq; nulla tunc publica ſchola floruit, ſed pueris ad ludos literarios, quos SS. Simonis & Judæ Capitulum & S. Sepulcrum aluere aliaque vicinia monaſteria prodeundum fuit. Inprimis in Monte S. Georgii erudiendis pueris data opera eſt, quas ſcholas deinde ſucceſſu temporis collapſas Magnus Hildeſienſis Epiſcopus inſtauravit, luculentoq; privilegio locupletavit.

Goslarienſes cũ aliis civitatibus Hanſeaticis Regẽ Danorũ & Ducẽ Slesvicenſem reconciliare nituntur. *Chron. Lubec. ap. Wirdenb. part. 4. de rebup. Hanſ. p. 500. ſq. Spangenb. Chron. Schauu. l. 3. c. 39. p. 165.*

Holſatos interea premebat Ericus Rex Danorum, qui ut Slesvicenſem Ducatum eo facilius ſuo regno jungeret, multis pollicitationibus civitates Hanſeaticas in fœderis ſocietatem trahere nitebatur. Jam Slesvicum aliæq; civitates, in Danorum venerant poteſtatẽ, cum civitates, quid animi Erico eſſet, perſpicerent. Mutato ergo conſilio Regem æque ac Ducem ad pacem flectere cœperunt ſuam rem agi exiſtimantes, cum proximus arderet Ucalegon. Rex ne quam ſuſpicionem civitatibus faceret, callide conſenſit, nec Dux, bellorum pertæſus, a pacis conditionibus abhorruit. Convenit ergo inter eos hac lege, ut uterque conſtituto die Lubecæ ſe ſiſteret, civitatibusque Hanſeaticis cauſam cognoſcendam permitteret, ſententiæ pronunciatæ ſtaret: Sin vero alteruter a pacto deficeret, fore, ut civitates injuriam pro virili ulciſcerentur. Aderat conſtitutus dies Dux ex compoſito accedebat, Rex tempeſtatis injurias cauſatus, vadimonium deſerebat. Hinc res in aliud tempus dilata, quo appetente Lubecam ex conſtituto confluebant plurimarum Hanſeaticarum urbium legati, præcipue Colonienſes, Magdeburgenſes, Brunsvicenſes, Hamburgenſes, Roſtochienſes, Hildeſienſes, Goslarienſes, Bremenſes, Osnabruggenſes, Suſatenſes, Monaſterienſes, Tremonienſes, Rigenſes, Dorpatienſes, Revalenſes, Luneburgenſes, Stetinenſes, Stralſundenſes, Wismarienſes, Gripswaldienſes, Colbergenſes, Stendalienſes, Swallenſes, Campenenſes, Soltwedelenſes, Hanoverani, Stadenſes, Kilonenſes, Rugenwaldenſes, Gottingenſes, Dordracenſes, Harlemenſes Amſtelodamenſes, Anclamienſes, Mindenſes, Boxtehudenſes, Zutphanienſes, Nimwegenſes, Veſalienſes, & Hartervitenſes. His licet prima cura eſſet, de ſtabiliendis commerciis conſulere in medium, Slesvicenſis tamen Ducis rogatu pacis negotium ante omnia diſpiciendum ſumſerunt. Indignati itaque denuo Regem abeſſe, Legatum Danicum adoriuntur, quid demum cauſæ ſubeſſet ſciſcitantes, quamobrem Rex denuo civitatum judicium ſubterfugerit, ſe nulla ſumtuum habita ratione ad conventum hunc acceſſiſſe, ſed videre ſe ludibrio haberi, nec parum eſſe ſuſpicionis, Regem cauſæ diffiſum, domi ſe continere. Miſſis ergo legatis, qui Ericum denuo ad civitatum congreſſum invitarent, interea ſuarum rerum ſategerunt, habitoque de commerciis conſilio XXI. leges tulerunt, a Werdenhagenio nominatim recenſitas, tantoque civitatum ſuffragio deinde receptas, ut vim ſtatutorum induerint. Redeunt interea legati, Regem Danorum denuo ventorum injurias cauſari nunciantes. Unde re infecta diſceſſum eſt, decretumque, ut Hanſeaticæ civitates, nullam omitterent occaſionem periculoſo fœdere ſe extricandi.

Annus Christi 1420.
Sigismundi Cæsaris 11.
Ab. V. 497.

Hussitarum bella. *Æn. Sylv. Hist. Boem. cap. 36. p. 55. sq. Cranz. l. 10. Wand. c. 29. sqq. Naucler. gen. 48. p. 930. sq.*

INterea Bohemi graviter perculsi Hussi supplicio nil nisi arma & ultionem spirabant. Hinc per totam Bohemiam contractis viribus Clericisque Husso infensis male mulctatis ingentibus animis se adversus Sigismundum tueri aggressi sunt. Hinc pervagati Misniam, Thuringiam, Saxoniam & Franconiam magnum sui nominis terrorem undique circumtulerunt, totiusque imperii vires diutissime magna virtute sustinuerunt. Sed fraudi illis fuit, quod scissi in partes alii Calixtinorum nomine uterentur, articulumq; de necessaria communione sub utraque inprimis propugnarent, alii Thaboritæ vocati reformationem totius Ecclesiæ urgerent, alii Orphanos se appellantes liberam verbi divini prædicationem requirerent, Picardi deniq; licet Papatum inpugnantes Thaboritis tamen non minus infensi essent. Quo factum est, ut paulatim oppressi maximam partem ad Pontificis obsequium retraherentur.

Jacob Chremer Hussita Magdeb. combustus. *Chron. Magdeb. ap. Meib. p. 333. Chron. Sax. Pomar. p. 460. (*) Pomarius vocat eum M. Petrum Rumelandi.*

Inter has tamen turbas vix dici potest, quot veritatis divinæ testes per hanc quoque Saxoniam nostram Hussitarum occasione enati sint. Sed plerique calumniis netandis prolcissi exquisitissimis periere suppliciis. Lugubre ejusmodi spectaculum hoc ipso anno vidit Magdeburgum. Cum enim Verda eo accessisset, quidam Jacobus Cræmerus, hæreseos reus, statim ei se objecit Magister Kunelartus, * qui implorato Magistratus auxilio hominem feralibus flammis exurendum tradit. Errores ejus proferunt annales Magdeburgenses, satis quidem pestilentes, si veri; Siquidem & tremendum, SS. Trinitatis mysterium & alios principes fidei Christianæ articulos impugnasse fertur. Sed qua fide hic autor hæreticorum acta memoriæ prodiderit, vel soli Hussitarum articuli docent, tam frivoli & falsi, ut nunquam vel Husso, vel ejus discipulis in mentem venerint. Eodum candore Jacobi Cræmeri hæresin describit, forte quod omnia sibi in hæreticos licere cum Concilii Constantiensis Patribus existimaret.

Bellum Hildesiense. *Cranz. l. 11 Sax. c. 8. sq. p. 289 & l. 10. metr. c. 46. p. 290. Lezner. Chron. Dassel.*

Nec minus rempublicam gravissimi motus tunc concusserunt, principibus quippe nondum a perverso more desistentibus, qui civilibus armis se invicem divexare consveverant. Bellum ejusmodi hoc anno inter Johannem Hildesiensem & Bernhardum Ducem Brunsvico-Luneburgensem exarsit, viciniæ nostræ satis luctuosum, tamque exacerbatis utrinque animis gestum, ut nulla arbitrorum opera posset sopiri. Armati Episcopo suppetias tulere Otto Episcopus Monasteriensis, ejus frater, nec non Comites Honsteinenses & Spigelbergensis. Bernardo vero se junxerunt Wilhelmus Dux Luneburgensis, Johannes Episcopus Halberstadensis, Henricus Dux Slesvicensis, ejusq; frater Adolphus, ut & Marchiones Brandeburgenses. Comites a Wernigerod. & Reinstenienses. Res mutuis direptionibus acta, devastati agri, abacta pecora, homines quoque ex insidiis intercepti, in vicinasque arces abducti sunt. Hæc calamitas tres integros annos continuata una veluti ruina diœcesin Hildesiensem involvit. Multis hinc inde velitationibus actis in præfectura Asseburgensi instructa acie concursum & acerrime depugnatum est. Quo prælio Hildesienses partim capti in Wernigerodanorum & Reinsteinensium venerunt potestatem, partim fuga ægre se subduxerunt. Instauratis tamen mox copiis Halberstadiensibus se ad Osterwicum objecerunt. Sed eadem fortitudine fusi fugatique maximam exercitus partem amiserunt. Tanti Hildesiensi Episcopo hoc bellum constitit, quod potentia sua opibusque inflatus nulla urgente necessitate susceperat. *lib. 2. c. 12. p. 28. Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 271. Compilat. Chronol. ap. Pistor. ad ann. 1421. p. 749 Spangenb. c. 309. Chron. Sax. p. 8.*

Joannes Richenb. & Hermannus Montis S. Georgii Præpositi de præeminentia contendunt. *Exst. Richenb.*

Inter hoc gravissimos motus Richenbergense monasterium in alium statum nuper formatum erigere se paulatim & reflorescere cœpit. Henrico Priore ad plures abeunte sibi delegerant Johannem Clovekorn Osnabruggensem, qui coeptam reformationem strenue persecutus *bona monasterii in temporalibus & spiritualibus in ædificiis & redditibus in bona regula. ri observantia & morum disciplina bene augmentavit.* quemadmodum hoc ei elogium in veteri quadam hujus ecclesiæ membrana tribuitur. Hic Johannes cum Hermanno Montis S. Georgii præposito superiori anno de ordine contendit. Re diutius ventilata negotium committitur Tiderico van der Wyde / Canonico ecclesiæ S. Crucis Hildenesheimensis & Johanni Conolvo perpetuo Vicario Hildesiensis Ecclesiæ; quorum arbitrio causa hunc in modum decisa est, ut in solenni processione quotannis festo Corporis Christi Goslariæ habenda, alternis annis alter ad dextram alter ad sinistram Decani SS. Simonis & Judæ, venerabile Christi Corpus deferentis, prodirent, & subsidiariam Decano operam præstarent. Quocunq; itaque anno ad dextram Decani quis ivisset, & hierothecæ portandæ esset cooperatus, isto toto anno ordine alterum præcederet. *Actum in ambitu superiore ecclesie Hildenesheimensis predicte sub anno a nativitate Domini M. CCCCXIX. Indictione XII. Die Lune XIIIa mensis Novembris, presentibus ibidem venerabilibus viris Dominis Johanne de Soltauw, Decano, Wernero de Oldershusen, Conrade Schaden, & Henrico de Laucha, Canonicis Ecclesie Hildenesheimensis predicte, testibus ad premissa vocatis & rogatis.* Eam sententiam deinde hoc anno Johannes Hildesiensis Episcopus his literis ratam habuit:

JO-

JOHANNES Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Hildenesheimenſis dilectis nobis in Chriſto venerabilibus & religioſis viris Dominis *Johanni* Richenbergenſis & *Hermanno* Montis S. Georgii extra muros Goslarienſes noſtræ dioceſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſteriorum Præpoſitis ſalutem in Domino. Ea quæ pro pietatis & concordiæ incremento inter vos ſunt ſtabilita, libenter noſtro patrocinio roboranda animadvertimus. Ideoque ſententiam arbitralem ſupradictam de noſtro beneplacito de & ſuper ordine præeminentiæ inter vos veſtrosque ſucceſſores in perpetuum obſervandam per literas arbitras & compromiſſorias promulgatam approbavimus & ratificavimus, & præſenti noſtro patrocinio approbamus, & ratificamus, eamque in teſtimonium præmiſſorum noſtro impendente ſigillo duximus roborandam. Datum *Sturwald in caſtro noſtræ ſalvæ reſidentiæ* ſub anno Domini M.CCCC.XX. die Mercurii octava Menſis Maji.

Hæc antequam in Windeſemenſe Capitulum monaſteria coaleſcerent, ſancita ſunt. Quæ deinde invaluerit ordinis ratio, non eſt hic locus prolixius diſſerendi.

Anni Chriſti 1422. 1423.

Sigismundi Cæſ. 13. 14.

Ab. V. C. 499. 500.

Belli Hildeſienſis eventus.

PRotractum in hunc quoque annum bellum Hildeſienſe, tum magna Epiſcopi clade conjunctum. Wilhelmus enim Dux Lunæburgenſis lætus victoriis nuper ab Epiſcopo reportatis, occaſionemque non dimittendam ratus, arcem Grondam obſidione cinxit; tantoque fervore impreſſionem fecit in muros, ut præſidiarius miles impetum diutius ſuſtinere haud poſſe videretur. Quo cognito Epiſcopus licet tot cladibus rejectus & ipſe fortunam denuo ſtatuit experiri. Hinc contracta valida manu, accitisque ſociorum copiis periclitanti caſtello ſubſidio profectus Wilhelmi exercitum diuturna oppugnatione defatigatum aggreditur. Sed Duces adventu hoſtium minus perterriti, conſilio ex arena capto, ſuos in aciem diſponunt, conſertaque manu tanta virtute pugnant, ut ingenti hoſtium multitudine cæſa, ultra centum equeſtris ordinis viri captivi in caſtra traherentur. Victoriam in qua & Ericus Dux Saxoniæ, Canonicus Hildeſienſis, occubuit ſecuta eſt Grondæ deditio, & pax demum exoptatiſſima, quæ Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis & Adminiſtratoris Paderbornenſis interventu in has leges coaluit: ut arcem Brocktorfienſem Duces Brunſvicenſes retinerent, cetera victricibus eorundem armis occupata Dominis reſtituerentur, Spigelbergenſibus denique ad reconcinnandum detrimentum caſtellum Hochmoelen traderetur. Sic denique civili bello felici induſtria ſopito, Saxoniæ priſtina tranquillitas conſtitit.

Fraternitas Monaſtica.

Interea vero dum foris inter Principes armis civilibus contenditur, domi apud nos inter religioſos amore decertatum eſt. Quemadmodum enim hiſce ſeculis familiis monachorum nihil erat ſolennius, quam ut iis a quibus beneficiis fuerant ornati fraternitatem ſuam & bonotum operum communionem offerrent; ita & Franciſcani noſtri hoc anno Canonicos Montis S. Petri eadem liberalitate in fraternitatem ſuam cooptarunt:

VENERABILIBUS ac devotis in Chriſto Dominis Præpoſito, Decano, totique Collegio Canonicorum *Eccleſiæ Montis Sti Petri* prope Goslariam, præſentibus & futuris Fr. *Himricus* Gardianus, Fr. *Raymarus* Prior, totusque Conventus ordinis *Fratrum Minorum in Goslaria* cum jugi orationum ſuffragio omnia incrementa virtutum. Devocionem quam ad noſtrum Conventum geritis beneficiaque exhibita ſincera Karitate gratiſſime acceptamus. Cupientesque ac volentes dicta beneficia bonorum ſpiritualium viciſſitudine compenſare vos omnes & ſingulos veſtrosque in perpetuum ſucceſſores ad noſtram fraternitatem & ad univerſa noſtræ congregacionis ſuffragia tam in vita recipimus, quam in morte, plenam vobis & illis participacionem miſſarum, vigiliarum, oracionum, jejuniorum ac aliorum omnium bonorum tenore præſentium concedentes, quæ per fratres, noſtri Conventus, nunc & in futurum perpetuis temporibus operari dignabitur clementia noſtri ſalvatoris. Cum etiam de veſtro Collegio obitus alicujus noſtro Conventui fuerit nunciatus, pro ejus anima officium defunctorum Deo fideliter perſolvetur. Datum anno Domini M°. CCCC°. XXII°. In die Sancti *Egidii*, *Abbatis*, noſtri Conventus ſub ſigillo, in teſtimonium omnium præmiſſorum præſentibus appenſo.

Verum

Tumulto Halberſt. ex Matthia Procero excitati. *Cranz. l. 11 Metrop. c. 27. p. 306 & l. 11. Sax c. 11. p. 291. Compilat. Chronol. ap. Piſt. ad ann. 1423. p. 479. Chron. Magd. ap. Meib. p. 355. Bunting. Part. 1. Chron. Brunſv. p. 272. Spang. c. 311. Chron. Sax. p. 520 Winning. Chr. MSC Halberſt. n. 36. Chron. Halberſt. MSC. lat. n. 36. Reimann. idea Chr. Halb. ad h. ann.*

Verum hæc Saxoniæ halcyonia in ſequente mox anno novæ tempeſtates e vicina diœceſi Halberſtadienſi exortæ conturbarunt. Erat tunc Halberſtadii quidam Matthias vulgo Procerus, der lange Matthias mercator, turbulenti ingenii homo ſerendisque litibus natus. Hic jam anno M. CCCC. XX. cives adverſus Senatum cœperat ſollicitare, eoque adduxerat, ut res ſeditioni videretur proxima. Conſiliis tamen ejus citius divulgatis, Senatus incentore tumultuum Conſulis Ammendorffii inſtinctu ex urbe ejecto, gliſcentem ſeditionem in ipſis ſcintillis compreſſit. Sed juſtam hanc ſeveritatem graviter cives ferre viſi ſunt, qui interpellatis arbitris non deſiere Senatum urgere, ut Matthias ab exilio revocaretur. Ceſſit demum Senatus, hominemque quietis impatientem in urbem recepit, iis tamen legibus, ut ne in poſterum tranquillitatem publicam ſuis conſiliis turbaret. Reſtitutus itaque ſibi Matthias ſtatim rediit ad ingenium, inſtitutisque clandeſtinis conventiculis, factioſos quosdam homines monuit, Senatum rerum ſuarum duntaxat ſatagere, publicos civitatis proventus intercipi, cives exactionibus exhauſtos, nullas a tot annis excepiſſe accepti expenſique rationes. Si ſalvam reinpublicam vellent, conſulerent demum rebus ſuis fœdamque & propudioſam ſervitutem, omnibus communem cõmunibus quoq; viribus abjicerent: Sibi certe pertæſo tot malorum nihil fore jucundius, quam ſi hac in re periclitanti patriæ operam navare liceret. Protinus ad hæc turbulenti homines veluti rabie quadam & profunda confundendi omnia libidine agitati novum Senatum, novam rerum faciem, novam quærebant rempublicam. Hinc proceſſum ad arma eſt, in tantumque gladiorum erupit impunitas, ut exſpoliatis ſenatorum ædibus Conſulem, Camerarium, Quæſtores, aliosque hujus ordinis viros traherent in publicum, in ſordidosque carceres detruderent. Hæc origo turpiſſimæ ſeditionis, quæ plurimis annis optimam civitatem turbavit, interjecto tempore ab Epiſcopo & Goslarienſibus aliisque civitatibus Hanſeaticis difficili bello compreſſa, ut proximo libro ſumus oſtenſuri.

Decanum SS. Sim. & Judæ judex in cauſa Franckenbergenſi conſtitutus *Chron. Mont. Franc. p. 89.*

Conventus Franckenbergenſis gravi inter hæc damno affectus eſt a Friccone de Damme, Henningo Salge, Statio Velhauero, Tilone Strobek, aliisque diœceſis Hildenſis laicis, qui equos, vaccas, oves, & proventus huic cœnobio debitos injuſte interceperant. Hinc graves querelæ ad Martinũ quintum Papam delatæ, qui anno M. CCCC. XXIII. hanc cauſam Decano Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ cognoſcendam commiſit. Qua de re confectum Pontificis diploma Chronico montis Francorum inſertum eſt. Adeo quintum hoc Goslariæ ſeculum inter continuas Clericorum lites, principum & Civitatum certamina, nobilumque tumultus elapſum eſt. Plura referre vetuit annalium defectus, quo per hæc tempora laboravimus. Quemadmodum enim hoc ſeculo nullum fuit virtutnm ſterilius, ita & non aliud fere pauciores protulit, qui res geſtas memoriæ proderent, poſterorumque aliquam haberent rationem.

ANTI-

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM ET VICINARUM REGIONUM LIBER V.

AB ANNO CHRISTI
MCCCCXXIV AD MDXXIII.

IMPERANTIBUS

SIGISMUNDO.
ALBERTO. II.
FRIDERICO IV. aliis III.
MAXIMILIANO I.
CAROLO V.
CAESS. AUGG.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM INPRIMIS ECCLESIASTICARUM

LIBER V.

DE REBUS

Seculo Goslariæ sextogestis;

Ab ANNO Christi 1424 usq; ad 1523.

Seculi hujus genius.

EXtum ordimur Urbis nostræ seculum, quod ab anno Christi M.CCCC.XXIV. ad M.D.XXIII. usque decurrit, continuisque bellis viciniam nostram afflixit. Nondum enim perversus ille mos obsolverat, quo suis cuique in armis erat præsidium; aut quivis etiam ex ordine equestri aut civili fas sibi esse existimabat, pacem publicam interturbare, dummodo missо feciali literas dissidationis quas vocabant, hosti obtulisset. Hinc omnia intestinis bellis ac litibus miscebantur, quibus tamen componendis strenue operam dederunt civitates Hanseaticæ, sua inprimis interesse ratæ, ut turbulenta nobilium consilia supprimerentur. Nec minus sanando publico malo incubuere Austriaci, qui a Sigismundi obitu in nostra usque tempora serie non interrupta summo Imperio præfuerunt; Sed ea erant vulnera, quæ omnem medicinam veluti respuebant. Hæc reipublicæ tunc facies erat: Ecclesia vero adhuc sub jugo Pontificiæ tyrannidis gemebat, eoque progressus fuerat Clericorum dominatus, ut ab illorum nutu plebs misera tota penderet. Id quod nec ipsi quidam eorum temporum Prælati negabant. Tanta enim invaluerat barbaries, ut Abbas quidam Neuhusani monasterii in Vangionibus, Lutheri reformationi ingemiscens dixerit: Wenn Luther nicht kommen wäre/wir hätten die Leute überreden wollen/ daß sie Heu gefressen hätten. Sed respexit demum Deus tot piorum suspiria, ac præcipiti jam seculo excitavit Lutherum, qui licet magnis & sapientibus seculi viris vilis & abjectus videretur, tanta tamen Deo adspirante gessit, quanta vix sperare homini feroci hoc seculi genio licebat. Detracta enim Papæ larva, sub qua Gabaonitarum instar delituerat, puram & Apostolicam doctrinam restituit; intolerabile jugum excussit, eamque faciem reddidit ecclesiæ, quam in prima sua infantia præ se tulerat: ut nihil jam supereſſe videatur amplius, quam ut homines pura sanctaque mente æternas Deo gratias persolvant, dignamque Evangelio vitam agant, ne quemadmodum matureſcente reformationis necessitate lumen veritatis suæ Deus accendit, ita matureſcente hominum improbitate idem justa severitate aliquando extinguat. Denique eodem hoc seculo magno ecclesiæ bono literarum quoque & artium splendor Dei optimi maximi gratia rediit, cum a tot seculis meræ ubique tenebræ orbem terrarum involvissent, ac piaculare veluti esset, ultra vulgus sapere. Ex eo tempore omnes artes ac linguæ tanta sollicitudine excultæ sunt, ut non sit quo humana industria amplius progrediatur. Tot illustrissima ingenia illuxere, ut numerus eorum iniri propemodum non possit. Tot denique limatissima ingeniorum monumenta prodierunt, ut plura nec Græcia olim, nec Latium fuderint. Eo felicior itaque fuit hujus seculi finis, quo tristius erat initium. Id quod ex ipsa Libri hujus tractatione dilucidius constabit.

Anni Christi 1424. 1425.

Sigismundi Cæs. 15. 16.
Ab. V. C. 501. 502.

FErvebant per hos quoque annos Halberstadienses tumultus, & incentore Goslari-Matthia Procero, magis subinde magisq; enses Mat- una cum

aliis civitatibus turbas Halberſtadienſes commouerunt. *Compilat. Chronol. ap. Piſtor. ad h. ann. p. 479. Engelh. Chr. p. 300. Cranz. l. 11 metr. c. 27 p. 306. Sax lib. 11. c. 11. p. 291. Bunting. part. 1. p. 272. Winnigenſt. Chron. Halb. MSC. Epiſc.. Halberſt. latin. Reimann. idea Chron. Halb. Sec. 15. Spangenb. p. 311. p. 320 ſqq. Chron. Sax.*

invaleſcebant. Cives jam ſemel rejecto ſenatu ſuo omnia arbitrio agebant, & Epiſcopi ſui & vicinarum Civitatum monita adſpernati. Interea Matthiæ in turbido erat conſilium, qui cives jam tum novarum rerum molitores facile eo flexit, ut ſe cum Wernero quodam Reineccio Conſulem crearent. Quo honore auctus nihil jam moderabile amplius homo cogitavit, ſed tanto furore in ſaniorem civium partem ſæviit, ut nemo palam ejus conſilia improbare auderet. Johannes Epiſcopus, ne res ad extrema perveniret ſtatim advolavit Halberſtadium, ſeque ſopiendæ diſcordiæ legitimum judicem obtulit, accerſitis ſimul arbitris ſenatoribus quibusdam Magdeburgenſibus, Brunsvicenſibus, Goslarienſibus, Northuſanis & Quedlinburgenſibus. Sed conditionem adſpernati ſunt Cives, cauſæque diffiſi, portis Matthiæ conſulis juſſu occluſis Epiſcopum aditu prohibuerunt. Hinc data fide publica cives quidam evocantur iisque ſerio indignitas rei oſtenditur, Senatores arbitri peſſimi exempli rem cos auſos eſſe, monent, quod facile aliæ quoque civitates moliri poſſent, niſi quantocyus inſana plebis decreta reſcinderentur, ſi ſenatus civibus non ſatisfeiſſet, rem deferendam fuiſſe apud Epiſcopum, qui procul dubio extra orbitam vagantes in ordinem fuiſſet coacturus. Mature igitur redirent ad officium, nec fœdo rebellionis ſcelere ſe polluerent, alias fore, ut pœnas darent, cum inſigni Civitatis detrimento conjunctas. Reſponderunt Halberſtadienſes mirari ſe, civitatibus tantum eſſe otii, ut falcem in aliam meſſem immitterent, jactam eſſe aleam, nec vereri ſe rem ad liquidum perducere, quam jure quodam ſuo eſſent exorſi. Denique perfidiæ additum parricidium. Captivos enim ipſo die Clementis e cuſtodia publica retractos, cauſa incognita damnarunt capitis, eademque nocte ad lucernas gladio percuſſerunt, tanto Epiſcopi dolore, ut edito publico ſcripto facinus deteſtaretur, ſeque invito ac inconſulto a furibunda plebe facta transacta omnia ediceret. Res tandem a damnatorum cognatis delata ad Sigismundum Cæſarem, Duces Brunſvicenſes & Civitates Hanſeaticas, conſultumque ab his in medium, quid facto opus eſſet. Componendis itaque fluctibus delectæ Civitates Magdeburgum, Brunſvicum, Goslaria, Quedlinburgum, Hannovera, Hala & Aſchersiebia, quæ contracta valida manu, attractisque Ducum Brunſvicenſium & Epiſcoporú Hildeſienſis & Halberſtadienſis copiis, caſtra ad urbem explicuerunt, diſpoſitisque tormentis incentores tumultuum ſibi tradi poſtularunt. Veritus autem Matthias, ne ſcelus luat, ruſticum habitu mentitus, fuga ſe ſubtraxit, in publica tamen via ab Auriga agnitus in caſtra retrahitur. Ceteri perduelles obſtinatius deditionem negabant. Admotis vero tormentis cives ſero lapere cœperunt, traditisq; ſeditionis auctoribus ſe permiſerunt Epiſcopo. Capta itaque urbe, ſupplicium primo a rebellibus ſumtum, Matthias Procerus una cum quatuor conjurationis ſociis, capite plexus, ſaniori civium parti ablatæ opes reſtitutæ, injuſte nuper damnati, honeſtiore ſepulturæ illati, omnia denique ad ſummam tranquillitatem compoſita. Mulcta etiam civibus indicta ab Epiſcopo, juſſiq; ſunt præterea jura ſua denuo certo argenti pondere redimere, annuamque occiſorum conſtituere memoriam. Negotio itaque ex voto confecto fœderatarum civitatum copiæ domum diſceſſerunt.

Reſignante Johanne Hojano & paulo poſtmortuo Magnus Hildes. Ep. creatur. *Chron. MSC. Epiſc. Hild. c. 41. 42. Reuſt. Chron. Hilleſh. p. 104. ſq. Cranz. l. 11. metrop. cap. 28. p. 307. Bruſch. c. 11. n. 44. p. 1058. Epiſc. Germ.*

Prior præterea annus fatalis fuit Johanni Hojano Hildeſienſium Epiſcopo, quem poſitis faſcibus ipſo S. Pancratii die mortalitatis impleviſſe legem, & in ſummo templo, ſub corona inveniſſe conditorium, eorum referunt annales. Nihil hoc epiſcopo inquietius fuit. Sago enim vix unquam poſito continuis bellorum fluctibus ſe ultro immerſit, e quibus adorearum loco non niſi clades & damna reportavit, adeo ut a nonnullis in Eccleſiæ Hildeſienſis perniciem natus eſſe dicatur. Sed hos Johannis errores ſua virtute correxit Magnus, Dux Saxoniæ Angariæ & Weſtphaliæ Lauenburgico genere prognatus, vivo adhuc Johanne Hojano Hildeſiam e Caminienſi Epiſcopatu vocatus, & communi omnium gaudio receptus. Salutem diœceſeos ſuæ ſupremam ſibi legem dixerat, qua conſervanda ac ampliſanda intentus admodum occupatusque fuit. Arces & prædia ab antecedeſſore pignoris loco expoſita, reddita pecunia, redemit, monaſteria quæ ab antiquis inſtitutis paulatim deſciverant ad normam antiquam formavit. Nobiles rapto viventes magno animo partim obtrivit, partim ab inſtituto retraxit. Princeps ut paucis me expediam toga ſagoque clarus, quamvis anteceſſorum cladibus cautior factus ſemper præ hoc illam, ſi res ferret, eligeret, mitis præterea ac amabilis magnumque ſuorum decus & præſilium. Quas ejus virtutes eo magis tum ſuſcipiebant homines, quo rariores in Saxoniæ Epiſcopis hac tempeſtate fuerunt. Plerique enim conſcribendis potius militibus & ditionibus vicinorum depopulandis, quam rebus ſacris dabant operam, adeo ut ſuppreſſo Epiſcopali officio, quod in docendo verbo & adminiſtrandis ſacramentis conſiſtit, principum politicorum ſplendorem & mores peſſimo exemplo ſolum æmulari mallent.

Anni Chriſti 1426. 1427.

Sigismundi Cæſ. 17. 18.
Ab. V. C. 503. 504.

ADeo jam tumultuaria nobilium arma invaluerant, ut civitatibus paulò o- Halæ pulen-

Saxonũ auxilia submittit.

Spangenb. Citron. Sax. c. 313. p. 525. Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 274.

pulentioribus nunquam licuerat esse quietis Vicini enim equites prædarum cupidi sæpius plaustra mercibus onusta invaserunt, eaque, fugatis aurigis, in arces suas abegerunt. Vnde statim armis res commissa est. Idem hoc anno fatum fuit Halensium in Saxonia, qui cum Vlmanno de Kolzen, Præfecto Giebichensteinensi & nobilibus de Amendorff Wetinensis arcis possessoribus collisi, diu multumque ab hisce equitibus premebantur, civibus quamplurimis in publica via aut cæsis, aut in captivitatem abreptis. Denique sociæ urbi suppetias tulerunt Goslaria, Brunsvicum, Helmstadium aliæq; civitates Hanseaticæ, quarum copiæ facta in Wetinensem dynastiam irruptione omnia ferro flammisque devastarunt pecora abegerunt, prædia incenderunt: denique reconciliata per arbitros pace victrices domum discesserunt.

Theodoricus Decanus Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ.

Interea dum hæc foris geruntur, domi ecclesiæ SS. Simonis & Judæ præfuit Theodoricus, cujus memoriam ad hunc ipsum annum nobis suggerunt literæ in Curiæ Grisonum tabulariis asservatæ, quibus Caroli IV. Imperatoris diploma a se visum lectumque testatur præsentibus *Henrico Bosen & Detmaro Stats Canonicis SS. Simonis & Judæ.*

At monasteria Canonicorum Regularium Hildesiensis Dioeceseos pleraque ad Windesemensis Congregationis instituta reformata e pristina rerum indigentia non parum respirare per hæc tempora cœperunt. Hæc instituta jam susceperant Sulta prope Hildesiam, Wittenborgum & Richenberga quæ tamen licet omnes Windesemensium ritus suscepissent, Capitulo tamen penitus nondum se univerant. Plurimis ante hæc tempora premebantur oneribus, multæque impensæ tum in missalia funeralia, sanctorum festa, aliasque solennitates, tum inprimis in lampades fovendas fuerant erogandæ; cum tamen hæc cum insigni monasteriorum detrimento conjuncta viderentur, atque diutius ideo essent intermissa, Magnus Episcopus has consvetudines plane abolevit, jussitque pecuniam paulo ante in oleum aliasque res minus necessarias erogatam in posterum alendis fratribus impendere, ea tamen lege, ut qui has solennitates pietatis causa olim instituissent, omnium bonorum operum fructum in posterum caperent. Quod institutum suum Episcopus hisce literis testatus est:

Ex lit. Grauenhoff. Magnus Episc. Richenbergensis, Sultenses & Wittenborgenses Canonicos abnere accendendarum lampadum absolvit.

MAGNUS *Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Hildenesheimensis dilectis nobis in Christo* Joanni *Præposito in Sulta prope & extra muros Hildesii,* Godefrido *Priori in Wittenborg,* Joanni *Priori in Richenberg, cæterisq eorundem monasteriorum fratribus ordinis Canonicorum Regularium nostræ diœcesis salutem & pacem in Domino sempiternam, quia dignum arbitramur & congruum, ut illis exhibeamus nos gratiosos, quantum Deo opitulante possumus, quibus ad id propria virtutum Merita laudabiliter suffragantur. Hinc est, quod veridica & trita fide dignorum relatione didicimus qualiter vos vestraque monasteria per multiplicia ac varia quædam promissa, tam in missis & vigiliis, quam funeralibus, ac aliquibus sanctorum festis, quam etiam in accendendis certis lampadibus, in locis minus oportunis, moribus ac ritibus vestri generalis Capituli de Windesheim, cui incorporati estis, insolitis & insuetis, olim per vestros prædecessores indiscrete omissa non modicum sint gravata, præsertim per Regularis observantiæ rigorem, secundum præfati Capituli ritum jam dudum per vos de nostra assumptum licentia, quod deinceps tam in officio Ecclesiastico, quam etiam aliis quibuscunque regulariter agendis, per vos sic observandum plenus habeatis expressum. Volentes igitur in præmissis ex quo satis afflictis addenda non sit afflictio, vestris succurrere conscientiis timoratis, eo quod talia promissa proprio non præsumitis arbitrio abrumpere, auctoritate nostra ordinaria decernimus & declaramus, quod donaria ad usum olei pro lampadibus concinnandis, & conservandis, vestris monasteriis præfatis legata, ad numerum fratrum ac familiarum ampliandarum convertatis, quatinus de emolumentis ex iisdem donariis proventuris, nutriantur. Vt sic lampades mortuæ in lampades vivas, oleo pietatis ac charitatis plenas, convertantur. Reliqua vero promissa per vestros prædecessores ante Regularem observantiam ac præfati capituli Generalis de* Wendesem *incorporationem omissa atque in Ecclesiis officiis & defunctorum missis ac vigiliis seu aliis quibuscunque per eosdem observata, in hoc pietatis opus decrevimus immutata, quod in omnibus Ecclesiasticis officiis ac aliis ritibus & moribus præfati generalis Capitali, quibus de nostra voluntate vos ultro submisistis, observantiis vos deinceps conformetis, ita tamen quod omnibus pietatis studiis & operibus per vos & vestros*

veſtros ſucceſſores, per divinam clementiam in veſtris agendis monaſteriis præſati beneſactores participes exiſtant, ne, quod abſit, eos per vos defraudari contingat. Vt autem deinceps omnes pungitivi conſcientiarum ſcrupuli de veſtris tollantur cordibus, volumus & declaramus, quod hac noſtra gratioſa diſpenſatione in hujusmodi promiſſorum immutatione libere gaudeatis, non obſtantibus conſuetudinibus & obligationibus veſtrorum prædeceſſorum quibuscunque. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Anno Dñi. M.CCCC. XX. VII. Feria IIda. poſt Dominicam invocavit.

Anni Chriſti 1428. 1429.
Sigismundi Cæſ. 19. 20.
Ab. V. C. 505. 506.

Goslaria una cum aliis Wi-delaga, & Lotha

GOslariæ quæ ſuperioribus annis Halæ Saxonum auxilia ſubmiſerat, novum jam negotium faceſſebant nobiles quidam prædones, qui vicinis arcibus Widelaga, & Lotha Lothariaque Epiſcopali præmunitis, oriam ex-mnia latrociniis & rapinis miſcebant. Tot pugnat. ſcilicet annos cum peſtilentiſſimo hoc hominum genere decertandum civitatibus fuit, quod opibus e latrocinio partis adeo ſubinde invaluerat, ut nec Epiſcopi, nec principes ei opprimendo viderentur pares. Quamobrem Otto & Wilhelmus Duces Brunſvico Luneburgenſes, nec non Johannes Halberſtadienſis & Magnus Hildeſienſis Epiſcopi, civitatesque Goslarienſis, Magdeburgenſis, Brunſvicenſis, Hildeſienſis, Halberſtadienſis & Gottingenſis iſto fœdere de Harpyis hiſce extirpandis ſerio deliberarunt, copiisq; coadunatis primo Widelagam aggreſſi eam brevi tempore expugnarunt, prædonibus partim exilio mulctatis, partim capitali ſupplicio aliisque pœnis affectis, partim receptis in gratiam & a prædis deſiſtere juſſis. Eadem deinde felicitate Lothariam Epiſcopalem aliaque prædonum receptacula ceperunt, viasque demum reddiderunt tutas. An Schwicholti harum turbarum incentores fuerint, ut communis tum rumor percrebuerat, nos in medio relinquimus, hiſtoricis quippe partim hoc aſſerentibus, partim tacentibus.

Cranz. l. 11 Sax. c. 15. p. 293. Spang. c. 95. ad an. 1429. p. 528 Lezn. l. 2. Chron. Daſſ. c. 12. fol. 28. Buntirg. P. 1. p. 275. Werdenh. part. 4. de rebuspubl. Hanſ. p. 477.

Goslaria fœdus cum vicinis urbibus pangit.

Hæc nobilium potentia civitates admonuit, ut paulo majori ſollicitudine ſe adverſus eam præmunirent. Cum enim per Saxoniam omnia miſcerentur inteſtinis diſſidiis, rapinis & latrociniis unicum ſalutis præſidium fuit in fœderum ſocietate. Jam elapſo abhinc quinquennio ad pacem in hac vicinia ſtabiliendam pactum ejusmodi in quinque annos inierant Magnus Præſul Hildeſienſis ac urbes Brunſvicum, Hildeſia & Hannovera, mutua ſibi auxilia urgente neceſſitate promittentes. Quo elapſo tempore in novum ac multo firmius fœdus iisdem legibus convenerunt Goslaria, Magdeburgum, Brunſvicum, Hala Saxonum, Hildeſia, Halberſtadium, Gottinga, Quedlinburgum, Eimbecca: Hannovera, Helmſtadium, Northeimium, Mersburgum & Hameln, opulentiſſimæ per utramque Saxoniam civitates. Tranſactum negotium die Lunæ poſt Dominicam Quaſimodogeniti. Anno M.CCCC.XXIX.

Richenbergenſe monaſterium Capitulo Windeſemenſi unitur.

Eadem tempeſtate Richenbergenſe monaſterium, quod nuper reformationem ad Windeſemenſium inſtituta laudabili conſilio ſuſceperat, ad ejusdem cœnobii capitulum conſentiente Magno Hildeſienſium Epiſcopo transivit. Tanta enim hujus Capituli erat ſanctitatis fama, ut certatim monaſteria in illud cooptari cuperent, multisque Epiſcoporum commendationibus id ſtuderent impetrare. Multo poſt ea tempora, anno M.CCCC.LVI. Hamersſebienſe monaſterium Capituli hujus ſocietatem ambivit, eamque in rem egregias obtinuit Borchardi Halberſtadienſis, & Friderici Magdeburgenſis Præſulum ſiſtaticas, quibus ſatis prolixe hoc monaſterium commendatur: *Et hoc potiſſime contemplatione illius eximii & inſignis Viri Hugonis de S. Victore, qui in dicto monaſterio Hamersleven religionis habitum & prima elementa regularis vitæ ſuſcepit. Qui talis & tantus fuit, ut in ordine veſtro (Auguſtinianorum) & tota orthodoxa religione Chriſti etiam mortuus quam plurimum celebretur, & ſepultus glorioſe vivat, ita, ut alter Auguſtinus nominetur. Ita ut ipſius duntaxat reſpectu agendum eſſet, quod poſtulamus. Quamplures etenim ſunt apud nos, qui amore tanti viri ad monaſterium ipſum ſingularem inclinationem tenent.* Quæ verba ex Borchardi Halberſtadienſis Epiſcopi diplomate ab Ill: Leibnitio excerpta ſatis videntur declarare, quanto ſtudio ſe Capitulo Windeſemenſi jungere certatim anniſa ſint monaſteria. Nec minus proclives ad eam rem ſe oſtenderunt Epiſcopi, qui de priſtina diſciplina in monaſteriis reſtituenda paulo majori cura laborabant, licet ordines provinciales ubiq; repugnarent. Richenbergenſi certe monaſterio Capitulo Windeſemenſi ſe jungendi copiam hoc anno fecit Magnus Hildeſienſis Epiſcopus, hoc eam in rem dato diplomate:

Leibnit. præfat. ad Chron. Alberici monachi.

Magnus

MAGNUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Hildenesheimenſis dilectis nobis in Chriſto Præpoſito fratribus & Conventui Monaſterii Beatæ Mariæ in Richenberge *ordinis Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini noſtræ diœceſis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Illa vobis libenti favore concedimus, quæ pro incremento religionis & animabus veſtris conſpicimus oportuna. Hinceſt, quod veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ex ulteriori profecturi regularis obſervantiæ dicti ordinis, quam apud* Monaſterium de Windesheim Trajectenſis Diœceſis *ac alia monaſteria illi ſubjecta ejusdem ordinis, Domino largiente, florere didicimus, illis Monaſteriis & locis ex cauſa prædicta juxta ordinationem privilegia & ſtatuta Capituli generalis eorundem Canonicorum regularium præfati ordinis vos conformare, unire & incorporare valeatis, jure tamen ordinario quibus nobis & eccleſiæ noſtræ aſtringimini, in omnibus aliis remanente ſalvo, vobis tenore præſentium literarum concedimus in Domino facultatem, ſperantes de profectu bonorum operum veſtrorum partem habere vobiscum. In cujus rei teſtimonium præſentem literam noſtri ſigilli appenſione juſſimus communiri. Datum* Hildenesheim *ſub anno Milleſimo quadringenteſimo, viceſimo nono. Craſtina die Nativitatis Beatæ* Mariæ *Virginis.*

Anni Chriſti 1430. 1431.

Sigismundi Cæſaris 21. 22.

Ab. V. C. 507. 508.

Eugenio PP. Capitulum

PUblicus hic de Windeſemenſis congregationis ſanctitate rumor mox non modo univerſam Germaniam verum etiam exteras regiones perſuaſit. Nec tamen deerant homines improbi, qui aſſurgentem horum monaſteriorum fortunam limis oculis intuiti, eorum facultates aut diriperent, aut injuſtis exactionibus vexarent. Quorum rapacitatem Eugenius IV. Papa, qui nuper in Martini V. locum ſucceſſerat inſigni hoc diplomate compeſcuit:

Windeſemenſe adverſus raptores præmunit. *Ex literis Richenb.*

EUGENIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis *Abbati monaſterii ſancti Jacobi Leodienſis & Decano Eccleſiæ Sti Salvatoris Trajectenſis ac Officiali Colonienſi* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Militanti Eccleſiæ licet immeriti diſponente Domino præſides circa curam Eccleſiarum & monaſteriorum omni ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta debitum paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis & profectibus divina cooperante clementia ſalubriter intendamus, Sane dilectorum filiorum & conventuum in *Windeshem* Trajectenſis Diœceſis & aliorum ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium Monaſteriorum, nec non dilectarum in Chriſto filiarum prioriſſarum & Conventuum quorumlibet ejusdem ordinis ipſi monaſterio in *Windeshem* tam illius generali Capitulo colligatorum, vel ſubjectorum monaſteriorum conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique eccleſiarum Prælati & Clerici ac eccleſiaſticæ perſonæ tam religioſæ, quam ſeculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, communia civitatum, univerſitates opidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum & aliæ ſingulares perſonæ civitatum diœceſis & aliarum partium diverſarum, occuparunt & occupari fecerunt, caſtra villas & alia loca terrarum, domos poſſeſſiones, jura & jurisdictiones, nec non fructus, cenſus, redditus, & proventus prædictorum monaſteriorum & nonnulla alia bona mobilia, ſpiritualia & temporalia, ad Priores & Prioriſſas Conventus & Monaſteria hujusmodi ſpectantia & ea detinent indebite occupata ſeu ea detinentibus præſtant auxilium, conſilium & favorem. Nonnulli etiam civitatum diœceſis & partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant eisdem Prioribus, Prioriſſis & Conventibus ſupra dictis clauſtris, villis & locis aliis terris, domibus, poſſeſſionibus, juribus & jurisdictionibus, fructibus, cenſibus, redditibus eorundem & quibuscunque aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus & aliis rebus ad Priores, Prioriſſas, Conventus ac Monaſteria hujusmodi ſpectantibus multiplices moleſtias & injurias inferunt & jacturas. Quare dicti

Priores & Prioriſſæ & Conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eisdem valde videatur difficile, pro ſingulis querelis ad apoſtolicam ſedem habere recurſum, provide ipſis hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adverſus occupatores, detentores, præſumtores, moleſtatores, & injuriatores hujusmodi illo volentes iisdem Prioribus, Prioriſſis & Conventibus remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus coñittendi ſimilia recludatur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, vel alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis, conſervatores & judices, prædictis nec non aliorum quæ deinceps monaſterio ſive Capitulo colligari aut ſubjici contigerit, ejusdem ordinis monaſteriorum, Prioribus, Prioriſſis & Conventibus & Vicariis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eosdem ſuper his & quibuslibet aliis bonis, & juribus ad Priores, Prioriſſas & Conventus, ac monaſteria hujusmodi, etiam diviſim ſpectantibus, ab iisdem, vel quibusvis aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina, damna, vel injurias irrogari. Facturi dictis Prioribus, Prioriſſis & Conventibus cum ab eis vel procuratoribus ſuis aut eorum fueritis requiſiti, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujusmodi caſtrorum, villarum, terrarum & aliorum locorum, jurisdictionum, jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddituum quoque & proventuum & aliorum quorumcunque bonorum nec non de quibuslibet moleſtiis, injuriis atque damnis præſentibus & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummariam & plane ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, juſtitiæ complemcntum, ſeu detentores, præſumtores, moleſtatores & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles cujuscunque dignitatis ſtatus ordinis vel conditionis exſtiterint, quandocunque & quotiescunque expedierit, noſtra auctoritate per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus, tum felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur ne aliquis extra ſuam civitatem vel diœceſin, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam diætam, a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædicta extra Civitatem & Diœceſin, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, ſive alii, ſeu aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra diætam a fine diæceſis eorundem trahere præſumant, dummodo ultra duas diætas aliquis auctoritate præſentium non trahatur ſeu quidem de aliis, quam de manifeſtis & aliis quæ judicialem indaginem requirunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes conſervatores ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque conſtitutionibus, a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus cum de judicibus delegatis & conſervatoribus, quam perſonis ultra certam diætam ad judicium non vocandis, aut aliis ſimilibus, quæ noſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati & ejusdem libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a prædicta ſit ſede indultum, quod excommunicari ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſunt, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulta hujusmodi & eorum perſonis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia, generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam, noſtræ jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore, de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volemus & eadem auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam ab alio inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque a datis præſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, perpetua poteſtas & jurisdictio attri-

buta,

buta, ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris & prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & jurisdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitiſſet, conſtitutione prædicta de ſubconſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo, tertio Idus Novembris. Pontificatus noſtri anno primo.

Hæc Pontificis bulla Windeſemum delata a Johanne Wyt Clerico Trajectenſi, publico Apoſtolica auctoritate notario rogatu *Fr. Jacobi Vael Subprioris Monaſterii B. Mariæ in Windesheim prope Zwollis* ſæpius deſcripta, inque hujus congregationis monaſteria transmiſſa eſt, ut ſingula ex eo peterent præſidium, quod in communem omnium ſalutem a Pontifice ſtatutum eſſet. *Acta ſunt hæc in domo Capellani monaſterii de Windesheim anno Nativitatis Domini M. CCCC. XXXIX. Indict. IX. Menſis Aprilis die viceſima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Dñi noſtri, Domini Eugenii divina providentia Papæ quarti anno nono, præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis Dño Godeſcalco Voſſ presbytero, quondam paſtore in Didingo & Henrico de Donſten, Gelmanno de Appeldaern, Clericis Colonienſis & Trajectenſis diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.*

Concilii Baſileenſis initia. *Concil. Tom. XII. p. 459. & tom. XIII. p. 1455.*

Idem Ponifex anno proxime inſequente Synodum Baſileenſem exorſus eſt, quam Martinus V. ejus anteceſſor jam fuerat meditatus. Præcipuæ hujus concilii cauſæ ferebantur reformatio eccleſiæ, nec non pax inter principes Chriſtianos concilianda, ac Huſſitarum oppreſſio, qui veluti quodam victoriarum flumine omnem Saxoniam, Misniam, Thuringiam, Franconiam, Sileſiamque inundaverant, tantumque Germanis incuſſerant terrorem, ut Brunſvicenſes ceteræque in vicinia civitates novis mœnibus vallisque ſe præmunirent. Prima Patrum ſeſſione expirante jam anno pridie Idus Decembris, præſidente Juliano S. Angeli Cardinale habita, nihil actum eſt amplius, quam quod recitatis Martini V, & Eugenii Pontificum bullis, concilii hujus auctoritas Conſtantienſibus & Senenſibus decretis ſuffulciretur. Deſtinata etiam ſubinde ad Bohemos legatio, qua oblata fide publica ad Concilium invitabantur. Et quamvis adhuc triſte violatæ fidei exemplum eis verſaretur ante oculos, tamen ne cauſæ diffidere viderentur, miſere Oratores ſuos, quibus id dederunt negotii, ut Euchariſtiam ſub utraque ſpecie Bohemis & Moravis permitti, verbum divinum libere & fideliter a ſacerdotibus prædicari, peccata mortalia publica auctoritate cohiberi, Clerique impotentem dominandi libidinem, juſtis legibus coerceri poſtularent. Patres ad hæc ſe initio ſatis proclives oſtendere, mox tergiverſari, diemque ex die ducere, denique aperte eos vanis promiſſis deludere, ac ſingulari ſeſſione ſacrilegum calicis ſpolium ſtabilire. Reliqua hujus Synodi acta ad annos proxime decurrentes referenda ſunt, e quibus id ſatis aperte dilucet, Pontificem manibus pedibusque omnia obnixe feciſſe, ne reformatio eccleſiæ ſuſciperetur, veritus forte ne a capite Patres ordirentur, ſatisque fieret Sigismundi Cæſaris votis, quibus non a Minoritis, ſed a Majoritis exordiendam eſſe eccleſiæ emendationem eſt proteſtatus.

Vid. libellum cum Æneæ Sylv. commentar. de Concilio Baſil. editum. p. 315. ſqq. Æn. Sylv. Hiſt. Boh. c. 49. p. 77.

Tenuis inter hæc Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ erat conditio. Cum enim præcipui Canonicorum proventus e metallis antea rediiſſent, non potuit non inde fieri, ut deſertis injuria temporum metalli fodinis haut paulo deteriori conditione uterentur. Jam ſuperiori ſeculo, [*] ex quo graviſſima ac communis peſtis plerosque metallifoſſores patriæ eripuerat, res metallica paulatim negligi cœperat, & quamvis ſubinde ad opus redirent Goslarienſes, tamen non niſi medio ferme hoc Chriſti ſeculo metalla in integrum reſtituta ſunt. Acceſſerunt prædonum injuriæ, quibus ceteræ hujus eccleſiæ opes ſenſim adeo ſunt acciſæ, ut non modo templo ruinæ videretur proximum, verum etiam Decano & XXII. Canonicis vix L. marcas argenti quotannis redirent. Quo factum eſt, ut Canonici a curiis ſuis dilapſi ad alia loca parandi victus cauſa diverterent. Erat tum in vicinia noſtra monaſterium Cellenſe, eo in loco ubi jam Cellerfelda floret, eas in anguſtias per tumultuaria prædonum arma redactum, ut nec ædificiis ſartis tectisque conſervandis nec alendo Abbati amplius ſufficeret, quippe cui non amplius, quam ſex marcarum argenti, cenſus annuus ſuppetebat. Præterea *clauſtro & conventualitate carebat*, nec Abbati amplius præbebat hoſpitium, ſimulacrum potius & cadaver cœnobii, quam cœnobium appellandum. Has itaque monaſterii reliquias Canonici noſtri cum Eccleſia ſua conjugi, & in unum veluti corpus contrahi cupierunt. Dudum hæc res in Camera Apoſtolica fuerat agitata, jamque obtinuerant bullam, qua monaſterium hoc cum eccleſia Goslarienſi conjungendum decretum eſt: Sed eam mox Pontifex reſcidit, Abbatis procul dubio proteſtationibus permotus. Reſumtum tamen hoc anno negotium, ac res denuo ad Eugenium Pontificem delata eſt, qui

Monaſterium Cellenſe cum Eccleſia SS. Sim. & Judæ conjungitur. [*] *anno* 1349.

negotium dedit Decano Eccleſiæ Sanctæ Crucis Northuſanæ, ut Abbatiam Cellenſem una cum parochiis Aſtfeldenſi & Oldendorpenſi ſuppreſſa Abbatiali dignitate eccleſiæ SS. Simonis & Judæ in perpetuum uniret:

VGENIVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio *Decano Eccleſiæ ſanctæ Crucis Northuſeñ.* Moguntinæ dioceſ. Salutem & apoſtolicam benedictionem. Inter cætera ſolicitudinis noſtræ ſtudia id propenſis proſequimur curis, ut pro eccleſiarum quarumlibet ſtatu ſalubriter dirigendo illarum perſonis, quas temporalium rerum egeſtas affligit, noſtræ proviſionis ope competentes facultates ſubminiſtrent. Sane pro parte dilectorum filiorum, *Decani & Capituli Eccleſiæ Goslarienſis*, Hildeſemeñ. Dioc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim Eccleſia ipſa in ſuis fructibus, redditibus & proventibus ejus menſæ capitulari in dotem aſſignatis pro dicti Decani & ipſius Eccleſiæ Canonicorum decenti & honeſta ſuſtentatione ſatis fuerit opulenta, poſtmodum tamen fructus, redditus & proventus hujusmodi, qui pro majori parte in auri & argenti fodinis conſiſtebant, propter ipſarum fodinarum deſertionem & deſtructionem adeo diminuti fuerunt, quod valorem medietatis dotis prædictæ vix conſcendant, & ultra *quinquaginta marchas* argenti, ex quibus idem Decanus ultra quatuor, & ſinguli Canonicorum prædictorum, qui præter eundem Decanum *viginti duo* numero exiſtunt, ultra duas marchas argenti hujusmodi non percipiunt, ſecundum communem extimationem minime valent annuatim, unde eccleſia ipſa, *quæ inter alias illarum partium collegiatas eccleſias in divinorum officiorum exercitio inſignis fuit*, illius Canonicis pro acquirendis ſuſtentationi ſuæ neceſſariis, ad alia loca divertentibus in exercitio hujusmodi aliasque in ſuis vetuſtate & honoribus quam plurima patitur detrimenta. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi monaſterium in *Cellis* ordinis S. Benedicti, *quod clauſtro & conventualitate carens ac ſolum & derelictum, ac in ſuis ædificiis collapſum ac parochiales eccleſiæ in Oldendorpe & Aſtveld* Moguntina & dictæ Hildenſemenſis Dioc. quæ campeſtres & parochianis fere omnibus deſtitutæ ſunt, quarumque collatio & proviſio, dum vacant, ad dictos Decanum & Capitulum de antiqua & approbata & hactenus pacifice obſervata conſuetudine pertinent, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis in ipſo monaſterio, illius ordine ac dignitate Abbatiali ſuppreſſis eidem menſæ perpetuo incorporarentur, unirentur & annecterentur, exinde ipſis Decano & Canonicis evidens ſuſtentationis ſuæ facultas proveniret, pro parte eorundem Decani & Capituli, etiam aſſerentium *quod ad eos Abbatis dicti monaſterii*, eo pro tempore Abbatis regimine deſtituto *electio communiter pertinet*, quodque monaſterii & parochialium eccleſiarum prædictarum fructus, redditus & proventus ſex marcharum argenti ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut monaſterium & parochiales eccleſias prædictas, de quibus etiam dudum præfata menſæ unio incorporatio & annexio, poſtmodum tamen revocatæ auctoritate apoſtolica factæ fuerant, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupra dictis præfatæ menſæ perpetuo incorporare, unire & annectere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes hujusmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus quatenus vocato dicto Abbate & aliis, qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis auctoritate noſtra Te diligenter informes & ſi per hujusmodi informationem ea repereris ita eſſe, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, monaſterium in illo prius quam primum illud per ceſſum vel deceſſum dicti Abbatis ſeu alio quovis modo vacare contigerit dignitate & ordine prædictis per te ſuppreſſis necnon parochiales eccleſias prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis ſupra dictis præfatæ menſæ eadem auctoritate noſtra perpetuo incorpores, unias & annectes, ita quod cum dictum monaſterium, ut præfertur, vacare contigerit & dilectis filiis dictarum eccleſiarum lectoribus cedentibus vel deceden-

cedentibus, ſeu eccleſias ipſas alias quomodolibet dimittentibus liceat dictis decano & Capitulo monaſterii & eccleſiarum prædictarum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria apprehendere, illarumque fructus, reditus & proventus in ſuos ac monaſterii & parochialium eccleſiarum earundem uſus convertere pariter & retinere, ordinariorum locorum & alterius cujuscunque ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri quibus cavetur ne quis extra ſuam civitatem & dioceſin niſi in certis exceptis, caſibus & in illis ultra unam diætam a fine ſuæ dioceſis ad judicium evocetur, & aliis apoſtolicis conſtitutionibus nec non ſtatutis & conſuetudinibus monaſterii & ordinis prædictorum, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de parochialibus eccleſiis aut aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales apoſtolicæ ſedis vel legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas & proceſſus habitos per easdem & quæcunque inde ſecuta ad parochiales eccleſias prædictas volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem parochialium eccleſiarum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari & quibusvis aliis privilegiis indulgentiis & literis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcunq; tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earundem impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus autem quod Decanus & Capitulum prædicti Epiſcopalia jura ſolvere & alia monaſterio & parochialibus eccleſiis prædictis incumbentia onera ſupportare integre teneantur, quodque parochiales prædictæ & dicti monaſterii eccleſiæ debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum curâ in eisdem parochialibus eccleſiis nullatenus negligatur, ſed per preſbyteros ydoneos per eosdem Decanum & Capitulum ponendos & pro eorum nutu amovendos, diligenter exerceatur & deſerviatur inibi laudabiliter in divinis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat Romæ apud S. Petrum. Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, V. Non. Maji Pontificatus noſtri anno primo.

N. de Nucellas.

Conjunctiones ejusmodi penitus prohibitæ. *Schat. l. 16 annal. Paderb. p. 175. P. 2.*

Decretum hoc Pontificis executioni mandatum, argumento eſſe poterunt parochia Aſtveldenſis cujus jus patronatus hodienum ſibi laudatiſſima eccleſia vindicat, ipſiusque monaſterii Cellenſis interitus, ſi quidem ex eo tempore nulla ejus occurrit mentio. Mature tamen rem expeditam fuiſſe oportet. Cum enim nihil eſſet hac tempeſtate ſolennius, quam ut eccleſiarum conjunctiones Cleri machinarentur; Theodoricus quoque Colonienſis Archiepiſcopus & Adminiſtrator Paderbornenſis eo procederet audaciæ, ut Paderbornenſem Epiſcopatum Colonienſi Eccleſiæ annectere niteretur, Eugenius Pontifex hoc eodem anno XVI. Calend. Julii communem conſtitutionem legemq; edidit, qua omnes ejusmodi eccleſiarum conjunctiones penitus reſcinduntur.

Annus Chriſti 1433.
Sigismundi Cæſ. 24.
Ab. V. C. 510.

Richenbergenſis Eccleſia ſub Capitulo Windeſemenſi floret.

MUlto excelſius per hæc tempora floruit Richenbergenſe monaſterium, Capitulo Windeſemenſi nuper unitum, & ſingularem Magni Hildeſienſis Epiſcopi benevolentiam expertum. Extant ex hoc anno binæ hujus Epiſcopi literæ, quarum alteris receſſionem in Windeſemenſe Capitulum ratam denuo habet, alteris diſciplinæ integritatem magnopere collaudat, facitque copiam Præpoſito Prioris nomen aſſumendi, cum id Windeſemenſium inſtituta poſtularent. Nos ultimas hic integras dabimus:

MAGNUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Hildenesheimenſis dilectis nobis in Chriſto Canonicis Regularibus Monaſterii in Richenberge, noſtræ diœceſis, ſinceram in Domino charitatem. Quia in vobis

bis ex Visitatione & Reformatione nostra fructus bonos reperimus, & uberiores largiente Domino speramus, quare ea, quæ pro vestræ susceptæ religionis, reformationis incremento proficua conspicimus, favore prosequimur gratioso: hinc est, quod sicut accepimus monasteria reformata vestri ordinis, quibus de nostra licentia uniti estis, suos prælatos immediatos Priores *appellant, ut illis in hoc vos conformare possitis* Præposito *vestro, qui nunc est, cedente vel decedente vobis & successoribus vestris in perpetuum plenam concedimus facultatem, nomen* Præpositi *apud vos de cætero supprimentes, jure nostro ordinario nobis in omnibus remanente salvo. In cujus rei evidens testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum* Hildesem. *sub anno Domini M. CCCC. XXXIII. Sabbatho ante* Dominicam Invocavit.

Anni Christi 1434. 1435. 1436.
Sigismundi Cæs. 25. 26. 27.
Ab. V. C. 511. 512. 513.

Concilium Basileense segnius procedit

Acta Concil. Basil. Æn. Sylv. l. 1. de Conc. Basil. p. 1.

PRotrahebatur interea in sequentes quoque annos Concilium Basileense, Patribus otiose admodum desidentibus, & satis diu ab Eugenio Pontifice delusis. A reformatione enim dici non potest quantú abhoruerit Eugenius, quantaq; subinde objecerit impedimenta. Sed & Bohemorú negotiú segnius procedebat, quod Hussitæ in plures factiones distracti se ipsos civilibus armis obtererent, & pristinus eorum fervor non parum tepere cœpisset. Existimabant itaq; Patres, quod res erat, Hussitarum nomen quod tanto adhuc sanguine Germaniæ stetisset, sua sponte extinctum iri. Hinc primi hujus Concilii anni inter continuas consultationes effluxerunt, donec demum Patres e diuturno lopore excitati, rem majori sollicitudine aggressi, Papam tergiversantem in ordinem cogerent, suamque stabilirent auctoritatem. Quam rem facete, hoc est, suo more observat Æneas Sylvius, Commentarios suos, quibus extrema hujus Concilii acta persequitur hunc in modum exorsus: *Apud Hetruscos pleriique in locis, quoniam flumina sic tenuia sunt, ut frumentariam molam nequeant trapere, ingenteis ducunt foveas, quibus fluviorum cursum morantur, biduanasque aut triduanas colligunt aquas; Quæ postea impetuosius exeuntes, & molam trahunt, & frumenti omnem quantitatem facile terunt. Haut secus mihi videntur patres hujusmodi facere, qui tanquam nihil habeant adversus Eugenium faciundum, diutius silent, materiam tacite colligentes, exin una in die, uno quoque impetu rem perficiunt.* Ne tamen nihil agere viderentur, festum Corporis Christi octava Pentecostes adhuc celebratum quinto post die inposterum solenniter peragi statuerunt Qua de re hujus Synodi bullæ exemplum extat in archivis Grauhoffianis.

Festum corporis Christi in quintum diē post octavum Pentecostes translatum.

Nullum mihi dubium est, quin Goslaria etiam nostra ad hoc concilium legatos suos submiserit, quanquam nomina legatorum nondum mihi licuit expiscari. Nec certe plane de rebus nostris in hoc parrum congressu silentium fuit. Cum enim ecclesia SS. Simonis & Judæ multum adhuc cepisset detrimenti, Canonici sibi ex hac synodo præsidium petierunt. Nec abnuit Concilium, hoc quippe submisso diplomate, quo omnia hujus ecclesiæ privilegia confirmantur:

Concilium Basileense Ecclesiæ SS. Sim. & Judæ privilegia confirmat.

SACROSANCTA generalis Synodus Basilienſis *in Spiritu Sancto legitime congregata Universalem ecclesiam repræsentans. Dilectis ecclesiæ filiis* Præposito, Decano, & Capitulo ecclesiæ sanctorum Symonis & Judæ Goslarieñ Hildemeñ. dioc. *salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam rigor æquitatis, quam ordo exigit racionis. ut id per solicitudinem nostram ad debitum perducatur effectum. Same pro parte Præpositi Decani totiusque Capituli & aliarum personarum ecclesiasticarum ecclesiæ Sanctorum Symonis & Judæ Goslarieñ. Hildesemeñ. dioc. fuit nobis humiliter supplicatum, quatinus ipsis & ecclesiæ supradictæ eorum super privilegiis indulgentiis bonis libertatibus & immunitatibus consuetudinibus honestis & præscriptis, dudum ipsis concessis & habitis, ut illibata & inviolabiliter permaneant, robur nostræ confirmacionis adjicere de benignitate nostra dignaremur. Nos igitur qui pro tuitione & defensione ecclesiarum, bonorum, & consuetudinum præscriptarum & personarum ecclesiasticarum ferventer laboramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes libertates gracias, immunitates, prærogativas, consuetudines laudabiles, & præscriptas indulgencias, bona & indulta a Romanis Pontificibus per Apostolicas aut quascunque alias literas vobis & ecclesiæ vestræ prædictæ concessas nec non libertates & consuetudines laudabiles & exemptiones, Salvagvardias secularium exactionum, a quibuscunque divis Imperatoribus, Regibus, Principibus & aliis Verisimilibus vobis & eidem Ecclesiæ*

cleſiæ veſtræ indultas datas & conceſſas ſicut ea juſte & pacifice poſſidetis vobis & per vos eidem eccleſiæ veſtræ auctoritate noſtra confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmacionis & communicionem infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hos attemptare præſumpſerit, indignacionem omnipotentis Dei & univerſalis eccleſiæ ſe noverit incurſurum. Dat. Baſileæ *iij Kl. Decembris. Anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quarto.*

S. T. Coſſel.

Concil. Baſileenſe vicina monaſteria Canonicorum reg. reformari jubet.

Æque laudabili multoque ſalubriori conſilio anno proxime inſequente hujus Concilii Patres diſciplinæ Canonicorum Regularium, qui reformationem nondum ſuſceperant, inſtaurandæ operam dederunt. Cum enim in ditionibus Brunsvicenſibus nec non Hildeſienſi, Halberſtadenſi & Verdenſi diœceſibus plura adhuc ſupereſſent hujus ordinis monaſteria in quibus diſciplina vetus deſerta quodammodo & collapſa jacebat: Concilii Patres re comperta negotium dederunt prioribus Windeſemenſi & Witteborgenſi, ut ea ad normam a D. Auguſtino præſcriptam & a Windeſemenſibus in integrum reſtitutam formarent; conceſſa ſimul illis auctoritate, obſtinatos eccleſiaſticis pœnis perſtringendi. Præclarum ea de re extat Synodi diploma in Richenbergenſium tabulariis, quod hoc loco integrum proferre lubet:

SACROSANCTA *generalis Synodus Baſileenſis* in Spiritu ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans dilectis eccleſiæ filiis de *Windesheim* in *Wittenborg* Monaſteriorum Prioribus ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Cum inter alia ſanctitatis opera, propter quæ hoc ſacrum concilium in Spiritu ſancto eſt congregatum, ſit *ſanctæ reformationis proſecutio, præſertim in ſtatu eccleſiaſtico*, quæ permaxime nobis eſt cordi, ideo omnem diligentiam merito adhibere debemus, ut tam ſanctum opus, Eccleſiæ Dei plurimum neceſſarium debitæ executioni demandetur. Et quoniam ſacer ordo *S. Auguſtini* almi Confeſſoris Canonicorum Regularium, *Chriſtianæ religionis maximum & honorabile membrum* exiſtit, & quod dolenter referimus, in plerisque mundi partibus non mediocriter a primæva ſui conſtitutione collapſus ſit, noſtro officio incumbit, omnem operam apponere, ut ipſe ſacer ordo ad regularem obſervantiam & debitum bene vivendi modum ſecundum ipſius ordinis conſtitutionem conſervetur pariter & reducatur. Ne autem hoc negotium aliquomodo, negligi, confringi, diſſipari vel differri valeat, & ut eo meliorem ſortiatur effectum, quo majori fuerit auctoritate munitum, vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum, quorum prudentiam, integritatem & zelum domus Dei fide, dignorum teſtimonio ac reali experientia didicimus una cum aliis quos duxeritis ad hoc opus idoneos aſſumendos, ac zelum Dei habentes, eadem auctoritate tenore præſentium, committimus & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatinus per vos aut quemlibet veſtrum in ſolidum onere viſitationis, inquiſitionis & reformationis recepto, coaſſumptis notariis & teſtibus fide dignis, ſi opus ſit, ad omnem actum viſitationis inquiſitionis & reformationis quomodolibet neceſſariis, etiam, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam compellatis, perſonaliter ad utriusque ſexus monaſteria ordinis prædicti in ducatu *Bruſentenſi* (*) ac *Hildenes. Halberſtadienſis* & *Verdenſis* diœceſibus conſiſtentia totiens quotiens opus fuerit accedentes, & cum omni diligentia ipſa monaſteria ducatus & diœceſium prædictorum tam in capite, quam ſingulis membris primum inquiſitionem, deinde plenam reformationem facientes, ſummaria & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, peccata & crimina, ſi quæ fuerint inventa, corrigentes, etiam usque ad ſuſpenſionem, privationem & incarcerationem incluſive tam Abbatis, Præpoſiti, vel Prioris Abbatiſſæ vel Prioriſſæ aut Præpoſitiſſæ, quam cujuscunque alterius perſonæ religioſæ, prædictorum monaſteriorum ſi & in quantum eorum depoſcant demerita, & vobis & cuilibet veſtrum in ſoli-

(*) *Bruns. vicenſi.*

dum viſum fuerit faciendum, plene reformetis, inutilia & damnoſa penitus evellendo & diſſipando, utilia vero & neceſſaria plantando & ædificando. Abbates, Præpoſiti, aut Priores, Abbatiſſæ, Præpoſitiſſæ & quæcunque perſona regularis prædictorum monaſteriorum, hujuſmodi veſtræ viſitationis, inquiſitionis & reformationis ut præmittitur, ſe ſubmittere abnuentes, vel vos ad monaſteria eorum intrare non permittentes, excommunicationis cenſuram incurrant ipſo facto, nec non & loca eorum interdicto ſupponimus Eccleſiaſtico, ſublato in omnibus præmiſſis cujuscunque appellationis ſubterfugio, invocando etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilium brachii ſecularis. Pro quo invocando omnibus Chriſti fidelibus, qui per vos aut quemlibet veſtrum inſolidum fuerint requiſiti, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſuorum peccaminum remiſſione injungimus, quod ſi & in quantum ad hujuſmodi tam ſtrenuum opus fuerint invocati, omni excuſatione ſemota vobis & cuilibet veſtrum inſolidum obediatur, & usque ad finem actus diligenter & cum effectu aſſiſtatur. Et ne prædictum opus viſitationis, inquiſitionis & reformationis per abſentiam cujuscunq; perſonæ regularis quomodolibet impediatur vobis & cuilibet veſtrum inſolidum plenam damus auctoritatem citandi eosdem, etiam ſi neceſſe fuerit, per edictum. Et quia non obſtante eorum contumacia in negotio hujusmodi reformationis procedere valeatis, usque ad ſuſpenſionem vel privationem, eorundem incluſionem, in electione autem ſeu poſtulatione futuri Abbatis Præpoſiti, vel Prioris, Abbatiſſæ, Præpoſitiſſæ, vel Prioriſſæ prædictorum monaſteriorum, ſi contingat fieri, nec non in eorum confirmatione, decreta hujus ſacri Concilii Baſilienſis volumus & præcipimus in omnibus ſtricte obſervari. Et ſi Canonici vel moniales eorundem monaſteriorum in Abbatem, Præpoſitum vel Priorem. Abbatiſſam, Præpoſitiſſam vel Prioriſſam inhabilem & minus idoneum aut idoneam quod abſit, elegerint vel poſtulaverint, quod veſtro judicio diſcernendum committimus, & cuilibet veſtrum inſolidum, ex tunc novi Abbatis, Præpoſiti vel Prioris, Abbatiſſæ, Præpoſitiſſæ vel Prioriſſæ electio ſeu poſtulatio ad vos devolvatur ipſo facto. Concedimus etiam vobis & veſtris commiſſariis per vos deputatis ſeu deputandis & cuilibet veſtrum inſolidum, auctoritatem plenariam omnes & ſingulas perſonas regulares utriusque ſexus prædictorum monaſteriorum, quæ ſe ſacræ obſervantiæ per vos imponendæ humiliter & cum effectu ſubmittere voluerint, a cunctis criminibus & peccatis, quæ vobis confitebuntur, excommunicationibus, ſuſpenſionibus & interdictis aliisque eccleſiaſticis cenſuris & pœnis abſolvendi, nec non cum eisdem diſpenſandi ſuper irregularitate in excommunicatione vel ſuſpenſione divinis ſe immiſcendo contracta omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam abolendi, non obſtantibus & contrarium facientibus quibuscunque. Concedimus etiam per prædicta vobis & cuilibet veſtrum inſolidum, quod longitudinem horarum in *Pſalmis gradualibus & pœnitentialibus* ac aliis, quæ horis ſuperaddi conſueverunt poſtquam de illis & aliis gravaminibus informati fueritis taliter abbreviabitis, etiam in monaſteriis jam actu reformatis, ſeu reformandis, quod easdem horas & alia eis incumbentia cum debita gravitate & protractione poſſint bene & devote adimpleri, proviſo tamen, quod hac abbreviatione poſſint ſolum gaudere, quam diu in obſervatione chartæ eis a vobis datæ ac aliarum ordinationum & mandatorum perſeveraverint, ab eisdem notabiliter non labendo & in hoc ſanctum opus expeditum & felicem habeant progreſſum, nec cujuscunque auſu, temeritate, aut ſubtilitate juris impediatur omnibus & ſingulis tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis cujuscunque ſtatus vel dignitatis vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali aut ducali præeminentia præfulgeant, in virtute ſanctæ obedientiæ monendo exhortamur, & ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo, mandamus quatinus in prædictis impedimentum ullum per ſe vel per alium directe vel indirecte quacunque occaſione faciant, vel procurent quomodolibet, vel per alios fieri permittant. Quinimo omnes qui ad adſiſtendum per vos requiſiti fuerint, ſimili cenſura in omnibus prædictum

nego-

negotiũm concernentibus conciliis & auxiliis oportunis vobis faveant & obediant. Impeditores autem & rebelles per jura eccleſiaſtica & aliis juris remediis compeſcatis, ſeu alter veſtrum compeſcat. Et nihilominus, ſi viſum vobis fuerit moneatis ſeu alter veſtrum moneat, quatenus infra competentem terminum per vos ſtatuendum, perſonaliter in hoc ſacro Concilio hujuſmodi impedientes & rebelles compareant, vel tanti reatus dignam a vobis ultionem ſuſcipiant, mandando ipſis, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus cujuscunque ſint gradus & dignitatis, ſub pœna excommunicationis vel alia, de qua vobis videbitur, ut ab omni impedimento huic ſanctæ reformationis operi inferendo deſiſtant omnino. Inſuper vobis & cuilibet veſtrum præcipimus & mandamus quatenus ad *pœnitentiam B. Mariæ Magdalenæ oppidi Embecenſis* Moguntenſis diœceſis & *B. Mariæ Magdalenæ* extra muros Hildeſii ordinis Sancti Auguſtini monaſteria accedentes, per vos aut alterum veſtrum vel alium ſeu alios, in capite & in ſingulis membris reformetis & corrigatis modo & forma ſuperius deſcriptis vobis prædicta auctoritate liberam concedimus facultatem. Datum *Baſileæ* VIII. Cal. Februarii. Anno a nativitate Domini M.CCCC.XXXV.

Altare trium Magorũ in templo forenſi. *Chron. Montis. Franc. p. 92.*

Sed & templi forenſis hoc anno occurrit memoria. Erat in illo altare tribus Magis ſacrum, cujus poſſeſſori Henricus Francomontanus Cœnobii Præpoſitus ipſo B. Thomæ die proventum annuum IV. florenorum Rhenenſium e decima Schœningenſi & tribus manſis ibidem ſitis redeuntium quinquaginta florenis ejusdem valoris vendidit.

Concil. Basil. Eccleſiæ Mont. S. Petri ablata jubet reſtitui. *Exlit. mont. S. Petri.*

Anno denique qui Chriſti numeratur M. CCCC. XXXVI. Montis S. Petri etiam eccleſia, Canonicorum eccleſiæ SS. Simonis & Judæ exemplo permota a Concilio Baſileenſi præſidium petiit. Eandem enim ſubierat ſortem cum reliquis, hoc eſt diuturnis prædonum rapinis exhauſta fuerat & ad extremam pene rerum indigentiam redacta. Hinc Patres Concilii rem commiſere S. Cyriaci extra muros Brunſvicenſes præpoſito, ut bona injuſte ablata huic eccleſiæ reſtitueret, excommunicationis etiam fulmen in obſtinatos rerum alienarum poſſeſſores vibrando. *Datum Baſileæ XIV. Cal. Julii anno a Nativitate Domini M. CCCC. XXXVI.*

Anni Chriſti 1437. 1438.
Sigismundi Cæſ. 28.
Alberti II. Cæſ. I.
Ab. V. C 514. 515.

Obitus Sigismundi Cæſaris. *Æn. Sylv. c. 53. 54. hiſt. Bohem. p. 89. Cranz. l. 12. Wand. c. 1. Naucler. gener 41. p. 939.*

ANnum de hinc ingredimur M. CCCC. XXXVII. qui Sigismundum Cæſarem poſt duodetriginta annorum Imperium morte rapuit. Princeps fuit opibus & fortuna nulli ſecundus, quippe qui Romanum Imperium, nec non Hungaricum & Bohemicum regna feliciter in capite ſuo univit. Sed incidit in tempora reipublicæ funeſtiſſima, quibus trium Pontificum ambitio ad extremum pervenerat, Wenceslaus frater Bohemiam exhauriebat, Turcæ arrepta occaſione Dominatum per Europam firmabant, omnia denique inteſtinis procerum armis turbabantur. Quibus malis medendis quanto ſtudio Sigismundus dederit operam, totejus declarant itinera, tot labores, tot denique ſumtus, quibus bina Concilia toto terrarum orbe celeberrima promotum ivit. Magna quoque ſpes erat, fore, ut ejus opera neceſſaria eccleſiæ reformatio procederet, dummodo Imperator juſto timidior ſe potius quam Clericos adhibere in conſilium maluiſſet. Inde enim factum eſt, ut non modo reformatio non procederet, verum etiam Joannes Huſs & Hieronymus Pragenſis, quibus nemo melius eccleſiæ vulnera iſto temporum tractu perviderat, violata publica fide, cauſaque incognita in rogum projicerentur. Adverſus Huſſitas incredibili flagrabat odio, eosque continuis bellis fatigabat, ſed magnis plerumque cladibus repulſus. Huſſitæ enim mira virtute ac prudentia depugnantes prius plerumque victores diſceſſere, quam hoſtes eorum adventum ſatis animadvertiſſent, tamdiu invicti, quamdiu a factionibus & bellis civilibus ſe abſtinerent. Adiit tandem morti vicinus Bohemiam, & honorifice ab ordinibus ſuſceptus & Rex ſalutatus non adſpiravit ad plenam poſſeſſionem priusquam concordatis legatorum ſynodalium comprobatis communioné ſub utraq; ſpecie Laicis permiſiſſet. Cum ſe jam ad extrema urgeri a Medicis cognoviſſet, vocatis regni Bohemici proceribus, Barbaram primo conjugem novo matrimonio inhiantem, Bohemiamque Poloniæ Regi dotis loco collaturam, cuſtodiæ jubet demandari, deindè Albertum Auſtriæ Ducem generum ſuum commendat, hunc unum tanto faſtigio dignum affirmans, virtute quippe præſtantem & generis dignitate ſublimem, quem ſemper filii loco habuerit, ſucceſſorem ſuum ſe ſcribere, rogare; ſupremam voluntatem ſuam exequantur; beatum id regnum futurum cui Albertus imperaverit. Quibus ſapienter conſtitutis v. Id. Decembris inter amicorum manus defecit, Corporis exuviæ in Hungariam devectæ, &

Paralip. Vrſp. p. 379.

Æn. Sylv. c 52. hiſt. Bohem. p. 84.

Vara

Varadini, ut teſtamento juſſerat, terræ mandatæ ſunt, captiva quoque Imperatrice, novo ac miſerabili rerum humanarum ſpectaculo, ſimul cum Imperatoris funere Varadinum abducta.

Succedit ei Albertus II. Auſtriacus. *Æn. Sylv. hiſt. Boh. c. 55. p. 91. Lang. Chron. Citiz. ad h. ann. Naucler. generat. 48. p. 941. Paralip. Urſp. p. 398.*

Juſtis Sigismundo perſolutis Hungari ſtatim Albertum Albam Regiam deductum diademate inſigniunt, ea tamen lege, ut Auguſtam dignitatem ſe inconſultis non ſuſciperet, ne Rege Germaniam obeunte Hungaria Turcarum direptionibus eſſet expoſita. Magis Bohemorum animi inter diverſa ſtudia hærere viſi ſunt. Quamvis enim plerique proceres Sigismundi monitis obſecuti Albertum ſibi regem peterent, non deerant tamen novarum rerum cupidi, qui rejecto Alberto Caſimiro Regis Poloniæ fratri Germano diadema offerrent. Magna inde inter Auſtriacos & Polonos certamina enata ſunt, quibus hi adeo ad internecionem usque victi cæſique fuerunt, ut pauci, quos fortuna ſervaverat, exhauſti argento, amiſſis equis, pedibus in patriam redirent. Interea Electores etiam Germaniæ per quadrageſimale jejunium Francofurti convenerant, de novo Imperatore ſubrogando in medium conſulturi. Nec mora omnium ſuffragiis itum eſt in Albertum, jam Hungariæ Bohemiæque coronis potitum, quem ſuſtinendæ huic dignitati imminentique Turcarum potentiæ cohibendæ credebant aptiſſimum. Obſtitere aliquandiu Hungari, negantes ex uſu eſſe Hungarorum Regi, Teutonicis ſimul gentibus imperare, quod compertum ſit, dum Sigismundus Romanæ rei conſulturus provincias peragraſſet, Hungariam Turcarum direptionibus patuiſſe. Multis in utramque partem dictis, poſtremo victi oratione Friderici Auſtriaci dum juvenis, aſſenſum dedere. Unde Albertus ſumma Germanorum congratulatione ſuſceptus & Aquisgranum deductus a Theodorico Colonienſium Archiepiſcopo diademate incingitur, princeps egregius & majoribus ſuis per omnia ſimilis, qui nunquam Germanorum animos niſi immaturo obitu ſuo turbavit.

Arx Harzburgica ab Hartwico ab Vze occupata.

Goslariæ noſtræ interea e vicina arce Harzburgenſi, quæ malis auſpiciis denuo e cinere revixerat, prædones iterum imminebant. Sed ab hoc metu non parum liberatur, arce hac intra octiduum bis occupata. Ipſis enim Aſcenſionis feſti vigiliis quidam Hartwicus ab Uze arcem per inſidias aggreſſus brevi in ſuam redegit poteſtatem factaque deinde eruptione pagos vicinos depopulatus pecora in arcem abigere auſus eſt, ruſticis ſua non ſine Hartwici clade repetentibus. Re pervulgata Henricus Pacificus Dux Brunsvico Luneburgenſis contracta valida manu arcem obſidione incinxit, eamque ante pentecoſten recuperavit, infelix caſtellum, quod a tanto tempore alter alteri toties extorſit.

Anni Chriſti 1439. 1440.
Alberti II. Cæſ. 2.
Friderici IV. Cæſ. 1.
Ab. V. C. 516. 517.

Albertî Cæſaris obitus.

VIx in alterum annum Albertus II. imperio præfuerat, cum properantibus fatis anno M. CCCC. XXXIX. extingueretur. Polonis enim dextro marte debellatis, *Æn. Sylv.* Turcis jam imminebat, qui facta in Ser- *c. 56. hiſt.* viam irruptione Synderoviam obſidione *Boh. p. 91.* premebant. Periclitanti itaque caſtello *& c. 4. de* ſubventurus Budam petiit, rebusque con- *ſtatu Eur.* ſtitutis contraxit exercitum nec expecta- *tempore* tis ſociorum auxiliis ſecundo Danubio ad- *Friderici* verſus Barbaros profectus eſt, caſtris inter *III. p. 45.* Titiam amnem & Danubium collocatis, *ap. Frib.* Interea triſtis percrebuit rumor, Turcas expugnato caſtello Georgii Deſpoti Serviæ filium, quem pater profugus tuendæ arci reliquerat, oculis privaſſe, jamque reditum in Thraciam moliri. Hinc & ipſe dimiſſo exercitu Budam rediit. Sed incredibili æſtatis fervore vexatus dum peponum eſu nimis delectatur, in morbum incidit, quem cum ingraveſcere indies ſentiret, moriturus in patria iter in Auſtriam molitus eſt. Vix tamen tranſita Strigonio gravius, quam ante cœpit langueſcere. Hinc facto teſtamento, cum ſe ad decretoriam mortis horam pie compoſuiſſet, VI. Calend. Novembris in villa Longa ad meliorem vitam exceſſit, relicto filio, qui nondum maternum uterum fuerat egreſſus.

Friderici IV. Cæſar ſalutatq. *Naucler. generat. 49. p. 943. Lang. Chr Citic. ad h. ann. p. 861. Chron M. Belg. ad h. ann. Cranz. l. 11 Sax. c. 30. p. 304. Paralip. Urſperg. p. 400.*

Atque adeo uno ictu tria nobiliſſima Imperia Rege privata ſunt, jactura eo funeſtiori, quo graviores deinde motus Hungariam Bohemiamque concuſſerunt. Facilius de novo Cæſare ſubrogando inter Septemviros convenit. Indictis enim Francofurti Comitiis ſequente ſtatim anno omnium ſuffragiis electus eſt Fridericus Auſtriæ Dux, juvenis ingenti animo nec minore ſapientia præditus, qui omnes ſuæ gentis provincias jure hæreditario conjunxerat. Scilicet ex quo Turcæ occaſione rei gerendæ e Chriſtianorum inertia petita dominatum ab ultima Thracia ad Hungariam usque protenderant; ipſa res ſvadere Germanis videbatur, ut eum ſibi Imperatorem peterent, qui imminentis Turcarum potentiæ molem ſuſtinere limitesque armis tueri valeret, id quod Auſtriaca gente nulla præſtare facilius poterat. Fridericus accepto de electione ſua nuncio, non recuſavit quidem Imperium, coronationem tamen Aquisgranenſem aliis rebus domi impeditus, in præſens omittendam exiſtimavit, ne Hungari & Bohemi ſe abſente poſthumum Alberti Cæſaris prætereuntes novas res molirentur. Princeps certe Fridericus erat egregius & Auſtriacæ potentiæ fundator feliciſſimus, dignus qui Æneam Sylvium, doctiſſimum ſui ævi hiſtoricum & Lambecium, rerum

rum suarum præcones invenerit. Nec minus spatio vitæ imperiique diuturnitate posteris admirationi fuit, quippe qui LXXVIII. annos vivendo LIII. regnando explevit, quæ felicitas jam inde ab Octavio Augusto Cæsare nulli Imperatorum Romanorum obtigerat.

Anni Christi 1442. 1443.
Friderico IV. Cæs. 3. 4.
Ab. V. C. 519. 520.

Cluſa ad Bodē-ſteinam

INterea Magnus Hildesiensis Episcopus nihil habuit antiquius, quam religionis studium apud nos augere, homines- ædifica-que ad pietatem inflammare. Quod ta-quamvis in tanta seculorum ignorantia *Chron.* esset difficillimum, tamen non improban- *Cœnobii* da videtur voluntas, qua se ad pietatem *Franco-* satis proclivem ostendebat. Est in vi- *mont.* cinia nostra prædium Bodensteinense, *p. 93.* Franckenbergensis Cœnobii peculium, ad quod Giso quidam de Lansberg Clusam ædificare exorsus est, quod consilium Magnus Hildesiensis Episcopus hoc diplomate ratum habuit:

NOs Magnus Dei gratia Præsul Hildesiensis literis hisce cunctis eadem audientibus & legentibus notum facimus, quod veniam & facultatem concedimus *Gisoni Lansbergen* ministro nostro *Clusam* juxta prædium *Bodensteinense* exstruendi, in eadem commorandi, vias & semitas emendandi, & perficiendi, cunctis Christi fidelibus pœnitentiam peccatorum agentibus, & confessionem, ac correctionem vitæ efflagitantibus, *Gisoni* prædicto opem ferentibus & eleemosynas larga manu porrigentibus, auctoritate Domini nostri JESU CHRISTI & Apostolorum ejus *Petri* & *Pauli*, sedisque Romanæ, XL. dierum indulgentias elargimur. In hujus rei testimonium signum nostrum hisce literis appendi fecimus. Datis anno a Christo nato M. CCCC. XLII. die *Martis* festum *Michaelis* præcedente.

Johañes Misnen. sis Ep. crucem argentē-am in templo Fran-

In spiritualibus, ut vocant, Magnus Episcopus Hildesiensis Vicarium generalem habuit *Johannem Misnensem Episcopum*, qui anno proxime insequente in his oris versatus, crucem quandam argenteam ob reverentiam Dominicæ passionis in æde SS. Petri & Pauli Franckenbergensi solenni ritu consecravit, multis sanctorum λειψάνοις cruci inclusis, oblatisque XL. dierum indulgentiis, de qualibet reliquiarum particula, si qui *orationem dominicam, ac salutationem angelicam* coram illa recitaverint, ac benedictionem cum illa devote receperint. Id quod ipse Johannes Misnensis hisce literis est pollicitus.

kenbergensi consecrat. *Chron. Mont. Franc. p. 95.*

JOHANNES Dei & Apostolicæ sedis gracia ecclesiæ Misnensis Episcopus, *in Pontificalibus Vicarius generalis reverendorum in Christo patrum & dominorum, dominorum Magni Hylden & Alberti Mynden, eadem gracia ecclesiarum episcoporum* universis & singulis præsentes nostras literas visuris notificamus per easdem, quod ob reverentiam dominicæ passionis præsentem crucem argenteam, nobis suffragante Spiritus S. gracia, consecravimus & subscriptas imposuimus reliquias. Scilicet *de ligno S. Crucis, de S. Johanne, de S. Laurentio, de S. Cyriaco, de S. Odolrico, de S. Bernhardo, de S. Katerina & ejus Oleo, de S. Agneta, de S. Petronilla & de S. Dorothea.* Omnibus igitur vere pœnitentibus & confessis, qui orationem passionis domini nostri JESU CHRISTI coram ista cruce consecrata dominicam recitaverint ----- *salute cum Angelica*, sive osculum pacis, nec non & benedictionem cum ea devote receperint, quando ----- de injunctis eis pœnitenciis de qualibet particula reliquiarum XL. dies indulgencias in domino misericorditer relaxamus. In cujus testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Dat. anno Domini M. CCCC. XLIII. ipso die B. *Elisab.* viduæ.

Nec non in Æde S. Jacobi.

Ejusdem exempli literas ædi quoque S. Jacobi anno M.CCCCXLI. atque adeo ante biennium datas constat, quibus eadem liberalitate quadraginta dierum indulgentiæ iis promittuntur, qui coram imagine Jesu crucifixi in genua provoluti orationem dominicam & salutationem angelicam recitassent. His videlicet lenociniis in tanta caligine miscella plebs ad pietatem invitata. Quasi vero ejusmodi imagini tantum inesset virtutis, ut unica oratio dominica ad eam recitata quadraginta aut plurium dierum indulgentias mereatur. Ubinam quæso Apostoli ac primi ecclesiæ Doctores Christianos ad ejusmodi imagines ablegarunt? Quin imo abhorruit potius Salvator noster ab ejusmodi precibus, quæ Pharisæorum ritu ad viarum

rum compita aliisque in publico locis oſtentationis cauſæ funderentur, lubricoq; meriti niterentur fundamento. Hinc ſuos in cellulam ſe juſſit ſubducere, precesq; puras Deo offerre in abdito, pollicitus, Deum, qui in occulta introſpiceret, in aperto ac propatulo omnia eſſe remuneraturum.

Anni Chriſti 1446. 1447. 1448.
Friderici IV. Cæſ. 7. 8. 9.
Ab. V. C. 523. 524. 525.

Bellum Suſatenſe & Bohemorũ per has regiones expeditio. *Ertwin. Chron. Osnabr. p. 258. Æn. Sylv. de Europ. Statu ſub Frid. III. p. 74. Spangenb. c. 329. Chron. Sax p 551 Cranz. lib. 11. Sax. c. 31. p. 305. Bunting. part. 4. p. 585. Chron. Brunſv. Schaten. lib. 17. ann Paderb. p. 620. ſqq. Part. 2. Lezn. lib. 6. part. 2. Chron. Daſſel. c. 13. f. 110.*

WEſtphaliam hoc tractu temporum turbavit Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, qui Suſatum civitatem ad libertatem adſpirantem & Clivenſis Ducis aliorumque principum & civitatum ſocietate ſuffultam bello tentabat. Jam anno MCCCCXLIIII. magnis ſociorum viribus ſe in Weſtphaliam Theodoricus effuderat, ſegetibusque circum urbem, & villis omnibus ferro flammaque abſumtis Werlas cognito Clivenſis adventu ſe retraxerat. Nec ſegnius Suſatenſes Weſtphaliæ ducatum infeſtis armis depopulati ſunt, quos ut e Ducatu ſuo retraheret Archiepiſcopus, Marcanum Comitatum invaſit. Inde converſis in Clivenſem armis, cum omnia præclare præmunita inveniret, caſtra in Suſati conſpectu explicuit, ratus Suſatenſes pugnæ copiam facturos. Quod cum non impetraret Ertwitenſem turrim obſidione fruſtra tentavit, additoque viribus dolo, felibus undique captis ignitos torrentes ad caudas alligavit, easque per mœnium foramina noctu in urbem immiſit, ratus feles in horrea ſe recepturas, graviusque excitaturas incendium. Sed & hoc dolo in fumum abeunte re infecta diſceſſit Suſatenſibus deinde cum ſociis liberius agrum Colonienſem & Weſtphaliæ ducatum depopulantibus. Interjecto tempore a civitatibus Hanſeaticis conſultum in medium, ſi forte concordia inter Theodoricum Archiepiſcopum & Suſatenſes poſſet reſtitui. Sed utraq; parte ſaniora conſilia reſpuente, ad arma reditũeſt. Res igitur denuo mutuis depopulationibus acta, majore plerumque Colonienſium clade. Deniq; Theodoricus contracto validiſſimo exercitu, accitisque Hildeſienſium & Monaſterienſium auxiliis, ipſam Suſatum arcta obſidione preſſit, omni tormentorum genere admoto, ut cives ad officium redire cogeret. Sed Clivenſi cum copiis ſuis adventante, ſoluta obſidione, intra Angariæ montes ſe recepit. Unde animoſiores multo Suſatenſes cum ſociis Colonienſem Weſtphalicum & Paderbornenſem agros depopulantur. Mox Theodoricus inſtaurato exercitu Suſatum rediit, urbem ex inſidiis intercepturus. Sed cives, animadverſis Archiepiſcopi copiis, urbe egreſſi diſpoſita acie juſto prælio cum Colonienſibus decertant, tantaque victoria potiuntur, ut plerimis hoſtium partim cæſis, partim captis reliqui fuga ſibi conſulendum putarent. Attamen nec hæc quidem clades fregit Archiepiſcopum, ſed multo magis ad iram ac ultionem inflammavit. Hinc anno MCC CCXLVII. Saxonibus Bohemisque in ſubſidium vocatis exercitum octaginta millium complevit, quantum vix unquam a Caroli Magni ætate Weſtphalia viderat. Hic exercitus peregrinus ex Eichsfeldia per Brunsvicenſes ditiones incedens dici non poteſt, quam viciniam noſtram cædibus, rapinis & exactionibus turbarit, Homburgenſe caſtrum prædonum receptaculum captum, Eimbeca direpta & ad ingentem mulctam compulſa, quam duram ſortem & Huxaria ſubiit. Inde Lippienſis Comitatus aliæque ſociæ civitates direptæ, captæ, flammisque ac ferro devaſtatæ. Denique Lipſtadio fruſtra tentata toties viribus Suſatum oppugnari cœptum eſt. Nullum prætermiſſum tormentorum inſidiarumque genus, civitas injecto igne vexata, muri ſclopetorum, arietumque machinis quaſſati, denique aperta lacuna gravi aſſultu expugnatio tentata. Sed incredibili animorum magnitudine hoſtium impetum cives exceperunt, alii Sagittas in ſubeuntes mœnia vibrando, alii ſclopeta explodendo in irruentes. Quin immo nec ipſe quidem ſequior ſexus patriæ periclitanti defuit. Fortiſſimæ enim fœminæ & Amazonum æmulæ, conſcenſis mœnibus, tantam ferventis aquæ, pultis & picis copiam in oppugnantes effuderunt, ut Archiepiſcopus ſignum receptui canere, obſidionemque infructuoſam ſolvere ſit coactus. Conclamatis itaque rebus Bohemi, præda locupletati, eodem itinere, quo acceſſerant, domum redierunt. Revixit poſt eorum diſceſſum bellum, ſed eadem Colonienſium fortuna geſtum. Vnde demum anno M. CCCC. XLVIII. Johannis Apoſtolicæ ſedis legati arbitrio induciæ certis legibus convenerunt, ſummaque rei commiſſa Pontifici, ut de Suſatenſium libertate decerneret.

Sic Suſatenſe bellum, quod Weſtphaliam magnamque Saxoniæ noſtræ partem in unam eandemque ruinam traxit, demum factis induciis ſopitum eſt. At quietior multo Goslaria noſtra, quæ pacis fructibus frui, quam bellorum anceps fortunam ſubire maluit. Montis S. Georgii monaſterium tum florebat ſub Wilhelmo de Ahuſen Præpoſito ſuo, qui hoc tractu temporum Capitulo Generali Goslarienſi interfuiſſe legitur. Scilicet nondum Windeſemenſis Congregatio hoc Capitulum Goslarienſe, de quo ſupra [*] e Montis ſereni Chronico uberius diſſeruimus, plane diſſipaverat, ſed plura adhuc e vicinia noſtra ſupererant Canonicorum Regularium monaſteria, quæ Windeſemenſibus nondum acceſſerant. Inprimis Montis S. Georgii Canonici antequam in curiam Griſonum migrarunt, conſtanter

Montis S. Georgii per hæc tempora conditio *Ex lit. Grauhoff.*

[*] *ad annum 1221.*

ter Capitulo Goslariensi, quod Halensis deinde nomen assumsit, adhæserunt. Quo vero pacto deinde ad Windesemenses transire necesse habuerint, suo loco monere non prætermittam. Ceterum extant Friderici Cæsaris diplomata, quibus omnes hujus monasterii facultates in tutelam suscipit, ac nominatim adversus impiorum hominum rapinas præmunit. *Data Wiennæ anno M. CCCC. XLVI.*

Eadem erat Richenbergensis Monasterii felicitas, quod tanta subinde cepit incrementa, ut magnæ religiosorum multitudini alendæ sufficeret. Quibus suorum profectibus lætus Magnus Hildesiensis Episcopus, fecit insuper illis cõpiam, saxa scissilia in monte Nortberg effodiendi Quam in rem luculentum hoc diploma sequente anno edidit. Magnus Hild. Ep. Richenbergensibus fodinas Saxi scissilis permittit.

MAgnus Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Hildesiensis, Dilectis nobis in Christo Priori & Conventui Monasterii B. Mariæ in Richenberg *ordinis Canonicorum Regularium, salutem & sinceram in Dño charitatem. Cum ex injuncto nobis curæ pastoralis officio utilitatibus ac prosperitatibus Ecclesiarum nobis subjectarum merito teneamur providere earumque dispendiis, damnis & dissipationibus, quantum in nobis est omnimodo obviare, præsertim eorum, qui vitam ducentes religiosam & devotam virtutum, Dño in humilitate & sinceritate cordis sui die noctuq; deservire contendunt. Hinc est, quod pro parte vestra accepimus qualiter montem monasterio vestro contiguum dictum* the Northberg, *Regum ac principum, ceterorumque Dominorum ac Provincialium largitione ac privilegiatione vobis & Monasterio vestro cum omnibus suis attinentis, juribus & privilegiis donatum, concessum, concambio comparatum & omnimodo appropriatum, juxta tenorem literarum imperialium, Principum, Prælatorum & aliorum plurimorum, vobis desuper collatarum, a longe retroactis temporibus ad trecentos ferme annos & eo amplius absque contradictione juste & legitime incoluistis, tenuistis & possedistis, sicut in præsentiarum obtinetis & possidetis, in cujus quidem montis latere* fodina lapidum, Sceverstein *vulgariter nuncupatorum, esse dinoscitur, de qua si purgaretur, & lapides prædicti secarentur, & præpararentur, vobis & monasterio vestro non parva utilitas accrescere & provenire judicatur. Cum igitur multitudinem personarum Deo famulantium vos habere noverimus, quibus emutriendis & sustentandis & in necessariis providendis reditus ac proventus monasterii vestri fructusque & emolumenta operum vestrorum, vix sufficiant, vobis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictum montem* Northberg, *jam dudum vobis pene inutilem, ex nunc in reliquum tempus per vos sive per alios, quibus id duxeritis committendum, tempore ad hoc conveniente excolere, operari, exercere, ac utilem vobis facere nullatenus differatis. Præcipue tamen in fodina illa lapidum præmissorum laborare, eamque purgare & præparare, lapides excidere ad tecta monasterii vestri & aliorum monasteriorum ordinis vestri reparanda ac de novo construenda lapides etiam inde præcisos vobis minime necessarios, aliis volentibus & desiderantibus, justo accepto pretio vendere commutare seu alienare, fodinam etiam ipsam aliis, qui in ea operentur, certam pecuniæ seu lapidum summam ex eo vobis tribuentes, ad certum tempus elocare, omnimodo festinetis ac perficiatis, nec alicujus informatione desistatis, ut eo amplius ad sustentationem Deo vobiscum penitus famulantium necessaria habere valeatis. Nam & nos in omnibus præmissis vestros vestri cooperatorum contra quoscunque in contrarium facientes & machinantes veros ac legitimos defensores, tutores ac protectores esse volumus & spondemus. Mandamus igitur omnibus & singulis, nobis subjectis, in virtute sanctæ obedientia & sub excommunicationis pœna letæ sententiæ, quam ferimus in his scriptis, trium tamen dierum canonica monitione præmissa, nequis cujuscunque potestatis, communitatis, seu auctoritatis existat, per se interpositamve personam, consilium, auxilium favorem, seu defensionem contra praemissa praestare praesumat, quo hujusmodi labor & proventus in monte praenominato, & in fodina lapidum praemissorum, quovis valeat seu debeat modo impediri, & frustraria quo aliquorum praemissorum minus debitum sortiatur effectum, contra inobedientes ac rebelles hujusmodi nostris mandatis, prout justum fuit, etiam*

ultra præmissas pœnas merito processuri. Datum Hildesii *Anno Dni. Millesimo quadringentesimo, quadragesimo septimo. Ipso die* Gregorii *Papae, nostro subsigillo praesentibus appenso.*

Iisdemque hospitum pedes lavantibus indulgentias concedit.

Ac qualibus quidem pietatis exercitiis per hæc sterilia virtutum tempora operam dederint Richenbergenses, vel inde liquet, quod se ad primitivæ ecclesiæ instituta formare omni ope annisi sint: ad quem scopum ipsius etiam Gerhardi Magni, Windesemensium auctoris, instituta initio collimarunt. Hinc id quoque sibi imperarunt, ut adventantes ad se hospites & peregrinos non solum humane ac perofficiose exciperent, verum etiam pedes eorum, Christi exemplo, non dubitarent. Ad quod pietatis exercitium ut eo alacriores redderentur, Magnus Hildesiensis Episcopus omnibus e Richenbergensi familia, qui adventantium pedes laverint, aut subsidiariam in eo præstiterint operam, XL. dierum indulgentias, more seculi, concessit. Id quod hæ testantur literæ:

MAGNUS Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Hildenesheimensis dilectis nobis in Christo *Priori & Conventui Monasterii Beatæ Mariæ Virginis in Richenberge, prope Goslar*, Ordinis Canonicorum Regularium nostræ Diœcesis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Attento vestræ devotionis affectu, quo apud pervenerabilem virum Dominum *Joannem de Dabeke* Canonicum Ecclesiæ nostræ prædictæ, legum professorem, multipliciter fueritis commendati, præcipue in susceptæ religionis ac modernæ reformationis incremento & profectu, vos in hoc, quantum in nobis fuerit & omnes in Christo militantes animare & in divini cultus augmento favorabiliter volentes confortare, ac Dno populum acceptabilem & fideles Christi ad sibi complacendum quasi quibusdam allectivis reddere, cupientes, ad vos in exemplo Christi, qui discipulorum suorum pedes lavit, ad simile faciendum promptiores fore desiderantes, vobis & cuilibet vestrum vere pœnitenti, confesso, & contrito qui intus fuerit, quomodo, quotiens & quando vobis cum extranei, sive peregrini pernoctaverint & vos juxta formam statutorum vestrorum ipsis pedes laveritis, vel qui ad id quomodolibet manum porrexerit adjutricem, videlicet aquam referendo, ignem pro ejusdem calefactione componendo, pelvim vel mappam portando, aut quovis alio modo se ad hujusmodi, actum exhibuerit de omnipotentis Dei misericordia Beatorum *Petri* & *Pauli* Aplorum ejus auctoritate confisi de injunctis vobis pœnitentiis quadraginta dies indulgentiarum misericorditer in Domino relaxamus. Datum Anno Domini M. CCCC. XLVIII, Dnica *Quasimodogeniti*, nostro sigillo præsentibus appenso.

Arnoldus ab Echte Procurator Richenb. Sultensis Præpositus creator. *Lezn. lib. 2. Chron. Hild. MSC. cap. 18.*

Nihil itaque per hæc tempora hoc monasterio illustrius, ex quo sibi sacræ hujus ordinis familiæ certatim Prælatos petebant, continentissima, quæ in hoc monasterio viguit, disciplina permoti. Procuratoris munere Richenbergæ fungebatur *Arnoldus ab Echte*, domo Gandershelmensis, vir, qui summo rei familiaris studio parem pietatem conjunxerat. Quamobrem Sultenses eum anno M CCCCXLVIII. Præpositum sibi postularunt, ac vix multis precibus obtinuerunt. Equidem non integrum biennium novam spartam ornavit, anno quippe M.CCC L. immatura morte abreptus, tam laudabilem tamen nominis sui memoriam Sultæ reliquit, ut in vetustis hujus monasterii annalibus *Vir multum religiosus & zelator disciplinæ* audiat.

Jubileo famosus. *Spangenb c. 330. Chron. Sax. f. 552.*

luctuosum signant annales. Goslariam quoque nostram eodem sidere fuisse afflatam, facile nobis fidem fecerit Spangenbergius, qui adeo communem omnibus hanc calamitatem fuisse refert, ut hominibus migrando moriendi necessitatem evitare non fuerit integrum. Mitigandæ Numinis indignationi Nicolaus Pontifex, qui ante triennium in Eugenii locum successerat, jubileum Romæ indixit, ad quem tantus undique hominum factus est concursus, ut urbs amplissimam adventantium multitudinem vix caperet, pluresque in pontium & compitorum transitu vitæ adirent periculum. Nec fæx tantum hominum de vita sollicita Romam confluxit, verum etiam plurimi viri principes, adeo, ut parem Romæ multitudinem hominum non posset humana memoria recordari.

Anni Christi 1450. 1451.
Friderici IV. Cæs. II. 12.
Ab. V. C. 527. 528.

Annus peste & fraternitas monastica.

ANnum ingredimur seculi hujus quinquagesimum, quem peste sævissima

Qui remanserunt domi, eadem pietate iratum numen precibus, jejuniis aliisque exercitiis, quæ seculi genius subministrabat, propitiare certatim nitebantur, ac ne solum suis meritis viderentur niti, alio-

aliorum sibi opera veluti in suorum supplementum petebant. Quo religionis sensu tacti hoc anno Heinricus Abbas monasterii Novalis S. Mariæ & Johannes Richenbergensis Prior, mutuam precum & bonorum Operum societatem iniverunt, hoc diplomate stabilitum:

VEnerabili atque Religioso Patri Domino *Joanni* Priori Monasterii Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Richenberg cæterisque fratribus ejusdem monasterii in Christo dilectis, frater *Henricus* Abbas totusque Conventus Monasterii *Novalis S. Mariæ*, quod nunc vulgariter *Marienrode* dicitur Ordinis Cisterciensium Hildesiensis Diœcesis salutem in Domino, & per virtutem incrementa ac devotarum orationum suffragia vitam & gloriam consequi sempiternam. Cum jure divino lex mutuæ caritatis generaliter nos obliget omnibus & efficiat debitores, illis tamen, quorum erga nos & ordinem nostrum majorem caritatis devotionisque affectum certis indiciis experimur, nos merito reddit per amplius obligatos, hinc est, quod exigentibus piæ vestræ devotionis meritis, quam ad nos nostrumque ordinem geritis prælibatum, & præcipue ad domum nostram *Marienrode* de gratia speciali vobis concedimus plenam monasterii nostri & omnium spiritualium bonorum participationem in vita pariter & in morte videlicet missarum orationum, jejuniorum, vigiliarum, eleemosynarum, hospitalitatum, abstinentiarum, laborum & disciplinarum, ceterorumque exercitiorum spiritualium quæ per nos & successores nostros, Salvatoris nostri clementia in perpetuum dignabitur operari, addentes insuper de gratia speciali, quod cum obitus vester & cujuslibet vestrum, quem Deus felicem faciat & beatum nostris denunciatus fuerit, pro vobis faciemus ac fieri ordinabimus vigilias, orationes, & suffragia, ac alia beneficia spiritualia, sicut pro carissimis nostris consuevimus, *ut per viscera misericordiæ Dei nostri & multiplici suffragiorum præsidio & hic a malis protegi & in futuro mereamini in æterna tabernacula introduci.* Scriptum sub sigillis nostris anno Dni M. CCCC.L. *anno videlicet jubilæo*, Feria tertia infra octavam ascensionis Dni nostri *JEsu Christi.*

Rembertus de Dolnes decanus Ecclesiæ S. Simonis & Judæ.

Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Decanus tum præfuit Rembertus de Dolnes, *Judex & Sub-Conservator Dominorum Prioris & Conventus Monasterii in Richenberg*, cujus memoriam nobis suggerit instrumentum publicum, quo transactionem quandam inter Richenbergenses & Joannem Oliescleger Civem Goslariensem de domus cujusdam annuo proventu initam ratam habuit: *Acta sunt hæc Goslariæ in æstuario sæpe dicti Domini Decani Goslariensis Ecclesiæ ann.* M CCCC.L.III. *Id. Martii præsentibus discretis viris Henrico Wulfeshagen & Henning Enzen Vicariis in eadem ecclesia S.S. Symonis & Judæ Goslariæ antedictis testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.*

Nicolaus Cusanus Leg. Apostol. Goslariâ aliasque Saxoniæ civitates perlustrat. Æn. Sylv. lib. 1. de Concil. Basil. p. 4. Brouver. l. 19. ann. Trev. Thrithem de script. eccles. & viris Germ. illustr. Mallinckrot. de Cardin. German. p. 153. sq. Chron. M. Belg. ad h. ann. Bunting. part. 1. Chron. Brunsv. p. 280. Chron. Magd. ap Meibom. p. 361. Chron. Sax. Pomar. p. 504.

Præcipite jam anno accessit in has regiones Nicolaus de Cusa S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis, Nicolai Pontificis legatus, gente Germanus, cum amplissima potestate, homines indulgentiis ad sacra jubilei invitandi. Præsul insignis & literarum non minus scientia, quam vitæ integritate commendandus, dummodo unicum provehendæ Pontificiæ auctoritatis studium abfuisset. Lucem hanc Cusæ obscuro Treverensis diœceseos oppido, adspexit, patre nec opulento, nec illustri usus. Literarum tamen ac artium notitia tantum suos æquales cœpit antecellere; ut Latina, Græca & Hebræa loqueretur promtissime, dignusque videretur Confluentinorum Canonicorum collegio, quem in suorum numerum referrent. Mox Collegii ejusdem Decanus factus, adeo virtute & prudentia eluxit, ut Romam usque fama ejus penetraret, excitaretque desiderium, Transalpinum hominem civitate donandi. Missus enim a Treverensi Archiepiscopo ad Basileense Concilium, incredibili dicendi facultate Eugenii causam egit, oblatis non solum tribus de ecclesiæ concordia libris, verum multis etiam orationibus, politissimis in patrum consessu habitis, quibus tantam sibi omnium admirationem peperit, ut Æneas Sylvius miratus hominis facundiam: *Hercules*, inquit, *omnium Eugenianorum Nicolaus Cusanus existimatus est, homo & priscarum literarum eruditissimus & multarum rerum usu perdoctus, cujusque dolendum sit tam nobile ingenium ad illa schismatis studia divertisse, ut legatione ad Græcos vigore falsi decreti fungeretur. Hic omne studium suum omnemq; conatum in defensione Eugenii collocaverat, atq; ut est versuti & callidi consilii, nunc una, nunc alia impedimenta texebat.* Lustrabat hoc tractu temporum Germaniam Thomas Sarzanensis, Bononiensis Episcopus, ad abolendum schisma in Germaniam mis-

Onuphr. Panvin. de Cardin p. 515. Paral. Vrſp. p. 407. Meibom. Chron. Riddagsbuſ. p 376.

miſſus, qui cum Treverim quoque eadem de cauſa acceſſiſſet, delectus a Treverenſi Præſule Nicolaus Cuſanus, ut cum Sarzanenſi ea de re tractaret. Qua occaſione Nicolaus in tam arctam ejus amicitiam pervenit, ut ſequente ſtatim anno MCCCC XLVIII. ejus opera a Nicolao V. Pontifice Cardinalis crearetur, mox Brixinenſi etiam Epiſcopatu auctus, cui tamen non ſine gravi Sigismundi Auſtriaci indignatione præfuit. Hic ergo tam laudatæ doctrinæ præſul, theologus, & juris utriusque Doctor celeberrimus, ac excellens mathematicus, legatione per Germaniam juſſu Pontificis his annis functus eſt, relictis ubique zeli & prudentiæ ſuæ veſtigiis, quæ longum ſit ſpeciatim relegere, quamvis & ſœdo indulgentiarum mercatu patriam pecunia non parum exhauſerit. Peragratis igitur Superioris Germaniæ provinciis Treverim quoque divertit atq; inde Coloniam venit, habitaque provinciali Epiſcoporum Synodo multa ad disciplinam veterem inſtaurandam utiliſſima ſancivit. Inſequente dehinc anno ſub paſchatis feſtum Magdeburgum in Saxoniam deflexit, habitaque ad populum concione & clericis ad ſaniorem vivendi rationem incitatis, cum alia multa, tum hoc inprimis longe ſaluberrimum ſtatuit, ut Archiepiſcop famoſam illam peregrinationem Wilſvacenſem miraculoſi ſanguinis cauſa a ſuperſtitioſa plebe ſuſceptam, aboleret. Magdeburgo Halberſtadium, atque inde transito Helmſtadio, Guelpherbytum ab Henrico Duce invitatus acceſſit, filiaque Principis, quam eodem tempore conjux Henrici enixa fuerat, ſalubri baptiſmatis unda conſperſa, Ordinis S. Benedicti cœnobia, ab antiqua diſciplina dilapſa, ad priſtinæ ſeveritatis leges revocavit, reformatione Burſfeldenſi, Hujesburgenſi, & Cluſenſi Abbatibus demandata. Guelpherbyto cum Goslariam quoque digreſſum, auctor eſt Leznerus. Brevi tamen tempore hic commoratus Hildeſiam abiit, eademque prudentia, qua aliis in locis Cleri populiq; perditiſſimos mores emendare ſtuduit. Henrico quoque Abbati Mariærodano data poteſtate, confeſſiones hominum per diœceſin Hildeſienſem in hoc jubileo excipiendi. Quo labore Abbas una cum adjunctis ſibi ſacerdotibus a feſto adſcenſionis Mariæ, ad futuram purificationis feſtivitatem per totam dioeceſin, atque adeo Goslariæ quoque, non ſine fructu ſuo perfunctus eſt. Nec minori favore Richenbergenſe Monaſterium complexus non modo Magni Hildeſienſis Epiſcopi privilegium, quo ei ſeceſſionem in Windeſemenſe Capitulum permiſit, ratum habuit, verum etiam oblatis uberrimis indulgentiis homines ad præſtanda illi ſubſidia invitavit, id quod ex ſequenti Nicolai diplomate elucet:

Leznet. l. 2 Chron. Hildeſ. MSC. c. 47.

Richenbergenſibus benefacit.

NICOLAUS *miſeratione divina PP. S. Petri ad vincula ſacroſanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis Apoſtolicae ſedis per Alemañiã legatus*, Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam. Dum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cœlorum, Virgo Dei Genitrix glorioſa, ſedibus prælata ſidereis, quaſi ſtella matutina prærutilat, devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, dum etiam noſtræ mentis arcana revolvimus, quod ipſa utpote mater miſericordiæ & gratiæ pietatis amica, humani generis conſolatrix pro ſalute fidelium qui delictorum onere prægravantur, ſedula oratrix & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum quinimo debitum arbitramur, ut Eccleſias ad honorem ſui glorioſi nominis dedicatas gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus decoremus, Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Beatæ *Mariæ Virginis in Richenberga* Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Hildenesheimenſis diæceſis congruis honoribus frequentetur fidelesque ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, quo inibi dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ejus meritis & auctoritate confiſi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui in *Nativitatis, Circumciſionis Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis & corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti ac Pentecoſtes necnon Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, Aſſumtionisque Beatæ Mariæ Virginis & Nativitatis Beati Ioannis Baptiſtæ, dictorumque Petri & Pauli Apoſtolorum ac ipſius Eccleſiæ dedicationis & Patronæ feſtivitatibus celebritate quoque omnium ſanctorum* eandem Eccleſiam devote viſitaverint & divinis interfuerint ibidem, atque de bonis ſibi a Deo collatis, pro ejusdem Eccleſiæ ſtructura, ac ipſius ornamentorum augmento, & reparatione, manus porrexerint adjutrices *centum dies* de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuo duraturis. Datum in *Hildensheim* ſub noſtro ſigillo, Die Iunæ,

næ, decima nona menſis Julii Anno a Nativitate Domini M. CCCC. LI. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & Dñi noſtri Dñi *Nicolai* divina providentia Papæ Vti anno quinto.

E Saxonia noſtra Cardinalis in Weſtphaliam divertit, & Minda aliisque Epiſcoporum ſedibus luſtratis ad Belgas quoque acceſſit, Synodos convocavit, monaſteria atque inprimis Windeſemenſe illud ad Swollas viſitavit, plebem habitis e ſuggeſtu concionibus ad indulgentiarum nundinas inflammavit, ac legationis munere vertente anno ex voto Pontificis defunctus ſub inſequentis anni auſpicia Brixiam in Epiſcopatum ſuum diſceſſit. Unde errare patet Paralipomenorum Vrſpergenſis auctorem, qui Nicolaum non ulterius Hildeſia perveniſſe, atque inde concitum in Italiam revocatum putat.

Anni Chriſti 1452. 1453.

Friderici IV. Caeſ. 13. 14.

Ab. V. C. 529. 530.

EAdem quoque cura Nicolao Brixiam jam ſub hunc annum reverſo fuit. Nihil enim habuit antiquius, quam ea quæ morbida ac male affecta per Germaniam reliquerat, ſalubri remediorum genere perſanare. Cœperat jam ſuperiori anno, cum Guelpherbyti ageret, monaſteria per Ducatum Brunſvicenſem ad priſtinam diſciplinam formare, eamque in rem Abbates quosdam diſciplinæ diligentioris evocaverat; attamen hæc reformatio ad S. Benedicti tantam Monachos pertinuit, nec ad alios ordines extenſa eſt, qui non minus ac illi a priſco viven- di inſtituto deſciverant. In hoc numero tum erant monaſteria Schœningenſe S. Laurentii, & Stederburgenſe, Ordinis utrumque S Auguſtini, alterum Canonicorum Regularium, alterum Canoniſſarum hoſpitium, in quibus nihil ferme priſtinæ pietatis erat reliquum. Quamobrem Nicolaus Cuſſanus miſſo ad Priorem Richenbergenſem diplomate id ei dedit negotii, ut utrumque monaſterium viſitaret, atque ad Windeſemenſis Capituli inſtituta Henrici Ducis Brunſvicenſis auxilio reformaret.

Prior Richenbergenſ. Monaſteria Schœningen- ſe & Stederburgen- ſe ad Winde ſemenſi- um inſtituta re- format.

ICOLAUS *miſeratione divina* tt. *S. Petri ad vincula ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsbyter Cardinalis per Alamanniam & nonnulla alia regna ac provincias Apoſtolicæ ſedis legatus*, dilecto nobis in Chriſto Priori *Monaſterii B. Mariæ Virginis in Richenberge* S. Auguſtini Canonicorum Regularium prope Goslariam Hildeſienſis diæceſis ſalutem in Domino, Hoc a ſede Apoſtolica ſpecialiter injunctum habemus, ut per ſingula commiſſæ nobis legationis loca, eam ſollicitudinem quantum deſuper conceditur, adhibeamus, quod ſacra religio in ſanctis obſervantiis reviviſcat, & ſi qua exorta reperitur difformitas, a religione devia, illa viſitatione debita amoveatur. Hinc eſt, quod nos circumſpectioni *Tuae de cujus fidei integritate, & optimo zelo ad Dei cultum & religionis obſervantiam plurimum in Domino ſperamus*, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, per hæc ſcripta committimus & mandamus ut quatenus, cum ad hoc per illuſtriſſimum Principem Dñum Henricum Brunſvicenſem & Luneburgenſem Ducem requiſitus fueris, Monaſterium in *Schoninge* dicti Ordinis Halberſtadienſis diæceſis, necnon monaſterium Sanctimonialium in *Stederborg* ejusdem ordinis in Dominio præfati Dñi Ducis ſita, in quibus, uti dolenter percepimus, Regularis non viget obſervantia, tam in capitibus, quam in ſingulis eorum membris, usque ad ultimam perſonam deſcendendo, diligenter & ſollicite dicta autoritate viſites, & quæ inibi a Regula & ſtatutis ordinis prædicti & Capituli de *Windesheim* devia inveneris emendari procures & tam ſuperiores, Rectores ſive Rectrices, quam cæteras religioſas perſonas monaſterium hujusmodi ad regularis vitæ obſervantiam juxta ordinationes & ſtatuta præfati capituli de *Windesheim* incipiendam & fideliter continuandam, etiam per cenſuras eccleſiaſticas, & ſi opus fuerit cum auxilio brachii ſecularis compellas. Et ut hoc commodius facere poſſis, tibi harum literarum noſtrarum tenore, auctoritate præfata, facultatem concedimus, regulares perſonas, quæ regularis vitæ obſervantiam ſubire noluerint, de monaſteriis præfatis amovendi, & eorum loco ſub regulari obſervantia vivere cupientes recipiendi, & ibidem inſtituendi, ac omnia alia faciendi & agendi, quæcunque reformationi hujusmodi neceſſaria fuerint

erint seu etiam oportuna, non obstante si forsan jam alicui alteri dictorum monasteriorum visitatio, etiam ratione ordinarii, commissa fuerit, dictorumque monasteriorum & ordinis statutis & consuetudinibus in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;. Datum in civitate nostra *Brixiensi*, sub nostro sigillo die decima quinta mensis Aprilis Anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini *Nicolai*, divina providentia Papæ Vti anno sexto.

Magno Hildes. Ep. succedit Bernhardus. *Cranz. lib. 11. metr. c. 45 p. 316. & lib. 11. Sax. c. 37. p. 309. Bunting. part. 2. Chron. Brunsv. p. 432. Chronic. Episc. Hildes. MSC. c. 143. Rentel. Chron. Hildes. p. 105. Brusch. c. 11. de Episc. Germ. n. 41. p. 1058.*

Quo major autem horum monasteriorum tum fuit felicitas, eo uberiori luctu tunc Hildesiensis diœcesis ereptum sibi Episcopum flevit. Amisit enim eodem anno. V. Id. Octobris Magnum Episcopum, & rerum gestarum gloria & disciplinæ severioris studio nulli secundum, quippe qui omnia dœcesios suæ monasteria coram visitavit, magnaque cura ad antiquæ pietatis observantiam traduxit. Senio jam fatiscenti & cœlestia potius, quam mundana meditanti Capitulam Hildesiense anno M. CCCC. L. Coadjutorem dederat Bernhardum Ducem Brunsvico Luneburgensem Friderici Filium, juvenem ultra ætatem prudentem, militi tamen, quam Episcopo similiorem, Episcopatum ante Magni obitum haud adiit, unde miramur, Schatenium in belli Susatensis historia Bernhardum hunc Theodorici Archiepiscopi socium non alio plerumque, quam Episcopi Hildesiensis nomine appellare. Cum Guilielmo Seniore Henrico Pacifico, Guilielmo Juniore, Friderico, Henrico, Ernesto & Alberto Ducibus Brunsvico Luneburgensibus arctam excoluit amicitiam pacto etiam in triennium inito firmatam, quam tamen anno M.CCCC.XLVIII. cum Guilielmo Seniore rupit, cum ille proventus Canonicorum S. Blasii Brunsvicensium e Salinis Luneburgensibus a Luneburgensibus aliquoties interceptos Pontificis jussu repeteret. Grave inde bellum exarsit multis civitatibus vicisque exitiale, quod demum Bernhardus justo prælio sopivit. Victoriam enim, quæ penes Bernhardum stetit, pax arbitrorum interventu secuta est, & Hildesiensis Ecclesia ejus opera ab ære alieno aliquantulum respiravit, ad summam reditura felicitatem, nisi Episcopus sequente anno M. CCCC. LIX. ad uxorem ducendam præter spem omnium animum appulisset.

Inter hæc ecclesiæ SS. Simonis & Judæ apud nos præfuit Decanus Johannes cujus literas anno M.CCCCLIII. consignatas Ecclesiæ Richenbergensis asservat. Ecujus tabulariis etiam, Theodorici de Monte Canonici Hildesiensis & Goslariensis Archidiaconi memoriam hausimus. Is enim hoc ipso anno Richenbergensibus jura Synodalia ecclesiæ Handorpiensis, de quibus controversia inter monasterium hoc, & Archidiaconos nostrates intercesserat, penitus remisit, conscripto hanc in rem diplomate, *Dato Hildesii sub anno a Nativitate Dni M.CCCCLIII. Ipso die Sancti Johannis Baptistæ.* Johannes Decanus SS. Sim. & Judæ. Theodoricus de Monte Archidiac. Gosl.

Florebant quoque per hæc tempora Confraternitates in urbe nostra sacræ, magno utriusque sexus hominum affluxu, & vicinorum quoque sodalitio celebratæ, mul- Nicolai tisque Pontificum & Cardinalium indul- & B. Magentiis firmatæ. Inter has eminebant riæ Virg. præcipue illæ, quæ B. Mariæ Virginis & *Ex lit. SS.* S. Nicolai honori institutæ sunt. Con- *Sim. & J.* fraternitati S. Nicolai *in Ecclesia SS. Simonis* *Richuh.* *& Judæ erecta & cum divinis officiis laudabiliter observari solita*, ecclesiæ hujus misera facies potissimum originem dedit, ad quam instaurandam utriusq; sexus homines inita cõfraternitate certatim symbolas conferebant laudabili sane consilio, si fœdus indulgentiarum mercatus, & inanis de Operum merito concepta opinio abfuisset. At confraternitas S. Mariæ quam originem habuerit, aut cuinam ecclesiæ annexa fuerit, nondum licuit expiscari. Splendida men fuit & frequentissima singularibus etiã ministris usa, quippe quæ non modo senatũ nostrum supremum Advocatum, sed alios quoque tutores & proprium Capellanum habuit, nec ærario suo peculiari caruit. Id quod ex hisce literis dilucidius constabit, quibus hæc confraternitas oppignorata quædam Richenbergensis monasterii bona oblata pecunia legitime redemta testatur:

Wy de Rad der Stad Goslar alse de Overste Vormunder unser Leven Fruwen Bröyderschupp binnen unser Stadt Goslar. Herr Henning van Mander to düsser tyd *Capellan* der Broyderschupp unde wy *Johann* Wydenheym *Conradus* Hillen/ Heinrick Detmers unde Tile Kerckhoff gekorne Vormunder derselben Broyderschupp bekennen openbar in düssen Breve vor als weme/ dat wy vor den werdigen Geistlicken Heren dem Priore unde der gantzen Sammunge des Closters tõ den Richenberge vor Goslar gelegen upgenommen unde an vielen Gelde tor nolge entfangen hebben de vorgeschriebene Heren von Richenberge von uns Capellane unde Vormunder vorgenant wedder in ören were geleset ichtes welche Breve/ Ovidere/ Hüser/ mit ören tobehöringen/ de öre Vorfahren

ren vſere Vorfahrigen ſeliger vor vief unde drittig marck lödiges ſülvers verpandet/ und geſtatt hebben/ nemelcken einen bref over drey hove Landes belegen üp deme Felde to Jernſtidde/ und over den halven fertings lödiges ſülvers binnen Goſlar / an tween Boyden belegen/ vp den ſteinkramen/alſe ere halve Marck Geldes an einer Boyden/ dar nu inne want **Hans Ernſtes**/ de Schrader/ unde eine halve Marck Geldes an der andern Boydē/ da nu iñe want **Ilſetten Wemeken Kort** Schligers nachgelatene Weddeweh unde den driddein halver fertings Geldes an den Kellre up den Marcke/ unter **Hennen** Egelinges Huſe/ den in vortyden de Cramere von öhren Gildeshuſe gehabt haben/ unde derſülve dritte halve ferting iſt eck in vortyden von den Capellane unde Vormunde afgelöſet/ aver ſe hatten ſeck behalten den dritten Deel/ was ſodane Huſe unde halve alle jahrlickes renten mackte/ und ock enen brev over negede halven fartingh Geldes / de we meinden to hebbende an dem Gude to **Bredenem** dat de errgenanten Herrn van Richenberge in vortyden ock afgelöſet hatten/ unde wy obgenante Rad/ Capellan und Vormunden hebben de genante hundert güldene und tein güldene van ehrgeſchrevenen Herrn van Richenberge vor ſodane verſchrevene Geldere/ Hoife/ Hüſere unde Kelre na inholde des vorgeſchrevenen Breves unde ock andere vorſegelde Breve/ dadurch de ſülven Göddere verſcreven geändert unde geloſet waren / wedder tor ſtund mit den rechten Hövet Breve overgeantwortet/ des ſe uns ock wedderum ein revers all gegeven hebben / und hebben öne darupp aller toſpräcke von verſetzenen truze edder ock anderer Toſage wo de van der Breve unde Quidere wegen hergekommen mechten ſyn/ gantz deger Rede Machtloß geſegt. Unde funden wy ock enige Breve forder/ de an de ergenanten Quidere und Sacke drepende weren/ de ſchallen gegen de van Richenberge neine Macht mehr hebben/ unde des to bekäntniſſe ſo hebben wy obgenante Capellan unde gekorne Vormünder unſer leven fruwen Bröderſchupp binnen Goßlar de Erſamen uſe Herrn den Rad to Goßlar gebeten/ örer ſtadt ſecret an deſen Brev to hangende/ wenne wy van Vormünderſchupp weghen nein egen Ingeſeegel heben. Unde wy der Rad der ſtadt to Goßlar bekennen in düſſen ſülven Breve/ dat wy umme bede willen der genanten Capellan unde Vormunden unſer Stadt ſecret willicken hebben an düſſen Breve gehanget/ na Chriſti geberd verteinhundert Jahr/ darna in deme tweyn unde vefftigſten Jahre an freydage na ſünte *Simon* unde *Judae* der hilligen Apoſteln.

Myc. hiſt. MSC. ap. Seckend. l. 1. hiſt. Luther. Sect. 2. n. 2 addit. 1. p. 4.

Plura de S. Nicolai confraternitate ad annos inſequentes data occaſione monebimus, deſcriptionem ſolum ejusmodi confraternitatum hic addituri, quam in hiſtoria MSC. adfert Myconius a Seckendorffio allegatus: *Fraternitatum infinitus pene numerus erat hominum in factiones coeuntium & leges conſcribentium. Hi ſuos habebant ſacerdotes, altaria, edes, cereos, ſuffitoria, ferias quibus congregabantur ad miſſas & oblationes, ſacerdotibus faciendas. Accedebant redituum fundationes. Iſtis quoque ſalus procurabatur.*

Anni Chriſti 1457. 1458. 1459.
Friderici IV. Cæſ. 18. 19. 20.
Ab. V. C. 354. 355. 356.

Fraternitas Monaſtica.

NEc minus Monachi ac Religioſi fraternitates jungere, bonorum operum ac meritorum communionem ſtatuere, atque adeo in ſacram, ut eorum ferebat opinio coire ſocietatem ſolebant. Richenbergenſi Monaſterio fraternitatem Conventus ſui nomine hoc anno obtulit Frater Gerhardus Abbas Monaſterii intemeratæ Dei Genitricis Mariæ in Victoria Archiducatus Karinthiæ, Ordinis Ciſtercienſium Salzburgenſis Diœceſis hiſce ea de re tabulis ſignatis:

VEnerabili in Chriſto Fratri ac Domino Domino Priori totique Conventui Monaſterii in Richenberg Canonicorum Regularium Hildenesheimenſis diaeceſis frater Gerardus *Abbas Monaſterii intemeratæ Dei Genitricis Mariae in Victoria Archiducatus* Karinthiæ *ordinis Ciſterticenſium* Salzburgenſis diæceſis *Salutem in Domino ſempiternam cum orationis. Devotis veſtris precibus per omnia, ut decet, devotione ac ſancto deſiderio inclinati, in quantum in nobis eſt Spiritus ſancti numine & gratia, omnium bonorum operum, quæ Dei adjutorio in Miſſis celebrandis, in jejuniis eleemoſynarum largitionibus, in diſciplinis ſumendis, aliisque piis & devotis exercitiis, quæ in noſtro monaſterio fiunt, volumus & facimus vos participes Fra-*

ternitatem inter professos Monasterii vestri & professos Monasterii nostri nos vobis & vos nobis in Dei nomine concedimus alter alteri in his scriptis perpetuo participio largiendo. Datum in Monasterio praefato Victorienſi, *sub sigillo nostro Abbatiali, praesentibus appenso. Anno Dni. M. CCCC. LVII. Mensis Octobris, die Xma.*

Querelæ Germ. de Pontificis exactionibus. *Naucler. gener. 43. p. 965. Freher. tom. 2. rer. germ. p. 381. Æn. Sylv. Germ. & Epist. 338, 936.*

Sequntur tempora reipublicæ turbulentissima, quibus novis subinde & intestinis dissidiis principes inter se confligere cœperunt. Quo factum est, ut Turcæ via sibi in Europam facta captoque ex occasione consilio, totum Orientis imperium acerbo Græcorum dolore sub jugum mitterent, Bulgaros ceterasque gentes ad Ungariam usque servitute opprimerent, residuis vero Asiæ provinciis sola adventus sui fama memoriaque Constantinopolitani excidii tantum injicerent metum, ut pro solatio haberent, voluntaria dedition prius salutem paciſci, quam armorum fulgore perstringerentur: Sed & Pontifici Romano tunc in turbido erat consilium, quippe qui dimissis per Germaniam indulgentiarum propolis infinitam argenti multitudinem communi patriæ extorsit, Episcopatus insuper habitis canonicis electionibus vendidit, denique a novis Episcopis annatas, hoc est, dimidium annui census importunius expoſcit, interserens causam ære sibi opus esse ad fran. cædas Turcarum vires, cum tamen omnia in Pontificis fiscum & Italorum usus interverterentur. Ægre id tulere Dietericus Moguntinus, Joannes Treverensis, & Theodoricus Colonienſis Archiepiscopi, ceterique Electores, Germaniam pecunia exhauriri clamantes, exactionibus, Annatis & indulgentiarum quæstui nec modum, nec finem statui, solum Archiepiscopatum Moguntinensem intra unius hominis ætatem centum & septuaginta quinque florenorum millia Romam pro Annatis misisse, conciliorum Constantiensis & Basilieensis decreta a Romano Pontifice, quandocunque liberet, infringi, eo demum rem redituram ut Pontifex Germania veluti suburbana quadam provincia utatur, siquidem in præsenti Germanorum opes magis in Italorum palatia quam in reipublicæ emolumentum convertantur. Mira animorum commotione res agebatur, neque multum abesse videbatur, a separatione, deerantque qui contra Papatum ducerent, non qui sequerentur. Sed Dominatum Papalem, Calisti III, & Æneæ Sylvii firmavit versutia, qui editis quamplurimis scriptis, majori cura, quam veritate objecta crimina diluebant, magnoque apparatu persuadere Germanis nitebantur, tantas impensas a Pontifice in Turcicum bellum erogatas, ut nec Germanorum subsidia, nec ærarium Apostolicæ sedis ferendis sumtibus sufficerit. Notanda tamen videntur hæc reformationis præludia: quod ex illis ad oculum patet, quantopere sub Pontificum tyrannide gemuerit Ecclesia, quantisque oneribus Germania compulsa sit excutere probrosam servitutem, seque in pristinam libertatem Lutheri opera vindicare.

Protectorium Richenbergensi Ecclesiæ concessum

Inter Hæc Richenbergense monasterium pietatis ac religionis exercitiis florentissimum, nihil egit sollicitius, quam ut bona temporum injuriis deperdita e raptorum manibus vindicaret. Nullum erat ei præsidium validius, quam in Friderici Cæsaris auctoritate. Hinc re ad illum delata, obtinuit diploma, quo Magdeburgensi Archiepiscopo, nec non Episcopis Hildesiensi & Mindensi Ducibus Brunsvicensibus & Nobilibus de Asseburg & Cramme id datur negotii, ut Priorem & Conventum S. Mariæ in Richenberg ab omnibus impiorum hominum injuriis bona fide defendant:

FRidericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus, ac Austrie, Stirie, Karinthie & Carniole Dux, Dominus Marchie silavonice ac Portusnaonis, comes in habsburg, Tirolis, pherretis & in Kyburg, Marchio burgauie & Landgravius Alsacie, Notum facimus tenore presencium Vniuersis. Alma mater ecclia suanguine Xpi viuifica, ut fides ñra lapsu deperditos ad vitam singulosque ad superna vocaret statuas immobiles supra petram duram diuersarum regularum & variorum ordinum uti militantis ecclie postes rite locavit, quas quidem statuas, in fidei puritate, manutenere in essencia spirituali, gubernare, & in charitate dei magnificare, piam credimus & speramus fabricam, pro futuri seculi respiramine continuasse. Sane pro parte Honorabilium deuotorum nrorum dilectorum Prioris & Conuentus Monasterii beate marie virginis in Righenberg ordinis regularium bti augustani hildesemen dioc ñre majestati oblata peticio continebat, quatinus ipsos subjectosque ac bona & loca ipsorum quecunque nonnullis eorundem oportunitatibus hoc exigentibus,, sub ñre im-

imperialis protectionis & defenſionis ac ſalveguardie umbram recipere Ipſisque omnia & ſingula ipſorum priuilegia, lrās, libertates, gracias, jura, conceſſiones, donacões, & indulta, que & quas cõmuniter uel diuiſim a recolende memorie Divis Romanorum Imperatoribus & regibus anteceſſoribus nris, ab aliis Principibus, aut perſonis quibuscumque ſuper quibuslibet rebus & juribus obtinuiſſe noſcuntur, nec non omnia & ſingula eorum bona, judicia & univerſas eorum jurisdictiones & conſuetudines honoresque ſingulos eorundem, nec non quicquid hactenus obtinuerunt & obtinent de pnti, auctoritate Romana Imperatoria, approbare, ratificare, innovare, de novo concedere, auctoriſare & confirmare graciose dignaremur. Nos itaque conſiderantes, quod dú ſpiritualium & religioſarum perſonarum neceſſitatibus occurritur theſaurus inmarceſſibilis eterne vite premia & future glorie alimenta ingremio reconduntur, divine claritatis. Idcirco animo deliberato non per errorem, aut improvide ſed ſano & maturo prehabito conſilio, & de certa nra ſcientia Priorem & conuentum prefatos & ipſorum ſubjectos & familiares ac bona & loca in nrá & imperii ſacri protectionem defenſionem & ſalvamguardiam recepimus, & recipimus per pñtes uolentes, ut ipſi eorumque ſucceſſores omnibus libertatibus emunitatibus & graciis uti debeant & potiri, quibus ceteri nrá protectione imperiali ſuffulti vtuntur vel pociuntur, quomodo libet conſuetudine uel de jure. Inſuper ut præſati Prior & Conventus, ipſorumque ſubjecti & familiares, eo deuocius in quiete, ſinceritate altiſſimo ualeant famulari, ipſis & eorum ſucceſſoribus omnia & ſingula priuilegia, lrās, libertates, grās, emunitates, jura, conceſſiones, donaciones & indulta que ſeu quas cõmuniter uel diuiſim a divis Romanorum Imperatoribus ſeu Regibus predeceſſoribus ñris, etiam a ſummis Pontificibus ſaltem in temporalibus, aut ab aliis principibus & perſonis cujuscumq; ſtatus gradus uel preeminentie exiſtunt rite obtinuerunt, in omnibus ſuis articulis, continentiis, tenoribus, ſententiis, punctis & clauſulis, de verbo ad uerbum prout ſcripta ſeu ſcripte ſunt, ac ſi tenores omnium pñtibus ſpecifice forent inſerti, & etiamſi de hiis jure, aut conſuetudine deberet fieri mencio ſpecialis, nec non alia eorum bona, judicia alta & baſſa, jura quecumque, alias jurisdictiones & laudabiles conſuetudines, ac etiam uſus & honores eorundem & quicquid in pñti poſſident, approbamus ratificamus, innouamus de novo concedimus & auctoritate Romana Imperatoria de plenitudine ceſaree ptatis ſicut digne poſſumus nris & Imperii ſacri & aliorum juribus ſaluis, auctoriſamus. Quapropter Venerabilibus - - Magdeburgeñ Archiepc, Hildeſemeñ & Mindeñ eccliarum Epis, necnon illuſtribus Saxonie Brunswiceñ & Luneburgẽn ducibus, ac etiam de Aſſenburg, & de Cramme nobilibus pñtibus & futuris coñittimus, & mandamus, quatinus prefatos Priorem & conventum ipſorumque ſucceſſores ſubjectos & familiares ac cetera bona & loca eorundem ad gloriam omnipotentis Dei, noſtrique & imperii ſacri laudem contra quoscumque manuteneant fideliter, & defendant, ipſos & eorum ſucceſſores in præfatis ipſorum privilegiis, locis & juribus effectualiter conſeruent quibuscumq; nec rurſum ipſos quecumque perſona, cujuscumque condicionis, honoris, dignitatis aut gradus ſpualis vel ſecularis exiſtat, in ſupra ſcriptis noſtris ſaluaguardia ac privilegiis & literis ipſorum moleſtare vel inquietare preſumat. Si quis autem hoc attemptare preſumſerit, indignacoem nram & Imperii ſacri graviſſimam, ac penas in ſupratactis privilegiis contentas, necnon ſexaginta marcarum puri auri, quas ab eo, qui contrauenire preſumpſerit, totiens, quotiens contrafactum fuerit, irremiſſibiliter exigi & earum medietatem Imperialis ſive Regalis camere fisco, reſiduam vero partem injuriam paſſorum uſibus applicari decernimus & volumus, eo ipſo ſe nouerit incurſurum. Pntium ſub nri Imperialis Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum, Datum in opido nro Bekenmarckt die viceſima quarta Menſis, octobris Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Regni nri decimo octavo, Imperii uero ſexto.

Ad mandatum ppum Dni Imperatoris
Ulricus Welitzli Vicecanceil.

Ejusdem exempli literis Goslarienſi quoque civitati ſerio demandavit, ne quenquam de ſuis hujus Monaſterii bona intervertere patiantur: Gegeben zu Volckmarckt am Montag Sanct Marien Tag/ nach Chriſti Gebuhrt virzehn hundert in dem ſieben und fuuffzigſten/ unſers Reichs im achtzehenden/ und des Keyſerthums im ſechſten Jahr.

Bernhardus Hildes. Epiſc. ducta ſponſa Epiſcopatum Erneſto Schawenb. reſignat. *Chron. Mind. ap. Meib. p. 571. Spangenb. Chron. Schawenb. l. 5. c. 27. p. 241 Rentel. p. 106. Bunting. part. 2. Chron. Brunſv. p. 434. Lezn. l. 2. Chron. Daſſel. c. 14. p. 29. Bruſch. c. 11. n. 42. p. 1059.*

At Hildeſienſis Epiſcopus Bernhardus ſequenti ſtatim anno longe gravioribus diſſidiis cum Guilielmo Seniore Duce Brunſvico Luneburgenſi immiſtus armorum quoque experiri fortunam ſtatuit, qua etiam tam indulgente uſus eſt, ut cæſis Guilielmi copiis victor domum rediret. Hunc triumphum mira ſecuta eſt Bernhardi mutatio. Cum enim arduum ei videretur hæreditarias provincias tantumque Epiſcopatum ſimul cum laude adminiſtrare, ſecularique potius vitæ, quam eccleſiaſticæ natum ſe crederet, poſito Hildeſienſi ſacerdotio, pactus ſibi certos proventus anno M. CCCC. LIX. ad gubernandam patriam diſceſſit, Epiſcopatumque tranſtulit in Erneſtum Schawenburgenſem Comitem, cujus ſororem Mathildam elegantiſſimam puellam duxit in matrimonium. Paruit itaque ex eo tempore Hildeſienſis Eccleſia Erneſto Schawenburgenſi, Principi a literarum ſcientia parum inſtructo, venationumque quam eccleſiæ ſuæ ſtudioſiori, bellis infelici, nec in toga ullius ferme præclari facinoris auctori, niſi quod Cœnobium S. Godehardi, temporum vitio ruinas minatum in integrum reſtituiſſe fertur.

Annus Chriſti 1461.
Friderici IV. Caeſ. 22.
Ab. V. C. 538.

Goslarienſes cum aliis Eimbeccenſibus ſubveniunt. *Cranz. l. b. 12. Sax. cap. 1 p. 310. lib. 31. metr. c. 40. p. 318. Spangenb. c. 334. Chr. Sax. p. 561. ſq. Leznerl. 6. Chr. Daſſel. part. 2. c. 13 fol. 111.*

MIra adhuc Saxoniæ tranquillitas, Goslariæque inprimis tam diuturna ab armis quies fuerat, ut Martis furor in ſuperiorem Germaniam commigraſſe videretur. Hanc tamen publicam pacem hoc ipſo anno interturbavit Ludovicus Haſſiæ Landgravius bello Eimbeccenſi, quod non modo Goslariam noſtram, ſed & ceteras hujus viciniæ civitates ad ferendas ſuppetias excivit. Cauſa belli, quam tacent auctores non alia videtur fuiſſe, quam inveteratum odium, quod Landgravius erga hanc urbem e bello Grubenhagenſi anno M. CCCC. XLIX. geſto conceperat. Cum enim Eimbecca Haſſis & ſociis civitatibus certum pendere tributum promiſiſſet, Henricus Dux Brunſvicenſis, hoſtibus ab arce Grubenhagenſi feliciter rejectis ſerio interdixit Eimbeccenſibus, ne quid Haſſis darent. Quam rem tam ægre tulit Landgravius, ut in Salzam arcem arma converteret, ratus, ſe expugnata illa, Eimbeccenſes facile oppreſſurum. Sed hoc tanto metu ſollicitam urbem prudentia dicam an aſtutia ſua liberavit Eliſabetha Gandersheimenſis, quæ tum Salzæ ob peſtem profuga deliteſcebat. Hæc enim explicato ex arcis pinnaculis induſio muliebri, Landgravio exprobravit inertiam, qua cum imbelli fæminarum agmine bella gerere non dubitaret. Qua contumelia commotus irarumque plenus obſidionem ſolvit, miſſionemque copiis ſuis conceſſit. Quamvis igitur Eimbeccenſes gravi tunc periculo ſe liberatos gauderent, hoc ipſo tamen anno nova tempeſtas erupit. Landgravius enim revocata antiqua odiorum cauſa urbem inſtructiſſimo equitatu adortus, inſidiis intercipere tentavit, circumjacentem ſimul agrum undiquaque depopulatus. Nec ſegniores cives facta eruptione caſtra loco tam oportuno ad foſſatum civitatis oppoſuere, ut Landgravius ea laceſſere aut aperto Marte aggredi non auderet. Interjecto tamen tempore Eimbeccenſes impatientes e caſtris his in patentem agrum ſe contulere, tanquam juſto prælio cum hoſte confligturi: Quo viſo Otto Comes Waldeccenſis, quem penes ſumma belli erat, cum copiis ſe objecit, civesque feroces tanto impetu fudit fugavitque, ut multis cæſis, pluribusque captis, ceteri indecora fuga ſe ſubducerent in urbem. Quos ſecutus Waldeccenſis prope abfuit, quin cum eodem agmine urbem intraret. Actum erat de civitate, niſi periclitanti ſuppetias miſiſſent Henricus & Albertus Duces Brunſvicenſes nec non ſociæ urbes Goslaria, Brunſvicum, Gottinga & Northemium, quarum cognito adventu Landgravius præcipiti itinere ſe in Haſſiam ſubduxit.

Pius II. PP. Eccleſiæ SS Simon. & Judæ ob multas reliquias concedit jus excipiendi confeſſiones.

Inter hæc Eccleſiæ Romanæ præfuit Pius II. Æneæ Sylvii antea nomine clarus, vir tam multiplici ſcientia & rerum uſu inſignis, ut nihil ſit ejus ſcriptis, quæ ante Pontificatum publicavit, nitidius aut integrius. Nova tamen dignitate anno M. CCCC. LVIII. auctus ſe ipſum deſerere ac ſui paulatim quam diſſimillimus eſſe cœpit damnatis, quæ antea probaverat, eccleſiæque reformatione multis artibus impedita. Idque præſtabat eo facilius, quo penitius Germanorum animos totiusque reipublicæ faciem adhuc in Friderici Cæſaris aula verſatus exploraverat. Experta tamen eſt eccleſia SS. Simonis & Judæ ejus beneficentiam. Extat enim ex hoc anno illius diploma, quo Capitulo huic ob multas reliquias in hac eccleſia aſſervatas, aliasque prærogativas facultatem concedit conſtituendi presbyterum, qui affluentis populi confeſſiones rite excipiat eúque a reatu abſolvat, niſi forte talia occurrerent peccata, de quibus ad ſedem apoſtolicam referri oportet.

PIVS Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo ecclesiæ ſanctorũ Symonis & Judæ Opidi Goslarieñ. Hildeſemeñ. Diõc. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Injunctum nobis deſuper apoſtolatus officium nos excitat & inducit ut petitiones veſtras, præſertim, quæ Chriſti fideliũ animarum ſalutem reſpiciunt quantũ cum Deo poſſumus ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod *eccleſia veſtra ſanctorum Symonis & Judæ Opidi Goslarieñ. Hildeſemeñ. Diõc. inter alias Collegiatas eccleſias illarum partium non mediocriter inſignis. & pluribus indulgentiarum muneribus decorata & in ea multæ ſanctorum reliquiæ honorifice reconditæ exiſtunt* & propterea Chriſti fideles partium earundem diverſis anni temporibus ad ipſam ecccleſiam ſingularis cauſa devotionis confluere, illamque præſertim a primis veſperis ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum usque ad ſecundas veſperas viſitationis Beatæ Mariæ feſtivitatum frequentare, *ac in dicto opido multi Romani Imperatores ſuas Curias Imperiales tenere conſueverunt.* Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut animarum ſaluti fidelium eorundem conſulere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque animarum ſalutem intenſis deſideriis affectantes vobis, dummodo ad id Venerabilis fratris noſtri moderni & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Hildeſemeñ, accedat aſſenſus, præsbiteros ſeculares vel cujuscunque ordinis regulares qui in eisdem feſtivitatibus a primis usque ad ſecundas veſperas confeſſiones fidelium prædictorum ad ipſam eccleſiam confluentium ut præfertur audire & pro commiſſis, per eos criminibus excesſibus & peccatis niſi talia ſint propter quæ ſedes apoſtolica ſit merito conſulenda eis debitam abſolutionem in forma eccleſiæ conſuera impendere & pœnitentiam ſalutarem injungere posſint & valeant, deputandi auctoritate apoſtolica facultatem concedimus per præſentes. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo. Quarto Kal. Novembr. Pontificatus ſui anno quarto.

L. de Rinuciis

En ergo infauſtum ſeculum, quo eccleſiarum ſanctitas indulgentiarum multitudine, Reliquiarum copia & antiquorum Cæſarum frequenti acceſſu cenſebantur.

Anni Chriſti 1464. 1465.
Friderici IV. Cæſar. 25. 26.
Ab. V. C. 541. 542.

Joannes Molen. Wage Præp. Franckenb. ab auctore Chroni. Mont. Franc. prætermiſſus.

REdeundum demum ad monaſteria, e quibus ſe anno M.CCCC.LXIV. offert Franckenbergenſe noſtrum, cum vicino Richenbergenſi ob ſylvas nonnullas collisum, quas uterque ſibi conventus vindicabat. Lite diutius protracta arbitri demum intervenere, Eggehardus de Wenden, Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ, Dietericus ab Alten, officialis, & Johannes ab Alten Canonicus S. Crucis Hildesheimenſis, qui controverſiam certis legibus ex æquo bonoque compoſuerunt. Extant eorum literæ hanc in rem exaratæ, nobis eo cariores, quod memoriam nobis ſuggerunt Johannis Molwage Præpoſiti Franckenbergenſis, quem ab auctore Chronici Montis Francorum prætermiſſum, in alio vere diplomate Altariſtæ ſimul munus in eccleſia Forenſi geſſiſſe video, Interfuiſſe enim huic tranſactioni memorantur *Johannes Prior Richenbergenſis, Frater Henricus Lunden Presbyter, Fr. Henricus de Garden Converſus ibidem nec non Johannes Molwage Præpoſitus Montis Francorum. Actum Hildesheimie in Curia Majoris Præpoſiti anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto ipſo die diviſionis Apoſtolorum.*

At majoris momenti diſſidium ſequente anno inter Wilhelmum Seniorem Ducem Brunsvico Luneburgenſem ejusq; filios & Civitates Hanſeaticas exarſit, magno armorum furore per aliquot annos continuatum, cladibusque innumeris funeſtum. Quæ belli origo fuerit, non ſatis accurate tradiderunt annales, ut adeo mirerls horum temporum inertiam; qua factum eſt; ut publicarum ejusmodi calamitatum cauſas memoriæ prodere omitterent, aut obſcure ſaltem primisque veluti labris attingerent. Antiquum Saxoniæ Chronicon a Pomario editum, quod Spangenbergius videtur exſcripſiſſe, nullam plane aſſignat cauſam, rei eventum docuiſſe contentum. At Cranzius, Buntingius, Werdenhagius, alique cauſam belli arceſſunt e litibus inter Duces laudatos & civitatem Luneburgenſem ob Salinarum proventus eccleſiæ S. Blaſii Brunsvicenſi debitos diutiſſim agitatis. Cum enim Wilhelmus Pontificis juſſu Lune-

Goslatienſium civit. bellum cum Brunſv. *Chron. Sax. Pom. p. 516. Cranz. l. 12. Sax. cap. 6. p. 363. Spangenb. c. 336. Chr. Sax. p. 364. Bunting. part. 1.*

burgenses subinde repetundarum postularet, res jam anno M.CCCC.LVIII. in apertum bellum eruperat, in quo Bernhardus Hildes. Episcopus victor redierat. Sed hæ lites male sopitæ hoc ipso anno denuo recruduerunt, adeo, ut omnia sibi in Luneburgenses Wilhelmus indulgeret. Vehebantur aliquot currus Lubecensium argento sericoque panno onusti Luneburgum, quos filii Wilhelmi per errorem adorti diripuerunt, prædamque partim distribuerunt inter equites, partim in Eberstenensem arcem abduxerunt. Quo comperto Lubecenses res suas frustra aliquoties repetentes, in civitatum Hanseaticarum congressu multum de rerum suarum jactura conquesti sunt, eoque permoverunt socias urbes, ut bello vindicandam injuriam statuerent. Protinus itaque ad arma concurrunt, Goslarienses, Brunsvicenses, Magdeburgenses, Halenses, Gottingenses, Northeimenses, Eimbeccenses, Hildesienses, Hannoverani, Aschersiebienses, Helmstadienses aliæque civitates, quibus se e Principibus junxere Bernhardus Dux Brunsvico Luneburgensis & Ernestus Hildesiensis Episcopus. Res initio mutuis excursionibus prædisque acta, mox socii cum justo exercitu Wilhelmi ditiones ingressi uno victoriarum veluti cursu Hardesiam, Moringam aliasque arces expugnarunt, novam civitatem Hannoveranam pagosque novendecim flammis deleverunt, tantamque ubique stragem intulerunt, ut nihil fuerit festo illo Nativitatis Christi funestius. Nec omittendum esse reor, quæ notavit Buntingius, primo videlicet hujus belli anno Calenbergensi in arce sanguine pluisse, quod prodigium constanti hominum opinione bellum hoc portendisse ferebatur.

Chron. Brun. v. p. 281. & part. 2. p. 434. Werdenh. part. 4. de rebus p. Hans. p. 477. & 482.

Quo facto ipsam Calenbergensem arcem pro seculi genio tum munitissimam invaserunt, admotisque tormentis tantopere devastarunt, ut ruinas minaretur. Nec Wilhelmus segnius rerum suarum satagebat. Vocato enim in subsidium Wilhelmo Saxoniæ Duce lectissimam Bohemorum manum, & sexcentos equites impetravit, quibus Gottingenses & Eimbeccenses sibi quam maxime imminentes compescuit, eorumq; agrũ crebris excursionibus terruit, pecoribus subinde & plaustris abreptis. Multo demum sanguine fuso arbiter intercessit Fridericus Marchio Brandenburgensis, qui factis primum induciis ipso Mariæ Lateranensis die Principes ac Civitates Quedliburgum ad pacem revocavit, omnemque odiorum causam sapientissime præcidit. Hinc pax coaluit iis legibus, ut Duces Brunsvicenses civitatibus Moringam tamdiu relinquerent possidendam, donec juxta lis æstimetur, pronuncieturque sententia, an de interceptis mercibus satisfacere Lubecensibus ac Luneburgensibus teneantur. Est hoc funestum Hanseaticarum civitatum bellum, in quo componendo tanta reperias sententiarum divortia, ut a se ipsis dissentire auctores videantur. Sunt qui initium hujus belli referant in annum M. CCCC. XLV. alii sequentem signant, quos & Buntingius secutus est in parte prima, qui tamen in secunda veluti sui oblitus annum M. CCCC. LXII. substituit, nisi forte in numeris hallucinatum esse typographum malis. Errorem tamen hunc suum fecit Werdenhagenius. Vt adeo non parum miremur tam cruentum bellum non majori cura ac diligentia relatum in literas fuisse.

Anni Christi 1466. 1467.

Friderici IV. Cæs. 27. 28.

Ab. V. C. 543. 544.

Continuatio hujus bell. *Autores supra allegati ll. cc.*

Miro huic prodigio sequente statim anno respondit eventus. Sociæ enim civitates Wilhelmi ditionibus prædis excursionibusque exhaustis proxima, ante pentecosten festivitate interjacentes inter Diesteram & Leinam regiones hostili exercitu invadunt, primoque impetu Gerdam expugnant, diripiunt, incendunt, septem nobilibus & septuaginta colonis in vincula raptis. Nec mora eadem felicitate Eldassam obsidione incingunt, quæ coadunatis tot civitatum viribus impar certis legibus deditionem fecit.

Interea dum Principes cum Civitatibus cruento bello decertant, Religiosi domi nihil habuerunt antiquius, quam pietatis exercitiis precibusque vacare: Suis tamen diffisi meritis ad vanas subinde fraternitates & bonorum operum communicationem prolapsi sunt, melius sibi consulturi, si Christi meritum pura fide suum fecissent. Extat ex hoc anno Hieronymi Tarvisini Rectoris Generalis Canonicorum Regularium S. Augustini, Congregationis Salvatoris Lateranensis, splendidum diploma, quo Joannem Priorem & Conventum Monasterii Richenbergensis omnium bonorum operum totius Lateranensis congregationis reddit participes, sibique idem præstari beneficium a Richenbergensibus rogat:

Fraternitas monastica. *Ex lit. Richenb.*

HIERONIMUS *Tarvisinus, humilis Rector Generalis Canonicorum Regularium S. Augustini congregationis Salvatoris Laterãensis* Rdo viro fratri *Ioanni* Priori Monasterii beatæ Mariæ de Richenberg, universisque Concanonicis congregationis ejus patribus & confratribus venerandis in eo qui est vera salus æternam salutem. Rde Pr. pro tua singuar

gulari devotione & fide in communem ordinem noſtrum, Te & congregationem tuam participes fieri bonorum operum ac meritorum, quæ in tota noſtra fiunt inpoſterumque fient congregatione cupis, cui petitioni tuæ devotisſimæ nos lubentisſimo animo annuentes, auctoritate, qua fungimur) quamvis impaces ſimus veſtris exuberantibus meritis, in ſignum tamen & teſtimonium veræ benevolentiæ & fraternitatis, Te & univerſos Canonicos præfatæ tuæ congregationis quantum in nobis eſt & divine complacet bonitati ex nunc participes facimus & eſſe volumus omnium ſacrificiorum, orationum, lachrimarum, prædicationum, diſciplinarum, jejuniorum, vigiliarum, macerationum, peregrinationum & quorumcunque bonorum operum, quæ in noſtra fiunt & impoſterum fient Deo propitio congregatione, veſtras humiliter paternitates deprecantes ut & vos, qui ſpiritualibus meritis ſignati eſtis, pro ejusdem congregationis noſtræ conſervatione communem Deum & Patrem exoretis. Datum *Romæ in noſtro Lateranenſi Monaſterio* die XII. Februarii. Anno M. CCCC. LXVI. & ſigilli ejusdem Later. Monaſterii appenſione munitum.

Joann. Magdeb Archiep. Conſervator Richenb

Nec tamen deerant nefarii homines, qui inclyti hujus monaſterii bona diripere ſibique vindicare ſumma ope niterentur. Quorum compeſcendis injuriis Joannes Magdeburgenſis Archiepiſcopus una cum ducibus Brunſvico Luneburgenſibus nobilibusque de Aſſeburch & Cramm Conſervator conſtitutus, præclaro & luculento diplomate, ne quis ſacræ familiæ jura violet, obnuntiavit. Quod cum paulo ſit prolixius, ejus primam tantum partem hic proferemus:

REverendiſſimis, reverendisque in Chriſto Fratribus, Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis ac illuſtribus Principibus, Ducibus, Landgraviis, Marchionibus, Burggraviis, Generoſis ac Nobilibus Comitibus, Baronibus ſtrenuis ac validis, Capitaneis, Caſtellaneis, Militibus; Militaribus, univerſis & ſingulis Prælatis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, cujusque perſonis eccleſiaſtici ſtatus necnon prudentibus, induſtrioſis & circumſpectis viris in genere civium, Proconſulibus Civitatum & Oppidorũ Rectoribus Poteſtatibus Judicibus, Scabinis, Officialibus quarumcunq; Communitatũ, Villarum & terrarum, ceteriſque perſonis ſpiritualibus & ſecularibus Civitatum & Oppidorum Clericis & Laicis cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, præeminentiæ aut conditionis exiſtant per ſacrum Romanorum Imperium ubilibet conſtituis, ad quos noſtræ literæ pervenerint, & qui præſentium tenore fuerint requiſiti. Joannes *dei gratia* ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Primas Germaniæ, Dux Bavariæ & Comes Palatinus Rheni, Conſervator privilegiorum, libertatum, jurium perſonarum, rerum & bonorum venerabilium & religioſorum Virorum Dnorum Prioris & conventus Monaſterii beatæ Mariæ Virginis in Richenberg *Ordinis Canonicorum Regularium Hildesheimenſis dioceſis* & ipſis ſubjectorum, ab Imperiali Majeſtate una cum aliis meis in hac parte collegis ſpecialiter deputatus, *ſalutem & caritatem in Dño ſempiternam. Literas glorioſiſſimi & invictiſſimi Principes & Dni noſtri Dni* Frederici *divina favente clementia Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Ejus Vicario Imperialis magiſtratus ſigillo majori cum cera glauca cum cordulis flavis ſericis impendente, alias vero literas ejusdem ſerenisſimi & invictiſſimi Principis pergameneas ſigillo Imperiali a tergo ipſarum impreſſo ſigillatas ſanas & integras non vitiatas, non concellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas ſed prorſus omni vitio & ſuſpicione carentes, nobis per venerabilem & religioſum Patrem Dnum* Joannem *Priorem dicti Monaſterii in Richenberg ac in eisdem principaliter nominatum hodie coram notario publico & teſtibus infra ſcriptis præſentibus nobis, cum ea, qua decuit reverentia recepiſſe noveritis literam ſub hoc tenore: -----*

Eccleſia SS Simonis & Judæ inſtaurata.

Felicius multo ceteræ eccleſiæ pet hæc tempora bonis ſuis uſæ ſunt. Eccleſia SS. Simonis & Judæ nuper ad incitas pene redacta & vitio temporum ruinas minari viſa hoc tractu temporum piorum oblationibus aliorumq; liberalitate reſuſcitata veluti ac inſtaurata fuit, quemadmodum id ex indulgentiis hanc in rem conceſſis dilucet. Decani munere tunc fungebatur Henningus de Bornhuſen, qui una

Henningus de Bornhusen Decanus SS. Simonis & Judæ.

na cum Henrico Humptelen Canonico SS. Simonis & Judæ, Frickone Lizzen, & Henrico Zigemeyer Senatoribus hoc anno litem inter Johannem Priorem & Conventum Richenbergensem ex una & Wedegonem Grawhosen Civem Goslariensem ex altera parte de agro quodam Hanendorpiensi diutius agitatatam ex æquo bonoque composuit. *Actum anno M.CCCC. LXVII. dominica post D. Bartholomæi Apostoli.*

Joannes Decanus & Capitulum Montis S. Petri prædiú Steinaahense cõmunt.

Sic & Ecclesia S. Petri tot prædonum rapinis vexata ad pristinam fortunam paulatim cœpit adspirare, coëmto a Tidelmo de Walmoden luculento prædio in Steinta. Cum tamen Joannes de Selde in isto prædio plura vetustate collapsa instaurasset, Johannes Decanus & Capitulum hujus ecclesiæ a Johanne Molwagen Præposito Franckenbergensi & Altarista ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani quatuordecim florenos Rhenanos (Vertheyn gude vullwichtige Rinsche Gülden) ea lege mutuarunt, ut Johannes a Molwage, aut ad quemcunque chirographus perveniisset, quotannis ex Hertensibus proventibus septem novos solidos Brunsvicensium numorum (seven neyge Schillinge Bronschwigischer Penningen) B. Martini anniversario persolvendos perciperet, donec Ecclesia Montis S. Petri hosce Rhenanos reddidisset. Actum na der Bord Christi unsers Hern vierten hundert Jahr/ darna in dem sevenden un sestigsten Jar in der thinduſent Ridderdage der hilgen Merteler.

Statuta Montis S. Georgii a Paulo II. PP. confirmata.

Denique & Monasterium S. Georgii hoc anno nova cepit religionis incrementa, conditis saluberrimis constitutionibus, quas Paulus II. Pontifex nuper in Æneæ Sylvi locum subrogatus ratas habuit. Magna scilicet ac insignis hujus monasterii laus censenda est, quod ultro disciplinæ antiquæ tam fuit semper studiosum, ut reformatione Windesemensi non indigeret.

Anni Christi 1471. 1472.
Friderici IV. Cæs. 32. 33.
Ab. V. C. 548. 549.

Turcarũ progressus. *Jo. Ant. Campan. ap. Frech. tom. 2. p. 142. sqq. Lehm. Chr. Spir. l. 7. c. 12. p. 964. sq. Naucler. gener. 50. p. 972.*

INgruunt turbulenta reipublicæ tempora, quibus Germania intestinis malis festa parum abfuit, quin barbarorum cederet potentiæ. Jam a tot seculis civitates ac Nobiles tumultuariis inter se armis decertaverant, Principes quoque civitatum potentiam ægrius ferentes, id sibi negotium credebant solum dari, ut eas ad obsequium ac servitutem revocarent. Denique & majores Imperii proceres ex levissimis causis collisi tantis inter se odiis digladiabantur, ut pro aris & focis eos pugnare credisses. Id quod mirati exteri scriptores Germanos omnem humanitatis sensum amisisse ac ad extremam defeciisse barbariem criminabantur. Certe Joannes Antonius Campanus, qui Jacobum Piccolomineum, Cardinalem Papiensem Sedisque Apostolicæ legatum in Germaniam secutus est, redditurus rationem cur Venetorum legati Passavio Ratisbonam tuto pergere nequeant. *Ut uno*, inquit, *verbo dicam patentissima Germania est, & potentissima & nobilissima; sed ea tota nunc unum latrocinium est, & ille inter nobiles gloriosior, qui tem. 2. rapacior. Apud Principes solos securitas est: Freh. p. sed duntaxat, cum permittunt. Nam nisi pu- 142. blica fide accepta, eorum quoque fines infesti sunt omnibus. Sed hæc quercia in Italia erit jucundior.* Accessit ad hanc intestinam Germaniæ calamitatem Turcarum immanis potentia, quippe qui freti nostrorum desidia & continuo victoriarum cursu elati, dum nostri in sua viscera sæviunt, protensis ad Hungariam usque finibus ferro sibi ubique aperuerunt viam, tantum terrarum tractum sub suam redegerunt potestatem, ut duodecim amplissima regna brevi tempore barbaræ genti succumberent. Denique mira fortunæ indulgentia freti ipsam Germaniam tentare ausi sunt, factaque ex Bosnia in Carniolam irruptione omnem, quam late patet, regionem cædibus, incendiis, rapinis fœdarunt. Qua suorum clade comperta Fridericus Cæsar incredibilem animo dolorem, concepit vocatisque Ratisbonam ad comitia Germaniæ proceribus de frangenda Turcarum potentia provinciisque avitis tuendis impensius cogitare cœpit. Nihil hisce comitiis splendidius, quibus erunt præter Imperatorem & quinque Electores, Legatumque Pontificis tanto numero Principes, Comites, Regni Oratores & Civitates interfuerunt, ut frequentiores Principum congressum post hominum memoriam non visum esse Senum auctoritate referant annales. Nomine Civitatis nostræ Ratisbonam accessit Hermannus Roden, Amplissimi Senatus nostri Secretarius cujus nomen ex ipsis Comitiorum actis nobis prodidit Christophorus Lehmannus. Idque eo minus videtur prætereundum, quod paucissimæ Civitates Imperiales, hoc est, viginti tantum & septem legatos suos eo ablegasse legantur. Horum in Congressu ipso die S. Johannis Baptistæ Episcopus Tridentinus habita ad Principes gravissima oratione nomine Cæsaris accurate exposuit, quam grave orbi Christiano periculum immineret, Germaniam intestinis dissidiis agitari, Turcam ruptis Imperii finibus Carniolam ingressum, eamque adeo cædibus incendiisque miscuisse, ut ad tam propudiosæ cladis memoriam lacrymæ Christianis piis suboriantur, viciniam quoque Bohemiam provincialium studiis discordem novam tempestatem minari; Irent itaque Principes, si patriam salvam vellent, consulerentque in medium, quo demum pacto sistendus sit Turcarum impetus, conclamata omnia fore, nisi consilium Germano nomine dignum cepissent. Proceribus sua studia prolixe deferentibus

Cæsar

Cæſar mille & quingentos equites & ſepties mille & quingentos pedites in præſens poſtulavit, imperii ſumtibus alendos Carniolæque periclitanti ſubmittendos, deinde de novis ſubinde ſubſidiis cogitandum monet, ut decedentium numerus non modo ſuppleri, ſed & augeri urgente id neceſſitate poſſit, denique conſultandum eſſe, quo pacto conglobatis totius Imperii viribus expeditio validiſſima contra Tureas ſequente anno ſuſcipi poſſit. Non probavit hanc conſultandi rationem Legatus Pontificis, ſatius eſſe ratus ſi de univerſi belli umma prius conſultetur, exiguam decem millium manum irriſui hoſtibus futuram, principes ſupplementa tardius miſſuros, nec ullis Cæſaris lenociniis ad novam expeditionem ſe paſſuros compelli, vereri ſe, ne ferociores reddantur Turcæ, viresque Germanicas ex tantulo militum numero æſtiment, id quod quantum in bello momentum trahat, nemini eſſe ingnotum, qui fama potiſſimum bella conſtare, nec minora terrore, quam prælio confici obſervaſſet. Non valuit tamen legati ratio licet ſapientiſſima, Cæſarisque potius ſententia vicit, nihil cunctando opus eſſe aſſerentis, firmandos potiſſimum Imperii fines, ne Carniola jam ſatis exhauſta continuis Turcarum incurſionibus pateret. Hinc proceres conſentiente ſuffragio militum numerum ſe ſubmiſſuros polliciti ſunt. Civitates, nonnihil tergiverſatæ, dum demum ſe id facturas affirmarunt ſi Cæſar ſua opera publicam per Imperium quietem reſtituiſſet. Denique in Principum diſceſſere ſententiam. Interea advenere ex Carniniola & Vngaria legati celeri ſibi opus eſſe auxilio nunciantes. Quo factum, ut Cæſar mutato conſilio quatuor tantum militum millia in præſens ſibi quam celerrime mitti poſceret, reliqua ſex feſto S. Bartholomæi adeſſe juberet. Hinc de cujusque ordinis potentia deliberatum, relatumque in indices, quantum quisque ad decem millium exercitum, conferre debeat. Eos ex actis producit Lehmannus, qui tamen, quot milites Goslariæ noſtræ imperati ſint non adjecit. Sed videtur diligentiſſimus auctor in mutilum exemplar incidiſſe, id quod vel ex eo colligas, quod ſi militum ab eo recenſitorum numerum ineas, ne ſex quidem millia, nedum decem compleantur, argumento certo, non paucos Imperii ordines ab eo eſſe prætermiſſos. Certe jam anno M.CCCC.XXXI. aliisque matriculis ab auctore Aſſertionis Libertatis Reip. Bremenſis adductis Goslaria noſtra occurrit, licet in aliis eam eodem vitio omiſſam deprehendam. Vltimo loco etiam de univerſo bello actum, quam in rem Cæſar decimum quemque numum poſtulavit. Quod licet Principes concederent, civitatum tamen legati id ſibi inconſultis dominis integrum eſſe negarunt. Petita itaque deliberandi mora, rem ad ſuum quisque ſenatum populumque retulit. Quorum cognita ſententia Francofurtum ad Comitia urbana diſceſſerunt, multisque prolatis in medium, ſe ſi commune Proceribus ſubſidium imperetur communi patriæ non defuturos, Cæſarisque voluntati obſecuturos de decimo numo minus conſenſuros ſtatuerunt. Id quod deinde Ratisbonæ Cæſari per certos deputatos nunciarunt. Atque ſic ſoluta Comitia ſplendidiſſima, licet parum inde res Chriſtianæ utilitatis acceſſerit, ſpem quippe fruſtrante miſero Germaniæ fato, quo factum eſt, ut novis ſubinde immiſta bellis civilibus, de Turcis debellandis cogitare non potuerit.

Goslaria falſo in quibusdam matriculis mutilis omittitur.

Aſſert. libert. reip. Bremenſ. p. 402. ſqq.

At Saxoniam noſtram eodem anno non parum turbavit Erneſti Hildeſienſis Epiſcopi obitus, cum magno diœceſeos detrimento conjunctus. Implicatus fuerat paulo ante obitum ſuum bello funeſtiſſimo cum Wilhelmo Seniore Duce Brunſvico Luneburgenſi ejusque filiis, quod magno utrinque animorum motu geſtum eſt. Quæ cauſa belli fuerit incompertum nobis eſt. Traxit tamen & viciniam noſtram. Nam ipſa S. Pauli feſtivitate arx Slademenſis, quam Clawenburch a Veltheim pignoris loco inſidebat, a Johanne de Veltheim intercepta: moxque caſtrum Harpke a Clauwenburcho feſto Purificationis occupata. Sed longe gravior ipſe Fridericus Dux Brunſvicenſis Erneſto Epiſcopo imminebat. Ingreſſus quippe præfecturam Lewenſteinenſem omnia ferro ac incendiis devaſtabat. Quo commotus Epiſcopus, in regiones inter Dieſteram ac Leinam fecit irruptionem, ac ultra viginti pagis exuſtis, multa præda onuſtus rediit. Re itaque diutius mutuis excurſionibus acta juſto demum prælio decertatum ferunt, quo victus Epiſcopus ac fugatus die Mariæ Magdalenæ ſacro, mœrore conſumtus obiit, Epiſcopatu per XII. annos geſto.

Obitus Erneſti Hild. Ep. *Cranz. l. 12 Sax. c. 9. p. 315. Bunting. part. 3. p. 499.*

A morte Erneſti appetente jam Michaëlis Archangeli feſto Hildeſienſe Capitulum penes quod jus ferendi ſuffragia erat, in comitium ivit deque Epiſcopo in Erneſti locum ſubrogando conſultavit. Tres inprimis erant, quorum ratio habebatur, Henricus Abbas S. Michaëlis, Henningus ab Hauſen, Decanus Cathedralis Eccleſiæ, & Hermannus Landgravius Haſſiæ, Canonicus Colonienſis & Aquisgranenſis Præpoſitus, Viri omnes prudentiſſimi, & digni tanto munere, ſi plures Hildeſia tuliſſet Epiſcopos. Sed ex hac probata Candidatorum virtute ingens inter Canonicos obortum eſt diſſidium, aliis Hermannum Landgravium eligentibus. Favebant Hermanno Eggehardus de Wenden Major Præpoſitus, ordo Equeſtris ipſique vicini Duces Brunſvicenſes, Wilhelmus Senior, & Wilhelmus ac Fridericus illius filii, quorum potentia ſubnixus plura diœceſeos caſtella occupavit.

Diſſidiū in eccleſia Hild. ex ſchismate duorum Epiſcoporum. *Behrens Catal. Præpoſ. Hild. p. 13-14. Meibom. tom. 2. p. 524. Schat. l. 18. ann. Pad. p. 709. Part. 2. Cranz. l. 12 Sax. c. 10.*

p.316.l.12. metr. c.8. p.325. Bunt. l.c. Brusch.de Ep.Germ. c.31.p.1059. Lezn.l.2. Chron. Dassel. c. 15.p.30. Buccelin. part. 1. Germ. s. p.12.Rout. p.106.

vit. At Henningi causam susceperat Major Capituli pars, ipsaque Vrbs Hildesiensis, quibus e vicinis se junxerant Bertholdus Verdensis & Simon Paderbornensis Episcopi, Henricus, Ericus, & Antonius Schauwenburgenses & Bernhardus Lippiensis, qui Schatenio teste, fœdere se adversus Duces Brunsvicenses illigarunt. Nec parum ei profuit, quod suscepto trans Alpes itinere Pontificis confirmationem Romæ coram obtinuerat. Redux enim inde factus sequente anno Hildesiæ a Bertholdo Verdensi Episcopo solenni ritu consecratur, Hermanno quietis studio cedente, quasi eum fata opulentioribus multo Colonienſi & Paderbornensi sacerdotiis destinasse viderentur. Tenebat adhuc pleraque in dioecesi arces Eggehardus Præpositus, præcipuum adversæ partis firmamentum. Is omni studio prohibere annisus est, ne Henningus Episcopatum obtineret. Hinc novum ei objecit æmulum Balthasarem Ducem Mecklenburgensem, admodum juvenem, qui fratris auxilii cum armata manu diœcesin intravit, Peinæ ab Eggehardo honorifice exceptus. Hinc armis tentavit, civitatem Hildesheinensem, quæ cum tormentis bellicis magnopere se tueretur, factaque eruptione arcem Steuerwaldensem interceptam Henningo traderet, Balthasar belli fortunam experiri veritus vestigia in patriam relegit. Ceteri quoque, quorum intererat, de restituenda tranquillitate solliciti anno M.CCCC.LXXIV. præcisis belli causis pacem inierunt, ex quo tempore Henningius quieto sacerdotio potitus est, vir maturæ prudentiæ, & annalium fide nulli integritate secundus.

Præva-let Henning9 ab Hausen.

Bellum Goslari-ens. cum Schwi-cholt is, Richen-bergensi bus sune stum.

Haut multo levioris momenti controversiam hoc temporum tractu agitatam reperio inter civitatem Goslariensem & nobiles quosdam, quæ in apertum bellum erupit. Florebant tum Conradus de Schwicholt & filii ejus Didericus & Conradus viri fortissimi & isto genere digni. His non bene conveniebat cum nobilibus de Cramme, quorum nobilium per Saxoniam censentur antiquissimi. Causam ignoro, sed tamen id constat, facile iis temporibus ex scintilla levissima ejusmodi incendium suboriri solitum. Cum Schwicholtis faciebant plures per viciniam nostram nobiles, cum Crammiis Goslaria præcipue stabat, armis tum potentissima. Hinc missis utrinque diffidationis, quas vocabant literis mutuis incursionibus se invicem vexant, & modo in fruges, modo in pagos grassantur, tanta exacerbatione animi, ut publicam salutem venire in periculum vidisses. Inter hæc Richenbergense quoque monasterium cum civitate collisum est, forte quod Schwicholtos frugibus ac commeatu adjuvisse crederetur. Quod ægre ferentes cives cum vexillis & classicis egrediuntur e civitate monasterium Schwicholtum ope fretum, nullo prohibente irrumpunt, omnesque equos, quos metus fugientium reliquerat, in urbem trahunt. Quin & tanta fuit quorundam indignatio, ut evulsis e cardinibus januis, serisque omnibus decussis flammas minarentur, nisi Proconsul (ita tum Consules audiebant) sua auctoritate ferocientes civium animos compescuisset. Grave inde secutum incendium. Richenbergenses pro excommunicatis cives habentes sacra coram iis facere recusabant, Pontifex re comperta excommunicationem minabatur, Schwicholti ultionem anhelabant vehementer. Nihil his territi Goslarienses bellum strenue prosecuti sunt, Lares non modo domesticos felicissime tuendo, verum etiam commerciis præstando securitatem. Interea Sixtus IV. Pontifex causam inter Richenbergenses & Goslarienses adhuc actam commisit Præposito S. Cyriaci extra muros Goslarienses, plenamque dedit potestatem, eos qui litem perdidissent ad satisfactionem rite compellendi, ea tamen lege, ne *Proconsules, Consules & universitatem hominum Oppidi Goslariensis*, interdicto subjiciat, nisi speciale ea de re a sede Apostolica decretum prodiisset. Multa subinde hac de causa Juris Consultorum petebantur consilia, non eadem omnibus suadentibus, pluribus tamen Richenbergensium causæ æquioribus. Lite coram Sixto Pontifice æque ac Præposito S. Cyriaci diutius protracta, demum pax inter litigantes coaluit, quamvis quibus legibus id factum sit, nondum habeam exploratum. Bellum hoc domesticum, quod omnes annales veluti ex compacto tacent, e monumentis ac diplomatibus mihi innotuit. Vidi enim Consilia JCtorum, vidi Sixti PP. diploma, e quibus quantum haurire licuit, tantum in literas retulimus.

Anni Christi 1473. 1474.
Friderici IV. Cæs. 34.35.
Ab. V.C. 550.551.

Pestis per has regiones Compil. Chron.ap. Pist. ad. ann.1472. Chr. Sax. Pom.p.521 Spang. c. 337.p.566. sq. Bunt. part.1. Chron.Br. p.282.

INter hos bellorum tumultus, ut nunquam fere malum solum est, Saxoniam quoque nostram inaudita pestilentia exhausit. Causam calamitatis tum præcipue in flagrantissimum solis calorem referebant, quo ipsæ patentissimæ sylvæ Bohemica & Hercynia nostra flammas conceperant, arborum runcatione & objectis fossis extinguendas. Ex hoc intensissimo ardore aër quoque cœpit vitium, ita ut Eimbeccæ, Gottingæ, Hildesiæ, Brunsvici, Luneburgi, Halberstadi, aliisque vicinis civitatibus ingens hominum multitudo lue consumeretur. Eaque calamitas eo luctuosior fuit habita, quo gravior animos hominum horror invaserat. Inde enim factum est, ut nec parentes liberorum, nec hi parentum, nec conjuges conjugum curam susciperent, pluresque curatura deficiente

ciente perirent, qui e morbo revalescere potuissent paulo diligentius curati. Luculentum sane divinæ indignationis indicium, quæ etiam e tot cometis aliisque prodigiis satis superque elexit.

Comitia Augusta-na & bellum Burgun-do illatū

Lexn. Chron. Spir. l. c. 118. p. 974. & c. 124 p. 992. Naucler. gen. 50. p. 972. Paral Urſp. p. 422. Schal. l. 8. ann. Paul. p. 776. ſqq. part. 2. Trithem. Chron. Spanh. ad h. ann. Schiphovv. Chron. Old. Arebic. p. 184 Chron. Mind. ap. Meib. p. 573. Mich Bojem. vit Alberti III. Duc. Sax. p. 16. ſq.

Sequente anno ad hæc publica mala accessit Ducis Burgundi ferocia, qui juncto cum Ruperto Archiepiscopo Colonienſi fodere Colonienſem diœcesin ab obsequio delapsam infestis armis invaserat. Quibus dubiis ex æquo bonoque componendis quamvis ipse Cæsar appetente hoc anno Coloniæ præsens daret operam, tanta tamen fuit animorum exacerbatio, ut omnia saniora consilia respuerent. Quo comperto Carolus Burgundus Ruperti Archiepiscopi socius conscripto e Gallia, Italia, Belgio & Germania validissimo exercitu Novesium V. Cal. Augusti corona incinxit. Erat ubis in præsidio Hermannus Hassiæ Landgravius, manu fortissimus, qui omnes hostium impressiones, omnes tormentorum ictus, omnes denique machinas tanta magnanimitate prudentiaq; excepit, ut Burgundus, qui ultra centum armatorum millia in castris habere ferebatur, per totam æstatem sequentemque hyemem Novesienses frustra tentaret. Inter hæc Cæsar, ubi tot undique pericula laboranti patriæ imminere conspexit, daturus operam ne quid respublica detrimenti caperet, Augustæ Vindelicorum comitia indixit, atque præter Marcum Aquilejensem Patriarcham tt. S. Marci Presbyterum Cardinalem Sedisque Apostolicæ legatum, Electores, Principes, civitates, magno numero accesserunt. Goslaria nostra legatos suos non misit, potestatem tamen dedit Northusæ, suo nomine, quicquid reipublicæ interesset statuendi. In hoc igitur Procerum congressu pax publica nuper Ratisbonæ in quadriennium sancita, in sex annos prorogatur, ac a Cæsare solenni ritu promulgatur. Inde de justo exercitu Turcis objiciendo agitur singulique Imperii ordines, ut periclitanti Colonienſi diœcesi, ac in angustias prope coactæ pro virili sua parte suppetias ferrent, admonentur. Protinus ergo ad Cæsaris signa concurrunt Germani atque in his civitas quoque nostra, quod communi hosti communes imperii vires opponendas esse in comitiis fuerat decretum. Sed & ceteri hujus viciniæ Episcopi, Principes & Civitates liberæ auxilia submisere, quorū adventu tantus numerus completus est, ut & Burgundum copia exercitus anteierint Germani. Hinc Linzium primo ceteræque diœceseos civitates Ruperti præsidiis firmatæ ad deditionem compelluntur, mox Novesienſem obsidionem solutum itur: Denique offerente se ad prælium Burgundo tam fortiter pugnatur, ut Carolus Burgundus a Novesii obsidione regressus pacis conditiones offerret, quibus cautum inter cetera fuit, ut Maria Burgundi filia Maximiliano Friderici Cæsaris filio in torum concederet. Quod pactum, occiso demum Burgundo, executioni mandatum fundamentum veluti fuit Austriacæ felicitatis, quippe quo tot amplissimis provinciis potiti sunt Austriaci, ut eorum potentiam omnes vicini extimescerent. Nec sine singulari Numinis providentia videtur factum, ut potentissima hæc domus Turcis maxime vicina nova subinde caperet incrementa, ne scilicet barbari eorum potentia objecta ulterius in Germaniam penetrarent.

Anni Christi 1478. 1479.
Friderici IV. Cæs. 39. 40.
Ab. V. C. 555. 556.

AB hisce reipublicæ motibus ad eccle- Clericorum per hæc tempora ignorantia.
siæ faciem contuendam revocamur. Sed dici non potest, quanta his in regionibus barbaries saniorisque doctrinæ ignorantia in Clericorum ordine occurrat. Quamvis enim Italia bonas paulatim literas e situ ac squalore revocaret in lucem, virosque subinde gigneret ad literas factos, nondum tamen trans Alpes bonæ literæ migraverant, ac plerique Clerici adeo malis suis sibi felices videbantur, ut cum Tullio se venire in certamen posse crederent, si animi sensa Latinis verbis, licet nec Latine nec emendate exprimere possent. Multus in deploranda hac seculi sui infelicitate fuit Johannes Schiphowerus, Eremita Augustinianus, quamvis & ipse tam rudi & incomto dicendi genere utatur, ut cornicem cornicum oculos novo exemplo effodere credas. Ecce enim, ut quosdam Indulgentiarum mercatum improbantes ferit ad annum M. CCCC. XL. *Suis* (Diderici Archi-Comitis Oldenburgensis) *temporibus quidam ex pastoribus & Capellanis conspirationem fecerunt contra mendicantes limitatores existentes, impugnantes privilegia Apostolica & præsertim de confessionibus audiendis, ignari & juris Canonici imperiti, vix primis literis imbuti, qui vix sine confusione, ut ait Pastor in tractatu de Curiatorum Miseriis, requiem cantare sciunt, & tamen singulis doctis viris, tanquam cornuta bestia rebellizant, & in sua asineitate perseverantes, super omnes se extollunt. Quomodo autem predicabunt, qui literis operam non dederunt? Aut quam in predicando indoctus sacerdos utilitatem auditoribus suis afferre poterit, qui scripturas nescit. Verum temporibus nostris, in quibus est sicut populus, ita est sacerdos, studium scripturarum miserrimi sacerdotes abjecinnt, pro libris scripturarum calices exhauriunt, & cotidie se inebriant. Viderint Episcopi, qui tales idiotas & inscios ad sacerdotii dignitatem promovent, qui imperitis curam ovium Christi commendant. Sedent in insidiis cum potatoribus, in tabernis, ludis & Comessationibus vacant, non est timor Dei ante oculos eorum. Nomine sacerdotes sunt, conversatione asini, nihil peni-* *Schiphovv. Chron. Old. Arebicum. p. 171.*

tus de ſcripturis intelligunt, diſcere contemnunt, & Latina lingua loqui vel ſcribere neſciunt, vix in vulgari exponere evangelia dicerunt. Quantos errores fabulas & hereſes in eccleſiis prædicando populis annuncient, quis niſi expertus credere poſſet? Pro libris liberos ſibi comparant, pro ſtudio concubinas amant. Tales quamvis inſcii, quamvis indocti, quamvis ignari adhuc, contra privilegia Apoſtolica, contra viros doctos latrare non erubeſcunt. En itaque Sardos venales, quibus, ne mihi invidiam conflarem, non meo ſed Schiphoweri, pariter ſacri ordinis viri, eademque tempeſtate viventis, calamo titulum appoſui. Quis vero dubitet, quin ex hac craſſa rerum divinarum ignorantia cum profligatiſſima impietate conjuncta atheiſmus demum aut certe Epicuriſmus enatus ſit.

Martino Gindero ſtudiorū cauſa abſenti nihil de præbendā detrahi jubet Pontifex.

Nec deerant tamen in tanto bonarum artium contemtu, quos melior mens inceſſerat. Inprimis eccleſia SS. Simonis & Judæ pridem doctiſſimorum hominum benigna nutrix his quoque infauſtis temporibus nonnullos aluit, politioris doctrinæ amantes. Inter hos in quadam Sixti Pontificis membrana hoc anno nobis occurrit quidam Martinus Ginder, Canonicus, qui licet beneficio quodam, præbenda & obedientia, ceu vocant, in hac eccleſia gauderet, indignum tamen bono viro eſſe ratus, tam viridi ætate genio indulgere, aut honeſto otio more ſeculi abuti, conſilium cepit, ſtudiorum cauſa Romam aut in aliam quamcunque Academiam proficiſcendi. Quod Sixtus Papa, a quo venia prius impetranda erat, adeo probavit, ut luculento diplomate non modo copiam ei faceret ab eccleſia ſua ſtudiorum cauſa aliquandiu diſcedendi, verum etiam ei abſenti nihil de præbenda præter diſtributiones quotidianas detrahi juberet, eximeretque ſimul illum a decreto, quo abſentes ab eccleſia Canonici ad reſidendum compellebantur. Tot ſcilicet ambagibus opus erat Clericis, qui bonæ menti operam dare decreverant.

S. ſepulchri ſtatus. *Ex deduct. Muderſp.*

Sanctum ſepulchrum, quod in urbis noſtræ pomœriis Equitum S. Johannis ſacro ordini paruit, hoc temporis tractu omnium maxime floruit, coëmto Buntheimi ſub Harzburgo libero prædio e quo Dux Brunſvicenſis ingruente belli neceſſitate equitem poſcebat, aliisque quatuor villis Buntheimenſi ſubjectis. Quam notitiam debeo deductioni Muderſpachianæ, cujus pars ita ſe habet: Dergleichen hat ao 1478. der Johanniten Comptur zu Büntheim im Fürſtl. Braunſchw. Ambt Hartzburg einen freyen Sattelhoff, welcher den Herzog zu Braunſchweig den Reyſedienſt thun / und noch vier andere Höffe gehalt / welche den Sattelhoff zu hülffe kommen müſſen.

Confraternitas S. Nicolai indulgentiis munita.

At in ipſa urbe eorum præcipue pietas fervebat, qui templo SS. Simonis & Judæ communi liberalitate ſubventuri, in confraternitatem S. Nicolai more ſeculi lai indulgentiis munita. coaluerant ſæpius ad iſthoc templum religionis cauſa confluentes. Cumque nec tuerent hujus eccleſiæ Canonici, ne forte procedente tempore eorum pietas paulatim langueſceret, Romæ a quindecim Cardinalibus Guilielmo Oſtienſi, Oliverio Albanenſi, Jacobo Tuſculanenſi & Juliano Sabinienſi Epiſcopis, Stephano tt. S. Mariæ trans Tyberim Johanne tt. SS. Nerei & Achilei, Antonio Jacobo tt. S. Clementis Johanne Baptiſta, tt. S. Ceciliæ, Philiberto tt. SS. Johannis & Pauli Johanne Michaële tt. S. Marcelli, Hieronymo tt. S. Balbinæ, Petro tt. S. Nicolai inter imagines, dominico tt. S. Vitalis presbyteris, Franciſco S. Euſtachii & Raphaële S. Georgii Diaconis ſplendidiſſimas obtinuerunt diploma, quo iis copioſiſſimas indulgentias elargiuntur, qui ad fraternitatem hanc acceſſiſſent, ſeque erga eccleſiam SS. Simonis & Judæ exhiberent liberales. Quæ de re ipſos audire Cardinales præſtat:

GVILIERMVS Oſtienſis, *Oliverius* Albanenſis, *Jacobus* Tuſculanenſis, & *Julianus* Sabinenſis, Epiſcopi, *Stephanus* tt. Sanctæ Mariæ trans Tyberim, *Johannes* tt. Sanctorum Nerei & Achillei, *Antonius Jacobus* tt. Sancti Clementis *Johannes Baptiſta* tt. Sanctæ Ceciliæ, *Philibertus* tt. Sanctorum Johannis & Pauli *Johannes Michaël* tt. Sancti Marcelli, *Hieronymus* tt. Sanctæ Balbinæ, *Petrus* tt. Sancti Nicolai inter imagines, *Dominicus* tt. Sancti Vitalis, Pbri. *Franciſcus* Sancti Euſtachii & *Raphaël* S. Georgii Diaconi Miſeratione divina, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, viſuris pariter & audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Glorioſus & excelſus Dominus qui ſua mundum ineffabili claritate illuminat commovet & excitat cunctos Chriſti fideles ad benefaciendum, ut propter opera ſua bona, quæ in terris geſſerunt æternæ retributionis præmia & munera beatitudinis valeant & mereantur reportare in Cœlis. Cupientes igitur ut *collegiata Eccleſia Sanctorum Simonis & Judæ ac Matthiæ Apoſtolorum* Goslariens. Hildesemensis diœcesios, in qua ut accepimus *Venerabilis fraternitas utriusque ſexus hominum in*

hono-

honorem sancti Nicolai Episcopi & Confessorum pro salute vivorum & mortuorum ad restaurandamque dictam Ecclesiam est, quæ in suis structuris & ædificiis destituta ruinam minatur, causantibus querris & devastatione patriæ Ecclesiæ & prænimia vetustate & aliis sinistris eventibus indigeat reparationibus, non modicum sumptuosis, ad cujus & fraternitatis huhujusmodi sublevamen & onera perfruenda non extat facultas, sed sunt Elemosynæ Christi fidelium & suffragia multum necessaria, & oportuna; debite reparetur, conservetur & mauteneatur inibique fraternitas augmentetur, & ipsa Ecclesia congruis frequentetur honoribus, & a Christi fidelibus jugiter veneretur, ac Luminaribus, Calicibus & aliis ecclesiasticis ornamentis congrue fulciatur fideleſque ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem Ecclesiam, ac ad fulcimentum, conservationem & manutentionem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos, etiam supplicationibus pro parte dilectorum nobis in Christo fratrum & sororum dictæ fraternitatis super hoc inclinati de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui dictam Ecclesiam collegiatam in Sanctorum *Simonis & Judæ & Sancti Matthiæ Apostolorum Patronorum ipsius Ecclesiæ* Sanctæ & individuæ Trinitatis, Assumtionis Beatæ Mariæ Virginis nec non ipsius Ecclesiæ dedicationis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas inclusive devote visitaverint annuatim ac ad fulcimentum conservationem & manutentionem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, Nos Cardinales præfati & quilibet nostrûm per se pro singulis festivitatibus & diebus præfatis quibus id fecerint, Centum dies de injunctis eis pœnitentiis nimirum in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas exinde fieri, nostrorumque Cardinalatuum sigillorum fecimus appensione communiri. Datum *Romæ* in domibus nostrarum solitarum residentiarum sub anno a Nativitate Domini Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo nono. Indictione duodecima, die vero vicesima quinta Mensis Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini *Sixti* divina providentia Papæ Quarti, Anno octavo.

Privilegia Ecclesiæ SS. Sim. & Jud. confirmata.

Nec minus Sixtum Pontificem erga se beneficum experta est ecclesia SS. Simonis & Judæ, quippe qui hoc eodem anno MCCCCLXXIX. omnia hujus sacri privilegia luculento diplomate confirmavit. In quo cum Pontificem ad generalis Concilii placitum provocare videam, juvat integram bullam hic recitare, ut appareat, quo jure Pontifices se ultra Concilium extulerint.

SIXTVS Episcopus Servus servorum Dei Dilectis filiis *Decano* & *Capitulo ecclesiæ sanctorum Symonis & Judæ* Goslariẽn Hildesemẽn dioc. salutem & apostolicam benedictionem. Dum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alia indulta, vobis & ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & principibus ac aliis Christi fidelibus, vobis & eidem ecclesiæ rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, terras, domos, vineas, ortos & alia bona ad Mensam Capitularem dictæ Ecclesiæ legitime spectantia, sicut ea omnia, juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eisdem ecclesiæ & Mensæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus *salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis*. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignatio-

nem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. Kl. Junii Pontificatus nostri anno Octavo.

B. de Capitaneis.

Capella B. Mariæ ad Clusá a Nicolao Dec. Mont. S.

Denique nec prætereunda hoc loco ecclesia Montis S. Petri, Decano usa Nicolao, qui convocato Dominica post Matthæi Capitulo, consentiente Canonicorum suffragio jus patronatus in Capellam *B. Mariæ* Virginis apud Clusam in radice Montis S. Petri obtinuit, mox eam Capellam Rectori commisit Ludolfo Rodis. Quæ de re ipsa acta placet audire, cum hujus Capellæ nusquam videam mentionem fieri. Petri Jo. Rodis commit. titur.

ANno Dni MCCCCLXXIX Dominica post *Matthiæ Nicolaus* Decanus convocato Capitulo, in quo erat Dominus *Hildebrandus Lang*, *Ludolphus*, *Rodis*, *Johannes Erenus*, & *Bartholdus Girsebech* Canonici Residentes de consensu omnium factus Patronus & Collator solus & sui successores in Decanatu, tali adjecta conditione quod post possessorem præsentem nulli nisi Canonico residenti committat Capellam B. Mariæ Virginis ap. Clusam in pede Montis S. Petri, contulit prænominatam Capellam Domino *Ludolfo Rodis*, qui eam dotavit *14 marcis pecuniarum Goslarensium.* Idem Decanus eodem tempore dedit prænominato licentiam eandem permutandi.

Capella BB. Romani & Petri in Sudborch.

Faciunt quoq; hæc acta mentionem Capellæ BB. Romani & Petri in monte Sudborch olim celebris, atq; ad idē Canonicorum Collegium spectantis, cujus hodie nec vola amplius nec vestigium superat.

Anni Christi 1480. 1481.
Friderici IV. Cæs. 41. 42.
Ab V. C. 557. 558.

Guilielmus Barto Vicar.

LUstrabat tum hasce regiones Frater Guilielmus Barto fratrum minorum de observantia Cismontanarum Partium Generalis Vicarius, nec non reverendi Patris Vicarii Generalis Vltramontani Commissarius, non alia procul dubio de causa, quam ut Franciscanorum monasteria per eas regiones obvia visitaret eorumque disciplinam indagaret coram. Ingressus etiam hoc anno Richenbergense monasterium, satis benigne ab Henrico Priore ac Conventu excipitur, largis eleemosynis officiisque refectus. Quibus ut se gratum præstaret Guilielmus, monasterium Richenbergense in ordinis sui sodalitatem precumque communionem cooptavit. Exemplum literarum tale est.

Fraternitas Monastica.

VENERABILI ac religioso viro Domino *Henrico* Priori in Richenberg ordinis Canonicorum Regularium, nec non & omnibus sibi subjectis præsentibus & futuris Deo & *B. Francisco* devotis *Frater Guillermus Barto*, *fratrum minorum de observantia Cismontanarum partium Generalis Vicarius nec non Reverendi Patris Vicarii Generalis Vltramontani Commissarius.* Salutem ac pacem in Domino ac bonis perfrui sempiternis. Benignus vestræ devotionis affectus, quem ad ordinem nostrum geritis, præcipue ad fratres in regulari observantia viventes exigentia digna requirit, ut quia in temporalibus charitati vestræ nequimus reddere, in spiritualibus tamen quantum possumus & pro ut in nostris desideriis suppetit vitæ rependere conemur. Quapropter vos ad confraternitatem nostram recipio, in vita pariter ac in morte spiritualem vobis participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, orationum, suffragiorum jejuniorum, disciplinarum, vigiliarum, lectionum, prædicationum, laborum, cæterorumque bonorum omnium, conferendo quæ per fratres nostros & sorores S. Claræ, ac fratres & Sorores de pœnitentia, nobis qualibus subditos omnium bonorum auctor Dei filius fieri dederit, ut multiplici suffragiorum adjuti præsidio, & hic augmentum gratiæ & in futuro æternæ vitæ præmia mereamini possidere. Cupiens insuper, ut dum obitus vester, quem Deus ad fructuosa meritorum exercitia protrahere dignetur, nostris denunciabitur fratribus, pro quibus idem servitium faciant, quod pro nostris præcipuis benefactoribus in nostro ordine

dine eſt laudabiliter fieri conſuetum. In prædictæ autem conceſſionis teſtimonium ſigillum officii mei præſentibus duxi apponendum, Datum in *Richenberg* provinciæ ſaxoniæ anno Domini M. CCCC. LXXX. altera die *B. Andreæ Apoſtoli.*

Henningi Hild. Epiſcopo ſucceditBertoldus II. *Crane. metrop. lib. 12. c. 17. p. 329. Curæus. Sax. Pomar. p. 354. Reutel. p. 107. Chron. Epiſc. Hildeſ. MSC. c. 46. Bruſch. c. 11. n. 44. p. 1060.*

Proximo anno Henningus Hildeſienſis Epiſcopus ſenio jam fatiſcens curisque & rerum diſcriminibus feſſus ſignum receptui dedit, pactusque ſibi certam argenti ſummam vitæ honeſtæ tranſigendæ neceſſariam, ſacerdotium ultro tradidit Bertholdo Landsbergio, Verdenſi Episcopo, cujus potiſſimum conſiliis armisq; Hildeſienſem Episcopatum obtinuerat. Viro doctrina, prudentia rerumque uſu tam præſtanti, ut Juris utriusque Doctor & Decretalium Licentiatus renunciatus ſit. Patriæ quoque civili bello exhauſtæ tam utilem præſtitit operam, ut Reutelii teſtimonio veluti ſol radios ſuos in omnes extendens plauſum a ſingulis meruerit. Hanc tamen publicam tranquillitatem mox interrupit bellum civile cum Hildeſienſi Civitate geſtum, cui cum & Goslaria noſtra immiſta fuerit, infra de eo pluribus erit agendum. Utilis ſane ſuis Epiſcopus, religionisque ſtudioſiſſimus, magnusque religioſorum Mæcenas.

in rem omnibus ordinibus, ſed & eccleſiis *collectam*, quam vocant indixit. Poſtulatum etiam ab Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Canonicis, ut laboranti Diœceſano ſuo certam argenti ſummam penderent. Sed obſtitit Capitulum, exemtum ſe a jurisdictione Epiſcopi, aſſerens, nec ullo pacto ad præſtanda onera adigi poſſe. Epiſcopo tamen gravius ſubinde collectam urgente, ultroque pollicente, nihil hac re juribus ac libertati eccleſiæ detractum iri, demum morem geſſit Capitulum, ea tamen lege, ut nihil ſibi hac re de exemtionis juribus decederet. Verum ſtatim Eccleſia hæc ſenſit, quam periculoſum ſit, vel latum unguem de jure ſuo decedere. Mox enim Archidiaconus Goslarienſis ceteriique Epiſcopi officiales Canonicos & Vicarios in jus vocare, ad Synodos citare, multasque eis inferre injurias, quas nunquam antea ab Hildeſienſi ſede pertulerant. Res itaque delata ad Sixtum Pontificem, qui cognita cauſa, omnibusq; hujus Eccleſiæ privilegiis conſpectis, præclaro diplomate Eccleſiam in libertatem aſſeruit, ac Hildeſienſi Epiſcopo nec non Archidiacono Goslarienſi nihil juris in eam reliquit, Abbate ſimul Sanctorum Erfordienſi & Decanis S. Blaſii Brunſvicenſi & Bremenſi Judicibus & Conſervatoribus datis. Bullam licet paulo prolixiorem, vel ideo tamen non poſſumus non huc integram inſerere, quod pleraque hujus eccleſiæ privilegia recenſet, deque multis nos rebus admonet, alibi non obviis:

Judæ libertates violans.

A Sixto Pontifice compeſcitur.

Anni Chriſti 1483. 1484.
Friderici Cæſ. 44. 45.
Ab. V. C. 560. 561.

Bertholdus Hildeſ. Epiſcopus eccleſiæ SS. Simonis &

HIc Bertholdus ſimul ac ad Hildeſienſem Epiſcopatum translatus a Sixto Romano Pontifice confirmationem obtinuit, nihil habuit antiquius, quam eccleſiam ſuam temporum injuriis exhauſtam ac ad incitas pene redactam ab ære alieno, quo premebatur, liberare. Quam

SIXTVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Etſi univerſi orbis eccleſiæ apoſtolicæ ſedi, quæ diſponente Domino ſuper illas ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, ſubeſſe noſcuntur, aliquas tamen dicta ſedes de ſuæ poteſtatis plenitudine ſpecialius ſibi ſubdit. Sic eas a cujuslibet juris dictione eripiens, ut nullum niſi Romanum Pontificem ſuperiorem recognoſcant, conſtituendo eas quodam ſpeciali privilegio libertatis penitus exemtas, ut earum perſonæ votivis congratulentur eventibus & apoſtolicos ſe cognoſcant recepiſſe favores: & ut quæ propterea a Romanis Pontificibus & Catholicis Principibus provide emanaſſe dicuntur perpetuo illibata perſiſtant, libenter interponit ſollicitudinis ſuæ partes. Sane pro parte dilectorum filiorum *Præpoſiti, Decani, Capituli, Canonicorum, Vicariorum, Capellanorum, Rectorum Capellarum, Altariſtarum Servitorum & perſonarum* eccleſiæ SS. Simonis & Judæ opidi Goslarienſis Hildeſemenſis Dioceſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim claræ memoriæ *Fridericus primus* Roman. *Imperator ſemper Auguſtus dictam eccleſiam inclitam & præcipuam in dicto opido in quo illis temporibus dicti Friderici & aliorum plurimorum Imperatorum reſidentiam per multos annos fuiſſe aſſeratur diverſis domis a libertate ac privilegiis Imperialibus decoravit, ac in ſuis litteris Imperialibus eccleſiam ipſam gloriam*

coronæ

coronæ ſuæ appellando, quantum in eo erat, voluerit, quod nullus Epiſcoporum aliquem ex Canonicis Eccleſiæ Goslarienſis prædictæ excommunicandi, vel ne divina ibidem celebrarent, prohibendi, ſine conſilio & conniventia Imperialis majeſtatis poteſtatem haberet, Et deinde felicis recordationis *Leo Papa* prædeceſſor noſter eandem eccleſiam ab omni jure & Dominio ac leſione & moleſtia ſalvam eſſe nullamque metuere voluerit, advocatiam illius imperiali Majeſtati relinquendo: & bonæ memoriæ *Adrianus* Papa etiam prædeceſſor noſter dictam eccleſiam ſub Beati Pe- & dictæ ſedis protectione ſuſceperit, piæque memoriæ *Victor* Papa etiam prædeceſſor noſter eandem eccleſiam & ejus canonicos, qui pro tempore forent, ad Romanam eccleſiam pertinere voluerit ita, ur nullum metuerent & reſpicerent, prout in ſingulis prædeceſſorum & imperialibus literis prædictis plenis dicitur contineri, & ab immemoriabili tempore citra dicta eccleſia pro immuni ab omni onere ordinario ſive extraordinario ſe ſe tenuerit & ab aliis tenta & reputata fuerit, longiſſimo temporis ſpatio nichilonimus a modicis effluxis annis,citra,cum ob illarum partium deſolationem, agrorum depopulationem ac hoſtiles incurſus dicta eccleſia in bonis fructibus redditibus & proventibus ejusdem adeo diminuta & lacerata eſſet, ut pauci Canonici apud dictam eccleſiam valerent & reſiderent, Canonici ipſi ibidem reſidentes, quandoque ut creditur ob egeſtatem nimiam ab Epiſcopo Hildeſemenſi ordinario loci ultra debitum exemtionis protuitione & defenſione collectam ſeu gravamen eis imponi ſuſtinuerunt, collectam ſolvere conſenſerunt, & ea ut aſſerant conditione, quod illæſi in eorum exemtione per manerent, etiam ſolverunt venerabili Fratri noſtro *Bertoldo* Epiſcopo Hildeſemenſi aſſerenti propterea privilegia & libertatem dictæ eccleſiæ nullo modo infringere & infirmare velle. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatae perſonæ contra eorum exemtionem indebite & iujuſte perſæpe ab eodem *Epiſcopo* Hildeſemenſi ac ejus *Officiali* nec non *archidiacono* dicti loci tracti in cauſam & moleſtari ac intolerabilia damna & expenſas graves ſubire coacti extiterint, & quia poſſet a nonnullis veriſimiliter dubitari, an dicta exemtio læſa foret pro parte præpoſiti, decani & Capituli prædictorum aſſerentium dictam eccleſiam a ducentis & ultra annis ſemper exemtam ab omni munere ordinario & extraordinario ac collecta immunem reputatam fuiſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictæ antiquæ exemtioni robur noſtræ confirmationis adjicere & illas præmiſſorum occaſione infringi non poſſe decernere & declarare aliasque eis in præmiſſis oportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ex debito noſtri paſtoralis officii unicuique jus ſuum conſervare debemus, præpoſitum, decanum, capitulum, canonicos, vicarios, capellanos, rectores capellarum, altariſtas, ſervitores ac perſonas dictæ eccleſiæ a quibusvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſive abſolventes & abſolutos fore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati dictam antiquam exemtionem & inde ſecuta qnæcunque autoritate apoſtolica præſentium tenore veris exiſtentibus præmiſſis confirmamus & adprobamus ſupplemusque omnes & ſingulos defectus ſi qui forſam intervenerunt in eisdem & prætextu præmiſſorum infringi nullatenus poſſe eadem autoritate decernimus, & nichilonimus pro potiori cautela Præpoſitum, Decanum, Canonicos, Capitulum, vicarios, Capellanos, Rectores Capellarum, Altariſtas, Clericos, & perſonas dictæ eccleſiæ, qui nunc ſunt & pro tempore erunt, cum omnibus & ſingulis rebus beneficiis & bonis ad eccleſiam, præpoſituram, decanatum, canonicatus & præbendas, vicarias, Capellanias, Capellas, Altaria, clericatus & perſonas prædictas nunc pro tempore exiſtentes ab omni dominio, jurisdictione, ſuperioritate & correctione Epiſcopi Hildeſemenſis & archidiaconi loci prædictorum eorumque officialium & aliorum ordinariorum judicium quorumlibet dicta auctoritate perpetuo eximimus & totaliter liberamus

mus, ac ſub beati Petri & præfatæ ſedis protectione ſuscipimus, atq; noſtra, exemtosque immunes & liberos cum præpoſitura, decanatu, canonicatibus & præbendis, vicariis, capellaniis, capellis, altaribus, clericatibus, beneficiis bonis & rebus prædictis eſſe volumus, nobisque & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus & canonice intrantibus ac dictæ ſedi immediate ſubeſſe. Ita, quod præfati & pro tempore exiſtentes Epiſcopi Hildeſemenſes ac loci archidiaconus vel eorum officiales & quicunque alii ab eis ab cauſas audiendas deputati vel deputandi & alia quævis perſona quacunque dignitate ac autoritate præfulgeat etiam ratione delicti ſive contractus aut rei de qua ageretur, ubicunque committatur idelictum, vel ineatur contractus, ſeu res ipſa conſiſtat, nullam in præpoſitum, Decanum, Canonicos, Capitulum, Vicarios, Capellanos, Altariſtas & perſonas prædictos utpote prorſus exemtos excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliasque ſententias, cenſuras, ſive pœnas proferre ſeu infligere, aut in eos eorumque eccleſiam, præpoſituram, decanatum, canonicatus, & præbendas, vicarias, capellanias, altaria, beneficia, res & bona, jurisdictionem poteſtatem & dominium quomodolibet exercere aut ad provincialia vel ſinodalia aut alia concilia evocare præſumant, decernentes ex nunc omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias & quoscunque alios proceſſus, quasvis pœnas in ſe continentes, quos & quas adverſus eccleſiam, præpoſitum, Decanum, canonicos, vicarios, capellanos, altariſtas & familiares prædictos communiter vel diviſim res, bona & beneficia eorundem contra tenorem & formam exemtionis hujusmodi quomodolibet haberi contigerit, ſeu etiam promulgari & generaliter omnia & ſingula quæ ſecus ſuper his quomodolibet ſcienter vel ignoranter attemptari contigerit, irrita & inania ac nullius roboris vel momenti exiſtere, & nihilominus dilectis filiis *Abbati monaſterii Sanctorum Erfordenſ.* & *S. Blaſii Brunſvicenſ. Moguntinenſis ac Hildeſemenſis diœceſis nec non Bremenſ. eccleſiarum decanis* per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præmiſſa ubi quando & quotiens opus fuerit, fuerintque deſuper legitime requiſiti publicantes ac præfatis præpoſito, decano, Capitulo, canonicis, vicariis, capellanis, rectoribus capellarum, altariſtis & perſonis in præmiſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittant præpoſitum, decanum, capitulum, canonicos, vicarios, capellanos, rectores capellarum, altariſtas aliasve dictæ eccleſiæ perſonas contra præſentium literarum tenorem quomodolibet moleſtari. Contradictores autoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus felicis recordationis *Innocentii* Pp. IV. contra exemtos, quæ incipit: *Dolentes*, & *Bonifacii* Pp. VIII. ſimiliter prædeceſſorum noſtrorum, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel dioceſin niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam diætam a fine ſuæ dioc. ad judicium evocetur. Seu ne judices a ſede deputati prædicta extra civitatem vel dioe. in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant. Et de duabus diætis in concilio generali editis & aliis apoſtolicis conſtitutionibus nec non præfatæ eccleſiæ juramento, confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſvetudinibus contrariis quibuscunque ſeu ſi epiſcopo, archidiacono & officialibus prædictis vel quibuscunque aliis communiter vel diviſim a ſupra dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut extra vel intra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim dictis *Abbati* & *Decanis* ſi contingat, quod ad perſonas quæ pro executione eis factæ commiſſionis praedictae citandas tutus non pateret acceſſus citandi illas per edictum publicum in locis vicinis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod citationes ipſae poſſint ad eorundem citatorum notitiam pervenire facultatem concedimus per praeſentes, decernentes citationes ipſas, quas ſic fieri per edictum contigerit perinde eosdem ſic citatos arctare, ac ſi eis perſonaliter oſtenſae &

inſinuatæ forent. Et inſuper quia forſan difficile foret praeſentes literas ad ſingula loca, in quibus eas opus eſſet, deferre, volumus & apoſtolica autoritate praedicta decernimus, quod earum transumto manu publici notarii confecto & ſigillo alicujus praelati munito perinde in judicio & extra ubique fides adhibeatur prout praeſentibus originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitae vel oſtenſae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrae abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, conſtitutionis, exemtionis, liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, mandati, conceſſionis & decreti infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumſerit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romae apud Sctum Petrum anno incarnationis dominicae milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio. Id. Aprilis Pontificatus noſtri anno duodecimo.

C.
P. Pardo.
G. Neronius.
Jo. Horn. per alium.
A. Trapezuntius.
B. de Feltro
E. Arndes
Sinolfus.

Hildeſienſes Epiſcopo vectigal denegantes bello impetuntur. *Cranz. lib. 12. Sax. c. 35. l. 12 metr. c. 17. Chytr. lib. 2. Sax. p. 57. Lezner. lib. 2. Chron. Daſſel. c. 16. fol. 31. ſq. Bunting. part. 3. Chron. Brunſv. p. 257. part. 2. p. 437. part. 3. p. 502. Chron. Sax. Pomar. p. 354. Spangenb c. 342. Chron. Sax. & l. 5. Schan. venb. c. 31. p. 344. Chron.*

At multo magis repugnanten altero dehinc anno Bertoldus Epiſcopus expertus eſt civitatem Hildeſienſem. Proponebatur & his vectigal hiſce ſatis ſpecioſis conditionibus, ut cives de quovis dolio cereviſiæ tres ſolidos penderent, ad reſarciendum vero damnum congiis contractioribus uterentur. Displicuit hæc res civibus. Hinc Epiſcopum multis rogarunt, ne quid a libertate juribusque ſuis alienum obtrudere velit, a condita urbe nunquam cereviſiæ tributum impoſitum, nec parum ſubeſſe periculi, ne alia ſubinde ſuccederent onera, ſi hoc admitteretur, ſua intereſſe, dare operam, ne novis ejusmodi ac inuſitatis vectigalibus respublica turbetur. Epiſcopus licet ingenio eſſet placidiſſimo, a quibusdam tamen litium incentoribus adverſus civitatem concitatus tanto acrius cœpit vectigal exigere, extrema quævis comminatus, niſi morem gererent. Quo factum eſt, ut cives libertati ſuæ timentes aperte negarent, ſe quicquam Epiſcopo conceſſuros, quod anteceſſores nunquam exegiſſent. Hæc origo peſtilentiſſimi belli, quo tota hæc vicinia exarſit. Statim enim Epiſcopus civitati infenſus ſumma ope niſus eſt impotenti Hildeſienſium, ut interpretabatur, licentiæ modum ſtatuere, quem in finem cum Wilhelmo Duce Brunsvicenſi & Henrico ejus filio fœdus iniit, magnoque apparatu domandæ civitati ſe accinxit. Interea Hermanno ab Hauſen, Conrado de Schwicholt & Henrico ab Hardenberge in turbido erat conſilium, quippe qui jamdudum cum civitate colliſi eo ſecurius nunc eam vexabant, quo minus id displiciturum epiſcopo videbatur. Hinc obſidere itinera, cives ex urbe egreſſos verberibus affligere, in vincula rapere, argento emungere, plauſtra mercibus onuſta abigere, adeo denique premere, ut & ipſi adverſus imminens periculum fœdere cum Friderico Duce Brunsvico. Calenbergenſi inito præmunirent.

Annus Chriſti 1485.
Friderici IV. Cæſ. 46
Ab. V. C. 562

Ictis proinde utrinque fœderibus ſequente ſtatim anno ad arma itum eſt: properatumque a Wilhelmo Duce Brunsvicenſi, ut Fridericus Dux Hildeſienſium patronus imprudens imparatusq; opprimeretur. Hujus enim eo majori flagrabat odio, quod nuper Margaretam Comitiſſam Ritbergenſem ſpe prolis uxorem duxerat. Hinc contractis clam copiis ſuis accitisque ſociorum auxiliis Calembergam ex inſidiis adortus eam primo impetu expugnat, & Fridericum Ducem nihil tale ſubveritum captum primo Hardeſiam, deinde Mundam abducit, comitiſſam ſine dotalitio rejicit, cauſam interſerens, Fridericum vitio quodam mentis gerendæ reipublicæ minus idoneum eſſe. Calembergæ cuſtodiæ demandata Henrico ab Hardeſiberg jurato Hildeſienſium inimico, qui ſæpius facta inde eruptione Hildeſienſium agrum devaſtavit. Intercepto itaque Friderico Hildeſienſes præcipuo fœderato privati ad pacem procliviores eſſe cœperunt. Et quamvis Epiſcopus intervenire Hanſeaticarum civitatum arbitrio civitatem a vectigali abſolveret ſeque ejus jura ſarta tectaque ſervaturum polliceretur; nobilibus tamen quibusdam odia ſubinde inveterata inflammantibus in tantum erupit gladiorum impunitas, ut Hildeſienſes vix pedem portis efferre auderent. *Hild. Ep. Misc. c. 46. Schaten. l. 11. annal. Paderb. p. 257. part. 2.* Hildeſienſis belli initia & Friderici captivitas.

Quam

Goslaria aliæq; civitates & principes Hildesiensiũ causam suscipiunt.

Quamobrem damnatis pacis consiliis, apertum bellum continuis latrociniis antеponentes vicinos principes ac civitates ad sociale bellum invitarunt. Nec multum cunctati auxilia pollicentur Henricus Dux Brunsvico-Grubenhagensis, Henricus Episc. Mindensis, Conradus Episcopus Osnabrugensis, Comites Lippienses, Hojani, Schawenburgenses, Retbergenses, Dipholti, & hæ urbes ex Hanseatico fœdere Hildesiensibus sociæ Goslaria, Brunsvicum, Magdeburgum, Luneburgum, Gottinga, Eimbecca, Northemium, Hannovera & Stendalia, in quibus præcipuum Hildesiensibus præsidium positum videbatur. Quo comperto Wilhelmus Dux Brunsvicensis dato ad Prælatos nobilitatem & civitates suas edicto multis de Hildesiensium audacia conquestus serio prohibuit, ne quidquam in urbem sibi invisam inferri paterentur. At cives commeatu prohibiti sociarum civitatum opem imploratunt. Unde Goslarienses, Gottingenses, Hannoverani, Eimbeccenses & Brunsvicenses habito Brunsvici colloquio literis primo dein legatione Wilhelmum rogarunt, ut decretum hoc se inconsultis factum ac cum extremo reipublicæ detrimento conjunctum refigeretur, polliciti, si quæ lites inter Henricum Ducem & Hildesienses obortæ fuissent, se daturos operam, ut aut ex æquo bonoque, aut jure sopiantur, sin armis decertare malit, non posse se facere, quin sociæ urbi ex pacto ferant suppetias. Quibus Wilhelmus Hildesienses inquit, ab Episcopi sui obsequio dilapsos, nec monitis amplius, nec comminationibus præbere aures, hinc nec se unquam commissurum, ut Episcopus tam arcto fœdere sibi conjunctus a suis exagitetur. Interea Bertoldus quoque Episcopus, ne quid Hildesiensibus inferri posset, vias omnes intercluserat, vicinasq; arces firmaverat præsidiis, ratus se cives fame ad deditionem compulsurum. Nec minus Hildesienses cognito Episcopi animo se hostes ejus professi sunt, freti sociarum civitatum auxilio, quæ magno apparatu futuro bello se accingebant. Jamq; res mutuis depopulationibus velitationibusque agebatur, cum Henricus Brunsvicensis junctis sibi Episcopi copiis sub paschatis festivitatem urbem obsidione incingeret, castraque ad montem, cui patibulum nomen dedit, explicaret, extrema quævis interminatus, nisi ad obsequium redeant. Hinc adductis in castra tormentis cœpta magnis animis oppugnatio, verberata mœnia, omnibusque admotis machinis tentatum, si forte lacunæ ad insultum possent aperiri. Sed tanta fuit militis præsidiarii virtus, tanta civium solertia, ut in cassum sub mœnibus hærerent hostes, & mox veriti civitatum adventum, soluta obsidione discederent, non nisi villis quibusdam & speculis extra civitatis pomœria incensis.

Hildesia frustra ab Episcopo tentata.

Hac fortuna sua Hildesienses animosiores redditi pleno agmine in Brunsvicensium Ducum Episcopique agros involant, abactisque subinde pecoribus, locupletes prædaque onusti in urbem redeunt, mox majora ausi facta eruptione Hohenhamelam in Peynensi præfectura sitam invadunt, templum plurimis vicinorum bonis repletum in cineres vertunt, Johannem de Steinberge & Bartholdum de Rutenberge, quibus Episcopus Peinensem arcem tuendam crediderat, aliosq; centum & sexaginta viros captos secum abripiunt. Nec segnius ceteri fœderati occasionem rei gerendæ aucupabantur. In his Comes præcipue Ritbergensis Wilhelmo Brunsvicensium Duci ob illatam sorori injuriam infestus irasque & ultionem spirans cum delecto Westphalorum equitatu Hildesiensibus auxilio properat, majore tamen animo, quam fortuna. Henricus enim Wilhelmi Ducis filius, ut erat manu promtus, comperto Comitis adventu viam, qua transeundum erat militibus suis occlusit, rerumque ignaros advenas prope montem Peutersberg mense Junio tanto prælio fudit, ut cæsis plurimis ipse Comes strenui non minus militis, quam fortissimi Ducis partes executus aliique octoginta nobiles vivi in Ducis venirent potestatem, multo deinde ære redimendi.

Hildesienses Hohenhamelã incendunt.

Comes Retbergensis, Hildesiensibus auxilio properans captus.

Lætus hac victoria Henricus Brunsvicensis in ipsam Hildesiam tanta auxilio privatam denuo omnem belli molem convertit, ratus, ea occupata, bellum uno actu confectum iri. Eo igitur appetente jam æstate, omnem exercitum, quem cum Episcopi copiis octo armatorum millia compleviſſe ferunt, omnesque quas potuit, machinas admovit, actisque vineis continuis tormentorum ictibus, mœnia quassavit. At eadem virtute cives pro Penatibus suis pugnarunt, freti inprimis turrium mœniumque fortitudine, quæ hostes in cassum machinis suis tentabant. Erat tum in urbis præsidio Henricus de Lawenburg acerrimus bello juvenis, qui cum delecta equitum manu sæpius extra portas egressus, hostibus se objecit, vineas confudit, fossores obtrivit, & non unam adoream pugnando reportavit. Quamvis igitur mœnium firmitas, militisque præsidiarii fortitudo facile omnes hostium machinas eluderet, fames tamen rerumque inopia cives mox fatigare cœpit, quod hostes truges omnes in Hildesiensi agro devastaverant. Quo cognito sociæ urbes coëmtis multis frugibus esurienti civitati subvenire parabant. Collectis enim Brunsvicio ducentis & quinquaginta plaustris frugibus repletis, mille & quingentos addidere milites, qui darent operam ne plaustra in hostes inciderent. Hisque cum impedimentis VIII. Id. Augusti versus Hildesiam moverunt, ac sequente die civibus obviam ex urbe effusis, quicquid secum attulerant tradiderunt. Hostes igitur

Altera Hildesiæ obsidio.

igitur mox expugnationem deſperantes ſoluta obſidione militeque pet agrum diviſo ſpatium dedere Hildeſienſibus novas contrahendi vires, iilatasque ſibi injurias in Epiſcopum vindicandi.

Novum Epiſcoporum Comitú & Civitatum fœdus pro liberanda Hildeſia.

Magna inter hæc invidia conflatur Wilhelmo Brunſvicenſium Duci, quod Margaretham Ritbergenſem negato dotalitio ex Friderici Calenbergenſis thoro detruſerat, ipſumque Comitem Ritbergenſem in ſua tenebat poteſtate. Tanta enim illuſtri familiæ illata ignominia omnem ferme Weſtphaliam Saxoniamque protraxit in arma, pluresque utriusque Saxoniæ proceres provocavit, ut ultro civitatis partes ſuſciperent. Sub Laurentii feſtivitatem fœdus pro liberanda urbe percuſſerunt Conradus Epiſcopus Osnabrugenſis, Simon Paderbornenſis, Henricus Mindenſis, Ericus, Antonius, Johannes & Otto Comites Holſatiæ & Schaumburgi, Juſtus Comes Hojæ & Brockhuſii, Bernhardus Lippiæ Dominus, Rudolphus dominus Dipholti & civitates Goslarienſis, Magdeburgenſis, Brunsvicenſis, Luneburgenſis, Hildeſienſis, Gottingenſis, Stendalienſis & Hannoverana. Extant apud Leznerum tabulæ de hoc fœdere conſignatæ, quibus ideo ſe ad arma excitos fœderati profitentur, quod Fridericus Dux Brunsvicenſis morbo decumbens ac invitus e conjugis amplexibus abreptus non ſatis laute pro dignitate habeatur, ditiones Friderici a Wilhelmo detineantur, Margaretha Ritbergenſis dato veluti repudio a conjuge detracta proventu dotalitio defraudetur, Comes Ritbergenſis bello nondum denunciato in via publica profligatus in vinculis habeatur, Hildeſienſes ab Epiſcopo juribus ſuis ac privilegiis ſpolientur, alteraque jam vice obſidionem ſuſtineant, ceteræ denique civitates libero commercio cum inſigni detrimento prohibeantur. Atque his quidem tabulis cautum eſt fœdus viginti annos duraturum, ſe Epiſcopum Hildeſienſem cum vaſallis nec non Wilhelmum & Henricum Duces Brunsvicenſes communes hoſtes habituros, omnibusque viribus oppugnaturos, diffidationis literas ſtatim miſſuros, quendam e Comitibus cum quinquaginta equitibus ad civitatum copias acceſſurum, ſummæq; belli prætuturum, arces ac pradas communi exercitu partas ex æquo inter Dominos & civitates dividendas, quæ ſinguli deviciſſent, ſingulis propriis futura, nullum denique fœderatorum inconſultis ceteris pacem cum hoſtibus initurum.

Civitatú ſociarum expeditio.

Adulta jam æſtate Civitates Goslaria, Magdeburgum, Luneburgum, Gottinga, Stendalia equitatum ſuum aliosque quos conſcripſerant pedites Brunſvicum veluti ad diribitorium dimiſere, quorum acceſſu octingenti equites & ſex peditum millia completa ſunt. Hæc inſtructiſſima manus XI. Calend. Octobris Brunsvico Hildeſiam verſus inſtituto itinere ad Bethmarienſes usque limites nullo prohibente perrexit. Et quamvis Dulpenſtadio ex inſidiis cum quingentis equitibus & tribus peditum millibus occurreret Henricus, ratus ſe civitatum copias in itinere facile oppreſſurum, tanto tamen agmini minus ſe parem deprehendens re infecta diſceſſit. Protinus igitur advenientibus civitatum copiis ſe jungunt Hildeſienſes dieque inſequente tranſita Hannovera ad montem Peutersberg, ubi Ritbergenſis nuper Comes captus fuerat, caſtra metantur. Huc cum Weſtphalorum copiis advolat Bernardus Lippienſis, cui ſumma belli a Civitatibus demandata fuerat quem deinde Simonis Paderbornenſis Conradi Osnabrugenſis ceteræque ſociorum copiæ ſecutæ ſunt. Tanta belli mole VII. Calendas Octobris primo Sarſtedum obſederunt, injectoque igne primo impetu ſub ſuam redegerunt poteſtatem vicinis ſimul agris undiquaque ferro flammaque devaſtatis. Nec ſegnior Henricus Dux Brunſvicenſis Heinricum Ducem Brunſvico Grubenhagenſem adortus omnia cædibus, incendiisque miſcuit. Quem in ſecutus Henricus Grubenhagenſis in Calenbergenſi ditione par pari retulit, multa cum præda domum reverſus. At civitatum copiæ, Weſtphalorum peditatu cum inpedimentis domum remiſſo, repetito per Hannoveranum & Hildeſienſem agrum itinere Brunſvicum inſigni præda locupletatæ redierunt. Guelpherbytanam arcem obſidione tentaturæ, niſi cœli injuriæ eis hoc conſilium extorſiſſent. Ne tamen nihil agere viderentur Leuenburgenſem præfecturam nobis vicinam devaſtarunt, Gebershagio etiam capta direptaque. Interjecto tempore Henricus Brunſvicenſis arma in Gottingenſes potiſſimum convertit, raptisque e Fredelandenſi præfectura pecoribus Lemmershuſam, Volkerodam, Oedershuſam aliosque pagos, quos pignoris loco a ducibus acceptos poſſidebant, incendio delevit, ac Uslarienſibus in ſocietatem belli vocatis Wendam, Roringam Geismariam, Immeſſam, Roſtorſum & Holzhuſum delevit. Idem quoque Gronenſibus comminatus pagum incendit. Sed ruſtici pecoribus ceterisq; facultatibus ſuis in coemiterium allatis arma arripuerunt, conſiliumque ceperunt, ſua pro virili tuendi. Diu ancipiti fortuna decertatum eſt, cum Gottingenſes cum delecta civium manu ex urbe effuſi periclitantibus ſubvenirent. Quo comperto Henricus copias Hardeſiam atque inde Brunſvicum reduxit, multosque Brunſvicenſium pagos in Aſſeburgenſi præfectura flammis delevit. Gottingenſes tot pagorum ſuorum excidio irritati abſente Henrico facta ſæpius irruptione arcem Harſtenſem occuparunt, Sethmarshuſum, Fermiſſam, Hedemundam, Schoningam ad Vslariam aliosque vicos & pagos depopu-

populantur; Dransfeldensibus pecora civesque abripiunt, tantoque terrore viciniam implent, ut rustici vix pedem domibus efferrent. Pari animorum magnitudine Goslarienses rerum suarum sategerunt. Accersitis enim Brunsvicensium auxiliis cum bis mille militibus in Leuenburgenses & Slademenses agros effusi Schwigholtorum præcipue bona invadunt, diripiunt, incendunt, multaque collecta præda redeunt domum.

Pax a Cæsare frustra tentatur.

Dum itaque inferior hæc Saxonia bello, deprædationibus, incendiis, alterutrisque partium cladibus mirum in modum lacerratur, Fridericus Cæsar nihil habuit antiquius, quam bellantes Principes & Civitates a Civili dissidio ad concordiam revocare, idque egit eo sollicitius, quo gravius Austriæ ab Hungarorum rege periculum imminebat. Dato itaque ad universos diplomate Albertum Ducem Saxoniæ & Johannem Brandenburgensem Marchionem arbitros obtulit, extrema comminatus, si horum adspernari sententiam auderent. Edictum Cæsaris a Leznero prolatum hic quoque comparere jussimus:

WIr Fridrich von Gottes Gnaden / Roemischer Keiser zu allen Zeiten mehrer des Reichs / zu Hungern / Dalmatien / Croatien etc. König / Hertzog zu Oesterreich zu Steier etc. Entbieten / den Ehrwirdigen und Hochgebohrn Bartolden Bischoff zu Hildesheim / und Wilhelm H. zu Braunschweig unsere lieben andechtigen Ohmen und Fürsten unser gnad und alles gut. Ehrwirdiger / Hochgeborner / lieber andächtiger Ohme und Fürst / an uns gelanget / wie sich zwischen eurer eins / und den Stedten Hildesheim / Brunschweig und ihren anhengern des andern theils / Irrung / spen und Zwitracht verhalten / daraus / wo dem nicht fürkommen / Krieg und Unfride erwachsen / welches uns und unserm furnemen und Wiederstand des Königs zu Hungern Krieg (welchen Er wieder uns und unsere Erblender ohn alle erbare ursach gefüret / daran nicht allein uns / und denselben unsern Erblendern / sondern auch dem H. Reich Teutscher Nation und gemeiner Christenheit mercklichen und gros gelegen ist) zu beschwerlicher Verhindernis und weiter einzureissen / kommen möchte / welches uns in keinem wege zu dulden / noch zugestatten gebühren will. Haben solches zu vorkommen / und euch zu beyderseits für schaden und verderben zu hüten. Den Hochgebornen Albrechten Hertzogen zu Sachsen / Landgr. zu Thüringen / Marggr. zu Meissen und Johansen Marggr. zu Brandenburg. unseren lieben Ohmen und Fürsten befohlen / und unsere vollkomene macht und Gewalt gegeben / sich umb dieselbigen Irrung / spenn und Zwitracht durch sich selbst / oder durch die ihren / an unser stadt und in unserm Nahmen / gütlich oder rechtlich zu entscheiden. Und gebieten euch darauf bey den pflichten / damit ihr uns / und dem Heiligen Reich verbunden seyd / und verlierung enrer Regalien / Gnaden / Freiheiten / Privilegien / und was ihr von uns und dem Heiligen Reich habet / auch zu vermeidung unser und des Heiligen Reichs schwere ungnade und Straffe / von Römischer Keyserlicher Macht / ernstlich / und wollen / daß ihr euch austrags der Sachen von den fürgemelten unsern lieben Ohmen und Fürsten von Sachsen und Brandenburg / als unsern Keyserlichen Commissarien begnügen lasset / und mit der That gegen den genandten Stedten / ihren anhengern / nach den ihren / nichts furnemet / handelt noch thut / noch jemand von eurent wegen heimlich noch offentlich zu thun gestattet in keinerley Weise / damit wir möchten geursachet werden / gegen euch als unser und des Reichs ungehorsame und widerwertige / mit den obgeschriebenen und andern pœnen / straffen und bussen / wieder euch zu handeln / daran thut ihr unsere ernstliche meinung / denn wo ihr euch hierinn ungehorsam erzeigen / des wir uns doch zu euch nicht versehen / würden wir euch mit Hülff des heiligen Reichs zu straffen und zu gehorsam zu bringen unterstehen. Deßgleichen wir denn gemeldten Stedten und ihren anhengern auch geschrieben und geboten haben / darnach wisset euch zu richten. Geben zu Bamberg den 25. Octob. Anno Domini 1485. unsers Keyserthums im 34. Jahr Indict. 2. als Innocentius Octavus Römischer Bapst war.

Accepto Cæsareo edicto Albertus Saxo & Johannes Brandenburgicus litigantibus diem dicunt jubentque omnes post octavas Epiphaniæ Servestæ adesse; caujamque de turbata pace publica dicere; polliciti aut ex æquo bonoque, aut legum rigore lites se composituros. Quamvis igitur civitatum legati itineri se accinge-

rent, Epiſcopus tamen cum fœderatis armis rem agere non deſtitit, Hildeſiam noctu per inſidias tentavit, cives urbem egreſſos captivos abduxit, Brunsvicenſium pagos incendit, quatuor plauſtra plumbo onuſta Goslarienſibus ademit, eoque ſocias civitates adegit, ut & ipſæ, damnatis pacis conſiliis, arma reſumerent miſſisque ad Albertum Saxonem & Joannem Brandeburgicum literis multum ſe de deſerto vadimonio excuſarent.

Annus Chriſti 1486.
Friderici IV. Cæſ. 47.
Ab. V. C. 563.

Redintegratur utrinq; bellum.

REjectis itaque pacis conſiliis bellum hoc graviſſimum in alterum quoque annum magno animorum motu protractũ eſt. Et Gottingenſes quidem, quos inprimis Hermannus ab Huſen pagis Knutbeiten & Dransfelda direptis atque incenſis ad ultionem provocaverat, emiſſo Dethmaro de Adelveſſen Centurione ſuo Jundam Hermanni ab Huſen receptaculum invadunt, captaque arce & incenſa ipſum Hermannum cum plurimis aliis in civitatem abducunt, tot plebis concurrentis contumeliis exceptum, ut nec a carminibus quidem Satyricis abſtineretur. Nec minori felicitate Brunsvicenſes Hildeſiæ fruges victumq; neceſſarium adduxerunt, pagis ſimul Oberg, Smidenſtet & Munſtet in reditu incenſis. At Henricus Brunsvicenſis Gottingenſibus quam maxime infenſus ex Hardeſia cum quadraginta equis excurrens prædia nonnulla devaſtavit, quam calamitatem Gottingenſes ſtatim pagorum Heddenhuſen, Ellingerode, Lichtenborne, Schlerbek, Erlingehuſen, Leſenrode aliorumque excidio ulti ſunt. Sed & ceteris locis inter principes civitatesque mutuis excurſionibus decertatum eſt, nonnunquam etiam ad velitationes perventum, quibus plures equites & in his Johannes de Malsburg cæſi aut capti fuerunt.

Pax denuo fruſtra tentata. *Lehm. Chron. Spir. p. 7. c. 118. p. 989 ſqq.*

Dum hæc aguntur Fridericus Cæſar Francofurti ad Mœnum ſplendidiſſima principum comitia habuit, in quibus Maximilianus ejus filius non modo Germanorum Rex electus, verum etiam ſubſidium Cæſari adverſus Matthiam Hungarorum Regem Auſtriæ gravem promiſſum eſt. Quem Regem jam expugnata Vienna ferocientem, ut eo felicius Cæſar compeſceret, denuo pacem publicam præclaro edicto in decennium ſancivit, & principes inprimis ac civitates bello Hildeſienſi immiſtos, arma ponere, pacisque leges admittere juſſit. Quam in rem arbitros ſe obtulerunt Landgravius Haſſiæ & Simon Paderbornenſis Epiſcopus, qui utraque parte Gottingam vocata de pace concordiaque reſtituenda agere cœperunt. Acceſſere eo legati Goslarienſes, Magdeburgenſes, Brunſvicenſes, Luneburgenſes, Hildeſienſes, Eimbeccenſes & Northeimenſes; Principes quoque ſuos ad tractationem hanc ablegaverant. Sed quæ partium erat pertinacia, in caſſum laborarunt arbitri, protinusque ad arma reditum eſt, alternisque cladibus in communis patriæ viſcera ſævitum. Vix ſoluto hoc conventu denuo venerunt Alberti Saxonis & Johannis Brandeburgenſis literæ, quibus Cæſaris nomine belligerantes ſub feſtum corporis Chriſti Serveſtam ad interdictum evocati, quo niſi veniſſent, fore, ut communibus Imperii viribus ad pacem adigantur. Sed cum Epiſcopus & Henricus Brunſvicenſis ita itinera omnia militibus intercluſiſſent, ut minus tutum videretur in viam ſe dare, Civitates denuo cauſas, quamobrem Serveſtam venire nequeant expoſuerunt, multum ſimul de principum injuriis conqueſtæ. Literæ hæc quibus & Goslarienſes bina plauſtra mercibus onuſta in via publica ſibi erepta denunciant a Leznero in Daſſelenſi Chronico recenſentur.

Jam ante in Gottingenſi conventu Civitates Brunſvicenſes ad ſuſcipiendam pacem compellere, Idq; ſingulæ pro virili ſua parte præſtiterunt. Gottingenſienſes, Nortenſes pecoribus ſpoliarunt, præſidiarium militem ex arce Hardenbergenſi per inſidias prolicitum reditu prohibuerunt, partem ceperunt, partem ceciderunt, partem vulneribus confoſſam diſpulerunt. Eadem fortuna Gladebeccenſibus, Immeſſenſibus, Schedenſibus, Luttichenrodanis, pecora abegeunt. Brunſvicenſes Heſſenſem arcem & Vaelbergam tentarunt. Northeimenſes, quorum fruges nuper Henricus Brunſvicenſis perdiderat, aucti Eimbeccenſium, Gottingenſium, Goslarienſium, Luneburgenſium & Brunſvicenſium copiis Noertam obſederunt, adeoq; tormentis terruerunt cives, ut incenſo oppido, fuga ſibi conſulerent. Eadem opera ſociæ urbes Hardenbergenſem arcem tormentis tentarunt, quamvis mox deſperata expugnatione diſcederent. Henricus Dux Brunſvico Grubenhagenſis & ipſe fidē ſociis probaturus Wolbrechtshuſũ, Hevenhuſen, Luttringehuſũ, Tudingehuſum & Blankenhagam in Hardeſſiana præfectura incendio delevit. Expugnate Noerta ſociæ civitates tranſita Eimbecca in Gandersheimenſem & Wincenburgenſem agros fecere irruptionem, omniq; regione ferro flammaq; devaſtata ultra tria pecorum millia Eimbeccam abegere.

Goslarienſes Hartzburgum expugnant,

Interea dum foris Goslarienſium copiæ ſociarum civitatum agmini junctæ bene rem gerunt, Cives quoque qui domi remanſerant majora auſi ſunt. Præminebat in vicinia noſtra arx Harzburgenſis nuper denuo reædificata fortique firmata præſidio, qui ſæpius facta eruptione

non

mox ingenti clade afficiuntur.

non itinera tantum intuta reddidit, verum Goslariensibus etiam eorumque pecoribus struxit insidias. Quo periculo se liberaturi cives III. Non. Julii arcem hanc adorti primo insultu sub suam redegerunt potestatem, omnesque præsidiarios milites captos secum Goslariam abduxerunt. Male habuit Henricum Ducem jactura arcis munitissimæ, ideoque id præcipue egit, ut parem eis cladem inferret. Hanc in rem vocatis in subsidium Bertholdi Episcopi copiis qnadringentos equites pone monasterium Richenbergense in insidiis locavit, ipse cum paucis Goslariam adequitavit simulans se Goslariensium pecora intercepturum. Quo viso cives nostri recenti victoria elati turbatis ordinibus ex urbe prorumpunt, rati se Ducem tantilla manu stipatum facile oppressuros. Sed dum audacius, quam cautius hostes perurgent, delati in insidias tanta multitudine circumeuntur, ut nec armis se expedire nec fuga evitare periculum liceret. Viginti itaque cives occubuerunt, quadringenti & quinquaginta cum centurione suo Wetekindo de Uslar Bockelheimium in captivitatem abducti, ducentis deinde florenis liberandi. Ferunt prorumpentibus civibus in porta restitisse militem quendam veteranum Cunonem de Bardelleben casuum ejusmodi peritissimum, qui animadversa civium audacia, nullo ordine Ducem insequentium ingenti clamore eos revocavit, cujus consilio cum non parerent, sed ceteri quoque ad eruptionem pararent: *Cernitis*, inquit, *turbatos ordines vestros multudine circumventos cadi, capi, fugari nonne sibi consuluissent melius, si monitis meis obsecuti cautius per ancipitia loca processissent? Et quid nisi in præsentissimum prorumpitis periculum? Si jam eo loco essetis, nullum vobis majus beneficium præstari credheretis, quam fugam, si permitteretur, intentare.*

Hannovera frustra tentata ab Episcopo & sociis.

Interjecto tempore Bertholdo Hildesiensi Episcopo auxilio quoque venerat Bogislaus Dux Pomeraniæ, cujus copiis fretus Henricus Dux Brusvicensis Hannoveram intercipere moliebatur. Quo comperto Hannoverani, missis ad civitates legatis auxilia flagitabant, magnum sibi imminere periculum denunciantes, nisi quam celerrime sibi subvenirent. Nec mora civitates Hannoveram misere Jacobum Schumacherum Luneburgensem cum centum equitibus, & trecentis peditibus, qui a Luneburgensi Duce deducti feliciter Hannoveram ingressi sunt. Altero dehinc die luculento exercitu urbem cinxerunt Bertoldus Hildes. Episc. Henricus Dux Brunsvicensis & Bogislaus Pomeranus depopulatiq; agros speculam urbi vicinam & laterariam incenderunt. At præsidiarius miles facta eruptione tanto impetu Principum castra turbavit, ut de occupanda urbe desperare inciperent, exactisque tantum binis diebus signum receptui darent.

Mutato itaque consilio Principes exercitum in Hildesiensem agrum reduxere, castrisque inter Steurwaldensem arcem & urbem explicatis, cives veluti e longinquo obsederunt. Nec tardior cum civitatum copiis adfuit Henricus Dux Brunsvico Grubenhagensis, qui commisso acri prælio, eos tanta clade affecit, ut castra movere sint coacti. Arcibus itaque per diœcesin præsidio munitis facto per Gandersheimensem agrum itinere Gottingenses regiones vexarunt, majori plerumq; sua quam civitatum clade.

Principes ex Hildesiensi agro pulsi.

Animadvertens igitur Bogislaus, Dux Pomeraniæ, socios suos sustinendæ belli moli minus pares esse futuros, quamdiu totius Westphaliæ, Saxoniæque vires adversus eos in armorum societatem trahe-rentur; novum cepit consilium, hostesq; oblatis pactis divisit in partes, ratus se facilius civitates ad pacem coactarum, si potentissimos iis socios subtraxisset. Westphalis itaque Episcopis & Comitibus Hamelam ad tractationem invitatis diu multumque de stabilienda pace egit eoque rem perduxit, ut desertis sociis IV. Calend. Septembr. in has leges consentirent, ut Margarethæ Retbergensi Friderici Ducis Conjugi arx Sesumenss jure dotalitio concedatur, mortuoque Friderico Duce quinque aureorum millia numerentur, Comes Ritbergensis numerato mille & quadringentorum aurcorum lytro captivitate solvendum, Erico Comiti Schauenburgensi ad resarciendas impensas mille florenos dentur, equites Westphalici Civitatum socii in patriam revocentur, civitates deniq; belligerantes, nec milite, nec alio subsidio imposterum juventur.

Westphali facta pace a civitatum societate discedunt.

Westphalis itaq; Hamelensi pacificatione reconciliatis Bogislaus cum copiis suis multum attritis domum rediit. At civitates tot licet sociis privatæ nihilo segnius rerú suarum sategerunt omnem Hildesiensem Diœcesin depopulatæ. Ultimum hujus tragœdiæ actum viderunt Hildesienses, quos frangere Episcopus summa ope annisus est. Locato enim in insidiis lectissimo milite equites nonnullos ad mœnia usque jussit pergere, ratus cives ex urbe ad pugnam se esse prorepturos, quos deinde ceteri in insidiis latitantes facile essent oppressuri. Sed fefellit eum sententia, Hildesienses enim, viso vexillo, ex Stuerwaldensi arce prominente, quod signum militibus datum fuerat statim in suspicionem venerunt insidiarum, memoresque Goslariensium cladis mox se intra mœnia receperunt, explosisque e vallo tormentis hostes in fugam egerunt.

Hildensibus insidiæ struuntur.

Tandem aliquando omnes tædium cruenti belli subiit, eoq; res arbitrorum interventu rediit, ut civitates facta pace cum Episcopo & Principibus in gratiam redirent. Extant de hac pace binæ tabulæ apud Leznerum diligentissimum hujus belli scriptorem, ad recentioris styli formam

Pax redita.

ut videtur redactæ, quarum partem in quantum Goslariam noſtram ſpectant hic placet inſerere: En igitur transactionem inter Epiſcopum & Civitates.

IM Jahr nach Chriſti unſers HErrn Geburt 1486 Mitwoch nach Luciae haben wir Bartold Biſch. zu Hildesh. Adminiſtrator der Kirche zu Verden von unſer/ unſer Mannſchafft Land und Leut/ und aller derjenigen/ die unſer Anhenger/ Helffer und Mitverwandten ſein/ Und um unſert willen billig thun und laſſen ſollen/ auff eines. Vnd wir Städte Goßlar/ Magdeburg/ Brunſchweig/ Lüneburg/ Hildesheim/ Göttingen/ Stendel/ Hannober/ Eimbeck und Northeim/ von unſert/ unſer Mitverwandten/ Helffer und Bundesgenoſſen/ anders theils/ GOtt und Marien der H. Jungfrauen zu Lob und Ehren/ und den Landen zum beſten/ die zwieſpaltigen Spenn und ſache/ dadurch unvelle/ Fhede und Grain entſtanden/ uns gütlichen vereiniget/ vertragen und verſühnet/ im nachbeſchriebener Weiſe. **Zum erſten** Vmb die von Goßlar nehmen wir obgedachter Biſchoff für uns/ unſer Mañſchafft und Anhenger/ die von Goßlar und die ihren mit den andern Städten in die Sühne/ und umb alle ander Gebrechen zwiſchen vns vnd ihnen ſollen vnverzeihen ſein vnd ſtahn auff dem Hochgebohrnen Fürſten Herrn Albrecht H. zu Sachſen/ ſolcher maſſen/ als es zwiſchen ſeiner Liebe und Hochgebornen/ F. Herrn Heinrichen zu B. und L. Hertzogen verlaſſen iſt.--- Anlangend die Gefangen von Goßlar/ iſt gehandelt/ bedinget/ und ausgeſprochen/ daß alle Reißige und Fußknechte/ ſo gefangen und wiederum ihre Gefangene ſeyn/ ſollen alle gegeneinander gequittiret ſeyn. Auch Bürger und Bauren von beiden theilen ſollen auf genugſame Bürgen biß zu Lichtmeß nechſtkommend betagt ſeyn/ vnd vnbetaget Geld ſoll bis an die vorbenandte Zeit vngenanet bleiben.--- deß zu vrkundt und mehrer wiſſenheit haben wir **Bartold** Biſchoff zu Hildesheim vnd wir Räthe der Städte Brunſchweig und Hildesheim für vns und die andern Erbarn Städte und Bundesverwandten vnſere Inſiegel an dieſen Brieff wiſſentlich thun hengen/ vnd ſind dieſer Brieffe zwey eines Lauts der einer bei vns der vorgenanten Biſchoff/ vnd der ander bey dem Raht zu Brunſchweig zu behuff aller der die damit zu thun haben gelegt. Hierbey/ an und über ſeind geweſen/ die würdigen/ Acht- vnd Erbaren Herren/ Herr **Tilo Brandes**/ Probſt der Kirchen des Heiligen Creutzes/ Herr **Henning Helleman**/ Decanus der Kirchen S. Andreä zu Hildesheim/ Herr **Lotze von Lochow**/ und Herr **Albrecht** von der **Schulenburg** Thumbherren/ als gütliche Mittler vnd Liebhaber des Friedes/ vnd vor Zeugen der erleuchte und Hochgeborne F. und H. Herr **Wilhelm** vnd Herr **Hinrich** ſein Sohn zu B. und L. Hertzogen. Von verordenten Räthen Herr **Otho** von der **Malsburg**/ Ritter/ Herr **Johan Zippolle** Cantzler/ **Johan** von **Hevenſen**/ vnd **Heinrich Knuth**. &c.

Ejusdem fere exempli transactio inter Wilhelmum & Henricum Duces Brunſvico Luneburgenſes & Civitates ſocias facta eſt, qua Goslarienſes quoq; penitus ſunt in gratiam recepti, niſi quod Hartzburgenſis cauſa Alberto Duci Saxoniæ cognoſcenda relicta ſit.

ZUm andern umb die von Goßlar/ nemen wir obgedachten Fürſten für vns/ unſer Mannſchafft vnd Anhänger die Stadt Goßlar vnd die ihren mit den andern Städten in die Verſühnung/ ausgenommen die Sach vnd Gebrechen/ die Hartesburg und ander Gebrechen anlangend ſollen vnerörtert ſtehen/ biß auff den Hochgebohrnen F. und Herrn **Albrecht** Hertzogen zu Sachſen in der Maß/ als das zwiſchen ſeiner Liebe vnd uns H. **Heinrichen** verlaſſen iſt--- Hierbey an vnd über ſind geweſen die Geſtrengen/ würdigen/ düchtigen und Erſahmen Herr **Otho** von der **Malsburg** Ritter. Herr **Johann Zippolle** Cantzler/ **Johan** von **Hevenſen**/ **Heinrich Knuth**/ **Dietrich** von **Schachten** von der Fürſten wegen/ von der Städte wegen: **Hans** von **Dorten** * Von Goßlar/ **Hans Rode**/ **Henrich Aleman**/ und **Clawes Dorre** von Magdeburg/ **Lüdicke Breiger**/ **Johan Seburg** D. Vnd **Lüdicke Krage** von Braunſchweig/ **Dietrich Dorring**/ vnd **Jacob Schuemacher von Lünenburg**/ **Henning** von **Hasring**

* *forte* Dornten.

rung vnd Henni Brandes von Hildesheim/ Georgius Giſoler d. Ludolff Schnippe von Göttingen/ Martin Apotecker von Stendel/ Dietrich von Wintheim vnd Curt Limburg von Hannober/ Hanß Uthermäler/ und Heinrich Ernſt von Einbeck und Herman Lüdemans von Northeim &c.

Monaſteria Mont S. Georg. & Ringelh. inſtaurata. *Lezn. l. c. Reut. p. 305 Chron. Hildesh.*

Hic exitus fuit calamitoſi belli, quod noſtras præcipue regiones in tantam redegit ſolitudinem, ut cadavera potius pagorum, quam pagi viderentur ſupereſſe. Præcipue id fatum ſubierunt monaſteria Montis S. Georgii & Ringelheimenſe; quæ tamen Bartholdus Hildeſ. Epiſcopus reddita pace incredibili cura ac liberalitate priſtino ſplendori reſtituit, Herculeoque, ut Reutelius loquitur, labore inſtauravit, correctis ſimul eorum inſtitutis, ſi qua in re a priſtina diſciplina deflexerant.

Anni Chriſti 1487. 1488.
Friderici IV. Cæſ. 48. 49.
Ab. V. C. 564. 565.

Indulgentiæ eccl. B Mariæ Virg. cóceſſæ.

SOpito hoc bello eccleſiæ etiam reſurgere e ſuis ruinis cœperunt. Cum enim eccleſia B. Mariæ Virginis prope palatium ob vetuſtatem ruinas minitari videretur, Henricus Wellihuſen eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Scholaſticus, ad cujus curam iſta eccleſia pertinebat, de inſtauranda illa cogitabat. Confugiens itaq; ad vulgarem illorum temporum pecuniam corradendi modum uberrimas haſce indulgentias a Roderico Portuenſi, Oliverao Sibnenſi, Juliano Oſtienſi, Joanne Albanenſi Epiſcopis, Joanne tt S. Praxedis, Johanne Michaële tt. S. Marcelli Georgio tt. S. Mariæ trans Tyberim, Hieronymo tt. S. Chryſogoni, Dominico tt. S. Clementis, Paulo tt. Sixti, Johanne Jacobo tt. S. Stephani in Cælio Monte, Johanne tt. S. Vitalis presbyteris & denique a Franciſco S. Euſtachii, Raphaële S. Georgii ad velum aureum, Johanne S. Mariæ in Aquino, & Aſcanio S. Viti in Marcello Diaconis Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus impetravit:

RODERICUS Portuenſis *Oliverius* Sabinenſis, *Julianus* Oſtienſis, *Johannes* Albanenſis Epiſcopi, *Johannes* tt. Sanctæ Praxedis, *Johannes Michael* tt. ſancti Marcelli, *Georgius* tt Sanctæ Mariæ trans Tiberim, *Jeronimus* tt. Sancti Griſogoni, *Dominicus* tt. ſancti Clementis, *Paulus* tt. Sancti ſixti, *Johannes Jacobus* tt. Sancti Stephani in Celio monte, *Johannes* tt. Sancti vitalis Præsbyteri, *Franciſcus* Sancti Euſtachii, *Raphaël* Sancti Georgii ad velum aureum, *Johannes* ſanctæ Mariæ in aquino & *Aſcanius* ſancti Viti in Macello Diaconi miſeratione divina ſacro ſanctæ Romnæ Eccleſiæ Cardinales, Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem in Domino ſempiternam. Dum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina Cœlorum Virgo Dei genitrix glorioſa ſedibus prælata ſideris quaſi ſtella matutina prærutilat devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur & dum etiam intra pectoris arcana revolvimus, quod ipſa utpote via miſericordiæ nimirum gratiæ & pietatis amica humani generis conſolatrix pro ſalute fidelium, qui delictorum onere prægravantur ſedula oratrix & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quiu imo debitum reputamus & congruum, ut loca cuncta in honore ſui nominis dedicata gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut *Capella* ſub vocabulo *beatæ Mariæ Virginis* Oppidi Goslarienſis, Hildeſemenſis Diæceſios ad quam, ſicut accepimus dilectus nobis in Chriſto *Henricus Wellihuſen* Scholaſticus Collegiatæ Eccleſiæ ſanctorum Simonis & Judæ dicti oppidi ſingularem gerit devotionem, congruis frequentetur honoribus, & a Chriſti fidelibus jugitur veneretur, nec non in ſuis ſtructuris & ædificiis debite reparetur, conſervetur & manuteneatur, librisque, calicibus, Luminaribus, ornamentis eccleſiaſticis ac rebus aliis pro divino cultu neceſſariis decenter muniatur, utq; Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad reparationem, conſervationem, manutentionem ac munitionem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiae uberius conſpexerint ſe refectos, pro parte dicti *Henrici* ſuper hoc humiliter porrectis ſupplicationibus inclinati, Nos Cardinales, praefati videlicet, quilibet nimirum de omnipotentis Dei Miſericor-

dia & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus utriusque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Capellam in Dominicae primae poſt Dominicam Sanctae Trinitatis & Dominicae primae poſt Nativitatem ejusdem beatae Mariae Virginis ſucceſſive ſequentium, nec non Dominicae Pentecoſtes Aſſumtionis praefatae beatae Mariae Virginis & ipſius Capellae dedicationis feſtivitatum, diebus a primis veſperis usque ad ſecundas veſperas inclusive devote viſitaverint annuatim, & ad praemiſſa manus porrexerint adjutrices, ut praefertur, pro ſingulis feſtivitatum diebus praedictis, quibus id fecerint Centum dies de injunctis eis pœnitentiis nimirum in Domino relaxamus, praeſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium & ſingulorum fidem praemiſſorum, literas noſtras hujusmodi fieri, noſtrorumq; ſolitorum ſigillorum juſſimus appenſione muniri. Datum *Romæ* in domibus noſtris ſub anno a Nativitate Domini Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo ſeptimo, die vero tertia Menſis Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini *Innocentii* divina providentia Papae Octavi Anno tertio.

Innocentius PP. eccleſiæ SS. Sim. & Judæ notabili privilegio donat.

At multo luculentiora beneficia hoc anno eccleſia SS. Simonis & Judæ ab Innocentio Pontifice obtinuit, præclaro diplomate firmata. Primo enim exemtionem ejus a jurisdictione Epiſcopali ratam habet, deinde Canonicos Vicarios & ceteros hujus eccleſiæ homines a quoquam excommunicationis fulmine feriri vetat, oblata ſimul abſolutione, ſi qui hiſce vinculis eſſent innodati. Porro cuivis Epiſcopo liberum eſſe jubet Canonicos & Vicarios hujus eccleſiæ ad ſacros ordines promovere, altaria, calices aut ſacra indumenta conſecrare, eaq; adeo omnia agere, quæ Diœceſianus vulgo ſolet. Denique Decano aut Seniori confeſſiones excipere, baſilicamque aut cœmeterium ſanguinis ſeminisque effuſione pollutum aqua ab Epiſcopo benedicta reſecrare concedit, quantumvis obſtare videretur Gregorii IX. conſtitutio, qua reconciliationem eccleſiarum a ſolis Epiſcopis fieri oportere cautum eſt. Sed ipſum Innocentium juvat audire, cujus literæ ita ſe habent: *Cap. 9. tit. de Conſecrat. eccl. conſ. lege. Bernh. van Eſpen*

part. 2. juris eccleſ. univ. tit. 16. c. 4. p. 477.

INNOCENTIVS Eps Serves Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In Apoſtolicae dignitatis ſpecula meritis licet inſufficientibus divina diſpoſitione conſtituti ad ea libenter dirigimus oculos noſtræ mentis per quæ noſtræ proviſionis miniſterio eccleſiarum omnium præſertim inſignium collegiatarum ac perſonarum in illis divinis laudibus inſiſtentium commoditatibus & animarum ſaluti valeat ſalubriter provideri. Sane pro parte dilectorum Decani & Capituli eccleſiæ Sanctorum Simonis & Judæ Opidi Goslarien. Romañ. eccleſiæ immediate ſubjectæ Hildeſem. dioc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod eccleſia ipſa nec non Decanus Capitulum ſinguli Canonici Vicarii Capellani Rectores Capellarum, Altariſtæ Clerici & aliæ perſonæ ejusdem eccleſiæ ab omni jurisdictione ſuperioritate dominio & poteſtate venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Hildeſemeñ. & dilecti filii Archidiaconi Goslarien in eccleſia Hildeſemen, ac quorumcunque aliorum judicum ordinariorum eorumque vicariorum & officialium per ſpeciale ſedis apoſtolicæ priuilegium penitus exempti, & eidem Romanæ eccleſiæ immediate ſubjecti exiſtunt. Nos igitur Decanum, Capitulum, Canonicos, Vicarios, Capellanos, Rectores, Altariſtas Clericos & perſonas prædictos amplioris gratiæ favore proſequi, eorumq; commoditatibus providere volentes, ac eorum ſingulos a quibuscunque excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliisque eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, qui ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, ipſorum in hac parte ſupplicationnibus inclinati auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod Decanus, Canonici, Vicarii, Capellani, Rectores, Altariſtæ, Clerici & aliæ perſonæ dictæ eccleſiæ, qui nunc ſunt & pro tempore fuerint, a quocunque maluerint Catholico antiſtite, gratiam & communionem dictæ ſedis habente, ad omnes

innes etiam ſacros ordines ſe promovere facere, ipſeque Antiſtes illos ad hujusmodi ordines promovere ac per eundem vel alium etiam catholicum Antiſtitem altaria & calices ipſius eccleſiæ ſanctorum Simonis & Judæ conſecrari nec non veſtes & ornamenta eccleſiaſtica quæcunque ad divinum cultum in eadem eccleſia neceſſaria benedici facere, quodque Decanus pro tempore exiſtens, & in ejus abſentia antiquior Canonicus, ipſius eccleſiæ ſanctorum Simonis & Judæ per ſe vel alium ſeu alios ydoneum vel ydoneos confeſſiones omnium & ſingularum perſonarum ejusdem eccleſiæ audire ac eas a quibuscunque ipſarum peccatis exceſſibus criminibus & delictis, dummodo talia non fuerint, propter quæ ſedes prædicta eſſet merito conſulenda, abſolvere, eisque pœnitentiam ſalutarem injungere, nec non, quod Decanus pro tempore exiſtens prædictus, per ſe ipſum aut alium ſacerdotem ydoneum eccleſiam Sanctorum Simonis & Judæ prædictum illiusque cimiterium ac capellas in immunitate ipſius eccleſiæ conſiſtentes, quoties illa per ſanguinis vel ſeminis effuſionem aut alias pollui contigerit, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antiſtitem ut moris eſt, benedicta, reconciliare ſeu reconciliari facere, libere & licite valeant. Non obſtantibus illa quæ præcipit reconciliationem hujusmodi per Epiſcopos tantum fieri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus dictæ eccleſiæ Sanctorum Simonis & Judæ, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ abſolutionis, conſtitutionis & ordinationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo. Kl. Julii, Pontificatus noſtri anno tertio.

B. Caſa.

Phi. Poſcus.

Hennin. gus Decanus SS. Sim. A Judæ. *Ex tabella quadam auctoritatis.*

Præfuit per hæc tempora eccleſiæ Henningus Decanus, cujus literas nomine Capituli anno M.CCCC.LXXXVIII. datas videre me memini. Ut cum idem ſit cum Henningo de Bornhuſen, cujus ad annum M CCCCLXVII. fecimus mentionem, facilius eſt ſuſpicari, quam aſſerere.

Annus Chriſti 1489.
Friderici IV. Cæſ. 50.
Ab. V. C. 566.

Turbæ a Johanne de Dornten Priore S. Sepulcri datæ. *Ex antiqua deduct. MSC. Mudersbach.*

EXcelſe per hæc tempora floruerat Prioratus S. Sepulcri, opibusque & bonis ita cæperat augeri, ut ipſi civitati noſtræ moleſtus eſſet. Sed hanc fortunam non parum attriverunt turbæ, quas Johannes Dornten ex hoc tempore dedit, quem hoc anno Priorem S. Sepulcri factum conſtat. Antiquiſſima hæc & patritia urbis noſtræ familia celebratur, e qua jam anno MCXLII. occurrunt *Wernherus & Luitgerus* fratres de Dornten, MCCLIV. *Henricus anno* MCCLXXII. *Johannes, Henricus & H. fratres* MCCLXXV. & MCCXCIII. *Johannes Senator Goslarienſis*, MCCXCIX *Henricus Senator Gosl.* MCCCXVI. *Henricus & Hermannus* MCCCXX. *Henricus, Hermannus & Bernhardus fratres,* MCCCXVI. *Thylo* MCCCXXIX. *Marquardus* MCCCXXXIII. *Echertus Canonicus S. Blaſii Brunsv.* MCCCXXXIV. *Hermannus & Burchardus* MCCCXXXVII. *Albertus* MCCCLII. *Hermannus* MCCCLXVII. *Bernd* Voigt to Goßler. MCCCLXXXVI. *Johannes*, qui Goslarienſium nomine transactioni inter Duces Brunsvicenſes & civitates Hanſeaticas interfuit, quemque ego eundem eſſe reor, cum hoc Johanne Henningi fratre, quem hoc anno ad Prioratum S. Sepulcri adſpiraſſe antiqua referunt monumenta. Sed dici non poteſt, quantum ab hac majorum ſuorum gloria defecerit. Quamvis enim bonis literis hos fecerit progreſſus, ut Baccalaurei titulum iſtis ſeculis ſatis ſplendidum impetrarit, honore tamen novo opibusq; auctus majora ſubinde concupiſcere, ſuiq; Prioratus bona, non niſi in luxum & commeſſationes convertere cœpit, ſpretis ſuperiorum ſuorum monitis ſolo ſe defendens titulo, quo ſe *Dei gratia indubitatum Priorem S. Sepulcri prope & extra muros Goslarienſes* ferebat. Dilapidatis igitur bonis magnaque ex parte in Henningum fratrem collatis, id quoq; auſus eſt ſceleris ut ſcholam tum in S. Sepulcro florentiſſimam, pulſo Reccio Magiſtro, * diſſolveret, ſibiq; veluti hæreditarium hunc Prioratum vindicaret. Quo comperto Magiſter Johannitarum Sonneburgenſis Commendatori Supplinburgenſi id dedit negotii, ut Johannem de Dornten Priorem S. Sepulcri Goslarienſis juſto liberius viventem in ordinem cogeret. Nec mora Supplinburgenſis

* *De hoc videri poteſt concio funebris Johannis Reccii Coſ. Gosl.*

gensis Commendator jussis Magistri obsecutus Johannem nihil tale suspicatum captivum secum Supplinburgum abduxit, diesque quatuordecim in custodia habitum ea lege dimisit, ut cautius in posterum mercari disceret. Sed tantum abest, ut hæc eum castigatio emendarit, ut ferociorem indies reddiderit. Domum enim e vinculis reversus cum Henningo fratre nova consilia cœpit agitare, conscriptisq; militibus non monasterium solum ad extremam redegit inopiam, verum etiam civitati nostræ nobilibusque vicinis multum detrimenti intulit. Veritus itaque Magister Sonnenburgensis, ne turbulenta hujus Prioris consilia monasterium demum plane everterent, datis ad Wilhelmum Ducem Brunsvicensem literis, graviter de Johannis audacia conquestus rogavit, ne Prioratum in territorio suo situm unius hominis libidine ad incitas redegi pateretur. Quo factum est, ut Dux, missis nobilibus Warbergiis aliisque equitibus & præfecto Harzburgensi milites Dorntiorum fugaret, ipsumque Johannem captum Magistro traderet, a quo in vinculis per biennium habitus est, digno plectendus supplicio, nisi Magistri obitus id prohibuisset. Saluti itaque homini fuit, quod Georgius de Schlabberndorff in Magistri defuncti locum succederet, qui Johannem vinculis ea lege exolvit, ut intra mœnia arcis se teneret, horas precesque suas recitaret, intereaque dum causa cognosceretur quiesceret. Interea a defuncto Magistro in Dorntii locum Prior S. Sepulcri creatus fuerat Johannes Wustraw, vir quietus & Senatui nostro carissimus. Quo cognito Johannes Dornten adeo cœpit successori invidere, ut arce egressus causam in Romanam curiam deferret, Senatuique nostro & Johanni de Wustraw magnam conflaret invidiam. Periculum jam erat ne turbulent9 homo erogata pecunia id impetraret, ut civitas Goslariensis excommunicationis fulmine feriretur, nisi Magister Senatus nostri causam Romæ cum cura egisset. Suspicabatur enim Johannes se a Senatu Goslariensi apud Magistrum delatum atque in tantum adductum esse periculum, deque ea re palam, cum Senatu expostulabat, cui tamen responsum a Senatu, *non se sed ipsius Joannis facinora, famamque illum rerum egisse, eoque adegisse Magistrum, ut officii sui haberet rationem ordinisque rebus consuleret.* Obtinuit tamen Romæ Johannes, ut suspenso interea Johanne de Wustraw Prioratus sequestraretur, dum lis ad liquidum esset perducta. Quæ turbæ ad annum usque MCCCXCVII. magno civitatis incommodo durarunt.

Anni Christi 1491. 1492. 1493.
Friderici IV. Cæs. 52. 53. & ult.
Ab. V. C. 568. 569. 570.

Jasp. Busenhag. INsequentibus hisce annis non eadem fuit omnium ecclesiarum nostrarum fortuna, aliis quippe eximie florentibus, aliis ad extremam redactis pauperiem. Præ ceteris tunc floruit monasterium Richenbergense, quod cum disciplinam servaret continentissimam, magnopere homines ad benefaciendum allexit. Sensit hoc anno liberalitatem Jasparis cujusdam Busenhagii, Civis procul dubio Goslariensis, qui se venerabilibus Richenbergensibus Canonicis (den werdigen Herrn dem Stichte tau Richenberge) centum Rhenanos Dei & salutis suæ intuitu (vmme Goddeswillen/ vnde vmme mine Seeligkeit) donasse literis suis profitetur, datis die Petri & Pauli Apostolorum, anno MCCCCXCI. Richenb. C. Rhenanos dono dat.

Monti S. Petri tum præerat Hinricus, up dem Berge Decanus, qui nihil habuit antiquius, quam ut bona injuria belli alienata ad ecclesiam suam revocaret. Impetratis itaque a sede Apostolica judicibus Johanne Doppen Decano Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ nec non Johanne Renoldi Canonico ejusdem ecclesiæ & Johanne Richter Scholari Hildesiensi raptores in jus vocavit, eoque adegit, ut ablata bona fide restituerent, quemadmodum ex instrumento a Cunrado Dreppesadel Notario hunc in rem confecto apparet. Henr. up dem Berge Dec. Mont. Petri. Exhi. Mont. S. Petri. Jo. Dappen Decan. SS. Sim. & Jud.

Nec multo felicior tunc erat Ecclesia SS. Simonis & Judæ, cujus Vicarii adeo bonis suis erant spoliati, ut vix superiores unde vivere honeste possent, atq; hinc relicta ecclesia, plerique alio diverterent cogerentur. Ægre tulerunt Canonici Vicariorum absentia cultum publicum legibus languescere, atque hinc eos ad residendum compulerunt. At Vicarii more seculi ad Romanam curiam confugientes prolixum obtinuere diploma Innocentii Pontificis, quo Vicariis ea lege ab ecclesia abesse conceditur, ut onera ecclesiæ suis reditibus supportent, idoneosque substituant viros, qui sacra publica suo loco peragant, *non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis & dicta ecclesia, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque.* Vt discas, non esse religionem Romanis Episcopis, omnes bonas leges numerata pecunia dissolvere, licet ab ipsis antea firmatas. Innocen tius PP. adeo bonis suis erant spoliati, ut vix superiores peteret unde vivere honeste possent, atq; hinc relicta ecclesia, plerique alio diverterent cogerentur. Vicariis SS. Simonis & Judæ certis legibus ab ecclesia sua abesse concedit. Ex lit. Abbatis Novi Operis Johanni Schomann Moguntinæ Diœcesis presbyter, qui dudum ecclesiasticum frustra expetiverat *ob defectum natalium quem patiebatur de conjugato* genitus. beneficium cio ecclesiasticum frustra expetiverat *ob defe-* co pro-

Omnia scilicet Romæ tum erant venalia, quæcunq; emtorem inveniebant. Cujus rei luculentum extat exemplum, quod ad sequentis anni M. CCCCXCIII. pertinet historiam. Erat nimirum quidam Johannes Schomann Moguntinæ Diœcesis presbyter, qui dudum, beneficium ecclesiasticum frustra expetiverat *ob defectum natalium quem patiebatur de conjugato* genitus. Re itaq; Romam delata non modo veniam obtinuit quodvis munus etiam jubetur, cum cura animarum conjunctum adeundi, verum etiam id impetravit, ut Abbatissa Novi Operis Johanni Schomann Moguntinæ Diœcesis presbyter, qui dudum, beneficium ecclesiasticum frustra expetiverat *ob defectum natalium quem patiebatur de conjugato* genitus. Re itaq; Romam delata non modo veniam obtinuit quodvis munus etiam jubetur, cum cura animarum conjunctum adeundi, verum etiam id impetravit, ut Abbatissa Novi *Ex lit. SS. Sim. & Jud.*

Novi Operis Goslarienſis cogeretur ei de beneficio eccleſiaſtico proſpicere, ſimul ac aliquod vacaret, dato ſimul Præpoſitis S. Widehadi Bremenſis & S. Bonifacii Hamelenſis, nec non Hildeſienſi Officiali negotio, ne beneficium hujusmodi, ſi vacaret, alii ab Abbatiſſa conferri paterentur, ſed contradicentem cenſura eccleſiaſtica compeſcerent. *Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ac eccleſiæ, in qua beneficium hujusmodi forſan fuerit, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuscunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales apoſtolica ſedis vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus, præterquam autoritate noſtra hujusmodi beneficia expectantibus te in dicti beneficii aſſecutione volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari. Seu ſi Abbatiſſæ & Conventui prefatis vel quibuvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint -- & qualibet alia dicta ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat.* Prolixæ admodum ſunt Innocentii Pontificis literæ, totque refertæ cautionibus, ut eum data opera antiqua ſuorum anteceſſorum inſtituta abolere voluiſſe putes.

Cœnobium Franckenbergen. ſe incendio deletum. *Chron. Mont. Fr. p. 101. Vet. Script in antiquo cœnobio.*

At nulla per hæc tempora eccleſia Civitatis noſtræ infelicior fuit Cœnobio Franckenbergenſi, quod ad extremam calamitatem incendio hac anno redactum eſt. Die enim Veneris poſt Aegidii ignis ex inproviſo erumpens tanta ſæviit ferocia, ut brevi temporis ſpatio omnia cœnobii ædificia in buſtum conſiderent, & quinque moniales tres infantes aliiq; auxilio illis properantes flamma correpti interirent, quemadmodum id vetus declarat ſcriptura in hoc olim cœnobio conſpicua ſæpiusque a me lecta & deſcripta etiam, ſed neſcio in quem angulum prejecta. Non patiebatur inſignis monialium egeſtas, ut damnum ſuo ære reſarcirent. Ne tamen ſorores miſeræ dilaberentur, Ampliſſimus ſenatus ſequente anno die Martis poſt III. Magorum literis ad urbes præcipue Hanſeaticas, veluti Hameliam, Lemgoviam, Blombergam, Hervordiam, Bilefeldam, Warendorpium, Telgitum, Monaſterium, Osnabrugam: Beckenam, Sendenhorſtum, Alenam, Lippiam, Hammam, Vnnam, Camenam, Cunnercum, Veſaliam, Rezam, Calcarium, Cliviam, Arnhemium, Neomagum, Rurmundam, Trajectum ad Rhenum, Amſtelodamum, Hardervicum, Edamum, Monnickredamú, Roterodamú Lecdam, Hagam Comitum, Zutphaniam, Coloniam Agrippinam, Tremoniam, Werlam, Sulatum, Geſecam, Solthcothum & Paterbornam datis quam diligentiſſime rogavit, ut tantæ monialium miſeriæ larga eleemoſynarum erogatione ſubvenire, fumantesque adhuc cœnobii ruinas reſtinguere dignarentur.

Medio hujus anni tempore Germa- Frideri-
nia luxit etiam funus Friderici Cæſaris, co IV.
Principis optimi & omnes ſuos anteceſ- Cæſari
ſores imperii ſpatio ſupergreſſi. Dies quo ſuccedit
vita defecit ab aliis alius notatur, aucto- Maximi-
ribus quippe nec in menſe quidem inter lianus I.
ſe convenientibus. Potiorum tamen ſen- *Felix. Fab*
tentia emortualis illi fuit XIV. Calend. *l. 1. c. 17.*
ſeptembris. Juſtis patri perſolutis Imperi- *Naucler.*
um auſpicatum eſt Maximilianus I. quod *gen. 48.*
ei jam tum vivo parente, conſentiente *p. 922.*
Electorum ſuffragio fuerat deſponſum. Principi admirando & reip. utiliſſimo, qui prudentia & fortitudine incredibili per omnes fortunæ converſiones eluctatus imperium inteſtinis malis turbidum ad concordiam revocavit, legibus ſaluberrimis fulcivit, & bonis auſpiciis transmiſit ad poſteros.

Anni Chriſti 1497. 1498.
Maximiliani I. Cæſ. 4. 5.
Ab V. C. 574. 575.

Inter hæc magno civitatis noſtræ in- Continu
commodo recruduerunt turbæ quas Jo- atio tur-
hannes de Dornten Prior S. Sepulcri de- barum a
derat. Homo enim propoſiti tenax lar- Johanne
gitionibus Romæ obtinuit, ut non modo Dornten
in integrum reſtitueretur, verum etiam Priore S.
Senatus Goslarienſis & ordo equeſtris, qui ſepulcri
ei obniti videbantur, ad interdictum ci- datarum
tarentur. Hinc multa machinatus id de- *Ex ann.*
dit operam, ut Johanne de Wuſtraw *deduct.*
rejecto S. Sepulcro denuo potiretur. *Mudersp.*
Datis itaque ad Senatum literis, graviter de illatis ſibi injuriis conqueſtus, compertum ſibi eſſe ait, Johannem Wuſtrovium e ſuggeſtu publice in ſe invehi, omnesque in ſui odium ſollicitare. Rogare itaq; ſe, ſi forte S. Sepulcrum ſub ſuam denuo poteſtatem redigeret, quidnam ſibi a Senatu populoque Goslarienſi eſſet expectandum. Cui Senatus die Veneris poſt feſtum Decollationis Johannis reſpondit, *rem ſe judicio pontificis ſubmittere; ſi vero prioratu poſtliminio potiretur, ſe ita inſtituturum rerum ſuarum rationem, quemadmodum reipublicæ neceſſitas id videretur poſtulare.* Nec minus Ordo equeſtris Senatui noſtro cœpit diffidere, ac ſi Dorntii cauſæ favere cœpiſſet. Hinc & ipſe ſcripſit ad Senatum, *Johannem de Dornten amicorum ſuorum Goslarienſium opibus adjutum magnam Romæ invidiam Ordini conflaſſe, prioratum S. Sepulcri recuperaſſe, tantumque ſibi detrimenti intuliſſe, quantum a tanto temporis intervallo a nemine tuliſſent. Quandoquidem vero a Johanne damnum*

vinum ſibi nunquam reſarciri poſſe videretur, non poſſe ſe facere, quin Goslarienſium bona ac facultates tamdiu hoſtili manu invadant, quoad ſumtuum aliquam partem recuperaſſent. Id enim jure divino ac humano ſibi non videri denegatum. Quibus Senatores *Dorntii cauſam nunquam ſe ſuſcepiſſe reſpondent, nec, quæ a privatis imprudentibus geſta ſint, reipublicæ imputanda eſſe. Daturos ſe operam, ut cives nihil, quod Ordini diſpliceret, moliantur; ſin vero armis petantur, ſibi quoque leges non prohibere, quo minus vim vi repellant.* Fretus itaque hac partium discordia Jo. Dornten expulſo Jo. Wuſtrovio S. Sepulcro ſe obtrudere auſus eſt. At obſtitere Bertholdus Hildeſienſis Epiſcopus & Wilhelmus Dux Brunsvico-Luneburgenſis, qui hominem turbulentum & in monaſterii perniciem natum denuo fugarunt, adituq; non modo S. Sepulcri ſed etiam regionum ſuarum prohibuerunt. Ne tamen nihil egiſſe videretur, quendam N. Klingebiel, Procuratorem ſuum clam Goslariæ aluit, qui SS. Sepulcri bona ſæpius invaſit, diripuit, omniaque cædibus & rapinis implevit. Quo denuo irritati equites miſſis ſequente anno ad Senatum literis: *Meminiſſe ſe*, ſcribunt, *qua Goslarienſes ad ſuperiores literas reſponderint, nec ſe dubitaſſe, quin promiſſi memores daturi eſſent operam, ne quid cives in Ordinis perniciem moliantur. Sed aliter ſe rem habere, jam pateſcere. Dorntium ab Epiſcopo & Principe proſcriptum in ditionibus Hildeſienſibus & Brunsvicenſibus haut tolerari. Nec tamen dubitaſſe Senatum N. Klingebiel procuratorem Dorntii intra mœnia recipere, cujus rapinis S. Sepulcrum ad incitas pene redigatur. Cives quoque fugitivo Dorntio non obſcure opem ferre. Niſi ergo a Senatu Procurator quantocyus expellatur, daturos ſe operam, ut quovis modo communi hoc totius ordinis hoſte potiantur. Certiores igitur ſe facerent, quidnam Ordini a Goslarienſibus eſſet expectandum, ut Magiſtro rem poſſent indicare. Malle enim ſe civitate æqua bonaque, quam inimica uti.* Denique Senatus noſter Ordini ſatisfacturus Procuratorem urbe excedere juſſit, Dorntii conſanguineos, ne quid adverſus Equites agerent, monuit, eoque res Ducum interventu rediit, ut pace inter Civitatem noſtram & Ordinem Johanniticum reſtituta Johannes Wuſtraw Prioratum retineret.

Anni Chriſti 1503. 1504.
Maximiliani I. Cæſ. 10. 11.
Ab. V. C. 580. 581.

Raymúdus Cardinalis Leg. Apoſt.

FLuctati demum decimum quintum Chriſti ſeculum, quo doctrinæ Chriſtianæ corruptio pontificumq; immanis tyrannis ad extremum prolapſa fuerat ſenſim deferimur in feliciſſima illa tempora, quibus ſummi numinis auſpiciis potior Germaniæ pars ac Goslaria etiam noſtra infauſtum Pontificeis imperium excutere ſenſim cœpit. Occaſionem divino huic reformationis Operi mira Dei providentia ipſi Pontifices ſuppeditarunt, qui dimiſſis per orbem indulgentiarum inſtitoribus docuerunt, quid in avaritia extremum eſſet. Grande Germani patientiæ tulerant exemplum, ſed quod demum ex diuturno ſopore eos excitavit, ut de antiqua eccleſiæ facie reducenda ſerio cogitarent. Turpem ejusmodi indulgentiarum mercatum habente ſuperiori ſeculo juſſu Innocentii IIX. aperuit Raymundus Peraldus Gallus, domo Xantonenſis, Agrigentinus primo, deinde Gurcenſis Epiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ tt. S. Mariæ novæ presbyter Cardinalis, magnus Pontificii dominatus aſſertor, ſcriptoque *de dignitate ſacerdotali ſuper omnes reges terræ* celebris, Viterbii Aō. M.D.V. Nonis Septembris vita defunctus. Hic ſicuti deficiente ſuperiori ſeculo pro expeditione adverſus Turcas ſuſcipienda diplomata ejuſmodi indulgentiaria per Germaniam & Hildeſienſem quoq; Diœceſin, vendiderat, Commiſſario præcipue uſus Hierenymo Tungersheim de Ochſenfarth, Doctore & Profeſſore Lipſienſi; Ita hoc anno ipſe Germaniam hasq; inferiores regiones luſtravit, ſuſceptoque in Daniam itinere, cujus acta ipſe ſingulari commentario deſcripſit, multum dedit operæ, ut Danos Lubecæ imminentes ad pacem flecteret. Salutatis deinde Brema, Stada, Hamburgo, & Luneburgo, vicinam quoque Brunſvicum acceſſit, *reliquiarum ubique*, ut cum Illuſtri Seckendorffio loquar, *ſuperſtitioſus indagator & cultor, & indulgentiarum jactator.* Vel eo tamen nomine laudandus, quod auctor Friderico Saxoni fuit inſtituendæ Wittebergenſis academiæ, ex qua illuſtriſſima deinde lux veritatis orbi affulſit. Hic itaque famoſus Cardinalis cum Brunſvici ageret non alia ratione munere ſuo rectius fungi ſe poſſe exiſtimabat, quam ſi venditis ubiq; indulgentiis Germaniam argento exhauriret. Quam liberaliter merces ſuas obtulerit, vel noſtræ eccleſiæ argumento eſſe poterunt, in quibus bina mihi Raymundi diplomata occurrunt ſatis ſplendide exarata. Et altero quidem iis, qui Eccleſiam SS. Simonis & Judæ certis diebus adiiſſent aut Confraternitati S. Nicolai nomen dediſſent, aut generali Goslarienſi Civitatis proceſſioni interfuiſſent centum dies de injunctis pœnitentiis relaxat, ſi ad inſtaurandam ædem SS. Simonis & Judæ ſumtuum quicquam liberaliter eſſent elargiti: Eccleſiæ SS. Sim. & Judæ nec non confraternitati SNicolai indulg. contulit.

Ex lit. SS. Sim. & Judæ.

Rai-

indulgentias per has regiones vendit. *Cranz. l. 12 metr. c. 30. p. 335. Schlegel, Chron. ex. part. 2. l. 4. p. 351. Seckend. l. 1. hiſt. Luther. n. 81. p. 132. & ſuppl. ad Indic. 12. 57. Lud. Jac. a S. Carolo p. 335. Biblioth. Pontif. p. 429. Herm. von der Hardt, præf. ad tom. 2 ref. gr. Luther. p. 23 ſq. Chytr. l. 5. Chr. Sax. p. 146.*

RAIMVNDVS *miſeratione divina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ tt. Sanctæ Mariæ novæ Pbr. Cardinalis Gurcenſis* ad univerſam *Germaniam, Daciam, Sueciam, Norwegiam, Friſiam, Pruſſiam,* omnesque & ſingulas illarum provincias, Civitates terras & loca etiam ſacro Romano Imperio in ipſa Germania ſubjecta ac eis adjacentia Apoſtolicæ ſedis de latere Legatus, univerſis & ſingulis præſentes literas, inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera caritatis excitamus, tanto ſalubrius ſuarum animarum ſaluti providemus. Cupientes igitur ut *eccleſia collegiata ſanctorum Simonis & Judæ* Apoſtolorum Imperialis Opidi Goslarienſis Hildeſemenſis Dioceſeos, quæ, ut accepimus in ſuis ſtructuris & ædificiis vetuſta & propter cujusdam ignis voraginem olim proh dolor paſſam, partim conſumpta & ruinoſa exiſtit, congruis frequentetur honoribus, & a Chriſti fidelibus jugitur veneretur, ac in præfatis ſtructuris & ædificiis debite reſtauretur, conſervetur, & manuteneatur, nec non libris calicibus luminaribus & aliis ornamentis eccleſiaſticis, pro diuino cultu neceſſariis decenter fulciatur & muniatur, in ea quoque cultus augmentetur divinus & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, & ad illius reſtaurationem, conſervationem manutentionem, & fulcimentum aliaque præmiſſa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, dilectorum nobis in Chriſto Decani, ſenioris, & Capituli eccleſiæ prædictæ devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus prædictis vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam præfatam in ſingulis videlicet Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Penteceſtes, Paraſceves, Nativitatis, præſentationis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Viſitationis & Aſſumtionis beatiſſimæ Virginis Mariæ omnium Apoſtolorum & Patronorum Laurentii Martyris, ac dictæ eccleſiæ dedicationis feſtivitatibus & diebus a primis veſperis usq; ad ſecundas veſperas incluſive viſitaverint annuatim, & ad præmiſſa manus, ut præfertur, porrexerint adjutrices pro ſingulis celebritatum diebus centum, qui vero ad *confraternitatem Sancti Nicolai in dicta eccleſia erectum & cum divinis officiis laudabiliter obſervari ſolitam* ſe inſcribi ex devotione fecerint, aut illius peractioni ſeu generali dicti opidi fiendæ proceſſioni interfuerint, quoties id ſeu aliquid eorum fecerint, ſibi centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem præſentes literas fieri noſtrique ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum *Brunſwygk* dictæ dioceſios Anno Incarnat. Dominicæ Milleſimo quingenteſimo tertio, Octavo Kl. Aprilis Pontific. ſanctiſſimi in Chriſti Patris & Domini noſtri, Domini *Alexandri*, divina providentia Papæ ſexti anno undecimo.

Ut & Capellæ S. Catharinæ, *Exlit. Mont. S. Petri.*

Altero diplomate iis peccatorum omnium veniam pollicetur, qui Capellam S. Catharinæ Canonicorum Montis S. Petri propriam, feſtis diebus adiiſſent, ad ejusque ſtructuram manus porrexiſſent adjutrices.

RAIMVNDVS *miſeratione divina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ tt. ſanctæ Mariæ novæ Pbr Cardinalis Gurcen̄* ad univerſam Germaniã, Daciam, Sveciam, Norwegiam, Friſiam, Pruſſiam omnesque & ſingulas illarum provincias, civitates terras & locã, etiam ſacro Romañ Imperio in ipſa Germania ſubjecta ac eis adjacentia Apoſtolicæ ſedis de latere legatus, univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem in ſempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera charitatis inducimus, tanto ſalubrius animarum ſuarum ſalutem providemus. Cupientes igitur, ut *Capella Sanctæ Catherinæ* Virginis in opido Goslarienſi

ſita

ſita Hildeſemenſis Dioc. Ad quam ſicut accepimus dilecti nobis in Chriſto Canonici & *Fratres Sancti Petri* ſingularem gerunt devotionis affectum congruis frequentetur honoribus 5 & a Chriſti fidelibus jugiter veneretur, ac in ſuis ſtructuris & ædificiis debite reparetur, conſervetur & manuteneatur, librisque, calicibus, luminaribus & aliis ornamentis eccleſiaſticis pro divino cultu neceſſariis decenter fulciatur & muniatur in ea quoque cultus augmentetur divinus, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, ac ad illius reparationem, conſervationem, manutentionem aliaque præmiſſa manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono coleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Capellam in ſingulis Nativitatis Chriſti, Paſcæ, Penthecoſtes, omnibus beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctæ Annæ ejus genitricis ac Sanctæ Catherinæ & Virginis, nec non Patronorum & dedicationis ejusdem Capellæ feſtivitatibus & diebus a primis veſperis usque ad ſecundas veſperas incluſive devote viſitaverint, ac ad præmiſſa manus, ut præfertur, porrexerint adjutrices pro ſingulis diebus prædictis quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem praeſentes literas fieri, noſtrique ſigilli juſſimus appenſione communiri. Datum *Brunſwygk*. Hildeſemen. Dioc. Anno Incarnat. Dominicae Milleſimo Quingenteſimo tertio ſexto Kl. Aprilis. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Alexandri* divina providentia Papae ſexti anno undecimo.

Pal. Sybolt. Z.

Berthol. dus Hildes. Ep. obit. *Cranz. lib. 12. metrop. cap. 28. p. 335. Leznet. lib. 2. Chron. Duſſel. cap. 16. fol. 49. Reutel. Chron. Hilles. p. 198. Chron. Hildes. MSC. cap. 46. Bruſch. c. 11. n. 44. ſqq. p. 1061. ſqq.*

Interjecto tempore mortalium numero exemtus eſt Bertholdus Hildeſienſis Epiſcopus, qui jam inde a reſtituta pace nihil majori cura egerat, quam ut in dicœceſi ſocialibus Civitatum armis lacerata, ruinas extingueret. Perluſtratis itaq; modo Hildeſienſi, modo Verdenſi ditionibus, eccleſias ruinam minitantes inſtauravit, monaſteria ad priſtinam diſciplinam revocavit, arces ne repentino impetu peti poſſent, mœnibus vallisque muniti, præſidiisque firmavit. Ætate demum inter multas fortunæ converſiones exacta Rotenburgi in dicœceſi Verdenſi verſatus conflictatusque cum dyſenteria in vigilia Aſcenſionis Dominicæ diem obiit ſupremum, hoc meritus digniſſimum notata epitaphium:

Memoriæ. digniſſimi. Præſulis. Domini. Bartoldi de Landesberg. militari. genere. nati. optimis. moribus. &. literis. imbuti. quem. rege. digna. proceritas. egregius. animus. ſingulare. ingenium. eloquentia. non. vulgaris. virtus. eximia. exquiſita. in. cunctis. eminentia. anteceſſori. ſuo. commendabat. ut. illum. adoptaret. eccleſiæ. Verdenſi. filium. Papa. conſecrare. juſſit. Epiſcopum. ſed. majori. dignum. loco. abripuit. Hildeneshei. menſis. eccleſia. cui. cum. ſumma. laude. præfuit. annis. viginti. duobus. priorem. retinens. commendatam. quam. ante. ſolum. annis. decem. gubernavit. Hoc. ſacrum. ponitur.

Succedit Ericus Saxo. Lauu. enb.

Bertholdo itaq; ad plures abeunti in ſolenni Capituli comitio ſubrogatur Ericus, Dux Saxo-Lauuenburgenſis, Canonicus Colonienſis, Princeps excelſi quidem animi, quietis tamen, quam honoris cupidior. Epiſcopatum ingreſſus tam ubera ab Ordinibus dona accepit, quanta ab hominibus Principum ſuorum amantiſſimis ſolent erogari. Attamen, quod præſagiret animus, turbas vix ferendas Epiſcopatui ære alieno oppreſſo imminere; mutato ſubito conſilio Coloniam rediit, ſacerdotiumq; ſua ſponte reſignavit Johanni fratri, cum ſummos hos honores vix annum deguſtaſſet, deſtinatus ſcilicet a fortuna lautiori Epiſcopatui Monaſterienſi, quo anno M. D. VII. potitus e longinquo ſpectavit miſeriam & interitum eccleſiæ derelictæ. Quanta enim ſub Johanne fratre tempeſtas e bello cum Brunſvicenſibus Ducibus geſto in dicœceſin Hildeſienſem deſævierit, tam accurate eſt a Chytræo, Leznero, Sleidano, aliisq; hujus ætatis hiſtoricis memoriæ proditum, ut Iliadem poſt Homerum ſcribere videremur, ſi in argumento tam luculenter expoſito noſtram quoq; exercere induſtriam cupemus.

Eoq; reſignante Johañes frater.

Sopita nuper, quæ inter Senatum Goslarienſem & Ordinem Johanniticum interceſſerat, controverſia, id præcipue egit Senatus, ut deſtructo S. Sepulcro, Civitati nimis vicino, Prioratum hunc intra muros recipere liceret. Videbatur enim hoc res ipſa poſtulare, ut monaſterium hoc deleretur, e quo hoſtes civitati, quam maximum inferre detrimentum poſſent. Re itaque diutius agitata demum anno MDIV. ipſo die Hieronymi in has leges convenerunt Magiſter Sonneburgenſis & Goslarienſis Senatus, ut S. Sepulchrum a civibus deſtrueretur, Ordo equeſtris ſalvis juribus privilegiisque ſuis in urbem reciperetur, templum novum veteri

Tranſactio Senatus cũ Ordine Johanniticode deſtruendo S. Sepulcro. *Ex deduct. Mollersp. MSC.*

veteri plane æquale, nec non domus veteri ſimilis ad portam S. Viti conderentur, in deſtructi monaſterii ruinis Capella e ligno erigeretur, cœmiterium vetus ſepibus muniretur, Senatui denique tantum de S. Sepulcri territorio concederetur, quantum ad muniendam civitatem videretur opus eſſe, invito denique ac inconſulto Epiſcopo Hildeſienſi nihil ageretur.

Anni Chriſti 1505. 1506.
Maximiliani I. Cæſ. 12. 13.
Ab. V. C. 582. 583.

Continuatio hujus transactionis. *Ex deduct. Mederp. MSC.*

VErum hæc transactio tantum abeſt, ut effectui data ſit, ut potius non defuerint, qui rem pro virili prohibere niterentur. Quo factum eſt, ut equites non modo, verum etiam Senatus Pontificis opem implorarent, rati ejus auctoritate negotium facilius proceſſurum. Impetrarunt etiam hoc anno XVI. Kl. Maji Pontificis edictum, quo Epiſcopo Hildeſienſi committitur, deſtructionem S. Sepulcri Commendaturæ Supplinburgenſis commodo iis legibus promovere, quibus inter Senatum & Ordinem pridem convenerit. Verum obnitentibus iis, quorum intereſſe videbatur, ne S. Sepulcrum in Civitatem transferretur, res denuo hæſit, donec aliis ſubinde atque aliis objectis impedimentis plane omitteretur, civitati olim majoris calamitatis materiam datura. Veritus tamen Senatus, ne gravius aliquando periculum ex hoc monaſterio in civitatem redundet, paulo poſt anno MDVIII. die Vincentii cum Commendatore Supplinburgenſi & ordine Johannitico denuo egit, ut ſibi monaſterium ruinis proximum reſarcire, urgente vero periculo, deſtruere, ac intra mœnia transferre eſſet integrum, quemadmodum id tum a Magiſtro Johannitarum, tum a Pontifice Romano dudum ſibi eſſet conceſſum. Interim ſenatui liceret tantum de monaſterii territorio petere, quantum munimenta Civitatis viderentur poſtulare:

Dagegen haben wir gemelter Stadt Goßlar verlaſſen und geben von vnſers Ordens uñ Priorats eigenthumb / in die länge von den wall an / Oberhalb Franckenberg / da unſers Ordens eigenthumb angehet / niederwerts durch den Kamp / und Henni Heinen vnd Hans Dörnten Garten bis gegen die Krümme des Stadtwalls vud mauren nechſt den Vitsthor / in die breite vier ruthen lang / von dem genanten wall / vnſers Eigenthumbs bis andie gemelte Krümme abzumeſſen vndt zu gebrauchen &c.

Peſtis per hanc viciniam ſævit. *Bunting. p. 297. part. I. Chron. Brunſv.*

At inſequentem annum turbulentum reddidit graviſſima peſtilentia, quæ viciniam hanc afflavit, Goslariamque noſtram, nec non Brunsvicum, Hildeſiam, Cellam, Helmeſtadium, civibus mirum in modum exhauſit. Ferunt enim Brunsvici in monaſterio S. Crucis Præpoſitum una cum triginta monialibus peſte tum occubuiſſe.

Annus Chriſti 1514.
Maximiliani I. Cæſ. 21.
Ab. V. C. 591.

Imagines Crucifixi lapideæ extra portam latam [das breite Thor vocant] a Johanne Bekenem erecta, pideæ cujus exemplum ſecuta religioſa quædam extra portas dedicatæ. *Chron. Goſl. MSC.*

HOc anno nova noſtratibus ſuperſtitionis materia datur, imagine crucifixi Jeſu lapidea extra portam latam [das breite Thor vocant] a Johanne Bekenem erecta, pideæ cujus exemplum ſecuta religioſa quædam fœmina Joachimi Wegneri Conſulis mater ad ceteras quoq; portas lapideos ejusmodi cippos imaginibus Chriſti & Mariæ inſignitos collocavit, eo conſilio, ut ii, qui capitis damnati ad ſupplicium ducerentur, nec non peregrinatores preces ad illos funderent Hiſce igitur lapidibus ſolemni ritu conſecratis, dici non poteſt, quis populi concurſus factus ſit, quæ ſuperſtitio, quæ opinio ſanctitatis animos impleverit. Attamen & hæc iconolatria ſuccedente mox reformatione evanuit, ſuperſtitibus licet ex parte hiſce imaginibus, perpetuis antiquæ ſimplicatis monumentis.

Anni Chriſti 1519. 1520.
Maximiliani I. Cæſ. 26. *ult.*
Caroli V. Cæſ. 1.
Ab. V. C. 596. 597.

Maximiliano I. Cæſari ſuccedit Carolus V.

SUccedit annus a Chriſti nativitate M. D. XIX. quo vix ullus his regionibus turbulentior funeſtiorque illuxit. In ipſo ejus auſpicio Germania ereptum ſibi luxit Maximilianum Cæſarem, Principem optimum & inſtaurandæ reipublicæ natum, cujus obitus vel eo nomine omnibus acerbus extitit, quod diverſi Reges exteri Imperium Capite orbum multo ambitu conſiliisque periculoſis appeterent. Periculum ſane erat, ne gravis tempeſtas exoriretur, niſi Friderici Saxonis ſapientiſſimi Principis auctoritate Electores demum in Carolum V. conſenſiſſent, Maximiliani Cæſaris a Philippo nepotem, totque regnorum & provinciarum Dominum, ut ſolem oriri & occidere uno tempore ejus ſubditi viderint. Hoc imperante aliam plane faciem Germania induit, nec quicquam dicere mihi videor a veritate alienũ, ſi jam inde a Caroli M. ætate nunquam tantam rerum omnium converſionẽ in Romano imperio factã eſſe dixero. Quicquid piſci referunt annales diverſis temporibus ac veluti ex intervallo geſtum, hoc omne in hanc ætatem veluti confluxit. Detracta Pontifici larva, Principes cum Principibus, Imperator cum Pontifice, Reges cum Regibus colliſi ſubditi ab officio dilapſi, ſummi Germaniæ proceres capti, debellati, triumphati, magnus ubique bellorum furor, magnæ inſidiæ fraudes, deliria, turbata deniq; & impedita omnia. En luculentum providentiæ divinæ documentum! Quis enim fieri potuiſſe crederet, ut in tanta rerum omnium perturbatione unius novi hominis & inopis monachi ab omnibus derelicti, a nemine adjuti, omnibus denique inviſi mi-

niſterio, purior Evangelii lux accenderetur, niſi ipſe Jeſus miſertus ſuorum & tot piorum ſuſpiriis excitatus veritatis inimicos ſpiritu oris ſui confudiſſet. Plura nobis occurrent de hoc Cæſare dicenda, cum & noſtra Civitas eo imperante magnâ ſubierit mutationem. Nihil ergo hic attinet multa de eo in anteceſſum commemorare.

Senſit ſtatim respublica diſcedentem a ſui cuſtodia Maximilianum. Eo enim defuncto ſtatim in ferales flammes erupit bellum Hildeſienſe, quod adhuc veluti ſepultum intra mutua odia ſteterat. Primæ in hoc bello partes fuerunt Johannis Hildeſienſis Epiſcopi, qui ſociatis ſibi Henrici Luneburgenſis, Comitumque Hojenſium, Diepholtenſium, Schauenburgenſium & Retbergenſium auxiliis Ericum ſeniorem, Henricum Juniorem & Wilhelmum Duces Brunsvicenſes & Franciſcum Mindenſem Epiſcopum hoſtilibus armis petiit, majore ſane, quam prudentiore animo hac in re uſus. Quænam cauſæ hujus belli fuerint, dici non poteſt, quanta ſit inter auctores horum temporum diſcordia, partiumque ſtudium. Chytræus, qui res per Saxoniam circa hæc tempora geſtas curioſo ſtylo ſignavit, Johanni Hildeſienſi Epiſcopo, quam Brunſvicenſibus æquior, omnem cauſam rejicit in Brunſvicenſes Duces, qui juratis Epiſcopi hoſtibus Salderis receptum dederint. Alia omnia ſentire videas Juſtinum Gollerum, qui Johannem Hildeſienſem Epiſcopum & Henricum Luneburgenſem, Galliæ Regis partibus faventes periculoſum hoc bellum excitaſſe aſſerit, ſive ut Ericum gratia atque auctoritate maxime in Imperio florentem ſubverteret, ſive ut Caroli V. Electionem a Brunsvicenſibus omni niſu promotam impediret. Id quod nec Thuanus Hiſtoricorum Coryphæus, nec Philippus Melanchton tacent, quos ego facile crediderim rem acu tetigiſſe, cum nemini ſit ignotum, quantopere Henricus Dux Luneburgenſis Franciſci Regis Galliæ cauſâ egerit, quantumq; ei faverit. Acceſſit tamé Salderorú pertinacia, qui arce Lewéſteinenſi, quâ pignoris loco poſſidebant, oblata quávis pecunia cedere recuſabát, Brúſvicenſiú auxilio ſuffulti. Quamvis autem initio mutuis utrinq; depopulationibus res ageretur, non auſus tamen eſt Johannes Epiſcopus aperto Marte congredi, quod Maximilianum Cæſarem Erici Ducis cauſa omnia facturum crederet. Verum ſimul ac Cæſarem vitam cum morte commutaſſe increbeſceret, Epiſcopus non diutius cunctandum ratus ipſa ſeptimana ſacra cum delecta manu Mindenſem diœceſin ingreditur, omniaq; ferro flammiſq; devaſtat. Ipſa Minda capta direptaq; datis duobus florenorum millibus in Epiſcopi Hildeſienſis verba adigitur. Mox appetente paſchatis feſto Petershagiú præcipuú Epiſcopi Mindénſis munimentum tentatur, capitur, tantaq; præda abripitur, quæ protrahendo bello abundé ſufficere videbatur. Depopulatus ſtaq; Mindenſem Diœceſin Ericum quoq; Ducem Epiſcopus aggreditur, eodem fortunæ veluti curſu Wœlpan, Lawenaviam Wunſtorfium, Pattenſenam, Munderam & Hallerſpringam, aliaq; vicina oppida depopulatus. Hamelæ quoq; parti quæ Brunſvicenſis juris erat ingentem auri ſummam extorquet. Nec ſegnior Henricus Brunſvicenſis, collectis militibus ſuis in Hildeſienſem agrum irrupit, tractusq; quâ latepatent Steuerwaldenſem, Peinenſem & Steinburgenſem una veluti ruina involvit: quem inſecutus Ericus Daſſelam, Vslarienſibus infeſtum incendio delevit, Woldenſteinenſem arcem ſub ſuam redegit poteſtatem, Bockelheimium ad deditionem compulit, copiisq; Henrici Ducis Brunſvicenſis firmatus Peinam civitatem expugnavit, arcem loci indole & induſtria hominum munitiſſimam fruſtra quidem tentavit, eo tamen adegit Hildeſienſem Epiſcopum, ut ſoluta obſidione Inducias Calenbergenſi de induciis cogitaret. mox

Dum hæc ita aguntur Fridericus Saxoniæ Electór, qui Imperio interea dum prælium novus Imperator crearetur, Vicarii dignitate præerat, nihil habuit antiquius, quam ut utramque partem promulgatis edictis ad Concordiam revocaret. Quibus licet Epiſcopus felici rerum ſucceſſu elatior pro virili repugnaret, poſtremo tamen cum extrema ſibi imminere animadverteret ad inducias proclivior eſſe cœpit. Nec Brunſvicenſes Duces admodum obſtiterunt, quo minus induciæ fierent, ſperantes fore, ut interea pax bona fide coaleſceret. Sed fefellit eos opinio. Epiſcopus enim nactus puſillum laxamenti, ad ingenium rediit, ditionesque Brunsvicenſes nemine ſuſpicante invaſit, ac diripuit. Quo comperto & Duces Brunsvicenſes in Henrici Luneburgenſis, Epiſcopi ſocii agro injurias ulti ſunt, Burgdorffioq; Gurgwedela, & Giffhornio, incenſis & ceteris oppidis pecunia mulctatis exercitum per Luneburgenſes ditiones in diœceſin Verdenſem traducere ſtuduerunt, eo conſilio, ut eum novis ſupplementis e Bremenſi Archiepiſcopatu augerent. At Henricus Luneburgenſis Caroli Geldriæ Ducis generi ſui, ac Hildeſienſis Epiſcopi copiis auctus id præcipue egit, ut Ericum priusquam Verdam contingeret imparatum prælio opprimeret. Miſſo itaq; in campos Soltavienſes Hermanno de Tidingen cum delecta manu, ipſe paulo poſt IV. Calendas Julii cum juſto exercitu decem fere millium ſecutus eſt. Jam aderant quoque Ericus Dux Brunsvicenſis cum inſigni Brunsvicenſium, Miſnenſium & Thuringorum exercitu ſeptingentorum equitum & ſex peditum millium. Coorta pugna Hildeſienſes & Luneburgenſes legiones ſeſſos ex itinere Erici milites aggreſſi tanta vi in eos incubuerunt, ut fortiter licet decertantes demum in fugam diſſolverentur. Tria millia in prælio occubuere, Ericus & Wilhel-

Belli Hildeſienſis initia & origo.
Chytr. l. 8. Sax. p. 333 Juſt. Gobler. narrat. de bello Hildesh. p. 81. tom. 2. Schard. Melanchr. ſuppl. Chron. p. 939. Lezn. lib. 2. Chron. Daſſel. c. 18. fol. 51. ſqq.

In Sachen Braunſ. contra Hildesh. heim remiſſionis, ausführl. wohlgegründete relatio und berichte. p. 5. ſqq.

Sententia Camera Imperialis ſuper reſtitut. Epiſc. Hildeſ. juſtitia Colon. a. 1636. Fabric. memor. Sax. l. 2. p. 316. Bunting. Chron. Brunſv. part. 1. p. 301. ſq. Spangenb

p. 355. Coron. Sax p. 594. ſqq.

Induciæ mox rupta &

helmus Duces Brunsvicenses Georgius Comes Wunstorphiensis & Justus Comes Regensteinensis capti in hostium venere potestatem, tormenta bellica & impedimenta multaque vexilla Henrico Luneburgensi cessere. Victoriam denique sibi vindicare ex hoc bello potuissent Hildesiensis Episcopus ejusq; confœderati, nisi impotenti odio indulgere diutius maluissent. Inter hæc Carolus Cæsar Romanorum Imperator consentiente Electorum suffragio renunciatur, principumq; Electorum interventu res eo rediit, ut factis quinq; mensium induciis interea de pace serio transigeretur.

Bona ecclesiæ SS. Simonis & Judæ erepta jubentur restitui. *Ex lit. SS. Sim. & Jud.*

Hæc dum in vicinia geruntur, nec domi quieta omnia ac tranquilla fuere. Cum enim Bertholdus quidam von der Heyde alique Clerici & Laici Halberstadiensis diœceseos ecclesiæ SS. Simonis & Judæ injurias varias inferrent; missi Romam Tilemannus Nawen, Canonicus ecclesiæ sanctorum Simonis & Judæ & Henningus Nawen Oppidanus ejusdem oppidi, qui rem eo deduxere, ut Leo Pontifex Decanis S. Bonifacii Halberstadiensis & Montis S. Petri prope Goslariam causæ cognitionem dato diplomate demandaret:

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo decimo nono. Decimo nono, Kl. Februarii Pontificatus nostri anno septimo. *Jo. de Valleoleti.*

Dum itaq; in captivitate hærent Ericus & Wilhelmus Duces id præcipue operam dedit Henricus junior, ut exercitum infausto nuper prælio attritum novis supplementis instauraret, hostesq; victoria fero- cientes ad mitiora consilia flecteret. Nec dubium erat, quin votorum summam fuisset consecuturus, nisi Albertus Elector Moguntinus, Fridericus Elector Saxoniæ, Joachimus Elector Brandeburgicus, & Joannes Dux Saxoniæ interveniissent, vocatisque litigantibus rem eo perduxissent, ut Ericus oblato lytro custodia exolveretur, ipsaque causa a Cæsare & quibusdam Imperii ordinibus cognosceretur. & Brunsv.

Nec tamen omnis per has regiones belli metus evanuerat. Periculum enim erat, ne odia parum sopita in novum bellum erumperent. Hinc Richenbergense monasterium, ne quid detrimenti a Brunsvicensibus pateretur, Henrici Ducis protectorium rogavit & obtinuit: Monasterium Richenbergense ab Henrico Brunsv. in tutelam susceptum

IAn Gottes Gnaden wy Hinrick Hertzoge to Brunschwig/ Hertzogen Hinricks zeliger Sone bekennen vnd denen kund allen vnd ieglichen düsses Breves ansichtigen/ vnde de hirmede ersecht und ermahnet werden/ dat wy den allmächtigen tho ehren vnde tho Love eck vnnne sunderliger Gnade willen/ darmede wy den werdigen vnsen leven andächtigen vnde besündern *Prior*en unde gantzen Convent des Klosters Riffen barge geneget/ vnde darmede diesülven Herrn unser zeligen vor Eltern eck vns unde vse nachkomen in ören innyge Gebede tho Gode den allmächtigen schüllen befolen heven/ un willen diesülve *Prior* vnde *Convent* vorbenenden Klosters Riffenbarge mit samt allen ören gesinde vnde thobehörigen eck ören Leven/ have/ Gütern beweglig und vnbeweglig/ nichts vthbescheidlich in vnsere sünderlige Schutt/ beschermede vnde gedingend angenomen hebben/ don dat eck also in gegenwerdigen in Krafft düsses vses Breves/ also dat wy nu henvörder mit ören Leven/ haven/ Gütern/ Gesinde unde thobehörigen gelyck unsern eigen deynern underdanen vnde Lüden schütten/ schermen/ handhaven/ vnde vor vnrechter Gewalt so vel wy vermogen/ verdedigedingen wüllen. Dennach an alle vnde jegliche vse besündern/ wat standes/ werden/ vnde wesen das sy syndt/ unse frenndlige Bede/ gnädige an sinnen unde begerte/ den vnsern mit gantzen ernste gebedent/ gewüllen gedachten *Prior* vnde *Convent* des Klosters Riffenbarge eder sülve ören geschickten so eck hiermette ersogen werde/ vnde ermanen/ vp sülveransecken tho aller dyt gnädige vnde günstige hülpe/ bystand vnd verdetinge then/ vnde se hierinn vnsere verbündnisse genöten laten. Des vorsehen wy also gensligen vnde willen dat vmbe jeden nach erforderinge syner werde vnde standes freundligen verdönen/ verliken vnde in Gnaden erkennen/ vnde then vns darane unse ernstlige meinynge. Do vrkunde hebben wy desen Brev mit vnser eigen Hand vnterschreven/ vnde angehangenen Secret wedligen thone befestigen/ dei gegeven ist *anno Domini* vüfftein hundert vnd in Twindigsten Jahre an Dage Sünte **Marien Magdalenen** der hilligen Fruwens namen.

Annus Christi 1521.
Caroli V. Cæs. 2.
Ab V. C. 598.

Joannes Episcopus primus.

SEquitur annus a Christi nativitate post millesimum & quingentesimum vigesimus primus, quo neq; turbulentior ullus vicinia, nec Goslariæ nostræ auspicatior scriptus illuxit. Vti enim Hildesiensis dioecesis pro- ditioni- scripto Episcopo ferali bello denuo arde- bus plere cœpit; ita Goslaria nostra, pertæsa in- risque veteratæ superstitionis, primum ut ita exuitur dicam putioris doctrinæ diluculum avide hoc anno aspexit, haud vano futuræ lu-

cis præſagio. Incredibili induſtria Moguntinus, Saxo, & Brandenburgicus Electores Hildeſienſe bellum ex æquo bonoq; componere fuerant anniſi, nihilq; ab illis prætermiſſum, ſi forte exacerbati animi ad concordiam æquis legibus revocari poſſent. Sed ſemper obſtiterat Epiſcopus, nupera fortuna fretus, qui tantum abeſt, ut Wilhelmum Ducem cuſtodia exolveret, ut occaſionem redintegrandi bellis non obſcure videretur aucupari. Interea Carolus Imperator ſuperiori anno acceſſerat in Germaniam, & parte utraq, Coloniæ audita, eas ad futura Comitia Wormatienſia adeſſe, cauſamq; dicere juſſerat. Appetente jam Aprili menſe Comitiis præfinito, Joannes quoq; Epiſcopus, nec non Ericus & Henricus Duces Brunſvico Luneburgenſes coram Wormatiæ aderant, cauſa vero diutius agitata, VI. Calendas Junii hoc demum prodiit decretum, arces & oppida ab utraq; parte armis occupata intra menſis ſpatium Cæſari ſequeſtro tradantur, captivi utrinq; dimittantur, indicta tributa neutri ſolvantur, arma penitus ponantur, qui parere denique nollent proſcriptionis ſubeant ſententiam. Miſſus quoque a Cæſare *Jodocus* ab Obernweimar, qui arces expugnatas reciperet, atq; ut Cæſaris edicto ſatisfiat, daret operam. Sed denuo reſtitit Epiſcopus, cauſamq; non ſatis pro neceſſitate cognitam conqueſtus, captivos lytrũ negantes arctiori cuſtodiæ mancipavit. Quo factum eſt ut Ericus & Henricus Duces Brunſvicenſes ad Cæſarem in Brabantiam profecti, Epiſcopum denuo graviter incuſarent, & IX. Calend. Auguſti proſcriptionis impetrarent formulam, adjuncto ſimul mandato, quo Duces proſcriptum Epiſcopum bello opprimere jubentur. Miſſo demum feciali, qui Johannem Epiſcopum proſcriptum denunciaret, contractoque luculentiſſimo exercitu Ericus & Henricus Duces Brunſvicenſes arma reſumunt, eodemq; victoriarum curſu Hundesruckenſem, Lawenſteinenſem, Coldingenſem Winzenburgenſem, Schlademenſem, aliasq; arces partim vi ſub ſuam poteſtatem redigunt, partim accipiunt in deditionem. Peina vero fruſtra aliquandiu tentata, copias labore feſſas, per hyberna diſtribuunt.

Conventus Goslarienſis ob Hermannũ ab Hauſen Satrapam Widelagenſem inſtitutus. *Lezn. l. 3. Chron. Daſſel. c. 30. fol. 49.*

Hæc dum in vicinia geruntur, Goslariæ convenerant Philippus Dux Brunſvicenſis, Bodo Comes Stolbergenſis, Henricus Comes Schwarzburgenſis Guntherus & Albertus Comites Mansfeldenſes, Henricus & Erneſtus Comites Hohenſteinenſes, eo conſilio, ut de ſecuritate ditionum ſuarum conſulerent in medium. Conjecturam enim ſecutus videtur Leznerus & Buntingius, cum eos tunc de Epiſcopo & Ducibus Brunſvicenſibus ad concordiam revocandis egiſſe exiſtimant. Propius rem tetigiſſe crediderim Spangenbergium, qui Hermannum ab Hauſen, Widelagenſis præfecturæ Satrapam, huic congreſſui dediſſe occaſionem refert. Sita eſt arx Windelagenſis in vicinia noſtra, ea regione, qua Brunſvicum itur, eaq; tunc novem florenorum millibus oppignorata erat Hermanno ab Hauſen, & Dioderico de Mandeslo. Quamvis autem hic potiorem argenti partem contribuiſſet, ille tamen ſuis artibus id effecerat, ut ſubmoto ex arce Dieterico ſolus præfecturæ fructus perciperet. Quo facto cum incredibilem ſibi Mandesloenſium invidiam conflavit, tum Henricum præcipue Brunſvicenſem ad tantam perduxit indignationem, ut facile præſagiret, non ſe in arce tutum inpoſterum futurum. Hinc majora auſus, milites quosdam longo bellorum uſu inſignes conduxit, iisque diverſoria & tabernas per præfecturam iis legibus locavit, ut abſente ſe arcem ab hoſtium inſultibus defenderent. Sed tantum aberat, ut hoc præſidio ſibi conſuleret, ut potius majorem ſibi conflaret invidiam, inprimis cum varia latrocinia conſtanti rumore ad hosce ſtipendiarios Hermanni milites referrentur. Veriti igitur laudati Principes, ne quid reſpublica detrimenti caperet, ex compacto Goslariam proficiſcuntur, vocatoq; Hermanno ab Hauſen, non parum ſibi moleſtum adhuc fuiſſe, ajunt, quod in præfectura ſua prædones alat, qui totam viciniam, quam late pateat, furtis, rapinis, latrociniisq; turbarent, poſtulare igitur ſe, ut hoſce famoſos homines quantocyus dimittat, quod niſi faceret ſe conſulturos rebus ſuis. Quibus ille: non ſe, inquit, negare, quod milites quosdam conduxerit, verum id ſe non alio feciſſe conſilio, quam Mandesloenſium inſidias evitaret, neminé ſuorum, ſe conſcio, rapto vivere nec unquam ſe conceſſurum ut publica ſecuritas per eos turbetur, ſi quis de ſcelere ejusmodi perpetrato poſſet convinci, ſe graviſſimo quovis ſupplicio in eum conſulturum. Nec ſuſpectos homines in Wildelagenſi præfectura locum inventuros, ſiquidem daturus ſit operam, ut Diverſoriorum oſtia impoſterum ſemper paterent, omnesque videre poſſent, quinam eo diverterent. Quod cum omnes probarent, ſoluto conventu diſceſſum eſt.

Quo magis vero fumus ex arcibus pagisque in buſtum conſidentibus tormentorumq; ignibus coortus Hildeſienſem Diœceſin tunc obfuſcavit: eo ſerenior lux Goslariæ noſtræ tanquam in quodam Goſen effulſit. Jam dudum homines ſalutis ſuæ anxios pudere cœperat Servitutis, ex quo a Luthero divinitus excitato indulgentiarum mercatus erat impugnatus. Hinc jam ſuperiori anno proceſſiones & reliquiarum cultus apud nos cœperant evileſcere, ad quæ tanto fervore ſtudioq; homines paulo ante confluere conſveverant. Non alii ferme dies Goslarienſibus erant ſolenniores, quam qui SS. Simonis & Judæ nec non Petri & Pauli memoriæ ſacri erant, quippe quibus miſſarum, vigiliarum, proceſſionum vix numerus poterat iniri.

Reformationis quædam prælud. *Hamelm. hiſt. eccleſ. renat. per Saxon. Evangel. Conf. relat. meam de ſtatu eccleſiæ Geſl. ante & poſt reform. § 8.*

Breviar. byemale, fol. 28.

Breviario SS. Sim. & Judæ diſcere id licebit, ubi omnia officia horum Feſtorum accurate deſcribuntur. Patet inde etiam Sarcophagum D. Matthiæ ſubinde tunc circumferri ſolitum: Ita enim ibi legimus: *Nota quod Sarcophagus Divi Matthie portatur Dominica proxima poſt Feſtum S. Johannis, quando autem portatur, tunc ſervantur in primis veſperis pſalmi feriales cum ſuis antiphonis.* Et paulo poſt: *Sed nota, ſi Sarcophagus portatur in die commemorationis S. Pauli, ut quandoq; contingit, totum officium horarum & miſſa dicetur de S. Paulo.* Prodiit hoc breviarium anno MDXX, unde patet, Capituli illud decretum de reliquiis ob molem non amplius circumferendis interjecto tempore fuiſſe mutatú. Atq; hæc quidé ſacra eo jucundiora clero videbátur, quo liberalius tunc plebs altaria oblationibus implebat. Sed jam ſuperiori anno remiſerat largitio, & vacua ubiq; apparebant altaria, non ſine magno parochorum detrimento. Quamobrem hoc ipſo anno die Petri & Pauli cum denuo clerus ſolenni pompa procederet Henningus Degen Plebanus S. Stephani ſacellanis aliquid offerendum dedit, ſerioq; plebem cohortatus eſt, ut & ipſa ſolita liberalitate oblationes elargiretur. Sed gravem hanc orationem riſu exceperunt cives, nec diutius ſe continuit Joannes Meidemannus Conſul, quin duro hoc dicterio in clerum inveheretur: Steuret den Narren ins Teuffels Nahmen. Id quod memoriæ prodidit Hermannus Hamelmanus, præclarus hiſtoriæ de reformatione Goslarienſi Scriptor, cujus hiſtoriam renati per Saxoniam inferiorem Evangelii, quamvis fruſtra adhuc a me quæſitá, ſedulo tamen excerpſit B. Sagittarius, cujus collectaneis debere me fateor, quicquid ex Hamelmanno in antiquitates has relatum benevolus lector deprehendet.

Joannes Cleppius evangelium prædicare incipit in S. Sepulcro. *Hamelm. l. c. Chytr. lib. 10. Sax. p. 283. Dreſſer. part. 5. Iſag. hiſt. p. 277. Lezner. c. 90. Op. MSC. de monaſt. Pomar. Chron. Sax. p. 582*

Hæ autem purioris doctrinæ ſcintillæ in flammas erupere ſimul ac Lutherus in publicis Imperii comitiis incredibili animi præſentia doctrinam evangelicam defendiſſet. Ex eo enim tempore plures divina gratia firmati non ſolum ad veritatem recipiendam, verum etiam laudabili zelo annunciandam procliviores eſſe cœperunt. Is Spiritus quoq; inceſſit Joannem Cleppium, qui primus omnium ſemina Evangelii Goslariæ noſtræ ſparſit, quicquid alii Theodorico Schmedeken hanc laudem tribuere videantur. Hamelmannus enim quo nemo accuratius reformationis acta collegit diſerte teſtatur Theodoricum Schmedeken demum poſt Cleppium evangelium prædicare cœpiſſe; ut Chytræi, Dreſſeri, & Pomerii teſtimonia hic taceam, qui auctores magno conſenſu Cleppio hunc honorem habent, ut primum urbis noſtræ Evangeliſtam appellent. Erat hic vir pro ſeculi genio ſatis doctus, & cum in Lutheri ſcriptis, tum in ſacris præcipuæ literis non mediocriter verſatus. Vicarii munere in æde S. Jacobi functus, cum puriorem doctrinam ex Lutheri ſcriptis bona fide imbibiſſet, obſcure primum de ea muſſitare, deinde paulatim fidentius papatus errores detegere auſus eſt. Cum autem Joannes Hardt ultimus eccleſiæ S. Jacobi plebanus manibus pedibusque daret operam, ne Lutheri dogmatibus in urbe noſtra locus eſſet atque ideo Cleppium aditu ſuggeſtus prohiberet; in S. Sepulchrum ſeceſſit ibiq; conciones habuit tam frequentes, ut templum vix caperet auditorum multitudinem. Verum hoc laudabile conſilium Cleppio mox extorſere Jo. Hardtii machinationes: quippe qui plusquam Vatiniano odio Lutherum proſecutus, non modo in Hildeſienſi curia, verum etiam apud ampliſſimum ſenatum noſtrum diu multumq; de Cleppio conqueſtus eſt, periculum eſſe affirmans, ne Cæſar juſta ſeveritate in Civitatem animadverteret, ſi eam ab avita religione deſciviſſe cognoſceret. Quo factum eſt ut Magiſtratus condito ſenatus Conſulto Cleppium concionibus impoſterum abſtinere juberet non ſine inſigni novelli cœtús dolore.

part. 1. hiſt. eccl. l. 16. c. 7. p. 69. Scultet. l. 1. ann. Ev. p. 81. lib. 2. p. 153.

Theodoricus Schmedeken Cleppii loco Evangeliú prædicat.

Cleppio igitur a publico docendi munere rejecto majore animo rem aggreſſus eſt M. Theodoricus Schmedeken, quem Leznerus Schmidelinum vocat, Witebergæ purioris doctrinæ elementis imbutus, ad docendum tamen, quam patiendum proclivior. Hic Jo. Cleppii exemplo nec quicquam deterritus, invito Johanne Hardt, cujus Capellanus erat, evangelicam veritatem propalavit. Et cum templa ſibi omnia occluſa deprehenderet, modo in cæmiterio S. Jacobi ſub procera tilia, modo in vicino prato dem Linden Plan conciones habere non dubitavit, tanto civium concurſu, ut templa & capellæ vacua pene relinquerentur.

Anni Chriſti 1522. 1523.
Caroli V. Cæſ. 3. 4.
Ab. V. C. 599. 600.

FErvebant adhuc ultimis his annis cum Civitatú turbæ Hildeſienſes tum reformationis Hanſeaticarum artibus impedita. Ultimus ſuperioris anni belli actus fuerat oppugnatio arcis Peinenſis, invito Marte ſuſcepta. Eam pignoris loco tenebat Fridericus ab Oberg, gregati eques auratus, qui octingentorum militum præſidio firmatus arcem fortiſſime propugnaverat. Sed hanc felicitatem grave periculum ſecutum eſt, quod Peinenſibus ultima minabatur. Duces hoc anno cum novo exercitu adfuturi nunciabantur, miles præſidiarius multorum menſium ſtipendia duplicata fruſtra flagitaverat, & armis poſitis ad Duces videbatur deſciturus, niſi argento poſſet deliniri. Epiſcopo deniq; omnibus rebus exhauſto non erat tantum argenti, ut militibus ſatis fieret. Ne tamen caſtellum hoc, in hoſtium veniret poteſtatem, illud Hildeſienſi ſenatui civibusque pignori dedit, qui cum Obergio pacti placatis

Goslarici Peinenſis Civibus pacem minabatur.

Chytr. l. 8. Saxon. p. 249.

catis pecunia militibus, novum præſidium arci imponunt, ſubditos in fidem recipiunt, novoque cum Epiſcopo percuſſo fœdere agrum Brunsvicenſem factis frequenter excurſionibus depopulantur. Quo cognito civitates Hanſeaticæ, ſociæ urbi timentes, circa anni hujus principium Goslariam legatos ſuos dimittunt, quavis ſolertia cum Hildeſienſibus acturos, ut a bello abſtineant, nec non proſcriptum Epiſcopum adjuvent: Id ſi facerent, fore, ut reſtituta pace, cum ipſi, tum omnes inferioris Saxoniæ civitates, fructum inde ferant longe uberrimum. Aderat Hildeſienſium nomine Henningus Brandes Conſul, qui percepta legatorum oratione, nihil, inquit, ſibi accidere poſſe jucundius, quam honeſtam pacem. Conſilia ſua ſemper pacis togæque non armorum ſocia fuiſſe, nec tamen jam ſibi integrum eſſe, quicquam inconſultis ſenioribus, collegis, ac civibus aut ſtatuere, aut paciſci. Domum itaque reverſus Conſul, cum ſociarum civitatum conſilium gravi oratione civibus exponeret, hos tanta bellandi cupiditate flagrantes invenit, ut Conſulem, facta pacis mentione, palam objurgarent, eumque parum reipublicæ conſulere dicerent. Denique omnibus futuro bello præparatis Cives per præfecturas Gandersheimenſem, Seſenſem & Blomenhagenſem incendiis graſſati, prædas ubique opimas abigunt, domumque ſubinde redeunt locupletiores.

Grona & Alfelda capiuntur Hildeſia obſidetur.

Interea fama erat, auxilia nova Epiſcopo e Weſtphalia proximo ad futura. Hinc factum eſt, ut Duces Brunsvicenſes, re ad Cæſarem delata, edictú impetrarent, quo cautum erat, ne quis Weſtphaliæ procerum proſcripto Epiſcopo ſuppetias ferre auderet. Copiis præterea ad Viſurgim locatis omnes aditus præcluſerant, per quos adventaturæ Weſtphalorum copiæ credebantur. Sed hoc metu Duces mox liberavit Erici Epiſcopi Monaſterienſis obitus, in quo quippe fratre omnis ſpes Hildeſienſi Epiſcopo ſita fuerat. Eo enim defuncto equitum peditumque copiæ, in Hildeſienſem diœceſin deſtinatæ paulatim a ſignis dilabi ac domum redire cœperunt. Majori itaq; animo Duces bellum redintegrant, Gronaque ad Viſurgim cruenta obſidione recuperata, Alfeldam quoque ſub ſuam redigunt poteſtatem, civesque ſex florenorum millibus mulctant. Inde armis in metropolin converſis Hildeſiam oppugnant, frugibusque in circumjacente agro refectis, tormenta adducunt, civitatem lapidibus, ignibusque premunt, inque quartam ſeptimanam pro-

Goslarię tracta obſidione, diſcedunt. Quod prius-

cum aliis civitatibus de pace inter Principes & Hildeſiá agitur. *Chytr. l. 6.*

cum quam fieret, in principum caſtra acceſſere Civitatum Goslariæ, Magdeburgi & Eimbeccæ legati, factisque bidui induciis de pace inter Principes & civitatem reconciliandа in æde D. Nicolai agunt. Verum cum de conditionibus inter illos minus conveniret, civesque extrema potius ſe ſuſtenturos dicerent, quam ut patriæ libertatem opprimi paterentur, legati re infecta diſceſſerunt, principesque urbe aliquandiu tentata & ipſi ſignum receptui dederunt.

Caſtris igitur ſub Peinenſi arce explicatis denuo ejus moliuntur obſidionem, prioribus non multo feliciorem. Henricus enim junior, cum audacius mœnia ſubiret, ictus tormento per pedes vulneratur, totiesque fruſtra factis inſultibus milites labore attritos per pagos in hyberna diſtribuit. Epiſcopus & Civitas Hildeſ. octingentis interea equitibus Weſtphalis aucti Seſenſe expugnaverant oppidum, vicinasque præfecturas excurſionibus & incendiis non parum exhauſerant. Sed ne plura auderent, Weſtphalorum prohibuit ſeditio, ex negatis ſtipendiis coorta. Inde enim factum eſt, ut cives majora veriti ſocias hasce cohortes dimitterent domum.

Hildeſienſi Ep. parum feliciter rem gerit.

Denique cum Epiſcopo nulla ſpes recuperandæ diœceſeos videretur ſupereſſe, nec Principes Peinam, Hildeſiam, Steuerwaldum & Mariæburgum expugnare poſſent, utraque pars ad pacem cœpit eſſe proclivior. Primum itaque Brunsvicenſis Senatus principibus aſſentientibus Hildeſienſibus ſuaſit, ut dimiſſis militibus a depopulationibus abſtinerent. Mox Hanſeaticarum civitatum legati Goslariæ in ſolenni congreſſu compoſitionem inter Principes Brunsvicenſes & Hildeſiam jam antea tentatam perficere conati ſunt, conditionibus ad utriusque partis conſenſum propoſitis; quæ cum iniquiores Hildeſienſibus viderentur, tunc quoque re infecta diſceſſum eſt, nec eo anno quicquam amplius memorabile geſtum.

¡Goslarienſes cú aliis civitatibus denuo Hildeſ. pacem ſuadent, *Chyrr. l. c. p. 251.*

Inſequente anno licet mutuis agrorum depopulationibus denuo res acta ſit, Cæſaris tamen opera res eo deducta eſt, ut pace demum diuturnæ lites ſopirentur. Arbitri electi ſunt Albertus S. R. E. tt. S. Petri ad Vincula presbyter Cardinalis, Magdeburgenſis, Moguntinus Archiepiſcopus, Elector, & adminiſtrator Halberſtadenſis, Georgius Dux Saxoniæ, & civitates Goslaria, Magdeburgum & Eimbecca, quorum legati, utraque parte Quedlinburgum evocata, multisque ultro citroque habitis colloquiis, ipſis aſcenſionis Domini vigiliis pacem iis legibus fecere, ut Wilhelmus Dux Brunsvicenſis, ceterique captivi gratis libertati reſtituerentur, tributa tempore belli indicta neutris ſolverentur, Hildeſienſis civitas, ſub Erici Ducis tutela jure ſuo & libertate uteretur inviolata, gladius Erico Duci captivo detractus & in Eccleſia cathedrali Hildeſienſi ſuſpenſus Domino redderetur, Steuerwaldum, Peina & Mariæburgum Hildeſienſi Epiſcopo relinquerentur, cives Præſuli ſuo adverſus Duces Brunsvicenſes nunquam auxilia ſuppeditarent, arces & oppida armis occupata Duces retinerent, equites Hildeſienſis Diœceſeos, quorum prædia & domos Duces in ſuam ditionem redigiſſent, circa futurum Bar-

Tranſactio Quedl. cui & Goslariæ interfuit. In ſacke Br. *contr.* Hildesh. *Remiſſio-nis ausf.* wohlgegründete *relatio* uñ Bericht. *p. 7. & 245 Chyrr. l. c. p. 252. Bunt. Chron. Br. part. 1. p. 305. & part. 5. p. 522. Lezn. l 2. Chron. Daſſel. c. 37. p. 66.*

tho-

* *Chytr. subsitisit Goslariæ.*

thomæi festum Quedlinburgi * cum Ducibus agerent, quid singulis sint redditurі: Capitulum, Clerici, & monasteria Sultense, Mariærodense, & Carthusa bona reciperent, juribusque suis ceu ante bellum uterentur: a Cæsare proscriptionem refigi peterent: Ipsa denique compositionis formula a Cæsare rata haberetur. His legibus jam inter Capitulum & Duces convenit, literas vero hunc in modum signatas reperio:

Und in vrkunde haben wir obgenande Fürsten von Braunschweig vnser Jeder sein eigen/ vnd wir Thumb-Capitel vnd der Räthe zu Hildesheimb vnsers Capitels vnd Raths Insigul auch zu ende dieses vertrags hengen lassen/ der gegeben ist zu Qedlinburg/nach Christi vnsers Herrn Gebuhrt Funffzehen hundert vnd in drey und zwantzigsten Jahre/ am Abendt der Himmelfahrt Christi/ Im Beiwesen vnd gegenwertigkeit der Gesandten der dreyer ehrbar Städte Goßlar/ Magdeburg und Einbeck welche wir die Handel-Fürsten obgenant zu diesen Vertrage und Handelung sonderlich erfordert und gezogen haben.

Atque adeo tunc ex tam luculenta diœcesi Johanni Episcopo nihil mansit reliquum, præter civitatem Hildesiensem & præfecturas Steuerwaldensem, Peinensem & Mariæburgensem, minoris Diœceseos (des kleinen Stiffts) nomine hodienum insignitas. Duces vero captas arces & oppida ita diviserunt, Erico Hundesruckum, Gronda, Arzena, Lauuensteinum, Grona, Poppenburgum, Ruta, Coldinga, Hallerburgum, Dassila, Bodenwerdera, Hamela, Walhusum, Hemmendorffium, Aulica, & Sarstadium; Henrico Juniori Wincenburgum, Woldensteinium, Woldenberga, Liebenburgum, Finenburgum, Widelagium, Sladena, Luttera, Steinbruchum, Westerhofium, Alfelda, Bokenum, & Lamspringa cederent. Johannes vero Episcopus tessus tot laboribus, cum suis parum se gratum esse animadverteret, demum anno M. DXXVII. Sacerdotium majori fama, quam laude gestum deposuit, natusque successorem, Balthasarem Merklinum, Carolum V. Vice-Cancellarium, Raceburgum ad fratrem se recepit, ubi anno M. DXLVI diem obiit supremum. Cum igitur cœpta apud nos reformatione potestas diœcesiani sensim exspiraret, non erit mihi fraudi, si sequentium Episcoporum gesta, aut prætermisero penitus, aut parcius si necessarium videbitur, attigero.

Theodoricus Schmedeken.

Jam ut ad reformationis Goslariensis primordia veluti e diverticulo redeam, sub anni MDXXII. auspicia Evangelio prædicando adhuc vacabat Theodoricus Schmedekenius eo successu, ut quotidie nonnulli ad neophytorum numerum accederent. Verum hæc ecclesiæ incrementa, suo more, non parum sufflaminavit Johannes Hardt; Plebanus ædis S. Jacobi, qui Senatum, Pontificiæ religionis adhuc tenaciorem, denuo permovit, ut Smedekenio non modo concionandi munere, verum etiam urbe interdiceret, hic tamen hucusque laudabili constantia cœptam telam pertexuit, ipretisque minis in pratum urbi vicinum decessit, ibique sub die ad cives conciones habuit. Et quamvis ii, qui ex urbe ad eum confluebant, vulgo die Linden-Brüder per opprobrium vocarentur, non passi tamen sunt, a laudabili hoc proposito, aut edictis, aut ignominia se revocari. Denique Hildesiensis curia huic Theodorico struxit insidias captumque in Steuerwaldensem arcem abripuit, custodia defatigatus, acerbioris demum supplicii metu veritatem anno MDXXIII non modo deseruit verum etiam ejuravit. Extat ejurationis formula ab Hamelmanno his verbis recensita: *Ego M. Theodoricus abnego & abjuro illam hæresim Lutheranam, de qua fum fuspectus, & dogmata istius erroris de cetero persequor, tum quotquot sunt quoque omnes de illa secta Lutherana, omnes ac singulos persequar, & consortia eorundem vitabo, & iisdem non interero, ita me &c.* Quo facto Schmedekenius molesta captivitate liberatus domum rediit & procuratoris causidicique munere aliquandiu apud nos functus est. En! arma pontificiorum, quibus dogmata Lutheri impugnarunt!

Evangelium prædicas relegatur, capitur, veritatem ejurat. *Hamelm. l.c. Lezn. c. 90. Op. MSC. de Monast.*

Hoc tam insigni crudelitatis specimine permotus senatus, saniori doctrinæ videtur impensius favere cœpisse, siquidem nullum ex hoc tempore edictum prodiit, reformationis operi inimicum. Ne etiam Evangelii lumen, veluti e longinquo ostensum, plane evanescceret, e Stralsunda Pomerania a nonnullis huc evocatur *Antonius Gerson*, qui Gryphswaldiæ non sine laude adhuc docuerat, & decreti Wormatiensis in Pomerania publicati metu, cū *Ægino, Bolduano, Bugenhagio, Knopkenio, Mollero, Kettelhusio, Kurchio, Kniphovio, Bonno, aliisque*, Theologis Evangelicis e Pomerania profugerat. Cum vero in eo esset, Cleppius ut quam posset, celerrime Goslariam proficisceretur, Stralsundi in morbum incidit, ac immatura morte defunctus, dimunspem civium nostrorum fefellit. Igitur redit. Johannes Cleppius civium rogatu denuo ad prædicandi munus rediit, nec jam occulte amplius, sed palam in ipsa æde S. Jacobi docuit. Qui licet nec dictione satis emendata uteretur, pro gratiæ tamen modulo ita auditores commovit, ut & spatiosum templum hominibus repleretur & plures in cœmiterio subsistere cogerentur. Interea Halberstadii

Antonius Gerson Goslariæ mandū vocatus Stralsun di obit. *Micrāl. Synt. eccl. Sect. 2. l. 3. p. m. 543.*

Chytr. l. 8. p. 283. Hamelm. l.c. Lezn. l.c.

quo-

Quem quoque purioris doctrinæ radius illuxerat, Johanne Wesselio & Henrico Gefferdes in æde sancti Martini Lutheri dogmata annunciantibus, quibus tamen tanta audacia obstitere cœnobii Sancti Johannis Monachi, ut alter urbe pulsus, Goslariam secederet, alter a senatu Halberstadiensi Quenstadiensis Pastor creatus periculum in præsens evitaret, licet & inde ejectus interjecto tempore Goslariam venerit. Wesselius itaque, simul ac Goslariæ locum invenit, nihil egit sollicitius, quam ut cœptam a Cleppio & Smedekenio reformationem concontinuaret. Hinc totum hunc annum docendo exegit, donec sequente non modo docendi, sed & sacramentum sub utraque specie distribuendi impetraret libertatem, Qua de re sequente libro pluribus erit agendum.

Sublevat Johañes Wesselius *vid. auctores citatos. Reimann. Idea Chron. Halberst. Sadelmann.*

ANTI-

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM

ET

VICINARUM REGIONUM

LIBER VI.

AB ANNO CHRISTI
MDXXIIII AD MDIC.

IMPERANTIBUS

CAROLO V.
FERDINANDO I.
MAXIMILIANO II.
RUDOLPHO II.

CAESS. AUGG.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

TAB. *ad dissertationem.*

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

N°. 9.

ANTIQVITATUM GOSLARIENSIUM, ET VICINARUM REGIONUM INPRIMIS ECCLESIASTICARUM

LIBER VI.

DE REBUS

Seculo Goslariæ septimo gestis,

Ab ANNO Christi 1524 usq; ad 1599.

ULtimum aggredimur Antiquitatum nostrarum librum, cujus lectionem eo jucundiorem ceteris futuram confidimus, quod non Cæsares a Pontifice vexatos, non clerum luxu & libidine fluentem, non peregrinationes denique, aliosque profanos cultus; sed eluctantem paulatim e tenebris veritatem, doctrinamque puriorem bona fide renascentem in scenam producit. Quemadmodum vero nunquam tam lætam frugum copiam ager profert, ut non triste quandoq; succrescat lolium, spem agricolæ aut non parum turbans, aut evertens penitus: ita & Goslaria nostra tunc, cum evangelium effulgere videret, prodire simul sensit varios errores, eosque sequi infausta certamina, plus scandali sæpius, quam medicinæ allatura. Hæc igitur si in hoc libro occurrere animadvertas, Lector, occultam Dei sapientiam mirare, qui scandala ejusmodi objici nonnunquam patitur, ut pateat, quorum nam fides justo innitatur fundamento, judicia Dei venerare, quibus evangelii sui contemtum vindicat, gratiam denique illius & misericordiam suspice; qua factum est, ne navicula ecclesiæ inter medios hosce hæresium fluctus & procellas faceret naufragium, sed Jesu secura remigio omnes syrtes felici cursu præterveheret. Idem de externa ecclesiæ nostræ facie existimandum est. Sapientiæ enim Dei fuit, nascentem ecclesiam variis calamitatibus exponere; justitiæ, homines beneficii divini immemores, hisce ærumnis castigare, misericordiæ denique, prohibere, ne veritas plane extingueretur. Vtinam vero homines ultima hac ac veluti decrepita mundi ætate tanto evangelii contemtu divinam nemesin non denuo provocarent, sed esse potius, quam vocari evangelici mallent, maturiusq; quid Spiritus ecclesiæ dicat, recogitarent: *Habeo contra te, quod amorem primitivum deseruisti. Recordare igitur, unde cecideris, & resipisce, & fac priora opera. Nisi hos feceris, veniam tibi celerius & projiciam candelabrum tuum e loco suo, nisi (inquam) feceris pœnitentiam. Qui habet aures, audiat, quid Spiritus ecclesiis dicat.* *Apocal. II 5. 7.*

Anni Christi 1524. 1525.
Caroli V. Cæs. 5. 6.
Ab. V. C. 601. 602.

SEcesserat nuper in hanc urbem Johannes Wesselius, primus Halberstadiensium evangelista, vir & evangelicæ veritatis cognitione & vitæ probitate nulli secundus: qui tanta dexteritate evangelium cœpit annunciare, ut & ultimi subselii homines sacram scripturam scrutarentur. Cujus rei illustre satis extat documentum. Fuit tum plebanus in hac urbe, nescio quis, qui sæpiuscule Lutheri doctrinam refutare annisus; adeo suam prodidit in theologia inopiam; ut & Laicis risum propinaret. Inprimis allegandis e Paulo dictis fucum facere auditoribus consveverat, sæpius jactans verba Pauli, quæ diligentius requisita, nusquam apparebant. Hoc animaduerso civis quidam ausus demum est hominem redarguere; ac publice falsi postulare. At plebanus cum se fabulam ubique esse cognosceret, nec se ab hoc crimine sciret immunem esse, adversarium in jus vocavit, dignoq; supplicio eum plecti petiit, ratus; se *Wesselius verbum pure prædicat & sacramentum sub utra; dilpenbe, nescio quis, qui sæpiuscule Lutheri sat. Chytr. l. Sax. p. 283. Hamelm. l. c.*

ſe facile brachio ſeculari ſuperaturum, quem diſputando vincere non potuiſſet. Siſtit ſe coram Senatu reus, cauſam dicit, plebanum falſi convincit, atque in eo communi omnium ſuffragio abſolvitur. Quo facto homo impudentiſſimus rubore ſuffuſus privatos inter parietes ſe continuit, nec unquam auſus eſt, prodire in publicum. Offenſus tanta audacia Senatus magis magisq; indies pontificiæ doctrinæ vanitatem perſpexit, & in neophytorum cœtum cœpit eſſe proclivior. Acceſſere Hanſeaticarum aliquot Civitatum preces, quæ perſvadere Senatui audebant, ne evangelicæ veritati diutius repugnaret. Tot itaque precibus denique ſuperati patres patriæ docendi munus Joanni Weſſelio demandarunt, veniamque illi dederunt, ut abrogata miſſa cœnam dominicam ſub utraque ſpecie ad Chriſti inſtitutum diſtribueret. Extat penes me ſingularis compacti formula inter ampliſſimum Senatum & Civitatis tribus die Martis poſt Dominicam Exaudi hoc ipſo anno inita; ex qua paucula hæc reformationem concernentia excerpere viſum eſt: *Receſſ. zwiſchen Rath Gilden v. gemeinde de ao 1525*

Im Nahmen der Heiligen Dreyfaltigkeit!

Auf vorgeſchlagene Artickul von einer Gemeine an E. E. Rathe angetragen Antwort von E.E.R. wiederum gethan / haben wir hören läſen / und zu guter maſſe verſtanden. Bedancken den wolweiſen Herrn freundlichen ihrer gütlichen Antwort und Wollmeinunge / mit erbieten / ſolches allezeit als gehorſame Bürger zu verdienen.

(1) Wollen ſie haben / daß das Wort Gottes recht geprediget werde / aus rechten Grunde der heiligen Schrifft / ſo aber das Wort Gottes nicht recht geprediget würde / ſollen abgeſetzet werden Pfarrherren oder Prediger.

(2) So den angetragen iſt worden von dem E. Rathe von der Pfaffheit ihren Schoß / wachte geben / und nachbar recht zu thun / begehten wir / daß man ſie annehme in ſolcher geſtalt / daß die Pfaffheit ſollen alle ihre Güter in und auſſerhalb der Stadt Goßlar verſchoſſen und verwachten nach der Bürger willkühr / iſt die Gemeine gantz geſinnet.

(3) Von den Nunnen und Mönnichen iſt die Meinunge / daß E. E. R. an ſich nehme die Leibgüter und einſetze einen ieglichen Bürger / der deſſen begehren iſt / in unſer Stadt Goßlar.

(4) Auch die geiſtlichen Güter / ſo ein E. R. eingenommen hat / laſſen wir in ſeinen Würden. **

(33) Auch ſoll kein Pfarrherr ſeine Pfarrleute beſchweren mit unbilligkeit der Todten / vigilien oder Kirchgang mit doppelten präſentiren / ſondern bey den alten Lohn / wie vormals geweſen iſt / wer nicht gegenwärtig / ſoll ihr entbehren. **

(38) Dieſes iſt zuforderſt allein unſere Bitte zu E.E. Rathe / durch Gott den Allmächtigen / und durch die mildigkeit / die da gegeben iſt von Käyſerl. Mäyſt. dieſer ehrlichen löblichen freyen Stadt Goßlar nicht von dem Reiche gekaufft / oder durch Schwerdt-ſchlacht dazu gebracht / ſondern aus der Kammere des Heil. Röm. Reichs geſtifftet undt fundiret / darzu privilegiret undt begabet. Bitten derohalben / daß uns armen Bürgern oder Einwohners ſolche freyheit entdecken und gehalten werden möge mit E.E. Raths bequähmlichkeit / und in einer guten wollmeinunge uns unterrichten / wir wollen uns darinn halten in aller Billigkeit.

E.E. Raths Antwort Montags nach Exaudi Anno 1525.

(1) Auf den erſten Punckt / daß das Wort Gottes recht geprediget / antwortet der Rath / daß E.E. Rath ſolches mit vor gleich und billich anſehen / auch daß von R. M. einen ſondern befehl haben / darumb der Rath mit ihrer Zuthat daſſelbe Evangelium und Gottes wort alſo geprediget und darnach auch in der That gelebet und gewircket werde / zu beſtellen wol geneigt.

(2) Auf den andern Artickul / daß die Pfaffheit alle ihre Güter beweglich und unbeweglich verſchoſſen ſollen / antwortet der Rath / daß die Pfaffheit ihnen ſolches zu thunde allbereit hiebevor bewilliget.

(3) Item mit dem Mönnicken und Nonnen die Leibgüter belangent / will der Rath mit ihnen auf das förderliaſt mit ihr zu that darinne handelu laſſen. **

(33) Item mit den Pfarrherrn ſeine pfarrleute mit den präſentiren nicht zu beſchwehren woll der Rath die Pfarrherrn fodern und ſich das mit ihnen vereinigen **

Und hiermit ſoll und will der Rath die Handelsleute und ihre Nachkommen und die Handelers und ihre mitverwandten den Rath und ihre Nachkommen wiederum dieſer iezzigen irrung halber nicht in argen gedencken / noch ein kegen den andern in zukünfftigen Zeiten ſolches aufziehen / ſondern ſollen und wollen derowegen gäntzlichen vereiniget und vertragen ſein / und ein den andern nach alle ſeinen beſten vermögen

gen ehren / fordern und vortſezzen / und ſeind dieſe wie hernach nahmhafftig verzeichnet. **

Sequuntur nomina eorum qui transactioni huic interfuere.

Geſchehen und mit des Rathes anhangenden groſſen Inſigel verſigelt nach Chriſti unſers HErrn Geburt funfzehen hundert in fünf und zwanzigſten Jahre / am Donnerstage nach dem Sontage Exaudi.

Quamvis autem hæc non omnia effectui hoc anno data conſtet, inprimis cum patres patriæ illam de bonis eccleſiaſticis ſententiam prævio maturiori conſilio mutarent, hunc tamen inde fructum tulit civitas, ut renitentibus licet ceteris plebanis in æde tamen S. Jacobi cultus emendatior florere inciperet. Dici non poteſt, quam frequentes ad Weſſelium cives concurrerint, quantumque auctus indies fuerit fidelium numerus. Templum certe S. Jacobi, in quo ſolo evangelium perſonabat, ſatis licet ſpatioſum vix capiebat auditores; ceteræ eccleſiæ, Romanenſium adhuc clero ſubjectæ, vacuæ relinquebantur. Tanta enim aviditate cœleſtem haurie-bant doctrinam, tanquam diuturnam ſitim explere cupientes, atque ex priſtina caligine ad divinam adſpirantes lucem.

Cur eccleſiæ collegiatæ & monaſteria reformationi adverſata ſint?

Tenaciores Pontificiæ religionis erant eccleſiæ collegiatæ & utriusque ſexus religioſi, qui manibus pedibusque obnixe omnia faciebant, ne Lutheri dogmata per eccleſiarum ſuarum ac monaſteriorum clauſtra penetrarent. Cauſa, ſi quid video, non alia fuit, quam ingens illa ac prope communis omnium principum ac magiſtratuum aviditas, qua plerique tunc eccleſiarum opibus inhiabant, tunc demum monaſteria reformata eſſe rati, ſi ejectis religioſis bona Deo dedicata ad fiſcum raperent. Ipſe Lutherus graviter de hac rapacitate conqueſtus, ac cœnobia ejusmodi conſervari optans: Es ſind etliche Hurneiſel / inquit, die groſſe Cloſter güter an ſich gezogen / und die Hoffſchrantzen damit begnadet / welche aber gewiß das ihre mit verzehren werden. Et alibi: Ich wolte gern daß die Feld-Clöſter und Geſtiffte blieben / zu erhaltung armer Perſonen und Kirchen-diener / wie ich denn von anbeginn nichts anders davon geſchrieben habe. Denn aus ſolchen Clöſtern und Stifftern kan man darnach Leute nehmen und kieſen / die geſchickt ſind zu Kirchen ämtern / zum weltlichen Regiment und Hausſtande. Quo etiam collimare videntur ejusdem literæ ad Electorē Saxoniæ d. XXI. Februarii anno M. D. XXVII directæ, quibus pro monachis Franciscanis in cœnobio Wittenbergenſi reliquis intercedit, ut iis de ſuſtentatione proſpiceretur, ne cum magna evangelii ignominia egerent, addens inter alia, es möchte vielleicht einer unter ihnen ſein / der am jüngſten Gericht unſer aller richter möchte ſeyn. Quamvis autem ampliſſimus Senatus noſter, nihil minus reſpiceret, quam facultates eccleſiarum, ſiquidem in urbe noſtra, id quod perpetuæ laudi erit Goslarienſibus, præter binas eccleſias collegiatas & quatuor hoſpitalia hodienum ſuperant monaſteria Novi Operis, Francobergenſe & fratrum minorum piis uſibus deſtinata, verebantur tamen religioſi, ne tam animæ ſuæ, quam opes eccleſiaſticæ peterentur, & ſuſcepta reformatione, ex tam ſplendido vitæ genere ad mendicitatem redigerentur, ac proinde nullis argumentis eo poterant adduci, ut antiquos errores deſererent. Canonicos ſane eccleſiæ Montis S. Petri hoc anno in ſolemni capitulo antiqua inſtituta confirmaſſe & nova condidiſſe conſtat. Quæ qualia ſint non opus eſt hic prolixius referre, cum Joanni Hildeſienſium Epiſcopo fuerint ad palatum, qui ea hoc diplomate rata habuit:

Matthef. vit. Luth. conc. 7. p. 701. Luth Colloqu. menſ. c. 33. p. m. 580.

Luth. Ep. MSC. ap. Seckend. Comm. de Luth. n. 25 l. 2. p. 64.

JOANNES Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia *Epiſcopus eccleſiæ Hildeſemenſis, Saxoniæ, Engariæ & Weſtphaliæ Dux* univerſis & ſingulis nobis ſubjectis ſalutem in Domino. Noveritis, quod nuper pro parte venerabilium nobis in Chriſto dilectorum *Præpoſiti, Decani, Senioris & Capituli eccleſiæ Montis S. Petri* prope Goslariam noſtræ diœceſis fuerunt nobis exhibita eorum & dictæ eccleſiæ ſtatuta, & quatenus ea omnia & ſingula approbare, confirmare, auctoriſare, & decretum noſtrum ordinarium interponere præmiſſis dignaremur, humiliter requiſiti. Vnde præmiſſi omnibus & ſingulis ſtatutis per nos viſis & debite penſatis comperimus ea omnia & ſingula fore juri & rationi conſona, confirmamus, approbamus, auctoriſamus, auctoritatemque noſtram ordinariam pariter & decretum interponimus per præſentes. In quorum omnium & ſingulorum fidem & evidens teſtimonium præſentes noſtras literas, ſtatuta & ordinationes atque approbationem, confirmationem & decreti noſtri interpoſitionem, hujusmodi in ſe continentes exinde fieri, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum ſub anno Domini milleſimo quingenteſimo viceſimo quinto, die undecimmillium Virginum.

Sic & cetera religioſorum collegia Epiſcopi Hildeſienſis decretis deterrita reformationi pro virili repugnarunt, interjecto tamen tempore ipſa veritatis vi ad ſaniorem mentem revocanda.

Annus Christi 1527.
Caroli V. Cæs. 8.
Ab. V. C. 604.

Henricꝰ Dux Br. Goslariã graviter affligit. *Chytr. l.12 Sax p.351. sq. Lezn. c.87. Op. MSC. de monast.* Kurtze anzeigũg und bericht *ap. Hortl. l.4. c.14. p. 357. Deduct. Mudersp. MSC. n. 25.*

INter fausta hæc reformationis auspicia graves illæ subnascuntur turbæ, quæ collisis inter se Henrico Duce Brunsvicensi & civitate nostra antiquam Goslariæ felicitatem non parum attriverunt, bellumque concitarunt, paulo post non sine multo cruore gestum. Jam inde a longa annorum serie Goslarienses possederant, quendam sylvarum tractum nemoris Cæsarei (des Käysers Forstes) nomine hodienum notum, nec minus metallorum aliquot proventus in monte Ramelino, quorum tamen decimam partem sibi Duces Brunsvicenses cum supremo jure ex Cæsaris antiqua donatione merito vindicabant. Præter has facultates cum alias quoque sylvas emtionis titulo a Ducibus Brunsvicensibus acquisiverant, tum decimas quoque metallicas, e monte Ramelino a nobilibus de Gowische, quibus oppignorata hæc jura fuerant, coëmerant, ea lege, ut Ducibus oblata certa pecunia bona isthæc vendita recuperare liceret. Quamvis igitur Goslarienses sylvas æque ac metallorum proventus per tantum temporis intervallum quiete possedissent, Henricus tamen junior major Hildesiensis diœceseos parte nuper suæ ditioni adjecta ditissimus redditus, Goslariensem quoque civitatem hisce opibus suæ familiæ debitis exuere dudum statuerat. Auctor est Jo. Leznerus, Principem hunc ideo civitati iniquiorem fuisse, quod eam excusso Pontificis jugo Lutheri dogmatibus favere vidisset. Verum nondum mihi persvadere potui, hanc fuisse tam feralis odii causam, cum eo tempore, quo collidi cum urbe nostra cœperat, vix minima reformationis spes affulgeret. Potius eo adducor, ut credam, Henricum opibus auctum, ut fieri solet, bona a majoribus vendita, redimere instituisse, nonnullisque monitoribus instigantibus, plura, quam par erat postulasse, quamvis non negem, Ducem Luthero infensissimum protracto diutius dissidio e reformatione quoque graviora subinde odia concepisse. Quæcunque demum fuerint tanti odii causæ, id sane constat; Henricum jam M. DXXV. oblato argento, sylvas metallorumque proventus a Goslariensibus repetiisse. Nihil morantur cives, sylvas emtionis titulo adhuc possessas Principi reddunt, decimas metallorum restituunt, retentis tamen sibi ceteris sylvis & metalli fodinis, quas alio justo titulo suas esse affirmabant. Princeps vero minus satisfactum esse ratus, ceteras quoque sylvas, ac metalli fodinas poposcit, conditoque edicto cives fodinarum feuda a se recognoscere jussit, nisi jure suo vellent excidere. Non ignorabant Goslarienses, quo hæc spectarent, ideoque nihil cunctati rem ad Cæsarem deferebant; qui causa ad Cameram Spirensem remissa Principem æque ac Civitatem nostram ultimam inde sententiam respicere jussit. Interea Princeps armis rem agere, cives e sylvis projicere vulnerare, carbones negare, metallifodinas affixis insignibus sibi vindicare, officinas denique ærarias occupare cœpit, nec ipsa quidem cameralis Judicii sententia deterritus, qua ab ejusmodi consiliis abstinere jubebatur. Tam misera tum erat Goslariæ nostræ facies, ut nihil civibus esset reliquum præter ipsam urbem, procul tamen non minus imminere Henricum, fama erat. Interdictis aliquot cameralibus impetratis, Goslariam sub pentecosten accessere legati Regimenti Norimbergensis, eo consilio, ut Principem flecterent ad pacem, dissidiumque hoc periculosissimum ex æquo bonoq; componerent. Hinc utraque parte Brunsvicum vocata, adhibitisque in consilium Erico Duce & civitatibus Brunsvico, Magdeburg, Hildesia, Gottinga, Hanovera & Eimbecca novem proposuere media, quibus pax restitui posse videretur. Verum negotio diutius agitato re infecta discessum est. Interea Princeps armis rem acturus Richenbergense monasterium vallis sepibusque munire cœpit, impositoque validissimo præsidio, limites civitatis rupit & tam arcte Goslariensꝛ inclusit, ut vix pedem porta efferre, nedum æri flando operam dare liceret. Jam suspicabantur cives, Ducem ipsam urbem petere, inprimis cum auctis subinde copiis, aciem sæpiuscule e longinquo ostenderet & Montis S. Georgii cœnobium mœnibus proximum se occupaturum simularet. Imminebant urbi præter monasterium S. Georgii & aliæ ecclesiæ mœnibus validissimis cinctæ, veluti Prioratus S. Sepulcri, ecclesia collegiata Montis S. Petri & capella S. Johannis in radice montis Ramelini, quas si Princeps occupasset, peritura civitas videbatur. Quod cum cives metuerent, consentiente suffragio, repugnante licet senatu, delendas has ecclesias statuerunt. De exciso S. Sepulcro facile se excusatum iri existimabant, quod dudum cum ordine Johannitico pacti essent, ut imminente periculo prioratum in urbem transferre liceret; nec diruta capella S. Johannis invidiam sibi conflatum iri arbitrabantur, quod a Diœcesano Moguntino impetraverant veniam, illam delendi, si urbi exinde detrimentum inferri posse putarent. Denique domos suas ac penates quomodocunq; demum possent, tueri, vimque illatam quavis ratione propulsare, jure civili ac gentium licere sibi credebant. Senatus vero mitiora consilia agitans civitatem, si forte res postulare videretur, armis tuendam affirmabant. Hinc conductis quam plurimis mercenariis

Cives monasterium S. Georgii delere statuunt.

mer-

NICOLAVS AMSDORFIVS

Effigies Nicolai Amsdorfii, a quo reformationis negotium Goslariae est feliciter confectum ad ann. 1527.

ANTON. CORVINVS.

Effigies Antonii Corvini, Pastoris ad D. Stephanum primi, cui multum debet Ecclesia. ad ann. 1528.

Coelestis quondam, Doctor, Antoni, hîce
Corpus humatur, at tua vivit hâc tabula.
Scilicet eximia virtutis fama perennat;
Non ea morte perit, sed benedicta manet.
Atavo suo, piæ memo-
riæ, posuit
M. Joh. Friderig. Corvinus,
Pastor Homburgensium
Primarius.

W. D. STEPHANI PRIM.

Plebs monaſterium hoc invadit mox a Senatu impedita.

mœnia reficienda, vallum ducendum turresque reſarciendas curavit. Ferventeque vero labore civibusque etiam operæ partem in ſe ſuſcipientibus, eo nonnulli e plebe prolapſi ſunt, ut facta in monaſterium S. Georgii irruptione, feneſtras confringerent, gallinas & quicquid animalium occurrebat, obtruncarent, & ultima quævis auſuri viderentur, niſi concitatam plebem conſulis auctoritas ſedaſſet. Hic enim cum delecta civium manu advolans, turbam partim oratione, partim vi compeſcuit, incentores captivos abripuit in urbem, juſtaque deinde ſeveritate in eos animadvertit. Horum tumultuum cauſa cum tam ſit manifeſta, ut in oculos incurrere videatur, mirari ſatis non poſſum Nicolaum Ruckerum JCtum in informatione Juris tum *JCtorum recentiorum eximiis & æternis momentis* tum etiam *Hortlederi actis* inſerta, hujus monaſterii demolitionem anabaptiſtico cuidam furori, quo urbs occupata fuerit, adſcribere. Ita enim ibidem diſſerit JCtus urbi noſtræ ſatis iniquus. *In cauſa fractæ pacis, quæ inter Illuſt. Princ. & Dn. D. Henric. Ducem Brunſ. ac Præp. & Conv. Monaſt. Mont. D. Georgii, olim prope Goslariam ſiti, agentis ex una: & Magiſtros Civium, Conſulatum. & Communitatem Oppidi Goslarienſ. ex altera, partibus, coram S. Imperiali Conſiſtorio vertitur, tria ſunt, propter quæ ſic, ut in libellis continetur, agi videtur. Primum; quod A. D. 1527. menſe Jun. in vig. Corp. Chriſti, quando furor ille tumultuantium ruſticorum (quo tum paulo ante, utpote anno 1525. Primates Germaniæ tam eccleſiaſticos, quam temporales inceſſerant) nec dum ſatis conquieverat, Goslarienſes hoc malo etiam imbuti, muros dicti monaſterii, in territorio ac ſub protectione temporali memorati Domini Ducis, tunc ſui exiſtentis, effregerunt & perforarunt, atque tandem vi illud ingredientes, plura ejusdem monaſterii mobilia bona invaſerunt, ac diripuerunt. Hac eadem ad oppidum Goslarienſe impune perferentes.* Quis ex his JCti uerbis non colligat, Goslarienſes anabaptiſtico furore percitos, tumultuantibusque ruſticis faventes monaſterio huic vim intuliſſe? Sed falſa hæc eſſe & plane inaudita, res ipſa loquitur. Primo enim nec ipſe quidem Henricus Dux ex hoc capite Goslarienſibus actionem intentavit, cum tamen facilius eos fuiſſet ſuperaturus, ſi eos Anabaptiſtarum caſtra ſequi demonſtrare potuiſſet, quippe quod hominum genus publico edicto capitis damnatum, graviſſimus ubique pœnas ſtultitiæ dabat. Deinde ſi monaſteriis & eccleſiis ex errore anabaptiſtico infenſi fuiſſent Goslarienſes, non video, quamobrem ſolas has eccleſias ſuburbanas, ac non potius omnes intra mœnia deſtruxerint, quæ res cum minori conjuncta periculo fuiſſet, ſi quidem nullum Duci jus in eas advocatiæ erat, ſi a cœnobio Franckenbergenſi diſceſſeris. Denique ii, qui motus iſtos ruſticorum cum cura ſunt perſecuti, ne verbo quidem Goslarienſes hujus criminis reos agunt, cum tamen tacere non ſoleant, quæ civitates & oppida tunc in Munzeri partes diſceſſerint. Vnde conſequitur, plebem tunc monaſterium hoc non ex quodam furore fanatico, ſed ex petulantia quadam & diuturnæ calamitatis tædio invaſiſſe ac diripuiſſe. At Princeps tam atrocem, ut interpretabatur, injuriam ulturus, ipſo die S. Kiliani cum copiis inſtructiſſimis e Richenbergenſi monaſterio excurrit, limites Goslarienſium vallo arboribusque munitos rumpit, ac flammis devaſtat, tantoq; impetu tormenta ac bombardas minores explodi jubet, ut civis quidam in ipſo urbis aditu globulo trajectus plumbeo expiraret. Denique copiis pone monaſterium S. Georgii explicatis, diſpoſitaque acie ſpeciem præbuit, ac ſi vicinum hoc urbi monaſterium occupare, atque inde civitatem quaſi obſidione premere vellet. Quo factum eſt, ut Senatus de delendis eccleſiis urbi periculoſis jam ſerio deliberaret, tutius ſibi ratus fore, prævenire, quam præveniri. Tandem re diu multumque agitata d. XXII. Julii cives globatim urbe exeunt, monaſterioque S. Georgii armis occupato Canonicos in urbem mittunt, templum, quo nullum ferme per viciniam auguſtius ſplendidiusque celebratur, & cetera ædificia funditus delent, multaque plauſtra præda onuſta in civitatem devehunt. Inde adorti quoque eccleſiam Montis S. Petri ædificiis ornatiſſimam, Canonicisque interea in urbem receptis, totam flammis abſumunt. S. denique Sepulcro & eccleſia S. Johannis eodem impetu dirutis, nec ſuis quidem ſuburbiis parcunt, veriti nimirum, ne quid inde detrimenti in communem patriam redundaret. Hic finis tot florentiſſimarum eccleſiarum, quarum ruina in extremam pene perniciem Goslariam deduxit. Verum huic malo & aliud longe deterius ſucceſſit. Ipſo ſiquidem natali S. Pantaleonis gregarii nonnulli milites inconſulto ac imprudente Senatu officinas ærarias a Principe occupatas invaſerunt, operisque partim in uſtrinas conjectis, partim graviter vulneratis, plumbum in urbem avexerunt. Vnde factum eſt, ut Princeps non tantum vi atque armis omnia ulciſceretur, verum etiam Goslarienſes fractæ pacis publicæ reos in judicio Cameræ ageret, ubi D. Fridericus Reiffſtok Civitatis Syndicus litem graviſſimam quatuordecim annos incredibili prudentia ſuſtinuit, donec Civitas violatæ pacis rea anno MDXL. ſolenni ſententia proſcriberetur, ex quo tempore quantam malorum Iliadem viderit, ſuo loco uberior erit dicendi occaſio.

An Goslarienſes ex furore anabaptiſtico monaſterium hoc invaſerint? *Ruckerum inform. Jur. ap. Hortled. p. 957. Tom. 1.*

Annus

Annus Christi 1528.
Caroli V. Cæs. 9.
Ab. V. C. 650.

Refor. mationis opus per Nicolaū Amsdor fium per fectum. *Hamelm. l. c. Chytr. lib. 10. Sax. p. 283. Dresser. part. 5. Isag. hist. p. 277. Lezner. l. c. Seckend. Comm. de Lutheranismo l. 2. sect. 13. §. 42. p. 121. Arnold. part. 1. hist. hær. & eccl. l. 16. c. 7. p. 69. Sculter. l. 2. annal. Evang. p. 81. & 153 Melch. Adam. vit. Theolog. p. 65.*

IN tanta hac rerum omnium perturbatione Goslaria tamen nostra, quod mireris, cœlestis veritatis lucem felici sidere exoriri vidit; ut pressa civitas signum veluti gratiæ divinitus sibi ostensum sciret. Jam ante a me dictum fuit, quam felici successu Joannes Wesselius cœptam a Cleppio ac Schmedekenio reformationem sit prosecutus. Quemadmodum vero ita fert natura, ut ostensa libertatis spe certatim omnes servitute pressi accurrant, ita & in hac civitate simul ac veræ libertatis Christianæ spes affulsit, tantus fuit hominum concursus, ut spatiosa ædes S. Jacobo dedicata neophytorum multitudinem non caperet. Cum itaque cives evangelium sitientes amplissimum Senatum quotidie urgerent, ut abrogato Romano cultu in ceteris quoque parochiis evangelium annunciari, ac sacramenta distribui paterentur, nec Hanseaticæ quædam civitates hoc hoc unice precari desisterent, morem denique gesserunt Patres patriæ, totamque civitatem ad Lutheri placita reformari passi sunt. Autor est Jo. Leznerus, Witteberga huc evocatum fuisse Jo. Bugenhagium Pomeranum, qui tentata liturgia ecclesiastica ausibus tamen exciderit, nec reformationis opus ad finem potuerit perducere. Verum hoc ceteri auctores veluti ex compacto tacent, nec monumenta quidem ulla supersunt, ex quibus hoc vel obiter colligeres nisi forte ex Bugenhagii effigie, quæ inter ceteros reformatorum vultus in templo forensis appareret, id suspicari posses. Certius mihi compertum est, rev. Nicolaum de Amsdorff. qui tum Magdeburgi docebat, hoc anno rogatu Senatus Goslariam venisse, pactoque inter Senatum & cives promoto, ecclesiam Goslariensem saluberrimis institutis in ordinem redegisse, atque adeo reformationem auspicato perduxisse ad colophonem. Extat hodienum compacti formula inter Senatum civesque inita, extat Liturgia ab Amsdorffio confecta, ita, ut ad Magdeburgensem & Wittebergensem digesta videatur: ex quibus satis superque apparet, qua fide ac industria Amsdorffius tantum opus susceperit perfeceritque. Goslariam accessit ipso quadragesimali jejunio, totumque hoc tempus concionibus habitis, institutit colloquiis, aliisque saluberrimis consultationibus transegit, quinquaginta simul primariis civibus ecclesiæ constituendæ negotium incredibili fide ac dexteritate juvantibus. Dominica Reminiscere consuetam pericopen interpretatus de constantia fidei egit, & præclare, hoc est, suo more, hominem sola fide absque operibus salutem consequi demonstravit. Nec minus celebratur ejus oratio sacra in dictum Es. LXVI, 1. 2. 3. habita, qua vanitatem hagiolatriæ, lipsanolatriæ, iconolatriæ aliorumque abulum tam luculenter exposuit, ut multas eum animas lucrifeciss Hamelmannus testetur. Sed & purgatorii commentum, missaticumque sacrificium tam fortiter oppugnavit, ut nemo e tam numeroso clero pontificio illi auderet dicendo resistere. Denique id egit præcipue, ut abrogato in sacris Latino sermone, vernaculæ usum introduceret. Quo factum est, ut patres patriæ omnibus ecclesiasticis rebus ad summam tranquillitatem constitutis edito Dominica Judica Senatus consulto missam ceterosque Romanos ritus abrogarent, evangeliumq; palam in quinq; ecclesiis parochialibus SS. Cosmæ & Damiani, S. Stephani, SS. Petri & Pauli, S. Jacobi ut & S. Thomæ pure prædicari juberent.

D. Jo. Amando primus hujus Civitatis Superintendens *Lez. c. 52. MSC. de Magist. Hartknoch. hist. Boruss. P. 2. c. 5. p. 470. sq. Seckend. l. 1. hist. Luther. sect. 57. §. 52. p. 270. & l. 2. §. 42. p. 321. Hamelm. l. c.*

Amsdorffius itaque Magdeburgum sub paschatos festivitatem discedens, suffragante amplissimo Senatu ecclesiæ Goslariensis curam demnadavit D. Johanni Amando, quem ab Hartknochio & Seckendorffio aliquando Petrum video appellari. Hic cujas fuerit, frustra adhuc a me quæsitum est, nisi quod Chronica quædam MSCta & Leznerus eum puerum a Judæis ad Christianos transiisse ferunt. Quibus tamen schedis a quodam e trivio homine compilatis fidem habere nolim, nisi alia luculentiora hujus assertionis testimonia hoc suaserint. Juvenis monasticæ vitæ nomen dederat, cujus tamen mox eum pigere cœpit, cum pervolutis Lutheri scriptis uberiorem veritatis lucem perspexisset. Hinc anno MDXXIII. cum Jo. Brismanno in Borussiam venit, evangelium prædicaturus, ubi anno MDXXIV. d. XXV Septemb. Regiomonti primam missam Germanicam cecinit, nec tamen diutius ob vehementiam animi & linguæ substitit, sed plura eluctatus pericula ægre in Pomeraniam se subduxit, experturus; si forte feliciore hic successu rem gerere posset. Docendo tum operam ibi dabant Johannes Bugenhagius Pomeranus, & Paulus Rhodius, is quem successorem deinde in Goslariensi munere habuit, qui cum plebem a seditione ac tumultu pro virili sua parte dehortarentur, & pontificio quoq; Principi obediendum esse, docerent, statim adversarium hunc Ammadum nacti sunt, alia omnia quippe statuentem. Quo factum est, ut e Pomerania re infecta discedens sub hoc tempus huc viciniæ migraret, & novellæ evangelicorum ecclesiæ Amsdorfii auctoritate præficeretur. Facile ex jam dictis colligas, Amandum virum lingua promtum, auctoritate eximium, animo concitatissimum, doctrina mediocrem, a judicio vero pene inopem fuisse. Idque eo clarius eluceseit ex iis quæ paulo post illo sive suadente, sive connivente contigerunt, quæ suo loco accuratius erunt referenda.

Id

Schola publica aperta. *Hamelm. l.c. Chytr.l.c. Melch. Adami Vit. Medic. p. 214.*

Id tamen Amando acceptũ ferimus, quod crebris admonitionibus eo perduxit Senatum, ut rem auderet in hiſce regionibus olim pene inuſitatam, Scholamq; publicam in curia Meinings Hoff aperiri pateretur. Cum enim monaſteria, quibus docendi munus veluti gentile erat, reformationi etiamnum reſiſterent, ut juventus nusquam prima ſanioris doctrinæ elementa ſine periculo imbiberet. Quo viſo ultro juventutis erudiendæ operá aliquot ab hinc añis ſuſceperunt Henricꝰ Frácke, qui tamen circa hunc ipſum annum in Ludiam ad capeſſendum munus eccleſiaſticum diſceſſit. Ei ſucceſſerat *Johannes Guintherius*, Andernacenſis celebris ille medicus, cujus indicinam debeo Melchiori Adami, ita in ejus vita ſcribenti: *Factis ita fundamentis, magno cum labore & induſtria, diſciplinarum humanarum & philoſophiæ ſtudia aggreſſurus, Marpurgum Heſſorum profectus eſt, ubi brevi tantum profecit, ut cum Goslarienſes juventuti erudienda magiſtrum idoneum quærerent, Guintherium pra aliis elegerint atque ad ſe invitarint. Verum cum quemadmodum Propheta inquit, non ſit hominum via ejus, nec viri dirigere greſſus ſuos, Deus eum hac in ſtatione diu ſubſiſtere noluit, Goslaria igitur & Germania ſuperiore relicta Lovanium in Belgicam abit, ſtudiorum ibi continuandorum cauſa.* Hic ut pontificiæ doctrinæ faveret, atque ideo poſtea Carolo V. Cæſari, Ferdinando Regi Rom., Franciſco Galliæ Regi, & Joanni Bellajo Cardinali eſſet cariſſimus, tamen quod erat vir eruditiſſimus & omnium diſciplinarum gnarus, toleratus eſt facile, inprimis cum ſenatus Lutheri doctrinam aperte profiteri nondum tuiſſet auſus. Tandem Amsdorffii ac Amandi ſuaſu publica auctoritate huc evocatur Michaël Volumetius, *Vir*, ut Hamelmanni verbis utamur, *elegantèr doctus, qui magna cum laude & multo diſcipulorum ſuorum fructu diutiſſime Scholæ noſtræ præfuit*, cum jam ante Wulfhagæ in Haſſia & Eimbeccæ eodem munere aliquandiu eſſet perfunctus. Ægre admodum id tulerunt ſacrificuli; qui rei Scholaſticæ ſibi veluti monopolium vindicabant. Hinc Volumetio incredibili audacia oppoſuere quendam Bartholomæum Belnhauſen quo tamen Senatus auctoritate e civitate abire juſſo Volumetius ſcholas nullo prohibente aperuit. Saxum hoc volvit ad annum uſque MDXLIV quo Paſtoris curam in eccleſia SS. Petri & Pauli Franckenbergenſi ſuſcepit, obiitque anno MDLXVIII.

Henricꝰ Francke magiſter

Joannes Guintherius Scholæ moderator,

Michaël Volumetius primus Scholæ Rector.

Goslarienſi eccleſia hunc in modum feliciter reformata, dici non poteſt, quanta calumniarum plauſtra in Amsdorffium ceterosque evangelicos conjecerint pontificii. Quorum anteſignanum recte dixeris D. Johannem Menſingium, Ordinis Prædicatorum monachum, & Alberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi per Halberſtadienſem Diœceſin ſuffraganeum, qui ſicut Amsdorffio & ceteris Lutheranis erat infenſiſſimus, ita per Magdeburgenſes Halberſtadienſes & Anhaltinas ditiones progredienti evangelio obicem ponere pro virili contendebat. Jam anno M.D. XXII. Melchiori Mirizio, Johanni Frizhanſio & Eberhardo Weidenſeo Magdeburgi evangeliũ prædicantibus acriter obſtiterat, nullo tamen præterea argumento ſubnixus, niſi quod *eccleſiam & Doctores audiendos eſſe* adtædium usque urgeret. Reſpondit ei Frizhanſiũ tractatu de Miſſa anno MDXXVII. edito & Eberhardo Weidenſeo inſcripto, ubi iſta Menſingii hypotheſis hunc in modum eleganter diluitur: *Audiemus vos, ſi prædicatis verbum Dei, etſi Diaboli eſſetes, Matth. XXIII. Sed ſi peccata quaſi ex verbi divini auctoritate arguis ubi nulla ſunt, non audimus, etſi angeli eſſetis Gal. I. Audiemus omnem magiſtratum, Cæſarem & Papam, Principes & Dominos, ſi non imperant ultra ea, qua Deus & Chriſtus imperarunt.* nec minus acrem pontificiæ doctrinæ hyperaſpiſten paulo poſt ſe præbuit in comitiis Auguſtinis anno MDXXX habitis, in quibus una cum Conrado Wimpina, Wolfgango Rebdorffio & Rupertо Elgersma ſeptendecim Lutheri articulos, (*) juſſu Electoris Saxoniæ conſcriptos, rigida ſatis ac inepta cenſura refellere auſus eſt: quam ſe veritatem plus quam cenſoriam eodem anno cum Johanne Cochlæo, Conrado Collino, Arnoldo de Veſalia aliisque hujus commatis hominibus in refutanda Auguſtana confeſſione non majori ingenio ac judicio oſtendit. Interfuit etiam anno MDXLI colloquio Ratisbonenſi Proteſtantes inter & Pontificios inſtituto, ſed ut auditor & collocutorum paraſtata, quanquam nihil tum laude dignum dicitur ibi præſtitiſſe. Hinc non illepido epigrammate in eum luſit Euricius Cordus, poëta celeberrimus & molliſſima dulcedine carminum memorabilis:

Tam nihili tibi viſus homo eſt, Menſinge, Lutherus
Hoc ut eum ſperes vincere poſſe libro?
An captata levis male judicis aurula vulgi,
An placet hoc etiam nomine partus honor?
Languida quid fragilem tu muſca proboſcida figis
Hic ubi tam multus nil elephantus agit?
Tu tamen evicta veluti tibi lite, triumphas
Quod tacet ad nugas hactenus ille tuas.
Vno te leviter digitorum triverit ictu,
Si vivam pungas huic penetresque cutem.

(*) *Hi articuli ex quibus dein Melanchthon Augustanam Confeſſionem compoſuit habentur Tom. 5. Altenb. fol. 14. ſq. & ap. Cæleſtin. tom. 1. hiſt Comit. Aug. f. 25. Euric. Cord. l. 7. epigr. p. 851.*

Hic ergo Johannes Menſingus, tantus pontificii dominatus aſſertor, totque lucubrationibus *de eccleſia Chriſti appar. S. ſacerdotio, deque ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio* celebris Theologus non poterat non invidia urgeri, cum præcipuum adverſarium ſuum Johannem Amsdorffium reformationis opus Goslariæ felici induſtria abſolviſſe cognoſceret. Hinc ſcripto hoc anno ad Goslarienſes & Brunsvicenſes libro, acriter in evangelicam veritatem

Jo. Menſingii Dominicani Desavienſis calumniæ. *Seckend. l. 1. Comment de Luth. §. 139.*

Poſſevin. tom 2. app. p. 220.

invectus eſt, Amsdorffiumque tam pudendorum dogmatum reum poſtulavit, quorum vix ſuſpicio in Chriſtianum cadere videbatur. En floſculum ex ejus libro depromtum: Da habt ihr von Goslar / was Amsdorff für ein Geſelle iſt / er ſpricht und bekennet Chriſtus ſey eine Zeit lang ohne Liebe geweſt / ungerecht / ein Sünder / ym Goddes Zorn / würdig des todes etc.

Ab Amſ. dorffio refutatæ

Verum huic dentato Menſingii ſcripto Amsdorffius hoc eodem anno repoſuit brevem commentatiunculam, quam ita inſcripſit: Daß der Pauliner Mönich zu Deſſa Johan Menſing vom Glauben und über den Wercken iſt unſinnig toll und thöricht worden. GOtt erbarm ſich des armen Menſchen. Niclas Amsdorff. MDXXVIII. in 4. In hoc tractatu miſſis Menſingii calumniis non niſi *doctrinam de juſtificatione hominis per fidem* ab adverſarii ſtrophis vindicat, nec in fine negate ſcripſiſſe, bona opera ad ſalutem non proficere, ſententiam tamen haut ita declarat, ut utilia eſſe doceat bona opera, ut Deus per ea honoretur & proximo ſerviatur.

Primi ecclesiæ miniſtri

Operæ pretium videtur brevem hic inſerere paſtorum catalogum, qui primi per quinque urbis parochias prædicando evangelio operam dederunt. Cum vero de Amando jam antea dixerimus, rectiſſime jam ad ceteros progrediemur.

Anton. Corvinus Paſtor S. Stephani. *Micrel. Synt. hiſt. eccl. ſect. 2. l. 3. p. 364. Vid.* Wahrhafftig Bericht daß das Wort Gottes in Gosl. und Braunſchweig ohne tumult geprediget worden.

Antonius itaque *Corvinus*. Paſtor ædis S. Stephani primas ſibi partes ſuo quodam jure hic vendicat, tam præclare quippe de tota eccleſia meritus, ut omnino nec dicendus, nec ſilendus ſine cura videatur. Fuit gente Saxo, domo Hannoveranus, id quod ſibi vult cognomen Zithogalli, (quo plerumque uti conſvevit,] a coctura cereviſiæ patriæ [Brephahn) ut videtur petitum. Juvenis, uti ipſe refert, in monaſterium neſcio quod, detruſus, bonis literis, quantum ferebat ſeculi infelicitas, totum ſe dedit, famaque Lutheri excitatus ejus dogmata accuratius, adhibita in conſilium ſcriptura, cœpit expendere. Quo factum eſt, ut fratrum incurreret invidiam, auctaque ſubinde ſuſpicione e monaſterio cum inſigni contumelia anno MDXXII. expelleretur. Hæc tamen contúmelia non fregit illum, ſed erexit, eoque avidiorem reddidit indagandæ veritatis. Tanta enim induſtria ex hoc tempore Lutheri ſcripta luſtravit, ut jam anno MDXXVIII. dignus videretur Amsdorffio, quem Goslarienſi eccleſiæ commendaret ædique S. Stephani præficeret Paſtorem. Hamelmannus equidem & ceteri, qui hac in re ab illius auctoritate pendent, turbato non parum temporum ordine eum demum anno MDXXXI. pulſo Henrico Kniggio ſubrogatum ferunt. Sed hallucinari eos ex ipſo Corvini tractatu paulo poſt a nobis recenſendo elucet, cui jam anno MDXXIV ita ſubſcripſit: Durch Antonium Corvinum Zithogallum zu Goslar Prædicanten in S. Stephans Pfarr. Ex quo omnino conſequitur, Corvinum ab ipſis reformationis Amsdorffianæ auſpiciis Goslariæ docuiſſe. Quanta fide ac ſolertia muneri ſuo apud nos præfuerit, non opus eſt hic commemorare, cum nonnulla ad inſequentem annum ea de re dicenda ſint. Migravit tamen hinc anno MDXXXII. a Philippo Haſſiæ Landgravio Wizenhuſum vocatus, ubi tam prudentem reformationis paraſtatam ſe præbuit, ut absque ejus conſilio nihil ferme ageretur. Anno M. D. XXXVI. cum Joanne Nymes Monaſterii fuit, ibiq; cum Joañe Leidenſi: Rege Anabaptiſtarũ Tragico Knipperdolling & Krechtingio diſputavit. Anno MDXXXVII, cum ardua inter proteſtantes quæſtio veteretur, num concilio Mantuano a Papa convocato intereſſe expediat, D. Antonius Corvinus una cum ceteris Theologis Haſſiacis Johanne Fontio, Dionyſio Melandro, Johanne Eiſermanno, D. Johanne Draconite, D. Adamo Fulda, Gerhardo Noviomugo, Johanne Roſenleber, Johanne Lonicero, Tilemanno Schrabelio, Johanne Kymæo & Daniele Græſero, fugiendum conciliabulum ſvaſit, quod non a Cæſare, ſed a Pontifice eſſet indictum. Eodem anno Haſſiaci Principis juſſu interfuit conventui Smalcaldico, articulisque ſubſcripſit Smalcaldicos corpori noſtratium Symbolico inſertis. Interjecto biennio Francofurtenſi conventui adfuit, miroque proteſtantium Principum conſenſu electus eſt, qui cum aliis Theologis ad colloquium Norimbergenſe mitteretur inter Pontificios & noſtrates de reſtituenda pace eccleſiaſtica inſtitutum. Quo cum laude præſtito ſequente ſtatim anno MDXL. ab Eliſabetha Erici Ducis Brunsvicenſis vidua in Hanoveranas ditiones evocatur ad eccleſias ibidem reformandas, cum jam ante biennium expetitus, ut a Landgravio dimitteretur, impetrari non potuiſſet. Hac in re tanta prudentia uſus eſt, ut brevi temporis ſpatio totus hic ducatus, miſſo Romano cultu, evangelium admitteret. Ex hoc tempore Superintendentis Hannoverani munere functus multa præclara geſſit, Johannem Bugenhagium anno MDXLII. in Hildeſienſi reformatione adjuvit, Hannoveranæ eccleſiæ ordinationem collegit, ditionesque Brunsvicenſes inſequente anno pulſo Henrico Duce ad evangelicam doctrinam perduxit, concepta quoque cum Bugenhagio & Gorlitio Liturgia, quæ ab Hortledero in commentariis de bello Germanico ſervatur. Anno MDXLVI. famam ſine auctore de captivitate & morte ſua ſparſam lepido dialogo refutavit. Quantus tunc bonorum omnium metus fuerit, patet ex epiſtola Ph. Melanchtonis, ubi ita ad Lutherum ſcribit: *Corvinum vivere ſperamus. Etſi conſtat, fuiſſe inſidiatóres ad eum interficiendum miſſos. Sed Deus excubat pro nobis.* Enimvero videtur id prælagium fuiſſe eorum,

Sekend. l. 3. ſect. 16. §. 25. p. 145. l. c.

Sekend. l. 3. p. 205. ali. bi. pag. 211.

Lezn. l. 5. Chron. Daſſel. part. 1. f. 42. f. 40. Id. l. 2. Chron. Hild. MSC. f.

rum; quæ paulopost consecuta sunt, cum Ericus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis mutata religione pontificiam doctrinam ubique per monasteria introduci juberet. Tunc enim celeberrimus hic Corvinus Calembergam abductus & in diuturna custodia fuit habitus. Dimissus vero anno MDLIII. rogatu Alberti Marchionis Brandenburgensis, & Elisabethæ matris Erici, Hanoveram ægrotus abducitur, ubi paulo post non sine multis suorum lacrymis diem obiit supremum. Fertur Ericus Dux cum campanarum strepitum e longinquo audiret, tanto dolore fuisse oppressus, ut a lacrymis abstinere non potuerit. Sic nimirum virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi. Lucubrationes ejus multæ extant, plures forte cum tineis colluctantur, quarum brevem hunc catalogum Lectori hic suppeditamus:

Anno MDXXIX.

Scriptorum Antonii Corvini catalogo *Sebend. passim. Hurdt. Autogr. Lutheri & aequalium theol. tom. 1. & 2 passim.*

1.) Warhafftig Bericht / daß das Wort Gottes ohne tumult ohne Schwermerey zu Goßlar und Braunschweig geprediget wird / durch Anton. Corvinum Cithogallum zu Goßlar Prædicanten in St. Stephans Pfarr an Johannem Vordeck / Heinrich Leßner Heßischen Secretarium. Witteb. 1529. 4.

M. D. XXXIII.

2.) Antonii Corvini diss. quatenus expediat editam recens Erasmi de resarcienda ecclesiæ concordia opinionem sequi tantisper, dum apparetur Synodus? cum præfat Lutheri.

M. D. XXXV.

3.) Postilla, seu expositiones evangeliorum cum præfatione Lutheri, quæ seorsim inserta est Tom. VI. Altenb. fol. 508.

M. D. XXXVI.

4.) Epistola ad Georgium Spalatinum de miserabili anabaptistarum Monasteriensium excidio. ap. Schard. tom. II. script. rer. Germ. p. 314.

5.) Acta Handlungen Legation Schrifft / so durch den Durchl. Hochgeb. Fürsten und Herrn / Herrn Philipsen Landg. zu Hessen ꝛc. in der Münsterischen Sachē geschehen / zusammen gebracht durch Antonium Corvinum und Johannem Kymei mit dem Münsterischen König Johann von Leyda / mit Knipperdolling und Krechting / ehe denn sie gerechtfertiget worden seyn / gehalten in Januario A. 1536. an die Herrn Bürgemeister / Lohnherrn und gantze Gemeine zu Oßnabrück. Witteberg. 1536. 4.

6.) Korte Uhtlegginge der Evangelien so up alle Sondage dorch dat gantze Jahr geprediget werden / vor de armen Par-Hern und Huß-Väder gestellet. dorch Anton Corvinum ad Philippum Hassiæ Landgr. cum præfatione Lutheri Magdeb. 1536. 8.

M. D. XXXVII.

7.) Antonii Corvini breves expositiones super ea evangelia, quæ in festis præcipuis sanctorum prædicari solent, item passio Christi in sex conciones distributa, ut quæque dies in hebdomada passionis Domini suam concionem habeat ad Franciscum Kahlen & Johannem Schramm Consules Brunsvigenses. Magdeb. 1537. 8. alia editio Halæ Svev. 1537. 8.

8.) Antonii Corvini breves expositiones in evangelia Dominicalia totius anni recens scriptæ & editæ ad Philippum Hassiæ Landgravium cum præfatione M. Lutheri. Halæ Suev. 1537. 8. Præfat. Lutheri recusa est tom. VI. Altenb. fol. 1073.

9.) Expositio decalogi Symboli Apostolici Sacramentorum & dominicæ precationis ad captum puerilem in dialogos redacta, autore Antonio Corvino Ad Hermannum Schelum Danum, Paulum Bleichenrodum Gothanum Bertholdum a Mandelslo, Melchiorem a Steinberg Ascanium a Bortfeld, discipulos & Convictores suos. Adjecta est brevis discendæ theologiæ ratio, autore Phil. Melanchthone. Witteb. 1537. 8.

10.) Kurtze Auslegung der *Evangelien* / so an den fürnehmsten Festen in gantzen Jahr geprediget werden. Vor arme Pfarr-Herrn und Haus-Väter / gestellet durch Anton. Corvinum an Franciscum Kalen und Hansen Siman / Burgemeistern in Braunschweig / gantzen Raht und gantze Gemeine. Witteb. 1537. 8.

11.) Kurtze *Summarien* über die Episteln von den fürnehmsten Festen des gantzen Jahres. Ant. Corvinus. Wittenb. 1537. 8.

12.) Die Passion Christi in VI. Predig getheilet für arme Pfarr-Herrn / daß sie in der Karwochen auf einen jeden Tag eine sonderliche Predig haben. Durch M. Anton. Corvinum. Wittenb. 1537. 8.

13.) Von der Concilien Gewalt und autoritat / worinnen dieselbige stehe / wieferne sie sich strecke / und wie ferne man / was sie schließen / zu halten schuldig sey / gründlicher Bericht / dem Concilio zu Mantua und einem genant der Dietenberger zu gefallen geschrieben durch M. Ant. Corvinum, ad Wilhelmum Hassoviæ Comitem. 1537.

14.) Huic Corvino etiam notas marginales ad Abbatis Vrsp. Chronic. edit. Argent. 1537. 4. tribuit Meibomius c. 5. de Irminsula p. 11. Tom. III. rer. Germ.

M. D. XXXVIII.

15.) Bericht / ob man ohne die Tauffe und empfahunge des Leibes und Blutes Christi allein durch den Glauben könne seelig werden / an Frau Elizabeth Hertzogin zu Braunschweig und Lüneburg geschrieben durch M. Antonium Corvinum. Magdeb. 1538. 4.

16.) Breves expositiones epistolarum Dominicalium totius anni a doctissimo Viro Anton. Corvino diligenter conscriptæ ad Franciscum a Waldek confirmatum Monasteriensem, Administra-

Amando itaque ad plures abeunti subrogatur Paulus a Rhoda, qui se Rhodium quoque appellare solitus est. Domo hic erat Quedlinburgensis, & ab ineunte ætate magna industria bonarum artium studiis incubuerat. Hinc Pastor Juterbocensium creatus, Lutheri doctrinæ se dedidit, in eaque adeo profecit, ut plures Germaniæ provinciæ & civitates ejus opera ad evangelicam veritatem sint traductæ. Inprimis ejus dexteritas in Pomerania celebratur, quam diutissime docendo illustravit. Anno M. D. XXIII. Stetinenses incredibili veritatis desiderio accensi concionatorem a Luthero sibi mitti petierant, quod munus Lutherus statim demandavit huic Paulo a Rhoda, qui & eodem anno ibidem in æde S. Jacobi docere cœpit. Cum vero jus patronatus illius ecclesiæ ex veteri fundatione ad Abbatem monasterii Benedictini Bambergensis [den Münchsberg vocant] spectaret, & ab illo Prior & Subprior Stetinum ad sacra facienda mitti solerent; graviter hi Rhodio aliquandiu obstiterunt, donec Senatus interventu eo res deduceretur, ut pontificii suo arbitrio in hac æde sacra facerent, Rhodio tamen certis horis conciones habere & sacramentum sub utraq; distribuere liceret. Et quamvis Bogislaus Dux Pomeraniæ Rhodium ægre toleraret, Barnimi tamen filii argumentis expugnatus, mitior in eum esse cœpit, eumq; aliquando concionantem audiens, ita probavit, ut *se nihil, quod hæresin saperet ex illius sermone percepisse* fateretur. Defuncto sequente autumno Bogislao alia facta est rerum facies, Georgius enim Dux Pomeraniæ Lutheri dogmata perosus statim a morte parentis, adstipulante Episcopo odium exeruit. Hinc plerique Pomeraniæ doctores, aut capti, aut fugam capessere coacti sunt. Rhodius licet nec ipse satis tutus Stetini esset, fretus tamen divino auxilio mira constantia ibi permansit, editoque anno M. D. XXVII. libello adversarios suos tam fortiter confudit, ut nemo eum ulterius oppugnare sustineret. Accesserat tum quoque e Porussia Jo. Amandus, is, cui Rhodius deinde in Superintendentis munere Goslariæ successit. Cui, cum paulo imprudentius plebem adversus Georgium Pomeraniæ Ducem concitare videretur, statim se opposuit Rhodius, evangelium non armis & seditionibus, sed armis spiritus precibus & patientia tuendum asserens. Quo factum est, ut Amandus relicta Pomerania Goslariæ Superintendentis munus susciperet. Interea Rho-

dius incredibili conſtantia Stetini non modo verum etiam in cetera Pomerania evangelium docuit, licet ſub annum M. D. XXX. cum Stetini in ſumma egeſtate viveret, ſuisque deſideriis in conſtituenda eccleſia non usque quaque animadverteret ſatisfieri, inde migraret, annoque inſequente Goslariæ Amando ſe ſubrogari pateretur. Verum nec hic quidem votis ejus reſpondit eventus, ſiquidem plures hic offendit, qui evangelio adhuc repugnabant. Hinc eodem ſtatim anno cum ut ſalaria Paſtorum augerentur, a Senatu impetrare non poſſet, Stetini fruſtra deſideratus, Luneburgum ad capeſſendum Superintendentis munus diſceſſit. Id quod apud Barnimum Pomeraniæ Ducem excuſat Lutherus epiſtola anno M. D. XXXVII. A. 6. Aprilis ſcripta & a Bugenhagio ſubſcripta, quam integram exhibet Cramerus. Tandem vero, ut videtur, in Pomeraniam rediit; Siquidem Pomeranorum nomine anno M. D. XXXV. ſubſcripſit articulis Smalcaldicis. Vitam produxit ad annum M. D. LXIII. quo ſeptuagenario major diem obiit ſupremum. Plura hic commemorare non opus fuerit; nec de ſcriptis ejus ſatis accurate agere mihi licet, cum ipſe Cramerus *exempla libellorum a Rhodio editorum non ſatis diligenter ſervata eſſe* conqueratur. Succurrunt tamen mihi ſequentia:

1.) Refutatio cujusdam adverſarii Pontificii, cum Stetini adhuc eſſet conſcripta, ex qua multa non contemnenda affert *Cramerus l. 3. c. 21.*

2.) Tröſtlicke Underwyſinge/ dat me ſik nicht greme vnme de Lovigen / de verſtorven. Uht den Worten Pauli I. Theſſal. IV. dorch *M. Paulum*, Predicker to Stetin in Pommern. Item ock uht den Worten Chriſti/ da he redet met Marta/ der Schweſter Lazari, Jo. XI. dorch *Johannem Bugenhagen* Pomern. *Witteb.* 1527. 4. Qui libellus cum aliis hujus generis recuſus eſt. a. 1539. hoc titulo:

3.) Ein Troſt-Büchlein für die Sterbenden. Johann Odenbach an die Hochgebohrne Fürſtin Fr. Eliſabeth Pfaltzgräfin beym Rhein/ Herzogin in Bayern/ Gräfin zu Veldentz/ Landgräfin zu Heſſen. Eine Tröſtung an Hertzog Friedrichen Churfürſten zu Sachſen/ Sel. und Chriſtl. Gedächtniß. Georg. Spalatinus. Wie die Verſtorbenen in Chriſto zu beweinen ſind/ aus 1. Theſſal. 4. mit einer Vorrede *Lutheri*. Ein Troſt-Büchlein für die Krancken durch Johann Pomern/ wie auch was man denen/ ſo krank in Todes-Nöthen liegen/ ſagen und fürleſen ſoll. Auch vom Sacrament des Leibes und Blutes Chriſti. Ein ſchöner Sermon von dem Wort Zeichen und Sacrament. Nicolaus Amsdorff * Tröſtung in Todes-nöthen / des mehrern theils aus *Thomæ Venatorii* Büchlein durch *Georgium paulum Spalatinum* gezogen. Eine kurtze Tröſtung/ wo es mit den Sterbenden überhand nimt durch *Georgium Spalatinum* zu haufen gebracht. Eine kurtze Tröſtung in Verfolgung von wegen Gottes Worts. Tröſtliche Unterweiſung / daß man ſich nicht gräme um die Gläubigen/ die verſtorben ſind/ aus den Worten Pauli 1. Theſſal. IV durch *M. Paulum* von Rode/ Prediger zu Stetin in Pomern. Leipzig 1539. 8.

* *Ille ipſe, quem Thomæ Venatorii* *integrum editi ex Wittenb. officina.*

Cum Rhodio ſimul diſceſſit Antonius Corvinus, Wizenhuſæ in Haſſia Paſtor creatus. Cum igitur intra biennium, mortuo Amando, diſcedentibus Rhodio & Corvino, pulſis vero Kniggio & Grawerto quinque miniſtrorum jacturam fecerit Goslaria, non erit ab hoc loco alienum integrum Paſtorum texere catalogum, qui non modo a reformatione, ad noſtram usque ætatem ſed & ante hæc tempora in eccleſia Goslarienſi docuerunt, tum ut ſucceſſio illorum dilucidius conſtet, admiſſiq; nuper a nonnemine errores inde poſſint emendari, tum ut huc reſpici a Lectore B. poſſit, ſi forte unius, aut alterius uberiorem cernimus mentionem. Eccleſiaſtarum Goslarienſium Catalogus.

I. Plebani, Altariſtae & Capellarum Rectores, *quorum ante reformationem in diplomatibus aliisq; monumentis mentio fit.*

A. C.
1131. Dippoldus *preabyter Goslarienſis.*
1154. Tidericus *de S. Jacobo.*
Bernhardus *de S. Vito.*
1233. 1236. Johannes *Forenſis eccleſiæ in Goslaria plebanus.*
item Johannes *Sacerdos de foro.*
1242. Ambroſius *Plebanus S. Petri in Frankenberg.*
1245. Petrus *Frater Ordinis Mariæ Magdalenæ Plebanus in Frankenberg.*
1253. Henricus, Petrus, Hinricus, Johannes } *Sacerdotes Goslarienſes.*
1255. H. *plebanus D. Stephani.*
1258. Rutgerus *olim forenſis templi plebanus.*
1271. Conradus *templi forenſis paſtor.*
Hinricus *D. Jacobi Paſtor.*
1275. Johannes *plebanus forenſis eccleſiæ.*
1277. Konemannus *plebanus S. Thomæ.*
1289. Theodoricus *D. Ægidii Sacerdos.*
1293. 1314. Conradus, Johannes *plebanus forenſis eccleſiæ.* *plebanus S. Stephani.*
Hinricus *plebanus S. Jacobi.*
1326. Burchardus *plebanus S. Stephani.* 1350.
1338. Henricus *plebanus villæ Oſtrachem, Vicerector Capellæ S. Caterinæ in Goslar.*
1355. Hildebrandus *plebanus forenſis eccleſiæ.*
Olricus *Pleban. in Hadekenſtide Capel-*
Thi-

Thidericus *Plebanus in Leude* } *Capellani ibidem.*
Hinricus de Jerſtede *Canon. Richenbergenſ.* }

Hinricus Rex
Tidericus Snellen
Joannes Miles
Hartmannus de Dornten } *Altariſta ibidem.*
Arnoldus de Aſtvelde
Hinricus de Vrankenberghe

Dn. Georgius *plebanus Sci Stephani.*

Hinricus de Ghetlede
Joannes Tzabell } *Altariſta ibidem.*
Johannes Sapian.

Hermannus de Levenſtide } *Capellani ibidem.*
Henricus }
Meynardus *Prabendarius in Vrankenberghe.*
Albertus de Dalem } *Capellani ibidem.*
Joannes de Northen }

Olricus *plebanus eccleſiæ S. Jacobi.*
Hildebrandus } *Capellani ibidem.*
Hermannus }
Bertoldus *plebanus S. Thomæ.*
Joannes *Scoldris ibidem.*

1358. Burchardus *plebanus S. Stephani.*
1424. Bertholdus Lateken. *SS. Coſmæ & Damiani plebanus perpetuus.*
Henningus Dreygen *S. Stephani plebanus perpetuus.*
1450. Henningus Papetram *plebanus S. Stephani.*
1467. De Erſame Her Johanneß Möllenwagen Altariſte in der Marckkerken.
1491. Her Jodocuß Reiß Parrer to S. Jacob
Cord Bodenborch } Altariſten to S. Jacob.
Henning Saligé
Henrich Schabanck
Johann Bokenheim
Johann Fredeman
Henni Bornhuſen
Ludo & Zilling / ein Parrer to des hilligen Creutzes Capellen Henni Drüden.
1500. Jacobus Dohatorius beyder rechte Doctor Parrer der Marckkirchen bynnen Goßlar.
1511. Johannes Schaper *plebanus templi D. Thomæ in Goslaria.*
1512. Conradus Witten *templi forenſis in Goslaria plebanus.*
1515. Bertoldus *Vicarius Cœnobii Frankenbergenſis.*
1521. Hinricus Blomberg. } *Diaconi templi parochialis Frankenbergenſis 1521*
Henningus Dyling. }
Conradus Calbecht. }
Jordanus Oldenhuſen *olim altariſta aræ B. Johannis Evangeliſtæ in ſacello B.B. Brixii & Erasmi Frankenbergenſis eccleſiæ.*
Joannes Leynemannus *ejus ſucceſſor ab anno 1521.*
1528. Johannes Hardt *Rector Eccleſiæ S. Jacobi ultimus.*
Johannes Degen *ultimus plebanus Pontificius D. Stephani.*
1533. Hinricus Drœnewulff, *altariſta monialium Frankenb.*

II. Superintendentes Goslarienſes.

D. Johannes Amandus *ab Amsdorffio conſtitutus anno 1528. mortuus anno 1530.*
M. Paulus a Rhoda *ſive* Rhodius *Quedlinburgenſis accesſit anno 1530. diſceſſit Luneburgum a. 1531.*
D. Eberhardus Weidenſee *antea præpoſitus S. Johannis Halberſt. poſtea a. 1532. Goslarienſis Superintendens obiit a. 1547.*
*. munus hoc vacat quinque annos.
D. Tilemannus Heshuſius *Weſalienſis, Witteberga huc accesſit anno 1552. inde ob elenchi vehementiam dimiſſus. a. 1556.*
* munus vacat binos annos.
M. Jacobus Groſſehans *ſeu* Macrinus *Kondera huc vocatus a. 1558. obiit 1563.*
Theodorus Holzhuſius *Græninga Friſius Hildeſia huc evocatus a. 1564. obiit 1586.*
Johannes Schellhammer *Hamburgenſis Herzberga huc accerſitus anno 1587. ob animi vehementiam abire juſſus, Hamburgum diſceſſit. a. 1590.*
M. Henricus Buntingius *Gronahuc vocatus anno 1591. ob Neſtorianiſmi ſuſpicionem urbe expulſus anno 1600. ex quo tempore nullus hic Superintendentis titulo re ipſa & ſerio refulſit.*

III. Paſtores Eccleſiae SS. Cosmae & Damiani.

* Hoc munus Superintendentium officio olim fuit connexum. His vero abrogatis Paſtores ſolum fuere.

Martinus Baremius Brunſvicenſis *e Rectore Scholæ Paſtor forenſis.* 1600. *obiit.* 1625.
M. Antonius Wieſen. *Werningerodanus Baremio adjunctus.* 1618. *obiit.* 1641.
M. Simon Strubius *Goslarienſis Paſtor SS. Cosmæ & Damiani nec non S. Thomæ ab anno* 1642. *usque* 1650. *Paſtor ſolum SS. Coſmæ & Damiani usque ad ann.* 1673.
Georgius Andreas Trautmannus *Oſterodanus, ex Paſtore S. Thomæ Paſtor forenſis eccleſiæ a.* 1674. *obiit a.* 1677.
Georgius Henricus Ilſenius *Eimbecenſis venerandus ſenex e Diacono S. Jacobi Paſtor SS. Cosmæ & Damiani a.* 1678. *creatus, hodienum per Dei gratiam lucis hujus uſura fruitur, omnesque curas ſuas in ſervanda eccleſia noſtra tranquillitate defigit.*

IV. Paſtores S. Thomae, *qui paulo poſt & Diaconi ſimul munere in eccleſia SS. Cosmæ & Damiani functi ſunt.*

Johannes Ebelingen, *Bokenenſenſis cum Collega Henningio Blok æditno S. Stephani a reformationis auſpiciis in æde S. Thomæ docuit.*
Hermannus Picht. 1536.
M. Mauritius Monetarius S. Münzer / *Canonicus SS. Simonis & Judæ obiit.* 1552.
Laurentius Meisner *Hildeſienſis ob.* 1563.
Johannes Viernickel *Walhuſenſis. ob.* 1568.
Petrus Kielhorn *Goslarienſis Bleitheredæ huc accesſit a.* 1568. *ad Paſtoratum S. Jacobi tranſiit a.* 1574.
Caſpar Herdweigh, *ex Diacono Frankenber-*

bergenſi poſt annum 1574. *Paſtor S. Thomæ ob.* 1577.

M. Henricus Lenzius *Canonicus SS. Simonis & Judæ e Diacono Franckenbergenſi Paſtor S. Thomæ ob.* 1599.

M. Juſtus Schriccius *Huxarienſis e Diacono S. Jacobi Paſtor S. Thomæ, ob.* 1614.

M. Elias Janus *Numburgenſis ob.* 1626.

M. Simon Struben, *de quo ſupra.*

Joh. Georg. Koch. *e Paſtore Franckenb. Paſtor S. Thomæ an.* 1668.

Georgius Andreas Trautmannus *Oſterodanus Paſtor SS. Coſmi & Damiani creatur a.* 1674.

M. Joh. Simon Alburg *Goslarienſis ob.* 1702.

Henricus Dommes *anno 1703. e Paſtoratu S. Jacobi huc evocatus non modo Conſenioris munus ſedulo exequitur, verum etiam eccleſiæ ſcholæque emolumentis pro virili ſua parte invigilat. Deus ſervet virum optimum mihique conjunctiſſimum, eumque eccleſiæ, ſcholæ, amicis, familiæque diutiſſime ſalvum ſuperſtitemque eſſe jubeat!*

V. Diaconi SS. Cosmae & Damiani.

Joannes Grawertus *ob Zwinglianismum dimiſſus anno* 1530.

Herr Nicolaus N. 1537. *ob.* 1538.

Jo. Winnigenſtadius *Huxaria huc vocatus a.* 1538. *Quedlinb. diſceſſit* 1540. *ob.* 1569.

Caſpar Koldermannus. *ob.* 1540.

Henningus Oſtorodus *e Diacono S. Mariæ Magdalenæ Eimbeccenſ. Diaconus SS. Coſmæ & Damiani Gosl.* 1540. *Paſtor. S. Stephani.* 1553.

Joannes Sonnenborn. *e Paſtore Widelagenſi Diaconus Goslarienſ. obiit.* 1571.

Martinus Ilders *Goslarienſe Diacono Frankenb. Diacon. Eccleſ. forenſ. ob.* 1607.

Henricus Gutius *Goslarienſ. anno ætat. ſuæ quinquageſimo ſecundo, h. e.* 1608. *Ildero ſucceſſit Italia aliquoties peragrata, obiitque a.* 1633. *ſeptuaginta ſeptem annos habens.*

Johannes Alburg *obiit* 1672. *admodum ſenex, unde tribus adjunctis nimirum* Georgio Andrea Trautmanno. M. Bernhardo Hagemanno & M. Jo. Simone Alburgo *ei opus fuit. Hic a.* 1673. *iſte. a.* 1669. *ad eccleſiam S. Thomæ translatus, ille a.* 1671. *diem obiit ſupremum.*

Henricus Rheſus *Goslarienſis e Conrectore Scholæ ad eccleſiam hanc tranſiit anno 1674. obiit 1699. cujus inſignem amorem in ipſo vitæ limine deguſtavi, utinam frui illo diutius liciſſet!*

Chriſtophorus Trautmannus *acceſſit* 1700.

VI. Paſtores S. Stephani.

M. Antonius Corvinus, *Zithogallus ideſt Hanoveranus cum ab ipſis reformationis auſpiciis hic docuiſſet, anno 1531. Wizenhuſam in Haſſiam diſceſſit.*

Fridericus Stichelius *obiit* 1553.

Henningus Oſtorodus *e Diacono foreſi Paſtor S. Stephani ob.* 1575.

Melchior Stubendorffius *Halenſis diceſſit a.* 1576.

Volpertus Becker *ſeu* Piſtorius *Suſatenſis Weſtphalus ob.* 1589.

M. Henricus Temmius Huxarienſis *Hildeſia huc evocatus.* 1590. *vice Superintendentis, Paſtoris Miniſterii Primarii, & ad S. Stephanum Ordinarii nec non Synſcholarchæ titulum geſſit, inſignis Hebræus, obiit anno* 1617. *Sexaginta tres annos natus.*

Joannes Schönermarck *Goslarienſis e Diacono Paſtor obiit anno* 1644.

Joannes Trumphius *Goslarienſis obiit.* 1673.

M. Conradus Trumphius *Goslarienſ. obiit* 1698.

Andreas Frœlingius *Helmſtadienſis D. Andreæ Frœlingii Superintendentis Generalis & PP. filius ab anno* 1699. *Paſtoris munere cum laude fungitur, ad quod illi uberrimam Dei benedictionem apprecamur.*

VII. Diaconi D. Stephani.

Henricus Kniggius *Brunsvicenſ. propter Zvinglii hypotheſes dimiſſus a.* 1531.

Helmboldus Poppius *e conventuali Richenbergenſi Diaconus S. Stephani vixit anno* 1553.

Andreas Wetmann, *Magdeburgum diceſſit.* 1557.

Juſtus Henkel *Halberſtadienſis acceſſit anno* 1558. *ac ſimul in Novi Operis templo docuit, ob turbulentum ingenium dimiſſus a.* 1575.

Andreas Theodorici *obiit* 1601.

Joannes Schönermarck *Goslarienſis* 1618. *Paſtoris officium ſuſcepit.*

Joannes Theodorici *Heimburgenſis ob.* 1632.

Joannes Trumphius *ad Paſtoratum prouehitur anno* 1645.

Hermannus Lindemannus *obiit* 1663.

M. Conradus Trumphius, *Gosl. deinde Paſtor ab anno* 1674.

M. Henricus Wilhelmus Trumphius *Gosl. obiit* 1694.

Andreas Frœling *Helmſtad. Diaconus factus anno* 1695. *Paſtor a.* 1699.

Paulus Philippus Trautmannus *Gosl. ab anno 1699. muneri ſuo non ſine fructu præeſt.*

VIII, Paſtores Franckenbergenſes.

Henricus Gefferdes, *Helmſtadienſis, Grenam abiit* 1542. *Goslariam rediit a.* 1547. *ibique in hoſpitali S. Crucis docuit.*

Michaël. Volumetius *e Rectoratu hujus Civitatis Paſtor Franckenb. a.* 1544. *vita functus eſt. a.* 1563.

Joannes Molitor *ſ.* Müller *obiit* 1581.

M. Jacobus Hellevach, *e Rectore Paſtor, obiit a.* 1582.

M. Stephanus Kampferbek *e Rectore Paſtor. ob.* 1585.

Joannes Major, *Scharzfeldenſis, ob.* 1592.

Joannes Gefferdes *ſ.* Gebhardi *Goslarienſis, Miniſterii Senior ob.* 1623.

M. Martinus Ilderus, *Goslar. ob.* 1639.

M. Balthaſa Wideburg, *Guelpherbytanus, dimiſſus a.* 1640. *diceſſit Halberſtadium.*

Joan-

Johannes Georgius Koch, *Bleicheroden-sis, Wachsunga huc venit a.* 1644. *Pastor S. Thomæ creatur a.* 1650.
Caspar Heid *e Pastore Stökensi pastor Frankenberg. Wakerslebam abit* 1658.
Albertus Henno, *Goslar. ob.* 1673.
Joannes Bremerus *e Diacono Pastor* 1674. *ob.* 1688.
M. Sigismundus Larizius, *Argentoratensis, vir doctissimus e Diacono Pastor* 1689. *ob.* 1697.
Theodorus Grussenberg, *Gottingensis, e Rectore Pastor creatus nec annum quidem integrum docuit, ob.* 1699.
Jo. Gotofredus Rhesus *Goslar. Collega meus conjunctissimus ab anno* 1699. *munere suo praclare fungitur.*

VIII. Diaconi SS. Petri & Pauli Frankenb.

Henni Fliedt.
Hennig Groven.
Johañes Molitor *mox Pastor creatus a.* 1569
Martinus Ilderus *ab anno* 1569. *Diac. Frankenb. a.* 1572. *ad forensem ecclesiam translatus est.*
M. Henricus Lenzius *a.* 1578. *ad ecclesiam forensem transit.*
Henningus Schœnermarck, *Goslar. ob.* 1579.
Johannes Major, *Schwarzfeldensis, a.* 1585. *Pastor creatur.*
Johannes Gefferdes f. Gebhardus, *Gosl. Past. creatur a.* 1593.
Thomas Beumichen *ob.* 1594.
M. Andreas Schrœder *ob.* 1597.
M. Elias Janus, *Numburgensis, a.* 1615. *ad templum forense transit.*
Christianus Schwanenberg, *Plavia Variscus ob.* 1626.
Caspar Arens Wegener, *obiit* 1632.
Albertus Henno, *e Diacono Pastor a.* 1658.
Johannes Bremerus, *Goslariensis. a.* 1674. *Pastor creatus.*
M. Sigismundus Larizius, *Argentorat. a.* 1689 *Pastor creatur.*
Joannes Fridericus Stockhusius, *Gosl. ob.* 1693.
Justus Polleman, Gosl. obiit. 1698.
Ego M. Io. Michael Heineccius, *Eisenbergensis, ab anno* 1699. *quamdiu placuerit Deo, munere hoc fungor.*

X. Pastores S. Jacobi.

Johannes Wesselius, *Brunsvicensis, Halberstadio huc accessit. a.* 1523. *in patriam discedit. a* 1528.
Jo Schulze *e conventuali Montis S. Georgii Pastor S. Jacobi obiit* 1563.
Jo. Hoffmeister *Hannoveranus ob lites Superintendenti motas dimissus a.* 1574. *Cellerfeldam in Herciniam discessit.*
Petrus Kielhorn, *Goslariensis, ex ecclesia S. Thomæ ab Pastoratum ecclesiæ S. Jacobi transiit anno* 1574. *ob.* 1591.
Simon Strube, *Goslariensis, metallifossoris filius obiit* 1616.
M. Georgius Rhesus *Goslariensis Ministerio Senior. ob.* 1650.
M. Elias Himmelius *Spira Rhenanus, Theologi illius Jenensis famigeratissimi filius obiit,* 1668
M. Johannes Busch, *Hildesiensis, e Pastore Brelensi Pastor S. Jacobi obiit* 1694.
Henricus Dommes, *Sesensis, e Diacono Pastor,* 1695. *ad ecclesiam forensem & S. Thomæ transiit a.* 1702.
Iohann Conrad Trumph *e Diacono Pastor* 1703.

XI. Diaconi S. Jacobi.

Joannes Cleppius *primus evangelista Goslariensium ad Wesselii adventum hoc est a.* 1523. *docuit.*
Laurentius Hillen *ob.* 1534. *aliis vocatur Johannes.*
Andreas Domeyer *Osterodam abit. a.* 1537.
Georgius Meino *Eimbeccensis peste obiit.* 1577
Simon Strube *Pastor vocatus a.* 1592.
M. Justus Schriccius *a.* 1600. *ad ecclesiam forensem transiit.*
Joachimus Gericius *obiit* 1610.
Joannes Beyer *ob.* 1626.
Henricus Craccius *ob.* 1641.
Elias Reuter, *Goslarien. ob.* 1659
M. Jo. Ziegenmayer *e Conrectore Diaconus ob.* 1666.
Georg. Henricus Ilsenius *Eimbeccensis, ab anno* 1668. *ad* 1678. *in hac æde docuit, inde ad forensem ecclesiam translatus.*
Balthasar Metzmacher *Quedlinburgensis unum tantum mensem munere functus obiit.* 1678.
M. Ludolphus Faber *anno* 1686. *Grenæ Superintendens creatur, ubi hodienum docet.*
Henricus Dommes *Seesensis anno* 1695. *Pastor vocatur.*
Iohann Conrad Trunmph. *a.* 1703. *Pastor vocatur.*
Adolph Henrich Trumph. *fratris successor Collega. a.* 1703.

Annus Christi 1532.
Caroli V. Cæs. 13.
Ab V.C. 609.

PAulo itaque Rhodio anno superiore ad Luneburgenses digresso Superintendentis munus demandatur D. Eberhardo Weidenseo, qui se & Widenseeum nonnunquam vocare solitus est. Venerandus hic vir, de inferioris Saxoniæ ecclesiis præclare meritus, & genuinus Lutheri discipulus, eo majori nobis cura videtur commemorandus, quo plura ei accepta ferunt Goslarienses. De gente ejus ac patria nondum quicquam mihi licuit expiscari. Halberstadii tamen meliorem incuntis ætatis partem exegit. Detrusus enim more seculi in monasterium S. Joannis tam celeriter ibi enituit, ut circa annum M. D. XX. Præpositi titulo huic monasterio præficeretur. Halberstadii tunc clarissima Johannis Wesselii & Henrici Gefferdes illuxerant ingenia; qui tamen cum puriorem Lutheri doctrinam in vulgus spargerent, urbe cedere coacti vix sacrificulorum insidias effugerant. His viris Eberhardus

D. Eberhardus Weidensee tertius Goslariensium Superintendens. *Hamelm. Hist. eccl. evang. per inferiorē Sax. P. II p. 10. sq. Reimann. idea Chr. Halb. sec. 16. ad ann. 1524. Sekend. l. 1 §. 110. p. 178. §. 139. n. 4. Wei. p. 240.*

Scultet. Annal. Evang. p. 69.

Weidenseeus familiarius usus est, frequentique sacræ scripturæ lectione tantum in hac doctrina profecit, ut jam anno M. D. XXII, minus se abhorrere a reformatione pro concione fateretur. At multo felicius in Lutheri dogmata penetravit, cum paulo post Halberstadium accederet D. Valentinus Musæus, qui tanta libertate publicos errores redarguit, ut captus ab Administratore & vix dimissus, a Suffraganeo & aliquot Canonicis virilitate privaretur. Hinc sævitia incredibili in Lutheranæ causæ patronos supplicia decernuntur. Heinricus Schreiber Consul Halberstadiensis per insidias captus ac supplicio jam destinatus exilio multatur, alii occisi, alii in vincula rapti. Ipse Weidenseeus Halam ad interdictum vocatus, beneficio primum privatur, deinde Hamerslebiensi Præposito datur custodiendus, ea lege, ut eum Halberstadii in carcerem conjiceret. In itinere tamen arrepta occasione divinitus ostensa, fuga sibi consuluit, & ubiq; quærens secessum primum Magdeburgum inde Wittebergam concessit. Cumque ibi Lutherum aliquandiu coram audivisset, ejus consilio Magdeburgum rediit, ubi tum D. Melchior Mirisch & Johannes Fritzhans evangelio annunciando dabant operam. Huc ubi pervenit, statim Senatus auspiciis Pastor ecclesiæ S. Jacobi creatur, ac pro virili sua parte reformandæ ecclesiæ dat operam. Quot illi certamina cum pertinacissimis adversariis fuerint subeunda, abunde declarant ejus & Fritzhansii scripta, docet publica ejus disputatio sacrificulis oblata, cujus titulum paulo post referemus, fatentur denique ii, quibus historiam reformationis Magdeburgicæ dare curæ fuit. Neque tamen diu admodum Magdeburgi permansit, siquidem insequente statim anno a Christiano, Regis Daniæ filio, in Holsatiam evocatus est. Sunt quidem, qui eum anno demum M. D. XXVII. in Holsatiam discessisse autumant, immo B. Sekendorffius hoc rejicit in annum M D XXXI, aliorum procul dubio auctoritatem secutus: Sed ego potissimum ipsum Weidenseeum hic audiendum puto, testem quippe hac in re omni exceptione majorem. Is vero in dedicatione libelli de prophetia Apoc. XIV, anno M. D. XLI, ad Christianum Daniæ Regem directa se sex annos & dimidium Haderslebiæ, cum illam præfecturam & Tonningensem Christianus a parente obtinuisset, Ecclesiæ ministrum fuisse, atque ibidem Annam Christiani filiam salutari baptismi lavacro adspersisse, memorat. Cum itaque anno M. D. XXXIII. Goslariæ Superintendentis munus susceperit, manifesto sane inde consequitur, eum jam anno M. D. XXV. ad Holsatos abiisse. Jam tum Eberhardus hic Weidenseeus Goslariensibus innotuerat per Johannem Wendium Goslariensem, qui cum Weidenseeo in Cimbriam accersitus, Ripensem Ephoriam obtinuerat. Eoque majori cupiditate Patres nostri flagrabant, eum huc pertrahendi, cum e tabellione in Daniam misso & cum Weidenseeo collocuto intelligerent, virum hunc cœli frigidioris tædio non adspernaturum conditionem, si legitimo modo huc vocaretur. Nec fefellit nostros opinio. Siquidem accersitus paruit, susceptoque hoc gravissimo munere ad beatum usque obitum hic docuit. Qua fide, qua industria, quo zelo Spartam, quam nactus fuerat, ornaverit, non est hic commemorandi locus, cum subinde ejus rei facturi simus mentionem. Scripta tamen ab eo edita, quæ mihi jam succurrunt, hic recensere juvat:

MSC. de monast.

1. Ein Tractät'lein von dem Glauben/ Stand/ und Wesen der unmündigen und unverständigen Kinderlein/ und ob sie auch alle seelig werden/ die getaufft vor ihren vernünfftigen Jahren verscheiden/ durch *D. Eberhardum* Weydensee/ Probst zu S. Johann vor Halberstadt. Magdeb. 1524. 4.

2.) *Doctor Melchior Mirisch. Doct. Eberhardus Widensee, Joh.* Fritzhanß samt andern Predigern des Evangelii der Löbl. und Käyserlichen Stadt Magdeburg/ erbieten sich diese nachgedrückte 18. Artickel vor einer gantzen Gemein mit gegründeter Schrifft zu erhalten/ wider alle Papisten allhie zu Magdeburg. Magdeb. 1524. 4.

3.) Wie *Doctor Cubito, Bonifacius* und der Sontags-Prediger im Thum zu Magdeburg Gottes Wort lästern/ Eberhardus Weidensee/ und Johann Fritzhanß dialogus. 1526. 4.

4.) Ein Sermon von den grausamen und unmenschlichen Laster des vollsauffens/ und wie es GOtt mit ewiger und zeitlicher Plag auch durch den Türcken zu straffen dräuet aus dem 5. Cap. Esaiæ, [v. 22.] *D. Eberhard* Weydensee *Pastor & Superintendens Goslariensis* an die Christl. Gemeinde zu Halberstadt. Magdeburg. *

Hunc sermonem ipse vocat terribilem. & sane ne ex eo incredibilis Weidenseei zelus appareat.

5.) Eine alte Prophecey [Apoc. 14.] von der Verstörung des Keyserlichen Pabstums durch das verneuerte Evangelium/ welche die Papistischen [wie Balaams Esel] gelesen und gesungen/ jedoch nicht verstanden haben. An Christianum/ Königliche Majestät zu Dennemarck/ durch *D. Eberhard* Weydensee geschrieben und ausgelegt. Magdeburg. 1541. 4.

6.) Ein gründlich Bericht aus der Schrifft/ ob der Mensch sey ein Herr seiner Wercke/ und alles thue aus seinen freyen Willen/ Durch *Eberhardum Weidensee.* Mit einer Vorrede Joh. Bugenhagen Pomer. *D.* Wittenberg. 1545. 4.

Fervebant interea adhuc lites urbi nostræ ab Henrico Duce Brunsuicensi in Camerali judicio notæ, quæ cum seorsim, ut & cum aliis actis cura Hortlederi prodierint, non est hic opus plura de iis commemorare. Hoc ipso anno non minima molestiarum parte liberatam se putabat civitas, postquam cum ordine Johannitico æquis legibus pacta fuerat. Cum enim hi eque-

Ordini equestri curia Trolhof loco S. Sepulcri tragitur. *Ex ded. Mad. MSC.*

Sekend. l. 3. §. 75. n. 13. p. 243. Leznet. c. 90. op.

equites aſſidue ſanctum ſepulcrum deletum conquererentur, ac ſatisfieri ſibi indeſinenter poſtularent: Senatus demum morem geſſit ordini, eique in compenſationem aſſignavit curiam in Civitate ſitam, den Trollheff/cum omnibus pertinentiis, eo jure deinceps poſſidendam, quo paulo ante in Prioratu S. Sepulcri eſſet uſus. Quin abrogato nomine des Trollhoffs ac plane abolito curiam inposterum Prioratum S. Sepulcri vocandam decrevit, quemadmodum hodienum audit das Priorat-Haus. Denique id diſerte recepit Senatus, ut ſi forte aliquando Ordini curiam hanc cum bonis annexis vendere liberet, Senatui præ ceteris ea offeratur emenda. Quemadmodum etiam hic Prioratus interjecto tempore ad Salderos, Muderſpachios, Kleinios, Brandeſios, emtionis atque hæreditatis titulo pervenit, multis ideo litibus in ſummis dicaſteriis imperii agitatis.

Goslarienſes Smalcaldico fœderi accedunt & pacificationi Norimbergenſi interſūt. *Sleidan. l. 8. p. 227. Seckendorff. l. 3. ſect. 4. §. 9. p. 19. Paul. Sarp. hiſt. Conc. Trident. l. 1. p. 101. ſq. vid. Chytr. hiſt. Aug. C. p. 306. Jo. Joach. Muller. hiſt. Proteſt. & Confeſſ. Aug. l. 3. c. 91. p. 936. Sleidan. l. 8. p. 222. Seckendorff. l. c. §. 5. p. 16.*

Longe majoris momenti fuit pacificatio Norimbergenſis hoc anno inter Cæſarem & Proteſtantes Ordines inita, inter quos & Goslaria nomen profiteri nunc cœpit. Quamvis enim jamdudum urbs noſtra Pontificios errores ejuraſſet, tantum tamen abeſt, ut ſocietatem cum Proteſtantibus Principibus ineundam putarit, ut potius Cæſaris verita indignationem mediam ſe præſtare partibus, dubiamq; ſpeculari fortunam mallet. Hinc nec Auguſtæ Vindelicorum exhibitæ Confeſſioni, quamvis eam magnopere probaret, ſubſcripſerat, nec Smalcaldico fœderi dederat nomen: quin ipſum illud Auguſtanum decretum, quamlibet rigidiſſimum, cum Colonienſibus, Hagenoënſibus, Colmarienſibs, Uberlingenſibus, Kauffbeurenſibus, Werdenſibus, Ratisbonenſibus, Eslingenſibus, Nortlingenſibus, Offenburgenſibus, Rothwilenſibus, Svinfurtenſibus & Auguſtanis receperat, forte quod ſe ab Henrico Juniori Duce Brunſvicenſi, arrepta huc occaſione, aperto Marte putaret oppugnatum iri, ſi cum Proteſtantibus in fœdus coiret. Verum ſuperiori anno mutata ſubito ſententia in conventu Francofurtenſi civitas noſtra una cum Eimbeccenſibus & Eslingenſibus Smalcaldico fœderi ſe junxerat, quod ſolam ſe Henrici Ducis potentiam non diutius ſuſtinere poſſe animadverteret. Id jam vero faciebat eo audentius, quod Cæſar, damnatis belli conſiliis, ad pacem cum Proteſtantibus ineundam jam pronior videbatur. Quæ Cæſaris animum tam paulo momento ad mitiora conſilia flexerint, facile ex temporum iſtorum ſatis atque conditione colligere eſt. Urgebat ejus animum Ferdinandi fratris electio, quam ab Elector Saxoniæ ceterisque Principibus proteſtantibus acriter oppugnari ſciebat, urgebat bellum Turcicum, de quo majora, quam antea unquam, rumore publico jactabantur. Denique & Regis Galliæ dubiam fidem, aliaque imminentia imperio pericula reſpiciebat, quæ non facile depellenda videbantur, niſi proteſtantes toties adhuc offenſi, vel objecto ſaltem pacis ſimulacro, ad ſocietatem pertraherentur. Faceſſant igitur Maimburgii diræ calumniæ, quas in proteſtantes ſuo more ſpargit; dum eos nec elargiri quicquam in bellum Turccium voluiſſe & palam arma cum Turcis jungenda minatos eſſe mentitur, easque rationes Cæſarem ad pacem Proteſtantibus indulgendam impuliſſe exiſtimat. Sane e ſuo ingenio, ut alia pleraque, hæc quoque hauſit Maimburgius, egregiumq; hic dedit documentum, non eſſe ſibi religionem, in Proteſtantium rebus nefanda quævis & abſurda excogitare. Attamen niſi omnia me fallunt, Floremundi Raimundi ſcrinia compilavit, qui ſingulari capite Lutheranorum favorem erga Turcas jactat, cujus ſomnia ſcilicet a rejiculo Jeſuita novis erant deliriis interpolanda. Iam ut ad pacem iſtam Norimbergenſem redeamus, dici non poteſt, quanta cupiditate eam fœderati Smalcaldici arripuerint. Habito enim primo Svinfurti conventu, omnia illa inter ſe agitabant, quæ ſua videbantur intereſſe. Inprimis magna animorum commotione inter fœderatos actum fuit, de iis, qui in articulo de Sacramento Cœnæ Domini diſſentiebant, utrum nimirum in ſocietatem fœderis eſſent recipiendi decretumque demum, nec Zvinglianis, nec Anabaptiſtis in Lutheranorum fœdere præſidium fore, niſi ab erroribus diſcederent. Denique ad diem XIII. Iunii novus Conventus Norimbergæ indicitur, ubi interjectis decem diebus pax initur iis legibus, ut interea dum liberum ac Chriſtianum indiceretur Concilium, neutra pars alteram ob religionem turbaret, aut bello perſequeretur. Huic transactioni, quam Cæſar die 11. Auguſti ſolenni edicto ratam habuit, ſubſcripſere:

Maimb. l. 3. hiſt. Luth. ſect. 4. p. 19. ap. Sekend. Fl. Raimund. hiſt. de orig. & progr. hæreſ. part. 3. c. 10. p. 445.

Tom. V. Altenb. Opp. Luther. fol. 1022. Hortleder l. 1. c. 10. p. 67. ſq. Tom. 1.

Uud von Gottes Gnaden / wir / Johann Friedrich / an ſtatt und von wegen unſers Herrn und Vaters des Churfürſten zu Sachſen / und unſer ſelbſt auch von wegen unſers Oheimen Hertzog Philipſen zu Braunſchweig / Franciſcus / Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg.

Und wir nachbenannte Bottſchafften / nemlich von wegen Herrn Georgen Marggraffen zu Brandenburg / Wolff Chriſtoff von Wiſſenthau / Amptmann zu Schwabach / und Sebaſtian Heller Doctor.

Von wegen Herrn Ernſten Hertzogen zu Braunſchw. und Lüneburg / Johann von der Wick Doctor.

Von wegen Fürſt Wolffens von Anhalt / Graff Gebharts und Graff Albrechts von Mansfeld / Johann Rüel Doctor.

Von wegen der Stadt Straßburg / Jacob Sturm / alter Stadt-Meiſter und Jacob Meyer.

Von wegen der Stadt Nürenberg Bernhard Baum Gärtner und Leonhardt Schultheiß und mit Befehl der Stätte Hall in Schwaben / Heylbrunn / Winsheym und Weissenburg an Storckau.

Von wegen Lübeck / Andreas Stolp Secretarius, mit Befehl derer von Hamburg.

Von wegen der Statt Costantz / Conrad Zwick und Sebastian Geyßberg.

Von wegen der Stadt Ulm Georg Besserer / alter Bürgermeister und Hieronymus Schleicher / und dieselben mit Befehl der Stadt Jßni.

Von wegen der alten Stadt Magdeburg / Leonhard Mertz Doctor und Syndicus.

Von wegen der Sadt Bremen / Johann von der Wick Doctor obgenant.

Von wegen der Stadt Braunschweig / Dietrich Preuß Secretarius mit Befehl derer von Goßlar / Göttingen und Einbeck.

Von wegen der Stadt Nordhausen / Benedictus Pauli Doctor.

Von wegen der Stadt Eßlingen / Bernhardt Matzbeck.

Von wegen der Stadt Reutlingen / Jost Weiß / Bürgermeister.

Von der Stadt Memmingen / Hanß Keller / Bürgermeister.

Von wegen der Stadt Lindau / Antoni Hünle.

Von wegen der Stadt Biberach / Christoff Greter / Bürgermeister.

Von wegen der Stadt Kempten / Heinrich Seltenhan.

Bekennen daß obgemelter Abscheid mit unsern guten Willen und Wissen auffgericht und betheidingt ist / den wir also wissentlich und unsere Herschafften und Obern angenommen und bewilliget haben. Und gereden und verpflichten demnach vor uns / unsere Herschafft und Obern / dem also nach zu kommen und zu geleben / und dawieder nicht zu thun in keine Wege ꝛc. Hæc paulo uberius commemoranda duxi, ut quo pacto Goslarienses in fœderis istius venerint societatem, quidque eorum causa a sociis deinde actum sit, dilucidius constaret. Sua ergo somnia vendidit ille, qui nuper fœdus Smalcaldicum demum post conceptos anno 1537. articulos Smalcaldicos inter Protestantes ictum atque tunc Goslarienses quoque sociis accessisse satis incaute asseruit. Jam enim deficiente anno M. D. XXX. solutis Augustanis comitiis Smalcaldiæ de fœdere inter Protestantes actum fuit, idque sequente anno die Lunæ post Dominicam Invocavit ad liquidum fuit perductum. Cui ut aliæ subinde civitates ita Goslaria nostra eodem anno in Francofurtensi conventu accessit. Quemadmodum id norunt omnes, qui Sleidanum, Sekendorffium, Hortlederum, aliosque hujus commatis scriptores vel obiter lustrarunt.

Henrico Dux

Fœderis itaque Smalcaldici potentia, pacisque nuper ita legibus securi Goslarienses halyconia sibi reddita existimabant; cum tamen Henricus Dux Brunsvicensis multo gravius, quam ante urbem vexaret, ratus contra se inprimis fœdus istud coaluisse. Non possum non hic ex actis Protestantium tum editis ea proferre in medium quæ ad hunc annum ibi referuntur. Bertholdus quidam Barks civis Goslariensis ad montem Ramelium rei ærariæ solebat operam dare, atque adeo rarius domi esse. Quo animadverso, sicarii quidam absente eo die VIII. Augusti in ædes irruunt, uxorem cum filio sexenni misere trucidant, omniaque quæ fractis ubique januis occurrebant, suffurantur. Vix hoc immane scelus manaverat in vulgus, cum fama simul increbesceret, viros quosdam hujus flagitii suspectos sub Hercynia silva fuisse visos. Quo cognito, Senatus noster, missis octo civibus, id dedit negotii, ut homicidas, quanta possent, solertia persequerentur, eosque ubicunque reperissent, caperent, ea tamen lege, ut si in Goslariensi territorio occurrerent, in urbem eos abducerent, sin alibi, magistratui loci ordinario eos traderent ad supplicium. Eunt cives, & jussa capessunt, pars per Hercyniam Osterodam; pars Staufenburgum concessit. Cumque Gittelдæ vir eis occurreret non parum suspectus, captum eum Staufenburgum abducere constituerunt. Interea advolat metallifossorum turma, quæ cinctis civibus captivum eripit, ipsosque Staufenburgum abripit, diro mox supplicio plectendos. Senatus, hoc comperto, datis ad Henricum Ducem literis, rem omnem prolixius enarrat, cædem inauditam intra ipsa civitatis mœnia esse peractam, cives suo jussu sicarios indagasse, nec alio consilio id eos feciſſe, quam ut captos magistratui illius loci ordinario traderent, digno supplicio plectendos. Ast Dux, a suis procul dubio instigatus, gravem captivis litem intendit, fractæque pacis reos postulavit. Cives identidem Senatus jussu se feciſſe ajunt, quicquid fecerint, nec captum Sicarium alio consilio a se prehensum, quam ut illum Staufenburgensi præfecto traderent ad supplicium. Prodit demum sententia, ut capti cives intra mensis spatium idoneis documentis demonstrarent, Senatus auctoritate se Sicarium prehendere ausos esse, id si feciſſent, vinculis exolverentur. Quod licet recepiſſent, se facturos, Dux tamen paulo post homines capitis damnavit, ac tribus eorum publice gladio cæsis, quartum diuturna custodia excruciatum vix demum exolvit e vinculis. Quid ipse Dux Spiræ in publicis Imperii Comitiis anno M DXLIV. sui purgandi causa hanc in rem attulerit, ex ipsis actis ab Hortledero & Schardio servatis constat: Cives nimirum hosce jussu Senatus Goslariensis, vim inferendi causa, in præfecturam Staufenburgensem irrupiſſe, ac ideo fractæ pacis reos jure cæsos videri affirmat.

Brunsv. cives Goslar. capite plectit.

Geschicht uñ Handlungen anfangl. H. Heinrichs ꝛc. ap. Hortl. l. 4 c. 46. p. 511.

Heinrichs des jüngern H. z. Br. Reglich. ap. eund. l. c. c. 47. p. 524.

Comment. succinctus quam misere Dux Henr. Goslar. & Brunsv. Resp. afflixerit ap Schard p. 43. Tom. 2. rer. germ.

Annus

Annus Chriſti 1534.
Caroli V. Cæſ. 15.
Ab. V. C. 611.

Georgio Zigenmayerus Goslarienſium hoſtis cives graviter affligit.

Alle und jede Geſchicht u. Handlung/ was anfänglich H. Heinrich v. B. *ap. Hortl. l. 4. c. 46. tom. I. p. 351. ſq. 355. ſq. Henrici Duc. rep. 16. c. 47. p. 922. Proteſtantium duplica. ib. c. 48. p. 995.*

NEc inſequentibus quidem annis odia deferbuere, licet interea dum legibus Dux Brunsvicenſis & civitas noſtrain Camerali judicio digladiarentur, utrique parti ut ab armis quieſcerent, vel ipſa æquitas videretur imperare. Henricus enim Dux quamvis ipſe palam civitatem oppugnare minus conſultum exiſtimaret, tot tamen in ejus perniciem inimicos aut ſubornaverat, aut toleraverat, ut eorum inire numerum difficillimum videatur. Quæ Hermannus Raſerus, Laurentius Weiland, Henricus Kindermannus aliique potentiores viciniæ viri Ducis, ut ferebatur inſtinctu, adverſus Goslarienſes auſi ſint, ſatis ex actis ab Hortledero collectis liquet, & ad annum præcipue M.D.XXVIII. nobis fuiſſent referenda, niſi dulciſſima reformationis tum ſuſceptæ commemoratio has infauſtas actiones tacere juſſiſſet. Ut paucis me expediam, hi homines, miſſis, ut ſeculi genius erat, literis ſecialibus, inimicos ſe Civitati profitebantur, vias omnes ac receſſus obſidebant, cives negotiorum ſuorum cauſa urbe egreſſos intercipiebant, nullumque intermittebant ſævitiæ genus, donec civitas, oblata argenti ſumma cum iis paciſceretur. At omnium acerrimum hoſtem his annis Goslarienſes ſuſtinuerunt Georgium Zigemayerum, quem non minus ab Henrico Duce concitatum Principes proteſtantes in Apologia ſæpius citata profitentur. Hic quemadmodum ſpem conceperat, fore ut cives pertæſi moleſtiarum numerata pecunia ſecum quoque paciſcerentur, ita incredibili pertinacia negotium iis faceſſere ſtuduit. Collecta enim equitum peditumque manu, (quorum facies ne noſcerentur, diverſis coloribus illeverat) anno MDXXX. primo Lutteram inter & Langelsheimium ſubſiſterat, eo conſilio, ut equos e Goslarienſium plauſtris abriperet, civesque inſequentes juſta pugna cederet fugaretque. Verum eluſa hac ſpe in Finenburgenſem agrum perrexit, militesque Goslarienſium viarum cuſtodes [die Straſſenhüter] aggreſſus, tanta eos clade affecit, ut undecim occiſis, duodecimoque plurimis vulneribus confoſſo ſexaginta pene equi in ejus venirent poteſtatem. Hoc rerum ſucceſſu elatior Zigenmayerus palam urbi bellum indicere auſus eſt. Hinc fœminam in itinere interceptam multis minis huc adegit, ut literas feciales Senatui civibusque offerret. Exinde majora auſus, Goslarienſes ubicunque ſibi obvios cepit, vulneravit, manibusq; truncatos remiſit domum. Interea ferox homo publico edicto proſcriptus, id præcipue agere cœpit, ut cum Goslarienſibus accepta pecunia, rediret in gratiam. Quod cum hi conſtanter ſe negarent facturos, ad arma tumultuaria reverſus, id dedit operam, ut civem quendam Goslarienſem primarium, urbique neceſſarium ex inſidiis caperet, ſi forte ejus interventu pax facilius coaleſceret. Notus tum erat quidam Diedericus Snellius, opulentus hujus urbis Senator, ſummæque apud ſuos auctoritatis, cui ad Georgium de Arnheim negotiorum ſuorum cauſa profecturo Zigenmayerus inſidias ſtruendas putabat. Et quamvis per errorem inciderit in Henricum Weigen, Goslarienſem Canonicum, quem captum in ſylvas Hombergenſes abduxerat, mox cuſtodia liberandum; non quievit tamen ante, quam Snellium prope Libenburgum captum abduxiſſet, & Burchardo de Saldern tradidiſſet, nunquam ex hoc a ſuis viſum. Pace igitur nec hoc quidem facinore impetrata, Zigenmayerus in furorem veluti converſus, extrema civitati minari cœpit. Hinc miſſis intempeſta nocte, Achimo Riba, Johanne de Gladeberk, Alberto & Diederico Nigris (Schwartzen Albrechten / und Schwartz Dieterichen) nec non Jacobo Wildſchüz, caſas Goslarienſium ærarias invaſit, operas vulneravit, folles incidit, omniaque ſatis barbare devaſtavit. Directis deinde ad Brunſvicenſem ſenatum ceterasque civitates Hanſeaticas, ut & vicina monaſteria literis admonuit, darent operam, ut Goslarienſes ſibi ſatisfacerent, id niſi feciſſent, ſe illorum non minus, quam Goslarienſium, hoſtem futurum. Sed & Henricus Dux Brunſvicenſis, non obſcure Zigenmayero favens, Goslarienſes per literas edocuit, ſibi tumultuaria hæc arma non diutius toleranda videri, niſi igitur cum Zigenmayero ex æquo bonoque paciſcerentur, ſibi providendum eſſe, ne quid provinciæ ſuæ detrimenti caperent. Quæ poſtea monaſterio Abbenrodano, a quo Goslarienſes adhuc carbones acceperant, contigerint, uberius in allegatis actis enarratur. Quo vero pacto demum Zigenmayerus ab ejusmodi latrociniis fuerit revocatus, tacentibus illis, mihi incompertum eſt.

Anni Chriſti 1535. 1536.
Caroli V. Cæſ. 16. 17.
Ab V. C. 612. 613.

Conventus Smalcaldicus, cui & Goslarienſes interfuere *Sleidanus l. 9. p. 255. ſq. 265. ſq. Chytræus l. 14. p. 417.*

INter hæc Paulus Pontifex, nuper Clementi ſubrogatus, aſſiduis Cæſaris precibus commotus, anteceſſoris exemplo, de convocando concilio cœperat cogitare. Cum autem conditiones paulo duriores a Goslarienſibus in Clemente oblatas a Proteſtantibus miro conſenſu rejectas eſſe meminiſſet, ad fraudes converſus, aliud cepit conſilium. Miſſo enim in Germaniam Petro Paulo Vergerio, celebris famæ JCto Juſtinopolitano, perſvadere proteſtantibus ſtuduit, bona

Paul. Sarpius l. 1. Hiſt. conc. Trid. p. 121 ſq. 126. ſq. Lamb. Hotenſ. l. 1 p. 446. ap. Schard. t. 2. Hortl. l. 8 c. 9. & 10 p. 1327. t. 1. Maimb. l. 3. hiſt. Luth. ſect. 11. 12. Sekend. l. 3 §. 34. 35. p. 95. ſq. Pallav. l. 3 hiſt. Conc. Trid. c. 18.

ploſos, tum univerſum terrarum orbem, aſſiduis id flagitare votis non ignoraret. Universale id fore, cum plerique Reges & Principes Chriſtiani Pontificis conſilium jam probaverint. Liberum quoque futurum, ſiquidem a concilio æque ac Cæſare publico commeatu eſſent muniendi. De loco ſe mirari, tanta eſſe ſententiarum divortia. Aptiſſimam videri Mantuam, & ſatis ſpatioſam, & Principi Imperii ſubjectam Germaniam aliis nationibus incommodam fore, nec ſe ſine magno agmine ad concilium tunc venturum, id quod parum probaturi eſſent Germani. Denique nec de modo pluribus diſceptandum videri, iſtam enim deliberationem omnium optime in ipſo concilio, doctore Spiritu ſancto, ad liquidum perductum iri. Cogitarent itaque, quid Chriſtiani imposterum de Lutheranis eſſent habituri, ſi concilium univerſale, Chriſtianum & liberum, ad quale ipſi toties provocaſſent, manibus pedibusque impedire pergant. Hiſce mandatis inſtructus Vergerius non modo ad Electorem Saxoniæ acceſſit, ſatis laute ab eo habitus, verum etiam univerſis Proteſtantibus, Smalcaldiæ propediem coituris, idem per literas duxit indicandum. Variis his de futuro concilio ſermonibus mox acceſſit ſiniſtrior de Cæſare fama, quæ eum rupta pace Norimbergenſi, armis in civitates ſuperioris Germaniæ Evangelicas animadverſurum narrabat. Quam ſuſpicionem licet Imperator literis humaniſſime ſcriptis a ſe amoliretur, tantum tamen abeſt, ut extra metum eſſent Proteſtantes, ut potius de ineundo novo fœdere ſerio cogitandum exiſtimarent. Convenere igitur die VI Decembris Smalcaldiæ ii, qui jam anno M. D. XXX in fœdus coierant, quibus hoc anno acceſſere, Ulricus Dux Würtenbergicus, Barnimus & Philippus Pomerani, Johannes Georgius & Joachimus Anhaltini, ex civitatibus Auguſta, Francofurtum, Eslinga, Goslaria, Brunſviga, Hanovera, Gottinga, Eimbecca, Hamburgum & Minda, licet Goslarienſes cum Brunſvicenſibus, Eslingenſibus, Gottingenſibus & Eimbeccenſibus jam ab anno M. D. XXXI. fœderi quodammodo acceſſerint. Deliberatum initio de Vergerii poſtulatis, concilioque univerſali, quod Pontifex ſe convocaturum jactabat: datumque reſponſum, nondum apparere, quomodo liberum vocetur concilium, cujus de forma tractandi & audiendi partim altum eſſet ſilentiũ, partim ad Pontificem referatur. Papam in concilio reum eſſe oportere, unde appareat, non illi, ſed juſtis & idoneis arbitris judicium deferendum. Quæ enim ſententia expectanda eſſet ab eo, qui jamdudum feralem in Proteſtantes ſententiam pronunciarit, gladioque & flammis adverſus Evangelium ſæviendum putet? De magnis religionis capitibus agi, nec aliam ſe judicii normam agnoſcere, quam verbum Dei, cujus niſi ratio habeatur, ne tanti quidem apud ſe decreta concilii eſſe futura. In ceteris moderationem ſe & lenitatem oſtenſuros, ut appareat, nihil a ſe ardentius, quam Eccleſiæ concordiam deſiderari. Hinc ad fœderis Smalcaldici prorogationem proceſſum eſt, quæ in hoc quidem conventu ad liquidum perducta, attamen anno demum M. D. XXXVI, die XXIX Septembris rata fuit habita, ut ipſæ fœderis tabulæ ab Hortledero exhibitæ oſtendunt. In his de periculis evangelio imminentibus officioque magiſtratus ſubditos a vi tuendi nonnulla præfati his legibus fœdus prorogant: *Fœderati bona fide agunto, nullum hoſtem occulte fovento, nemini bellum inferunto, injurias uni fœderatorum illatas, ſi religionem ſpectaverint, junctis armis propulſanto. Alii quoque Principes & ſtatus ſerio Auguſtanam confeſſionem amplexi in fœderis ſocietatem recipiuntor, a fœdere niſi finito bello, ſi quod forte inciderit, nemo recedito.* Hiſce tabulis Hortlederus & alias addidit haut paulo prolixiores, in quibus de modo deliberandi & ſuffragiorum, de conferendis ſtipendiis conſcribendis militibus, denique de Imperatoribus & Conſiliariis bellicis totiusque belli gerendi ratione accurate conventum eſt. Decretum præcipue fuerat, ut duo millia equitum & decem millia peditum quantocyus conſcriberentur atque hanc in rem cautum, ut ſumma collationis hoc eſt centies ſeptuageſies & ter mille floreni Miſnenſes ſtatim partim Torgaviam & Caſſellas, partim Brunſvicum & Vlmam mitterentur. Attamen cum Goslarienſes tot impenſis adhuc exhauſtos tantisque preſſos calamitatibus eſſe non ignorarent, benigne iis indultum eſt, ut ſuam, interea indictam oneris partem retinerent, donec apertum bellum immineret: En ipſorum fœderatorum verba: *Hortl. l. 8. p. 1331.*

Doch iſt uns / denen von Goßlar aus beweglichen Urſachen / nachgelaſſen / daß wir unſer Anlag darauf wir taxiret / und angeſchlagen worden ſeynd / bey uns / biß zu der Zeit der fürſtehenden Noht / mögen behalten / und nicht hinder legen. Dargegen wir uns dann in ſonderer Verſchreibungen verpflichtet haben / wañ die Noht alſo fürfallen würden / daß die Gegenwehr fürgenommen / und gebraucht werden müſte / und von Haupt-leuten und den verordneten Kriegs-Räthen / das hinderlegte Geld erfordert würde / daß wir alsdann von ſtund an / ohne Saumniß und alle Entſchuldigung / unſer gebührlich Anlag Gelt / vermög dieſer Verfaſſung / erſtlichen auf die zween Monat / folgends den dritten / vierdten / fünfften und ſechſten Monat bey Burgermeiſter und Raht der Stadt Braunſchweig / bringen und hinderlegen / und uns daran zu jeder Zeit

Luther. tom. 6. Altenb. Opp. f. 506

Zeit; nichts verhindern laſſen ſollen/ noch wollen.

Hæc in Smalcaldico hoc conventu acta conſtat. Qui legati Civitatis noſtræ nomine interfuerint, nondum licuit expiſcari, cum hiſce tabulis non omnes fœderati ſed ſolum Joannes Fridericus Elector Saxoniæ, Philippus Landgravius Haſſiæ & civitatum Argentinæ, Vlmæ, Magdeburgi & Bremæ legati reliquorum nomine ſubſcripſerint.

Choreæ publicæ per lunge Lauß edicto Senatus abolentur ſvaſu Eb. Weidē. feci.

Dum vero Goslarienſes foris icto fœdere ſe adverſus hoſtes munierunt domi Eberhardus Weidenſeeus cum vitiis ſenſim invaleſcentibus nobile ac perpetuum bellum geſſit, ratus id quod res eſt necquicquam in conglobatis fœderatorum viribus ſpem collocari, ſi hoſtes domeſtici, vitia puta, in ipſa reipublicæ viſcera ſævirent. Jam inde a pluribus ſeculis Goslariæ noſtræ invaluerant publicæ quædam choreæ, quotannis a tenuioris ſortis hominibus per urbem duci ſolitæ, easque majores in memoriam reſtabilitæ inter Saxones & Francos controverſiæ inſtituerant. Verum hi lúdi, ut ſolet fieri, interjecto tempore in tam turpe feſtum degeneraverant, ut Bacchanalia aut Lupercalia, dira paganorum ſacra, ex orco revocata putaſſes. Concurrébant e fece hominum audaciſſimi quivis ac voluptatibus deditiſſimi, qui receptis in ſocietatem puellis longo agmine per urbem incédebant Baccharum ad inſtar ſaltantes ac incondito carmine ſtrepentes. Finitis chóreis miſti ex adoleſcentulis puellisque cœtus genio cœperunt indulgere. Compotantium voces obſcenæque cantiones ubique auditæ. Vivebatur in diem, nec quicquam omittebatur in laſcivo ſodalitio, quod caro, occaſio, vinumque videbantur ſvadere. Hanc inveteratam malitiam dudum veluti civitate donatam, dici non poteſt quantopere adverſatus ſit Eberhardus Weiſenſeeus in indignos hos evangelio mores crebris orationibus e ſuggeſtu invectus, ac dira quævis, niſi ad frugem redeatur, minatus. Quo factum eſt, ut ampliſſimus Senatus impuram hanc ac ludicram feſtivitatem anno M. D. XXXVI juſto edicto aboleret, finemq; faceret turpiſſimis bacchanalibus.

Eberh. Weidenſeei invectivæ in ebrietatem notatu dignißimæ.

Non erit igitur difficile colligere, quantus Weidenſeeus, & quam acris fuerit vitiorum inſectator. Publica enim civitatis vitia, quæ jam fere virtutum, certe innocentiæ, ſpeciem induiſſe videbantur, tanto zelo ac animi commotione oppugnavit, quanta a tot ſeculis in papatu nemo ſacerdotum fuerat uſus. Speciminis loco luculentum dederim ejus de ebrietate damnabili ſermonem, quem qui legerit, facile de ſummo viri judicio ac ſanctitate judicabit. Nec temere de hac concione, Goslariæ hoc ferme tractu temporum habita pronunciavit Ill. Sekendorffius: *Vocat ipſe ſermonem hunc terribilem, nec negari poteſt, illum ſeveriſſimum eſſe ſed orthodoxus eſt, & argumentis ex S. Scriptura ſolidiſſime ſtabilitus.—*

Sekendorff. ad Ind. 1. n. 84.

Notanda eſt hæc veteris Theologi & genuini Lutheri diſcipuli & ſectatoris ſeveritas, ne quis putet, juſto acriores eſſe noſtro tempore, qui eadem teterrimo huic vitio opponunt. Vid. D. Phil. Jac. Speneri exhortatio graviſſima in doctrina fidei ſive poſtilla. Dresd. pag. 37. & ſqq.

Æqua cenſuiſſe Sekendorfium, patebit ex hiſce paucis, quæ ex luculenta oratione excerpemus: Dictum quod tractandum ſuſcepit, eſt illud Eſ. V, 22. & primo quidem etiam atque etiam dolet, ebrietatem vulgo Chriſtianorum tam parvi haberi, ut vix vitium amplius illis videatur. Oſtendit deinde graviſſimis argumentis, ebrietatem eodem loco a Deo haberi ac adulterium, ſodomiam, furtum, homicidium, & ſi qua alia ſint peccata, ad quæ adhuc homines paululum paveant. Ad hæc peſſimam eludit hominum ſententiam, qua non ebrietatem, ſed ebrioſitatem a Deo tantopere improbari putent, nec piaculare eſſe credant, cum ſodalibus ſemel aut iterum vino compotationibusq; indulgere. Sed hoc non minus ridiculum eſſe dicit, quam ſi quis a reatu ſe jactet immunem, quod non niſi ſemel aut bis adulterium commiſerit, impuro Sodomiæ crimine ſe polluerit, furto & rapinis dederit operam, aut proximi ſanguine tinxerit manus. Porro exemplis quoque paſtorum & concionatorum ebrietatis patronos ſe tueri ait, quippe qui nec magnopere temulentos taxare ſoliti ſint; & ipſi aliquando in loco inſanire dulce exiſtiment. Sed parum hanc excuſationem habere momenti ait. Nec enim vitia aliorum ſed virtutes eſſe ſectandas. Acriter præterea viros ſacro munere inſignes reprehendit, qui cum in eo ordine verſentur, in quo omnes virtutes requirantur, vitio tamen hoc maculam ſibi, ſcandalumque proximo inurant. Hos cum Juda proditore comparat, qui Apoſtolicum munus turpiſſimis flagitiis profanarit, eorumque pœnas ob datum ſcandalum eo graviores ait futuras. Denique imminentem iram divinam revocat auditoribus in animum, Turcasque flagella Dei ad puniendum hoc vitium futuros ominatur, niſi ſerio reſipiſcant. Hæc eſt elegantiſſima Weidenſeei & aurea plane de ebrietate oratio, quam Senatui civibusque Halberſtadienſibus inſcripſit. Dedicationis formula in hoc conſiſtit, ut dolere ſe dicat, quod olim Halberſtadii verſatus, cum ceteris collegis ſuis, peſſima quævis ex ignorantia docuerit. Nunc qua ratione officio ſatisfacere conetur, teſtari hunc ſermonem, quem Halberſtadienſibus duxerit dicandum, quod & inter eos eſſe ſciret, qui populari hoc vitio delectentur.

Anni Chriſti 1537. 1538.
Caroli V. Cæſ. 18. 19.
Ab. V. C. 614. 615.

PRodiit interea bulla convocationis concilii, quod Paulus III. Pontifex Articuli Smal-

caldici compositi. *Sleidan. l.11. p.214 Chytr.l.15. p. 433. Sekend.l.3 §.55.p.153. sq. Carpz. Isag. in l. Symb. p. 767. Pipping. hist. Form. Conc.*

Mantua indixerat, V. Kal. Junii hoc anno incipiendum. Ad protestantes in concilium invitandos a Cæsare Heldus legatus, a Pontifice Vorstius Nuncius mittebantur, qui jussuum herilium memores omnem dabant operam, ut conceptam de futuro Concilio suspicionem Protestantibus evellerent ex animo. Cum itaque Protestantes, quo id spectaret, facile animadverterent: hoc quoque anno Smalcaldiæ convenerunt, de rebus suis consulturi in medium. Accesserant quoque huc Lutherus, Philippus Melanchthon, aliique e Saxonia, Hassia, Svevia, Pomerania & Westphalia theologi, eo consilio in hunc congressum evocati, ut revocata sub incudem doctrina, quam adhuc fuerant professi, omnibusque maturo judicio consideratis, quid firmiter in concilio asserendum, quidve concedendum Pontifici videretur, indicarent. Cum igitur jam tum a Luthero Electoris Saxoniæ auspiciis conscripti essent articuli illi, qui hodienum Smalcaldicorum nomine inter symbolicos libros elucent, Principes æque ac Theologi adeo eos approbarunt, ut miro consensu statuerint subscribendos. Non opus est hoc loco repetere nomina, quæ etiam in vulgaribus ferme editionibus comparent: De civitatibus tantum, quæ Theologos miserant, dispiciendum videtur. Vidisses igitur hic Osiandrum, & Vitum Dietricum Norimbergenses, Geltnerum Francofurtensem, Amsdorfium Magdeburgensem, Brentium Halensem, Æpinum Hamburgensem, Joh. Amsterdamum, Bremensem, Oenikenium Mindensem, Northanum Susarensem, Langium Erfurtensem, Bucerum & Fagium Argentoratenses, Wolfhardum Augustanum, Blaurerum Constantiensem celebres omnino ac exercitatissimos Theologos, qui omnes consensum suum chirographo testati sunt. Cur Goslaria nostra, non ultima fœderatarum urbium neminem e suis submiserit Theologum, non parum fateor me mirari. Eberhardus sane Weidenseeus ad hoc munus subeundum videri poterat aptissimus, solida quippe doctrina ac pietate conspicuus. Sed erat tum ea Goslariæ nostræ facies, ut nemo terme auderet pedem porta efferre. Adeo nobiles isti, quorum paulo ante fecimus mentionem, omnia tumultuariis armis intuta reddiderant. Ceterum id constat, urbem nostram, licet nemo ejus nomine subscripserit, articulos tamen Smalcaldicos, non minus quam ceteros fœderatos recepisse ac approbasse. Ut enim alia hic omittam hujus rei testimonia, ipse illustris Sekendorfius recensitis Theologorum nominibus hæc subjicit: *Observanda hæc sunt, ne quis putet, Evangelii doctrinam nullibi tunc receptam fuisse, quam in locis, ex quibus Theologi Smalcaldiam venerant: Vigebat enim jam illa non solum in illis regionibus & urbibus, quæ in articulis aut literis hisce Spalatini nominantur, & in urbibus fœderatis, v. g. Ulma, Remlinga aliisque, quæ licet Theologos non misissent, tamen scriptis ad conventum literis de assensu suo testata erant, sed & Lubeca & in Holsatia multisque Marchia, Lusatia, deinde in inferioris Saxoniæ civitatibus, aut comitatibus itemque Friberga in Misnia de qua speciatim paulo post dicendum est.* Cetera quæ in hoc conventu acta sunt, huc non pertinent, & a Sleidano, Chytræo & Sekendorfio satis accurate sunt descripta.

Sekend.l.3 §.55.p.154

Soluto hoc conventu Smalcaldico, altero statim anno bini alii indicuntur, alter Brunsvicum, alter Isenacum in Thuringia, ut alios nonnullos omittam, a paucioribus visitatos. Præcipue tot congressuum causæ fuere Heldi legati Cæsarei consilia, qui Principes & Ordines Catholicos de fœdere pro Romanensis ecclesiæ defensione omni industria sollicitaverat, quibus & factum est, ut Carolus Imperator, Ferdinandus Rex, Albertus Cardinalis Archiepiscopus Salzburgensis, Wilhelmus & Ludovicus fratres Duces Bavariæ, Georgius Dux Saxoniæ nec non Ericus & Henricus Duces Brunsvicenses & Luneburgenses Noribergæ hoc anno in fœdus coirent, quod ob extirpationem, ut ajebant, hæreseos fœdus sanctum item den Catholischen Gegenbund appellabant. Nec parum fœderatos sollicitos reddiderant Cameræ Spirensis sententiæ, quas religionis odio a judicibus pronunciari ferebant; miraque constantia repudiabant quidam e statibus protestantium. Quamobrem omnium intererat eorum, de averruncandis hisce periculis serio deliberare. Brunsvicensis conventus post Dominicam oculi habitus omnium fuit & splendidissimus, & Principum civitatumq; accessu frequentissimus. Aderat statuto tempore Christianus Rex Daniæ ducentis & quinquaginta equitibus armatis, sexaginta equis clitellariis, viginti & septem curribus, quadraginta duobus satellitibus, prætereaque fratre suo, Duce Holsatiæ, & Duce Saxo-Lauenburgico, plurimisque Regni Senatoribus stipatus. Aderat Joannes Fridericus Elector Saxoniæ, quem præter Mauritium Ducem Saxoniæ, Ernestum Ducem Brunsvico-Luneburgicum & quinque Comites trecenti equites comitati sunt. Aderat Philippus Hassiæ Landgravius, cujus splendidissimo ejusdem cum Electore multitudinis comitatui se junxerant Legati Wurtenbergici, & Dux Brunsvico Luneburgensis Grubenhagensis. Ceteri fœderatorum Principes legationes submiserant satis splendidas, quemadmodum & Regis Angliæ, Electoris Brandenburgensis, & Ducis Juliacensis legati huc venerant. Denique & civitates non minus opes tum veluti certatim ostentabant. Legati enim Bremenses, quadraginta & unum, Hamburgenses XLII. Hildesienses XVI. Goslarienses bur-

Goslarienses interfunt conventui Brunsvicensi. *Sleid.l.12. f.330. Chytr.l.15. f.433. Sekend.l.3 §.64.f.174 Bunt. part.I. Chron.Br. f.311.sq. Spang. c. 369. Chr. Sax.p.101. Hoveus. in Ludovico germ. p.443.*

ſes XIII. Mindenſes XVIII. Hannoverani XIII. Gottingenſes XII. Eimbeccenſes XI. Magdeburgenſes XX. Auguſtani IX. Argentoratenſes XII. Ulmenſes VI. equos adduxerunt, ita ut tú MCCCCLXXXV. equos peregrinos Brunsvici fuiſſe vetus quædam notitia affirmet. Multum in hac congregatione actum fuit de repudianda jurisdictione Camerali, variantibus fœderatorum ſententiis, inter quos erant, qui dubitabant, num omnes lites, quæ tunc agitabantur ad religionem pertinerent. Quamvis autem hoc plerique affirmarent, & in cauſis quoq; civilibus & politicis forum iſthoc declinandum arbitrarentur, Goslarienſes tamen cauſæ bonitate freti, nihilque minus quam proſcriptionem metuentes Cameræ ſententiam ſe præſtolari litemque ſibi intentatam proſecuturos eſſe declarabant, magno cum detrimento ſuo, ut paulo poſt ſumus dicturi. Quo factum eſt, ut hæc quidem controverſia ad liquidum tum non perduceretur. Sed palmarium eſt, quod hoc in conventu Chriſtianus Rex Daniæ, qui jamdudum anno M.D.XXXVI. cum aliquot Principibus fœdus pepigerat; nec non Johannes Marchio Brandeburgenſis aliique quidam principes & civitates, in Smalcaldici fœderis ſocietatem, certis legibus cooptati ſunt, quas ratione Daniæ Regis integras e tabulariis Saxonicis protulit Hortlederus.

Goslariensibus ab Henrico Duce preſſis auxilia decernuntur in conventu Iſenacenſi. *Sleid. l. 12. p. 337. Sekend. l. c. p. 176. Sagittar. vit. Joh. Frid. Elect. p. 23. ſqq. Paulin. Chron. I. ſenacenſ. p. 146. ſq. Hortl. l. 7. c. 17. p. 1287 tom. 1.*

Appetente jam æſtate ſecutus eſt conventus Iſenacenſis hunc in finem dictus, ut quæ nuper Brunsvigæ expediri non potuerant, ad liquidum perducerentur. Sic actum eſt præcipue de repudiando camerali judicio, de qua re jam ſuperiore conventu Brunsvigæ fuerat decretum, ut quivis ſententiam ſuam ſcripto explicatam Electori & Landgravio intra certum tempus mitterent. Multa ejusmodi ſtatuum Proteſtantium conſilia actis ſuis inſeruit Hortlederus *: plura tamen longe in Vinarienſi archivo extare e Sekendorffio ** conſtat. Nec eſt dubium, quin & Goslaria, cujus cauſa præcipue agebatur, reſponſum ejusmodi ſubmiſerit, quod tamen fruſtra adhuc a me fuit quæſitum. Verum nec in hoc quidem Iſenacenſi congreſſu deficientibus quorundam ſuffragiis de camerali judicio plane convenit inter Proteſtantes, quemadmodum particula Receſſus Iſenacenſis ab eodem Hortledero prodita declarat. Felicius inter eos de ſubſidiis adverſus Turcam mittendis, de recipiendis in fœdus Eliſabetha Haſſiaca, nec non Halenſibus & Heilbrunnenſibus in Svevia deque bonis eccleſiaſticis in pios uſus convertendis convenit. Denique, ut Sleidani verba hic repetam, *cognitum etiam eſt ibi de cujuque querimoniis, maxime vero de Goslariensium cauſa, quos Henricus Brunsvicenſis valde premebat. Itaque decretum fuit, Brandeburgicum eſſe rogandum, ut inter alia, Cæſarus quoque mandatum in eo Rex Ferdinandus impetret, quo videlicet Brunsvicenſis actioni ſiſtere, ſe ſe cogatur. Nam alioqui talem eſſe, tamque duram & iniquam Goslariensium conditionem, ut eos in his angustiis deſerere non poſſint --- Finem habuit hic conventus, Auguſti menſis die nono.*

(*) *Hortleder. l. 7. c. 9. ſqq. tom. 1.*
(**) *Sekend. lib. 3 ſect. 17. §. 64. p. 374.*

Infauſto hoc reipublicæ tempore eccleſia tamen Goslarienſis præclare efflo- Joannes Winnigenſtadius Goslar. *Reimann. Id. Chron. Halberſt. ſec. 16. Lezner. l. 6. part. 1. Chron. Daſſel. c. 12. fol. 77. ſq. Chytr. l. 10. p. 283. l. 13. p. 401. lib. 15. p. 444. Erbenii Chron. Huxar. p. 153. ap. Paulin. Chron. Badeslab. p. 264.*

ruit, miniſtris uſa doctiſſimis, & pietate egregia conſpicuis. Eminet in his qui hoc ipſo anno Goslariam acceſſit, Joannes Winnigenſtadius, Canonicus primum regularis in monaſterio S. Johannis Halberſtad. vir apprime eruditus, qui Halberſtadii inprimis reformationem pro virili ſua parte promoverat, multasque ideo ſubierat calamitates. Cum enim ſex propemodum annos in æde S. Joannis jure docuiſſet, Alberti Cardinalis & Epiſcopi juſſu a Philippo de Meiſenbucht per totam urbem quæſitus vix per portam Huſſelingianam in Comitatum Regenſteinenſem; atque inde Goslariam evaſit, ubi cum privatus aliquandiu vixiſſet, anno M.D.XXIX. a B. Luthero Eimbeccenſibus commendatus in æde S. Jacobi Paſtoris munus obiit, quo per triennium laude geſto, Hungariam evocatus multos nactus eſt adverſarios, quibus demum anno M.D.XXXVIII. cedere coactus Goslariam rediit, Diaconus SS. Cosmæ & Damiani creatus. Nec tamen ultra biennium hic commoratus anno M.D.XL. Quedlinburgum abiit, ubi Paſtor S. Blaſii creatus viginti & novem annos docuit. Unde patet, deliquiſſe hic Chytræum, Erbenium, aliosque dum Wimenſtadium Quedlinburgo Goslariam vocatum putant. Quæ ei fata illic ſubeunda fuerint, patet inprimis ex Zachariæ Winnigſtadii, Joannis filii, Rectoris Nortshuſani carmine de patris vita exarato, ubi & hæc legas:

Süß und ſauer gelitten offt
Kein Geld noch Gut / kein Haus noch Hoff /
Kein Acker / Wieſen / kein Zinß noch Rent /
Kein Gärten / auch kein Erb erwehlt
Sein Kindern hat gelaſſen er ꝛc.

Obiit anno M. D. LIX. anno ætatis ſexageſimo nono, Quedlinburgi in æde S. Blaſiii ſepultus. Lucubrationes ejus binæ præcipue ætatem tulerunt notata digniores.

1.) Herrn Johann Winniſtets Pfarrhers zu Quedlinburg kurze Anzeig aus H. Schrifft und den Vättern / wider die ſacrilegos oder Kirchen Diebe ſeiner Zeit. Anno 1559. Hoc ſcriptum Hortlederi tomis vulgo inſertum dicitur. Et apparet ſane in indice tomo priori præmiſſo ad *lib. 5. cap. 28. p. 17.* ſed in ipſo opere omiſſum deprehendo: Idque ſtudio ne an incuria typographi factum ſit, non facile dixerim.

2.) Chronicon Epiſcoporum Halberſtadienſium. Hoc opus, quod MSC. circumfertur, nunquam nactum eſt obſtetricias manus, quarum opera in lucem prodierit, quo factum eſt, ut tam varie luxatum, interpolatum, longisque laciniis auctum appareat, ut Ariſtarcho opus videatur, qui genuina a ſuppoſititiis diſcernat. Nam ut ea hic non repetam, quæ ſingulari diſſertatione hiſtorico-critica diſcuſſit pl. rev. Jac. Frid. Reimmannus, tum Scholæ Martinianæ rector: in mea tenui librorum ſupellectile tria diverſa extant exemplaria hujus Chronici, duo Germanica, & tertium Latinum, aliquot diplomatibus illuſtratum, quorum nullum cum alteris coincidit. Ceterum compilatum eſt Chronicon hoc Winnigenſtadii ex binis codicibus MSC. quos tamen ſe abſente periiſſe conqueritur, licet ab interitu vindicati ſint a ſæpius laudato Reimmanno.

Reimmann. diſſert. de Winnigenſt. Chronico, p. 3. ſqq.

Anni Chriſti 1540. 1541.

Caroli V. Cæſ. 21. 22.

Ab. V. C. 617. 618.

ILluxit demum annus MDXL. quo nullum ferme funeſtiorem habuiſſet Goslaria, niſi fœderati Principes ac civitates Cameræ ſociæ urbi tuliſſent opem. Supra a nobis ji judicio dictum memini Goslarienſes quatuordecim abhinc annis ob dirutum monaſterium S. Georgii nec non eccleſias Montis S. Petri, S. Sepulcri & S. Johannis, flammis abſumtas ab Henrico Duce Brunſvicenſi fractæ pacis in judicio Camerali eſſe poſtulatos. Cum igitur litem hanc moleſtiſſimam D. Fridericus Reiffſtok Syndicus Goslarienſis in hunc usque annum mira prudentia ſuſtinuiſſet, neque ſuſpicio quidem ſubeſſet ulla, fore, ut Goslarienſes cauſa caderent, prodiit demum VII. Cal. Novembris feralis ſententia, qua cives fractæ pacis rei declarati ſolenni formula proſcribuntur:

Goslar. enſes in proſcription. *ad ann.* 1572. *Hortlib. tom. I. p.* 442.

IN Sachen des Land-friedbruchs / Herrn Heinrichs des jüngern / Hertzogs zu Braunſchweig vnd Lüneburg &c. Klägers / gegen Bürgermeiſter / Raht / vnd gantzer gemeinden der Stadt Goßlar / Beklagten / Nachdem die Gedachten Beklagten / das Cloſter zum Georgenberg mit jren Geſchütz / Krieges Knechten / Bürgern / vnd ihren Bürgermeiſter / Hanſen Widemann / der jnen vorgeritten mit gewapneter Hand und Wehr / überzogen / beſchädiget vnd zuletzt in Grund verbrennt / und nachgehends die Stein der Cloſter Kirchen abgebrochen / und in die Stadt Goßlar geführt: desgleichen auch die Stifft Kirchen des Petersbergs / und die Kirchen zum heiligen Grabe / zu ſampt beiderſeits umbliegenden Gebäuwen und Häuſern / darzu die Kirchen auf den Rammelsberg auch beſchädiget / mit den Feuwer angezündet / und verbrennt / vnd auch denn bey nächtlicher weile und Zeit die Stadt Goßlar geöffnet / und in zwo Schmeltz-Hütten gefallen / etliche Hütten Knecht und arbeiter zum theil auff die Schmeltz-öffen geworffen / verbrennt und zum theil zu Todt geſchlagen / darzu etliche andere härtiglichen verwund / &c. Wie dan ſolches die geübte Gerichtshandlungen weiters ausweiſen / alles gemeinen Rechten / des heiligen Reichs Reformation / Ordnungen / und ausgekündten Landfrieden zuwieder / darzu keine erhebliche Urſachen / warum ſie in die pœn des Landfriedens nicht erkläret werden ſollen / in Recht fürbracht:

So iſt hierauff und allen fürbringen nach / zu Recht erkennet / daß ſie auff und um angeregter ihres begangen / eigen / gewaltigen / freffentlichen und thätlichen Handlungen willen / in Römiſcher Keyſerl. Maj. und des heiligen Reichs Acht erkennt / erklärt und denunciret werden ſollen / die wir auch alſo in Römiſcher Keyſerlicher Majeſtät / und des Reichs Acht ſprechen / erklären / und darüber nottürfftig proceß erkennen / auff welchs und alſobald nach eröffnung und verleſen jetzt obgeſchriebener Urtheil / der vorgemeldt unſers Keyſerlichen Cammerrichters / Amptsverweſer / die gedachten Bürgermeiſter / Raht / und gantze Gemeinde der Stadt Goßlar / des Reichs herkommen und Gebrauch nach / unter den offen Himmel / als offenbare Echter und Landfriedbrecher öffentlich denuncirt / ausgeruffen / verkündet / Sie auch aus dem fried in Unfrieden geſetzt / auch ire Leib / Haab und Güter / vorgemeldten unſern Oheim dem Kläger / und ſonſt allermänniglich erlaubt hat.

Urkund diß Brieffs beſiegelt mit unſerm Keyſerlichen anhangenden Inſiegel / und geben in unſer und des Reichs Stadt Speier / am fünffundzwantzigſten Tag des Monats Octobris / nach Chriſti unſers lieben HErrn Geburt

Geburt funffzehen hundert/ und in dem viertzigſten/ unſerer Reich des Römiſchen im zwey und zwantzigſten/ und der andern aller in fünff und zwantzigſten Jahren.

Ad mandatum domini
Imperatoris ſſz.

Caſpar Hamerſtetter/ *Iudicii Cameræ Imperialis protonatorius*, ſſz.

Hortled. l. c. p. 443.

Sententia hæc ſeveriſſima exequenda commiſſa eſt Henrico Duci Brunſvicenſi, inimico urbis acerrimo, hoc quippe expedito edicto Cæſareo, quod integrum ex Hortledero proferemus:

WIr Karll der Fünfft von Gottes Gnaden Römiſcher Keyſer/ zu allen Zeiten mehrer des Reichs etc. In Germanien/ zu Hiſpanien/ beyder Sicilien/ Hieruſalem/ Hungern/ Dalmatien/ Croatien etc. König/ Ertz Hertzog zu Oeſterreich/ Hertzog zu Burgund/ etc. Graffe zu Habſpurg/ Flandern und Tyroll/ etc. Embieten den Hochwirdigen/ Ehrwirdigen/ Hochgebornen/ Ehrſamen/ Wolgebornen/ Edlen/ allen und jeden unſern und des Reichs Churfürſten/ Fürſten/ Geiſtlichen und Weltlichen/ Prelaten/ Graffen/ Freyen/ Herren/ Rittern/ Knechten/ Hauptleuten/ Vitzthumben/ Vögten/ Pflegern/ Verweſern/ Amptleuten/ Burggraffen/ Baumeiſtern/ Gemeinern/ Schultheiſſen/ Scheffen/ Bürgermeiſtern/ Richtern/ Rähten/ Gemeinden/ Bürgern/ und ſonſt allen andern unſern und des Reichs und unſern erblichen Fürſtenthumben und Landen/ Unterthanen und Getreuen/ was Wirdes/ Standts oder Weſens die ſeindt/ unſer Freundſchafft/ Gnad und alles Gut. Hochwirdigen/ Ehrwirdigen/ Hochgebornen/ Ehrſamen/ Wolgebornen/ Edlen/ lieben Freunde/ Neven/ Oheimen/ Churfürſten/ Fürſten/ Andächtigen/ und Getrewen. Nachdem Bürgermeiſter/ Rahte/ und gantze Gemeinde der Stadt Goßlar/ das Cloſter zum Georgenberg mit jrem Geſchütz/ Kriegs Knechten/ Bürgern/ und ihrem Burgermeiſter/ Hanſen Weidemann/ der ihnen vorgeritten/ mit gewapneter Hand und Wehre überzogen/ beſchädiget/ zuletzt in den Grund verbrennt/ und nachgehends die Stem der Cloſterkirchen abgebrochen/ in die Stadt Goßlar geführt/ desgleichen auch die Stifft Kirchen des Petersbergs/ und die Kirchen zum heiligen Grabe/ zu ſampt beiderſeits umbliegenden Gebäwen und Häuſern/ darzu die Kirchen auf dem Rammelsberg auch beſchädiget/ mit dem Feuer angezündet/ verbrennt/ und denn auch bei nächtlicher Weile und Zeit die Stadt Goßlar geöffnet/ in zwo Schmeltzhütten gefallen/ etliche Hüttenknecht und Arbeiter/ zum theil auf die Schmeltz-Offen geworffen/ verbrennt/ und zum theil zu tode geſchlagen/ darzu etzliche andere härtiglichen verwundet etc. Alles gemeinen Rechten/ des heiligen Reichs Reformation/ Ordnungen/ und aus gekündten Landfrieden zuwider/ darzu kein erhebliche Urſachen/ warumb Sie in die Peen des Landfriedens nicht erklärt werden ſollen/ bey unſern Keyſerlichen Cammergericht/ in recht fürgebracht. So iſt am jetzt gemeldtem unſern Cammergericht/ hierauff und Rechtliche Klag/ Handlung und Anruffen des Hochgebornen Heinrichs/ Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg etc. unſers lieben Oheimbs und Fürſten/ nach vorgehaltenem ordentlichen/ gerichtlichen *Proceß* und allen Fürbringen/ gegen ihnen urtheil ergangen/ darmit ſie dieſelben Bürgermeiſter/ Rathe und gantze Gemeinde der Stadt Goßlar/ auf und umb angeregter ihrer begangen eigengewaltigen/ freventlichen und thätlichen Handlungen willen/ in unſer und des heiligen Reichs Acht geſprochen/ erkennt/ erklärt/ Auch des Reichs Herkommen und Gebrauch nach/ unter offem Himmel/ früh/ und als ſolche unſere und des Reichs offenbare Echter/ offentlich denunciirt/ ausgeruffen/ aus dem Frieden in Unfrieden geſetzt/ und ire Leib/ Haab und Güter/ gedachten unſern Oheimb/ Hertzog Heinrichen Klägern/ auch ſonſt aller männiglich erlaubt. Und ferner ihme jetzt gemelten unſern Oheim/ darneben auch den Ehrſamen/ gelehrten/ unſern und des Reichs lieben getrewen Wolffgangen Weidner/ Der Rechten Doctorn/ unſer Keyſerlichen Kammer-

procurator / Fiscaln / Ampts und seines Interesse halben / auff sein sonderlich deshalb beschehen Bitt und Anruffen / dieser unser Keyserlicher Denunciation / Gebottsbrieff / darüber erkent und mitgetheilet worden / wie denn die Gerichts Acten und Handlnugen darüber geübt und beschrieben / das alles klärlich ausweisen.

Darumb vnd darmit nun gemeldte Bürgermeister / Rahte / und gantze Gemeinde der Sadt Goßlar / umb solche jhr begangen eigen gewaltige Landfriedbrüchige That und Handlungen gestrafft werden / So verkönden / denunciiren vnd offenbahren wir dieselben Bürgermeister / Rahte / und gantze Gemeinde der Stadt Goßlar / mit diesem unserm Keyserlichen offen Brieffe / oder gläubwürdiger Abschrifft darvon / für vnd als solche vnsere und des Reichs offenbare / erkennte / erklärten / verurheilten Landfriedbrecher und Echter.

Und gebieten darauff Euwern Freundschafften / Lieben / Andachten und Euch / von Rom. Keys. Macht / auch Gerichts und Rechts wegen / hiemit ernstlich / und wöllen / daß ihr sie / die vorgenennten Burgermeister / Rahte vnd gantze Gemeinde / für / und als solche unsere und des Reichs offenbare Landfriedbrecher und Echtere / fürohin haltet und meidet / in unserm erblichen / oder Ewern und des Reichs Fürstenthumben / Landschafften / Grafschafften / Herrschafften / Gebieten / Gerichten / Schlössern / Städten / Märckten / Dörffern / Höfen / Häusern oder Behausungen / nicht eynlassent / hauset / höfet / etzet / trancket / enthaltet / leidet oder geduldet / fürschiebt / durchschleiffendt / schützet / schirmet / begleitet / oder sonst einigerlei Gemeinschafft mit jnen habet / noch solches alles und jedes zu thun / den Euweren befehlet / oder gestattet / weder heimlich noch offentlich / in keinerley Weise / wege oder schein. Sondern jrer aller Leib / Haab und Güter / wo ihr die auf Wasser oder Land betrettet / erfahret oder findet / angreiffet / niederleget / bekömmert / arrestirt und verhefftet / Auch fürderlichs Rechtens darumb verhelffent / und sonderlich den vorgemelten unserm Oheimen und Fürsten / Hertzog Heinrichen / und unsern Keyserlichen Cammer-procurator, Fiscaln / oder andern von jren wegen / solches alles und jedes zu thun gestattet / vergönnet / Auch so offt jr darum / durch sie mit diesem unserm offen Brieffe / oder glaubwirdiger Abschrifft darvon ersucht werdet / von vnser vnd des Reichswegen / zu solchem / Euwer getreuw Beystand / Hilff / Fürschub und Förderung thut / jhnen auch darinn keinerley Verhinderung oder Irrung zufüget. Also daß hierinn euwer keiner auf den andern verziehe / oder Entschüldigung suche / sondern in allwege gegen gedachten erklärten Echtern und Landfriedbrechern handelt und fürnehmet / wie sich das gegen solchen Echtern gebürt / So lange biß sie / die Echter / gebührliche Straffe jrer Verhandlung erlangt / oder sonst zu unser und des Reichs Gehorsame bracht / und von berührter Acht (wie Recht) wiederumb absolviert vnd geledigt würden / vnd Euch in dem allem vnd jeden nicht anderst erzeigt oder haltet / als lieb Euch und Euwer jedem sey nachbemelte Peen / Auch andere vnser vnd des Reichs schweren Ungnaden / Straffen und Bussen zu vermeiden. Daran thun euwer Freundschafften / Lieben / Andachten und Jhr / vnser ernstliche Meinung. Wann wir setzen / mennen und wollen / von obberürter unser Keyserlichen Macht / was also an der vielgemelten Bürgermeister / Rahts / und gantzer Gemeinden / Leiben / Haaben und Gütern fürgenommen und gehandelt würdet / daß dadurch wider uns / das heilig Römisch Reich / noch jemands andern / mit nichten gefreffelt / verhandelt oder verwirckt seyn / noch darfür gehalten werden soll / Auch dieselben Echtere darwider nicht schützen / schirmen / freyen oder fürtragen / einig Gnad / Freyheit / Tröstung / Gleit / Sicherheit / Land oder Burgfriede / Bündnüß / Vereinigung / Burg oder Stadt Recht / so von uns / unsern Vorfahrn / am Reich / Römischen Keysern / Königen / oder andern Herrschafften / oder Obrigkeiten / Euch oder jhnen gemeinlich oder sonderlich gegeben / oder bestättiget weren / oder noch würden / Auch keinerlei Gewohnheit / Brauch oder alt Herkommen / noch sonst alles anders / daß ihnen hierinn zu hilff / steuer und statten kommen solt oder möchte. Wenn wir sie / die gedachten Echtere / in dem allem / als desselben unempfänglich ausgeschlossen / und darinn

nicht

nicht begriffen haben wollen. Welcher aber / oder welche / dieſem unſerm Gebott ungehorſam / und freffentlich darwider thun würden / in was ſcheine das beſchehe / der oder dieſelben ſollen alsdann als jetzt / und jetzund / als dann / darmit in unſer und des Reichs Acht / und ſonſt ander ſchwere Pönen verfallen ſeyn / und gegen dem / oder denſelben als Echtern und Ungehorſamen auch gehandelt werden. Darnach wiſſen ſich euwere Freundſchafften / Lieben / Andachten und Ihr Euch zu richten. Geben in vnſer und des Reichs Stadt Speier / am fünff und zwantzigſten Tage des Monats Octobris / Nach Chriſti unſers HERRN Geburt fünffzehen hundert / und im viertzigſten / vnſerer Reiche deß Römiſchen im zwey und zwantzigſten und der andern aller im fünffund zwantzigſten Jahren.

Ad mandatum domini Imperatoris proprium

Caſpar Hamerſtetter / Judicii Cameræ Imperialis protonotarius, ſſzt.

Proteſtantiú hancob remſolli citudo. *Chron. MSC. Gosl.*

Præterea miſſi ſunt Goslariam feciales Cæſarei, qui proſcriptionis ſententiam ſub dio, more ſolito, pronunciabant, tanto civium terrore, ut nemo porta egredi auderet, nec quicquam rerum eſculentarum in urbem inferretur usque ad dominicam Jubilate anni ſequentis. Quis pavor ubique fuerit, quæ trepidatio, facilius eſt cogitatione, quam verbis aſſequi. Imminebat urbi Henricus Dux Brunſvicenſis copias jam contrahens, quibus eam ſub ſuam redigeret poteſtatem. Proteſtantes, veriti ne Principes, qui nuper fœderi Noribergenſi nomen dederant, arrepta hac occaſione arma ſumerent, & ipſi non parum videbantur tam inſperata ſententia perculſi. Denique & id ſuberat periculi, ne ceteræ quoque civitates fœderatæ a Smalcaldico fœdere deciſcerent, niſi ſociæ huic urbi ſubſidio veniretur. Publicum hunc dolorem e Goslarienſium fato inclementiore ſuſceptum Philippus quoque Melanchthon non tacuit. Ita enim ad Camerarium ſcribit in quadam epiſtola: *Edita eſt his diebus proſcriptio adverſus Goslariam, quâ palam rurſus nobis bellum indicitur.* Nec minus ſociæ civitatis miſertus eſt Philippus Haſſiæ Landgravius, qui ſe adverſus Henricum Ducem Brunſvicenſem tum maxime commotum eſſe ferebat. Id quod iterum obſervat Philippus Melanchthon ad eundem Camerarium anno MDXLII. ita ſcribens: *Mihi crede, Macedo* (ita vocat Philippum Haſſiæ Landgravium) *diutius querelas Goslarienſium ſuſtinere non potuit, eâque una re ſe incendi dixit.* Inprimis vero id Proteſtantium animos non parum turbaverat, quod in Conventu Wormatienſi, quo ad abolenda in religione diſſidia fuerant evocati, rigida hæc proſcriptionis ſententia in ſuam, ut interpretabantur, contumeliam Wormatiæ quoque affigeretur.

Melanchthon. in ep ad Camerar.

Sekend. l. 3. § 80. p. 296.

Proteſtantium varia conſilia de juvandis Goslarienſibus.

Quamvis autem vicem Goslarienſium omnes dum dolerent, qui evangelii doctrinam profitebantur, tantum tamen abeſt, ut quisquam armis nobis ſubvenire auſus ſit, ut omnes pene proſcriptorum cauſam ſuſcipere dubitarint. Satis aperte conſilia hæc Principum cœperunt elucere, cum d. XIX. Novembris fœderati Numburgum convocarentur, de propulſanda a ſociis vi ſerio deliberaturi. Quam difficilis enim tum fuit rerum tractatio? Alii abſentiam legatorum ſuorum literis excuſabant, veluti Duces Pomeraniæ & Joannes Brandenburgenſis; Landgravius tardius legatos mittebat, in Henrico etiam Duce Saxoniæ, quanquam legatos ad conventum deſtinaverat, parum erat præſidii, legatis quippe ad nullam rem inſtructis, nec quicquam decernere auſis, immo aperte dubitare ſe profeſſis, an Goslarienſium & Brunſvicenſium cauſa ad religionem pertineret. Cum tamen præſentiſſimum ſociis hiſce civitatibus periculum immineret, decretum tandem fuit auxilium CCCC. equitum & mille peditum Duce Bernhardo a Milla Brunſvicenſibus ſubmittendum cum ſecretis mandatis, ut Goslarienſium quoque rationem haberent. Denique de hoc inter omnes convenit, ut futuris, quæ inſtabant, comitiis, uno omnes ore de cameralis judicii proceſſibus conquererentur. Interea in his anguſtiis conſilio ac pecunia Goslarienſibus non deerant fœderati, tot præterea precibus urgentes Cæſarem, ut proſcriptionem ſuſpenderet demum ac Henricum a vi ac armis abſtinere juberet.

Sekend. l. 3. § 80. p. 296.

Chytr. l. 15 Sax. p. 452.

Proſcriptionis ſententia ſuſpenditur.

Factum id eſt anno ſequente, cum enim ad comitia Ratisbonenſia properaret Imperator, bellumque jam prævideret erupturum, ſi Henricus Goslarienſes bello aperto aggrederetur, in itinere per Metenſem tractum Spiram verſus inſtituto, cameralem hanc ſententiam, cum adverſus Mindenſes, tum Goslarienſes quoque pronunciatam ſuſpendit, adjecto ſimul interdicto, ne quis has civitates armis audeat turbare. Præclarum eſt hoc Cæſaris edictum, & vel ideo nobis e Goldaſto, & Hortledero proferendum, quod cauſæ hujus ſuſpenſionis accurate inprimis in illo commemorantur, quas ab Henrico Duce

Sekend. l. c. § 86. p. 352. Hortled. l. 4. c. 38. tom. 1. p. 783. Gold. part. 1. Conſtit. Imp. Alcl at. reſp.

l. 5. Consil. 132. Duce Brunsvicensi impugnatas egregio te summus. En itaqne diploma hoc Cæsareum: consilio defendit Alciatus, JCtus ista æta-

WIr Carol der fünfft/ von Gotts Gnaden/ Römischer Kayser/ zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ in Germanien/ zu Hispanien/ beyder Sicilien/ Jerusalem/ Hungern/ Dalmatien/ Croatien ꝛc. König/ Ertz-Hertzog in Osstrich/ Hertzog zu Burgundi etc. Graffe zu Habsburg/ Flandern und Tyrol ꝛc. Thun kundt allermänniglich/ nachdem Wir ie und allwege geneigt/ alles das zu Ehre/ Nutz/ und Wolfarth des Heyligen Römischen Reichs Teutscher Nation/ dienlich und ersprießlich seyn mag/ unsers höchsten Fleiß und Vermügens zufodern/ vnd in das Werck zu brengen/ und derehalber aus solcher gnädiger Meynung/ auch andern treflichen und beweglichen Ursachen/ und sonderlich damit dir Irrunge und Zwiespalt unsers heil. Christlichen Glaubens und das beschwerliche Mißvertrauen/ so derhalben zwischen gemeinen Ständen des heiligen Reichs eingerissen/ mit zeitigem guten Raht und vorbetrachten verglichen und hingelegt/ Friede/ Ruhe und Einigkeit im heyligen Reich gepflantzet/ und in andern desselben mercklichem obliegen die Notturfft gehandelt und fürgenommen werden möge/ einen gemeinen Reichstag in unser und des Reichsstadt Regenspurg angesetzet/ und ausgeschrieben/ und den in eigener Person in allwege zu besuchen fürgenommen/ des gnädigen Gemüts/ Willens und Meynunge mit Verleihung des Allmächtigen/ auch zeitlichen Rath/ und thun unsers freundlichen lieben Bruders des Römischen Königes/ und anderer unserer/ und des Reichs Churfürsten/ Fürsten und Stände solche Zwiespaltung unsers Christlichen Glaubens/ und das Mißtrauen/ so daraus erwachsen ist/ endlich hinzulegen/ und Friede und Einigkeit im heyligen Reich in diesen und andern obliegen zumachen/ aufzurichten/ beschliessen und zuhalten.

Nachdem sich aber bißher unter dem Schein der Religion/ allerley Irrung und Mißverstand zugetragen/ und sonderlich der Kirchen-Güter und anderer Sachen halben/ so für Religions-Sachen/ oder als derselben anhengig/ oder daraus fliessend angezogen werden/ dadurch etliche Partheyen an unserm Käys. Cammer-Gericht und anderswo in Rechtsfertigung kommen/ dero eins Theils noch in hangenden Rechten schwebend/ und eins Theils entscheiden/ auch etliche Partheyen/ als mit Namen Goslar und Minden/ inn unser und des Reichs-Acht erkennet/ und denunciiret seyn/ und wiewol wir uns vermöge unser und des Reichs Ordnung schuldig erkennen/ dem Rechten seinen gestracken Lauff zu lassen/ auch männiglich gebürlich Rechtens zuverhelffen/ und daß auch gnädiglich geneigt seyn:

Nichts destoweniger/ dieweil für augen/ und sich scheinbarlich erzeigt/ wo mittler Zeit unsers angesetzten Reichstags zu würcklicher Vollnziehung der berührten Acht und Processen mit der That fürgeschritten werden solte/ daß mercklicher beschwerlicher Unrath und weiterung/ Krieg und Blutvergiessen im Heyl. Reich gewißlich draus erfolgen/ Vnd der mehrer Theil der Stände und fürnembsten Glieder des Reichs/ ohn welcher zuthun auf gedachten unserm Reichstag zu Beschluß der Handlung beschwehrlich mag gegriffen werden/ sich durch solche würckliche Execution der Acht und Urtheil oder aus Fürsorge der Gegenwehr und Uberfallens/ oder in andere wege unter dem Schein der hangenden Rechtfertigung anheims halten/ wie sich deß derselben etliche allbereit vernemen lassen/ in diesem Fall/ ihrer und und Ihrer Mitverwandten Notturfft nach in Gegenrüstung zustellen/ und der Defension zu erwarten/ daraus zu letzt nicht anders folgen/ dann daß unser angesatzter Reichstag seinen Fürgang nicht gewinnen/ und also die Religion, und andere notwendige Sachen/ daran gemeiner Christenheit/ und insonderheit dem Heyligen Reich Teutscher Nation zum höchsten gelegen ist/ dadurch verhindert und zuschlagen würden.

Damit nu solches alles/ auch vorstehender beschwerlicher Unrath und Nachtheil fürkommen/ und abgewendt werden möge/ so erheischt die hohe Notturffte/ daß die obberürt würckliche Execution der ergangenen Acht vnd sentenz, sampt angezogenen Processen an unserm Käy. Cammergericht dißmals angestellet werden/ Und dem allen nach so haben Wir aus oberzehlten auch andern trefflichen Ursachen mit wohlbedachtem Muthe/ gutem zeitlichem

chem rathe/ und genugsamer Bericht etlicher vnser und des Reichs Gehorsamen fürnemlichen Fürsten Christlichs und weltlichs Stands/ auch rechter wissen und von Römischer Käy. Macht / Vollkommenheit / alle Würckung der oben geregten Acht/ so wider die Städte Goßlar und Minden/ an unserm Käy. Cammergericht / als vorbemelt ist / ergangen / desgleichen aller ander Proceß/ die Religion Sach belangend / oder unter dem Schein der Religion als davon herrürend oder darausfliessend/ vor unserm Käy. Cammergericht schwebend/ biß auf berürten unsern angesetzten Reichstag/ vnd so lang / daß ein anders verordnet würdet / suspendirt und ausgestellet / nnd thun das hiemit wissentlich / aus obberürter Röm. Kay. Macht / Vollkommenheit in Krafft dieß Brieffes.

Doch dieser Gestalt / dieweil solch unser Suspension unnd Anstellung aus obberürten würcklichen Ursachen zu gemeinem der Christenheit und des Reichs und aller Stände Nutz und Guten / und zu verhüten unwiderbringlichs Schadens und nachtheils / auch Kriege Empörung im Heyligen Reich zuvorkommen / beschiecht // daß dieselbe Anstellung und Suspension unserer und des Reichs Ordnung/ auch sonst den Partheyen an ihren Rechten / Gerechtigkeiten / und Interesse gäntzlich unvergreiffenlich / und ohn allen Schaden / Nachtheil und Abbruch seyn / und soll auch mittler Zeit dieses anstandes keine Newerung noch einig anders gewaltsame thätliche Handlung weder in der Religion noch andern Sachen halben von jemands fürgenommen noch gestattet werden / in gar keine Weise / sondern ein jeder soll unsern und des Reichs gemeinen Landfrieden treulich geleben / und halten/ und jemand darwieder nicht beschweren.

Und wir gebieten hierauff allen und jeglichen Churfürsten / Fürsten Geistlichen und Weltlichen / Prelaten / Graffen / Freyen / Herrn / Rittern / Knechten / Hauptleuthen / Landvogten / Vitzthumben / Vogten / Pflegern / Vorwesern / Amptleuthen / Schultheisen / Bürgermeistern / Richtern / Räthen / Bürgern / Gemeinden und sonst allen andern unsern und des Reichs Unterthanen und getrewen / was Stands Würdens oder Wesens die seyn / und sonderlich unsern Käy. Cammergericht / Amptsverwaltern und Beysitzern unsers Kay Cammergerichts in Heyl. Reich. Auch allen und jeden Partheyen / so obberürter Sachen halber an Unserm Kay. Cammergericht in Rechtfertigung stünden / oder Acht oder anders Urtheil erlanget hätten / als obstehet / desgleichen auch allen Executorn derselben Acht und Urtheil hiemit ernstlich und wollen / daß sie solche Execution rechtfertigung und processe bis auf nechstkünfftigen Unsern Reichstag / und solang / bis ein anders verordnet wirdet / im stillstand stellen / und gäntzlich beruhen lassen / und sich aller Newerung / Beschwerung / und thatlicher gewaltsamen Handlunge / es sey in der Religion oder andern Sachen / als obstehet gäntzlich enthalten / und herwieder nicht thun / noch jemands anders zu thun verstätten / in keine Weise / bey Vermeydung unserer schweren Ungnade und Straff. Das ist unser ernstlicher Will und Meynunge. Geben unter unserm auffgedruckten Insigel in und des Reichs Statt Speyer / am acht und zwentzigsten Tag des Monats Januarii / Anno &c. im ein und viertzigsten / Unsers Käyserthumbs in ein und zwentzigsten / und unser Reich im sechs und zwentzigsten.

Carolus. Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Maj. proprium
Obern Bürger.

Suspensio hæc in comitiis Ratisbonensibus confirmata. *Hortl. l. 1. c. 37. p. 199. sq. Tom. 1.*

Interea Ratisbonensia quoque comitia processere, ipsis Nonis Aprilis inchoata, in quibus & nomine civitatis nostræ, accepto jam denuo commeatu, comparuere, Johannes Hardt ac Bertoldus Achtermann, Senatores Goslarienses. Nihil hic agebat Cæsar, ex quo non mira pacis cupiditas eluceret. Delecti utrinque theologi celebriores, & quidem è Pontificiis Eccius & Gropperus, è Protestantibus Melanchthon Bucerus & Pistorius, quibus datum negotium, ut librum quendum a Granvellano oblatum velut conciliationi promovendæ idoneum æqua lance ponderarent, & quo demum pacto concordia restitui posse videretur, accurate expenderent. Quem librum cum neutra pars satis probaret, aliasque subinde moras objiceret Contrarenus, legatus Pontificis, Cæsar pertæsus colloquiorum, de. creto d. XXVIII. Julii edito, totum religionis negotium ad futurum concilium *Paul. Sarp. l. 1. de concil. Trid. p. 101. Sekend l. 3. §. 80. sq. Sleidan. l. 13. p. 378. Chron. Gosl. MSC.*

distu-

diſtulit. Quamvis autem Granvellano & Contareno machinantibus receſſus demum prodiret ſatis acerbus, Cæſar tamen, qua erat clementia, Proteſtantium rogatu ſingula decreta tam luculenter explicavit, ut parum ſupereſſet ſuſpicionis. Quemadmodum & Goslarienſium proſcriptionem denuo a ſe ſuſpenſam declaravit: Es ſoll auch in dieſem unſerm abſchiede die Goslariſche Acht unter dem Artickel von den Achten meldende verſtanden werden. Ut adeo nullus videretur metus ex hac proſcriptione ſupereſſe.

Hordled. l.4.c.38. p.784. Sleid.l.13. p.389. Sekend.l.c

Henricꝰ Dux Goslariam premere pergit. *Hordled. l.4.c.46. p.903. & c.25.p. 778.tom.1.*

Verum ægre admodum ferebat Henricus Dux Brunſvicenſis proſcriptionis ſententiam tot annorum labore ac ſumtibus impetratam Cæſaris edicto eſſe ſuſpenſam. Hinc non modo Cæſarem ſententiis Cameralibus intercedere poſſe negabat, verum etiam omnem dabat operam, ut urbe, quam proxime potiretur. Extat apud Hortlederum ingens injuriarum catalogus, quibus Goslarienſes jam inde a ſuſpenſa proſcriptione ſe affectos queruntur, cujus titulus ita ſe habet: Henrichs/ der ſich nennet den Jüngern von Braunſchw. thätlich Zugriff und Vergewaltigung nach der erſten Käyſerl. Majeſtät Suſpenſion gegen der Stadt Goslar und den ihren fürgenommen. In hoc ſcripto paulo poſt in publicis Imperii comitiis prolato, Cives extra mœnia progreſſos verberibus a Ducis militibus exceptos, terminos Civitatis violatos, urbemque omni commeatu prohibitam ajunt, annotatis, quæ ſingulis diebus paſſi ſint. Verum cum Dux hæc partim negaret, partim excuſaret, miſſus Goslariam a Cæſare Chriſtophorus de Seisnek, Baro de Weſſenau, ut, quid ab Henrico ageretur, numque ſuſpenſionis decreto ſatisfiat coram exploraret. Qui quamvis Henricum Ducem ſerio ad quietem adhortaretur, vix tamen impetravit, ut ab armis abſtineret.

Annus Chriſti 1542.
Caroli V. Cæſ. 23.
Ab. V. C. 619.

Proſcriptio Goslarienſis in Spirenſibus quoque eomitiis ſuſpenſa *Sekend.l.3 c.94.p383 Hortled. l.4.c.45. p.779 ſq.*

In eunte proximo anno Spiram ad Comitia evocantur Imperii ordines, ibi de reprimenda Turcarum ferocia litibusque componendis conſulturi in medium. Acceſſerat eo Cæſaris nomine Ferdinandus Romanorum Rex, ceteri Principes plerique legatos miſerant, ampliſſimis mandatis inſtructos. Actum in hoc Principum congreſſu præcipue de auxiliis contra Turcam ſubmittendis, quæ ſatis liberaliter offerebant Evangelici, ſi de evangelica religione in caſtris toleranda ipſis cautum eſſet. Atque hæc quidem Proteſtantium humanitas Ferdinandum adeo flexit, ut nihil omitteret, quod gratum iis videretur futurum. Hinc non modo pacem ab utraque parte ſervandam ſevero edicto ſancivit; verum etiam inſtitium camerali judicio indixit tantiſper, dum ſequente menſe Junio a Moguntino & Saxone Electoribus, Epiſcopo Wurzburgenſi, Georgio, Marchione Brandeburgenſi, Martino Comite Oettingenſi, & Senatu Auguſtano viſitatio & reformatio hujus judicii inſtitueretur. Nec minus declarationem ſingularem Evangelicis dedit, qua confirmata declaratione fratris nuper Ratisbonæ data, & in quinquennium valitura, Cameræ reformationem denuo pollicitus eſt, quæ niſi procederet, evangelicis fas eſſet, judicium iſtud declinare. Denique proſcriptionem quoque Goslarienſem & ipſe ſuſpendit edito præclaro diplomate, ab Hortledero prolato, quo ſuſpenſionem interea abſolutionis vim habituram profeſſus eſt, ſerioque interdixit Henrico Duci ne quid adverſus civitatem moliri auderet, daturum ſe operam pollicitus, ut lites tum inter Henricum & civitatem, tum inter eundem & Proteſtantes enatæ ex æquo bonoque componantur. Nec minus ſollicite ab Evangelicis de Goslarienſium cauſa Spiræ tractatum eſt, inito congreſſu particulari, in quo ſuppetias Goslarienſibus mittendas decretum eſt niſi Henricus Dux a propoſito ſe pateretur abduci.

Legati Cæſarei litestuſtra componere nituntur *Hortled. l.c.p.779. 785 & 792*

Solutis comitiis, in has regiones Cæſaris nomine acceſſerunt Eberhardus de Freyberg eques, & Johannes Knoller, J. V. D. eo conſilio, ut utraque parte evocata Cæſaris edictum denuo promulgarent, darentque operam, ut res ex æquo bonoque componeretur. Coram his Henricus Dux, ſi actis Hortlederianis ſtandum, initio tergiverſari, mox decretum Ratisbonenſe vocare id dubium, denique & ſuſpenſionem ſententiæ Cameralis vellicare cœpit, aperte profeſſus, ſe conſulturum rebus ſuis, proſcriptionemque poſt tot annorum lites pronunciatam ſtrenue executurum. Quo factum eſt, ut Goslarienſes cum exceptione ſua, quæ itidem Hortlederi Collectioni inſerta eſt, parum proficerent & d. XXIV. Maji interpoſita ſolenni proteſtationis formula caverent, ſi forte ea inciderent tempora, ut moderamine inculpatæ tutelæ uti adverſus Ducem oporteret, non ſe fractæ pacis publicæ reos videri velle.

Henricꝰ Dux Brunſv. ditionibus exuitur. *Sleidan.l. 14.p.410. Chytr.l.15. Sax.p. Phil.Mo- lanchc. epiſt.ad Camerar.*

Denique cum omnis ſpes retinendæ pacis ac concordiæ evaneſceret, nec parum ſubeſſet periculi, ne auctis ſubindeodiis res in ferales flammas erumperet, ſtatuerunt demum fœderis Smalcaldici Principes, providere ne quid Henricus in communis cauſæ perniciem moliatur. Cum itaque Goslarienſes aſſidue conquererentur, ad incitas ſe redigi, nec procul abeſſe a deditione niſi celeri auxilio ſubleventur: adactos ſe exiſtimabant Elector & Landgravius ut periculum a ſe ſociisque averterent. Copiis ergo, quam poterant celerrime conſcriptis cum lectis.

Gennep. l.4.ad ann.42. Hortenſ. l.1.de bell. Germ. p.450.ap. Schard. Bunting. part.1.Chr Br p.314. Sekend. l.3 §.55. p.386 Hortled. l.4.c.39. ſeq.

lectiſſimo, quatuor equitum millium & quinquaginta millium peditum exercitu per Haſſiam in Ducatum Brunſvicenſem irrúperunt, tamque feliciter rem geſſerunt, ut Henricus Dux citius ferme ſe victum, quam bello petitum ſentiret. Agebantur hæc menſe Junio, priusquam comitia Norimbergenſia in ſequentem menſem indicta procederent. Simul ac igitur de hac expeditione & Henrici fuga fama increbuit, ægre id admodum tulit Rex Ferdinandus, veritus, ne tam inſperato bello pax publica turbaretur. Hinc exploratis primum per Schwarzenbergiú Principum animis ſimul ac Norimbergam venerat, de communi procerum ſententia legatos in caſtra miſit, cum mandatis ut proteſtantes a bello ſerio dehortarentur. Quorum hæc fuit orationis ſumma, ne armis rem gerant, his præſertim tam turbulentis reipublicæ temporibus, alioquin eſſe periculum, ne impedito bello Turcico, civile non ſine ſumo reipublicæ detrimento excitetur in Germania. Interea hi omnes arces ac oppida ſub ſuam redegerant poteſtatem, præter Steinbruccam & Guelpherbytum, egregium propugnaculum, quod Henricus cum Carolo Victore filio in Bavariam diſcedens, copioſo, dummodo ſatis forti præſidio munitum reliquerat, dato ſimul archiſtrategis negotio, ut arcem quam poſſent, diutiſſime defenderent, ſe celerrime cum ſuppetiis adfuturum pollicitus. Vix igitur in conſpectu hujus arcis caſtra explicaverant proteſtantes, cú legati advenirent, omniaque tentarent, quibus proteſtantes a bello abduci poſſe viderentur. Reſpondent Principes, nihil ſibi futurum fuiſſe jucundius, quam ſi ab hoc ſumtuoſo bello abſtinere licuiſſet. Sed eo demum rem Henrici Ducis conſiliis rediiſſe, ut armis expedienda ſolum videatur. Nulli mortalium ſe intentare bellum, niſi Henrico, nec cujusquam fortunas ullo moleſtiarum genere turbaturos: immo paratos ſefore omnem exercitum aut dimittere, aut contrá Turcas educere, ſi id peteretur, ſtipendiaque ſolverentur, deniq; nec dubitare quidem Cæſari rerum geſtarum rationem reddere. Præterea juſto ſcripto expeditionem ſuam defenderunt, quod Hortlederus cum reliquis hujus belli actis ſuæ collectioni inſeruit. Hæc dum agebantur fœderatarum copiæ in caſtra accedunt, inprimis Brunsvicenſium, tormenta quoq; bellica quamplurima Brunsvico Goslariaque advehuntur. Poſtulatur deditio, obſeſſi ſatis animoſe reſpondent, vinæ aguntur, fit impreſſio in mœnia, ubique tormentorum ſonitus aures perſtrepit. Erat in arce turris editiſſima tamq; fortis, ut in ea non minimum obſeſſis præſidium eſſet. Cuſtos vero petulantior auſus eſt ex hac turri cantilenam occinere, Ducibus ſatis contumelioſam: Hat dich der Schimpff gereuen/ ſo zeuch du wieder heim ꝛc. Quæ res ad tantam indignationem permovit Landgravium, ut omnia ſtatim tormenta in turrim converteret. Nec mora cadit turris, & cuſtodem exanimem ſuis ſepelit ruinis. Ruſtici vero, quos in præſidio cum militibus reliquerat Henricus, fragore territi, omniaque conclamata eſſe rati, ſtatim fugam moliri coeperunt, nandoque transmittere foſſas auſi ſunt. Quo factum eſt, ut milites ad tantam redacti paucitatem, deditionem facerent, cum vix decem dies impetum ſuſtinuiſſent. Sic intra duos menſes debellatum eſt, & nobiliſſima arx Guelpherbytana, quæ tres annos obſidioné ſuſtinere poſſe videbatur, ne totidem quidem ſeptimanas ſuſtinuit. Principes victoria potiti res eccleſiæ per totum ducatum conſtituerunt, adhibitis præcipue in conſilium Bugenhagio, Corvino & Gorlicio, quorum ordinatio eccleſiaſtica ſermone Saxonico conſcripta extat apud Hortlederum, ſequente anno Wittebergæ typis excuſa. Goslaria tam potente adverſario liberata omnia ab Henrico ſibi extorta recepit, mox tamen reſtituto Henrico omnia iterum amiſſura. Quid? quod cives arrepta occaſione tot Goslari inſignes, quas paſſi fuerant, calamitates enſes ulturi, cum delecta manu, quæ trecento oppidarum fere hominum cenſebatur, per Hermetallicyniam in oppida metallica fecere impe ca inva tum, & Cellerfeldam nuper conditam dunt. tam male mulctarunt, ut non niſi tres for *Schreib.* naces per totum oppidum integræ mane *relat. hiſt.* rent, eademque ferocia oppidum Wilde- *orig. &* mann depopulati obſides quosdam ſecum *progr.* abripuere. Domum vero repetituri inci *metall.* derunt in cives Guttelenſes & Grunden- *Brunſc.a* ſes, a quibus maxima manubiorum pars *Annales* recuperata, civesque nonnulli capti cæſiq; *Gosl.* ſunt. Appetente demum jam hyeme, *MSC. hiſt* cum nullus ab Henrico metus eſſet, Pro- *metall.* teſtantes, dimiſſo exercitu, ſolam arcem *Hercyn.* Guelpherbytanam, magno ſtudio reſarci- *MSC.* tam, copioſo præſidio impoſito munierunt. Hoc eſt bellum illud celebre a fœderis Smalcaldici ſociis cum Henrico Brunsvicenſi geſtum, quod ceu ex archivo Vinarienſi didicit Hortlederus, ſociis 569333. florenis conſtitit, nec iis quidem in computum relatis, quæ ab Electore & Landgravio ſuo nomine expenſa, nec a communi fœderatorum ſocietate repetita ſunt.

Aſſecuration is formula a Ferdinando Proteſtantibus conceſſa

Interea Ferdinandus in Norimbergenſibus Comitiis, cum multis ſe excuſarent Proteſtantium legati, & ipſe non parum placari cœpit, forte quod imminens e bello Turcico periculum mitiora ei conſilia ſuaſerat. Hinc tantum abeſt, ut turbatæ pacis reos illos putarit, ut oblata ſolenni aſſecurationis formula de omni animadverſione illis caveret, ſi a bello in poſterum quieſcerent arbitrorumq; ſtarent judicio.

Horſt l.4. c.43.p.805 c.46.p.901 c.47.p.917.

Nec tamen impedire ſe paſſi ſunt victores, quo minus, eliminatis ubique Pontificiis ceremoniis, puriorem doctrinam introducerent, monaſteriis etiam ad ſanctiora inſtituta revocatis. Nam ut de Richen-

Moniales Frankenbergenſes reformatio-

onem recipiunt. *Ex monum. MSC. Canob. Frankenb.*

chenbergensi nihil dicam, quod communem sortem non minus, quam cetera tunc subiit, intra mœnia quoque nostra, positis cucullis, reformationis legibus paruere moniales Franckenbergenses, quæ ab occupatæ Herdesiensis dioceseos tempore Brunsvicensibus Ducibus fuerant subjectæ, Senatu nostro semper obnitente. Ex quo autem Henricus ditionibus fuit exutus, communi victorum consilio monasterium hoc Goslariensi Senatui redditum est, qui monialibus puriori doctrinæ nomina dare jussis, Præpositum constituit omniaque exercuit Advocatiæ jura quæ Henricus Brunsvicensis adhuc sibi vindicaverat. Nec tamen diu duravit hæc felicitas. Simulac enim Henricus ad ducatum postliminio rediit; moniales hæ non solum ad papatum redire, verum etiam Brunsvicensium Ducum agnoscere imperium compulsæ sunt, sub quo etiamnum, restituta salutari doctrina, conquiescunt.

Gefferdes Pastori SS. Petri & Pauli succedit M. Volumetius. *Hamelm.*

Ceterum reformato Ducatu Brunsvicensi paucissimi in parochiis inveniebantur, qui munere suo recte fungi posse videbantur, adeo clerus indulgentia Principis fretus, sua potius, quam suos curare assueverat. Quo factum est, ut deficientibus ubiq; Pastoribus undique viri docti conquirerentur. Goslaria nostra tunc misit Johannem Gefferdes, genuinum illum Lutheri discipulam, qui reformationis negotium Halberstadii magna animi præsentia curaverat. Is cum in æde SS. Petri & Pauli Pastoratus muneri quatuordecim annos summa cum laude præfuisset, hoc ipso anno hinc Grenam migravit, ubi tamdiu evangelium docuit, donec Henricus in ditiones rediret. Tunc vero cum ceteris evangelicis sacerdotibus pulsus Goslariam rediit, habitisque aliquandiu in hospitali S. Crucis concionibus, paulo post diem obiit supremum. Successit ei in Pastoratus munere Michaël Volumetius, is, qui Rectoratum scholæ adhuc a reformationis tempore gesserat. Virinsigni eruditione præditus, de quo jam supra me nonnulla dicere memini.

Catalogus Rectorum Goslariensium.

Cum jam de Volumetii successoribus dicendum sit, admonet me instituti ratio, ut Lectori benevolo integrum hic communicem Rectorum catalogum, qui a felici ecclesiæ reformatione scholæ præfuerunt:

Ante reformationem penitus ad Colophonem perductam

Henric9 Franke — Henricus Franke Hassus Lutheranus.

Jo. Guintherius. — Jo. Guinterius Pontificius, de quibus supra ad ann. 1528.

Post reformationem.

Michaël Volumetius. — 1528. Michaël Volumetius, de quo jam supra, Pastor ecclesiæ SS. Petri & Pauli creatur.

M. Georg Freidenberg. — 1542. M. Georgius Freidenbergius. E. Canonico SS. Simonis & Judæ Rector, Wittenbergam discedit 1548.

1548. M. Johannes Salmuth; Wittenbergam rediit anno 1550. — M. Jo. Salmuth

1550. M. Johannes Neander Rector primum Zuickaviensis, post Northusanus, demum Goslariensis vir doctissimus & Græcæ linguæ admodum gnarus, cum valetudine uteretur admodum incommoda, a Scholastico munere in Walkeredense monasterium mox rediit, privatusque vivere maluit, quam suis aliquo modo partibus deesse. Extat ejus epistola ad Michaëlem Neandrum Abbatem Ilfeldensem, nostro, ut videtur sanguinis propinquitate junctum, in qua de adversa sua valetudine hunc in modum conqueritur: *Cum periculosissimo corpusculi mei morbo, videlicet capitis & oculorum fluxu misero γεραάνδρῳ nunc, veramplius, ut olim νεανδρῳ militi, & veterano, & rude donando conflictandum nunc est. Ἡμεῖν Τρῶες vere dicitur. Καὶ παλαιπότ' ἦσαν ἀλκιμοι μηλήσιοι, κἀγὼ μὲν γὰρ ἦ ποτε, ἀλλ' ἐν τῷ νῦν χρόνῳ ὀδυὸς πάντως λόγῳ ὁ Νέανδρος ἔσιν, illo etiam nomine, quod verum sit illud vulgo jactatum: Senectus per se morbus est, quam secundum poetam circumsilit agmine facto morborum omne genus.* — M. Jo. Neand. — *Mich. Neander, Epp. familiar. p. 130.*

1551. M. Georgius Thymus Zviccaviensis eodem anno, quo præesse cœperat scholæ discessit. — M. G. Thymus

1552. Adolphus Campius Dusseldorpiensis usque ad annum 1555. — Adolph. Campius.

1556. M. Johannes Glandorpius, Monasterienſis, Hermanni illius Buschii discipulus; vir & utriusque linguæ peritia, & poëtica laude, & criticæ, historiæque cognitione tam insignis, ut suo ævo haberetur doctissimus. Extat ejus vita a Reinero Reineccio, genuino ejus discipulo, luculenter & accurate scripta, quæ tamen rarior est, & semel tantum mihi visa in publica librorum auctione, ut adeo doleam, eam mihi jam non esse ad manus. Tum de hoc Reineccii opere, tum de ipso Glandorpio audire hic juvat Davidem Chytræum, ita ad Henricum Meibomium in epistola gratulatoria differentem: *De Hermanno Buschio Marpurgi postea docente, illiusque successore Glandorpio Monasteriensi, Casparus Rodolphus pronunciavit, nullos academiam Marpurgensem eloquentiores viros, duobus Westphalis Buschio & Glandorpio audivisse. Ac Glandorpii ingenium, doctrinam, professiones, fidem ac dexteritatem docendi, in diversis Saxoniæ & Westphaliæ urbibus singularem, popularis & collega tuus Vir cl. Reinerus Reineccius vita illius publice edita, jam pluribus notam & caram reddidit, addito etiam epithaphio, quod Henricus Sibenius Olphenius ipsi composuit: cujus postremum præcipue distichon argutum & repetitione ac memoria dignum videbatur:*

Lector amans Christum, cubat hic Glandorpius, ille
Musarum cultor Pieridumque chori.

— M. Jo. Glandorp. — *Chytræus orat. de Westph. p. 16. Hamelm. vit. Busch p. 53. Westph. Hamelm. l. c. p. 56.*

Quem

Quem nusquam vivum Germania totâ prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.
Claraque quem parvi fecit Hervodia vivum,
Mortuus hic illi gloria semper erit.

Nec minus honorificum ipsum est Reineccii elogium, quod epistolis historicis præmisit: *Nec plura vel hac de re vel de ipso Glandorpio addenda putarim. Qua etenim Glandorpius fama in aliquot Saxoniæ civitatibus docuerit, qua auctoritate & existimatione floruerit, ut ceteros taceam, testes tot discipuli ipsius esse possunt, quos passim reliquit, quorumque non pauci summis in dignitatibus collocati conspiciuntur. Et plurimum eundem amavit Phil. Melanchthon, amavit Tilemannus Heshusius, Doctor Theologus & in hac academia Professor primarius, atque ubi Goslariæ cum Glandorpio vixit, quamvis ecclesiæ Superintendens, tamen Scholasticorum ejus laborum seu prælectionum diligens & fidelis παραστάτης.* Hic ergo tam celebris vir quem ipse Vossius *doctissimum* salutat, per agratis præcipuis Germaniæ academiis Brunsvigæ aliquandiu docuit magno cum juventutis fructu, quanquam tot obtrectatoribus, ut fieri solet, expositus, ut diutius ibi commorari ei non fuerit integrum, qua de re audire placet Caselium, magnum illum ingeniorum censorem, & Glandorpio nostro familiarissimum: *Cum primo gymnasio Brunsvigensi præesset, fuit, ut audio, qui, qua hic rectissime tradi juberet, non ratione bona, sed imperio intempestivo mutanda decerneret: Sed ille impatiens tam iniquæ servitutis, abiit potius, quam se insciis subjiceret, homo tanta eruditione, qui in prima quoque orbis academia humaniores literas cum juventutis fructu maximo & summa cum laude sua profiteretur. Turpe est, nec flagitio caret, si calones, quibus in impedimentis locus est, institutionem aciei & Imperatoris munus sibi vindicent.* Inde Goslariam ad Rectoris munus vocatus admirationem apud omnes est consecutus, schola tam præclare constituta, ut ex ea viri doctissimi certatim prodirent. En iterum Caselii verba, cujus enim ore luculentius rem eloquar? *Hujus Glandorpii ad vos* (Goslarienses) *adventu vestræ civitatis ludum literarium sive emendatum, sive primum constitutum, nec ipse dubito, & quisque vestrum cognovit rectius. Quam autem formam in docendis literis secutus sit, ex ipsius studiis innotescit. Procul abfuit, cum ab aliis non satis eruditorum aberrationibus, tum a novitiorum ineptiis, sive absurditates dicas: quæ maturioris ætatis erant, & propria academiarum, pueris inculcari, aut occini vetabat. Qui sermonem intelligerent, qui scriptores legerent, eos in scribendo exercebat ad historiam alliciebat degustare, qua capere possent, de liberalibus disciplinis sinebat, perfectiora ab aliis magistris caperejubebat.* Possem hic longum texere discipulorum catalogum, qui ex Glandorpii schola tunc prodierunt. Sed nolo hic esse prolixior, cum sub incude mihi sit historia literaria inferioris Saxoniæ, in qua & de doctis Goslariensibus plura occurrent, si Deus vitam & otium fortunamq; paulo benigniorem concesserit. Interea unus instar omnium esse poterit Reineccius fulgentissimum illud academiæ Juliæ lumen. Is enim, ut ipse in narratione de vita sua refert, fama Glandorpii excitus Goslariam petiit, atque eum in quintum annum audivit, qua cum laude, ipsius Glandorpii testatur epistola commendatitia, Goslariæ d. XXIV. Septembr. Anno Domini MDLIX. scripta, quæ publice legitur, tum præmissa epistolis historicis ad Reineccium, tum Jo. Gœsii opusculis de Westphalia inserta, quemadmodum & in luculentissimæ orationis de historiæ dignitate exordio ipse profitetur Reineccius, *quicquid in artibus, quicquid in linguis, quicquid denique in eo disciplinæ genere, circa quod postmodum universum ferme studium constiterit, hoc est, antiquitatis & historiarum tractatione profecerit, id potissimum se Glandorpio, Paxmanno, Peucero & Camerario debere.* Verum nescio quod inclementius Goslariæ fatum Glandorpium hunc nobis extorserit. Etsi enim cum Heshusio Superintendente satis amice vixerat, post ejus tamen discessum collisus cum M. Jacobo Macrino alias Grosschans Superintendente, sæpiusque ab illo publice reprehensus, quod uxorem adulterii suspicione dimissam recipere in thalamum nollet, eo demum affectuum intemperie actus est, ut & ipse Stesichori graves camœnas vocaret in subsidium, epigrammatibusque acrioribus in Præsulem invehereretur. Quo factum est, ut anno M. D. LX. magno rei Scholasticæ detrimento, officio moveretur. Vnde Caselius in laudata epistola: *Vestra*, inquit, *Scholæ incommode judico factum, dimisso & istinc Glandorpio. Quisquis hoc egit, tam male de vestra illius ætatis puritia meruit, quam, qui eum accersivit, meruerat bene, quod optime factum fuerat meo judicio. Neq; non tamen ipsius disciplinæ vestigia atq; exempla relicta apud vos fuisse, sic rationem in eo, quod ab eo tempore recte fuere educati istic civium filii, & eorum condiscipuli.* Goslaria Marpurgum discessit, ibique Professoris historiarum munere ornatus Hermanni Buschii antecessoris sui vestigia tanta solertia pressit, ut nemini temere æqualium concederet. De eruditione ejus ac humaniorum disciplinarum cognitione plura jam diximus. Nunc de ejus in theologia profectibus quædam videntur commemoranda, ut qualis in ea fuerit, pateat dilucidius. Iuvene illo Monasterii quoque [quæ patria illi erat] lux evangelii cœperat emicare, Bernhardi Rothmanni opera. Quemadmodum igitur magna erat civium Monasterienſium cupiditas, in puriori hac doctrina proficiendi, ita & Glandorpius, missis Romanis ritibus, evangelicam doctri-

Voss. l. 3. de hist. Lat. p. 713. Casel. ep. ad Jo. Reecium Coss. Gosl. p. 180. ap. Gœs.

Narr. de vita R. Rein p. 22. ap. Gosl. Gland. ep. sing. p. 226 ibid. Rein. præf. ep. hist. & p. 45. Hamelm. hist. eccl. ref. per Saxoniã Evang. Reiner. Reinecc. Orat. de hist. dign. p. 1.

ctrinam Lutheri beneficio restitutam susceperat. Cum vero Rothmannus collegam nactus Hermannum Stapredam, Anabaptistam, ad alios subinde atq; errores desciscet, prope abfuit, quin Glandorpius quoq; ab illo in sacramentariorum opinionem traheretur, nisi eo se contulisset Hermannus Buschius, Glandorpiumque rectiora docuisset. Ex eo tempore tam constanter perstitit in Lutheri sententia, ut idoneus videretur anno M. D. XXXIII qui auspiciis Joannis van der Wyk, tum Syndici Monasterienſis una cum Hermanno Buschio, Joanne Holthusio, Theodoro Bredevortio, Petro Wirthemio, Brixio, Nordano & Arnoldo Bertholdo adversus Anabaptistas publice disputaret, cujus colloquii acta Latina civitate donata in lucem protulit diligentissimus Hamelmannus. Obiit Glandorpius Hervordiæ, ibiq; ossa ejus requiescunt, sed fatalem ejus horam exquirere non dum potui.

Scripta ejus præcipua, [quis enim omnium diligentissimi viri opusculorum numerum ineat?] hæc notavi:

1. Distichа sacra & moralia, quorum liber prior Magdeb. 1559. Posterior Ambrosii filii cura prodiit Basil. 1576. 8. Commentario de familia Julia annexus.
2. Commentarius in Epistolas Ciceronis,
3. Commentarius in Julium Cæsarem. quam editionem tanti æstimavit Christophorus a Vicztum, ut elegantissimo hoc epigrammate Reinero Reineccio, a quo illam acceperat, gratias ageret:

R. Reinec. Ep. histor. f. 18,

Reinerum pete, Musa, literatum,
Qui, ne vel situs hos araneosus
Fœdet, vel tinea leves peredant,
Producit veteres suos libellos,
Quos olim Charitum cavis sub antris
Plenos condidit eruditionis,
Delibavit, & ut tepente vere
Delibat nitidos per arva flores
Mellis mater, apis thymosque dulces,
Illi, cum patulas subibit ades,
Optatam officiosa dic salutem,
Et magnas age gratias eidem,
Pro misso mihi Cæsaris libello
Glandorpii monumenta continente.
Postremo numeros tuos, ad undas
Quos nuper Philyra mihi canebas,
Depromas, cupida legatque mente
Ora, perpetuum mei favoris
Sint signum, valeatque & ornet artes.
E museo Lipsia IV. *April.* MDLXXIV.

4. Descriptio gentis Antoniæ Romanas inter familias non postremæ per Jo. Glandorpium Scholæ Goslarianæ gymnasiarcham Lipſ. 1557. 8. In hoc instituto, familias Romanorum illustres evolvendi vix habuit parem, præter Vrsinum, & qui e recentioribus hujus instituta secuti sunt. Doctissimam lucubrationem inscripsit amplissimo Goslariensium Senatui, hoc præmisso carmine, quo insignia civitatis decoravit.

Romanas timuere aquilas Regesq; Ducesq;
Tam generosum illis a Jove robur erat.
Hanc quoque Goslaria fulgentia signa tuentem,
Inde suos ortus scito & habere decus.
Aspicis, ut bifido meditetur prælia rostro
Et subvecta alis unguibus immineat.
Invitare cave, sciat hoc te velle, periſti,
Impune hanc aquilam nemo lacesset iners.

de qua dedicatione eleganter Caselius in epistola laudata: *Gentem Antoniam cum perfecisset, ad vos* (Goslarienses) *misit, gratum haut dubie amplissimo ordini vestro munus, uti per se splendidum & historiæ Romanæ Lectori utile est: atq; hic viri labor in perpetuum serviet rei literariæ. Non sinent enim Musæ tam accurate factum elegantérq; perfectum opusculum unquam aboleri.* Meditatus quoque fuerat ceteras Romanorum familias eadem industria enarrare. Sed optimi viri conatibus obstitit vitæ brevitas, & iniquior, qua exercebatur fortuna. Affectam tamen propemodum habuit alteram de gente Julia diatriben, quam morte præventus, licet ipse edere non potuerit, edidit tamen filius Ambrosius Basil. MDLXXVI recusam Paris. 1634. 4. Ut adeo resarcita quodammodo videatur jactura, quã Caselius hunc in modum falsis, ut ita dicam lacrymis deplorat: *Etsi autem præter unam & forte alteram familiarum nulla extat, tamen plerasque observasse, & in ordinem redegisse, sciptori fides cur non habeatur? cum unus idemque labor ille fuerit: Perficere autem per ætatem quidem potuisse puto, per fortunæ iniquitatem non potuit, nisi quorundam insciliam obstitisse egregiis viri conatibus censeamus, quæ mea est non temere suscepta suspicio. Cum fere ad finem perduxisset gentem Juliam, decessit in patria, quam ego partem & ceteras reliquias periisse, sive surreptas sane doleo.* Rectius rem perspectam habuit Rein. Reineccius, qui ita de utraque Glandorpii lucubratione judicat: *Hujus Glandorpii non nisi de Antonia & Julia familia Commentarii in lucem prodiere, ceteris hactenus suppressis. Quæ res Ambrosio filio cura esset, non semel ei adhortatores fuimus. Nam quales credi oporteat, de publicatis, quibus nihil potest esse perfectius, planum sit.*

Caſel. epicit.

R. Reinec. orat. de hist. ejusq; dign. p. 169

5. Onomasticon Romanum Vossio hinc inde laudatum.

1560. M. Matthæus Absdorffius, Bernburga Anhaltinus, Vir & Theologiæ & bonarum artium peritissimus, & ad majora a fatis destinatus. Positis enim apud nos anno MDLXIII. rei Scholasticæ fascibus, susceptoque Quedlinburgi Rectoris munere, transacto biennio Superintendentis & Concionatoris Aulici munus ibidem obtinuit, quod cum ad annum usque MDCIII. magna cum laude sua gessisset, senio confectus demum deposuit, sequente anno pie placide-

M. M. Absdorff. act. Quedlinb. Cont. n. 17. M. Marci Schulteti Orat. de Anna Abbat. Quedl. factis & obitu.

cideque vita functus & in æde S. Servatii honorifice ſepultus.

M.J. Rigemann. 1564. M. Joachimus Rigemannus Stetinenſis, Hamelmanno nonnunquam Brickmannus, in patriam revocatus, anno 1568. cum prius tragœdiam de innocentibus infantibus magno cum applauſu egiſſet.

N.Sulzius 1568. Nicolaus Sulzius Sangerhuſanus Paſtor Stetterlingenburgenſis factus anno circiter 1576.

M.J.Hellevach. M. Jacobus Hellevach Goslarienſis Paſtor eccleſiæ SS. Petri & Pauli factus anno 1582.

M. St. Kampferbek. 1582. M. Srephanus Kampferbek Velthuſenſis anno 1584. Hellevachio in paſtoratu SS. Petri & Pauli ſucoedit, ubi hoc ejus extat epitaphium:

D. O. M. S.

Reverendus & Opt. Vir ſincera pietate, doctrina & Virtute præſtantiſſimus Dn. M. Stephanus Kanferbek Velthuſenſis, qui & Scholaſtica diſciplina in hac urbe moderator peritiſſimus, & eccleſia in hoc templo SS. Petri & Pauli App. Paſtor vigilantiſſimus fuit, bonis omnibus carus, ſuis deſideratus, in ipſo ætatis flore annum agens vigeſimum nonum. Anno Chriſti Servatoris M. D. LXXXV. menſe Junio. D. XIV. in functione pia pie defunctus ad cœleſtem Dei & beatorum Angelorum conſuetudinem migravit.

Epitaphium.

Qui teneram culta formavit ſedulus arte
Ætatem, cœli ſemina fulcra ſoli:
Quique ſacrum Chriſti bene rexit Paſtor ovile
Fecit & officii munera juſſa ſui,
Hic Kanſerbectus ſitus eſt: florentibus annis
Quem parcens nulli parca maligna tulit.
Quantum iſto fecit properato funere damni
Grex ſacer, amiſſum jure flet ille decus.
Hic etenim norat cœleſtis dogmata verbi,
Omnia de veris fontibus hauſta Dei.
Perque artes caput extulerat, doctaſque camœnas,
Quis ſine tractari res bene ſacra nequit.
Mente gravem promta decorabat gratia lingua
Grata gregi fundens fulmina grata Deo.
Vita erat exemplum ſanctum & venerabile morum
Sophroſynes jungens cum pietate decus
Vitam dignus erat multos producere in annos,
Sed cœlo haud mundo debitus ille fuit.
Non ergo ereptus nobis, ſed ſede receptus
Ætheraeſruitur jam propiore Deo.
Hosque inter mundo, qui ſunt pia jura profeſſi
Splendorem clari ſideris inſtar habet.
Militia exacta pulcra de fronde coronam
Exſpectat, ſemper cui ſuus extat honos,
Multa viri virtus extentos vivet in annos
Obruit haud illam, quod tegit oſſa, ſolum.
Qui Chriſto vitam & virtuti accommodat omnem
Huic famam virtus conferet, aſtra Deus.

M.J.Reccius. 1584. M. Johannes Reccius, Goslarienſis, vir Græce & Latine doctiſſimus, Poëta non ultimis annumerandus, & majorà præſtiturus, niſi fortuna ei, ſummam in republica noſtra dignitatem deſtinaſſet. Lucem hanc primum adſpexit VI. id. Januarii anno MDLVII. Avo uſus Johanne Reccio Oſterodano, ſcholæ ad S. Sepulcrum Goslarienſe Magiſtro, poſtea conſule Goslarienſi: Patre itidem Joanne SS. Theologiæ Baccalaureo, qui tamen privatæ vitæ ſorte contentus ſibi vixit, mox turbato naturæ ordine, ante parentem extinctus, relictis tamen, præter Johannem noſtrum, quinque filiis *Nicolao*, *Tilemanno*, *Brunone*, *Mathia*, & *Chriſtiano*. Juvenis formandum ſe tradidit Matthiæ Bergio, Rectori ſcholæ Catharinianæ Brunſvicis celeberrimo, cujus ductu tam celeriter profecit, ut undevigeſimo ætatis anno Roſtochium peteret, Davidis & Nathanis Chytræorum præcipue uſus inſtitutione, atque in intimam deinde eorum familiaritatem admiſſus. Inde Wittebergam cum fama doctorum traxit, ubi anno MDLXXIX. Magiſtri honorem cum inſigni laude ſuſcepit. Eodem tamen anno Brunſvigam, ad capeſſendum Conrectoris munus evocatus, Bergio Præceptori collega datur: eoque moleſto officio ad annum usque MDLXXXIV functus eſt, quo a Goslarienſibus ad moderandam rem ſcholaſticam repoſcitur per Theodoricum Holzhuſium Superintendentem ſolenniter introductus. Cum vero ejus prudentia ac eruditio ex omnibus ejus actionibus eluceret, indignum viſum fuit Patriæ Patribus, ut in umbra ſcholaſtica conſenesceret. Protractus itaq; in lucem & in ſenatum cooptatus primo *Conſiliarii* & *Inſpectoris ſcrtbarum*, mox *ſexviri* honorem geſſit, donec anno MDXCVIII Conſulatum impetraret, in quo viginti & novem annos non ſine ſumma laude exegit, mortalibus exemtus anno MDCXXVII die XXII. Februarii, ſeptuagenario major & undecim liberorum parens. Ex quibus præcipue Joannes J. V. D. Comes Palatinus Cæſareus & Eques Auratus celebratur, cujus quam elegans fuerit ingenium, vel ex hoc ejus epigrammate anagrammatico incluto heroi Axelio Oxenſternio oblato, patet:

AXELIUS OXENSTERNIUS
Ἀναγραμματιζόμενος
INTRAS CEV LUX EX SIONE.

Vidimus Arctonum ſplendenti lumine ſolem,
Qui poſtquam petiit cœlos, victricibus armis.
Intras Axelius ceu dux exorta Sione
Sic lux poſt tenebras, ſic pax poſt turbida bella.

vel

Ceu lux ex cœli ſurgit regionibus orta
Altera ſic intras fulgens lux orta Sione
Quis ſibi non certa hanc promittit munia pacis

Carm. edit. Francof. 1623.

J. R. D. Gosl.

Cui fratris luſui pari arte ſuccinit Georgius Reccius:

AXELIUS OXENSTERNIUS.

ἀναγραμματίζουσος

EN LVX EXISTIS, NOS SERVA.

Ut veniente die recreantur, quotquot ab atra
Nocte tenebantur, quaſi corpora mortua, ſomno,
Sic pulſis bellis optata & pace reducta,
Erumpunt homines in talia verba: ſalutis
En lux exiſtis, radiis fulgentibus orta
Pondere nos ſerva preſſos varioque labore.

Sed & ad patrem redeundum eſt. Hic quantus fuerit non aliunde rectius diſcas, quam ex Caſelii epiſtolis, quo viro noſter uſus eſt quam familiariſſime, ejusq; carminibus, quæ ingenium ſpirant feliciſſimum. Plura non edidit, gravioribus reip. curis, variisque etiam legationibus impeditus, de re tamen ſcholaſtica & opera ſua & conſilio tam præclare meruit ut non temere pronunciatum ſit a Caſelio: *In hoc* [labore ſcholaſtico:] *Cum tu non minorem* *Caſel. epiſt. p. 181.* *operam, Recci, & æque felicem navares civibus tuis, patria Te ex illo perhoneſto loco in altiorem gradum civitatis ſuſtulit. Patres enim Te in Senatum legerunt, & brevi interjecto ſpatio Conſulem deſignarunt. Tu vero ea tempore, non minus Tibi cura habuiſti educationem juventutis, quam gravisſima illuſtris veſtræ reip. negotia.* Sed & ejus potiſſimum cura factum eſt, quod eo vivente ſchola noſtra excelſiſſime floruerit, laudemque hanc meruerit ejusdem Caſelii: *Caſel. oratio in Jo. Nivin. proteccles. Parchim. Helmſt. 1612. Id. epiſt. ad Jo Kuhnen Helmſt. 1612. 4.* *Laudo Goslariam Imperialem ubi Magiſtratus de educatione omnia præclare conſtituit, cives ſuos educari jubent, ut & aliis benefaciant tenuioribus, Eccleſiaſtæ conſilio & cohortatione occurrant, nihil negligant educatores, traditis elementis bonis & neceſſariis, detenta in carceribus modeſtiæ adoleſcentia, de quo genere ſolo ſpes eſſe pietatis non ſimulata poteſt.* Quemadmodum & alibi Joanni Kunen Goslarienſi Conrectori Parchimenſi ita gratulatur: *Gaude igitur, quod in Imperiali rep. natus, ubi, juſtitiæ locus, & educatio recta juventutis eſt ad virtutem, idque in literis, quod tui te iſto ingenio miſere in ludum literarium patriæ, quo non eſt inſtructior rectius neq; melior in Saxonia.*

Laus Scholæ Goslarienſis.

M. Jac. Olvenſt. 1593.

M. Jacobus Olvenſtedt Burgenſis Helmſtadium diſceſſit. a. 1598.

Mart. Baremius. *Caſel. l. c. p. 181. ſq. Gebhard. progr. de Scholaſticæ ſtatu Brunſv. 1695. 4. Sciopp. l. 4 ſuſp. lect. epiſt. 13. p. 209.*

1598. Martinus Baremius Brunſvicenſis, qui in ſuis lucubrationibus anagrammatico hoc ænigmate Μὸρσιμον ἄ ϛι βάξη nomen ſuum ſæpius ſolebat occultare. Vir erat doctiſſimus, de quo dubites utrum philologi ac poëtæ, an theologi partes expleverit rectius, in utroque certe eruditionis genere ita verſatus eſt, ut excelleret: Cujus rei non aliud extat teſtimonium luculentius, quam Scioppii judicium. Cum enim hic acerrimus literatorum cenſor neminem ſine nota dimitteret, Baremii tamen ingenium probavit, eumque epiſtola ſua dignatus eſt, cujus exordium libet adſcribere: *Praclaram eruditionem tuam nunquam mihi ſatis collaudare quivit eruditiſſimus noſter Rittershuſius. Et quando ea utimur invicem amicitia, ut eadem velimus, nolimus, eosdem amicos communes habeamus, faciundum mihi putavi, ut & te inter ceteros viros doctiſſimos & homines amicos judicem mearum ineptiarum arbitrumque caperem.* Scholæ primum Martinianæ Brunſvigæ præfectus incredibili ſolertia hoc Saxum volvit, cum Huſtetho collega. In ipſa tamen anniverſaria examinis ſolennitate dimiſſus anno M. D. XCIIX. Goslariam in Olvenſtedii locum evocatur, non ſine magno Patriæ detrimento. Qua de re denuo præſtet audire Caſelium in laudata ad Reccium epiſtola ita diſſerentem: *Tua potiſſimum cura factum eſt, ut Baremius, Græcis literis ita præclare, uti Latinis præditus, Brunſviga accerſeretur. Eum ego tum mirabar dimitti, facta permutatione, cujus mirum ni auctores interea pœnituerit. Baremius enim & Huſtethus, cives ipſi teneram patriæ pubem erudierant literis, ut a nemine rectius, & majore fide potuerit. Verum in omni genere uſu venit, ut quæ bona aut mediocria ſunt, aquis oculis non adſpiciamus, donec deteriora ſucceſſerint.* Muneri huic Scholaſtico biennium modo præfuit, ad Paſtoratum quippe SS. Coſmæ & Damiani vocatus eum a Buntingii diſceſſu Superintendentibus carere decreviſſet Senatus. Obiit anno M. DC. XXV. qui ipſi ſeptuageſimus ætatis fuit. In utriusque linguæ poëtica facultate quantopere excelluerit, innumera ejus docent carmina, pie non minus, quam acute ſcripta, digna ſane, quæ publice legerentur. Eminent in his

Ejus Scripta.

1. Strena ad Ampliſſimum & Clariſſimum Dn. Conſulem M. Joannem Reccium Mæcenatem. Gosl. 1611. 4.
2. Idyllion in nuptias Clariſſimi nobiliſſimi magnificique viri Dni. Theodorici Behrii Equites Livo. Saxonis. Gosl. 1609. 4.
3. Idyllion de reconciliatione Theodoſii Magni Imp. & civitatis Antiochiæ ex Joh. Chryſoſtomo ad clariſſ. ampliſſ. optimum virum D. Johannem Reccium JCtum Coſ. Patriæ Goslariæ, amicum & Mæcenatem ſummum. Gosl. 1606. 4.

quod quidem ultimum carmen tam eſt eleganter ac pie ſcriptum, ut ejus lectione vix poſſim ſatiari. Paucis dicam operæ pretium quis faceret, ſi quæ ſelectiora Glandorpii, Baremii & Nendorpii carmina uno faſciculo conjuncta publicaret, cui quidem e meis collectaneis non pauca liceret ſuppeditare.

1598.

M.J.Nendorfii vita. *Conc.fun. Jo. Nend. Gosl.a M. J. Trumphio habita. Gosl. 1647. 4.*

1600. M. Johannes Nendorfius, Verdæ patre Lothario in lucem editus anno MDXXV. d. XXVI. Januarii, ab avo literarum amantiore ſtudiis theologicis deſtinatur. Hinc puer ſtatim Detlevi Raſcii Rectoris Verdenſium celeberrimi diſciplinæ traditus tam celeriter æquales antecellere cœpit, ut ceteris in exemplum proponeretur. Mox in Helmſtadienſem Academiam miſſus Caſelio & Cornelio Martini, illis totius Germaniæ tunc eruditorum coryphæis, totum ſe dedit, tamque illis fuit in deliciis, ut Caſelius eum in domum ſuam recipere ejusque conſuetudine coram frui non dubitaret. Magiſtri deinde titulo anno MDC. ornatus a Senatu noſtro in Baremii locum accerſitur, quam ſpartam ita doctrina ſua atque induſtria quadraginta ſeptem annos ornavit, ut eum non Saxonia ſolum, verum etiam tota Germania, ipſaque Svecia ſuſpiceret atque admiraretur, illuſtresq; viri filios ei certatim traderent perpoliendos. Ut enim non longum hic texam diſcipulorum illius catalogum, anno MDCIV. eum docentem audivere Svanto Stur, Comes in Weſterwick & Stegeholm, Baro de Hornholm & plures e Suecia equites; anno MDCXX. duo equites Livoni, tantusque equitum Germanorum numerus, ut ejus domus ſeminarium quoddam eruditæ Nobilitatis videretur. Trium uxorum maritus decem liberos ſuſtulit, quorum pleriq; turbato naturæ ordine peſte ante parentem ſublati ſunt. Nec reipublicæ defuit, ſuſcepta anno MDCXXXII. legatione, tum ad Ludovicum principem Anhaltinum & Regis Sueciæ per Germaniam Legatum, tum ad Andreſſonium, Commiſſarium Suevicum generalem, apud nos, quæ reipublicæ intereſſe videbantur egregie curavit. Demum ſenio languens viribusque omnibus defectus anno MDCXLVII. d. XXIII. Febr. ſeptuagenario jam major diem obiit ſupremum. Hujus viri tot fuerunt ornamenta, ut ea dicendo aſſequi vix poſſe videar. Prodeat itaque denuo Magnus ille Caſelius, dignus Nendorfii virtutum præco: *Baremio apud nos ad ſacra vocato munus iſtud gerit Nendorphius, quod cum ſuſciperet, hortabar familiarem, caveret, ne juvenis doctiſſimus & poëta cultiſſimus anteceſſorum quopiam videretur inferior: enitereturetiam aquare præceptorem Raſcium, quem & in hac epiſtola & alias laudavi hac de cauſa .... Etſi vero ad imitandum in hoc genere magiſtrum ſe compararat Nendorphius; tamen & ipſe didicerat optimam rationem erudienda puritiæ, & peritiorum conſilia exquirit etiamnum ſedulo, quare recte gerit hoc munus; certe ad ſcopum collineat proxime. Non ſolum enim νεωτεριζόντων nugas repudiat, ſed diligenter cavet, ne declines a recta via in ſalebras, aut aliena diverticula, non oſtentat neque declamationes grandes, neque diſputationes ſubtiles, cum exerceat adoleſcentulos nihilominus: non obruit ingenia & memoriam primæ ætatis, quæ tamen non ſinit obſoleſcere: non varietate lectionum mentes diſcentium diſtrahit, quibus tamen apponit quaſi alimenti, quod ſatis eſt: non haeret in una pagella menſes aliquot, nec facit acervos commentariorum, cum tamen inexplicatum nihil relinquat; hæc & alia incommoda dum avertit, ſternit ad literas viam & faciliorem & rectiorem, id quod bono cedit veſtris civibus & veſtræ denique civitati.* Nec minus dignum notatu eſt ejusdem Nendorfii elogium, quod laudatiſſimus Caſelius odæ ejus, nuptiis Crannichfeldii ſcriptæ præfixit: *Nunc vero & lege & familiaribus tuis legendum da Johannis Nendorfii carmen, magni ingenii & ſingularis doctrinæ juvenis, poetæ elegantis, quem his nominibus, ſed multo magis ob animi morumque probitatem & ſtudium virtutis amo & a bonis amari cupio.* Omitto hic cetera Caſelii æque ac Profeſſorum Helmſtadienſium elogia, quibus optimum virum ornarunt, tum cum ſponſam domum duceret, ſimulque laura poetica cingeretur. Præterea Caſelii alteram epiſtolam ad Reccium Coſ. Goslarienſium exaratam, in qua has Nendorfii laudes legas amplisſimas: *Nendorfii ſcribendi venam (mitto enim nunc cetera) non ſolus probo, ſed cum primis etiam regia Imperatoris, eximiæ doctrinæ cenſores, qui adeo ipſum lauru poetica dignum cenſuerunt. Nec tamen hoc ornamentum oſtentat Nendorfius, ut eſt homo modeſtus, contentus ea præſtantia, quam nobis re ipſa probat.* Hæc Caſſelii teſtimonia, qui parvi habenda exiſtimet, ne ille nec virum hunc noſſe, nec quantum interſit laudari a laudato viro videtur intelligere.

Elogia ejus. *Caſel. ep. ad Recc. p. 182. ſq.*

Jo. Nend. ode nupt. Wilh. Crañichf. patrit. Erfurd. Helmſt. 1597. 4.

Scripta Joh. Nendorfii:

Scripta illius præcipua.

(*) Non fuit Nendorfius ex eorum numero, quibus digiti pruriunt, aut ſcriptorum copia ſuam prodere inopiam libet. Hinc pauca ſcripſit, ſed eximia & ætatem latura, cetera domi ſuæ preſſit magno ſtudio, nec quicquam fere, præter carmina edidit, quorum ingentem ſervo faſciculum. Suis uſibus magno ſtudio conſcripſerat Logicam, Phyſicam, Aſtronomiam, Arithmeticam, aliaque diſciplinarum ſyſtemata, quæ tamen, quem in angulum projecta ſint, cum ignariſſimis ſcio. Interea inter editos, ab illo libellos eminent:

1. Aſotus, comœdia admodum feſtiva qua literatorum quoque nævos falſe perſtrinxit.
2. Syntaxis Græca.
3. Doctrina de tonis Græcorum.
4. Meditatio amiſſæ & reſtitutæ hominum ſalutis ex ſermone D. Bernhardi

ad

ad feſtum annunciationis Mariæ carmine expreſſa. Gosl. 1605. 4.

5. γενεθλίακον σωτῆρος conſecratum magnifico nobiliſſimoque viro Dno Henrico a Cramm in Volkerſen unᵈt Olber. Gosl. 1612. 4.

6. προσφώνησις ad Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dn. Guſtavum Adolphum Svecorum, Gothorum & Vandalorum Regem potentiſſimum. Gosl. 1632. in charta regia.

7. Schöner Bericht des theuren und hocherleuchten Mannes Doct. Martini Lutheri, wie ſich ein jeder in Sterbens Zeiten verhalten / ob und wie weit er die Peſt vergiffte Orter und Perſonen meiden und fliehen möge. Item M. Jo. Nendorfii Ludi Goslarienſis moderatoris carmen ejusdem fere argumenti. Gosl. 1609. 4.

8. Narratio non minus brevis, quam vera, qua exponitur, quomodo civitatem Imperialem Goslariam aó. 1626. die 24. Martii noctu horam circiter 1. hoſtes inopinati deſubito invaſerint, tormentis verberarint, eaque oppugnatione in primam usq; lucem protracta, tandem nebula tecti receſſerint, cæſos ſecum aſportarint, urbem, quanquam inviti, valere juſſerint. Deo ſoſpitatori conſecrata. Gosl. 1627. 4.

9. Ἐπινίκια ſive carmen in ſolennem celebrationem XXIV, diei Martii, quo Deus O. M. civitatem Goslarienſiũ ab invadente & jã propugnacula quatiente inopinato hoſte ſuo clemẽtiſſime liberavit, ſcriptum & inſcriptum ampo Senatui populoq; Goslarienſi. a. M. Jo. Nendorf. Verdenſi. Scholæ Gosl. Rectore. Gosl. 1627. 4.

Harum lucubrationũ quæ fama fuierit, non aliunde rectius, quam ex Nendorfii concione funebri conſtat, ubi hæc leguntur. Als er Anno 1626 auff befehl eines Ehren Veſten Rahts den anfall dieſer Stadt gar nervos und zierlich in lateiniſcher Sprache / ſo wohl ligata als proſa oratione beſchrieben / und ſolches an den Käyſerlichen Hoff gebracht / hat er damit groſe Ehre und Lob eingelegt. Es haben ſich die Käyſerichen hochanſehenlichen Herrn Räthe darüber verwundert und geſagt / ſie hätten nicht gemeint / daß ſie zu Goslar ſolche gelehrte Leute hätten / ſie ſolten den Mann wohl in acht nehmen / ja ſie ſelbſt / wenn er Beliebung dazu trüge / ihme eine vornehme Beſtallung zuwegenbringen wolten.

F. Hagius 1647. Franciſcus Hagius Brunſvicenſis, Conrector primo Goslarienſis, mox Rector Schœningenſis, demum Goslariam ad Rectoratum revocatus munere hoc cum laude per quinquaginta & duos annos geſto ſenio confectus obiit. a. 1679.

M. Hannemann. 1679. Michaël Hannemannus Wernigerodamus vir doctiſſimus, ſed cui vitæ brevitas & valetudinis incommoda vetuere ſpes inchoare longas. Obiit cælebs anno 1684.

Wizmann. 1685. Georgius Andreas Wizmannus, M. A. Goslarienſis, primũ Conrector mox Rector Scholæ patriæ, inde quæſtor civitatis & paulo poſt in ſenatum lectus hodienum muneribus ſuis in curia cum laude fungitur;

1697. Theodorus Gruſſenberg, vir doctiſſimus & longiore vita dignus ex Profeſſore Gottingenſi Rector Wiſmarienſis, ac paulo poſt Goslarienſis ſcholæ creatus inſignem nominis ſui famam reliquit. Sequente tamen anno in miniſterium cooptatus, Paſtorq; SS. Petri & Pauli renunciatus ne integrum quidem annum in hac dignitate exegit, Vita functus anno 1699. atq; inſigni epitaphio a Joanne de Dransfeld Pædaggiarcha Gœttingenſi ornatus:

En Monumentum
Viri reverenda dignitate
excellente doctrina
vitæque ſanctimonia conſpicui
DN. THEODORI GRVSENBERG
Parentibus pie ac honeſtis
Gœttinge viventibus
Natl Anno M. DC. LI. die XXVII Sept.
Prof. quondam Gr. & Hebr. L.
Poſt Philolog. & Conr. in El. Pæd. Gotting.
Tum Scholarum Wismar & Gosl. Rectoris.
Denig; Eccleſiaſtæ Gosl. ad D D. Petri & Pauli.
Qui ſane non fuit e Vulgo Eruditorum
Solide quippe doctus præter S. Theologiam,
Sapientiam Socraticam
Linguas Principes
Diſertus orator, Poeta caſtus & elegans,
Et quod caput eſt Recti exempli Chriſtianus
Qui vero
Ætate nondum feſſus annis nec gravis
Poſtquam vixerat annos XLVII Mens. V. & totidem dies.
Mortali hac exceſſit vita
AN. cIↃ. IↃcIc. Die III. Martii.
Qui menſis magnis quibusdam Viris, fuit fatalis:
Exemptus autem
Mali mundi mille fraudum anfractibus
In cœlo fulget Sideris inſtar
Qui in terra fuit
fidelis Doctor
Qua juventa ſtudioſæ, quà Eccleſiæ.
Collega ſuo quondam Gottingæ
fido f. f. a Dransfeld.

A Carpovius. 1698. Auguſtinus Carpovius Cœslino Pomeranus amicus meus integerrimus hodienum Saxum hoc volvit, cui integritatem virium uberrimamque divini Numinis benedictionem pius quisque mecum apprecabitur.

En igitur Rectores Lycei Goslarienſis, cujus & Conrectores Subconrectores ceterosq; collegas eadem cura deſcibere hic ani-

animus erat, niſi vererer ne antiquitates hæ in nimiam molem excreſcerent.

Anni Chriſti 1543. 1544.

Caroli V. Cæſ. 24. 25.

Ab. V. C. 630. 631.

Comitia Norimb. *Sleidan. l.* 15. *p.* 419. *Sekend. l.* 3 §. 102. *p.* 4. 6.

PRocedebant appetente hoc anno comitia Norimbergenſia, quæ ſuperiori anno indicta & ſubinde dilata menſe demũ Februario inchoata ſunt. In hoc legatorum congreſſu [pauci enim evangelicorum Principum acceſſerant] cum de bello Turcico, tum de Henrici inprimis Ducis Brunſvicenſis expulſione actum eſt, magna utrimque animorum commotione. Arbitros ſe in hoc negotio obtulerant Duces Bavariæ, quos ipſi quoque evangelici in literis defenſoriis ſupra memoratis receperant. Sed quo minus res procederet, in cauſa erat Leonhardus Ekius, Bavarorum Conſiliarius, purioris doctrinæ hoſtis acerrimus, quippe qui tam iniquas conditiones proponebat, ut eas ſine ſuo periculo fœderati recipere non poſſent. Nec felicius res ab ipſo Ferdinando tentata eſt, legatis anguſtiam temporum excipientibus. Prodiit demum comitiorum decretum, quod cum Proteſtantibus non ſatis æquum videretur, interpoſita proteſtatione legati deprecati ſunt.

Interea Goslarienſes recuperatis non ſolum venis metallicis, verum etiam cœnobio Frankenbergenſi, ad priſtinam civitatis ſuæ felicitatem videbantur adſpirare. Ex adverſo tamen tot ac tanta imminebant pericula, ut non poſſent non trepidare, quoties Henrici minæ veniebant in mentem. Certe metus is communis evangelicorum erat, atque ipſe Elector Saxoniæ, ceu ex illius literis, a Sekendorfio excerptis, patet, in iis tum verſabatur anguſtiis, ut ei præſagire quodammodo videretur animus quæ deinceps ſecuta ſunt. Nec tamen interea ſibi deerant fœderati, rebus per ducatum Brunsvicenſem ita conſtituris, ut parum metuendum videretur, quantumvis Dux minaretur. Pericula evangelicis imminentia.

Ceterum extat ex hoc anno reſcriptum Franken Conſiliariorum Gvelpherbytanorum, quo berg. ab. nomine fœderatorum principum monia- lata reſtilibus Frankenbergenſibus quicquid iis ſyl- tuuntur varum, decimarum, aut proventuum interceptum fuerat, reſtitui jubent:

MNſern freundtlichen Dienſt zuvor Erſamen / weiſen beſondern gueten Freunde / uns ſeindt zwey eure vorbittlich Schreiben / So Jhr an uns vor die Priorinnen und gantze Verſamblung des Jungfrauen Cloſters Franckenberg / binnen Eurer Stadt gethan / des einen Datum ſtehet Montags nach Trinitatis / des andern / Sonnabents dem andern Tag Junii zue Goßlar / Jüngſtverſchienenen zuekommen / die haben wier geleſen / und daraus vernommen / weß ſich gedacht Cloſter Jhrer Holtzungen / Zehenden / Huetze / Trifft / undt anders halben / uber etliche Haupt- und Ambtleute / desgleichen die Forſter / beclagen / daß ihnen an denſelbigen Eintracht und Vorhinderung geſchehen ſoll / Nun weren wir gantz geneigt geweſen / Euch auf ſolche Eure Schreiben alsbaldt zuverandworten. So ſind wier zum theill unſerer obliegenden geſchefftе halber verhindert / auch zum theill darumb auffgezogen worden / daß wir ſolcher Ding keinen bericht gehabt / wie es darumb mochte gewandt ſeyen. Weil wier uns aber zuem theill darumb erkundet / So thun wier Euch hiebey liegendt ein offen Mandat an die Bevhelhaber / under welcher Aupten gedachten Cloſter / die Verhinderung begegenen ſollen / haltende zue ſchicken / und ihnen dariñe bevhelen / wo eß unbilliche beſchwerungen wheren / daß ſie dieſelbigen abſchaffen / und in änderung bringen ſolten / dan unſer gnedigſten und Gnedigen Chuer und Fürſten zue Sachſen undt Heſſen / und gemeiner Chriſtlichen ver Ein / auch unſer Gemüett und meinung nicht iſt / Solchem Cloſter oder auch Jemandts anders / etwaß wieder die billigkeit endtziehen zue laſſen. Solte es auch hierumb deromaſen gewandt ſeyn / daß dieſe gebrechen Verhöer undt beſichtigung vonnoten / ſo wollen wir uns nach endtpfangenen Bericht deromaſen wiſſen zue erzeigen / daß ſich obgemeldt Cloſter zuer Billigkeit nicht ſoll zue beklagen haben. Daß welten wir euch hierwiederumb freundtlicher meynung nicht bergen / undt ſindt euch zue freundtlichen Dienſten geneigt / Datum Wulffenbüettel dem VI. Junij Anno XLIIJ.

Verordtnete Stadthaltet undt Rhete zu Wulffenbüttel.

Den Ehrſamen / weiſen / inſern ſondern gueten Freundten Bürgermeiſtern undt Rhattman der Stadt Goſlar.

Ex quibus literis ſatis aperte colligas, Senatum pulſo Henrico Duce, monaſterii Frankenbergenſis Advocatiam ſibi pleno jure vindicaſſe, eamque exercuiſſe, tamdiu, donec Dux, interjecto tempore, ditionibus redditus, novam Goslarienſi civitati transactionem extorqueret, qua tam hoc cœnobium, quam metallifodinæ in Ducum antiquorum quippe poſſeſſorum rediere poteſtatem.

Comitia Spirénſia. *Sleid. l.15. p.435.ſqq. Sekend l 9 §.113.p.473 Maimb. l.3. hiſt. Luther. Sect.18. Paul.Sarp l.1de Conc. Trident. p.173. Florin. Raimund Part.3. hiſt. hær. p.437.ſqq. Hortenſ. l.1. de bell. Germ. p. 450.*

Proximo ineunte anno Cæſar diutius abſens in Germaniam rediit ad comitia Spirenſia, quæ ſuperiore jam anno Genuæ verſatus indixerat. In hisce comitiis, ad quæ Elector quoq; Saxoniæ aliique Evangelici Principes ipſi venerant, mitem admodum ſe præbuit Imperator, ſive quod diſſimulanda in præſens conſilia putaret, ſive, quod Gallo ſibi imminente evangelicos irritandos non putare. Actum in præterea de expulſione Henrici Ducis, cujus reddenda tum ratio erat a Proteſtantibus. Initio equidem Elector Saxoniæ & Philippus Haſſiæ Landgravius ſolenni proteſtationis formula Henrici admiſſionem in Comitia deprecati ſunt. Cui deinde Henricus aliam objecit proteſtationem, qua Electorem Saxoniæ & Landgravium a ſe pro Imperii Principibus minus agnoſci proteſſus eſt. Verum neutro ideo excluſo, res ita ferebat, ut Landgravio Haſſiæ proximus ab Henrico locus obtingeret. Cum itaque periculum eſſet, ne res ad manus inter eos deveniret, ſurrexit ex ordine Joannes Palatinus Comes Simmerenſis, & de jure prioris loci, quem reliquerat poteſtatus, medius inter Henricum Brunſvicenſem & Landgravium conſedit, idque juſſu Cæſaris feciſſe tum ferebatur. Cœpit ex hinc acriore inter utramque partem ſtylo contendi, Saxone & Landgravio Henricum non modo oretenus graviter accuſantibus, verum etiam prolixo recitato ſcripto, in quo omnia quæ in Proteſtantium odium Henricus adhuc concepiſſe ac feciſſe ferebatur, ſatis verboſe enumerantur, ipſisque ſubinde ejus literis, in archivo Guelpherbytano inventis, confirmantur. Productæ præterea ſunt quærelæ Goslarienſium & Brunsvicenſium, tanto verborum apparatu, ut nihil ſit iſto ſcripto operoſius. Titulum gerit: Der Churfürſten/ Fürſten/ Graffen/ Stätt und Stände Chriſtlicher Einung warhaffter undt beſtändiger Bericht Röm. Keyſ. auch Königlicher Majeſtäten/ Churfürſten/ Fürſten und Ständen des heiligen Reichs von wegen der rechtmäßigen/ genothdrängten und unvermeidlichen defenſion, welche Ihre Churfürſtl. Fürſtl. G. G. und Sie wieder Heinrichen/ der ſich nennet den jüngern von Braunſchweig fürzunehmen getrungen. Dergleichen anderer des von Braunſchweig unthaten halben/ auff den zu Speyer obgemeldts Jahrs gehaltenen Verhörs tage gethan und fürgebracht. Sambſtags den fünfften Aprilis Anno M. D. XLIV. Huic Proteſtantium actioni Henricus Dux Brunsvicenſis Aprilis die XXIII. oppoſuit aliud ſcriptum, non minus acre, quod hunc fronte titulum præfert: Des durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürſten und Herrn/ Herrn Heinrichs des jüngern/ Herzogens zu Braunſchweig und Lüneburg. Meines gnädigen Herrn beſtändige/ ergründte und warhafftige Antwort/ die S. F. G. auff dieſen Speyriſchen Reichstag der Römiſchen Keyſerl. auch Königl. Maj. auch Churf. Fürſten und Ständen des Reichs wider des Churfürſten zu Sachſen/ und Landgraffen zu Heſſen/ deren einer ſich Burggraff zu Magdeburg und der ander Graff zu Catzenellenbogen nennen und ihrer conſpiratorn Verwandten/ vermeindte/ unbeſtändige/ ungegründte vorgebrachte Entſchuldigung/ warumb ſie S. F. G. überzogen und dieſelbig ihrer Land und Leute entſetzt/ fürbringen laſſen. Actum am 23. April. Anno 1544.

Quo ſcripto cum partim objecta crimina negarentur, partim Proteſtantes graviſſimo ſub crimine poſtularentur, alterum quoque ſcriptum repoſuerunt Elector Saxoniæ & Haſſiæ Landgravius, priore illo longe elaboratius, plurimisque documentis ipſius Henrici manu exaratis diſtinctum, quod rariſſimum monumentum itidem ab Hortledero actis belli Germanici inſertum reperitur hoc titulo: Letzliche und endliche ablehnung oder Duplick Churfürſten/ Fürſten/ Graffen/ Stedt und Stände de Chriſtliger Einigungs/ auf Heinrichs der ſich nennet den jüngern von Braunſchweig daſelbs verleſene vermeinte Replick oder Schützrede. Anno 1544. Verum cum Cæſar pertæſus tot contentionum nihil amplius publice in eo negotio fieri vellet, nec prælectum etiam eſt, ſed ſcripto exhibitum, quod & ab Henrico Duce factum eſt. Audita hinc utraque parte hanc optionem Proteſtantibus propoſuit Cæſar, malintne Henricum reſtituere in integrum, an captam provinciam ſibi per ſequeſtrum permittere. Re demum diu multumque cum ipſo Saxone & Landgravio, poſt horumque diſceſſum cum legatis agitata, ita convenere, ut Cæſari tanquam ſummo magiſtratui omnis permitteretur Brunsvicenſis Ducatus, donec vel amice, vel legibus diſceptata lis fuerit, provinciæ a Cæſare vel Palatinus, vel Elector Brandenburgicus, vel Mauritius Saxo, vel Clevenſis denique Dux præficeretur, alteruter morem non geſſerit, pœnam violatæ pacis publice ſubiret; Idq; Henrico Duci denunciaretur. Quam tamen tranſactionis formulam ab ipſis, ut videtur, Cæſareis conceptam, anno demum proxime inſequente Proteſtantes ratam habuerunt, quamvis obnitente Heinrico Duce, ſuaque armis repetente, res nunquam effectui data ſit, ut infra dicemus. Prodiit tandem decretum Comitiorum ſatis æquum Proteſtantibus, quippe

Cæſari provincia per ſequeſtrum conceditur. *Hortl.l.4. c.49. p. 1036. tom.1*

Proteſtantibus pax religionis firmatur. *Sleid.l.15. p.446*

quippe qui Cæsari Galliarum regi imminenti validissimis auxiliis subvenerant. Notatu dignissima est illa decreti pars quæ de religione litibusq; ex ejus diversitate subnatis agit, quam stylo Sleidani hic proferam: *Quia dissidium religionis in his bellicis occupationibus tractari non potuit, ad proximum conventum, inque mensem decembrem rejicitur: interea Cæsar negotium daturum ait viris bonis, atq; doctis, qui piam aliquam emendationis formulam conscribant: ut idem quoque Principes faciant, hortatur, quo post in futuris comitiis, facta collatione, de communi consensu statuatur aliquid, quod ad publicum orbis concilium usque servetur, in Germania peragendum, aut ad conventum usque nationis Germanicæ, pacem interim colant omnes, neque turba quicquam ob diversam religionem excitetur, & ecclesiæ cujuscunque sint religionis, utrobique facultates suas obtineant, ex iisque bonis devidatur ecclesiæ ministris, scholis, & egestate pressis: Camera judices locum suum retineant usque ad tempus eis præfixum; cum id exierit, tunc in eum consessum recipiantur omnes promiscue, non habita ratione religionis: edictum Augustanum & lites omnes motæ Protestantibus doctrinæ professionis causa: Goslariensis etiam & Mindensis proscriptio, suspensa maneat ad proxime futuram usq; transactionem: anabaptista pœnam subeant jam olim decretam: magistratus tamen viros doctos atq; pios adhibeat, qui commonstrato errore ad sanitatem ipsos revocent.* Quis non stupeat quæso, Cæsaris mutatum animum considerans, quippe qui, cum initio fasces & secures in Evangelicos expedienda existimaret, decretaq; in Wormatiensibus & Augustanis comitiis ederet rigidissima, moxde Gallicis subindeTurcicisq; consiliis sollicitus ad mitiora flexus, asperiora illa æqu s, quas vocant, declarationibus emollivit: donec in hoc ipso Spirensi conventu plane satisfeciisse Protestantibus videretur. Hæc insperata Cæsaris clementia, quam & coram erga Saxonem & Landgravium præ se tulit, licet ad tempus tantum duratura omnibus prudentioribus videretur, ad tantam tamen indignationem Pontificios commovit, ut parum abesset, quin eum hæreticum dicerent, in primis cú jura convocandi synodú nationalem Germanicá; deq; controversiis statuendi sibi videretur vindicare. Extant binæ Pauli Pontificis Romani epistolæ, (brevia vocant) acri inprimis ac virulento stylo exaratæ ad Cæsarem, quibus ob favorem hunc Protestantibus exhibitum juraque Pontificis Romani violata graviter increpatur. Altera a Sleidano & Pallavicino, altera ab Oderico Raynaldo, utraque a Sekendorfio in medium producitur, concinnisque stricturis distinguitur. Has solas, qui legerit, perstrictam istius Pontificis frontem ac immanem dominandi libidinem, hypocrisin denique exsecrandam, quæ ex omnibus periodis elucet, non potest non admirari. Sed non diu hæc spes Protestantes aluit, siquidem expirante jam mense septembri Cæsar inita cum Rege Galliæ pace, id quoque inter cetera pactus erat, *ut ad restituendam ubique veterem religionem & ecclesiæ concordiam, mutuam alter alteri operam præstaret*, addita & hac cautione, *ut hac pace omnes Imperii Electores, principes ac ordines fruerentur, qui essent obsequentes Cæsari*, qua limitatione palam in protestantes faba cudi videbatur. Sed quid opus verbis, ubi res ipsa loquitur? Quæ enim consilia Cæsaris in hisce comitiis fuerint, mox docuit bellum Germanicum triste & infelicissimum, de quo suo loco uberius erit agendum.

Proscriptio Goslariensis denuo suspenditur.

Pontificis adversus Cæsarem Indignatio. *Sleid. l.16. p. 451. Pallavic. l.5. c.6. Raynald. Cont. An. Bar. ad ann. 1544. n.7. Sek. l.c Paul. Sarp l.c. Hort. l.c. Luth. Tom. VIII Altenb. f. 418. sq.*

Annus Christi 1545.
Caroli V. Cæs. 26.
Ab. V. C. 632.

HÆc immutata Cæsaris voluntas, periculumque toti ecclesiæ imminens, sequente statim anno veluti e longinquo apparuere, licet secreta molimina tanto studio occultarentur, ut nec ipsi quidem Pontificii illa cogitatione ad sequi possent. Vix enim pax cum Galliarum Rege coaluerat, cum statim Pontifex suasu Cæsaris abruptum nuper Concilium Tridentinum magna cura redintegraret, suoque more judicis sibi partes sumeret, quo scilicet eo speciosior in Protestantes animadvertendi causa esset. Prima hæc malorum ago, siquidem omnia, quæ deinceps contigerunt ex isthoc fonte manarunt. Secuta mox sunt Comitia Wormatiensia, quorum superiore anno in Spirensi congressu spes facta fuerat. Dici non potest quæ eorum fuerit expectatio, quod Cæsar daturum se operam promiserat, ut infelix istud in religione dissidium demum æquis legibus componeretur, quem in finem Protestantes etiam reformationis formulam concipere jusserat. Sed ad rem ubi perventum est, jejunis modo promissis ac callida dissimulatione Protestantibus illuditur. Primo tempus teritur disputatione satis subtili de pace religionis, quæ Concilio indicto terminari videbatur, licet nihil omitterent Cæsaris legati, ut suspicionem hanc Protestantibus eximerent. Deinde de Concilio magna animorum commotione agitur, Protestantibus quippe palam obnuntiantibus, nullo loco se habituros Concilium, in quo Papa, qui ecclesiam quam maxime turbaverit, judicis exerceret partes. Eadem fuit Protestantium de judicio Camerali sententia, in quo ni sibi satisfieret, nullas se de Turca suscepturos esse deliberationes profitebantur. Mense demum Augusto prodiit decretum, cujus stylus tam callide tantaque cura tortus est, ut neutri parti satisfaceret. Maturior de religione deliberatio aliaque gravissima negotia ad futura comitia mense Januario anni insequentis Ratisbonæ habenda rejiciuntur.

Comitia Wormatiensia. *Sekend. l.3 §. 121. p. 542. Sleid. l.16. p. 459. Paul. Sarp. hist. Concil. Trident. l.2. p. 185. Hort. l.1. de Bell. Germ. p. 451.*

Novum indicitur colloquium, binis ante comitia menſibus habendum, ad quod utrinque quatuor collocutores totidemq; auditores deliguntur, de actis colloquii in comitiis relationem edituri. Pax publica ano MDXXI. inita confirmatur, atq; innovatur, hac tamen ſubtili adjecta clauſula, *ſervandos eſſe receſſus, ſicut ab Ordinibus ex utraque parte reſpective acceptati eſſent*, quo palam omnes, qui in receſſum non conſenſerant a violatæ pacis crimine abſolvuntur. Camerale denique judicium ad quatuor tantummodo viros redactum, & pene delertum in futura usque Comitia continuandum edicitur, ne ſcilicet fatalia cauſarum periclitarentur. Totus vero receſſus uno veluti ictu profligatur, proteſtatione Statuum Pontificiorum ſimul decreto inſerta, qua Colloquium de religione habendum declinant, obedientiamque Cæſari promittunt ex poteſtate & officio agenti. Quæ formula tot patitur exceptiones, ut ſi eam cum verbis receſſus Spirenſis 1544. §. Als wir aber in der Handlung befinden conferas, nihil in rebus religionem ſpectantibus Cæſari relinquere, omniaque Pontifici tribuere videantur.

Cæſar ſequeſter ditionis Brunsvicenſis ſtatuitur *Sekend. l. 3 §. 121. p. 553 Hortl. l. 4. c. 49. p. 1036. tom. 1 Sleid. l. c. p. 472.*

Hac occaſione dum legati ex tota Germania Wormatiam ad Comitia acceſſerant, inter Proteſtantes etiam habitis ſeorſim conventibus, de imminenti periculo actum eſt, magna licet ſociorum diſſenſione, ex qua plerique paulo prudentiores male huic fœderi ominabantur. Ratam tamen tunc demum habuere ſequeſtrationis formulam, quam de ducatu Brunſvicenſi, in provinciæ formam redacto, Cæſar conceperat, ſive ut Cæſari ſuam moderationem probarent, invidiamque, quam ſibi poſſeſſione hujus ſplendidæ ditionis conflaverant iſthoc pacto mitigarent, ſive quod ex acceptorum expenſorumque rationibus didicerant, annuas in Ducatum impenſas majores eſſe proventibus, qui ex iſto redirent. Inprimis cum provinciales ſibi conciliaturi tam moderata indixerint tributa, ut vix triginta duorum florenorum millium ſummam annuatim perciperent, cum Dux duplo plus diceretur variis exigendi modis confeciſſe. Quæcunque fuerit hujus conſilii ratio, laudandus ſane eſt Proteſtantium candor, quo factum eſt, ut, licet omnia ad bellum ſpectare facile e Cæſaris tergiverſatione conjicerent, non tamen dubitarint, tam luculentam provinciam illi per ſequeſtrum tradere, ex qua immi. nente bello omnium maxime impugnari potuiſſent. Sed quæ eſt candidorum ingeniorum ratio, maluerunt evangelici præſentiſſimum periculum adire, quam reluctando indignationem Cæſaris provocare, famamque ferre immorigerorum ſtatuum. Ceterum extat ipſa transactionis formula ab Hortledero edita, præfixo titulo: Wormbſiſche Capitulation, qua cautum præcipue eſt, ut Cæſar interjecto menſe Ducatum recipiat, eundemque neutri parti reddat, niſi litibus vel amicæ transactionis vel legum beneficio ſopitis, adminiſtratio bonis ex hiſce Electoribus & Ducibus Friderico nimirum Palatino aut Joachimo Brandeburgico Electoribus, aut Johanni Palatino Rheni, aut Mauritio Saxoni, aut Wilhelmo, deniq; Clivenſi demandetur, ut provinciæ æquo regimine gubernentur, nec iis quidem ſublatis legibus, quas a tempore victoriæ ſtatuiſſent Proteſtantes: Henricus vero ejusque miniſtri plane e ditionibus interea exulent. Commiſſarii arbitri ſint inter Henricum & fœderatos Smalcaldicos, quorum interventu niſi res ad liquidum perduceretur, legibus experiantur, ita tamen, ut pendente lite, neutra pars arma in alteram convertat: is, qui parum ſe morigerum gereret, fractæ pacis reus pronuncietur, in eumque Cæſar juſta ſeveritate animadvertat: Hæc transactio Henrico a Cæſare mature denuncietur, ejusque conſenſus poſtuletur, ſin recuſet, Cæſar edictis eum compellat, transactioque nihilominus rata ſit, effectuique detur. Denique Goslarienſibus ſuſpenſa dudum proſcriptione legibus experiri contra quoscunque liceret. Zum Sechſten/ daß denen von Goslar/ hie bevor beſchehenen Suſpenſion und Bewilligung nach/ das Recht wieder männiglich würcklich geöffnet werde. Actum hoc eſt d. X. Julii, a cavo miſſusque ſequente ſtatim ſeptimana a Cæſare Laurentius ab Altenſteig Dapifer, qui Henrico hæc omnia renunciaret, obſequiumque ei ſuo nomine imperaret. Verum tantum abeſt, ut iſtam ſequeſtrationem approbaret, ut ne ſeveriſſimis quidem edictis d. VI. Auguſti typis publicatis, ſe eo pateretur adduci, *Interim an id conſcio Cæſare fecerit, & in hac quoque cauſa nonnihil ſimulate actum fuerit, varia tum fuerunt judicia*, teſte ill. Sekendorfio.

Goslarienſibus de adminiſtranda juſtitia cavetur.

Id ſane conſtat, Henricum Ducem, contracto a Rege Galliæ ingenti auri pondere, impune milites interea conſcripſiſſe, eamque armaturam tanta ſolertia occultaſſe, ut proteſtantes, quo hoc ſpectarent, vix aſſequerentur. Regi enim Galliæ perſuaſerat, ſe hoc milite copias, quas Rex Anglorum in Germania Duce Friderico Riſebergio contrahebat, diſſipaturum. Chriſtophorus vero de Wrisberg, cujus opera Henricus in comparando per Bremenſem & Verdenſem diœceſes exercitu utebatur, tam callide conſilia Ducis occultabat, ut Landgravio primum nullos ſe milites conſcribere, deinde Regi Galliæ illos conduci pejeraret. Sed ea molimina mox eruperunt, cum Henricus illos in verba ſua adigeret, peragratoque primum agro Hadelenſi cum juſto exercitu mille & quingentorum equitum, octiesque mille peditum ad Rotenburgum caſtra explicaret, ratus ſe ab Archiepi-

Henricq Dux Br. armis Ducatú repetitu rus. *Sleid. l. 16. l. 472. ſq. Hort. l. 1. p. 451. Sekend. l. 3. §. 124. p. 567. Bunt. part. 1. Chron. Brunsv. p. 310. ſq.*

epiſcopo Bremenſi majoribus tormentis facili negotio potiturum. Id vero cum Bremenſes impedirent, mutato ſubito conſilio per Luneburgenſem Ducatum intravit, omnia ubique depopulatus. Denique ubi ad limites ducatus ſui pervenit, omnia terrore implevit, Steinbruccam arcem paucorum dierum obſidione expugnavit, ceterasque ditionis ſuæ arces & oppida ad unum omnia dextro Marte recuperavit, præter unicam Guelpherbytanam, qum fœderati Duces fortiſſimo impoſito præſidio communiverant. Nemo fere erat, quin ad hanc inſperatam rerum cataſtrophen ſtuperet, inprimis cum periculum eſſet, ne Proteſtantes tardius, quem opus eſſet, juſtum opponere exercitum poſſent. Tanta certe fuit Henrici victoris indignatio, ut Brunſvicenſibus ac Goslarienſibus peſſima quævis minaretur, Hannoveranos, Mindenſes, Hamburgenſes, Bremenſes aliasque civitates a fœdere Schmalcaldico deficere, ſibique auxilia ſubmittere juberet, Comitem deniq; Tœclenburgenſem Evangelicæ doctrinæ tenacem, ſeorſim premeret, adeo ut non tam ſua recuperaturus, quam potius Evangelicorum religionem armis extincturus videretur. Siquidem quocunque victricia ſigna circumferebat religionem etiam Pontificiam ſimul ſolebat invehere. Quæ Goslarienſium fuerit trepidatio, facilius cogitatione, quam oratione adſequimur. Teſtantur annales MSC. quantivis pretii, cives tum in reparando vallo dies noctesq; elaboraſſe, tum nova aliquot munimenta ædificaſſe, iis præcipue locis, ubi torrentes Goſa & Azucht in urbem admittuntur, nec unquam a ſtationibus diceſſiſſe, quo factum eſt, ut licet frequentes equitum turmæ mœnia ſubirent, ſæpiusq; civitati inferre damnum tentarent, ſemper tamen re infecta discedere cogerentur.

Annal. Gosl. MSC.

A Landgravio, Haſſiæ victus capitur.

Inter hæc arx quoque Guelpherbytana binis exercitibus obſeſſa exſiccatis jam per catarractas foſſis animam veluti agere videbatur, cum Landgravius, quem penes tum ſumma belli erat, cum luculentiſſimo exercitu mille & ſexentorum equitum & ſepties mille peditum adventare nunciaretur, cui ſe mox Erneſtus Brunsvicenſis cum mille equitibus & octies mille & quingentis peditibus ab Electore Saxoniæ ſubmiſſis jungebat. Hi caſtris ad Northemium explicatis Mauritii cohortes ſocias exſpectabant, qui cum mille equitibus & quater mille quingentis peditibus Raldshuſam usque in Pleſſenſem Dynaſtiam penetraverat. Hoc nuncio perculſus Henricus ſoluta ſubito obſidione Bokelheimum duxit exercitum, collectisque undique tributis, quibus copiis ſuis ſtipendia ſolvebat, Calfeldá usq; perrexit, caſtra uno tantum milliari a Landgravio metatus. Conſpectis tamen fœderatorũ viribꝰ ad mitiora conſilia flexus de pace cum Landgravio egit, arbitris uſus Ericiducis Brunſvicenſis vidua Joañe Marchione, Comitibusq; Swarzburgenſibus, Stolbergenſibus & Regenſteinenſibus, quorum tamen operam Landgravius magno animo rejecit quod ſibi ſine ſociorum conſenſu, nihil ſtatuere licere ferebat. Idem reſponſum ipſi Mauritio Saxoni datum eſt, cum Henrici loco amicam transactionem offerret. Suſpicabatur enim Landgravius, id ſolum agere Henricum, ut occaſio rei gerendæ Proteſtantibus intercipereꝛtur. Interea Henricus deſperata pace miſſis aliquot equitum peditumque turmis caſtra Landgravii turbare auſus eſt, caſſo tamen molimine, ſiquidem explosis tormentis bellicis, ſignum receptui dare coactæ ſunt. Die vero XXVIII. Octobris majora molitus Leinam trajecit, locumque declivem cum quodam monaſterio occupare ſtuduit, e quo fœderatis maximum inferre damnum potuiſſet. At Mauritius animadverſo ejus conſilio, ſuas quoq; copias Leinam transire juſſit, prævenꝛque Henrico monaſterio quadringentos milites impoſuit. Sed & Landgravius relictis in caſtris valido præſidio cum delecta manu montem occupavit, ibique ancipiti fortuna aliquandiu velitationes cum hoſte habuit, certus, juſto prælio de rerum ſumma contendere. Nec tamen intermiſit interea Henricus fœderatos de pace ſollicitare, nunquam ſe contra evangelium arma ſumturum pollicitus, ſi de æquis conditionibus pax iniri poſſet. Mauritius itaque etiam atque etiam hortatus eſt Landgravium, ut de pace tractari pateretur, ſperare enim ſe fore, ut Henricus, inops conſilii, æquas conditiones admittat. Quo factum eſt, ut Landgravius de pace transigi concederet, iis tamen legibus, ut Henricus Mauritii ſe poteſtati permitteret, ejusque ſententiæ in cauſa, quæ inter ſe & fœderatos, civitatesque Goslarienſem, & Brunſvicenſem verteretur, ſtaret, ea vero tranactio a Conſiliariis bellicis & Civitatibus jam dictis rata haberetur, quas oblatas conditiones ſtylo iſtius ſeculi lubet deſcribere:

Relatio actorum de Henr. eo Duce & ſocio. rum ejus ap. Hortl. lib. 4. c. 51. p. 1039. & c. 52. p. 1045. Sleidan. l. 16. p. 473. Sekend. l. c. Bunt. l. c. Commentar. ſuccinct. de cauſa Belli adv. Henr. D.

Da iſt nachgegeben/ daß H. Moritz im möge fürſchlagen: der Religion halben: ſo das alſo were/ wie er/ Hertzog Heinrich geſagt daß dem ſolches verſichert würde/ wie das der Artickel ausweiſet/ und daß Hertzog Heinrich ſich mit ſeinem Leib in Hertzog Moritzen Hand gen Dreſen ſtellen ſolt/ desgleichen ſolte das Land auch in Herzogen Moritzẽ Hand geſtellet werden/ dero geſtalt/ daß Hertzog Moritz umb Koſten und Schaden auch in den Irrungen/ ſo Hertzog Heinrich/ mit den Stätten Goßlar und Braunſchweig hat mächtiglich in der güte ſprechen ſolt/ und was H. Moritz alſo ſprechꝛ/ dabey ſolts endlich bleiben/ doch iſt

Br. p. 412 ap Schard tom. 2. Luther. l. VIII. Jenenſ. f. 248. Thuã l. 2. hiſtor. p. 28.

hiebey geredt/ daß Hertzog Moritz dieſe Artickel/ als für ſich vorſchlug/ bewilligte ſie Hertzog Heinrich denn/ ſo ſolt es an dem Churfürſten von Sachſen/ Landgraffen zu Heſſen/ die Kriegs Rähte der Chriſtlichen Verſtändnüß/ und an Goslar und Braunſchweig gelangen/ was die würden bewilligen/ darauff ſolt es ſtehen. Der Landgraff und Sächſiſche wolten aber dieſer Artickel halb nichts bewilliget haben/ ſondern es ſolt ſtehen auff gefallen des Churfürſten/ der zweyer Stätt/ und der andern Kriegs-Rähte. ꝛc.

His itaq; conditionibus ad Henricum perlatis, Mauritii conſiliarii mox retulerunt ad Landgravium, rem non eſſe deſperatam, nec Henricum has conditiones adſpernaturum videri, ſi ad transactionem admitteretur. Cum vero in tanto armorum ſtrepitu nihil agi poſſit, non incommodum eſſe, ſi inſtante nocte, dieque inſequente induciæ fierent, ac utriusque partis exercitus in caſtra reduceretur. Sed alia omnia evenerunt; Henricus enim tantum abeſt, ut conditiones acceperit, ut potius ſimul ac induciæ expiraverant, palam Mauritii conſiliariis obnunciaret: arma modo expedirent ad ſupremum certamen, Landgravius an ipſe jura gentibus darent, intra tres horas ſcituros: [in dreyen Stunden ſoll geſehen werden/ ob der Landgraff oder ich H. Heinrich/ Herr der Welt ſey?] Ied & Landgravius abrupta pacis tractatione prælio ſe paravit, ſæpiusque de reſumenda conſultatione interpellatus, non paſſus eſt, ſe ad inſtaurandas inducias permoveri. Nocte itaque proxime inſequente, ſigno dato, caſtra movit, Rumaque flumine pontibus junctо copias trajecit, præmiſſis principiis, quibus vallum, quo caſtra Henrici Ducis tegebantur, expugnaretur. Quo viſo Henricus cohortes aliquot oppoſuit, tam felici rerum ſucceſſu uſus, ut Landgravii copiæ nonnullæ, quæ vallum jam perruperant, ſignum receptui dare coactæ ſint. At Landgravius, adductis majoribus tormentis, non modo cohortes Henrici feliciter repulit, verum etiam plerasque copias ſuas per vallum nullo impediente perduxit, tantaque vi in Henrici exercitum exploſit tormenta, ut huic nec conſilii quidem expediendi copia eſſet. Accepta igitur fide publica ad Mauritium Saxonem venit Hilmarus a Munchshauſen, colloquium Henrici nomine poſtulans, quod tamen Landgravius negavit ſe permiſſurum, niſi omnis exercitus vallum ſuperaſſet. Ipſi vero Munchuſio palam faſſus eſt, non alia lege a propoſito ſe diſceſſurum, quam ut Henricus Dux una cum Carolo Victore filio ſe ſibi dederent, id niſi fecerint, prælio ſe confiſturum.

Quam Landgravii ſententiam ipſe Mauritius Saxo ad Henricum detulit. Interea copiis omnibus per vallum deductis aciem componit Landgravius, veritus, ne Henricus fuga ſe ſubducat, tam prope ad hoſtium caſtra pergit ut jamjamque res ad arma ventura videretur. Protinus igitur advolat Mauritius, referens, Henricum de fortuna ſua conqueſtum cum filio Landgravii poteſtati ſe permittere decreviſſe, rogare tamen, ne Landgravius dictis acerbioribus victis inſultaret. Nec mora cum filio adfuit Henricus Dux Brunſvicenſis, Landgravioque ſe dedidit. Cui Landgravius: *Si ego*, inquit, *tuo loco eſſem, ſalus certe mea in magno verſaretur periculo: ego vero dabo operam, ut aquiorem me ſentias, quam de me meritus es.* (Wenn du meiner ſo gewaltig wäreſt als ich deiner/ ſo würdeſtu mich nicht leben laſſen/ ich wil mich aber beſſer gegen dir halten/ denn du umb mich verdienet haſt.) *Quid demum eo prolapſus es audacia, ut Cæſarem ſequeſtrum agnoſcere recuſares? Quod niſi feciſſes, & tibi profecto rectius conſuluiſſes, & hominum quamplurimorum prohibuiſſes interitum.* Quæ effatus Henricum equitibus quibusdam cuſtodiendum dedit. Duce itaque in deditionem accepto nihil fuiſſet facilius, quam totum exercitum ad internecionem cædere. Landgravii ſiquidem copiæ tanto impetu in hoſtes ruere cœperant, ut vix imperatorum juſſibus ſiſti retrahique potuerint. Dimiſſæ tamen copiæ, ſalvæque domum redire juſſæ ſunt, direptis ſignis, præſtatoque juramento, intra ſex menſes adverſus Proteſtantes ſe non militaturas. Hæc ſcena fortunæ in Henrico Juniore apparuit, qui illuſtriſſimo genere ortus parique virtute præditus, Cleri tamen perverſis conſiliis in transverſum actus, adverſus Proteſtantes iniquior eſſe cœperat. Hinc mira fortunæ converſis. Quippe per vitam primo victor, mox princeps potentiſſimus, deinde exul, porro captivus, ac denique priſtinæ fortunæ in ſolidum particeps factus. Proſtratis enim paulo poſt a Cæſare Smalcaldici fœderis ſociis, e cuſtodia dimiſſus ditiones poſtliminio adiit easq; magna tranquillitate ſatis diu rexit. Quis ergo mirum hoc ac prope ſtupendum divinæ providentiæ ſpecimen non veneretur, quo factum eſt, ut Dux juſto ferocior & incredibili adverſus evangelium odio flagrans, hiſce calamitatibus ad ſaniorem mentem perduceretur. Senex enim imminuto paulatim odio tam mitis in Evangelicos apparuit, ut non modo D. Julium, filium hac religione imbui pateretur, verum etiam protervas cleri calumnias ſerio prohiberet. Quod an fuiſſet facturus, ſi omnia ad votum fluxiſſent, merito dubites, ſi conſideres illud Spiritus S. oraculum: *Fiet, ut duntaxat vexatio faciat intelligere auſcultationem.* Eſ. XXVIII. 19.

Anni

Anni Chriſti 1546. 1547.
Caroli V. Cæſ. 27. 28.
Ab. V. C. 633. 634.

Conventus Francofurt. a Proteſt. ob imminentia pericula inſtitutus. *Sleidan. l. 3. §. 131. p. 613 ſeqq.*

HAnc victoriam, qua Goslarienſes quoque omni periculo liberati ſibi videbantur, mira ſecuta eſt rerum cataſtrophe. Adeo nihil in rebus humanis conſtans ac perpetuum reperitur, ſed omnia ſuo veluti voluta orbe modo in altum rapiuntur, modo præcipitia ferun-tur in occaſum. Dilucide hoc annis proxime ſequentibus apparuit, quibus exci-tatas conſtat eas tempeſtates, quæ mergere eccleſiæ naviculam potuiſſent, niſi Chriſtus ſuorum memor ipſe tenuiſſet clavum, cymbamque fluctuantem ac pene ſubmerſam per medios fluctus in eum per-duxiſſet portum, in quo nunc tuta per Dei gratiam ac integra perennat. Jam ſuperiore expirante anno Evangelici Franco-furti convenerant, de concilio quod Pontificis auſpiciis Tridenti habebatur, ſupremam edituri ſententiam. Ea hoc ipſo demum anno prodiit a Philippo Melanchthone conſcripta, qua Conciliabulum hoc Pontifici obnoxium tanquam inane ac eccleſiæ perniciosum rejiciunt, veritatemque a ſe pluris, quam pacem politicam haberi, intrepido animo ac inſigni conſtantia profitentur. Interea novæ ſubinde ſuſpiciones ſuboriebanrur Proteſtantibus, Cæſarem impetrata pace cum rege Galliarum, totum armorum impetum in ſe converſurum eſſe. Quod ex Colonienſis præcipue Electoris cauſa colligebant, quem ob ſuſceptam religionem puriorem ſatis duriter haberi, animadverterant. Malis his accedebat Mauritii Saxonis tergiverſatio, ex qua jam ſagaciores augurabantur, illum in Cæſaris partes propliviorem fore, ſi claſſicum caneretur. Tot igitur curis undiquaque preſſi Proteſtantes licet pericula præſagirent, contra fortunam tamen ſpei inſiſtentes, rem Domino commendarunt, pioque edito decreto Francofurtenſem conventum ſolverunt. Receſſus hic a Sekendorffio recenſitus his præcipue legibus abſolvitur, *Hermanni Colonienſis cauſſam pro virili agendam, concilium Tridentinū conſtanter rejiciendum, verbum Dei, omiſſis alienis, pure prædicandum, ſectis maſcule occurendum, ſcandala quævis pie avertenda, juventutem ſollicite erudiendam, pauperibus denique liberaliter proſpiciendum.* Tantas terror ubique ac trepidatio fuit, ex quo exacerbatus Cæſaris animus tot luculentiſſimis ſignis apparuerat. Lutherus tamen in-

Mors Lutheri.

ter hæc nihilo timidior ſuo more egit, tantoque impetu Papatum impugnare perrexit, ut juſtum ejus adverſus Pontificem odium cum ætate auctum videatur. Quod licet illum non impune facturum, plures ex imminenti bello conjicerent, illi tamen de ſecuritate ipſe Deus proſpexit, qui cœleſtem ejus animum hoc anno d. XVIII. Februarii ex miſerrima rerum humanarum caligine ad cœleſtem lucem ac ſempiternam requiem gaudiaque cum beatis mentibus inceſſanter percipienda evocavit.

Hactenus quidem hæc tempeſtas Cæſar ſpiſſis veluti nubibus clauſa e longinquo fœderis imminuerat, animosque mortalium inter Smalcal-ſpem metumque tenuerat ſuſpenſos: at dici interjecto tempore vibratis ſubinde ful-guribus editisque fragoribus propius ap-paruit, donec expirante propemodum hoc anno ipſum fulmen non ſine inſigni innumerorum hominum clade caderet. Omnis certe ſimulatio, qua Cæſar per a-liquod annos ad obtegenda conſilia fue-rat uſus, proximis in comitiis Ratisbo-nenſibus deſiit, in quibus Cæſar non mo-do ſe duriorem Proteſtantibus præbuit, verum etiam nonnullos fœderatorum, quos rebelles criminabatur, armis impe-rata ſe coacturum minatus eſt. Jam undiq; copiæ per Germaniam, Italiamq; conſcri-bebantur jam Pontifex cum Cæſare fœ-dus percuſſerat, Hiſpaniæ etiam Belgicæque copiæ adventare jam nunciaban-tur, cum proteſtantes quoque principes & civitates bello ſe pararent. Primi in armis fuere Suavi, Dux nimirum Wurtenbergicus & civitates confines, quibus propius erat hoc periculum: nec minus Elector Saxoniæ & Haſſiæ Landgravius cete-rique fœderis Smalcaldici ſocii copias contrahere moliti ſunt. Ne vero ſi ad pugnam ventum eſſet maximam copiarum partem ad ſervandas Brunſvicenſes provincias mitti oporteret, aut hoſtes e tam oportuno ducatu bellum proteſtantibus perpetuum inferrent, arcem Guelpherbytanam munimentis privarunt, militem-que præſidiarium revocarunt domum. Jacta demum alea. Proteſtantes, qui in ſmalcaldicum fœdus coiverant, ferali ſententia proſcripti, amoliti a ſe rebellionis crimen ad arma concurrunt, id ſibi dandam operam rati ne inulti perirent. Ac initio quidem integra adhuc inter ſocios concordia ad votum omnia fluebant. Fieſſa quippe, Ereburgo, Dilinga & Donauwerda primo impetu captis: nihilque fuiſſet facilius, quam ipſum Cæſarem capere, ſi occaſionem victores arripuiſſent. Sed omnia in deterius mutata, cum Mauritius Saxo pactus ſibi electoratus honorem in Cæſaris caſtra palam tranſiret, omnemque fere, quam late patet, Saxoniam Bohemicis Hungaricisque firmatus auxiliis occuparet. Inde enim factum eſt, ut Elector & Landgravius cum in ſpe rei bene gerendæ eſſent, ipſique Auſtriæ imminerent, ad ſua tuenda domum revocarentur. Inſecutus ergo fœderatos Cæſar cum juſto exercitu, dici non poteſt, quanto omnia terrore impleverit, hinc ipſo, inde Mauritio Saxone extrema quævis minitantibus. Demum juſta acie pugna-

Conf. Hortl. l. 3. c. 69. p. 436. tom. II. Hortenſ. l. 2. de bell. Germ. p. 455. ſq. Louis d'Avila hiſt. bell. Smalc. ap. Hortl. l. 3. c. 81. p. 470 ſq. tom. II. Jean de Godoi hiſt. bell. Germ. ap. Hortl. tom. II. p. 1618. ſq. Maimb. hiſt. Luther. lib. 4. Camerar. vit. Melanchth. p. 267. ſq. P. Sarp. l. 3. p. 460.

pugnatum eſt, qua Proteſtantes victi proſtratique atque ipſe Saxoniæ Elector & Haſſiæ Landgravius pluresque alii hoſti ſe dedere coacti ſunt, interjecto demum tempore Mauritii Saxonis armis e captivitate liberandi. Ex quo bello denuo divina ſapientia egregie elucet. Qui enim non ſtupeat, ſi cogitaverit rei eventum a conſiliis plane diverſum? Pontifex enim æque ac Cæſar ſpem conceperant, fore ut potiti victoria Lutheranismum facili negotio extirparent. Et tamen vana fuerunt hæc conſilia, egregioque documento demonſtravit Deus, etiam ubi omnia deſperata videatur, *rivos tamen fluminis exhilaraturos eſſe, civitatem Dei, ſacrarium tabernaculorum altiſſimi. Deus enim eſt in medio ejus, ideo minime nutare poteſt. Opem illi fecit Deus ante auroram.* Quis deinde divina non admiretur judicia ſi Mauritii Saxonis acta conſideret, quo ad Cæſarem delabente actum ac de puriore eccleſia videbatur: cum tamen hunc ipſum Deus veluti eccleſiæ vindicem reſervaret. Sane ſi cum proteſtantibus ſtetiſſet Mauritius, eodem forte ictu & ipſe proſtratus a Cæſare fuiſſet, quo facto nemo ſupererat, qui rem nobis reſtituere, Cæſarisque victorias ſiſtere potuiſſet. Ita videlicet divinitus comparatum eſt, ut quæ maximam eccleſiæ perniciem minari videntur, in præcipuum plerumque ejus vergant emolumentum.

Pſ. XLVI, 4. 5.

Goslaria quantú ad hoc bellum contribuerit? *Horst. l. 3. c. 49. p. 375 tom. II.*

Ceterum quantum Goslaria aliæque vicinæ civitates ad infauſtum hoc bellum contulerint, patet e receſſu conventus Giengenſis, anno MDXLVI. die XXVI. Novembris habiti, e quo hanc particulam exerpere placuit.

Und nachdem ſich die Stände ſchuldig erkennen / dem Churfürſten zu Sachſen zu Eroberung S. Churf. G. Lande / die vielleicht S. Churf. G. auf dieſe Stunde abgedrungen ſein mögen / und weiter abgedrungen würden / Hülff zu thun / ſo ſolt ein jegliche Sächßl. Stadt S. Churf. G. zu Unterhaltung der zwey Regiment / als des von Oldenburg und Thumbehierns / darein des von Beichlingen geſchlagen / und da vielleicht S. Churf. G. zugethan / und unter S. Churf. G. Regiment geweſt / als zu einer eylenden Hülff mit Geldt helffen nemblich

Bremen	20000	Gül- den.
Braunſchweig	20000	
Goßlar	10000	
Magdeburg	20000	
Hamburg	20000	
Hildesheim	9000	
Göttingen	5000	
Hamober	4000	
Eimbeck ſoll nach Vermögen mit Volck helffen.		
Minden	3000	

fürderlich gen Braunſchweig bey dem Rath erlegen.

Hæc tum communis eccleſiæ evangelicæ facies fuit, ad quam non dicam depingendam ſed delineandam nec calamus ſufficit, nec animus rei triſtitia depreſſus. Nec tamen ſatisfeciſſe Lectori viderer, niſi Goslarienſium mutatam ſubito fortunam ac miſerrimam conditionem hic deſcriberem. Nimirum ex quo obtritis fœderi S. Smalcaldici capitibus totum fœdus fuerat diſſolutum, Goslaria noſtra omni nudata auxilio dici non poteſt, quam duram ſubierit conditionem. Henricus enim Dux Brunsvicenſis, Cæſaris juſſu e cuſtodia dimiſſus atque ad ditiones ſuas reverſus revocato ad animum detrimento, quod Goslarienſium præcipue cauſa ceperat, incredibili odio in civitatem fervebat, omnibus iis repetitis, quæ a proteſtantibus civitati fuerant reſtituta. Cives ad incitas fere redacti jacturam tantæ pecuniæ, quam in bellum vice plus ſimplici contulerant, ſentiebant. Denique foris Cæſaris pertimeſcenda erat potentia, qui proſtratis Proteſtantibus totique Germaniæ Dominus jam factus erat omniaque ſuo arbitrio videbatur acturus.

Miſera Goslariæ facies.

Nec minus luctuoſus civitati fuit obitus D. Eberhardi Weidenſei, Superintendentis noſtri, qui paucis ante feralem iſtam ſeq; pugnam Mulbergenſem diebus contigit. Is enim theologus & eruditione & vitæ integritate conſpicuus inprimis neceſſarius fuiſſet civitati in iſtis turbis, quæ nos ſubortæ ſunt. Sed videtur Deus optimum virum ad ſe evocaſſe, ne publicam intueretur calamitatem, quæ tam prope imminebat univerſæ eccleſiæ. Mortis ipſi cauſæ fuerunt dolores intra ilia ſævientes, quos medici infuſo enemate expugnare tentaverant. Quo factum eſt, ut vir longiore vita digniſſimus ipſis Idibus Aprilis expiraret, in eccleſia SS. Cosmæ & Damiani pro ritu compoſitus, ubi hodienum ejus epitaphium extat in palimpſeſto exaratum & tabellæ ligneæ infixum, dignum ob ſimplicitatem ſuam, quod hic legatur:

D. Eberh. Weidét. obit. *Annal. Goſl. MSC. Lexn. MSC. de monaſter. c. 18.*

Epitaphium Eberhardi Wiedenſehe Doctoris et Superattendentis defuncti anno ab orbe redempto per Chriſtum 1547 vigilia Paſchae.

Haſtu mich gebiſſenn
Und alſo geriſſenn
Das ſoll mir gedeyen
Aus muſt du mich ſpeien
Du leidiger Doth
Aus all meiner Noth
Zu der Seligkeit
Wer es dir auch leidt

Mein

Mein Erlöſer lebet
Wen der Himel bebet
So werd ich auff ſteenn
Und wil frölich ſeenn
Bin ich denn geſtorbenn
Iſt mein Fleiſch verderbenn
Mit Schmucke vmbgebenn
Alſo ewig lebenn

Daß weiß ich vorwar/
Nim du das gewar/
Aus dem rachen dein
Chriſt den Herren mein
Iſt vorzert mein Haut
Werd ich wie ein Braut
Aus der maſſen fein
Und ewig bey Chriſto ſein.

Jc um
Gottes Wort rein und klar
Vor der Welt offenbar
Kereſtu dich nicht darann
Ich habe das mein getan
Was ich habe geleret
Hatt dich das bekerett
Ewig wirſtu lebenn
Dort wirt uns Gott gebenn

Leſer
Dadurch Gott geerett
Habeich frie geleretr
Und wilt das vornichtenn
Was gilt es Gott wirds richtenn
Las dirs geſagett ſein
Und geſpeiſett ſein
Das haſtu Gewinn
Ade ich bin dahinn

Egovivo et vos vivetis Jo. 14.

Ab ejus exceſſu quinque ferme annos munus hoc vacavit, reliquis Miniſterii membris interea in orbem antiſtitis officio functis. Quod ideo contigiſſe reor, quod Senatus tot undique imminentibus periculis ſatius putaret, meliora tempora expectare, civesq; his impenſis levare, quam majores imponere.

Goslaria a Cæſare pecunia mulctatur.

At præſentiſſimam, ut dixi periculum Goslarienſibus a Cæſare imminebat, qui civitates fœderi Smalcaldico junctas non pecunia modo ſed & tormentis bellicis mulctabat. Jam plures civitates legatos ad Cæſarem Halæ Saxonicæ commorantem miſerant, qui ſuorum civium nomine ſupplicia deprecarentur. Solæ ex inferiore Saxonia ſupererant Goslaria & Brunſvicum, quæ aliquantulum tergiverſabantur, ſive Magdeburgenſium ſpeculatæ fortunam, ſive quacunque alia re impeditæ. Quam moram Cæſar tam ægre tulit, ut & proſcriptionem, niſi reſipiſcerent citius, minaretur. Nec obſcuris indiciis paulo poſt hæc Cæſaris indignatio apparuit, cum civitas noſtra veluti in judicium vocaretur, eaq; lis ipſo Cæſare arbitro æſtimaretur quadringentis aureorũ millibus & duodecim majoribus tormentis, quæ ſuis impenſis Bruxellam usque avehere jubebantur. Intercedente tamen Mauritio Saxone ea nonniſi Cellam Luneburgicam avexit. Præterea juſſi ſunt legati civium ſuorum nomine conceptis verbis jurare, nunquam eos fœderi cuidam adverſus Cæſarem domumve Auſtriacam inito acceſſuros, portasque quoties id poſtularetur, Cæſari aperturos eſſe. Tanti conſtitit miſeræ civitati ac facultatibus pene omnibus exhauſtæ, cum Cæſare redire in gratiam.

Annales Gosl MSC. Avila ap. Horl. n. 213 p. 523. tom. II.

Sarp. l. 3. hiſt. conc. Trid. p. 495. Oſiand. cent. 16. hiſt. eccl. p. 497. Camerar. vit. Melanch. p. 288. Sleid. l. 20. p. 625. Obſerv. Halenſ. tom. 1. obſ. 5. p. 67. Rechenb. diſſ. ſing. de Interim.

Anni Chriſti 1548. 1549.
Caroli V. Cæſ. 29. 30.
Ab. V. C. 635. 636.

Turbæ Interimiſticæ.

JAm ſuperiore anno Cæſar victoria ferme inaudita potitus comitia Au-

gustæ Vindelicorum habere cœperat, talia tamen qualia ab antiquiſſimis usque temporibus habita non fuerant. Urbem enim comitialem præter veterem Imperii conſuetudinem tam firmo præſidio muniverat, totque per vicinum agrum diſpoſuerat copias, ut armata hæc comitia plerisque auctoribus vocentur. In hoc ordinum congreſſu, ad quem pontificii ſpe opprimendi proteſtantes frequentiſſimi acceſſerant, cum alia multa tum id præcipue in evangelicorum perniciem decretum eſt, ut doctrina Lutherana ab utrisque partis Theologis ſub incudem revocata novum cuderetur ſyſtema, quod ab Evangelicis INTERIM, dum concilii univerſalis canones prodirent pro fidei norma ſuſciperetur. Prodiit inde famoſus iſte liber ſyncretiſticus, qui a Cæſaris conſilio Interemiſtici itemque formulæ religionis & ſphyngis Auguſtanæ nomina tulit, & nec Pontificiis nec evangelicis ſe ſatis probavit. Auctores, quorum clandeſtina & tenebricoſa opera liber hic infauſto ſidere in lucem prodiit, a plerisq; nominantur Julius Pflugius, Epiſcopus Numburgenſis, Michaël Sidonius Mersburgenſis & Joannes Agricola Islebius, Antinomorum anteſignanus, qui quid præſtiterint, e Sleidani ſuccincta recenſione conſtare poterit. En igitur novum Eridos pomum, quod ideo in medium projectum dixeris, ut ipſa eccleſia noſtra in diverſas sciſſa factiones eo facilius ſe ipſam conſumeret, novaque Cæſari æq; ac evangelicis moleſtiarum eſſet materia. Certe Pontifici librum hunc hac de cauſa non magnopere diſplicuiſſe auctor eſt Paulus Sarpius, qui cum Pontificiorum indignationem ex eo conceptam retuliſſet, hæc ſubjicit notatu digniſſima: *At pontifex ſenex ſagaciſſimus, qui ſingularis judicii acumine plus ceteris omnibus proſpiciebat, animi oculo in penitiſſima quæque hujus negotii penetrans, facile perſpexit, factum hoc Cæſaris, illi*

illi perniciosum ſibi vero fore ſalutiferum. Miratur principem tanta prudentia, totque conſiliorum conſultorum ope fretum unius victoriæ ſucceſſu ſic efferri, ut ſe generis humani arbitrum continuo exiſtimet, ſibique adeo confidat, ac ſi cum utraque parte colluctari poſſit. Non eſſe forſitan ita arduum unius factionis copiis fulto alteram opprimere, ſed inſolentiæ audaciæ & vanitatis, cum utraque confligere. Doctrinam illam præſentiebat Catholicis in univerſum magis quam curialibus diſplicituram, Proteſtantibus vero omnium maximo, imo ab omni manu vapulaturam nemine patrono. Neque opus eſſe in ea oppugnanda ſibi creare moleſtiam, quando adverſarii eam multo acrius eſſent impetituri. Itaque e re ſua magis eſſe, ut in publicum prodeat, quam ut cohibeatur: & liber exeat inemendatus, (uti nunc eſt,) quam in meliorem formam reformatus, quo facilius in præceps ruat. Vix inauſpicatus hic fœtus fuerat excluſus, cum Cæſar dib. Maji in ſolenni Ordinum conſeſſu eum Statibus obtruderet, nemine ferme in tanto armorum ſtrepitu ſeſe opponere auſo. At ſolutis comitiis non Theologi modo, atque in his Matthias Flacius Illyricus, Nicolaus Gallus & Nicolaus Amsdorffius juſtis ſcriptis *Interim* iſtud impugnarunt, verum etiam plerique ordines inprimis Saxonici tam conſtanter iſtud rejecerunt, ut etiam editis confeſſionibus, quantopere illud deteſtarentur, demonſtrarent. Nova hæc litium materia. Civitates minis territæ, ſacerdotes qui conſenſum negabant, ſolum vertere juſſi, aliquæ etiam urbes proſcriptæ & expugnatæ, quarum miſeram conditionem hic deſcribere nil opus eſt. Inter Theologos varium inprimis in hoc negotio ſe præbuit Philippus Melanchthon, vir timidioris ingenii, & poſt Lutheri obitum Proteo ſimillimus. Is Cæſaris pertimeſcens potentiâ cum Lipſienſibus theologis pleraq; hujus formulæ capita adiaphora declaravit, novis turbis adiaphoriſticis daturus originem, quæ diúturno poſt tempore ſedari vix potuerunt. Nova hinc adornata formula, quæ dicebatur Das Leibziſche Interim, plures inter ipſos Saxonicos lites paritura.

Rejicitur in inferiore Saxonia

Felicior inferior Saxonia, quæ interea, dum Cæſar in ſuperiore Germania res conſtituit, belloque Magdeburgico ſe accinxit impune huic formulæ ſe oppoſuit Goslaria noſtra ceterarum Hanſeaticarum civitatum ſecuta exemplum, quamvis ceremonias nonnullas levioris momenti metu Cæſaris mutaret: tantum tamen ab eſt, ut jugum hoc ſibi imponi paſſa ſit, ut nihil habuerit antiquius, quam evangelicam veritatem pro virili tueri; quicquid vicini pontificii minarentur. Videat ergo Florimundus Raemundus omnium hiſtoricorum, qui hæc tempora compoſuere, ineptiſſimus, quo pacto ſe a mendacii crimine purgare poſſit, cum formulam hanc per omnem ferme Saxoniam & in pleriſque civitatibus receptam ad ſua usque tempora obſervari perfricta fronte aſſerit. En enim hominis impudentiam: Dieſes Interim, [ita Raemundi verba Johannes Klein Jeſuita transtulit] wird noch immerdar ſteiff gehalten in Sachſen / und in vielen Reichs und andern ſtädten / Hamburg / Lüneburg / Magdeburg / Nürenberg / Hall / in der Marggraffſchafft Brandenburg und anderſt wo. Sed vel ſola hujus maledicentiſſimi nebulonis verba proferre idem videtur, ac refutare. Tam enim frivola omnia hujus auctoris ſunt ac inſipida, ut data opera inſanire videatur. inferiore Saxonia & Goslaria *Annales Gosl. MSC. Bunting. part. 1. Chr. Brunſv. p. 323. Raimund part. 5. c. 12. p. 507.*

Monialles Frickenbergenſes ad ſacra Romanenſia redeunt.

At majus a vicinia periculum minari videbatur Henricus Dux Brunſvicenſis, qui ſuperiore anno e captivitate dimiſſus, & metall. fodinas & ſylvas, & cœnobium Franckenbergenſe, & quicquid denique fœderis Smalcaldici principes Goslarienſibus vindicaverant eo conſtantius repetebat, quo minus illis ſpei in ſociorum armis erat. Et quamvis dirutis ubique munitionibus ea eſſet ditionum facies ut armis ſtatim rem agere non poſſet, minis tamen, depopulationibus aliisque ſubinde calamitatibus cives terrere non omiſit. Inprimis de extorquendo Senatui monaſterio Frankenbergenſi laboravit, cujus moniales ab evangelica doctrina ad Romanenſium ritus redire, ſubtractis proventibus & facultatibus compulit. Extat hac de re ejus edictum ſatis minax, quod hic in medium proferre viſum eſt: *Faſcic. lites. Franckenb.*

Von Gottes Gnadenn Henrich der Junger Hertzog zue Braunſchweig und Lüneburg

MEiner Gunſt zuevor. Würdigen lieben andechtigen. Wiewohl wir vormals bevholen / daß die alte whare Chriſtliche Religion wiederumb angenommen und uffgerichtet werden ſolte: befinden wier doch / daß ſolches von euch ungeachtet werde. Derowhegen bevhelen wir euch hiemitt genediglich / ihr wollet ſolche alte Ceremonien wie vor alters geweſen / wiederum annehmen und uffrichten / dazue auch eure Cappen (wie ihr zuvoern auch gethan) wiederumb anziehen. Dann wo ſolches von euch nicht beſchehen ſoll / würden wier verurſachet / euch eure Zinß nicht folgen zue laſſen / dazue gegen euch zue handeln / als wieder Römiſcher Keyſerlicher Mayſt. Re-

Rebellen ſich gebühret. Das wolten wir euch darnach zue richten nicht verhalten. Datum Gandersheimb am Sonntage Exaudi Aõ XLVIII.

Hertzog Heinrich zue Braunſchweig und Lüneburg der Jünger mein Hand.

Dem würdigen unſerm lieben andechtigen N Domina uud ganzen Convent unſers Cloſters zuem Frankeberg In Goßlar.

Huic edicto ſchedula jungitur, quæ animum Henrici ad veræ religionis ſtudium proclivem ſatis ſuperque declarat. Nam licet ad ſuſcipiendos ritus interemiſticos ſuos metu Cæſaris graviter cohortaretur ac compelleret, nihil tamen ſibi magis in votis eſſe præ ſe tulit, quam ut ſcandaloſa & feralia iſta ob religionem diſſidia tollerentur. Hinc & Franckenbergenſes moniales bis quavis ſeptimana Deum miſſis & ſupplicationibus propitiare jubet, ut ſciſſam in ſectas eccleſiam reconcinnare priſcamque reſtituere fidelium concordiam dignaretur.

Nachdem auch allerley Zwyſpalt unſers Chriſtlichen Glaubens und Religion / auch anderer mehr gebrechen halber im Heiligen Reich irrig ſchweben/und erhalten/darausUnruhe und Emphornis zu beſürchten/ und aber menniglichen nichts nützers noch heilſamers ſein magk / denn ein einiger einhelliger Chriſtlicher Glaube / Fried / Ruhe und Einigkeit und ſolche Gaben alleine von GOtt dem allmechtigen mit embſigen Gebett zu erlangen und zur erbitten ſeyn / ſo iſt unſer genedig begheren / ihr wollet in eurem Cloſter und Pfar-Kirchen beſtellen / daß Wochentlich auf alle und jede Sontag und Freytag des morgens andechtige proceſſion und Bettmeſſen gehalten / und das Volck von den Cantzeln dazur vermannt werde / den allmechtigen zue bitten / daß er ſeyne genade gnediglich verleyhen wolle / damit wier alle in einem heiligen Chriſtlichen Glauben und ſonſt aller Irthumben und gebrechen verglichen werden / und einen beſtendigen und beharlichen Frieden zur unſer Seelen und des Leibs Wohlfardt erlangen und behalten mögen / auch für alle andere gemeine Noturfft der Chriſtenheit fleiſigck bitten. Daran geſchicht uns zue gefallen. Datum ut ſupra.

Id mandatum principis licèt maximâ ex parte vanum eſſet, cum nec eccleſia Franckenbergenſis ad moniales pertineret, nec ullus ferme in parochia eſſet, qui miſſas & proceſſiones frequentarit, omnibus quippe ad evangelicam doctrinam dudum converſis: apud miſeras tamen moniales tantum habuit pondus ut partim cœnobio excederent, partim ſacra non ſine angore conſcientiæ mutarent. Conſtat ſanè, hoc cœnobium ex hoc tempore Romanos ritus ſervaſſe, donec Julius Henrici Ducis filius rerum potitus & ditiones ſuas & hoc quoque cœnobium reformaret.

Annus Chriſti 1552.
Caroli V. Cæſ. 33.
Ab. V.C. 639.

PUblicam itaqe hanc rerum omnium perturbationem, quæ univerſam vici- niam tum ingenti pavore concuſſit, ſpſe hic annus quem ſumus ingreſſi, partim levare aliquantulum, partim augere viſus eſt. Quemadmodum enim metus iſte e Cæſaris averſa in Lutheranos voluntate conceptus non parum hoc anno evanuit, cum Mauritius Saxoniæ Electot armis vindicare captivos principes cœpiſſet: ita ex hoc bello aliud ſtatim exarſit, quo nullum Goslatiæ noſtræ, aut potius univerſæ Saxoniæ calamitoſius funeſtiusque fuit. Quæ res, quo ordine geſta ſit, paucis hic videtur commemorandum. Ex quo ante quinquennium Cæſar fœderis Smalcaldici viribus una acie profligatis ipſos fœderatorum Duces Electorem Saxoniæ & Haſſiæ Landgravium ceperat: ſtatim apparuit, quid victor moliretur. Nihil enim habere videbatur antiquius, quàm ut Evangelicos plane opprimeret ac funditus eradicaret. Luculento hujus conſilii indicio erat liber interimiſticus, qui cum vix ulla purioris doctrinæ veſtigia oſtenderet omnibus tamen Lutheranis ſtatibus obtrudebatur, non diutius tamen valiturus, quam ad concilii Tridentini exitum, cujus decreta omnibus ſuſcipienda fore denunciabantur. Hoc quo ſpectabat alio, quam ut jugum dudum excuſſum Lutheranis denuo imponeretur? Nec videbatur res caritura ſucceſſu, cum Cæſar omnes evangelicos ſtatus partim ſubjugaſſet, partim fœdere ſibi junxiſſet, partim ad quævis haberet obnoxios. At Mauritius Elector, cum ſatis pervideret, quo demum res evaſura ſit, icto cum Henrico Rege Galliarum principibusq; quibusdam Germanicis fœdere de ſtabilienda evangelicæ religionis libertate ſerio cogitare cœpit. Hinc miſſis ad Cæſarem legatis Landgravium e vinculis dimitti, conciliumque Tridentinum auctoritate Cæſarea in ordinem cogi poſtulavit, id niſi fieret, alia ſibi ineunda conſilia eſſe, ut ſalvam rempublicam præſtaret. Nec multum moratus Saxo cum lectiſſimo exercitu in ſuperiorem Germaniam movet, Auguſtam aliasque

Sleid. lib. 23. & 24. Hortl. l. 5. tom. II. Paul. Sarp. l 4. hiſt. Conc. Trid. p. 243. Thuan. l. 8. p. 621 ſq. Chytr. l. 17. p. 505 ſqq.

liasque urbes imperiales ſub ſuam redigit poteſtatem, flexoque ad Tirolenſem comitatum itinere, tantum ubique terrorem circumfert, ut Cæſar fuga vix elaberetur, jamque Patres quoque Tridentini, quo ſe reciperent, ſpecularentur. Ex altera parte Henricus Rex Galliæ, Germanicæ libertatis & principum captivorum vindicem ſe profeſſus, in Lotharingiam fecit irruptionem, Metimque, Tullum & Verdunum, tres imperii epiſcopatus, uno impetu intercepit. Quibus rebus factum eſt, ut Cæſar pactus primum inducias electorem Saxoniæ & Haſſiæ Landgravium ex captivitate dimitteret, & liberalius haberet, ac paulo poſt in ſolenni aliquot principũ conventu Paſſavienſi libertas Germaniæ & religionis Evangelicæ Ferdinandi regis opera præclaro edicto ſanciretur.

Trans. actio Paſſav. in qua & Goslariæ de ſecuritate cavetur. *Lehm. act part. de relig. lib. Hortled. lib. 5. c. 14. p. 142. tom. II. Chytr. l. 17. p. 509.*

Eſt hæc celeberrima illa transactio Paſſavienſis, tutiſſimum ſacræ libertatis palladium, cujus beneficio diviſum imperium & inter diverſa ſtudia fluctuans quaſi quodam fœdere ſanctiſſimo in concordiam priſtinam ſocietatemque rediit. Hac principum liberatio ſancita, hac ſecuritas religionis ſtabilita, hac Germaniæ libertas vindicata, pluresque, qui inter tot bellorum fluctus bonorum ac facultatum ſuarum fecerant jacturam in integrum reſtituti, & a moleſta proſcriptionis ſententia ſunt liberati. Sed & Goslariæ noſtræ hac in transactione habita ratio eſt, de qua hæc extat ſanctio, ſatis æqua:

> Gleicher Geſtallt ſollen die Keyſerliche Majeſtat obbemelten vier Chur und Fürſten als ihrer Majeſtat Commiſſarien auflegen und befehlen / Hertzog Heinrichen unnd beyde Stätte Braunſchweig und Goßlar in ihren Sprüchen unnd Forderungen gegen einander auch in der Güte nothdürfftiglich zu verhören / unnd der Billigkeit nach zu vergleichen / auch ihrer Keyſer. Majeſt. ernſtlich Mandat unnd Inhibition bey Poen der Acht an Hertzog Heinrichen unnd beyde Stätte alsbald außgehen laſſen / ihr fürgenommen oder fürhabend Krieges Volck abzuſchaffen / unnd ſich aller thätlichen Handlung gentzlich zu enthalten / ſondern ſich gemelter Keyſerl. Commiſſarien billiger Handlung unnd Weiſung begnügen zu laſſen / oder ſonſt ihre Sprüch unnd Forderungen anders nicht als mit ordentlichen Rechten vermög des Reichs Ordnung gegen einander zu ſuchen und auszuführen.

Henrico Dux Brunſv. & Luneb Goslariã obſeſſam opibus exuit.

Sed non tulit Goslaria hujus ſanctionis fructum. Priusquam enim hæc transactionis formula prodierat, Henricus Dux Brunsvicenſis copiis quibusdam jam ante ad Magdeburgenſem expeditionem contractis urbem noſtram obſidione incinxit, omnia ſe ferro flammisque devaſtaturum, minatus, niſi cives quantocyus facta deditione veniam precarentur. Gravis ea fuit de difficilis obſidiõ, cui perniciendæ Dux ſexcentos equites mille & ſeptingentos pedites, maximamque ruſticorum multitudinem deſtinaverat. Caſtra ipſe metatus eſt in colle urbi immminente: [Auf den groſſen Katzenberg] ceteras copias in monte Petrino, aliisque editioribus circa urbem locis diſpoſuit. Jam vineæ agebantur, jam quadraginta quatuor tormenta bellica mœnia verberabant, nullaque urbi ſpes ſalutis eſſe reliqua videbatur, cum Senatus miſſis in Richenbergenſe monaſterium legatis pactionem offerret, quæ tamen haut potuit ab Henrico impetrari, donec Philippus Magnus, filius apud illuſtriſſimum Patrem intercederet. Dicto igitur die transacturi hoc negotium ex urbe prodeunt Henricus Landmannus Conſul D. Chriſtophorus Trutebœl Syndicus, Joannes ab Uslar, Cosmar Gredtmeyer, D. Johannes Hildebrandus, Henricus Oppermannus & Joannes Reccius, quorum opera demum cum Duce iis legibus transactum eſt, ut jurisdictio Vogetejamontis Ramelini & *jus præemtionis metallorum* (der Vorkauff an Silber unnd Metallen) Duci cedantur, eique ſoli integrum ſit leges ſancire in rebus metallicis obſervandas, decimæ metallicæ inpoſterum ſoli Duci ſolvantur; eidemque ad reſarcienda damna tradantur decem tormenta bellica [zwo halbe Carthaunen / zwo Stadt-Schlangen / zwo halbe Schlangen / unnd vier Feld-Schlangen] publico civitatis ſumtu non niſi in proximum monaſterium Richenbergenſe avehenda ac alienum a Duce nullum exigatur, chirographiq; hanc in rem traditi omnes reddantur, ut alias omittamus conditiones duriſſimas, quæ ad incitas fere redegerunt civitatem. Auctor ſane topographiæ inferioris Saxoniæ & Zeillerus adeo hæc civitatis detrimenta exaggerant, ut alter horum ita judicet: *Henricus Dux Brunsvicenſis Goslariam civitatem obſedit anno MDLII. & pactus deinde pro arbitrio cum civibus, metalla in monte Ramelino nec non ampliſſimas per aliquot milliaria ſylvas extorſit, e quibus quidem facultatibus detractis omnibus expenſis quotannis* 84000. *florent civitati redierant, ut adeo Goslaria ab anno MDLII. ad MDCXXIV. ſexagies tenena & quadraginta octo florenorum millia amiſerit.* Satis magna profecto jactura, quæ tamen vix jactura videtur, ſi cogitaveris, civitatem noſtram tot preſſam calamitatibus tantisque opibus exutam libertatem, qua nihil mortales habent carius, & religionem puriorem illibatam conſervaſſe, atque iisdem hodienum per Dei gratiam feliciter frui.

Securior igitur in futurum Goslaria, nihilque ab Henrico Duce amplius metuendum non modo copias, quas præſidii loco intra mœnia receperat, ſine mora dimiſit, verum etiam muneri Superintendentis quod a D. Eberhardi Weidenſei obitu vacaverat, præfecit M. Tilemannũ Heshuſiũ, Velalienſẽ Rhenanũ, tum admodum juvenem & vix vigeſimum ſextum annis ætatis

D. Tilem Heshuſius Gosl. Superint *Zeumer. vit. Profeſſ. Jen. c. p. 76.*

egreſſum, in lucem quippe editum anno MDXXVI. d. 3. Novembris. Ex quo ſatis colligas, quæ fama viri, quæque eruditio fuerit. Et mirandum ſane, Melchiorem Adami, ubi ejus vitam deſcribit, hanc primam ejus promotionem, ſatis honorificam omiſiſſe cum cæteras plerasq; ordine recenſeat. Hic tanti nominis theologus, qui utramque Saxoniam, Palatinatum ipſamque Pruſſiam paulo poſt ſui admiratione implevit, Goslariæ quoque initio tantum ſibi apud cives amorem conciliaverat, ut anno MDLIII. publico ſumtu Wittenbergæ ſummos in theologia honores caperet. Et fuit ſane ejus inſignis & laudanda ſolertia, qua Spartam, quam nactus fuerat, ornare ſtuduit. E ſuggeſtu concionem habuit ſaluberrimas, In ſacra enim oratoria tantum nactus erat talentum ut ubicunque tum applauſu has partes ſubiret. In Palatinatu ita de eo Kœtteritius, Neuburgenſis Principis præfectus provincialis: Was unſer lieber D. Heshuſius, für ein vortrefflicher Mann iſt mit predigen / ſchreiben und reden / davon kan euch D. Hedion wohl etwas gewiſſes anzeigen. Mein gnädiger Fürſt und Herr höret ihn gerne und rühmet ihn offte. Extra eccleſiam leges eccleſiaſticas promovit utiliſſimas. Cumque paulo ante ii, qui Conſiſtorio interfuere, nulla certa regula uterentur, ipſe una cum cæteris miniſterii membris ordinationem conſiſtorialem compoſuit, auctoritate Ampliſſimi ſenatus ſtabiliendam. Quæ tamen neſcio quo fato in privatorum quorundam manibus hodie hærere dicitur, nullo forte λυτρῳ e vinculis liberanda. Denique nec Scholaſticos quidem labores ſubterfugit, Glandorpiú magna cũ laude apud nos docentẽ auctoritate conſilioq; juvans, id quod Doctiſſ. Reinerus Reineccius, qui tũ literis apud nos vacabat, ſuo teſtimonio probat plane egregio: *Plurimum*, inquiens, *eandem* [Glandorpium] *amavit Philippus Melanchthon, amavit Tilemannus Heshuſius, Doctor Theologus & in hac academia profeſſor primarius, atq; ubi Golariæ cum Glandorpio vixit, quamvis eccleſiæ Superintendens, tamen Scholaſticorum ejus laborum ſeu prælectionum diligens & fidelis παραςάτης.* Sed erat hæc neſcio quæ Heshuſii fortuna, ut ubicunque verſaretur, gravem ſibi plerumq; conflaret invidiam. Tam enim erat ab omni aſſentandi ſtudio remotus, ut in nemine non, quod dignum cenſura videbatur, cenſeret, idq; ſæpius cum inſigni fortunæ ſuæ diſpendio. Hunc immoderatum ejus zelum notare videtur D. Simon Sulcerus, *Optandum eſſet* inquiens, *ut Heshuſii Zelus intempeſtivus ſpiritu manſuetudinis temperetur, & magis accommodentur quæ habet vir ille, illuſtria dona ad eccleſiæ ædificationem.* Cum igitur Goslariæ quoq; hoc inſtitutum ſuum ſequeretur mox ſibi tantum contraxit odium, ut urbe excedere ſit coactus, quemadmodum paulo poſt pluribus erit dicendum.

Melch. Adam. vit. theol. p. 621. Fecht. ſupp. hiſt. eccl. ſec. XVI. app. p. 89. part 3 ep. 91. p. 209.

Reinecc. præf. ad ep hiſtor. Fecht. l. c. part. 4. ep. 36. p. 352.

Volrad Comes

At nondum nobis aderat miſeriarum finis. Vix enim ſub mœnibus ceſſaverat armorum ſtrepitus, cum novæ e bello Mauritiano turbæ ſubnaſcerentur, toti ferme Germaniæ exitiales. Licet enim Mauritius Elector inita cum Cæſare pace ab armis jam receſſiſſet, Albertus tamen Marchio Brandenburgenſis ſive a Galliæ Rege ſollicitatus, ſive quacunque alia cauſa permotus bellum redintegrare auſus eſt, ferociorque indies e proſpero rerum ſucceſſu Bambergenſes, Wurzburgenſes, Vlmenſes ac Noribergenſes ditiones una veluti ruina involvit, nullis aut Cæſaris aut Cameræ Spirenſis edictis ad ſaniora conſilia flexus. Veritus igitur Mauritius Saxo, ne ipſe quoque oblique peteretur, ab ejus ſocietate diſceſſit, novumque fœdus cum Henrico Brunſvicenſi aliisq; Ordinibus pepigit, quod eo ſpectabat, ut Albertum majora molientem intra limites retinerent. Quo cognito Albertus in Brunſvicenſem ducatum cum lectiſſimo exercitu miſit Volradum Comitem Manſfeldenſem, qui pluribus locis igne ferroque devaſtatis Wenthuſum, Honlagam, Nienbruggum, Molverodam, Storeheimium Tidam nec non Riddagshuſen & Stederburgum monaſteria funditus delevit. Ipſo feſto Martini in Goslarienſem agrum eduxit exercitum, ſenatuique ad colloquium evocato mille imperiales imperavit. Quibus impetratis tormenta quoque bellica poſtulavit. Nactus igitur majoris ſtaturæ bombardam (Eine halbe Carthaun) ad Richenbergenſe monaſterium caſtra explicavit ubi cum duodecim dies requieviſſet, incenſo monaſterio exercitum omnibus rebus inſtructiſſimum Bokelheimium deduxit, quod oppidum diutius urgens, cum capere non poſſet flammis prope totum abſumſit. Expugnata demum Steinbrucca inſigni præda onuſtus domum rediit, cum paulo ante ipſe Henricus Dux ſolum vertere denuo eſſet coactus. Ceterum quis finis cruenti hujus belli fuerit, quibusque præliis demum obtritus Marchio fuerit, non eſt noſtrum prolixius hic commemorare, cum totum bellum a Sleidano aliisque hiſtoricis luculenter jam ſit expoſitum, ad quos nunc nos referimus.

Manſf. Goslarienſib. tributũ extorquet.

Annus Chriſti 1556.
Caroli V. Cæſ. 37.
Ab. V. C. 643.

D. Hesh. Superintend. Gosl. a *Ann. Gosl MSC.* *Hamelm. hiſt. renat. p. Sax. ev. Zeum. vit prof. Jen. dam. p. 76.*

POſtquam igitur reformationis hiſtoriam cum multis externis tumultibus conjunctam ad finem demum perduximus, moleſta veluti navigatione defuncti portum reſpicimus, hoc eſt e publicis removeiſtis Germaniæ turbis domum revertimur, licet nec jam quidem beata omnia ac tranquilla apud nos reperiamus. Hoc ipſo enim anno novæ lites exortæ ſunt e D. Tilemanni Heshuſii abitu, quas ut paulo accuratius hic exponam, beati viri memoriã & propoſitum meum omnia ſine amore ac odio enarrandi poſtulare quo-

Heshuſ. defenſ. confeſſion. ſuæ adverſus calumn. Calvini Boquini Clebizii Et Bezæ Melch. Adami vit. theol. p. 621.

dammodo videtur. Injuriam enim optimi Theologi manibus inferre videntur, qui illi hoc diſticho invita Minerva facto illudere non dubitant:

Quæritur, Heshuſius quare ſit pulſus ab urbe?
Inpromtu cauſa eſt: ſeditioſus erat.

Modeſtius certe de ejus diſceſſu ſentit Hamelmannus, cujus hæc ſunt de ea re verba: *Poſtquam ipſe & in eccleſiis & in ſchola magna cum laude docuiſſet per triennium, & tandem urgeret veheménter viſitationem inſtituendam in utroque collegio tam in majori quam in minori, atque ſimul in virginum Veſtalium cœnobio utroque, ubi ad huc Papiſtica ſacra exercebantur, atque generalem reformationem omnium abuſuum corrigendorũ cœperet, & ab eo propoſito dimoveri non poſſet, eſt de communi deliberatione dimiſſus. Hanc rationem multi viri, qui dicuntur probatæ fidei eſſe in urbe Goslarienſi, dant de ejectio D. Heshuſio.* At licet non negaverim hanc cauſam interſertam tunc vulgo fuiſſe, alia tamen fuit facti ratio, eaque ſecretior, quam ipſe Heshuſius extra teli jactum conſtitutus in ſcripto contra Calvinum, Boquinum, Bezam & Clebitium prodidit. Erant nimirum tum Conſules Joannes ab Achterman & Henricus Landmañ, quorum filii indulgentia parentum tam erant in omne ſcelus proclives, ut nihil iis eſſet in civitate turpius. Ægre id ferens Heshuſius non ipſos modo verum etiam parentes de neglecto officio objurgavit, graviusq; pro concione caſtigavit. Conſules concepto in optimum virum odio ſalarium ei ſubtrahere cœperunt. Quod cum frequentius poſtularet, ac demum paulo impetuoſius urgeret Heshuſius, illi facta, ut ipſe ait, conſpiratione eum e civitate expulerunt, d. VI. Maji. Hæc vero contumelia tantum abeſt ut eum fregerit, ut potius multo animoſior inde factus eſſe videatur ad bellum cum vitiis perpetuo gerendum. Goslaria ſalutata Magdeburgo Roſtochium diceſſit, ubi non multo felicior fuit. Cum enim Senatum urbis acerbius taxaſſet, & conſulem, qui apud cives dixerat, Phariſaicam ſectam ab eo inſtitui, nominatim excommunicaſſet, juſſu Senatus una cum collega ex urbe diſcedere coactus eſt. Hinc magna ilias malorum. Princeps Megapolitanus eum reſtitutum voluit, gravemque Senatui imperavit multam. Chytræi tamen opera Marpachio commendatus, Heidelbergæ munus ſacrum obtinuit. Acceſſit eo Calend. Maji anno MDLVII. Philippi Melanchthonis commendatitiis ad Cancellarium Mincovitium inſtructus, quæ tantum habuere pondus ut ab Ottone Henrico Palatino primum inter Theologos locum cum elogio Superintendentis Generalis & in Senatu eccleſiaſtico Præſidis impetraret. Sed nec hic quidem diutius ei licuit eſſe quieto. Mox enim nactus eſt adverſarios Clebitium, Flinnerum & Boquinum, in Calvini & Bezæ dogmata procliviores, cum quibus ob varias cauſas colliſus eſt, quas prolixius recenſet H. Altinpius, quamvis in Heshuſium iniquior, in quem omnem bilem effundit. Quam exacerbatis inter ſe animis rit Anticontenderint Boquinus & Heshuſius, vel trinitari inde licebit conjicere, quod Heshuſius ab illo adverſario ſuo Arianismi fuit poſtulatus, cum eadem impudentia paulo ante a Calvino Servetianismi accuſatus eſſet. Inſignis certe calumnia, quæ adeo placuit veritatis hoſtibus, ut Poſſevinus fronte perfricta aſſerere non dubitet, *Heshuſi. hiſt. eccl. p. 91. Wenſc. ſ. 173. ſeqq.* *anos negare unitatem trium perſonarum S. Trinitatis.* Quemadmodum & Sanelius, impudentiſſimus iſte mendaciorum propola *Regendiſerte* eum in Antitrinitariorum Catalogum retulit. Qui homines ſi vel ſolum *volſc. l. 4. hiſt.* Heshuſii *Examen Thelogicum* (ut de ceteris *eccl. Sla.* ejus ſcriptis nihil dicamus) vidiſſent, non *von. ap.* potuiſſent ſane tam iniqua de viro optimo *dend. ſſ.* ſuſpicari. Jam ut ad Heidelbergenſia iſta *509.* Heshuſii fata redeamus, ille quidem his inimicis ſuis ſatis feliciter reſtitit, quamdiu Otto Henricus Princeps in vivis erat; at illo defuncto longe alia apparuit rerum facies, cum Fridericus III. Elector Calvini ſententiæ de ſacramento palam favere videretur. Cum enim Heshuſius de conſervandis in Palatinatu Lutheri dogmatibus conſtantius laboraret, tantam ſibi apud omnes invidiam conflavit, ut anno MDLIX. d. XVI. Septembris ab electore una cum Clebitio dimitteretur ne teſtimonio quidem ullo ornatus. Exul itaq; Marpachii præcipue commendatitiis adjutus operam ſuam addixit Wolffgango Palatino Naoburgenſi, ubi cum aliquandiu docuiſſet Veſaliæ in patria locum honeſtum accepit in eccleſia. Cum tamen libellum contra Pontificios ſcripſiſſet, & Concilium Tridentinum ipſumq; Romanum Pontificem paulo acerbius tractaſſet, odium Ducis Juliacenſis incurrit, qui Senatum Veſalienſem, ut eum anno M.D.LXIV. ex urbe juberent emigrare compulit. Quartum igitur exul Francofurti & Argentinæ Marpachii beneficio obtinuit domicilium, ubi privatus vixit, oblatam a nobili de Sickingem conditionem declinavit, ne in Electoris Palatini odium huic ſe videretur adjunxiſſe. Demũ in extremis verſanti anguſtiis velut Deus opem tulit Wolffgangus Palatinus, qui eum in aulam vocatum muneri eccleſiaſtico admovit ac denique concionatorem eccleſiaſticum deſignavit. Verſatus ibi adhuc anno MDLXVIII. Sed inde paulo poſt in Academiam Jenenſem evocatus, Profeſſoris munus adiit, collegas nactus Wigandum Kirchnerum & Cœleſtinum, cum quibus ei non ſatis convenit. Unde dimiſſus, Bremam diceſſit. Anno vero MDLXXIV. in Pruſſiam invitatus Sambinenſis Epiſcopus conſtituitur. Qua cura ibi eccleſiæ tranquillitatem ſervare ſtuduerit, locupletiſſimus teſtis eſt Hartknochius. Sed hoc ipſum molitus in novas incidit turbas, quas ipſi Benedictus Morgen-

Fecht. l. c. p. 177. ep. 80. p. 101. part. 3. ep. 92 p. 177. ep. 77. 78. p. 197. 198.

Zeumer. l. c. p. 76.

Reliqua ejus fata *Fecht. part. 2. epiſt Theol. 51 p. 72. & ep. 53. p. 73. Henr. Alting. hiſt. eccl. Palat p. 164. in monument. piet. & lib. tom. 1.*

Hartkn. part. 2. Pruſſ. c. 5. p. 481. & hiſt. eccl. Pruſſ. l. 5. c. 2. p. 463. Micrael. hiſt. eccl. p. 380.

genſtern; eccleſiæ miniſter conciliavit. Scripſerat nimirum Heshuſius contra reformatos, atque hanc quoq; theſin inculcaverat: Non ſolum recte dicitur: *Homo Chriſtus eſt omnipotens omniſcius & adorandus, verum etiam in abſtracto: Humana Chriſti natura eſt omnipotens, omniſcia & adoranda.* Hanc theſin notavit Benedictus Morgenſtern, Heshuſiumque ſhæreſeos poſtulavit, quaſi humanam Chriſti naturam etiam extra unionem hypoſtaticam omnipotentem, omniſciam & adorandam putaret, duosque adeo in Chriſto omnipotentes omniſcientes & adorandos ſtatueret. Et licet Heshuſius id ſibi ne in mentem quidem veniſſe fateretur, tamque perſpicue ſuam declararet ſententiam, ut & D. Kirchnerus & Martinus Chemnitius pro Heshuſio ſtarent, qui paulo alieniores ab eo adhuc fuerant: Johannes tamen Wigandus Epiſcopus Pomeſarenſis anno M. D. LXXVII. d. XXVII. Aprilis in ſolenni ſynodo Regiomontana cum viginti eccleſiæ miniſtris Heshuſii theſin damnavit, eumq; palinodiam canere juſſit. Quod cum hic negaret ſe facturum, & ipſe & ceteri ejus hyperaspiſtæ dimiſſi ſunt, non ſine inſigni ſcandalo, quod ipſe Kirchnerus & Chemnitius, Theologi Brunſvicenſes ſæpe conqueruntur. Tot igitur fluctibus & tempeſtatibus jactatus vir doctiſſimus in academia demum Julia recens inſtituta fortunarum ſuarum portum invenit, ubi ſatis diu Profeſſoris munere cum inſigni laude functus eſt, celebris inprimis ex colloquio Quedlinburgenſi anno M. D. LXXXIII. inter theologos Saxonicos & Brunſvicenſes habito, in quo notum iſtud Vbiquitatis Generalis dogma in ſcriptura ſacra præſidium habere, diſerte negavit. Ultimum vitæ annum habuit M. D. LXXXVIII. ætatis ſexageſimum ſecundum, quo d. XV. Septembris ex turbulento hoc rerum humanarum ſtatu ad quietiora migravit, duorum filiorum, ac unius filiæ parens. Equibus ejus liberis inprimis celebratur Henricus D. Theologus & Superintendens Hildeſienſis. Scripta ejus recenſere, non videtur neceſſarium, cum otium mihi fecerint Melchior Adami, & Jo. Caſpar Zeumerus, quos evolviſſe non pœnitebit.

Fecht. epiſt. theol. part. 4. ep. 227. p. 556.

Meibom. orat. de acad. Jul. p. 280. tom. 3. rer. Germ. Fecht. l. c. ep. 231. p. 561.

Monaſterium Montis S. Georgii in curiam Griſonum transfertur.

Lezner. de monaſt. cap. 88.

Emortualis quoque hic annus fuit Joachimo Hœgero, Præpoſito Montis S. Georgii, cujus vel ideo mentionem faciendam putavi, quod monaſterium ſuum jam pridem funditus dirutum auſpiciis Henrici Ducis Brunſvicenſis in curiam Grawhoffianam tranſtulit, novam ibi molitus eccleſiam, novaque ædificia, quæ interjecto tempore ab hodierno præcipue Præpoſito Dn. Bernhardo ita ſunt expolita atque aucta, ut nihil futurum ſit hoc monaſterio nitidius. Antequam curia hæc Collegio huic Canonicorum Regularium hoſpitium præbuit, jam pridem monaſterio Montis S. Georgii fuerat inſtar villæ promtuariæ, e qua frumenta, pecora, & quicquid opus videbatur, petterent. Eam conventus iſte a nobilibus de Borgdorp, Advocatis ſuis, coëmerat, quo tempore adhuc Betwerdingerode vocabatur. At cum interjecto tempore ad Walkenredenſes venditione fiduciaria perveniret, nomen Curiæ Griſonum (Grauhoſt) vel ab habitu Ciſtercienſium, vel a lapide ſciſſili, tulit. Certe Ciſtercienſium curias hoc nomine plerasq; veniſſe, declarat etiam curia Walkenredenſium Goslarienſis, quæ in tabulis antiquis diſerte vocatur der grawe Hoff in Goſlar. In illam ergo curiam urbi noſtræ vicinam Joachimus Hoyerus Præpoſitus monaſterium tranſtulit, & ſacra Romano more inſtauravit. E conventu ſuperſtites tum erant *Johannes Paulinus, Prior; Bertholdus Eberhardi procurator, Johannes Vlenpas Senior, Buſſo N. Erasmus Stapenbach,* (is qui hoc anno Hoiero in præpoſitura ſucceſſit, *Andreas Hille & Jodocus Brackmannus.*

Canonici Montis S. Petri Pontificiæ religionis tenacisſimi.

At Montis S. Petri Canonici, qui & ipſi eccleſiæ ſuæ ruinas viderant, in capella S. Catharinæ ſacra agebant, nec tamen a pontificiis ritibus abduci ſe paſſi, quicquid eis a miniſtris eccleſiæ noſtræ occineretur: ſive quod Hildeſienſis Epiſcopi verebantur indignationem, ſive quod Canonicos SS. Simonis & Judæ in eo imitandos credebant. Extant ex hoc anno acta quædam inter Senatum & Montis S. Petri Canonicos, ex quibus hanc particulam excerpſi, quam religioſe hic canonici λειψανολατρείαν retinuerint, oblique declarantem.

Anno 1556 am Tage Catharinæ.

Item Herr Joſt Schramen / de proveſt van nygen Warcke / unde Herr Hennrick Kollwage / alſe Herr van Petersberge / hebben dat Hovet Sünt *Sixti* abgefurdert vt der Kercken Simonis vnd Judæ / da dat hovet hatte inne geſtan 34 Jahr / vn andere Breve / de öhne tokieme / in byweſen de Perſonen des Erbaren Rades Simon Brendigs / Johannis Recken / Johannes Schütten / Cyriacus Sachtings.

Dominicus Dreuerus Goslarienſis inſignis hiſtoricus.

Ne vero inter hæc eccleſiaſtica literariæ reip. plane videamur obliti in aula Henrici Ducis Brunsvicenſis per hoc annos floruit Dominus Dreuerus, Goslarienſis, vir apprime doctus & in hiſtoria verſatiſſimus, qui heri auſpiciis genealogiam illuſtrium Saxoniæ familiarum concinnavit, ut Henricus his patriæ antiquitatis monumentis in viridi ſenectute ſe oblectaret. Quamvis autem doctum hoc & quantiquis pretii opus nunquam prodierit in lucem, MS Cum tamen hodienum aſſervari dicitur in Sereniſſimorum Ducum Brunsvicenſium ſecretiore bibliotheca, Meibomioque Seniori in antiquitates Germanicas inquirenti inſignem uſum præſtitit; cui etiam titulum libri integrum debemus in dedicatione Chronici Buntingiani recenſitum;

Meibom. vind. Bill. ling. p. 39. tom. 3. rer. Germ. Idem ded. Bunting. Chron. Brunſv. (:) v.

Ge-

Genealogia Geburtlinien der Durchleuchtigsten / Hochgebornen Keyser / Könige / Churfürsten / Hertzogen / Fürsten und aller Herrn zu Sachssen / seither Wedekindt / der zu Zeiten Caroli des ersten den Christlichen Glauben angenommen / und seiner nachfolgenden Erben / was sie für gemal gehabt / wie offt sich das Regiment in Sachssen verändert / wie Keyser Otto das seinen Blutfreunden entwendet / Hermanno Billing einen der schlechter Geburt verlehnet / wie nach abgang desselben geschlechtes das Land an die Hertzogen zu Beyern und nach dem an die Graffen zu Ballenstädt und Anhalt gekommen. *Item* wie das Hertzogthumb Braunschweig vnd Lüneburg angefangen / vnd die Fürsten des Hertzogthums Sachsen beraubt / auch wie die Chur- und Ober-Sachsen an die Marggraffen zu Meyssen gerahten / wie die Länder so vielfältiger Weise getheilet / daraus nun viel Herrschafften geworden. Daneben eine kurtze Anzeigung der Churfürsten und Marggraffen zu Brandenburg / *item* der Hertzogen zu Mechelburg / der Graffen zu Schawenburg / die auch Graffen zu Holstein / darnach Hertzogen zu Schleßwick geworden / vnd endlich von den Graffen zu Oldenburg / aus denen hergekommen etliche Könige in Dennemarck und Hertzogen zu Hollstein / alle vornehme Geschicht / so sich zu jedes Herren Zeiten zugetragen bis auf diese gegenwertige Zeit zusammen geschrieben durch *Dominicum* Dreuer den Eltern. 1559.

Hæc nimirum erat Henrici senis & diuturnis calamitatibus defatigati oblectatio, ut quid ante se gestum esset, scrutaretur sollicite, ac cum iis, quæ sua ætate contigerant, componeret, atque adeo omnis exempli documenta tanquam in illustri posita intueretur. Eadem etiam de causa Philippo Magno filio id imposuerat negotii, ut Ludovici Avilæ libros de bello Germanico e Gallica dialecto in Germanicam transferret. Quod illustre opus typis quoq; exscriptum prodiit Guelpherbyti anno 1552. postea Hortlederi quoque actis insertum lib. 3. cap. 81. Tom. II.

filium translatis. Non est hujus loci, *Belg. dec.* causas tam inexpectati consilii rimari, *1. p. 14.* quas ipse Princeps suo more tam studiose *Thuan.* occultavit, ut Famianus Strada, Thu- *lib. 16. hist.* anus, Godelevacus Zenocarus ceterique *ad p. 346.* scriptores occulta hæc molimina admi- *Godeleva* rentur potius quam penetrent, merasq; *ap. Gol-* nobis vendant conjecturas. Sunt qui pie- *dast. polit.* tati ejus hoc quicquid est tribuunt, atq; *Imp. part.* hunc in finem allegant vocem cujusdam *VII p. 378.* centurionis, qui missionem aliquando pe- *Zenocar.* tens hanc desiderii sui reddiderat ratio- *lib. 5. de* nem, *oportere inter vitæ negotia & decreto-* *vita Ca-* *rium illum mortis diem spatium quoddam in-* *roli V.* *tercedere*, quod dictum ipse Carolus extre- *elear. diss.* mo imperii sui tempore crebris usurparit *de abdic.* sermonibus. Nec sane est incredibile Im- *princip.* peratorem tanto temporis spatio inter *p. 37.* diversas de religione disceptationes ve- *Schurz.* luti fluctuantem, id demum consilium *fleisch.* cepisse, ut ipse a negotiis publicis remo- *not. ad* tus in secessu quodam amœno secreto *epist. de* de salute sua cogitaret maturius, a qua *motib.* saluberrima cura tum bellorum molestiis *Belg. p.* tum ministrorum clerique consiliis fuerat *m. 19.* impeditus. Certe eum in secretis his se- *Jo. Lasic.* cessibus altius sapere cœpisse, quam cle- *de fratr.* rus pontificius ferre poterat, vel id te- *Boh. l. 6.* stimonio esse poterit, quod inprimis ho- *Wengerse* mines hæreseos suspectos in extremis ha- *l. 1. hist.* buisse familiares adversariis nostris dici- *eccl. Slav.* tur, quodque ejus testamentum inquisi- *c. 10. p. 41.* tionis Hispanicæ censuram meruit, ut ta- *Bael. Lex.* ceam Bartholomæum Curanzam & Con- *Crit. p.* stantinum Pontium, qui ei morienti adfu- *768. 839.* erant, supplicio affectos, ex quo quid conjiciendum sit, facile apparet. Alii tamen morbum ejus accusant articularem, qui eum quinquagenario majorem non per intervalla amplius, sed perpetuis insultibus ita vexarit, ut de dimittendis fascibus demum cogitaverit. Nec desunt quoque, qui eum de fortunæ inconstantia solicitum, pertæsumque cladis, signum receptui dedisse ferunt, magnarum animarum exemplo, quæ fortunam deserere, quam ab illa deseri malint. Denique & in Philippum filium à nonnullis causa rejicitur, qui duriora apud Anglos passus, crebrisque probris affectus, sæpius cum parente de fortuna sua expostularit, eumq; jam pridem de abdicando Belgio cogitantem ad maturandum consilium inflexerit. Sed variæ possunt fuisse causæ, quæ animum sagacissimi principis ad hoc consilium impulerunt, quas mirari nobis, quam conjecturis tentare satius videtur.

Anni Christi 1558. 1559.
Caroli V. Cæs. 39. & ult.
Ferdinandi I. Imp. 1. 2.
Ab. V. C. 645. 646.

Carolo V. Magistratu se abdicanti succedit Ferdinand9. *Fam. Strad. l. 1. de bell.*

DEferimur in annum Christi MDLVIII. in omni annalium memoria decantatissimum, quippe quo Carolus Imperator, qua sol oritur occiditque sceptra protendens & quicquid habet mundus gloriæ felici imperio complexus, stupente orbe universo, sceptra abjecit purpuramque cum cucullo commutavit, imperio Germanico in Ferdinandum fratrem ceterisque regnis & provinciis in Philippum

Idem annus fatalis quoq; fuit Christophoro Archiepiscopo Bremensi Administratori Verdensi, Henrici Ducis Brunsvicensis fratri, & Bonæ Reginæ Poloniæ, ejusdem socrui. Quibus justa soluturus Henricus non per ditiones tantum suas pro defunctis impe-

Moniali-bus Franckenb. vigiliæ & missæ de-rantur.

bergenſes, ut idem facerent, edicto hoc admonuit:

Von Gottes Gnaden Heinrich der Junger/ Hertzog zu Braunſchweig vnnd Lüneburg.

Unſer Gunſt zuevoern. Würdiger lieber Andechtiger. Aus Christlichen Mitleyden mogen Wirs euch nicht vorhalten / daß der Höchwürdigſt in GOtt/ vnd Hochgeborner Fürſt / Herr Chriſtoff weylandt Ertz Biſchoff zu Bremen *Adminiſtrator* des Stiffts Verden/ Hertzog zue Braunſchweig und Lüneburg ꝛc. Unſer freundlicher lieber Herr Bruder / desgleichen auch die Durchleuchtige Königin vnd Hochgeborne Fürſtinn / Frau Bona geborne aus Königlichen Stamm zu *Neapolis*, Königin in Polen / ꝛc. Witwe / vnſer freundlichen lieben Gemhall Fraw Mutter / kurtz verſchiener Weill nach den Willen des Allmechtigen aus dieſer Welt mitt Tode abgeſcheiden ſeyn. Welcher Seelen der Allmechtige gnedig und barmhertzig zue ſeyn geruhen wolle. Und derowegen iſt vnſer gnediges begeren / ihr wollet aus Chriſtlicher Liebe ein Werck der Barmhertzigkeit üben/ vnd beyde Ihre Libden auf nechſtkünfftigen Freytag nach *Purificationis Mariae*, welcher ſeyn wird der vierte Monats Tag *Februarii* gegen den Abendt mit *vigilien*/ und volgendten Morgen mitt Seelmeſſen beſingen begehn/ und von der Kantzell das Volck für Ihrer Libden Seelen/ damit ſie das bey GOtt genieſſen mögen/ zue bitten / vermanen/ auch auf itzgeſetzten Freytag des morgens umb ſieben/ des mittags umb Elffe / und des Abens wenn die *vigilien* aus iſt/ dergleichen an volgenden Sonnabend / wiederümb dreymhall / jedes mhall eine ziemlich vierttel Stunde mit euren groſen Glocken ſtattlichen beleutten laſſen. Hierann geſchicht vnſer Gefallen in Gnadenn zu erkennen. *Datum* Wulffenbüttell den 27. *Januarii Anno* ꝛc. LVIIJ.

H. H. D. J. H. B. v. L.
mein Handt.

Dem Wurdigen vnſern lieben andechtigen Ehrn *N.* Probſten vnſers Kloſters Franckenbergk ꝛc.

M. Jacobus Groſſehans Superint Gosl. *Hamelm.*

Diligentior civitati noſtræ purioris doctrinæ manſit cuſtodia, cujus eccleſiæ jam inde ab Heshuſii diſceſſu vacanti hoc anno præficitur M. Jacobus Groſſehans, quem Macrinum quoque nonnunquam appellari video, Vir ſolidiori doctrina animoque plane imperterrito præditus, de cujus eloquentia tanta fuit hominum opinio, ut & ſucceſſores ea metirentur. Munere Antiſtitis potitus id præcipue dedit operam, ut collegia Canonicorum & monaſteria, in quibus adhuc Romani ritus colebantur, ad puriorem doctrinam perduceret. Quem in finem in concionibus ſuis ſacris Pontificiorum dogmata tam ſolide refutavit, ut ſenſim iſthæc ſacra apud nos vileſcerent, donec ſub proximo Præſule Holzhuſio ubique ferme doctrina evangelica reciperetur.

Glandorpii cum Groshſio certamen.

At ei ſequente ſtatim anno graves interceſſerunt lites cum M. Johanne Glandorpio, tum ſcholæ Rectore, qui uxorem violati thori falſo ſuſpectam repudiaverat, eamque in thalamum recipere recuſabat. Quod facinus cum graviter perſtringeret Antiſtes, ſæpiusque e ſuggeſtu Rectorem ideo objurgaret; Glandorpius ulturus, quas interpretabatur, injurias, epigrammatibus dentatis in Groshanſium invectus eſt, nec intra diſcentium quidem ſubſellia ab acrionibus dictis ſe abſtinuit, donec ineunte anno MDLX. dimiſſo Rectore lites hæ ſcandaloſæ conticeſcerent: ut ſupra in vita Glandorpii jam monuimus.

Anni Chriſti 1562. 1563.
Ferdinandi I. Imp. 5. 6.
Ab. V. C. 649. 650.

Goslarienſes ſylvas a Walkenred. coëmunt.

INterea civitas noſtra tot bonis nuper exuta de aliis coëmendis cogitavit. Bonam Sylvarum partem in vicinia poſſidebat conventus Walkenredenſis, quarum termini ita in antiquioribus chartis definiuntur: Die vier Berge von der hohen Warmunt. tean bis an des Heiligen Creuzes Holz in den Goſe Winckel / von dem heiligen Born bis an den Kukuks Berg / der Vlichsberg/ der Dorneberg nach den Lodenberge. Hujus ſylvæ ligna inferiora Hermannus Abbas Walkenredenſis hoc anno Senatui Goslarienſi vendidit pro ſexcentis florenis Marianis, hac tamen lege, ut cum arboribus ad ædificandum utilibus relinquerentur ſingulis jugeris arbuſculæ duodecim, & ſpatio decem annorum ſylva lignis cædendis liberaretur. Quo finito temporis intervallo anno 1571. Georgius Abbas ſylvas has eadem lege demetendas civitati locavit pro quadringentis Joachimicis, viginti tamen annis ad cæſionem indultis.

Ekſtorm. p. 262. *Chron. Walkenr.* p. 438.

Item ſacellum S Cæciliæ. *Ekſtorm. l. c. p.* 241. *Leukf. l. c. p.* 130.

Idem monaſterium intra ipſa civitatis noſtræ mœnia habuerat Capellam S. Cæciliæ, de cujus origine & ſatis pluſcula jam ante diximus. Ea cum poſt reformata in monaſterio ſacra conventui parum præſtaret utilitatis, ſequente anno pro centum & ſexaginta Vallenſibus vendita fuit Senatui Goslarienſi, qui ex hoc ſacello duas ædes fieri curavit, easque civibus elocavit habitandas. Obſervari itaque hic meretur, quanta hoc tempore rerum omnium vilitas fuerit, cum tanti ſylvarum tractus & ſacellum, cujus in locum binæ civium ædes poterant ædificari, tantillo pretio venierint.

Theod. Holzh. Superint Gosl. *Hamelm.*

Hic annus quoque paulo poſt paſchatos feſtivitatem ſubtraxit nobis M. Jacobum Grosshanſium Superintendentem, cujus in locum Hildeſia huc evocatus eſt Theodorus Holzhuſius Græninga-Friſus, vir majore lenitate quam doctrina præditus, un-

de non modo a collegis nonnullis multas ſubiit contumelias, ſed & plebi paulo timidior viſus eſt. Tam ſcilicet arduum & periculoſum eſt, viro eloquenti & omnibus probato ſuccedere. Nec tamen defuit Holzhuſii induſtriæ divina benedictio, qua adſpirante factum eſt, ut Canonici non modo SS. Simonis & Judæ verum etiam monaſteria Fratrum & Novi operis ejus ſuaſu ritus pontificios dimitterent, ut paulo poſt ſumus dicturi.

Controverſia Synergiſtica in Saxonia ſup. *Schluſſelb Cat. her. l. 5. p. 13. ſq. Thuan. l. 47. Fecht. ſuppl. hiſt. eccl. p. 91. 249. 253. 259. Oſiand. cent. 16. l. 3. c. 23. p. 649 Nov. ant. theol. ann. 1703. p. 688.*

Florebat tum quoq; in civitate noſtra Jacobus Viernickel Diaconus SS. Cosmæ & Damiani, vir doctus & inſigni pietate prædictus. Is notus nobis e controverſia ſynergiſtica, quæ tum in ſuperiore præcipue Saxonia inter Strigelium, Flacium aliosque tanta animorum commotione agebatur, ut plures ideo ſacerdotia amitterent, ipſe vero Strigelius in vinculis quoque aliquandiu haberetur. Origo hujus certaminis refertur ad Philippum Melanchthonem, qui jam ab anno MDL. deſerta Lutheri ſententia paulo liberalius de libero hominis arbitrio ſentire cœperat. Et quamvis initio intra paucos error ſtaret, mox tamen non modo ſcriptis a Melanchthone propagatus, ſed etiam ferme ab omnibus illius diſcipulis, qui Philippiſtæ vocabantur eſt receptus. Interjecto tempore D. Joannes Pfeffingerus, Theologus Lipſienſis cum apud omnes male audire præceptorem animadverteret, ejus theſes publica diſputatione vindicare auſus eſt, quem ſecutus Victorinus Strigelius ita clare ſententiam ſuam de libero arbitrio propoſuit, ut præcipuas in converſione partes humanis viribus ac voluntati tribueret. Adverſus hunc igitur protinus conſurgunt Flacius, Amsdorffius, Heshuſius, Wigandus, Sim. Muſaeus, Matth. Judex, pluresq; alii qui ſcriptis de libero ſervo q; arbitrio libris ſynergiſmum impugnant, eoque rem deducunt, ut Strigelius in carcerem conjiceretur, non admodum bono profecto inter evangelicos exemplo. Interea Ducum Saxoniæ auſpiciis colloquium inter Strigelium & Flacium indicitur, publice habendum, in quo licet hic partes ſuas optime tueretur, rationibusque egregiis Strigelium impugnaret, deluſus tamen illius artibus, cum peccatum originis ex animi præcipitantia ſubſtantiam dixiſſet, ac monitus licet palinodiam canere nollet, novis contentionibus dedit occaſionem, nomenque aſſeclis ſuis reliquit perpetuum. Poſt hanc diſputationem magna ſubito facta eſt rerum converſio. Theologi enim Wittebergenſes G. Major, P. Eberus & Crellius in Strigelii euntes ſententiam omnes tabernas ſcriptis eriſticis impleverunt. Strigelius præterea captivitate liberatus & ſibi redditus Chriſtiani Pontani Cancellarii Vinarienſis favorem ſibi conciliavit, cujus ope reſtitutis in munera Synergiſtis, Flacius, Wigandus, Muſæus ceteriique Strigelii antagoniſtæ ſolum vertere juſſi ſunt. His itaque in calamo erat præſidium donec anno MDLXVII. Theologi & Paſtores Vinarienſes a Pontano pulſi poſtliminio redirent ad munera. Quorum cura non modo *declaratio Vinarienſis* adverſus Synergiſtas prodiit, verum etiá viſitatio per totum ducatú eſt inſtituta, eo conſilio, ut Strigelii error jamdudú in Mansfeldenſi ſynodo rejectus penitus evelleretur. Quo factum eſt, ut lites hæc ſenſim exſpirarent, ac communi omnium eccleſiarum ſuffragio Strigelii ſententia explode-retur.

Jacobi Virnickel ſententiade liberoarbitrio.

Diſcutiendæ igitur huic controverſiæ apud nos quoque operam impendit Jacobus Virnickel, cujus jam mentionem fecimus. Is cum & ipſe Philippum Wittebergæ audiviſſet, non tamen paſſus eſt ejus locos theologicos reprehendi. Itaque ejus de libero arbitrio ſententiam ita defendit, ut nec Synergyſticæ omni ex parte reſponderet, nec orthodoxæ plane aſſentiretur. Nec conſultum tamen videbatur viro prudentiſſimo, publicis ſcriptis rem agere. Hinc Chemnitio qui tum Brunſvici florebat literis amiciſſime ſcriptis animi ſententiam expoſuit, quæ hodienum Doctiſſimi Leukfeldii beneficio extant egregiumque Dni M. Jacobi Groſhanſii Antiſtitis nuper defuncti eloquium continent. En eas:

B. Muſæus in Præf. ad Flac. Clavem SS.

Reverendo Viro eruditione ac virtute præſtanti Dn. M. MARTINO KEMNICIO, *Eccleſiæ Brunſvicenſ. Paſtori, Domino ac fratri in Chriſto ſuo obſervantia perpetua colendo.*

SALUTEM IN CHRISO. Etſi longe ſum inferior, Reverende Vir, quam ut literis meis ineptis tibi obſtrepam, quod nulla mihi tecum intercedat familiaritas: Tamen communi eccleſiæ ſocietatis & amicitiæ vinculo, nec non fama tuæ humanitatis erga omnes, motus, has ad te exarare literas non dubitavi. Rei etiam ipſius cauſa mihi ſpem fecit maximam, te hanc meam audaciam æqui bonique facturum. Haud ſine gemitu faciem miſeram Eccleſiæ CHRI, proh dolor, hoc ſeculo tot doctorum diverſis ſententiis de multis ac præcipuis articulis noſtræ ſalutis aſpicio, imo ingenti dolore afficior, quoties animo rem recte perpendo. Quosdam enim vero zelo flagrare, multos certare ingenio, plurimos ſine delectu & rei ipſius cogni-

gnitione aliis suffragari, disputare, & applaudere non est obscurum. Quemadmodum enim illi ingenio sibi gloriam: ita hi ex inscitia & inani applausu doctorum favorem & auram popularem aucupantur: *Cujus rei indignitas non minimam causam Mortis attulit nostro piæ memoriæ Pastori ac Superintendenti. Nam etsi etiam alia morbi causa prospiciebatur; tamen mihi utpote domestico amico, quanto mœrore animi aliquoties rem indignissimam percensuit? quoties illum cogitabundum & sollicitum propter hæc turbulenta tempora conspexi? quoties animum recipere jussi? quam nunc ita immatura morte ademptum cum tota ecclesia nostra lugeo? Syncerus erat sane in doctrina prophetarum & Apostolorum, & aliorum doctorum recte judicantium sententia facile acquiescebat.* Elogium M. Jacobi Grossehansii Superintendentis.

Sed quo digredior: dicturus eram de confusione horum temporum & de diversitate sententiarum super articulos fidei *in locis Philippi*, quarum argutiæ, quæ proferuntur hoc seculo, multos habent sollicitos, multos implicant, & pene incertos reddunt, qui fundamenti cognitione destituuntur, quid statuant. Cumque mihi aliquoties usu venerit disputatio (ut solet) in privatis colloquiis, de libero arbitrio, & videam quæstionem hanc esse satis arduam & difficilem, si subtiliter disputes, audiam etiam multos subtilitatibus istis eo prolabi & perduci, ut statuant, *omnino Deum habere respectum personarum & tyrannidis illum fere insimulent.* Vt igitur doctioribus respondere, alios etiam rudiores docere queam interrogatus, meos præsertim æquales, vellem ex animo, me boni viri consilio & opera uti posse, qui me, num recte sentiam nec ne, expediat, maxime vero nunc cum ex scholæ provincia ad publicum in Ecclesia munus docendo sum vocatus. Cumque ecclesiæ plurimum interfit, docentem alios recte institutum esse, tua vero autoritas, fides & humanitas multis sit perspecta & cognita, nihil dubito, te propter Dei gloriam non aliter atque ego feci, accepturum, quod tuo judicio meam de libero arbitrio opinionem subjiciam. Quo enim alias tuto confugiam? Peto igitur abs te amanter, Eximie Dne Magister, ut erudiendi gratia hanc chartam, si vacat & grave non erit, perspicere, & limam addere non dedigneris. 1. Postea de causis in justificatione hominis, 2. quas Philippus commemorat, tuam animi sententiam, propter Deum, aperias oro. Mihi videntur non jure posse reprehendi, si recte intelligantur, & explicentur. Spiritus S. est efficiens, verbum instrumentalis causa, nonne etiam requiritur Hominis voluntas, ut materialis causa, in quam agat Spiritus S. quamque præparet per verbum, ut possit adsentiri, quod ante verbum auditum non potuit. Is certe ordo & modus est convertendi, nec cum hoc dicitur, adimitur aliquid Spiritui S. quo minus sit solus causa salutis, imo ipse Spiritus S. postulat adsensum. Sed non utar pluribus verbis, contentus ero tua explicatione, qua scio me multum expeditum iri. Te modo obsecro, ne mihi deneges. Non quod tuo nomine ostenso velim me defendere coram alio, si nolis: id ne suspiceris quidem summopere rogo. 3. Postremo rectam esse definitionem Evangelii quod sit prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum, plurimum moveor dicto illo Marci I. *Christus prædicans evangelium dixit, resipiscite & credite evangelio.* Loquitur enim definitio illa de toto Ministerio Evangelii, etymologiam autem vocis aliter accipio, scilicet quod sit lætum nuntium. Hæc sunt, quæ movent me plurimum & concionem habituro sæpe obstant, quo minus libere dicam, *quod sciam, nihil non rapi in pejorem partem.* Iterum rogo, ne mihi tuo judicio deesse velis, cui plurimum non ego solum verum etiam doctissimi quique tribuunt. Hoc officio & Deo rem gratam facies, & me in perpetuum Tibi devincies. In Christo Salvatore nostro quam rectissime cum omnibus tuis valeas oro, & si quid erratum est, ignoscas. Data 29. Junii Anno 1563.

T. R.

D. [illegible]

Jacobus Virnickel, *minister verbi.*

Ad has literas amice admodum reſpondit Chemnitius; & Virnikelio *non ſolum egregiam præſcripſit normam, dijudicandi has controverſias, verum etiam ejus animi ſententiam, quam non ſatis verbis expreſſerat, ita eruit atq; explicavit, ut hic facile ejus acquieſceret inſtitutione & ſententia, & nullam magis veram eſſe ingenue fateretur.* Hanc enim literarum Chemnitii ſummam ipſe Virnickelius repetit. Cum igitur liberius ſecum agendi copiam ei feciſſet Chemnitius, altera quoque epiſtola ſententiam ſuam explicare auſus eſt, in qua haut obſcure ſynergiſmum humanæ voluntatis ſtatuit. Dignum & hoc eſt monumentum, quod & hic prodeat, cum in eo ſubtiliter de hac controverſia diſputetur, ſatisqe declaretur, quanta fuerit Melanchtonis apud diſcipulos ſuos auctoritas:

Doctrina pietate & virtute ſingulari prædito Viro Domino Mag. Martino Kemnicio, *Eccleſ. Brunſvicenſis Coadjutori fideliſſimo, Domino & amico ſuo perpetua obſervantia colendo.*

GRatiam & pacem per Chriſtum. Redditæ mihi ſunt literæ tuæ, pleniſſimæ humanitatis & benevolentiæ, Vir obſervandiſſime, quibus te meam ſententiarum collationem nequaquam abhorrere, ſed potius ad eam me ulterius provocare videris. Etſi autem Witenbergæ hanc animi tui manſvetudinem, audiens te prælegentem publice, ac famulum agens apud *Severinum* tuum *Gebelium*, & nobiles illos *Iruchſes* vocatos, cognoveram: tamen nunc demum perſpexi ſatis. Gratiam igitur habeo tibi maximam pro tua hac in me facilitate & promta reſponſione. Æqvum facis & boni paſtoris munere dignum, ſecutus admonitionem Apoſtoli.

Cæterum quod ad tuam attinet reſponſionem, non ſolum mihi egregiam præſcribis normam dijudicandi has controverſias, ac nodum ſolvis, verum etiam meam ipſius animi ſententiam, quam ita ipſemet exprimere non potui, eruis & explicas. Vt facile tua acquieſcam inſtitutione & ſententia, & nullam magis veram eſſe ingenue fatear. Tribuo enim omnia ſane Spiritui ſancto, operationem, cooperationem perfectionem, & ſi quæ eſt cooperatio voluntatis, tamen non eſt niſi poſt renovationem a Spiritu ſancto præparata, & tamen nihilominus indiga Spiritus ſancti.

Sed quia liberius tecum conferendi feneſtram mihi patefeciſti, nihil ſcrupuli mecum continere queo. Quæretur ergo: Si renovata voluntas hominis non libera relinqueretur homini, ſed inſeparabiliter & indeclinabiliter divina ageretur gratia, ſecundum *Aug.* 12. *cap. de Cor. & Gra.* ut quamvis in-
1. firma tamen non deficeret: *ſequitur*, renatos non poſſe relabi? Ego ſic accipio. Cum Spiritus S. dedit intellectum, cœpit renovare voluntatem, etſi non ceſſet operari S. Sanctus in homine, quin pergat impellere, movere, trahere, inſtare. Tamen jam nunc poſt primum radium illuminationis ita movet & trahit hominem, ut addat voluntatem ſuam & aſſentiat: Si igitur addit cupit & petit homo, hinc amplius augetur, ſuſtentatur & confirmatur, ne deficiat. Sin vero donum Spiritus S. in ſe negligit, & motum in ſe excitatum non petit augeri, tunc Sp. S. etiam non contra voluntatem conſervat iſtam voluntatem jam cœptam renovari. Dicitur enim: *Habenti dabitur, & volenti proficere*, ut *Philippus* explicat. Item: *Quanto magis dabit Sp. Sanctum petentibus?* Sp. S. quidem advenit ad nos per verbum ſine nobis, etiamſi non petimus, & ſollicitat nos ad petendum, movet & impellit. Sed poſt primum impulſum non ſine nobis perficit & ſine noſtra voluntate, ut & *Auguſtini* dictum (ni fallor) eſt: *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* Ergo
2. Liberam relinquit homini petendi & accipiendi gratiam, etiamſi Sp. S. maxime invitet, nec ceſſet operari. Sed tamen modo alio, atque ante cœptam renovationem. Tunc enim agebat voluntatem hominis, ut patientem, nolentem nihil intelligentem: jam ut bene rem intelligentem & agere potentem ex dono Sp. S. non naturalibus viribus. Nolentibus enim ſalutem & gratiam non obtrudit, ſed volentibus, ſicut ante principium renovationis obtulit. Hic enim locum habere arbitror dicta, quibus voluntas noſtra toties poſtulatur in S. Scriptura. Si vero non liberum eſſet cuique accipere & non accipere; tunc eſſet violenta coactio in iis, qui accipiunt, & in iis qui non accipiunt, non accideret illa coactio. Et per conſequens etiam non jure damnarentur, qui damnantur. Nec univerſales promiſſiones quoq; valerent

lerent quicquam & tantum particulares fierent, & iis ſolummodo accomodandæ, quos præ reliquis Deus elegiſſet. At Paulus ait: *Transformamini ad eandem imaginem:* Ea vero fuit talis, ut libere poſſet apprehendere vel non. Ergo etiam nunc liberum nobis relinquitur a Deo, & quamvis non ita perfecte liberum eſt per omnia, ut tunc erat, tamen liberum aliquo modo. Dico tamen, quod iſta libertas obediendi & perſeverandi non poſſit perſevarare usque ad finem vitæ ſine auxilio Sp.S. ſed quando voluntas libera ſeu potius liberata accipit promiſſionem, & petit conſervationem, tunc conſequitur hoc ut non deſeratur a Sp.S. usque ad finem, ut licet lapſus fuerit homo, tamen recipiatur, agens pœnitentiam, & denuo implorans opem. Hæc eo ſpectant, ut vides, liberam nobis relinqui poteſtatem credendi, excitatam in nobis & donatam a Sp. S. Non enim qui cœperint renovari, ſunt ſtatim filii Dei, ſed qui poſtea etiam credunt, ut dicitur: *dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt.*

Porro quæritur: Annon in omnibus audientibus verbum Dei efficax ſit Sp.S. ut donet eis velle & aperiat intellectum? & alios cupidos facit gratiæ, alios non item, ſicut etiam in exemplo Lydiæ & ſimilibus eſt cernere: ſequitur damnatos die judicii jure poſſe conqueri: Alme Deus, ſciviſti, in meis viribus naturalibus non fuiſſe, velle & credere; Quare igitur non dediſti mihi, ut potuiſſem apprehendere? At dices: Anne poteſtatem habet Deus alium aſſumendi, alium rejiciendi, alii dandi poteſtatem ad credendum, alii non? Verum eſt, habet, non quosdam ſed omnes damnandi, nec injuria. Sed quæſtio eſt: Num etiam faciat, & ita unum pro altero deligat? Si facit (ut quendam audivi affirmare ex illo dicto: *Cujus miſereor, miſereor*, ac inſuper dicentem, hominem electum etiamſi labatur aliquoties, tamen oportere illum redire. Ego ſi ſic docerem, certe auditores admodum ſecuros facerem, & ad peccandum feneſtram aperirem maximam. Cogitarent enim, ſtrenue ſcortabor, indulgebo genio, & id genus aliis voluptatibus. Si enim electus ſum, & cogor redire ad pœnitentiam, quid obſtiterit peccare? Sin vero non fueris electus, quid proderit pie & modeſte vivere?) Sed tibi loquor, *humaniſſime Dne Magiſter*, ſi, inquam, facit, ergo promiſſio univerſalis eſt irrita, nec omnes vult ſalvos. Sin vero omnes vult ſalvos, ut certum eſt 1. Tim. II. ex *Paulo;* oportet, ut quoque tam in uno, quam in altero operetur velle, ut ipſe culpari nequeat, ſed omnis cauſa & culpa damnationis recte in ſolo homine damnato conſiſtat & vera maneat ſententia: *Perditio tua ex te Iſraël.* Hæc ſpectant eo, quod diſputandi non ſtatuendi gratia putem, *Deum in omnibus audientibus verbum efficacem eſſe, operari velle & primum modum illuminationis largiri.* Quod autem non omnes ſalvi fiant, cauſa eſt, quod iſtum motum negligant, deinde extrinſecus etiam actum contrarium opponant, & ita tam quod habent, quam quod habituri eſſent amittant. Hæc ſunt, de quibus te amplius diſſerentem audire deſidero. Nolim vero te meis quæſtionibus vacare, longe gravioribus occupationibus diſtractum, ſed cum bene poteris per negotia. Deus optimus maximus veſtram eccleſiam in vera cognitione & puritate evangelii conſervet: Noſtræ etiam viciſſim de pio & fideli Superintendente proſpiciat, votis ardentibus oro. Etiam atque etiam vale. Goslariæ 31. Auguſti Anno 1563.

T. D.

Jacobus Virnickel.

Annus Chriſti 1566.
Maximiliani II. Imp. 3.
Ab. V. C. 653.

Eccleſia SS. Sim. & J. reformatur. *Annal. Gosl. MSC.*

ANnum hunc celebrem nobis ac memorandum facit eccleſia SS. Simonis & Judæ, cujus canonici poſt longam tergiverſationem evangelio deniq; obſecuti ſunt, ritusq; pontificios penitq; abrogarunt. Primam concionem ſacram, recepta a Canonicis in ædem ſuam parochia S. Thomæ, habuit Jacobus Virnikel, is de quo jam antea haut pauca diximus, die Dominica quæ feſtum Michaëlis antecedit. Nec tamen deſierunt ideo Canonici pſalmis hymnisque horas Canonicas peragere, ſed hodienum eas ſumma cura ſervant, priſtinamque pietatis laudem huic eccleſiæ veluti propriam, egregie tuentur. E Canonicis quidem jam dudum aliqui, miſſo cultu Romanenſi puriorem doctrinam ſuſceperant, quemadmodum hoc nomine ce-

celebrantur M. Georgius Fridebergius anno 1542 & Mgr Mauritius Monetarius 1543, ſed ſtatim amiſerant præbendas, ſuisque fructibus aliquandiu vivere fuerant coacti, donec ille Rectoris Scholæ, hic Paſtoris S. Thomæ muneribus præficerentur. At integra hujus eccleſiæ reformatio hoc ipſo anno contigit, licet Canonici, qui tam laudabile opus perfecere, nondum a me potuerint inveniri.

Catalogus præpoſitorum SS. Simonis & Judæ.

Atque hic quidem operæ pretium mihi videor facturus, ſi Lectori Catalogum præpoſitorum, decanorum & canonicorum quos usque ad ſeculi XVI exitum hæc eccleſia aluit, hic protulero in medium, quamvis non integrum, atque hinc inde mutilum, e genuinis tamen monumentis & diplomatibus excerptum:

I. Præpoſiti SS. Simonis & Judæ, qui ab eccleſiæ origine ad ſeculi usque XIV. exitum præcipuæ claruiſſe e diplomatibus & probatis hiſtoricis colliguntur. Poſteriores enim paucos mihi licuit reperire.

Suidgerus, de quo tamen dubia omnia, e Canonico Halberſtadienſi Bambergenſis Epiſcopus creatur 1043. poſtea Pontifex Rom. 1547. clementis II. nomen aſſumſit.

Henricus, deinde Auguſtenſes epiſcopus creatus a6. 1048 morte non ſua periit.

Rumaldus; al. *Grimaldus* in diplomate Leonis IX. Pp. occurrit a6 1049. Conſtantienſem epiſcopatum meritus a6. 1052.

Hezilo Egberti Marchionis conſanguineus, Hildeſiens. Epiſc. creatur a6. 1054. notq e cruento certamine cum Widerado Abbate Fuldenſi.

S. Anno Comes Daſſelenſis, Canonicus primum Goslarienſis mox anno 1054. præpoſitus, ſequente anno Colonienſis Archiepc. creatur.

Guntherus ſeu *Winitherius* Henrici III, Cancellarius occurrit in bulla Victoris Papæ a6 1056. Bambergenſis epc. creatur anno 1060.

Werenberus, comes Woldenburgenſis occurrit in dipl. 1060. Mersburgenſis Præſul conſtituitur anno 1063.

Craffto Miſnenſis epiſcopus deſignatus famoſa morte periit 1066.

Henricus Comes de Scharffenberg, Spirenſis epiſcopus creatur anno 1067.

Bibo Henrici IV. Cancellarius Tullenſis epiſcopus 1069.

Rupertus ob Henrici IV. familiaritatem vulgo inviſus Epiſcopus Bambergenſis conſtituitur anno 1075.

Henricus Comes Aslo-Wincenburgicus Epiſcopus Paterbornenſis anno 1084. mox ab æmulo Henrico Werlenſi ſede ejectus, tantem a6 1102. Magdeburgenſis Archiepiſcopus conſtitutus.

Eppo, aliis *Ebbo* e religioſo Laureshamenſi præpoſitus Goslarienſis, demum Wormatienſis epiſcopus anno. 1110.

Mazo aliis *Maſo*, poſtea Verdenſis electus 1127.

Elbertus occurrit in diplomate Lotharii Cæſaris a6. 1128. nec non in Chron. Gosl. MSC. Hamerslebienſi Monacho epiſcopatu Mumenſi dicitur potitus. Vid. nos ad ann. 1128.

Adelbogius dynaſta Dorſtadianus, Præp. Goslarienſis non modo eccleſiæ SS. Simonis & Judæ, ſed & S. Petri 1156. 1162. 1163. 1164. Ad Hildeſienſem epiſcopatum tranſit. 1171.

Godefridus vulgo cum Godefrido Viterbienſi confuſus Ratisbonenſis epiſcopus renunciatur a. 1185.

Conradus, Præp. SS. Simonis & Judæ. 1190.

Wilhelmus Comes de Querfort in palæſtinam peregre abit a6. 1197.

Petrus 1200.

Eligerus Comes de Hohnſtein inſignis teſtis veritatis, quem nonnulli præpoſituram Goslarienſem oblatam ſuſcepiſſe negant, diſerte Præpoſitus Gosl. vocatur in diplomate Epiſcopi Halberſtadenſis 1220. itemq; in literis Henrici VII. Cæſ. anno 1223. nec non in diplomate alio Friderici Halberſtad epiſcopi, a6 1226. Conf. *Marci Wagneri Frimarienſis Theologi & Hiſtorici Hiſtoriam* oder kurtze einfältige Erzehlung/ wie der Edele und wolgebohrne Herr Herr Elgerus, Graffe zu Hohenſtein/ Thumb Herr zu Magdeburg/ Probſt zu Goßlar und der Landgraffen in Thüringen Beicht Vatern und geheimbten geiſtlichen Raths/ und der Prediger Klöſter in Erfurt und Eiſenachs Stiffters die prophetiſche und Apoſtoliſche Lehr auff und angerichtet in Thüringen/ und viel darinnen aus den Heidniſchen Abgöttereien und cultibus ſanctorum zu erkändnis ihrer ſünde gebracht/ und den rechten Weg zum Himmelreich gebracht hat. ao. Chriſti 1582. in 4. Attamen ad fratrum Prædicatorum familiam tranſiens Prior factus eſt Iſenacenſis. 1235.

Ludolphus, Comes de Sladem Halberſtad. epiſc. fit anno 1232.

Johannes Semeca, vulgo Teutonicus inſignis JCtus & decretalium Doctor 1238 Halberſtadii Præpoſituram majorem obtinet anno 1240.

Ludolphus alter Comes de Sladem Præp. Gosl. Halberſtadienſis Epiſc. 1255.

Johannes 1255. Chron. Mont. Franc. p. 27.

Ludolphus 1266. Ejus diploma extat in tabular. Eccleſ. SS. Simon. & Jud.

Arnoldus Comes de Solmeſſen. 1271. 1282. 1283. Bambergenſem epiſcopatum obtinet anno 1285.

Johannes Comes de Querenverde. 1309.

Henricus de Vulda Præp. SS. Simonis & J. 1334.

Erneſtus Comes de Hohenſtein, Halberſtadii renunciatur Epiſcopus anno. 1390.

Fridericus Kokemeſter van Godes un der Römiſchen Kerken Gnaden Proveſt der Kerken

ken hilghen Apoſteln Simonis und Jude 1434.
Hermannus Beybermannus Clericus Halberſt. anno circiter 1552.
Johannes reſignavit 1567.
Leonhardus Bruningk a Cæſare præſentatur 1568.
Johannes Deneke 1632.

Catalogus Decanorum.

II. Decani, qui eccleſiæ SS. Simonis & Judæ ad ſeculi usque XV. exitum præfuere.

Meginzo 1060.
Bruningus Hildeſienſ. epiſc. creatur a6 1114.
Almarus Decanus. 1163.
Erembertus. a. 1166. 1171.
Rudolphus a. 1255. Chron. Mont. Franc. p. 27.
Rainardus a. 1259. 1261. 1264. 1266. quo anno obiiſſe eum oportet.
Richertus occurrit exeunte anno 1266. 1267.
Fridericus de Jerchſen nonnunquam Jercſen, Decanus SS. Simonis & Judæ Gosl. & S. Nazarenæ in Syria eccleſiæ Canonicus, Capellannus Ottonis Hildeſ. Epiſcopi 1271, 1272, abdicavit ſe munere, 1274 Goslariæ tamen adhuc privatus inter Canonicos vixit anno 1287.
Conradus conditus de Altendorpe Decanus eligitur 1274. paulo ante diem B. Cæciliæ virg. ſimul Canonicus S. Bonifacii Halberſtad. 1275.
Seybodo 1281. 1282. 1283. 1285. 1287. 1291. it. 1292 vi. Kal. April.
Konemannus 1292. in die B. Viti. 1293. 1295. 1296. 1298.
Ludgerus 1301.
Hermannus Solamen ſive Troſt. 304. 1305. 1308 1309.
Ludolfus 1313.
Conemannus. 1314.
Anno, Decanus, 1320. 1322. 1325. 1334. 1337. 1338.
Conradus de Pælde. 1341. 1352. 1355. 1356. 1358.
Johannes van der Zelle. 1360. 1362, 1368.
Fredericus. 1381.
Johannes. 1387.
Detmarus. 1396.
Hinrick Decken 1414.
Theodericus. 1424. 1426. 1429. 1432.
Anno 1433.
Hinricus. 1434.
Rembertus de Dolnes. 1440. 1449. 1450.
Johannes Bornemann. 1453. 1461.
Hinricus Schuvichart. 1462. 1466.
Henninghus de Bornhuſen. 1476. 1488. 1491.
Johannes Dappen. 1491.

Catalogus Scholaſticorũ Theſaurario rũ Canonicorum

III. Celebriores Scholaſtici, Theſaurarii Cuſtodes & Canonici, quorum nomina in diplomatibus & annalibus perennant.

Engelhardus, poſtea Magdeburgenſis Archiepc. 1052.
Bucco Halberſtadienſis Epiſcopus 1059. Goslariæ morte non ſua obiit.
S. Benno Comes de Woldenberg, Magiſter, hoc eſt Scholaſticus Goslarienſis 1062. Misnenſis Epiſcopus 1066. in ſanctorum numerum relatus ao. 1523.
Benno Sucuus, Scholaſticus aliquandiu Goslarienſis mox Hildeſiæ Scholarum Magiſter demum Episcopus Oſnabrug. 1067.
Otto de Goslar, Conſtantienſis Epiſcopus. 1071.
Liemarus, Comes Bavarus, Bremenſis Archiep. 1072.
Hildolfus, Colonienſis Archiep. 1076.
Erpo Monaſterienſis Epiſcopus 1087.
Petrus de Richenberg, Subdiaconus & Canon. SS. Sim. & Judæ fundavit monaſterium Richenbergenſe 1117.
Conradus Comes de Querfurt, Magdeb. Archiepc. 1134.
Sidagus filius Vffonis, Comes de Woldenberg. 1136.

Bertoldus presbyter
Herimannus presbyter
Bovo Subdiaconus
Rembertus Subdiaconus
} Canonici Majoris eccleſiæ Goslarienſis, 1155.

Baldvvinus
Erembertus
Hereboldus 1176
Vdo 1171.
} Canonici Goslarienſes. 1156.

Balduinus Scholaſticus
Otto Vicedominus;
Bertholdus Comes
Bertoldus Albus
Bertoldus Niger, ſimul Scholaſticꝰ Hildeſem.
} fratres Goslarienſis eccleſiæ. 1163.

Erpo
Conradus
} Diaconi Majoris Eccleſiæ Goslar. 1166.

Berno diaconus
Engelbertus presbyter
} Canonici Gosl. 1166.

Herebordus
Vdo 1181.
} Canonici Goslarienſes 1171.

Dietmarus Canonicus Goslarienſis 1181.

Magr Walsherus de Aken
Rudolfus
} Canonici 1219.

Alexander
Bertoldus
Reinhardus
} D. Matthiæ Gosl. Canonici 1241.

Borchardus de Winigerode Canon. eccl. SS. Sim. & J. 1254.
Hermannus Princeps Anhaltinus 1247. ſimul Præpoſitus Halberſtad.
Alexander Scolaſticus 1255. 1259. 1261. 1267. 1272.
Magr. E. B. Canonicus ecl. Sim. & Judæ 1255.

Conradus de Mulhuſen 1259. 1261.
Gunzelinus de Gethlede 1259. 1261. 1267
Henricus de Inferno 1259. 1267.
Bertoldus Honeſtus 1259. 1261. 1267. 1272. 1276.
Johañes de Goſa 1259. 1267. 1272. 1274 1275. 1277.
Sigeb. Cuſtos 1261. 1267. 1272. 1274 1275
Gunzelinus de Oſterrod. 1267.
Conradus de Bronsvick. - -
Cnoradus de Adenſtede 1259.
Fridericus de Brema 1259.
Steppo de Mander
Siffrid de Bronsvick
Gunzelinus de Bodenſten
} 1259.
} Canonici eccl. SS. Sym. & J. Apoſt. 1265.

Magr.

Magr. Detmarus, Scholaſticus 1273]
Olricus de Piſcina 1259. 1267. 1272. 1274. | Canonici eccl. SS. Sy. & Jud. 1265.
Fridericus de Jerchſen poſtea Decanus 1267. |
Bertoldus de Gouviſche 1267. 1272. 1275. 1277. |
Hartmannus de Wiltenſten. 1285.]

Alexander de Walmoden, Dei permiſſione Canonicus SS. Apoſt. Symon. & Judæ Goslar. 1251. 1267. 1271. 1272. 1274. 1275. 1277.

Baſilius de Gittelde 1274. 1277. 1287.]
H. de Bilſten] fratres 1567. 1271. 1275. 1285. 1287. | Canonici eccl. SS. Sym. & Jud. 1309.
Johannes de Bilſten]
Johannes de Velum 1274. |
Ludolfus de Elvede 1274. 1275. 1285.]

Conradus de Reinſtede Canonicus D. Matthæi 1271. 1275.

Johannes, Præpoſitus in Stetterlingeborch. Cananonicus eccleſiæ SS. Simonis & Judæ. 1274.

Johannes de Somerdorp. 1275.

Magr. Reinardus Scholaſticus. 1274. 1275. 1277. 1281. 1283. 1285. 1287.

Hermannus Honeſtus. 1274. 1275. 1277. 1285. 1288. 1291.

F. de Vakenſtede. 1275. 1285. 1288. 1291.

Magr. Hildebrandus. 1275. 1285. 1288. 1291.

Magr. Rainardus de Lapide 1274. 1275. 1288. 1291.

Gerhardus de Widen 1274. 1285.

Herr *Baſilius* Domherr van Goßlar. 1275. 1285. 1289.

Reinerus Scholaſticus] 1293. 1295. 1296.
Arnoldus Cuſtos 1285] 1309.

Magr. Jacobus, Canon. Goslar. aulæ Cæſareæ notarius 1298. vocatur alibi: Meyſter Jacob uſes Hern Scriber des Romſchen Künigs Albrecht der ein Tumhere iſt ze Goßlar.

Giſelbertus de Wiltenſten] Canonici D. Matthiæ 1308. 309.
Anno de Gouviſche Senior]

Tidericus de Walmoden. 1309.

Ludovicus de Borchtorpe]
Reinerus de Urdhe |
Mag. Wernerus de Aken | Canonici D. Matthiæ Gosl. 1309.
Detlevus de Werre |
Henricus de Swaff |
Walterus de Bivvende |
Borchard de Bervvinkele |
Henricus Honeſtus |
Wernerus de Berkampe]

Konemannus Obedientiarius in Bred. 1311.

Arnoldus de Aſtvelde Thesaurarius] 1282. 1285.
Konemannus de Jereſen Scholaſticus] 1309. 1311.

Wolfherus Theſaurarius 1314.

Johannes theſaurarius eccleſiæ S. Matthiæ] 1322.
Gozvvinus de Oſterode Canonicus ejusdem eccleſiæ ſacerdos.] 1332.

Tidericus de Luttere. 1309.]
Anno de Gouviſche Junior, 1309. |
Arnoldus de Goſa 1309. 1320. | Canonici D. Mat-
Johannes de Bilſten 1320. |

Henricus Boſen.] thiæ in Goslar. 1326.
Detmarus Staties]
Conradus de Knifted]

Conradus de Pœlde Theſaurarius. 1326. 1334.

Arnoldus Scolaſticus eccliæ SS. Sim. & Judæ 1334.

Bertram de Bilſten Canon. D. Matthiæ. 1320. 1340.

Volkmarus Canonicus. 1348.

Detmarus de inferno Canonicus

Tidericus Longus occurrit in diplomate quodam a. 1309. an idem forte, qui *Tidericus Lange*, Canonicus Goslarienſis & Eimbeccenſis? cujus extat *Saxonia* verſibus Leoninis deſcripta & ab *H. Meibomio* edita *tom. 1. Rer. Germ.* Ab Engelhuſio qui anno 1434. obiit hinc inde laudatur ſub nomine.

Theodori Langi de Eimbeke.

Bertramus de Bylſten Theſaurarius 1355.

Teabellus Scolaſticus 1357.

Conradus de Kniſtede]
Adrianus |
Detmarus de Inferno | Canonici eccliæ Scorum Aplorum Symonis & Judæ in Goslaria. 1355.
Bertoldus de Rheden |
Wernerus de Weſterod |
Hermannus Duderſtadt |
Bernardus de Pœlde |
Otto Dives |
Conradus de Kniſtede Junior |
Hermannus de Aſtvelde]

Bertold de Rycke / Canonick der hilghen Apoſteln Sünte Sym. & Jud. 1389.

Tidericus de Aſtvelde Senior]
Hartmannus de Aſtvelde |
Hermannus Bellator |
Johannes de Wulhaghen | Canon. SS. Symon. & Judæ. 1391.
Bertoldus Holle |
Ludolfus Arbarch |
Johannes Benſtorp |
Idebertus de Amburen |
Bartoldus Oldendorp |
Henricus Ranis]

Hinricus Theſaurarius 1362.

Diderick van Aſtvelde Senior. 1400.

Hinricus Hertzebergh. 1424.

Hinricus Boſen. 1424.

Thidericus Steringh. 1424.

Her Cord Scholmeſter 1427.

Her Cord Cracht Canonick der Kerken der hilghen Apoſteln Symonis un Jude. 1434.

Nicolaus Grube Canonick. 1462. 1466.

Hinricus Humptecken Canonick der hillighen Apoſteln Sünt Symonis und Jude 1467.

Martinus Ginder Canon. 1478. Pontificis permiſſu ſtudiorum cauſa abſens.

Bertoldus de Mechtshuſen Præpoſitus in Woltingerode & Canonicus in Goslar. 1486.

Henricus Wellihuſen Scholaſticus Collegiatæ eccleſiæ SS. Simonis & Judæ 1487.

Joannes Reinoldi Canonicus 1491.

Hinricus Lovenſen Canonicus 1491.

Tilemannus Nawen 1516, 1519.

Magr.

Magr. *Valentin.* Guthenus | Canon.
Magr. *Johannes* Cramm | 1521
Henricus Werge, Prieſter unnd Canonicus zu Goßlar. 1532.
Magr. *Mauritius* Monetarius [Münzer] 1542 poſtea paſtor S. Thomæ.
Magr. *Richardus* Cotta 1542.
Magr. *Georg.* Fridenberg 1542. poſtea Scholæ Rector.
Albertus Camerer. Canon. 1570 1592.
Benedictus Groſehans Jacobi Antiſtitis Gosl. filius 1576. 1580.
D. *Johannes* Trutenboel Syndicus reip. Gosl. 1588.
Magr. *Henricus* Lenzius 1588. paſtor deinde S. Thomæ.
Johannes ab Uslar. Canon. 1596.
Janus *Weitfeld* 1600. in quem hoc extat *Gabrielis Kollenhagii* epigramma p. 67. ſylv. quo Catalogum hunc juvat obſignare.

Ad *Janum Weitenfeldum* Canonicum Goslarienſem.

Falſa tibi de me quia fecit opinio fucum.
Carmine perpetuos me dare poſſe dies,
Et cupis, ut claros inter numerere ſodales
Inq; meo nomen quaeris habere libro.
En tibi, ſi quid erit noſtri poſt buſta ſuperſtes,
Turgebunt titulis carmina noſtra tuis.
Et Weitfeldus erit latus mihi nomine campus,
Nam patet in laudes area lata tuas.
Tu modo natalem, Te quod rogat omnis amicus,
Imbue Rhenani promtus honore meri,
Tunc ego, tunc mecum te turba novena ſororum
Et charitum lepido concinet ore trias.

En igitur Catalogum tot Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Principum, Comitum & Dynaſtarum aliorumque virorum virtute & doctrina illuſtrium, qui ex hac eccleſia ante reformationem aut prodierunt, aut Canonicorum nobile ſumſerunt nomen. Plures a nobis omiſſos quam recenſitos facile multis fidem fecerit numerus nimium exiguus, cum tamen in decimum tertium usque ſeculum viginti canonici ſimul uno tempore in hac eccleſia vixerint. Niſi integer catalogus per fatorum inclementiam periiſſet, non eſt dubium, quin cuivis admirationi fuiſſet futurus. Plures forte potuiſſem recenſere, ſi Hamerslebienſis Monachi & Emſeri laeunas haurire libuiſſet; Sed malui pauca eaque certa quam plura dubia aut frivola propinare. Solent enim rudioris ævi monachi his in rebus parum accurati eſſe, licere ſibi rati, quicquid fingere atque excogitare, quo eccleſiis conciliari gloriola poſſit, id quod nemini erit dubium, cogitanti, quæ portenta de Leodienſi eccleſia venditari ſoleant, de qua circumfertur Catalogus IX. filiorum Regum XIV. filiorum Ducum XXVII. filiorum Comitum & VII. filiorum Baronum, qui omnes anno MCXLIII Leodii ſtudiorum cauſa commorati dicuntur, cum tamen in ipſo Catalogo plura occurrunt nomina principum, qui nunquam extitere, manifeſto fabuloſitatis argumento. Idem ergo ne mihi objici poſſet, id dedi operam, ne quenquam facile in Præpoſitorum aut Canonicorum numerum referrem, de quo mihi non conſtaret ratio. Ceterum cum plura, quæ his in Antiquitatibus occurrunt, Ampliſſimo huic Canonicorum Collegio debere me agnoſcam: non poſſum non publice eorum hic laudare munificentiam, & mirificum bonas literas juvandi ſtudium, quæ quaſi hæreditarium iis eſſe ac gentile dixeris. Ut autem ſciat Lector, quinam hodie hoc Capitulum conſtituant, ſuorumque anteceſſorum gloriam virtute ſua egregie tueantur, en jucunda mihi & veneranda nomina:

Illuſtris & ſumme Reverendus Dominus ANTONIUS de SEIDENSTICKER Cæſareæ Majeſtatis ut & Electoris Brunsvico Luneburgenſis Conſiliarius Aulicus & Liberæ Exemtæq; eccleſiæ SS. Simonis & Judæ Decanus
DN. ERNESTUS HINICKE Collegii venerabilis Senior
DN. PETRUS CHRISTOPH. STOKHUSIUS Medicinæ Licentiatus celeberrimus, Canonicus ſubſenior.
DN. HENNINGUS WILHELMUS HAGEN. J.V Licentiatus & hujus eccleſiæ Canonicus.
DN. Jo. HENRICUS a WEHNDEN hujus eccleſiæ Canonicus & Collegii Montis S. Petri Senior.
DN. JOACH. BARTOLDUS HJNICKE Erneſti fil. Canonicus.
DN. HEINRICUS WERNERG BEKKELMANNVS Canonicus.

} Venerabiles & Ampliſſimi Dni.

Quibus ego ſingulis multis licet nominibus obſtrictiſſimus non niſi vota reddo, vitam longævam, ſalubria conſilia, omnemque felicitatem uberrime apprecatus.

Obſignabo hiſtoriam eccleſiæ celeberrimæ, quam adhuc ad reformationis usque initia perduxi, ſuppeditatis binis ſigillis per multum ad illuſtrationem eorum quæ adhuc dixi, conferentibus. Prius & majus eſt & elegantius, ſiſtitque SS. Simonem & Judam, hujus eccleſiæ patronos, inter roſas & flores ſtantes, felici ut opinor florentis fortunæ omine. Inter utrumque apoſtolum corona apparet, illis plane ſimilis, quibus in aliis ſigillis utitur Henricus III. Imperator ejusque conjux Agnes, ut & inde nimirum appareat, Cæſarum opus eſſe hanc eccleſiam, & *Specialem imperii capellam*: Perigraphe ita ſe habet. Sigilla hujus eccleſiæ *Tab. II. fig. 5.*

† S ECCLIE. APLORV. SIMONIS. ET. JVDE. GOSLARIE.

Alterum minus præfert S. Matthiam apoſtolum, atque luculenter confirmat ea, quæ libro primo de hoc apoſtolo contra Lezneri dubitatiunculam diſputavimus. Inſcriptio eſt. *Tab. II. fig. 6.*

✿ IMPRESSIO. SCI. MATHIE.

Vit. Leibn. acceſſ. hiſt. part. 1. p. 39

Anni Chriſti 1568. 1569.
Maximiliani II. Cæſ. 5. 6.
Ab V. C. 655. 656.

Reformatio ducatus Brunsv. *Bunt. part. 1. Chron. Brunsv. p. 342. Oſiand. cent. 16. l. 3 c. 65. p. 813. Chytr. l. 22 p. 647. Thuan. hiſt. l. 41. p. 865.*

Hic annus toti viciniæ magnam attulit rerum omnium converſionem. Die enim undecimo Menſis Junii ex hac vita tanquam e theatro, exceſſit Henricus Junior Dux Brunsvico Luneburgenſis, multis per omnem ætatem adverſæ fortunæ fluctibus jactatus, præcipuusque per inferiorem Saxoniam Pontificiæ religionis aſſertor. Ei ſucceſſit Julius filius, princeps eximius omniumque annalium conſenſu ſapientiſſimus, niſi quod ille Bertoldus Nihuſius, & qui nuper omnes rodere cœpit, hiſtoriæ hæreſium auctor optimi Principis Manibus injuriam inferre non dubitarunt. Is hoc ipſo anno, quo ad rem publicam acceſſit, nihil habuit antiquius, quam ut ſacra quæ parentis indulgentia inemendata adhuc per has ditiones manſerant, priſtinæ puritati reſtitueret. Hinc accerſitis illuc Petro Vlnero de Gladeback, Abbate Bergenſi, Martino Chemnitio, Paſtore & Superintendente Brunſvicenſi & D. Jacobo Andreæ adjunxit e Politicis Joachimum Mynſingerum de Frondek, Cancellarium, D. Bartholdum Reichium, Decanum S. Blaſii Brunſvicenſis, Conradum de Schwicholt, Henricum de Rheden, Franciſcum de Cramm equites, iisque dedit negotium, ut omnes per ducatum civitates, monaſteria & parochias obirent, & in ſacra ubique cum cura inquirerent. Quo facto abrogatis plane Romanenſibus ceremoniis purior doctrina, a Luthero inſtaurata, ubique eſt introducta, monaſteria in Scholas & parthenotrophia converſa, novaque ordinatio eccleſiaſtica propoſita, tanto omnium ſubditorum gaudio, ut vix quisquam evangelium aut ægre ſuſciperet, aut pontificios ritus retinere mallet.

Reformatio Monaſt. Grawh. & ſchola in eo aperta. *Lezn. l. 2. c. 33. Chr. Hild. MSC. & c. 90. de monaſt.*

Eandem reformationem doctrinæ feliciſſimam præter monaſteria Frankenbergenſe ad Ducum Brunſvicenſium jurisdictionem ſpectans & Richenbergenſe ſubiit tum etiam novum monaſterium Grawhofianum, e Montis S. Georgii ruinis natum, de cujus origine paulo ante me dicere memini. Præpoſitus tum erat Eraſmus Stapenbach, cui equidem ac conventui religionis libertas ad dies vitæ permiſſa eſt, ea tamen lege, ut poſitu habitu monaſtico horas ſolum canonicas haberent, Scholaque in monaſterio aperta, pueros reciperent aliquot e monaſterii bonis alendos, doctrinæque imbuendos elementis. Stapenbachio vero mox adplures abeunte Præpoſituræ honore augetur Juſtus Brakmannus Conventualis, qui dimiſſis penitus ritibus pontificiis, reformationem admiſit, tamque luculentam Scholam aluit, ut vix fuerit in vicinia melior. Rectores, qui docendi munere ex hoc tempore ibi functi ſunt, hi a Leznero recenſentur:

Nicolaus N.
Henrici Friderici
Petrus Funckius
Johannes Bulenus vir multa lectione inſignis adeo ut ſcholaſtico ſacroque muneri ex æquo ſatisfecerit.

Hæc rerum facies tamdiu duravit, quamdiu hoc monaſterium juris Brunſvicenſis fuit. Simulac vero diœceſis Hildeſienſis Epiſcopis primo per ſententiam cameralem, deinde armis, demum per transactionem reſtituta eſt, hoc quoq; monaſterium diſſipata ſchola redditum eſt Canonicis regularibus S. Auguſtini e quodam Windeſemenſis congregationis monaſterio accerſitis. Quo factum eſt, ut & Grauhofianum monaſterium in congregatione hac locum haberet, cum ante reformationem conventus Montis S. Georgii nondum acceſſiſſet.

Monaſteriorum Hoc exemplum vicinorum monaſte- rium ſecuti mox apud nos ſunt fratres Minores S. Franciſci, quorum pauci adhuc Franciſ- ſupererant pleriſque nimirum aut vita canoni- defunctis aut ad noſtram religionem de- in pto- lapſis. Qui igitur ex hac turba erant re- chotro- liqui, anno hoc MDLXIX. partim poſito phiu con habitu monaſtico e cœnobio egreſſi du- vertitur. xerunt uxores, partim Halberſtadium ad *Annal.* fratres ſuæ familiæ ſeceſſerunt. Rationem *Gosl. MSC.* cur a nemine coacti aut expulſi loco migrarint, vix aliam fuiſſe exiſtimo, quam nimiam inopiam. E ſtipe eos vivere jubebat ordinis inſtitutum, civitas noſtra ad evangelicam traducta doctrinam nihil amplius largiebatur otioſis hominibus; nec in diœceſi Hildeſienſi aut ducatu Brunſvicenſi famelicis illis quicquam erat præſidii, quæ provinciæ maximam partem Ducum Brunſvicenſium ſubjectæ imperio eandem religionem fuerant amplexæ. Loco igitur migrandum erat aliisque relinquendum monaſterium in quo fame ipſis fuiſſet pereundum. Poſt repentinum hunc monachorum diſceſſum Ampliſſ. Senatus templum ſatis auguſtum evangelico cultui ac Apoſtolorum memoriæ, ædes vero pauperum ſenumque hoſpitio deſtinavit, ſaluberrimo profecto inſtituto, quod hodienum perdurans de provida majorum cura ac pietate teſtatur. Primam in hoc templo orationem evangelicam ad populum habuit Theodoricus Holzhuſius Superintendens die Bartholomæi Apoſtoli anno MDLXIX. Ex quo tempore ſingulis diebus Apoſtolorum anniverſariis miniſtri eccleſiæ noſtræ per orbem ſacra in hoc templo habuerunt, habentque per Dei gratiam etiamnum. Puſillum enim iſtud tempus, quo ſub belli tricennalis initia Franciſcani hoc monaſterio veluti poſtliminio potiti ſunt, vix meretur attendi.

Cæterum eccleſia SS. Simonis & Judæ Leonper hoc tempus præpoſitum nacta eſt hardus Leonhardum Bruningk Patritium Gosla- Bru- rien- ningk

Præp.SS Sim.& Judæ:

riensem, una cum Scholastico Romano Catholicæ ecclesiæ addictum cum ceteri canonici omnes reformatiouis leges subiissent. Id vero inde factum est, quod dispensatio horum beneficiorum spectat ad Cæsarem Augustum, qui semper Prælatos quosdam honoratiores, veluti Canonicos Hildesienses his amplissimis muneribus præfecit. Extat ipsius Bruningii præsentatio, quam hoc loco inserere nullus dubitavi, cum nos de quibusdam præpositis hujus ecclesiæ moneat.

MAXIMILIANUS secundus divina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ &c, Comes Tirolis &c. — — — Ad Præposituram collegiatæ ecclesiæ sanctorum Simonis & Judæ Goslarien sis Hildesheimens. diocæsis ad præsens per liberam cessionem seu dimisionem Honesti devoti nobis dilecti *Johannis* Præpositi, qui eam annis præteritis ex cessione resignationeque Honorabilis devoti nobis dilecti *Hermanni Beygermans* Clerici Halberstaten diocæsis sub spe assensus Cæsarei obtinuerat, & hucusque possedit, vacantem, cujus dispositio seu præsentatio ad Nos tanquam Electum Romanorum Imperatorem pertinere dignoscitur, Deuotum nobis dilectum *Leonhardum Brunigk* Goslarien sem Clericum Hildssheimen diocæsis - - præsentandum duximus, sicuti tenore præsentium præsentamus & pro præsentato haberi volumus - - - - Datum in civitate nostra *Vienna* die decima tertia mensis Aprilis anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Regnorum nostr. Romani sexto Hungarici quinto Bohemiæ vero vicesimo.

Maximilianus

Annus Christi 1571. 1572.

Maximiliani Cæs. 8. 9.

Ab V.C. 658. 659.

Julius Dux Br. monasterio Novi Operis infensus *Annales Gosl. MSC.*

ANnus quem signavimus post millesimum quingentesimum septuagesimus primus novas nobis advexit turbas, diuturnis in Cameta litibus daturas originem. Erat nimirum tum veteri consvetudine receptum, ut monasteria Ducum canes venatorios alerent, quod onus tam erat omnibus commune, ut nulli id subterfugere esset integrum. Hac consvetudine igitur securus ad monasterium quoque novi operis accessit venator nescio quis cum canibus, sibi de victu prospici postulans. Quod cum Præpositus negaret se facturum, venatorque spe deceptus integram famem domum referre cogeretur, tam male hoc habuit optimum principem, ut monasterium hoc pœnas sibi daturum non occulte minaretur. Interea vitam cum morte commutaverat Justus Schramm Præpositus hujus monasterii, dandique successoris jus sibi vindicabat Julius Dux Brunsvicensis, conventu etiam atque etiam contradicente, cujus unitis suffragiis monasterio præficitur Franciscus Brams Brunsvicensis. Magna hæc litium materia, Dux enim, quæ sibi deberi existimabat, jura vi repetiturus omnes monasterii facultates ditione sua comprehensas intercepit, ac monialibus, nisi posito habitu Cistercien si imperata facerent, extrema quævis est minatus.

Vt *Zas.*

His igitur permotæ aliquot moniales, secessione a ceteris sororibus facta, ex urbe monasterioque emigrarunt, Julioque Duci se dediderunt. Cujus provida cura villa penuaria Molhoff, haut procul a civitate sita conversa in monasterium proselytis hisce monialibus hospitium præbuit. Dici non potest, quam mature novum hoc cœnobium surrexit. Ædificia splendida satis excitantur, templum erigitur, & perficitur anno 1592. omnes deniq; proventus nuper monasterio erepti monialibus his bona fide restituuntur; ceteris sororibus in urbe relictis vix vitam tolerantibus. Nec tamen diu admodum floruit novum hoc cœnobium. Ex quo enim post diuturnas lites monasterium Novi operis ad civitatem rediit; colonia hæc sensim deserta ac ædificia in alium usum, sunt conversa: quemadmodum hodienum villa hæc hisce virginibus paret, victumque magna ex parte præbet.

Nova colonia Molhoffiana e monasterio novi operis *Lezn. l. 2. 51. Chron. Hild. MSC. Annales Gosl. MSC.*

Nec minus cum civitate nostra collisus princeps laudatissimus nonnulla in ejus perniciem molitus est. Quas turbas tumultuario fere bello similes enarrare piget, cum turbulentorum quorundam hominum instigatione omnia pene dissidia revocarentur, quæ paulo ante multa vix opera sopita fuerant. Vt paucis me expediam, Dux ad portas tum ædificavit officinas trutinatorias & fusorias (Vitriol Wag und Gießhaus/) in quibus metalla aliæque merces olim in trutina Goslari. Annales ensi ponderari solita ponderarentur, id *Gosl.*

Goslariæ cum Julio Duce Brunsl. collisa. *Auctor tetrogr. infer. Sax. fol. 162. Zeiler. pan. 2. c. 32.*

MSC A. quod in magnum ceſſit civitatis detri-
Ita in hac mentum: Eodem conſilio mox apotheca,
causa promtuarium, officinæ fullonum, cerdo-
MSC. num, at piſtorum extra mœnia conſtitu-
ta ſunt, quibus fructus civitatis non pa-
rum attriti acciſique ſunt. Hinc novæ iterum lites, quæ in camerali judicio di-utitiſſimæ agitatæ mihique ex variis actis MSC notæ demum fuerunt ex æquo bonoque compoſitæ.

Jo. Beirmannus doctus Goslariſis *Meib. Chron. Riddagh. p. 411. tom. 3. rer. ger.*

Ceterum his annis honoribus atque eruditione floruit Joannes Beirmanus, domo Goslarienſis jure quodam ſuo inter claros cives referendus, eruditione quippe & pietate inſignis. Primus hic fuit, qui poſt reformationem in ducatu Brunſvicenſi perfectam in cœnobio Riddagshuſano docendo evangelio operam navavit, cui muneri cum inſigni laude præfuit ad annum MDLXXI. quo Honlagium translatus eſt, ubi per annos XII. docuit mortuus anno MDLXXXIII.

Annus Chriſti 1574. 1575.
Maximil. II. Cæſ. II. 12.
Rudolphi. II. Cæſ. I.
Ab. V. C. 661. 662.

Concordia Suevica per inferiorem Saxoniam recepta. *Hutter. Concord. conc. p. 87 Fechtpart 3. epiſt. theol. 157. p. 286. ſq. & ep. 158. p. 287.*

PRotrahebantur in hos quoq; annos lites ſacramentariæ & Synergiſticæ, quas Philippo Melanchtone defuncto ejus diſcipuli per Saxoniam Miſniamq; movere cæperant. Quibus acceſſerat etiam Amsdorffii cum GeorgioMajore controverſia, cum hic neceſſitatem bonorum operum adſalutem æternam conſequendam aſſeruiſſet, adeo indignante Amsdorffio ut in contrarium prolapſus errorem bona opera perniciosa ad ſalutem eſſe diceret. Nec Flaciana adhuc diſſidia conquieverant, ſed tanta animorum commotione per ſuperiorem Germaniam agebantur, ut omnes tabernæ ſcriptis eriſticis eſſent refertæ. Vt paucis dicam, ea tum erat eccleſiæ noſtræ facies, ut tot pene dogmatum diſcrimina, quot academiæ, ſcholæ ac Theologi numerarentur. Tam mature ſcilicet, ubi ſpes ſecuritatis e translatione Paſſavienſi effulſit, a veritate ac pietatis ſtudio remiſſum, atque ad profanas ſubtilesque de doctrina quæſtiuncolas tranſcurſum eſt: tam mature Theologis pietatis ſtudioſis ad cœleſtem quietem evocatis ſuccenturiati ſunt homines contentioſi & turbulenti, qui eccleſiam in extremá pene pericula adduxerunt. Nec tamen defuit ſuis inter tot procellas benigniſſimum numen, ſed plures excitavit theologos, qui pro virili de reſtituenda eccleſiæ concordia laborarent. Jure his accenſeas D. Jacobum Andreæ, virum certe concordiæ cupidiſſimum, quicquid Hoſpinianus ac Arnoldus adverſus optimi viri famam moliantur. Is ſicuti totam Saxoniam Sueviamque, dum viveret, conſiliis ſuis atq; doctrina illuſtravit: ita & in vicino Brunſvicenſi ducatu, in quo reformando & ipſe operam ſuam contulerat, omnia ad ſummam tranquillitatem compoſuit, multum eccleſiæ intereſſe ratus, ne novæ ſubinde lites enaſcerentur. Hunc in finem non modo Corpus iſtud doctrinæ, quod ab auſpiciis Julii principis nomen invenit, ſuis conſiliis promotum ivit, ſed & ut concordia Sueviça, quæ ducis Wurtembergici juſſu in cœnobio Maulbrunnenſi a theologis quibusdam conſcripta fuerat, introduceretur, dedit operam. Qnin immo niſi quædam fallunt indicia, votorum ſuorum ſummam in eo eſt conſecutus. Cum igitur de concordiatú & confeſſionum formulis ubique inter theologos ſermones eſſent, nec Sueviçam quoque formulá omnes viderentur in ſolidum probaturi, Chemnitius Superintendens Brunſvicenſis paſſim theologorum ac miniſteriorum judicia exploravit. Idem negotium Goslarienſi quoque miniſterio datum tunc invenio, quippe quod non ipſum modo ſuam promere ſententiam, ſed & vicinorum judicia expiſcari juſſum eſt. Hac de re extant Andreæ Domeyeri Paſtoris ad D. Jacobum Oſterodani literæ ad CaſparumHerdtweighDiaconum montis Francorum exaratæ, quas, cum totum negotium clarius expediant, integras hic repetendas putavi:

Dem Würdigen und Wolgelarten Herrn Caſpar Herdtweigh *Diacono* der Pfarr-Kirchen zum Franckenberge in Goßlar/ meinen beſondern günſtigen Herrn und Brudern in Chriſto zu handen.

GRatia & ſalus in Chriſto. Würdiger und Wolgelarter günſtiger Herr und Bruder in Chriſto/ es hat fürgeſter der Herr Pfarher allhie zu Oſterode der W. Her Johan Sinderam/ mir ein Schreiben euhres Superattendentis neben des Herrn D. Gemnitii gezeiget und überantwortet/ darinnen unſere cenſuras ſie uff der Schwebiſchen Confeſionem begeren/ daß ſolche inen ufs ſchirſte müchte zugeſchicket werden. Nun hat ſolcher Verzug erhebliche Urſachen gehabt. Denn unſer G. F. und Herr dermaſſen mit geſchefften mit dem Biſchoff von Mentz beladen/ daß ſeine F. G. hierzu nicht hat khomen kennen. Ich kan aber von wegen des Herrn Neandri E. W. nicht verhalten/ daß er mich bericht/ und euch von ſeinentweghen zu vermelden bevöhlen/ daß hochgemelter unſer G. F. und Herr/ uf den neheſt künfftigen 26 Tag des Monts Septembris dieſe Sachen guediglichen zur Handt

zu

zu nehmen entſchloſſen / auch darzu die fürnehmbſten S. F. G. Prediger beruffen. Was darnach derſelben Herrn Bedencken ſein wirt / ſoll ufs ſchirſte dem Herrn Doctorn zugeſchrieben werden. Bit E. W. wollen unbeſchweret euhren Superattendenten meinem günſtigen Herrn uff ſein ſchreiben freindlich vormeldten / daß da S. E. die Gelegenheit geben wirde / ein ſolches dem Hern Doctori wiederumb unbeſchweret vormelden und anzeigen welte. Und bin E. W. wiederumb allen Chriſtlichen Willen zu erzeigen freindtlich erbötig / und hirmit Euch dem Hern Chriſto bevhelende. In Eil. Den 17 Septembris 1574.

E w. W.

W.

Andreas Domeier /
P. ad D. Jacobum in Oſtereda.

Hofmeiſterus & Henkelius turbones in miniſterio. *Hamelm. Annales Gesl. MSC.*

Inter publicas has eccleſiæ evangelicæ turbas, nec Goslarienſi quidem halcyonia fuerunt, claſſicum apud nos canentibus binis eccleſiæ miniſtris, Johanne Hofmeiſtero Paſtore S. Jacobi & Juſto Henkelio Diacono S. Stephani, quietis impatientiſſimis. Ac ille quidem cum Holzhuſium Antiſtitem acrius redarguiſſet, & ſocordiæ inſimulaſſet, mox dimiſſus Cellerfeldæ in Hercynia Paſtoris munus obtinuit. Hic vero diutius furens ſumma imis miſcuit, omnibus ſe intruſit negotiis, ardelionum more, qui omnia agendo nihil agere ſolent. Adeptus enim a Julio Duce Brunſvicenſi poteſtatem, in templo novi operis docendi, non putavit ſe rectius officio ſatisfacturum, quam ſi moniales ad ſuſcipiendum penitus ducis imperium hortaretur. Quod cum frequentius factitaret, Collegarum ſibi mox invidiam conflavit, a quibus ſæpe reprehenſus & ipſe in tantum furorem actus eſt ut in ſolenni pompa funebri e cœmiterio in æditui domum excurreret, inventaque ſecuri Johannem Mollerum Collegam ictu peteret, vitam illi ereptura, niſi ceteri Paſtores periclitanti ſubveniſſent. Paulo poſt in monaſterium novi operis, ſacra peracturus venit, ubi cum campanæ convocando cœtui deſtinatæ paulo tardius ſonarent, ille ratus, præpoſitum a miniſtris eccleſiæ monitum munere docendi ſe excluſiſſe, iratum plenus ad præpoſiti cameram accurrit, diuque pulſatis foribus, cum non aperirentur, lapides lutumque in feneſtras conjecit, ipſumque præpoſitum ad ſingulare certamen evocavit. Res ad ſenatum defertur, Henkelius, qui dudum bonæ ſpei decoxerat, omne vitus in collegas evomit, ac ſuggeſtum non minus quam curiam implet calumniis. Quo factum eſt, ut inquietus homo urbe excedere juſſus ſit, majori ſane ſupplicio dignus, ſi bona fide ejus geſta ab adverſariis ejus relata ſunt.

Anni Chriſti 1576. 1577. 1578.
Rudolphi II. Imp. 2. 3. 4.
Ab. V. C. 663. 664. 665.

Formula Conc.

CUm igitur ſcandalis omnia plena eſſent ac Wittebergenſes & Lipſienſes theologi, quos crypto-Calviniſtas vulgo a Gosl. appellabant, ſcriptis contendere cum ceteris Auguſtanæ confeſſionis theologis ſubſcribendi non intermitterent, auſus demum eſt pta. Auguſtus Elector Saxoniæ novam inire rationem reſtituendæ concordiæ, conſiliumque prius cum Comite Hennebergico & theologis Tubingenſibus collato, variisq; theologorum conventibus habitis, de mum formulam concipi juſſit, qua controverſiæ tum adiaphoriſticæ dum dogmaticæ, inter Auguſtanæ confeſſionis ſocios adhuc agitatæ e Scriptura S. pie dijudicarentur. Inter Auctores hujus libri, qui formula concordiæ inſcriptus eſt numerantur M. Georgius Lyſthenius, D. Georgius Mirus. D. N. Selneccerus, D. H. Salmuth, D. Wolfgangus Harderus D. Paulus Crellius, D. Daniel Greſerus, M. Petrus Glaſerus, & qui præcipue manus admoverunt operi D. Jacobus Andreæ, Concord Davides Chytraeus D. Martinus Chemnitius, D. Andreas Muſculus & D. Chriſto phorus Cornerus. Cum tamen non omnibus ſtatim ſe probaret liber, multæque cenſuræ a theologis ſinceris ſubmitterentur, ſequente anno 1577. formula hæc denuo Bergæ (quod Magdeburgici agri monaſterium eſt,) a Jacobo Andreæ, Martino Chemnitio, Andrea Muſculo, Davide Chytræo, Nicolao, Selneccero & Chriſtophoro Cornero ſub incudem revocata, variisque locis eſt emendata, atque uberius declarata. Ad colophonem itaque perducta per totam eccleſiam dimittitur ſubſcribenda, tanquam ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, quam omnes eccleſiæ ſcholæque miniſtri, errores evitaturi ſequerentur. Novis id turbis originem dedit. Quidam ſive conſcientiæ cauſa, ſive politicis rationibus inducti ſubſcribere renuebant: plures tamen conſenſum chirographo ſuo teſtati ſunt, quorum numerus ad octies mille eccleſiæ ſcholæque miniſtros excrevit. In his & Goslarienſes, quorum hæc reperiuntur nomina:

Hoffm. Kurtzer Bericht von Werck Pipping. hiſt. ad Form. Conc. p. 100 ſqq. Annal. Gosl. MSC. Rechenb. append. ad form. conc

Theodoricus Holzhuſius *Superintendent.*
Petrus Kielhorn, *Paſtor Jacob.*
Johannes Möllerus, *Paſt. Francom.*
Volpertus Piſtorius, *Paſt. Stephan.*
Georgius Meire, *Diac. Jacobi.*

Martinus Ilderus, *Diac. Forens.*
Caspar Herwig, *Diac. Forens. & Past. Thom.*
M. Henricus Lentius, *Diac. Francom.*
Andreas Theodoricus *Diac. Steph.*
M. Tobias Adelphus *Conrector.*
Johannes Picht *Cantor.*
Simon Strubius *Scholæ Collega Quartus.*
Georgius Papen *Quintus.*
Valentinus Fullekrues *Sextus.*
Johannes Lockenius *Septimus.*

Pestis Goslariæ sævit *Annal. Gosl. MSC. Paulin. annal. Isen. p. 212.*

Insequens annus MDLXXVIII. peste apud nos quoque fuit luctuosus, quæ universam pene Germaniam funeribus tum implevit. Cum enim initio per Thuringiam tantopere sæviisset, ut duo hominum millia Isenaci interirent, ipsaque academia Jenensis Selfeldam ad tempus transferenda esset, inferiorem quoque Saxoniam affligere cœpit. Goslaria nostra tempore solum inter festum Johannis & Christi natalem interjecto numeravit mortuos bis mille & sexcentos, inter quos & duo ecclesiæ ministri, nimirum Georgius Meino Diac. S. Jacobi & Caspar Herdtweigh Diaconus SS. Cosmæ & Damiani recensentur in annalibus. Qui & hoc observant, quod antequam pestilentissimum hoc sidus Germaniam afflaverit, in septentronalibus plagis cometa diutissime fuerit visus. Tam luculentis nimirum indiciis divina nemesis apparuit, quam homines turpissimis litibus ac impietate provocaverant.

Anni Christi 1579. 1580. 1581.

Rudolphi II. Imp. 5. 6. 7.
Ab. V. C. 666. 667. 668.

Senatus Gosl. bona Walkenredensium emit non sine controversia. *Ekstorm. Chron. Walk. p. 260. Leukfeld. antiqq. Walk. part. 1. c. 20. p. 449.*

FErvebant per hoc quoque annos lites inter Julium Ducem Brunsvicensem & Goslariensem civitatem in Camerali judicio agitatæ, quas Electoris Moguntini & Hassiæ Landgravii legati frustra aliquoties ex æquo bonoque componere studuerunt. Nec sopitis quidem istis novæ nobis subnascuntur e venditione bonorum quorundam Walkenredensium, quarum diserte satis meminit Ekstormius. Rei familiari in hoc monasterio a pristina fortuna sensim desciscenti præerat tum Liborius Hirsch procurator, qui die Susannæ seu XIX. Februarii præter procuraturæ fines Senatui nostro vendidit bona, quæ monasterium extra & intra Goslariam habuerat, in veteri quadam notitia ita recensita: Der hoff daselbst mit allen Umbständen / das Hinterhaus / der Kirchhoff / das Gehölte am Sudmerberge / eine Wese daselbst auff jenseidt dem Knipe / und die Ritterwese zu Buntingen / das Gehölte am Mülenberge / das Gehölte am Grevecken und das Heimholtz / auch zu Handorff andert halben scheffel Weitzen / anderthalben scheffel Rogken / und anderthalben scheffel Habern jährlich zur Notturfft des Hoffes / die Güter zu Bokelem mit aller Zubehörung und Gerechtigkeit. Die freye Güter forwerck zu Immenrod / Handorff / Ebelingerod / die Wesen und Lenderei daselbst / das Land am Mülenberge / die Lenderey und Wesen am Südmerberge in und ausserhalb dem Landswehr / der Blephoff mit den zweyen zugehörenden Buden / und ein Buden an dem Kirchhoff / die vier Berge von der hohen Warte an biß an des heiligen Creutzes Holtz im Gosewinckel / von dem heiligen Born bis an den Kuckucks Berge / der Ulrichsberg / der Dorneberg nach dem Lodenberge &c. Hæc igitur bona monasterio utilissima Liborius Procurator Senatui nostro vendidit pro bis mille & nongentis Joachimicis, ea tamen lege, ut senatus additis ad antiquum Canonem quinquaginta florenis Marianis, quotannis monasterio solveret centum & septuaginta quatuor florenos partim festo paschatos, partim die S. Michaëlis reddendos. Ratum quidem hunc contractum habuerant Volkmarus Wolffgangus, Comes Honsteinensis & Johannes Abbas Veteris Campi, ad quorum alterum advocatiæ, alterum inspectionis jura pertinebant. Sed eo acrius contradici cœpit ab illustrissimo Principe Henrico Julio, Julii Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis filio, Administrator Walkenredensi qui monasterium in pretio enormiter læsum conquestus venditionem vel ideo rescindendam dixit, quod conventualis primarii ad eam adhibiti non essent, nec Julii Ducis Brunsvicensis requisitus consensus, cujus in ditionibus magna bonorum pars esset sita, nec Procuratori denique, primarium monasterii patrimonium venum exponere fuisset integrum. Lis igitur Senatui mota est in Camera Spirensi, nec tum quidem finita, cum Ekstormius Chronicon suum Walkenredense componeret, id quod factum est anno MDCXVII.

Anni Christi 1585. 1586.

Rudolphi II. Imp. 11. 12.
Ab. V. C. 672. 673.

Acta Ostorodiana a me edita vindicantur.

DElabimur in annum Christi MDLXXXV. & sequentem, quibus semina quædam Socianismi sparsa apud nos esse constat, pestilentissimum prolatura lolium, nisi illud in ipso flore fuisset excisum. Sparsit ea Christophorus Ostorodus Antitrinitarius famosissimus, cujus turbas, quas Goslariæ dedit, jam alio loco attingere me memini, ubnriore tamen in hisce antiquitatibus me daturum tunc pollicitus. Hujus promissi memor, vitam Osterodi ejusque fata in quantum mihi cognita sunt, hic quoque recensebo, si prius nonnulla, quæ mea & Lectoris interesse videbuntur, notavero. Sub prelo adhuc sudabant istæ schedulæ meæ, nec lucem adhuc viderant, cum non deesset quidam, qui acta ista Ostorodi, nunquam sibi visa aut lecta, vo-

Deus

Vid. monatl. Nachrichten ann. 1704. ordin. 7. p. 457.

ſæve argueret. Quamvis igitur nihil morarer hominem, ſuoque abundare judicio facile paterer, nihil tamen egiſſe ſibi viſus eſt, niſi publice etiam de ſua *χρίσει* inter homines conſtaret. Hinc eo adduxit viros eruditiſſimos, qui novantiqua theologica ſingulis menſibus edunt, ut in ſcripti mei recenſione & ipſi ſuſpicionem ejusmodi injicerent. Ego vero cum non eruditis ſed amicis meis ſcripſiſſe illas ſchedas meminiſſem, non ægre & id judicium tuli, occaſionem expectans opportunam, ea proferendi, quæ ad vindicanda hæc acta videbantur facere. Literis interea ad primarium ephemeridum auctorem exaratis, meam de actis ſententiam expoſui, argumentoque objecta dilui, ratus, Virum doctiſſimum qua eſt judicii acrimonia, & candore, rem omnem facile dijudicaturum. Nec fefellit me ſententia. Tam humaniter enim reſpondit, tamque candide non modo ſententiam meam probavit, verum etiam hominis iſtius machinationes detexit, ut & emendaturum ſe ea quæ tum ſcripſerit polliceretur, & ad commercium literarium ſimul me invitaret amiciſſime. Didici igitur ex hiſce literis quod dudum conjeceram, viros illos eruditiſſimos non ſuo ſed iniqui cujusdam hominis judicio tum nonnulla tribuiſſe nec ſua ſponte ſed hujus machinis inductos, hanc de me protuliſſe ſententiam.

Ne igitur hypercriticus ille, quicunque hoc ſiniſtrum de me judicium emendicavit, diutius agat triumphos, non potui non *γνησιότητα* horum actorum vindicare, profeſſus tamen, me nihil adverſus auctores relationum ſed ſciolum modo illum dictum velle. Primum igitur ſi paucis dixero, cœcum de colore judicaſſe, nihil dicere me puto a veritate alienum. Quid enim de MSCo judicet, quod nunquam oculis uſurpavit, nunquam legit? Attamen liberaliter agamus cum homine, quamvis eum jure caſtigare poſſimus. Quinq; præcipue rationes ſubindicavit Relationum venerandis Auctoribus quas nullius momenti eſſe, jam erit perſpicuum. *Primum* itaque mirum eſſe ait, Oſtorodum ſe a Socinianis rebaptiſatum fateri, quod tantum abeſt, ut mirum aut notatu dignum ſit, ut eo quidem ævo inter Socinianos nihil factum ſit frequentius. Inde enim Novo-baptizantes, Catabaptiſtæ, Anabaptiſtæ, Polonis *Nowochrzczency* teſte Sandio & B. Scherzero vocati ſunt; quamobrem vero, niſi quod adultos ad ſe deſciſcentes rebaptiſarunt? En ipſum audiamus Oſtorodum, confitentem reum: Was unſere gemeine betrifft iſt nach vielen diſputationibus, und unterredungen / welche auff etzlichen Verſamlungen ſeind gehalten worden / endlich beſchloſſen / daß mann einen jeglichen / der es begehrt / tauffen ſoll. De Martino porro Czerchovio, qui in his ipſis actis noſtris occurrit, ita Sandius apud Wengerſcium i *Herum* [Antitrinitariorum Cujavienſium,] *primarii erant Martinus Czechovicius & Johannes Namjovius, qui poſtea Racovienſibus acceſſerunt. Martinus Czechovicius autem primus adultos baptizare cœpit, edito contra Pædobaptiſmum libro.* Addo his miniſtrorum Vilnenſium querelam ex epiſtola, quam ipſe Lubieniecius Socinianus profert, e qua res dilucidiſſime patet: *Rem ita ſe habere, haud ita pridem Deus manifeſtavit; videmus enim quomodo in inſtituto ſuo miſerè iſti hominiones procedant. Teſtati ſunt ante hac acquieturos ſe, ſi ſolos adultos bona dictante conſcientia baptizent. In præſens jam de virtute in virtutem progredientes baptiſmum ſuum* (in juventute ſcilicet ſusceptum) *in dubium vocarunt, aperte dicentes ſe non fuiſſe baptizatos --- Iterum iterumq; vos hortamur & rogamus ut longe fugiatis hanc peſtem anabaptiſticam.* Præterea quid clarius ejusdem Lubieniecii verbis: *Adæquatum diſſidentibus ſententiis conciliandis inventum medium, ne pædobaptismus omnino damnaretur, quibusdam locis tolleraretur, illis vero qui in infantia e ſacro baptiſmo levati fuere, libertas relinqueretur verum baptiſmum in ætate adulta ſuſcipiendi vel omittendi, ne cujusquam conſcientia gravaretur.* Denique idem Lubieniecius de Martino illo Czechovicio expreſſe hæc annotat: *Martinus ille Czechovicius, poſtquam ex Cujavia ſedes cum ſex fratribus Lublinum transtulit multos ad iterandum vel potius rhantismo commutandum baptiſmum promoverat.* De Oſtorodo porro ipſo audiamus Leznerum, teſtem fere coævum, qui in Chronico ſuo Daſſilienſi ita: ſolgende Männer ſind daſelbſt (zu Eimbeck) in der Kirche S. Marien Magdalenen) Capellan und Diaconi geweſen Johannes Cordewage, Franciſcus N. Simon N. und Henningus Oſterodius, welcher vor wenig Jahren in Goßlar verſtorben / und einen faſt ungerathen Sohn [welcher von Teuffel mit einen überausgifftigen Schwärm in Polen vergifftet und verblendet worden / daß er ſich anderweit teuffen laſſen] hinter ſich verlaſſen. Vides vera eſſe, quæ in actis Leznerianis referuntur; vides Leznero cum ſe ipſo egregiè convenire? *Alterum* argumentum plane eſt ficulneum. Quæ enim argumentandi ratio? De Oſtorodo nihil ſupereſt in actis Curiæ miniſterii: ergo acta hæc falſa ſint oportet! Quam multa quæſo a nobis, quam nihil in multa ab Hamelmanno, Sleidano, Hortledero, Sekendorfio, Sculteto aliisque de Miniſterii repertis Goslarienſibus eccleſiaſticis referuntur, de quibus ne Schedula quidem amplius ſuper eſt? Et ubi quæſo ſunt acta miniſterii noſtri? ubi archivi ſacri locus? quis archivarius? ubi latet theſaurus? Mirum certe ad acta hæc provocari, cum nulla plane ſuperſint. Quæ enim a privatis quibusdam notata ſunt, ea ſi quis acta miniſterii vocat, neſcio an ſatis ſerio agere videatur. Sunt vero illa conſcripta a Simone Strubio, Martino Ildero, Johanne Gerhardi, Johanne Schœnermarchio, Johanne Trumphio, M. Conrado

Oſtorodus bis baptizatus

Vit. Wiſſow. ap. Sand bibl. Unitar. p. 225. Scherz. colleg. Antiſoc. diſp. 1. p. 15. Oſtor. c. 39 Inſtit. Ger fol. 362.

Lubien. l. c. p. 190.

Lubien. l. c. p. 192.

Lubieniec l. 3. hiſt. ref Pol. c. 3. p. 185. Lenz. l. 6. part. 1. c. 13 Chron. Daſſil. fol 79.

Oſtorodi hiſtoria in quibusdam MSC. occurrit.

Damit ich aber durch Gottes Gnade der Sachen umb so viel desto mehr / nicht allein für meine Person / möchte gewiß seyn / sondern auch meinen anbefohlenen Pfarkindern und andern gottliebenden frommen Hertzen den Grund ihrer Seeligkeit in diesem wundersamen hochtröstlichen Geheimnis recht und richtig zeigen und zu erkennen geben / hab ich die Lehr von der ewigen göttlichen Gnadenwahl in acht Predigten (deren D. Huberus selbst etliche mit angehört) an meinem bestimpten Ort / neulich verruckter Zeit / ordentlich und ausführlich erkläret.

Und damit meines Glaubens Bekändniß von diesem Artickul männiglich möchte offenbahr und für Augen seyn / auch in der Kürtze durchlesen / bald eingenommen und wol verstanden werden / habe ich dis kleine Tractätlein aus obgedachten meinen Predigten zusammen gezogen / in deutliche und verständliche Frage und Antwort gestellet / und solches der Kirchen Gottes hiemit wolmeintlich communiciren wollen / mit freundlicher hochfleißiger Bitte / der gutherzige Leser solchs im besten auffnemen / verstehen und deuten möchte / auch wissen daß ich mich in allegatione Form. Concord. des Exemplaris gebraucht habe / welches Anno 1582. bey Lebzeiten und Anwesen Dn. D. Thimothæi Kirchneri dazumal Professoris Theologiæ zu Heidelberg / wie auch des Exemplaris Sächsischer Visitation, welches Anno 1599. zu Leipzig / und dann des Buchs D. Hunnii de providentia & prædestinatione, welches Francofurti Anno 1603. ist gedruckt worden.

Damit thue ich mich und den gutherzigen Leser / zusampt alle den Unserigen / in den Gnadenschirm des Allerhöchsten / zu bestendiger Leibes und der Seelen Wolfart getreulich empfelen. Geben aus Goßlar / in Festo Trium Regum, Anno nach unsers Seligmachers JEsu Christi leiblicher Geburt / 1613.

Quid? quod ad amoliendam a se Huberianismi suspicionem ecclesiastæ raro cum illo versati sunt, eumque ad sacram eucharistiam admittere noluerint. Quo factum est, ut in Senatu patronos inveniret, qui adhibita in consilium facultate theologica, ecclesiastas ut admitterent eum, jusserunt. Interjecto tempore Huberus, relicta Goslaria, Halæ Saxonum & Erfurti aliquandiu domicilium constituit, multisque demum jactatus calamitatibus Ostervicum ad generum se contulit, ubi tanquam in portu constitutus extremam senectutis suæ particulam satis tranquille exegit, diemque obiit supremum anno 1624. die 25. Martii anno ætatis septuagesimo septimo, insigni concione funebri ornatus a Johanne Mauritio, Pastore Ostervicensi, quæ prelum quoque subiit. Gosl. 1624. 4. Hic finis fuit D. Samuelis Huberi, qui a theologis, ut ex eorum epistolis apparet multa tulit satis nefanda, cum tamen verbis magis, quam sensu errare nonnullis videatur. Controversia vero, quam movit, demum una cum suo auctore expiravit, quemadmodum augurio minus vano suspicatus fuerat Lucas Osiander, in recensenda Huberi historia diligentissimus, licet & ipse odium suum non obscure prodat. 1613.

Judæi, qui adhuc extra urbem habitaverant intra mœnia recepti sunt, non sine insigni ecclesiastarum dolore, qui se inconsultis Synagogam iis concedi ægre admodum ferebant. Judæi intra civitatem admissi. *Annal. Gosl. MSC*

His annis gravem Goslaria suspicionem incurrit, ac si relicta post tergum religione Evangelica Crypto-Calvinismo faveret. Inprimis hac in re fama M. Eliæ Jani, Numburgensis, Diaconi SS. Cosmæ & Damiani, laborabat qui ipsa purificationis Mariæ festivitate explicaturus textum *Malachiæ* IV. de purificatione filiorum Levi ita fuerat locutus, ut universali Christi merito detraxisse nonnulla putaretur. Licet igitur paulo post ita sua interpretaretur Janus, ut de ejus orthodoxia non amplius videretur dubitandum, jam superioribus tamen annis sinistrior hæc fama de Ministerio nostro ita percrebuerat, ut Senatus Apologiam quandam ipsis Calendis Januarii MDCXIII. e suggestibus singulis prælegendam curaret. Si conjecturæ locus est, hæc in vulgus sparserat Samuel Huberus, quippe qui omnes a suo dogmate abhorrentes Calvinismi reos egisse fertur, siquidem eandem notam Spirensibus quoque ac Wurtenbergensibus Theologis inurere eum voluisse, auctor est Osiander. Ne tamen diutius sermones hi sinistri viciniam pervaderent, Ministerium ecclesiasticum non modo interprete Henrico Temmio confessionem suam de persona Christi, de S. Cœna, deq; exorcismo publicavit, verum etiam communi consensu hanc confessionem in corpus doctrinæ Goslariense retulit: 1613. 1614. 1615. Goslarienses se de suspicione Calvinismi purgant. *Osiand. l. r.*

Confessio Goslariensis de Calvinismo.

THeodorus Beza, postquam in Calvini locum successit, acceptavit etiam & acriter propugnavit illud antecessoris sui commentum de arcano & quidem absoluto Dei decreto, damnandi maximam & salvandi minimam generis humani partem sine ullo vel impœnitentiæ, vel in-

incredulitatis, vel pœnitentiæ & fidei reſpectu: neque hoc tantum, ſed ut error ſolet eſſe fœcundiſſimus, deinceps in colloquio Mompelgartenſi anno poſt editam formulæ concordiam ſexto, eo quoque dementiæ prolapſus eſt, ut palam contra Orthodoxos proclamare non ſit veritus:

Certe nobis intolerabilis vox veſtra viſa eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro damnatis fol. 514. Et in reſpon. 2. ad acta colloquii p. 221. Iterum dico & coram tota eccleſia profiteor, Falſum, blaſphemum, impium eſſe dicere, Chriſtum, quod ad Dei conſilium attinet, ſive quoad effectum non minus pro damnatorum peccatis paſſum, crucifixum, mortuum eſſe, & ſatisfeciſſe, quam pro peccatis Petri, Pauli & aliorum Sanctorum in hanc ſententiam Bezæ pedibus poſtea inierunt, eamque mordicus defenderunt Grynæus, Toſſanus, Paraeus, Piſcator ceterique gentis Calvinianæ complices.

Etſi vero horribile & blasphemum illud paradoxum Bezæ & aſſeclarum ſuorum quodammodo & quidem generaliter improbatum & rejectum eſt, in libris noſtris ſymbolicis, (quibus nos omnes & ſinguli fidem religioſe & perpetuo ſervandam dedimus) in Catechiſmo Lutheri parvo, articulo de redemtione: In Auguſt. Confeſſ. art. tertio: & in noſtra Confeſſionis formula articulis de juſtitia fidei & prædeſtinatione: Ut tamen a nobis & tota eccleſia noſtra Calvinianiſmi ſuſpicionem profligemus & elideremus; Controverſia nimirum hac in timore Domini probe deliberata, viſum fuit etiam in ſpecie & diſerte errorem, vel potius furorem iſtum Bezanum (benevolentiſſimam Dei Patris erga omnes miſeros peccatores Voluntatem, & Univerſale Chriſti meritum atque adeo Fidei & Salutis noſtræ fundamenta enervantem & tantum non evertentem) quam breviſſime refellere & refutare, idque primum hiſce luculentiſſimis S. Scripturæ teſtimoniis:

1. Jo. II. *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantum* (id eſt electorum & fidelium) *ſed & pro totius mundi peccatis.*

Rom. V. *Chriſtus mortuus eſt pro impiis* v. 6. *pro nobis peccatoribus* v. 8. *cum inimici eſſemus.* v. 10.

Rom. XIV. *Ne cibo tu illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

1. Cor. VIII. *Peribit frater infirmus in tua ſcientia propter quem Chriſtus fuit mortuus.*

2. Petr. II. *Pſeudo prophetæ & falſi doctores, Dominum, qui illos mercatus eſt, abnegantes, accerſunt ſibi ipſis celerem interitum.*

Hebr. X. *Quanto prioribus afficietur ſuppliciis, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti, ecu rem profanam habuerit, per quem fuerat ſanctificatus.*

Deinde hiſce argumentis paucisſimis:

Si Chriſtus tantum pro Electis & non etiam pro Reprobis paſſus eſt & mortuus; tum hæc ſequentur abſurda theologica:

1. Impios, ob incredulitatem, vel propter Chriſti & Evangelii contemtum & rejectionem immerito damnari. Quomodo enim per incredulitatem dici poſſunt Chriſtum rejeciſſe ii, pro quibus Chriſtus neque paſſus, neque mortuus eſt, ac proinde nihil quicquam eos attinet, cum ſuo merito, a quo ſunt excluſi.

2. Deum eſſe Archihypocritam, qui Meritum filii per prædicationem evangeliii offerri curet reprobis, pro quibus tamen ipſe non ſit mortuus.

3. Deum eſſe προσωποληπτην, qui tantum electis filium ſuum redemtorem deſtinaverit, reprobis vero arcano & abſoluto quodam odio redemtionis beneficium denegarit.

4. Nemo hominum de ſua ſalute certus eſſe poterit, cum ex particulari Electorum redemtione (qvam Calviniani fingunt) certo concludere & ſcire non poſſit, Chriſtum pro ſe quoque eſſe mortuum.

Deprehenſa itaque blasphemi illius dogmatis hoſtium gratiæ vanitate coram majeſtate divina & univerſa eccleſia ipſius orthodoxa ex animo palam profitemur, & hiſce manibus noſtris ſubſcriptis liquido atteſtamur, quod firmiter credamus, & publice etiamnum doceamus, & conſtanter quoque inpo-

A. C. inposterum per Dei gratiam docturi simus, Christum sangvine suo effuso sufficienter & efficienter satisfeciſſe non pro Electis & credentibus tantum, sed etiam pro reprobis & sua culpa pereuntibus, atque ita omnibus in universum hominibus merito suo vere & realiter acquisiviſſe salutem, quamvis non omnes illam sibi per fidem (divinitus per verbum & sacramenta in illis accendendam & confirmandam) applicent, eademque efficaciter fruantur. Damnamus itaque, deteſtamur, atque per anathematismum expreſſe rejicimus horrendum illud Bezæ paradoxum, nec divina ope, quoad vixerimus patiemur, ut vel nobis, vel ulli Auditorum noſtrorum illud ipsum, vel aliud quippiam ejusmodi dogma Corpori doctrinæ noſtræ γνησίως Lutherano diſſentaneum affricetur. Dominus Jesus conſervet nos usque ad finem in Orthodoxa Verbi sui Veritate & profeſſione Amen. Scriptum Anno post incarnatum Christum 1615.

M. Henricus Temmius.
Paſtor ad S. Stephani.
Simon Struvius ad S. Jacobum.
Paſtor & Senior.

Etsi nimis verum & omnino deplorandum eſt, maximam partem generis humani per peccatum perditi, gratiam in Christo unico Redemptore promiſſam & ejus immeritiſsima paſſione ac morte tanquam λύτρῳ unice sufficiente partam ac pleniſſime reſtitutam nefarie ac petulanter abjicere, adeoque amittere: tamen indigniſſimo hoc eventu jure neglecto, manifeſtum hoc & meridiana luce clarius, Verbum de Vniverſali gratia recte firmiter retinemus, S. Pauli votum Epheſ. 3, v. 18. etiam in nobis impleri a Dno petentes atque oprantes, ἵνα καταλαβώμεθα σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί ὃ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος; &c. Videmus enim in iſta contemplatione neminem nimium eſſe poſſe, cum alibi ubique nimium facile sit labi. DNS. JESUS in pia hac & vera sententia nos unanimes conſtanter servet ob nominis sui æternam gloriam amen.

Martinus Baremius Paſtor
ad SS. Coſmæ & Damiani
&c. &c. &c.

1617. M. Henr. Temmii obitus notatu digniſſimus. *M. Gebh. in vita M. H. Temmii.*

D. 7. Auguſti anno ætatis LXIII. obiit M. Henricus Temmius Huxariensis Gosslariensis eccleſiæ a Buntingii diſceſſu Vicesuperintendens Paſtor S. Stephani & Synscholarcha, de cujus eruditione supra quædam diximus. Inprimis notatu dignum eſt, virum hunc tam certo augurio mortem sibi inſtare vidiſſe, ut id multis prædiceret. Feſto annunciationis Mariæ publice e suggeſtu dixit, hunc annum sibi vitæ ultimum futurum. Cumque paulo poſt more conſueto examini Scholaſtico interesſet, habita oratione profeſſus eſt, extremum hoc esse examen, cui ipse intereſſet. Denique cum paulo ante mortem una cum familia sacra eucharistia eſſet uſus, domi cum suis pranſus repetiit quasi illa Christi: *dico vobis, quod non bibam de hoc germine vitis usq; in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.* Nec multo poſt, deſtinato sibi in æde S. Stephani conditorio apoplexia correptus ad cœleſtia illa ac æterna gaudia migravit. Epitaphium quod sibi ipſe vivus fecit lapidique incidendum curavit, ita se habet.

Marc. XIV, 25.

יְהוָה צוּרֵנוּ׃

Eſt mors certa, incerta dies, incertior hora,
Ergo mihi hunc cippum cura locare fuit.
Omnibus ut conſtet, tua quod mihi vulnera, Chriſte,
In varia fuerint ſpesque ſalusque cruce.
Te colui vivus, tua dogmata ſumq; profeſſus
Queis in agone mea eſt conſolidanda fides.
Hinc mihi, Majores Humili Tribuentur Honores, (*)
Amplior & merces fulgida in arce poli.
Ah, pie Chriſte, veni, quia non meliora ſequentur
Tempora in hoc evo: Chriſte benigne veni.

Ceterum de præsago hujus viri animo loquitur etiam M. Johannes Nendorffius in carmine lugubri, ex quo pauca exscribam:

Occidit at, ſero quamvis dignisſimus ævo!
Quod fere præſago dixerat ore nimis.
Fallor, an & noſtro ſunt præſcia corda futuri
Tempore, cum ſacra cognitione vali?
Quicquid, ſeptenum novies ſibi fata minantem **
Scivit & hauthili fecit, ut extimuit.
Sic faciunt, quorum ſunt pectora freta ſupremo
Præſidio, quos & ſpes alit intus ovans. &c.

* *Majuscula litera nominis indices, M. Henricus Temmius Huxariensis.*

** *Alludit ad annum ætatis 63. quem, quia e ſeptenario ac novenario numeris in ſe multiplicatis reſultat, climactericum magnum & decretorium κατ' ἐξοχὴν vitæ annum vocarunt veteres. Vid. Cenſorin. de die natali cap. 14.*

Geminum

A. C. Geminum ferme exemplum, quod jam ante fuerat memorandum, apud nos celebratur, Johannis Molleri, Ecclesiastæ Franckenbergensis, qui annum MDLXXXI. vitæ suæ ultimum fore rationibus mathematicis edoctus Wesseliam ad Nettam concessit, sororibus suis ultimum dicturus vale. Domum vero rediturus in Netta suffocatus periit.

1620. Joh. ab Uslar Gosl. Abb. Marienthal. electus. *Meib. Chron. Marient. p. 282. tom. 3 rer. Germ.*

Floruit Johannes ab Uslar, ex nobili patritiaque apud Goslariam urbem Imperialem familia natus, qui hoc ipso anno subtracto Johanne Zunfftio Abbas Cœnobii Marienthalensis est constitutus. Henricus Meibomius Poëta & Historicus in Academia Julia, qui novos ei honores luculento carmine gratulatus est, Chronico quoque suo Marienthalensi hoc ejus elogium inseruit: *Bonis literis & disciplinis ab ineunte statim ætate imbutus, juri civili eam navavit operam, ut plurimos alios longo post se intervallo relinquere videretur. Innotuit itaq; mature aulæ Ducum Brunsvicensium, in consiliariorum numerum adoptatus: fidemq; suam in eo munere illustrissima familiæ ita per annos fere* XLV. *probavit, ut nec frigus in eo ipsum afflaret, & aque summis atque imis gratus haberetur, atque acceptus, quod difficillimum est in aulica dignitate constitutis ab omnibus obtinere. Ut vero demum post exantlatos labores maximos otium aliquando & quietem indipisceretur, commendante Principe in Abbatem Vallis Mariæ electus & a Principe confirmatus est.*

1621. 1622 Ærusca-torum nequitia *Schmid. Chron. Zuvick. part. 2. p. 474. 486. G. Rost. Kipper u. Wipper Spiegel. Æg. Stranch. Contin. Sleid. de summis Imp. p. 543*

Annos hos nobis turbulentissimos fecere æruscatorum nequissimæ artes & illud triste in publicum monetarium malum, quod se bellorum tricennalium initiis miscuit. Dici non potest, quanta ubique rerum omnium confusio pestilentissimos hominum ejusmodi conatus secuta sit. Valore enim monetæ in tantum ubique elevato, ut nummi Imperialis valor nonnullis in locis XVI. florenos æquaret, adulteratores monetarum antiqui commatis pecuniam cœperunt redimere, novumq; monetæ genus cudere, quod nec materia, nec pondere satis erat genuinum. Apud nos præcipue nota tum erant minoris monetæ genera, quæ patrio sermone Schreckenberger / Goslarische Baaer-Groschen itemque Schnurren audiebant, quæ tam mali erant commatis, ut nihil amplius valerent, nec quicquam alimentorum iis egeni possent coemere. Cum igitur incredibilis annonæ caritas urgeret, extremumque casum adstruxisse fortuna videretur: eo demum nonnullos adduxit desperatio, ut facto tumultu ditissimorum æruscatorum domos invaderent, partasque tot annorum fraudibus opes uno impetu diriperent. Eodem furore Judæos aggressi eorumque domos depopulati inopiam suam solati sunt, tantaque fuit in urbe trepidatio, ut res ad arma ventura videretur. At virum tunc se præstitit Wilhelmus de Muderspach, Patritius Goslariensis & Tribunus plebis, qui una cum filiis ac saniore civium parte adversus seditiosos prodiit, tantaque animi magnitudine eos aggressus est, ut, ingenti pavore concussi, dilaberentur, domumque singuli redirent. Captis ergo iis, qui seditionis faces tubæque fuisse putabantur, & in vincula conjectis, tumultus conquievit, inprimis cum Amplissimus Senatus edictum affigendum statim curaret, quo rejectis novis monetis Imperialis ad antiquum valorem revocaretur, egenisque satis de victu ac annona prospiceretur. Speciales quasdam circumstantias, quas deductio Muderspachiana MSC. prodit, familiarum quarundam reverentia mejubet tacere.

Tumultus inde Goslariæ excitatus. *Annales Gosl. MSC. Deduct. Mudersp. MSC.*

A. C. *J. Weinr. Warnung Gosl. 1622.*

Nihil hoc anno tristius turbulentiusque potest excogitari. Præterquam enim quod Civitatem etiamnum affligeret inopia, in quam paulo ante æruscatorum nequitia adducta fuerat, tanta mox secuta est pestis, tamque sæva lues, ut Goslaria solum tria funerum millia numeraret. Commune tum hoc malum fuit, totamq; Germaniam una veluti ruina involvit. Nec tamen satis laudari potest Amplissimi Senatus nostri cura, quæ his temporibus eluxit quam maxime. Accersitis enim in Civitatem consummatissimis Medicis D. Hermanno Gœddeo, & Henrico Wolfio medicamenta saluberrima paranda curavit, eaque in apotheca Senatoria ita prostare venalia voluit, ut cuivis de pretio simul constaret. Tantam scilicet operam navabant Patriæ Patres, ut paupertati hominum ac afflictæ valetudini ex æquo ac veluti uno medicamine consulerent. Extant utriusque Medici tractatus de præservatione ac curatione pestis, sane egregii, & quantum a Medico quodam experientissimo didici, insigni judicio elucubrati, editi Gosl. 1625. 4. Wolfiano opusculo aliquot annexa sunt carmina, e quibus eminet illud Nendorfii, quod ob insignem viri famam addere juvat:

1625. Pestis Goslariæ depopulatur. *Annales Gosl. MSC. Fasciculo scriptorum Medicorum Gosl. de peste 1625. sq.*

Arte Machaonia præstans & munere pulchro
Sanandi, multis mortalibus æqui parari
Vir dignus, ni Meonidæ sententia fallit.
Te WOLFI, quis non igitur magni æstimet, agros
Servantem & supero retinentem in lumine vitæ;
Quorum pene caput damnarat tristibus umbris
Persephone? Sed nunc punctum fers omne, venenis
Gliscentis passim & populantis cuncta per urbes
Perque agros, dum pestiferi vim prodis, & arte
Qua propulsari, quo vel medicamine frangi
Possit, inexpertis magno molimine tradis.
Scilicet hoc deerat nobis nostraq; saluti,
Atq; Tibi famæque tuæ! Sin edere tales
Ingenii fœtus perges, famosus abibis,
Qua sese Europæ populosa climata pandunt.
Non tamen esto nimis securus judicis. Vulgus

Quod vel demorsos resipit, numerisve politum est

Omnibus effugiat vix turpia crimina Momi.
Vive diu vulgi pars non extrema medentum!

M. Johannes Nendorfius. R.

Belli tricennalis in vicinia initia. *Pufend. l. 1 hist. Suec. p. 21. sqq. Nendorff. narrat. quomodo Gosl. nostru invaserint. 1626. 4. Ejusde Επινίκιον.*

Inter hæc ne quid malorum deesset, bellum quoque quod adhuc Bohemiam aliasque superioris Germaniæ provincias afflixerat, viciniam nostram turbare cœpit. Friderico enim Electore Palatino, qui intempestiva animi magnitudine coronam sibi oblatam susceperat, victo fugatoque pauci illi Principes, qui exulis Friderici causam tuebantur, icto cum Christiano Rege Danorum fœdere armis se accingebant, si forte imminens religioni evangelicæ periculum propulsare ab ecclesia liceret. Præcipue huic fœderi accesserant Duces Brunsvicenses, Duces Meklinburgici, Episcopus Halberstadiensis & Administrator Magdeburgensis, qui simul ac arma ferebantur parare, statim cum delecta manu adfuit Comes de Tilli, castrisq;, ad Visurgim in ipsis Brunsvicensis ducatus limitibus explicatis præcipua oppida & civitates Huxariam & Holzmundam aliasq; situs oportunitate sibi commodo futuras expugnavit.

Bellum in vicinia hac geri cœptum

Eundem medio circiter auctumno cum justo exercitu secutus est Albertus Dux Fridlandiæ, Comes a Wallenstein, qui ditionem Brunsvicensem ingressus, colonis ad limites præsidii causa collocatis, partim fugatis, partim sua sponte dilapsis pagos vicosque passim depopulatus est, oppidaque munitiora deditione potius, quam vi occupavit. Interea qui summæ præerat Dux Fridlandiæ Liebenburgi commoratus missis Goslariam literis Senatores ad colloquium evocavit, cogniturus utrum adhuc in fide manerent, an fœderatorum partibus accessissent. Jussu igitur Senatus ad Ducem legati accedunt D. Johannes Reccius & Stephanus Reimer, uterque Jure consultus, quibus adjunctus erat Valentinus Witzenhausen, Senator primarius.

Goslarienses Cæsaris partes secuti.

Hi in Ducis conspectum admissi multis exposuerunt, qua constantia Goslarienses adhuc animos ad fidem Cæsari servandam obfirmarint, qua sollicitudine non modo bellum sed & suspicionem belli fugerint, nec conscriptis quippe ullis militibus, nec conventibus fœderatorum jam inde a longo tempore frequentatis. Sperare se, rationem fidei suæ habitum iri, urbem enim a toto propemodum seculo penitus exhaustam & ære alieno pene oppressam ad ultima perventuram, si præsidiis gravetur, aut ullam Cæsareanorum militum vim sentiat. Dignam sane tanto Duce, dignam se ipso rem facturum Fridlandium, si civitati, quæ fidem Cæsari debitam nunquam deseruerit, adversus impressionem & injurias hostiles præsticurus esset securitatem. Quibus ille: Amice se, inquit, cum Goslariensibus acturum, quod Cæsari fideles & dicto audientes sint futuri; nec præsidium se eis obtrusurum, nec pecunias ab eis exacturum, denique ab omnibus, quæ a bello proficisci soleant, injuriis liberos se eos præstiturum. Si hostilia patiantur, daturum se operam, ut Cæsaris auspiciis liberarentur, id tamen se postulare, ut militibus suis integrum esset, in urbem commeare ad parandum mercandumque, quibus opus sit. Interea Rex Daniæ cum Ducibus Brunsvicensibus ceterisque fœderatis Principibus contractas undique copias suas in Hannoverano agro Tillensi exercitui oppositas, variisque velitationibus cum hoste congressus, modo victor, modo victus abierat, ut solent dubii esse ac anclpites bellorum eventus. Atque ita tum quidem utrinque in hiberna discessum est, cum interea Fridlandius ponte Dessavensi vallis fossisque egregie munitis præsidiisque firmato, & ipse copias per Halberstadiensem ac Magdeburgensem diœceses ac vicina loca ad hiemandum traduxisset, omniaque ferme brumali quoque tempore vel deditione vel armis sub suam redegisset potestatem.

Sequente anno abruptis inter hæc pacis consiliis, quæ inter Cæsarem ac Saxones Brunsvigæ agitata fuerant, ad arma utrinque reditum est, licet Rex Daniæ una cum sociis, majore animo, quam fortuna bellum prosequerentur. Comes enim Mansfeldius, Martis ille pullus, licet cum copiis suis per Marchiam Brandeburgicam in principatum Anhaltinum properaret, vallum disjecturus, quod Fridlandius ponti Dessavensi objecerat, cæsus tamen & fugatus re infecta in Marchiam Brandenburgicam rediit. Nec benigniore fortuna usus est, cum exercitus sui reliquias in Hungariam ad Bethlemum innumeris exantlatis periculis transtulisset quippe qui denuo arma adversus Cæsarem expedierat. Nam Bethlemo ad inducias flexo, Comes Mansfeldius, militibus æq; ac tormentis bellicis Bethlemo traditis, ipse per Turcicas ditiones Venetias properaturus in Bosnia morbo, aut veneno oppressus periit. Rex Daniæ feliciore successu Osnabrugum expugnaverat, filiumque Coadjutorem Osnabrugensem creari jusserat; Sed urbem mox recuperavit Comes Anhaltinus. Sed & Christianus Brunsvicensis male rem gerebat. Tentata enim Goslaria nostra cum insigni clade rejectus est. Qui belli eventus cum nos spectet propius, omnino e Nendorfii schedis his videtur paulo altius repetendus. Equidem jamdudum urbem nostram ad fœderis hujus societatem sollicitaverat Christianus, quod eam ad tuendum tractum Hercyniæ necessarium sibi existimabat. Cum vero hæc, sive virium suarum sibi conscia, sive victricibus Tillii armis territa, fœdus hoc constanter adversaretur, Christianus eam vi cogendam putabat. Quamobrem belli causa reperta est. Solebant quidam agrestes & saltuarii nec non venatorii generis homines pluresque alii

1626. Fœderati irrito successu bellum persequuntur *Pufend. l. c. p. 22.*

Goslaria a Christi anopuce primum frustra tentata. *Nendorff. narrat. citat. Deduct. Mederic. MSC.*

alii audaculi, facto concursu, milites Cæsareanos prædæ intentos ex insidiis per occasionem excipere, ac cædere, atque ad id facinus ædificiis quibusdam suburbanis, velut latibulis uti, ibique delitescere. Præcipue saltuarii quidam figendis feris asveti, præstantesque arte sclopetaria, in officina quadam cerdonum ad montem Hertzberg a Principibus Brunsvicensibus extructa, conventicula sua habere & ex raptis compotare consveverant. Ea re comperta, vexillarius quidam Cæsareanus cum præsidio in Monasterio Richenbergensi collocatus, noctu eo aliquot milites misit, prædones intercepturus. His vero re infecta reversis, & cum clade rejectis, ipse postridie assumta manu aliqua, ubi locum desertum reperit, subjecto igne exurit. Eadem de causa paulo post duo alia ædificia in contraria urbis plaga ad orientem sita, de quibus dudum lis Civitati cum Ducibus fuerat, incendio absumit. Alterum eorum taberna cauponaria, alterum promptuarium erat pro operis metallicis, utrumque a Julio Duce Brunsvicensi in Civitatis tum inimicæ odium extructum. Hæc res dici non potest, ad quam indignationem Christianum Ducem inflammarit. Culpa in primarios Civitatis nostræ Senatores rejicitur, horum svasu hæc domicilia diruta dicuntur, de ultione cogitatur, consilium capitur de urbe capienda. Quæ tamen ad sustinendum hostium impetum pro temporum istorum belligerandi ratione satis videbatur idonea. Ideo prid. Id Mart. tum aliquot peditum centuriis multisque millibus equitum quos sequebantur ad quadringenta plaustra in agros Goslariæ vicinos perventum fuit. Cives nihil minus, quam se peti suspicantes non multo solicitius quam ante agunt excubias. Nocte jam concubia exercitus ad urbem propius admovetur, audaculi quidam per murum tum vitio quodam non satis firmum in fossam descendunt, mussitant inter se, strepunt catenis, procul dubio tormenti genus, quod petardam vocant, valvis S. Nicolai adfixuri. Ubi igitur in eo sunt, ut id, quicquid fuit effectum darent, forte fortuna accidit, ut quidam per vallum cum laterna collucente incederet; unde projectis ad tectum turris vicinæ radiis illi, nescio quid veriti, pedem referre tantaq; celeritate per scalas ascendere, ut ex cubitorum aliquis audito cursitantium strepitu vocem tolleret sociisque acclamaret. Ibi illi, quasi Panico concussi terrore, ea, qua venerant, elapsi ad suos redire: copiæ vero ubi res ex voto non succederet hinc inde terri, in acie collocari, procedere, recedere, tandem etiam conglobari, & correpta fuga in locis post clivos depressis magnam diei partem consumere. Quam primum illuxisset, aderat qui literas Regis Daniæ ad senatum perferrent hunc in modum perscriptas: esse e re totius circuli Saxonici inferioris, ut Goslarienses præsidium sexcentorum partim equitum, partim peditum in urbem reciperent, nulli civium oneri eos fore, de suo sumtum facturos, civitatem contra hostes defensuros. Sed repulsam tulere legati, rationibus in contrarium adductis victi. Circa meridiem iterum tubicen equo vectus ad portam accessit, Consulem, quem solum conventum venerit, accersi petit. Adest Consul Tubicen minacibus verbis Principis nomine imperat, ut postera die, quid fieri vellent literis exponerent. Id nisi fecissent, jam parata esse omnia, quibus Civitas imperata facere cogatur. Respondet Consul, nihil subesse causæ, cur præsidium sibi obtrudi paterentur, cum Christiano Duce nihil sibi simultatum esse. Discedit tubicen. Dux quoque exercitum reducit literis tamen prius ad senatum populumque Goslariensem directis, quibus eos admonuit, caverent ne præsidio suo recusato, Cæsareum militem intra mœnia reciperent, alias fore, ut eos igne ferroque persequeretur.

Goslaria igitur periculo hoc feliciter defuncta cautius agere excubias cœpit. Tillius vero de irrito Christiani Ducis conatu simul ac rescivit, literis humaniter scriptis civium fidem collaudavit, obtulitque trecentos milites, sacramento prius Senatui præstito, in urbem præsidii loco admittendos, ne scilicet sana Imperii civitas, quæ sibi singulari curæ esset hostium insidiis porro exponeretur. Hac oblata conditione ingens in civitate coortum certamen est, Senatu recipiendum esse præsidium censente, civibus autem constanter id renuentibus. Wallensteinius quippe & Tillius tot in vicinia crudelitatis specimina ediderant, ut extremam civitatis perniciem metuerent Goslarienses, si tam truculentos milites alere se oporteret. Dum igitur ingenti animorum motu inter Senatum Civesque disceptatur: Christianus Dux Brunsvicensis ratus se facilius jam ægram rempublicam oppressurum, literis denuo ad Senatum populumque Goslariensem missis jubet, ut se consvetudine Cæsareanorum abdicarent, nec communem inferioris Saxoniæ causam desererent, se esse urbis defensorem, viderent igitur, quo jure in tanto rerum discrimine præsidium suum recusent. Cives quoq; seorsim moniti, nihil a fœderatis esse periculi, Senatum alia suspicantem audiendum non esse, præsidium quoq; Cæsareum in urbem non admittendum, alias fore, ut hostium instar haberentur. Interea X. Calend. Aprilis, deficiente jam die, exercitus Ducis iterum in Goslariensem agrum pervenit, primaq; ac secunda noctis vigilia passim in loca opportuna ducitur, tanto cum silentio, ut nullus adverti strepitus posset, nisi quod hinnitus equorum nonnunquam resonaret. Cives licet rem animadverterent, tamen & ipsi tormenta incredibili cum silen-

Eod. Nec feliciore successu altera vice oppugnatur. *Pufend. l.c. p. 22. Autor topogr. Sax. Nendorff. narrat. & suum!*

tio per valla turresque disponunt, ac cum paucis mercenariis suis nonnullisque agrestibus ad munitiones se conferunt, certi hostem jam insultui se parantem, aut fortiter sustinere, aut mori. Intempesta jam nocte Civitas tribus locis pari impetu invaditur. Pars militum, tormentis e mola quadam explosis secura, fornicem quendam muri exterioris, per quem torrens ex urbe elabitur, subit, clathrumque pensile, quo istud foramen munitum est, emovere, aut elevare nititur, qui tamen conatus frustra fuit. Cives enim validissima robora objecerant clathro, omnemq; adeo aditum occluserant. Quin etiam re animadversa ab excubiis turbæ excitantur, tantamque sine mora e vallo ac propugnaculis fit tormentorum fulminatio, ut illi cum multa suorum strage cœpto desistere retroque cedere cogerentur. Aliud hostium agmen portam D. Nicolai invaserat, jamque machinam fulminatricem, quam petardam vocant, valvis applicaverat, qua horrendo fragore resultante, milites catervatim accurrunt, per portam, quam patefactam jam existimabant, irrupturi. Sed cum proprius subirent ita tormentis, sclopetis ac machinis uncatis, quamvis in densis tenebris, lævitum in eos est, ut fuga sibi consulerent, plerisq; aut glandibus plumbeis, aut rudibus æris massis, aut saxorum imbre obtritis. At majore ac ferventiore studio ad portam S. Viti pugnatum est. Ibi binis admotis petardis plerique hostium ad insultum faciendum se accinxerant. Sed spem denuo fefellit eventus, altera enim machina admoto igne vix leve uni valvarum intulit vitium, altera nulla adhibita industria ita potuit parari, ut flammam conciperet. Hostes igitur ubiq; se actum agere videntes, scalis in fossam immissis propius accedunt, vallum occupaturi: quos tamen tantus tormentorum sclopetorumque excepit imber, ut prostratis quamplurimis ceteri nec expectato quidem signo, receptui dari solito fuga se subducerent, vulneratis necatisque, qui poterant, secum asportatis. Pauci, qui per scalas in fossam se immiserant, suo malo superfuere. Capti enim in Civitatem trahuntur, mox tamen dimittendi. Trucidatorum numerum rescisscere nemo potuit, hostes enim mortuos secum avexerant. Viginti tamen altero die reperti atque a vespillonibus terræ mandati sunt. E civibus unus tantum fortissime pugnans periit, ex agrestibus itidem unus, alius domi suæ globo ictus aliquot post diebus expiravit. Vulnerati unus atque alter, haut multo post convaluere. Luculentissimam omnibusque numeris absolutam hujus invasionis descriptionem, quam Pufendorffius ac auctor Topographiæ inferioris Saxoniæ vix primoribus digitis attigerunt, debemus industriæ B. Nendorfii, Scholæ Rectoris, qui eam prosa versaque oratione, Senatus auspiciis, tam eleganter expressit, ut & in aula Cæsarea sui admiratores invenerit. Narrationi ligata oratione perscriptæ hoc subnexum est chronostichon:

QVarto abIs DenIs Ire InfIt MartIVs orbe:
HostIs GosLagerIn pVLsat, InanIs abIt.

Præmissum vero epigramma ad Lectorem parum benevolum, quod auctoris causa proferimus:

Ingrata quæ sunt, Falsa si dici merent,
Sint Grata Vera. At heus amice, Grata sint
Quæ Vera. Tu probanda fac, faciliora
Aliiq;, facto Grata Vera sint idem.

Pedestrem vero de hac victoria sermonem, quem Ἐπινίκιον inscripsit, cum rarius haberi possit, adscribam integrum, istoq; narrationem hanc de insultu Goslariæ obsignabo:

ΕΠΙΝΙΚΙΑ.

Sive

CARMEN IN SOLENNEM

celebrationem XXIV. Diei Martii

quo Deus Opt. Max. civitatem Goslariensium ab invadente, & jam propugnacula quatiente Inopinato hoste suo clementissime liberavit, scriptum & inscriptum

Amplissmo, Senatui, populoque Goslariensi

a

M. JOANNE NENDORFF Verdensi, Scholæ Goslar. Rectore.

Goslariæ Anno 1627.

* * *

Amplis*mo* Senatui, populoq; Goslariensi

S.

Hic mihi vicenos prater jam septimus annus
Labitur, auguste ô Grex, mihi dulce decus!
Ex quo Gymnasii vestri tot per vada navem
Rector ago, & portum lassus inire paro,
Ecce autem pestis tempestas, dirior illa
Nummum intemperies, denicq; Martius opus,
Sic mihi quassarunt clavum, sic vela sciderunt,
Vt lacera fabulus vix per iniqua traham.
Solatur tamen hoc, quod non mea solius urget
[Omnia nam turbat] fata procella furens.

Ti

Te quoq; corripuit, neq; parce afflixit. Id ergo
Pieriis saltem quæro levare modis,
Conatus ne sperne meos, amplissime cœtus,
Inq; vicem nostram perge fovere ratem.

V. addictmo

M. Joan. Nendorf. R.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ.

Ite age pulchra dies prodi felicibus astris,
Hoc etiam nobis gratissima nomine, (Namq;
Quis neget omen inesse rei?) quòd luce refulgens
Præclara, & cunctis passim latabilis oris,
Servatorem orbis, crudeli morte peremptum,
Victorem at mortis, domitorem & Ditis alacrem,
Abscondis tumulo, vafros & decipis hostes:
Interea spoliis onerat Acherontis opimis,
Ut Matuta diem cum reddet, maximus heros
Surgat ovans animis, cœli multo agmine septo.
O quanto mactas memores nos munere. Quantã
Lætitiam reparas! Annus jam vertit, & in se
Volvitur, ac metas sua per vestigia tangit,
Te ponente motum, & repetente pericula, fastos:
Per memores, animosq;, quibus nil tale merentes
Objecit subitò incautis audacia præceps.
Nos nullis opibus freti, non viribus ullis,
Tantum præsidio, quod mens sibi conscia recti,
Quodq; dabat virtus Aquilæ, & præsentia dextræ
Numinis, haud vano fisi tamen, omnia tuta
Sperare, hostiles & despicere usque tumultus.
Perniciem at vigiles in nostram cuncta movere,
Et fabricare, quibus veteris nec gratia facti
Stabat apud memores animos, fiducia causæ
Legitimæ nec erat, sed mens secura severæ
Cœlestum pœnæ, fraudiq; assueta maligna.
Hi juvenem celso prognatum sanguine, magna
Pectore quaq; ferri volventem, magna parantem,
Exacuunt: subdit virosa calumnia calcar,
Spes accensa boni stimulat non parva parandi.
Protinus in nostras fortunas dira coquuntur
Consilia. O quantum vani est mortalibus ægris!
Quàm non provisi casus! Quàm cæca cupido!
Haud mora. Res magnis conatibus inceptatur.
Itur in acclives agros, collesque supinos
Goslariæ, multo deducto milite: captum
Consilium tegitur. Vastos transcendere montes
Velle videbatur manus ingens, ireque in hostes,
Fulgentes Aquilis, infestis protinus armis.
Interea nox atra nigrantibus ingruit alis.
Desidet at campis per amica silentia Lunæ
Ipse silens, tacitum spirans; exercitus ignem,
Sidera tum mediis superarunt lucida metas,
Supremum jam emensa polum, dum luna bicornis
Abstulit exiguam lucem, & se condidit umbris.
Tum vero manifesta fides, tectaque patescunt
Insidiæ. Somno majore ex parte sepultam
Invadunt urbem. Cœlum tonat undique sclopis
Horrisonis. Fremitu portis succeditur altis
Insano. Inprimis qua propugnacula parte
Ostentant validas late firmissima moles,
Huc properant, huc & cives accersere, muris
Desertis alibi, gaudent, custode remoto
Nudatas munire queant sævo agmine partes.
Quin & , qua longam decurrens unda per urbem
Evomitur saxis curvato fornice subter
Pensilibus tabulis, illac penetrare laborant:
Et, ni magna Dei, nicivis cura resistat,
Oppositis qui roboribus, validisque repagulis
Ostia firmarat, voti pomœria compos
Intrasset fidens nostro discrimine miles.
Interea cives clamorque & tympana somno
Excutiunt, strepitu rauco pulsata per urbem.
Hi trepidi glomerare manus, succurrere vallo;
Et muris, quo quemque suus trahit ordo, sequuntur.
Excipiunt passim subeuntes fortiter hostes.
Fulminat, athereis ceu quondam nubibus ignis
Detonat elisus, mortalia pectora diro
Murmure terrificant, tormentis flamma coruscans,
Ingeminatque sonum, & crebro ferit æthera pulsu.
Vulnificum ingeritur membris audacibus, hostes
Qua se cunq; ferunt, magno molimine plumbum.
It vapor, & picea fumus caligine cœlo.
At voto frustrata suo turba hostica vires
Aggreditur tentare novas. Est machina miris
Intus structa dolis, mira fabrica artis, & usus,
Fartaq; materie varia. Certare videtur
Hic cum solerti natura industria solers
Illa ubi concepit flammam, (non concipit ægre
Materies ignis cupida) arcte affixa tabellis
Obvia disrumpit, liquidas & spargit in auras.
Majus enim spatium sibi rarior appetit ignis,
Quod cum non reperit subitò, magno impete quærit,
Disjiciens, pulsansq; procul validissima quamvis
Illa fuit nostris admota, infixaq; portis,
Conatu fervente semel nec adacta, nec una.
Arbiter at rerum, melior cui causa placebat,
Natura veluti correcta protinus omnem
Vim tantam vanos in fumos jussit abire:
Uno solum ictu docuit, quid cœpta valerent,
Ni faciat, ni Goslaria sua fata secundet.
Vix tamen affecta valvæ. Tum vivida pubes,
Non oblita sui tanto discrimine, saxis
Desuper imbricibusq; pluit; tum massa frequente
Plumbea conjectu levis evolat ære vacato,
Datq; neci multos. Gemitis lacrymabilis imis
Auditur terris resupina carne jacentum,
Plorantumq; suos trato acive dolores.
Cautim hinc reliqui portis, fossisq; propinquant,
Moxq; pedem quivis exspes fractumq; referre,
Et se Goslariæ procul urbe optare remotum.
Attamen aspirans fors pene faventior æquo
Palantes nebula tegit, atque involvit opaca,
Datque recedendi spatium, ne machina sævis,
Jactibus infectans det stragem, signaq; fœdet,
Neu vetet exanimes plaustris auferre repostos.
Sic nos, sic nostros servavit ab hoste penates,
Nec rem, quantumvis livore fremente nefando,
Cum spe concidere, atq; hosti ludibria iniquo
Innocuos voluit fieri clementia Jovæ.
Quo merito immeriti nos munera tanta meremur,
O rector mundi? Num quid fecisse putandũ est,
Justitiæ oblitos, nullo pietatis honore
Vel minimum dignos, quod te, pater optime, nostras
Compulerit res subsidio, curaque fovere?
Num quod Cæsareo imperio, cui subdere dudum
Nos visum est, cum fortunis, constante studemo,
Paremusque fidei, & mordacis verbera linguæ,
Invidiæ & ronchos animis contemnimus æquis?

Quicquid id est, tibi nos totos debemus, & omnis,
Quantulacunq; super, fortunæ commoda salva,
Accepta in solidum ferimus. Persolvere grates,
Non opis est nostræ, neq; dignas pangere laudes.
Tu voluisse aliquo tamen hoc pro munere habebis.
Da pater auxilium porro, da publica pacis
Commoda, frange omnes dulcem quicunq; quietẽ
Imperii turbant, & cuncta libidine prava
Decernunt stolidi. Præcerum tu pectora sacris
Imbue consiliis. Tege summum, atq; instrue sacri
Imperii caput, ne legum sapienter habenas
Laxet, & adducat, prout res, & tempora poscunt:
Quo tandem nitidis referat se innoxia pennis
PAX, altrix rerum, nostris extorris ab oris,
Asperaque amotis miteſcant sæcula bellis,
Et cum Marte ferox, Stygium damnatus ad Orcum,
Immanisq; Furor procul hinc, procul inde faces-sat.

Christiani Ducis Br. obitus

Christianus igitur Dux Brunsvicensis ubi frustra se esse vidit, exercitum in agrum Calenbergensem ducit, firmatisque præsidio Gœttinga, Northemio & Minda Guelpherbytum redux diem obiit supremum, non sine propinati veneni suspicione, si Pufendorffii in eo conjectura audienda est.

Goslarienses cæsi. *Annal. Gosl.* MSC.

Interjecto tempore vicini ad Okeram coloni ulturi Principis sui cladem magno agmine ex insidiis proruunt, pecoraque Goslariensium, pastum ex urbe dimissa, magna ex parte intercepta abigunt. At cives superiore victoria elati ipso die Bonifacii, facta eruptione, raptores invadunt animosiusque quam cautius pugnantes cum clade repulsi, amissis triginta viris, pluribusque vulneratis domum re infecta redeunt. Interea Cæsar eodem veluti victoriarum cursu integram fermè Saxoniam sub suam redegit potestatem. Tillius enim, expugnata Gœttinga, Calenbergam a Danis pressam obsidione liberat. Cumque ad Northeimium quoque castra explicuisset, jamque in eo esset, ut urbe potiretur, Rex Daniæ adfuit cum toto exercitu, eumque solvere obsidionem compulit. Auctus tamen a Wallensteinio copiis, mox castra Gœttinga movit, Regemque per Eichsfeldam insecutus tamdiu velitationibus a tergo impedivit, donec Lutteræ ad Barenbergam (quæ arx duo ferme milliaria a nobis remota est) justo prælio contendere decerneret. Incredibili fortitudine utrinque pugnatum est, donec anceps initio victoria ad Cæsarianum exercitum se inclinaret. Cæsus itaque Rex exercitus sui reliquias Guelpherbytum atque inde Hamburgum reduxit. Vrbs vero nostra jam tum funeribus multis ob pestem referta Cæsarianis militibus in prælio vulneratis hospitium præbuit, quamvis plerique paulo post expirarent. Tillius itaque hac victoria potitus omnia Saxoniæ oppida paucis, ac in his Guelpherbyta exceptis, Bremam usque occupata præsidiis firmat, præter ditiones Meklenburgenses, quas Rex, antevertens Tillium, mature occupaverat, licet paulo post e plerisque oppidis ejiciendus. Viribus igitur fœderatorum non parum debilitatis, Duces Brunsvicenses, & Elector Brandenburgicus Cæsaris paulatim amicitiam ambire visi sunt, quo factum est, ut Cæsar ubique rerum potitus, Pontificiorum statuum consilia demum audienda putaret, bonaque ecclesiastica a protestantibus repeteret, ut paulo post audiemus. A. C.

Rex Daniæ in prælio Lutterensi victus. *Pufend. l. c.*

Cum igitur Wallensteinius ac Tillius Pomeraniam, Meklinburgum, Marchiam Brandenburgensem, inferioremque Saxoniam victricibus armis subjugassent, Rex Daniæ, cui omnia secus evenerant, ad pacis consilia flexus Lubecæ cum Cæsare pacem pepigit, iis legibus, ut quæcunque amiserat, sibi redderentur. Ex hoc tempore dici non potest, quam misera fuit Germaniæ facies. Milites abusi Cæsaris victoriis tam crudeliter omnia agebant, ut ne ab hostibus quidem proficisci sæviora potuissent. Clerus pontificius suam rem agi palam præ se ferens, jam exultare, se jactare, minari omniaque licentius ac per vim agere cœperat. Ad promiscuas demum depopulationes, in quibus nec amicorum nec hostium habita ratio est, accessit edictum Cæsareum de restituendis bonis ecclesiasticis post pacificationem Passaviensem jam inde a septuaginta quinq; annis a protestantibus occupatis. Vix prodierat edictum, cum per omnem fermè Germaniam constituerentur quæstores qui bona hæc nulla habita excusationum ac querelarum ratione pontificiis restituerent. In inferiore Saxonia hoc munus demandatum est Francisco Wilhelmo Osnabrugensi, qui Tillii & Wallensteinensis Jesuitæ armis adjutus omnia monasteria ac ecclesias occupavit, pulsisque Lutheranis Clericos Pontificios restituit. Apud nos ecclesiam SS. Simonis & Judæ, pulsis Canonicis, occuparunt Jesuitæ, qui bonis potiti mittun statim sacra sua introduxerunt, tamque tur. certam pedem hic figendi, spem sibi fecerunt, ut cum palatium Cæsareum simul dono accepissent, splendidum molirentur collegium, cujus rudera hodienum de irritis eorum consiliis testantur. 1629. Pax cum Dano Daniæ, cui omnia secus evenerant, ad pacis consilia flexus Lubecæ cum Cæsare pacem pepigit, iis legibus, ut quæcunque amiserat, sibi redderentur. Ex hoc tempore dici non potest, quam misera fuit Germaniæ facies. Milites abusi Cæsaris victoriis tam crudeliter omnia agebant, ut ne ab hostibus quidem proficisci sæviora potuissent. Clerus pontificius suam rem agi palam præ se ferens, jam exultare, se jactare, minari omniaque licentius ac per vim agere cœperat. Ad promiscuas demum depopulationes, in quibus nec amicorum nec hostium habita ratio est, accessit edictum Cæsareum de restituendis bonis ecclesiasticis post pacificationem Passaviensem jam inde a septuaginta quinq; annis a protestantibus occupatis. Vix prodierat edictum, cum per omnem fermè Germaniam constituerentur quæstores qui bona hæc nulla habita excusationum ac querelarum ratione pontificiis restituerent. In inferiore Saxonia hoc munus demandatum est Francisco Wilhelmo Osnabrugensi, qui Tillii & Wallensteinensis Jesuitæ armis adjutus omnia monasteria ac ecclesias occupavit, pulsisque Lutheranis Clericos Pontificios restituit. Apud nos ecclesiam SS. Simonis & Judæ, pulsis Canonicis, occuparunt Jesuitæ, qui bonis potiti mittun statim sacra sua introduxerunt, tamque tur. certam pedem hic figendi, spem sibi fecerunt, ut cum palatium Cæsareum simul dono accepissent, splendidum molirentur collegium, cujus rudera hodienum de irritis eorum consiliis testantur. 1628

monialium Cisterciensium intravit, nescio unde adveniens, quamvis e Præpositi Henrici Gœzii literis colligere possim, aut Suevum aut Bavarum illum fuisse. Verum non diu duravit ista felicitas. Jesuitæ enim Goslarienses, qui Novitiatum in urbe erigere moliebantur, omni nisu tum apud Pontificem, tum apud Ferdinandum Imperatorem laboraruñt, ut lautum hoc monasterium sibi concederetur. Nec fefellit eos sententia, statim enim prodiit Cæsaris rescriptum ad Franciscum Wilhelm. Ep. Osnabrugensem, quo monasterium hoc Jesuitis cum universis bonis additur:

FErdinand der ander von Gottes Gnaden / Erwehlter Römischer Käyser zu allen Zeiten Mehrer des Reichs. Hochgebohrner / lieber Fürst / Andechtiger auch getreuer ꝛc. Demnegst wir uns aus sonderbaren uns hierzu bewegenden Ursachen vernemblich den allgemeinen Catholischen Wesen zu augenscheinlichen Nutzen und Auffnahm gnädigst dahin entschlossen / und denen Patribus der Societät JEsu zu Auffrichtung für dieselbe etzlicher fundationen in Niedersächsischen Krayß unterschiedliche dero Orthen gelegenen Jungfrauen Stifft und Closter als nehmlich zu Fundirung eines Noviciats oder Probhauß in der heiligen Reichstadt Goßlar das Jungfrauen Closter Weltingerodt unter daß Stifft Hildesheim gehörig. Welches Closter den Passauwischen Verträgk zu wieder und rechtmeßiger Weise von unterschiedlichen occupanten vor Jheren eingezogen / und eine zeitlangek innegehalten werden / und es nuhmehr an dem / daß selch unserer gnädigster Bewilligung und assignation zu würgklicher Folge denselben obbemeltes Jungfrauwen Closter zu obangedeuteten end mit sampt allen undt jeden pertinentien sampt und sonders eingeraumbt / und sie die Patres in die possess und Administration derselben eingeführet werden. Als begehren wir an D. And. und D. als unsere der Orthen deßfalß verordnete Commissarien / daß sie und du obbesagtes Closter mit allen und jeden darzu Eingehörungen / wie obgedacht / den Ersamen unserm lieben andächtigen Patri Hermanno Bawing, als Provincialen der Reinischen und Niedersächsischen Provintz Ihres des Societät Ordenß / oder an statt derselben seinen hierzu verordneten Vollmächtigen / entweder sie deine And. und du ingesampt und sonders / oder auch durch dero / oder deinen hierzu subdelegirten Commissariis fölliglich einraumet / auch alle und jede hierzu gehörige Original Schrifft / Uhrkunden / und Nachrichten einantworten / und zustellen lassen / Massen wir unser gnädigstes Vertrauwen zu dero und deiner Persohn gesetzet / sie und du auch dero erkanten guten eiffer und dexteritet nach / der Sachen wol zu thuen wissen werden / und an dem allen würdet vollbracht unser gnädigster Wolbedacht und ernstlicher Will und Meinung. Geben in unser und des heiligen Reichs Stadt Regenspurgk den 15. Monats Octobris Anno sechzehenhundert und dreißigk Unserer Reiche des Römischen in zwölfften / des Hungerischen in dreyzehenden / und des Böhmischen in vierzehenden.

Accepto hoc mandato Franciscus Wilhelmus Ep. Osnabrug. Verdensis & Min. densis, Commissarius Cæsareus statim negotium dedit Arnoldo de Bocholtz Præposito Hildesiensi, ut & Hermanno Eiling J.V.L. & Ernesto Mackio, J. V. D. ut dimissis monialibus Jesuitas quam primum in possessionem mitterent. En etiam Episcopi literas:

FRantz Wilhelm von Gottes Gnaden Bischoff zu Oßnebrück / Verden / und Minden Thumprobst zu Regenßburgk / Grave zu Wartenbergk und Herr zu Waldt unsern Grueß und alles Guetes zuvor. Hochwürdiger besonders lieber / auch würdig und Ehrenvest Hochgelahrte liebe besondere.

Waß die Röm. Kay. Majest. uns wegen einreumung des unter dem Stifft Hildeßheim belegenes Jungfrauen Closter Weltingerode zu fundirung eines Noviciats oder Probhaus der Societet JEsu binnen der Reichsstadt Goßlar allerguedigst committiret und befohlen / solches gibt hiebeygefügter und auscultirter Extract (weil in dem Käy. Original andere unterschiedliche Punckt begriffen) mit mehren zu erkennen.

Wenn uns nun anjetzo anderwerts wichtige Geschäffte obligen / derowegen wir höchstangeregte commission persönlich nicht verrichten können. Als wollen wir ihnen und Euch hiermit und in Krafft dieseß sampt und sonders

ders subdelegiret/ dabey begehrt und in Gn. angesonnen haben/ auff daß ihr verbemeltes Closter Woltingerodt deß P. Provincialis der Reinischen und Niedersächsischen Provintz gedachter Societet bevelmächtigten/ mit allen Zubehörungen und Gerechtigkeiten/ Schlüsseln/ Brieffschafften/ Uhrkunden/ Siegel und Register einräumen und überantworten/ auch alle und jede sich darbey erreichende Opponenten im Nahmen allerhöchstgnd. Ihrer Käys. Mayst. bey poen dereselbigen Edicto einverleibt zu schuldigster accommodation mit allen Ernst anweisen und halten/ und ferner hierinnen also verfahren/ damit Ihrer Käy. Mayst. allergnäd. Intention darzu Ihrer Päpstl. Heiligk. und Fürstl. Durchl. von Cöln auch Ihren Consensum bereits ertheilet gebürende effectuiret, die darinnen befundene detentores oder detentrices würcklich ausgeschafftet/ und wie dem negst der Verrichtung zu fernerer alles unterthänigster Relation gerichtet werden mögen/ dessen wir uns also versehen. Verbleiben ihme mit allem guten Willen stets beygethan/ und euch mit Gnaden wol gewogen. Geben in unser Stadt Vehrden am 26ten Martii A. 631.

Franz Wilhelm.

Dem Hoch Ehrwürdigen unserm besonders lieben auch würdig/ Ehrenvest/ Hochgelahrten unserm lieben besondern Arnold von Bochholtz/ Thumprobst zu Hildesh. und Lüttig vice Domino zu Münster Archidiacono Hispaniæ, Herman Eiling und Ernst Mack dero Rechten respective Licentiaten und Doctoren Frl. Hildesh. Officialen und Cantzlern sampt und sonders.

Hæc tum omnia ad Jesuitarum votum fluebant, inprimis cum & Elector Coloniensis, qui simul Hildesiensem Diœcesin administrabat, suo suffragio omnia rata haberet. Verum dici non potest, quantopere se objecerint moniales, quæ omnia se passuras obnunciabant, priusquam cederent. Diu multumque cum monialibus actum, ut sua sponte emigrarent, sed omnia vana fuerunt, & irrita. Hinc cum Præpositus mulieres incitare crederetur, & ipse quantocyus abire jussus est. Sed absente illo eadem virginum mansit constantia, conquerentium nullo se facinore meruisse, ut tam ignominiose pellerentur. Demum ad extrema perventum est. Regimen enim Hildesiense, cum obfirmatos monialium animos nullis vel minis vel precibus flecti posse animadverteret, vim adhibendam suasit. Nec mora Præfectus Widelagensis Virgines sellis impositas d. 17. Sept. ann. 1631. extra monasterii septa exportari. Vbi exceptæ a Jesuitis & currui honestiori impositæ Goslariam in cœnobium Franckenbergense avectæ sunt, præbitoque sufficienti viatico in monasterium illud ex quo venerant, dimissæ. Totius rei gestæ circumstantias, quas hic conjungere placuit, planas admodum ac manifestas reddunt ipsa monumenta, quæ uno fasciculo conjuncta pro suo in me insigni favore mecum communicavit Dnus Henricus Wernerus *Berkelmannus*, Canonicus ecclesiæ SS. Simonis & Judæ dignissimus, qui meum opus magno favore ac studio prosecutus est, ut ei haut parum me debere jure meritoque sit fatendum.

Eodem impetu a Franciscanis cœnobium Fratrum, a Cisterciensibus monasterium Novi Op. repetitum est. In vicinia quamvis aliquandiu resisterent Duces Brunsvicenses, prohibere tamen non potuerunt, quo minus paulo post cetera quoque monasteria, eliminatis evangelicis, monachis redderentur. Quæ misera religionis evangelicæ Goslariæque nostræ facies tum fuerit, facile conjicias. Jesuitæ armorum Cæsareanorum fortuna ferocientes, homines minis ac blanditiis ad sacra invitabant. Ecclesiæ ministris vix licebat amplius errores pontificios notare, cum tamen inter tot Jesuitarum clamores id perquam videretur necessarium. Cum enim Andreas Theodorici, Diaconus S. Stephani in pomeridiana quadam concione superstitiosam Pontificiorum hagiolatriam refutasset, ac hanc in rem locum quendam ex Epiphanio allegasset, e suggestu redux a Jesuita in hæc verba increpatur: Herr was habt ihr da geprediget? Wo stehet das? Das solt ihr beweisen/ idque tanto impetu, ut Theodorici, terrore ac metu perculsus, in morbum inciderit, diemque paulo post obierit supremum. At præcipue id dolorem piis incussit, quod plebs novarum rerum curiosa ad sacra Jesuitarum frequentius confluueret, præcipue si quando festos dies majore pompa ac apparatu celebrarent, quæ spectacula tantopere placuerunt imprudentibus, ut templa nostratium plerumque vacua relinquerentur. His ita constitutis solum adhuc supererat monasterium Frankenbergense, quod Virgines B. Mariæ Magdalenæ Hildesienses sibi vindicabant, multisque precibus, ut id sibi restitueretur, Cæsarem Tilliumque sollicitabant. At gravius obstitere Duces Brunsvicenses, qui dudum ante Transactionem Passavienſem hoc monasterium sibi jure belli obtigisse ferebant, idque monialibus Hildesiensibus unquam paruisse negabant. Tillius missis

missis ad senatum literis, quid ageretur exponit, monet ut monasterium quantocyus restitueret, novamque coloniam e monasterio Hildesiensi adducendam admitteret, ne armis imperata facere cogeretur. Responsum est a nostris pericula metuentibus: *nondum sibi constare, an monialibus istis Hildesiensibus unquam in hoc monasterium quicquam juris fuerit, nec se fando quicquam ea de re accepisse. Sibi jus tutela ac advocatia jam inde ab antiquissimis temporibus competere, quod tamen eum jam Duces Brunsvicenses titulo acquisitionis & pacti exerceant; nec sibi licere coloniam hanc admittere; verendum alias esse, ne Duces Brunsvicenses id egre sint laturi. Si tamen edicto Cæsareo id facere compellerentur, cedendum temporibus fore, nec recusaturos se moniales in urbem recipere, si jura civitatis suæ hac re non peterentur.* Vix literas acceperat Tillius, cum statim rem ad Cæsarem deferret, Senatumque Goslariensem edicto Cæsareo ad restitutionem compelli peteret:

Aller Durchlauchtigster Großmächtigster unüberwündlichster Römischer Käyser / Allergnedigster Herr.

EW. Römische Käyserlichen Mayst: mag ich hiemit Allerunterthenigst ohn angelangt nicht seyn lassen / waß Domina undt Conventus des Klosters Beatæ Mariæ Magdalenæ In Hildesheimb umb restitution und Wiedereinandtwortung eines Ehrengemeldten diesem Orden der Reuerin oder Bußerin / In der Stadt Goßlar / zustendigen Klosters / und Gotteshauses Franckenbergs genandt / demütig suchen und bitten thuen. Gestalten aus deroselben An Eure Römische Käyserliche Majest. zue solchem Endt selbst mit überkommenden demüthigsten Bittschrifft mit mehrerm zu ersehen ist.

Wenn denn Eure Römische Käyserliche Majestät vorhin des entschlossenen allergnedigsten Käyserlichen Gemuetts / und willens sind / Sambtliche Klöster und Gottes-häuser den jenigen Ordinibus, welchen dieselbige zustendig / und Ihnen voer Jahren endtzogen worden / resticuiren zu lassen.

Als ist dahero um so viel weniger zu zweiffeln / dieselbe als der höchste Schutz und Schirmb Herre / über die Geistliche Stiffter und Orden nicht minders gemeindt und begierig seyn werden / dießfals sich gleichergestalt in Käyserlichen Milden Gnaden gegen diesen Ordini pœnitentium erfinden zue lassen / und vermittelst deroselben behülfflichen / und Ernstmeinenden Käyserlichen Rescripten und Mandaten / an Burgemeister und Raht der Stadt Goßlar / als die sich bey diesem Kloster / nicht weiters / denn des blossen Schutzes anmassen / und vermöge derselben copialiter hiebey gelegten / und zue Ende notirten Schreibens / sich zuer restitution sich selbst willig erbieten / So dann auch an den Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten und Herrn / Herrn Friederich Ulrichen / Hertzogen zu Braunschweig und Lüneburg ꝛc. zu ertheilen und zue insinuiren / derogestalt daß nicht allein supplicirenden armen Geistlichen Jungfrauen / gemeltes Closter oder Gottes Haus Franckenberg / an sich selbsten / besondern auch dabeneben / und samt denen / dazu gestiffteten / und gewittmeten Reditibus, und Gefällen / so voer Jharen / durch Fürstliches Haues Braunschweig / und benandtlich voer höchstgedachter Seiner Fürstlichen Gnaden Aldt Vattern / Hertzogen Heinrichen dem Jungern / zue Braunschweig / Hochlöblichen Gedächtniß / de facto entzogen worden / zuemhalen sonsten und ohne Wiedererlangung der Renten und Einkombsten der armen Jungfrauen wenig geholffen wäre / wiederumben folliglich resticuiret und Eingeraumbt werden mögen.

Hierän erweisen Eure Romische Käyserliche Majest. ein löblich und GOtt dem Allmechtigen wholgefelliges Werck / so die geistliche Jungfrauen / um Eure Käyserliche Maj. laugwürige gefristete und Ghlückvertige Käyserliche Regierung / mit Ihrem andechtigen und Embsigen Gebett / demühtigst zu erwiedern unvergessen seyn werden / und Eure Romische Kayserl. Majestät thue ich hierauf zu milden Käyserl. Hulden und Gnaden mich in allen unterthänigsten Gehorsam wholl befehlen / Datum Staaden am 10. Februarii Anno 1629.

Eure Romische Käyserl. Mayst.

Aller unterthänigst gehorsambster Diener

L. S.

Johann Grave von Tylli.

A. C. Statim sequitur edictum Cæsareum, Tillius executionem urget, Duces protestantur, ac jura hæc sua sibi servari petunt. Quibus quidem conditionibus hic annus transactus est.

1631. Interea Tillius eodem victoriarum cursu omnem inferiorem Saxoniam sub Cæsaris redegerat potestatem, ipsumque Magdeburgum in conspectu fere regis Sueciæ, qui protestantes adjutum venerat, incredibili sævitiæ genere funditus deleverat; Quo factum est, ut ceteri meticulosiores redditi facilius edicto Cæsareo parerent. Nec diutius Duces Brunsvicenses prohibere potuerunt, quo minus monasterium Frankenbergense in monialium Hildesiensium veniret potestatem. Qua de re satis clare testatur hoc Francisci Wilhelmi Episcopi Osnabrugensis diploma, quo coloniam Sororum pœnitentiæ in monasterium immisit:

Ac occupatur. *Ex facisc. actor. Frankenb.*

ON Gottes Gnaden Wier Frantz Wilhelmb / Bischeff zue Oßnabrug / Verden und Minden / ThumbProbst zue Regenspurg / Grave zu Wartenberg / und Heer zue Waldt ꝛc. Dero Romischen Käyserlichen Mayest. unsers Allergnädigsten Herrn / zue dem Ober- und Niedersachsischen Craiß zue exequirung deß über etzliche erledigte Reichs gravamina publicirten Käyserlichen Edicten / verordenter Commissarius / Fügen hiemit menniglichen zue wissen / Nachdem Wier in Krafft Hochermeldten Käyserlichen Edicts / das Closter Franckenberg / in der Stadt Goßlar / von den Unqualificirten und widerrechtlichen Detentatorn abgefodert / und aus den Handen gebracht / Daß wier demnechst im Nhamen Allerhöchst gemeldter Jhro Käyserlichen Majestät gedachtes Closter sambt allen angehörigen Gütern / dem Orden Sanct Mariæ Magdalenæ de pœnitentia durch unsern subdelegirten Lieben besondern Hermannen Eilinck / der Rechten Licentiaten / Hildesheimbschen Rhatt und Officialen / eingeraumbt / und mit Consens des Ordinarii aus dem Closter Sanctæ Mariæ Magdalenæ binnen Hildesheimb / fünff Conventual-Jungfrauen / undt Sororem Laicam, nacher gedachten Kloster Franckenberg / um dero Ordens-Regulen daselbst der fundation gemäß andächtiglich wieder anzuerichten / fhüren lassen / worunder dann die Würdig und Andachtig Jungfrau Cunegunden von Mandelsloh / zuer Dominæ und Priorinnen daselbst verordnet / und derselben Administrationem Spiritualium & temporalium gnedigst committiret und aufgetragen / derestadt / daß ablauts mit allem Eiffer und Devotion Ihres Ordens Regull mit singen / beten und andern guten Wercken daselbst einführen / die Clausur vestiglich observiren / und sich darin nach des Ordinarii Ordenungen und Visitationibus sambt übrigen Conventual-Jungfrauen richten / und sonstet des Klosters Güetter mit getreuen Fleiß beachten / und vermöge deß Ordens Statuten davon disponiren solle. Befhelen demnegst Allen und Jeden / Im Namen Ihro Käyserlichen Majest. von uns in Freundschafft / Gnaden / und gebhürendt begehrend / So wholl obermeldter Dominæ und Convent, so whol itz als künfftigen in administratione ejusdem & regimine Spirituali & temporali vielermeldten Klosters Güetter und Gerechtigkeiten / keinß weges behinderlich zue seyn / sondern dabey Jhnen alle gedeyliche Befürderung zu bezeigen / allermassen auch deroselben Angehörige / Undersessen / Meyer und Zinßschuldige zu gebürlichen respective Gehorsamb / Leistung ihrer Schuldigkeit / und Abstattung der Zinsen hiemit anweisen / Uhrkundtlich unsers aufgedruckten Insiegels / und beigesetzten Hand-Zeichen ꝛc. Geben auf unsern Oßnabruckschen Residens-Haus / Jburg / Am 8ten Julii Anno 1631.

Frantz Wilhelmb.

L. S.

Christian Prafe.

Gustavus Adolph. Rex Sv. ubique victor. *Pufend. l. 3. hist. Suec p. 68. seq.*

Sic igitur omnia monasteria, quæ in civitatis nostræ mœnibus florebant, pontificiis cesserunt. At alia cœpit esse rerum facies cum paulo post Gustavus Adolphus Rex Suecorum, icto cum Electore Saxoniæ fœdere Tillium Saxoniæ imminentem aggrederetur, Lipsiæque eum d. VII. Septembris uno ictu tot victoriarum fructu gloriaq; privaret. Tillius enim veluti de victoria certus dispositis in aciem cohortibus Breitenfeldæ haut procul a Lipsia Suecos & Saxones expectabat. Hi vero tam alacri animo cum hoste concurrebant, ut e Cæsarianorum exercitu septem mille & Sexingenti occumberent, octies mille capti in Suecorum castris stipendia me-

A. C. mererl mallent. Vidisses tum ægræ animam propemodum agentis Germaniæ pro aris & focis suis conatus, triumphante tandem post ancipitem conflictum bona causa, viribusque Ligistarum non tam attritis, quam penitus prostratis inter Victores post hæc ita convenit, ut Rex Franconiam ac Germaniam superiorem, Elector Silesiam sibi sumerent devincendas. Nec multo post continuatis trophæis Rex Mersburgum, Halam, Erfurtum, Mansfeldam, Kœnigshofium, Wurzburgum, Hanoviam, Sachsenhusen, Norinbergam & maximam Archiepiscopatus Moguntini & Palatinatus ab Hispanis occupati partem sub suam redegit potestatem, Aco Tollius Rostochium & Wismariam occupavit, Bannerus per Magdeburgensem agrum victricia arma circumtulit Virmontiumque cecidit. Salvius Archiepiscopum Bremensem, Georgium Ducem Luneburgensem, Fridericum Vlricem Ducem Brunsvicensem omnemq; inferiorem Saxoniam in fœderis societatem pertraxit. Elector denique Saxoniæ liberata a Cæsarianis utraq; Lusatia in Bohemiam arma convertit, ipsamq; Pragam sub tuam redegit potestatem.

1632. Suecorũ per inferiorem Saxoniã victoriæ. *Puffend. l. 4. p. 84. sqq.*

Inter hæc Wallensteinio, qui nuper ad privatam vitam redierat, belli summa a Cæsare denuo delata fuerat, licet vix multis precibus eo se pateretur adduci. Hic per hyemem reficiendis copiis dederat operam, omniaq; in futurum bellum præparaverat, cum Gustavus novis subinde victoriis auctus ad Mosellam trophæa constitueret. Hæc dum ibi gerebantur, nec in Saxonia inferiore suo muneri deerant Lars Kaggius, Bannerus & Wilhelmus Dux Saxo-Vinariensis, qui omnia victricibus armis ad Regis obsequium cogebant. Inprimis Bannerus & Kaggius, locis circa Magdeburgum omnibus præsidio firmatis, Comitem Mansfeldensem, cujus custodiæ cineres Magdeburgicæ a Cæsarianis demandati fuerant, veluti e longinquo obsidebant novumque excogitaverant victoriæ genus: Nolle pugnare. Ad solvendam hanc obsidionem cum delecta manu per Visurgim advolabat Pappenheimius, qui licet Magdeburgum absque ullo impedimento perveniret, veritus tamen, ne a Bannerio circumiretur, incensis pontibus, tormentisque partim avectis, partim in Albim projectis Civitatem Magdeburgensem, aut simulacrum potius civitatis reliquit, ac Guelpherbytum cum exercitu rediit, Duci Luneburgensi extrema minatus. Protinus igitur copias jungunt Wilhelmus Dux Saxoniæ & Bannerus, pulsoque in Westphaliam Pappenheimio, oppida Cæsarianis adhuc præsidiis munita expugnant. Cohorte enim Cæsariana Hamelæ intercepta Goslariam quoque accedunt, urbemque Cæsarearum partium studiosissimam die XXIII. Januarii capiunt, Northeimium subjugant, Gœttinga cruento insultu potiuntur, Duderstadium denique in deditionem accipiunt. Eadem felicitate Wilhelmus Hassiæ Landgravius Westphaliam, diriomemque Grubenhagensem ad obsequium flectebat, ut adeo inferior hæc Saxonia unico isto Lipsiensi prælio a Pontificiorum jugo se videret liberatam.

Goslaria a Suecis occupatur. *Puff. l. c. Annal. Gosl. MSC.*

Cum Goslaria nostra paulo durius actum est, quod hæc Civitas communem protestantium causam deseruisse ac in Cæsarianorũ partes esse proclivior diceretur. Vnde & appropinquantibus Suecis potiores e Senatu fuga sibi consuluerant; In ceteros male consultum est. Vix urbem ingressi fuerant Svecorum copiæ, cum Wilhelmus Saxo & Bannerus Civibus tot calamitatibus adhuc exhaustis sexaginta Imperialium millia imperarent. Quibus persolutis discessum est, relicto copioso præsidio, cui Murzlaffius præfectus est, rebusque civilibus curæ Ludovici Principis Anhaltini, Regis per Magdeburgensem & Halberstadensem Diœceses Vicario. (Der Königlichten Majest. zu Schweden Stadhalter in den Magdeburg. und Halberstädischen Landen) demandatis. Quam misera tum fuerit reipublicæ facies, quæ civium trepidatio, facilius est cogitatione, quam verbis assequi. Nec quicquam spei nisi in clementia Regis videbatur, reliquum, quam cives crebris suis literis suplicibus expugnare studebant. Elegans præcipue ac auctore dignum est carmen, quod in hac patriæ calamitate Nendorfii ingenium enixum est, publico nomine, ad Regem perscriptum, quod integrum subjicere, ac ab interitu vindicare lubet:

Goslaria a Suecis pressa. *Fascic. Ep. Eccl. SS. Sim. & J. Annales Gosl. MSC.*

Serenissimo Principi, ac Domino

DN. GVSTAVO ADOLPHO

Svecorum, Gothorum, & Vandalorum Regi potentissimo, Magno Duci Finlandiæ, Duci Estheniæ, ac Careliæ, Domino Ingermanlandiæ &c. Vindici libertatis Germanorum & Religionis Evangelicæ strenuissimo felicissimo &c. Domino suo clementissimo.

* * *

Exc. Gosl. 1632. in forma reg. maj.

ARctoæ cynosuræ plagæ, Rex maxime, navis
Indice quo portum, quo duce nostra tenet:
Qui justo accensus Zelo domitoribus arctos
Christi colũm frenos injicis, ora premis:
Quas tibi solvemus grates? Mens linguaque gestit,

Deficit at factis utraque vicina ruis.
Te Viadrus supet, atque Albis, te Svevus, & Ister,
Accolæ Rheni tollit utrinque pater.
Sarmata te recolit metuens, formidat Iberus,
Pannoniihorrescunt, Ausoniique Duces.
Quin Scyta miratur, populis confisus, & armis,
Et Persa, & propior Moschus, & asper Arabs.
Ast major surgit tibi fama, quod asseris aras,
Et dias pura relligionis opes:
Quod Papæ, auspiciis Christi aspirantis, alumnos
Dejicis, & Verilongius arce fugas.
O quantus fueris, quantumvis maximus, in nos
Si martem jubeas mitius ire ferum.
Quo cum sacratis opibus serventur & illa,
Queis sine non duci libera vita potest.
Te terrena super longe Deus extulit, esse
Cœlestis miseros commiserando velis.
Flebile Goslariæ fatum! si nulla favoris
Cives semianimes recreet aura tui.
Lætum Goslariæ fatum! si blanda favoris
Cives semineces mulceat aura tui.
Nos sumus exhausti, vix sanguis vitaque restant;
Sunt exucca nimis membra, nec ossa vigent.
Redde PATER PATRIÆ, vires & suffice vitam,
Vel saltem miseris parce levaque malum.
Non summus insontes, fateor, neque nulla meremur
Verbera, nec plagas pertolerare novum est.
Non tamen a Sancto Vero descivimus unquam;
Integer est nobis Relligionis honos.
Id specta, id lustra, SOL ô Arctoe, nec obstent,
Si qua tibi offudit nubila Livor edax.
Sic, quod nunc tractas pulchro conamine bellum,
Successu Dominus prosperet usque bono:
Euphrates quò sicens aquis Babylonia linquat
Mœnia, militibus diripienda tuis.

S. R. Majest. tuæ
Subject.*mus*

M. Joan. Nendorff. Verdensis Scholæ Goslariensium in annum usq; XXXII. Rector.

Bannero igitur & Wilhelmo Saxone e Civitate profectis Ludovicus Anhaltinus cives in Regis verba adegit, concepta formula, quæ hodienum apud me habetur. Hinc constituto Commissario Daniele Mullero, moniales Novi Operis & Frankenbergenses cum monachis Franciscanis urbe expulit, Jesuitas vero, qui præstantiores ecclesiæ SS. Simonis & Judæ divitias alio transtulisse ferebantur, custodiæ mancipavit, donec ablata omnia restituissent. Frankenbergense cœnobium Friderico Ulrico, Duci Brunsvicensi redditur, cœnobium Fratrum minorum, egenis, qui interea, dum Franciscani hic vixerant, in domum quandam monetariam. (In die Truck-Münze auffm Keysers-Pleeck) secesserant, restitutum, ecclesia vero SS. Simonis & Judæ & Monasterium Novi Operis Commissario Anhaltino addicta, qui reditus omnes interoepit, Dominoque vindicavit. Supererant adhuc Canonici Evangelici, quos ante biennium Jesuitæ ecclesia privarant, ii licet statis horis sacra more solito perugere denuo cœpissent,

Deduct. Mudersp. MSC.

impetrare tamen haut potuerunt, ut a Svecis in integrum restituerentur. Quin potius tanta eorum erat in Goslarienses indignatio, ut eos opibus omnibus exuere velle viderentur. Ecclesia celeberrima captivis hostibus hospitium præbuit, ea quæ templi hujus religioni crediderant meticulosi cives & exteris abrepta, Canonicis, ereptis clavibus, reditibus interdictum, ea denique, quæ capti Jesuitæ Mutzlaffio & Commissario restituerant, omnia intercepta. Extat Canonicorum relatio, quid a Suecis passi sint, ex qua sequentia de ecclesiæ hujus antiquitatibus nos monitura excerpere placuit:

A. C.

Inzwischen haben die gefangenen Jesuiten bekennet / an was Orter sie etzliche Kirchen-Sachen heimlich verborgen und nachdem die selb hinwieder in præsentia Herr Obersten Mitzlaffs und Frl. Anhaltischen Commissarii zu Licht bracht / ist davon genommen.

1) Ein Novum Testamentum sehr schon uff Pergamein lateinisch geschrieben / die eine Seite des Buchs mit Golde beschlagen und vielen Steinen / so theils gut / theils aber falsch besetzet / solches Buch hat der Käyser Henricus Auceps der Kirchen (zu Hartzburg) geschencket / ist ein ziemliches würdig gewesen.
2) Das Einhorn / welches zum Stabe formiret / und auff zehen / ja mehr tausend Thaler wehrt für der Zeit geschetzet.
3) Des Käysers Kamm.
4) Des Käysers (Henrici Aucupis) Jagt-Hörnlein / auss m Elephanten Zan præpariret.
[*Vidit hoc eorum venatorium Leznerus, qui ejus diserte meminit in Opp. MSC. de monast.*]
5. Zwey sammeten Meßgewande und ein Chor-Rock sehr schön auf den Rücken und forne herum / insonderhet der Chor-Rock mit Perlen und Golde gestücket.

Über dieses sein die Stifftet häuser mit Einquartirung und contribution starck belegt gewesen / theil ausgeplündert worden / auch itzo in puncto contributionis ... da sie doch keine Bürgerliche Nahrung oder Gewerb / treiben unerträglich angeschlagen.

Denn 14 Septembr. hat der Commissarius Daniel Müller des Stiffts Goßlar grosses und kleines Siegel von des Pastoris Witwen zur Dienenburgck / welche daßelbe in Hause da die Jesuiten gewohnet / funden / empfangen. Er hat auch das statuten Buch etzliche privilegia und andere Sachen mehr mit nach Halberstadt geführt &c.

Cum igitur canonicis nihil spei videretur reliquum, opem implorarunt Friderici Vlrici Ducis Brunsvicensis, qui dudum ecclesiam in tutelam receperat. Hinc prolixa oratione, quantum ducum interesit, ut huic ecclesiæ periclitanti subvenirent, Principi exponunt, esse nimirum hanc ecclesiam a quibusdam Ducum majoribus egregie dotatam, multisq; præclaris privilegiis auctam, Duces ecclesiæ Tu. 1633. Canon. eccles. SS. Sim. & Jud. calamitas.

" *Fascic. literar.*
" *eccl. SS*
" *Sim. &*
" *Jud.*

"Tutores esse, iisq; tertiæ præbendæ com-
"petere collationem, pleraque ecclesiæ bo-
"na in eorum territorio sita, nec dubitare
"se, Ducem; promissis staturum, pressisq;
"præstiturum tutelam, præcipue cum peri-
"culum sit, ne egregia hæc ecclesia peni-
"tus opprimatur, nisi maturius consilium
d. 12. "eam liberandi reperiatur. Quo cogni-
septemb "to, Dux Fridericus, qui tum in castris pro-
"pe Hildesiam, Pappenheimium imminen-
"tem sustinebat, literis amice perscriptis
"Principem Anhaltinum monet, non sine
"admiratione se audivisse, ministros An-
"haltinos non modo omnes ecclesiæ hujus
"facultates sibi vindicare, verum etiam,
"constituto quæstore, proventus canoni-
"corum intercipere, cum interea ecclesia
"ubiq; lacera ruinam propemodũ minetur:
"jam vero sua interesse, ne tam nobilis ecle-
"sia, cujus Tutor sit, ac in qua sibi tertiæ præ-
"bendæ collatio competat, pessum eat, nec
"ferre se posse, ut bona in ditione sua sita
"ab aliis extorqueantur, denique nullam
"subesse rationem, cur Canonici nostræ re-
"ligionis socii a Suecis tam male mulcten-
"tur, rogare se igitur amice, ne quid ejus-
"modi inposterum a ministris suis Goslari-
"ensibus porro committi pateretur, se da-
"turum operam, ut Suecis alio nomine sa-
tis fieret. Interea Danieli Mullero Com-
missario Anhaltino successerat Johannes
Hardesianus, vir acrioris ingenii, qui cum
Henricum Burchtorffium & Christianum
Kochium non posse eo adduci videret,
ut administrationem ecclesiæ SS. Simonis
& Judæ & monasterii Novi Operis Prin-
cipis Anhaltini nomine se suscepisse fate-
rentur, facile obtinuit a Principe edictum,
quo Burchtorfius & Kochius aut in Sue-
corum verba jurare, aut administratio-
nem traditis archivis & indicibus depone-
re jubebantur. Cum igitur novis subinde
calamitatibus premerentur Canonici, d. 17.
Principis opem iterum implorant, seque Septembr.
nihil tale meritos, tam duriter haberi con-
queruntur nec minus Axelium Oxenstir-
nium Cancellarium Suecicum aggressi de-
mum expugnant, ut de restituendis in in- d. 29.
tegrum Canonicis consentiret. Nec ta- Sept.
men ad mitiora ideo conversus Hardesi-
anus suo more agere atq; ecclesiæ bona
suo arbitrio intercipere non dubitavit. Sed
& Ludovicus Anhaltinus datis ad Frideri- d. 2.
cum Vlricum ducem Brunsvicensem lite- Octobr.
ris, multis se de interceptis ecclesiæ bo-
nis excusat, Regem Sueciæ, qui superio- "
re anno in prælio Luzenensi victor occu- "
burat ante biennium urbe potitum jure "
belli de ecclesiis & monasteriis Goslarien- "
sibus disponere potuisse, sibi commissum "
fuisse a B. Rege bona hæc ecclesiastica ita "
administrare, ne quid detrimenti pateren- "
tur. Nondum sibi constare, quid Duci- "
bus in ecclesiam juris sit; nec unquam sibi "
venisse in mentem, aut Duces, aut ecle- "
siam jure suo spoliare, daturum potius se "
operam, ut omnes proventus in ecclesiæ "
commodum impendantur. Regem Sue- "
corum jure quodam suo in constituendis "
prævinciis usum esse; nec sibi licere ejus "
jussa refigere, si se læsum Dux crederet; "
non se prohibere, quo minus ex æquo "
bonoque transigeretur. Tantum vero ab- "
est, ut mitius ex hoc tempore cum Cano- "
nicis actum sit, ut Johannes Hardesianus M. Sim.
omnia ad se raperet, nec a Clericis qui- Strub. a
dem abstinens, e quorum numero M. Simo- Svecis in
nem Strubium, edictum quoddam e sug- custodia
gestu promulgare recusantem, nocte con- rapitur.
cubia in captivitatem rapuit. Accurate *Fascic.*
hoc referunt ipsi Canonici SS. Simonis & *citat.*
Judæ in literis sequente die ad regimen d. 5. Oct.
Ducale perscriptis, a quibus hæc excer- d. 6. Oct.
pere juvat:

WIrd eb wir zwar der zuversichtlichen Hoffnung gewesen/ der hiesige Fürstl. Commmissarius Johannes Hardesianus numehr unser Stiffts halber andere ordonantz und Befehlige würde überkommen/ und uns aufs wenigste inmittelst mit aller frommen Vereindrechtigung/ immassen ihme aus vor hochgedacht Unsers Gnd. Fürsten und Herrn Schreiben an Ihr Frl. Gnaden von Anhalt kundt gemacht/ verschenet/ und Ihr Fürstl. Gnaden gnediges Ersuchen in bessern respect genommen haben/ so ist solches nicht allein ausser acht gelassen/ sondern es ist noch darüber gedachter Commissarius zugefahren/ und sich unterstanden/ gantz ohngewöhnlicher Weise von allen Cantzeln in der Statt laut beygefügter Copey Lit. (A) abkündigen/ und die Leute befehligen zu lassen/ daß sie die Stiffts-Gefälle seinen Gevollmächtigen Johann Meyern/ und keinen andern entrichten sollen/ und do sich der Pfarher S. Thomæ (so den Gottesdienst in dieser unser Stiffts Kirchen verrichtet) Herr Mag. Simon Straubius, wie auch die andern Prediger/ insgemein/ sich dessen verweichert/ und drüber erst special-Befehl ihnen vorzuzeigen begehret/ hat er vorgemelten Straubium bey nacht-schlaffender Zeit aus seinem gefreyten Pfarrhoffe mit etzlichen Soldaten gestriges Abends/ da er folgends Tags seine Predigten und Ampt in zweyen Kirchen versehen sollen/ gefänglich in die curtoquarda/ dem gantzen ministerio zu Spott und Hohn führen lassen/ wodurch Er in beyden Kirchen mit bey-

A. C. derſeits der Gemeine Ergerniß ſeines Ampts und Berufs nicht abwarten können &c.

d.2.Nov. Dimiſſo paulo poſt e cuſtodia Strubio, Fridericus Ulricus Dux Brunsvicenſis denuo Principem Anhaltinum literis humaniſſime ſcriptis monuit, ut demum preſſæ "eccleſiæ miſertus, Canonicos in inte- "grum reſtituere dignaretur, Anhaltini "munus a Rege beatiſſimo ſuſceptum non "ſe vocare in dubium, moderatius tamen "videri agendum cum eccleſia, quam "conſervari tantum ſua intereſſet. Gos- "lariam jure belli ad Regem Sueciæ devo- "lutam minus negari, an vero omnia "Suecis concedenda ſint in eccleſiam, "quæ nunquam arma adverſus Regem "ſumſerit, merito ambigi, ſperare igitur "ſe, Principem Anhaltinum tanquam "vicinum ac ſanguinis cognatione ſibi "junctum preces ſuas aliquo loco habi- rum. Sic itaque literis inter Ducem & Principem Anhaltinum certatum eſt, cum interea antiquum obtineret Hardeſianus, nec eccleſiæ moleſtiis ulla ex parte ſe ſentirent levatas.

1634. Nec inſequente quidem anno me- d.20.*Febr* lior civitatis eccleſiæque facies apparuit. Eccleſiæ Quamvis enim ineunte hoc anno Dux SS. Sim. Brunsvicenſis Canonicorum precibus per- & Judæ motus Principem Anhaltinum tamdiu li- calami- teris urgeret, donec miſſis utrimque le- tas. gatis de Canonicis reſtituendis ageretur: *Ex faſcic.* tranſactio tamen hæc irrita fuit, & Johan- *civit.* nes Meierus majore, quam unquam importunitate eccleſiæ proventus exigere cœpit, fortaſſe quod hunc fontem non diu manaturum crederet, (weil er vielleicht den Braten/ daß er nicht lange trieffen möchte gerochen/) quemadmodum Canonici in literis ſuis conqueruntur. Cum igitur d.9.Aug. nullis plane admonitonibus flecti ſe pateretur, Fridericus demum Ulricus, ut ex parte ſaltem Canonicis opem tuliſſe videretur, ne ex ſua ditione quicquam proventuum hujus eccleſiæ Meiero traderetur prohibuit, ſed omnia Canonicis dari juſſit, quicquid Hardeſianus aliique Miniſtri Anhaltini fremerent ac minarentur.

Civitatis facies. *Deduct. Mudersp. MSC.* Quam miſera præterea civitatis conditio in hac publica calamitate fuerit, facile vel inde conjicias, quod Senatus Cæſari faviſſe conſtantius diceretur. Cujus fidei cives pœnas dedere quàm maximas, cum non modo præſidio ſatis copioſo premerentur, ſed & præfectis parerent acerrimis Mutzlaffio, Burſtorfio, Turkio, Schmiedio, Schaffguckio, Hanſonio, a quibus pecunia quoties libitum eſt, emungebantur. Tormenta majora omnia ferme eripiebantur; Qui e Senatoribus erant reliqui (potiores enim fuga ſibi conſuluerant) nec hiſcere auſi ſunt, cum ſtatim a militibus in cuſtodiam raperentur. Paſtoribus vix, unde viverent ſuppetebat, juventus a parentibus neglecta otio torpebat, nec ſcholaſticæ diſciplinæ in hoc armorum ſtrepitu locus erat. Paucis me expediam, in tantam miſeriam Goslaria noſtra hac tempeſtate devenerat, ut non tam civitas, quam civitatis quoddam cadaver & ſimulacrum reipublicæ videretur.

In miſera hac rerum omnium perturbatione ad omnem poſteritatis memoriam laudanda mihi videtur Henrici BURCHTORFII, Canonici SS. Simonis & Judæ Senioris pietas in patriam incomparabilis, quippe qui legatione ad Svecos, Duces æq; ac alios Principes ſedecies cum ſummo vitæ periculo ſuſcepta, prudentia ſua ita flexit Victorum animos, ut non raro exactiones aut remitterentur, aut diminuerentur. Vidi integrum ejus Commentariorum faſciculum, in quem ipſe Burchtorpius legationum ſuarum acta (commiſſiones vocant) accurate admodum retulit, ex quo tantus in patriam elucet amor, tanta viri prudentia, ut major eſſe non potuiſſet.

Sed huic miſeriæ finem demum fecit d.6. *Sept.* prælium Nortlingenſe, quo commiſſo, Sueci Suecorum victoriis meta veluti quædam urbem poſita eſt, ſiquidem tunc viribus haut pa- relinrum detritis, plures civitates a ſe expu- quunt. gnatas, & in his Goslariam quoque, de- *Annalet* ſerere coacti ſunt. Cui & acceſſerat fœ- *Gosl. MSC.* dus, quod Elector Saxoniæ aliique pro- 1635. teſtantium Principes a Svecorum partibus deſciſcentes cum Cæſare pepigerant. Quo factum eſt, ut Sueci tot undique hoſtibus cincti præſidia, quæ, per civitates diſtribuerant, paulatim revocarent, exercitumque ſuum iis firmarent. Quæ felicitas & Goslariæ noſtræ d. XXIII. Octobris contigit, quo Tribunus Hanſonius præſidium Suecicum præpropere ex urbe eduxit, cum paulo ante civibus quinquaginta imperialium millia imperaſſet, a quibus tamen extorquendis celeritate abitus prohibebatur.

1641. Interea exercitus Cæſarianus per in- Pacifica- feriorem quoque Saxoniam arma circum- tio Goſ- ferre cœperat, Duci Brunſvicenſi Augu- larienſis. ſto imminens, cui Bokelhemum aliaque *Theatr.* oppida ademerat. Cum igitur Sueci ma- *Europ.* le plerumq; rem gererent, nec ſuſtinendis *Tom. IV.* Cæſarianorum fœderatorumque viribus *p.608. 610.* pares amplius viderentur, inferioris Saxo- *ir. p.651.* niæ proceres paulatim de pace cum Leo- *Pufend.* poldo Archiduce ineunda cogitare cœpe- *l.13. hiſt.* runt. Primus qui ad pacem videbatur *Suec. p.* proclivior fuit Auguſtus Dux Brunſvicen- *624. l.14.* ſis, qui a Leopoldo obtinuit, ut die XXII. *p.6.* Septembris Goslariæ de pace ageretur. Adfuerunt ſtato die Archiducis nomine Don. Hannibal Gonzaga, Comes de Tættenbach & Kaltſchmidius J. V. D. Hos ſecuti ſunt legati Brunſvicenſes & Luneburgenſes. Spem quoque de hac pacificatione

A. C. cátione Goslarienſi eo majorem omnes conceperant, quod & Haſſiæ Landgravius & Rex præcipue Danorum eam probare ſuosque legatos ad eam miſſuri dicerentur. At Sveci particulares ejuſmodi pacificationes in ſuam vergere perniciem conqueſti, acriter obſtiterunt, inprimis Torſtenſonius, qui legatis Luneburgenſibus multo verborum apparatu, ne ſe in pacis hujusmodi ſocietatem trahi paterentur diſſvaſit. Vt adeo mirum ſit, quod ii qui nuper ſchedulas quasdem de hiſtoria Goslarienſi edidere, Svecicorum quoque legatorum meminerint, & Goslariæ tunc pacem univerſalem tentatam, fundamentumque pacis Osnabrugenſis jactum eſſe, exiſtiment. Quod ſane e Theatro Europæo, Pufendorffio & aliis hujus hujus ævi ſcriptis aliter diſcere potuiſſent. Sed ut ad pacificationem hanc redeamus, irritus fuit hic conatus, eo, quod Torſtenſonius omnia moliretur, ne de pace convenirent. Præterea novum militum ſupplementum e Svecia adventans animum reddiderat Principibus ne oblatas a Cæſare conditiones paulo duriores ſtatim admitterent. Sic cum diutius inter legatos conſultatum eſſet, demum ſubinde re infecta diſceſſum eſt, cauſam interſerentibus proteſtantiũ legatis, quod ad omnes pertineat, ab omnib9 probari debere. Nihil ergo tuncferme actum, niſi quod de Epiſcopatu Hildeſienſi, cujus reſtitutionem Elector Colonienſis urgebat, inter partes certis legibus convenit, quas Comes Suyſenſis (Comite de Suys) & Kaltſchmidius Viennam detulerunt a Cæſare & Electore Colonienſi confirmandas.

1642. Mox tamen redintegratis pacis conſiliis legati Goslariam redierunt, ac demum ſequente anno die XVI. Januarii pacis formulam conceperunt, communi ſuffragio probatam, qua cavetur, Principes Cæſari obſequium præſtituros, a fœderibus omnibus exteris diſceſſuros, Cæſaris copiis, quandocunque liceret, de commeatu proſpecturos, milites ſuos in præſidiis ſolum collocaturos, nec eos adverſus Cæſarem ducturos, ceteros, quibus non opus eſſet, dimiſſuros, exercitum Cæſareanum nunquam ſe tranſitu ditionum ſuarum prohibituros, ſi damna bona fide reſarcirentur, Chriſtianum Ludovicum Ducem Brunſvicenſem Capitulo & Canonicis Hildeſienſibus minorem diœceſin, hoc &, præfecturas Peinenſem, Steurwaldenſem & Marieburgenſé una cum archivo redditurum, nec Duces Electori, nec hunc illis de interceptis in Hildeſienſi diœceſi proventibus litem intentaturos, Electorem Peinenſes a religionis Evangelicæ exercitio non prohibiturum, lites Ducum tempore dijudicatas pro ratis habendas, pendentes juris via decidendas, Chriſtianum Ludovicum Hildeſiam Electori Coloniæ cum tormentis & Archivo redditurum, quemvis depoſita ex urbe receptu-rum, Cæſarem in ea præſidium collaturum, Civitatem in libero Auguſtanæ religionis exercitio non turbandam, Cæſarem quoque ejus jura pro muneris ratione ſervaturum, Auguſto Duci Guelpherbytum redditurum, lites de majore diœceſi inter Electorem Coloniæ & Duces Brunſvicenſes adhuc agitatas, aut amice, aut jure civili terminandas, Cæſarem quoque civitates a ſe occupatas inprimis Eimbeccá Ducibus reſtituturum, captivos utrinque gratis libertatem, recepturos, ipſam denique pacem decimo poſt ratihabitionem die valituram. Hæ præcipuæ Goslarienſis pacificationis leges ſunt, quas prolixius in ipſa pacis formula ab Auctore Theatri Europæi recenſita relegere poteris. Legati, qui extremo conſultationis tempore hic adfuerunt, ita recenſentur.

Wilhelm Leopold Graff zu Tüttenbach.
Johannes Kaltſchmied von Eiſenberg
Heinrich Jordan.
Johann Chriſtoph von Köderitz.
Juſtus Ripius. D.
Heinrich Langebrecht. D.
Johann Schwartzkopff. D.
Heinrich Schröter. D.
Johann Götze.
Jacob Arnt Pape.

Approbata a legatis hac formula Viennam denuo properavit Kaltſchmidius Cæſarem, ut eam ratam haberet, rogaturus, juſſitque legatus, ad d. XVI. Februarii Goslariæ denuo adeſſe. Sed quo minus dicto die rediret, plurimis impeditus eſt negotiis, quæ hanc pacem tantum non penitus turbarunt. Elector enim Coloniæ, interpoſita proteſtatione eam improbaverat, Torſtenſonius modo minis, modo precib9 Duces ne conditiones admitterent, urgebat, Hildeſienſi quoque civitati pax iſta minus erat ad palatum, quæ quidvis potius ſe paſſuram aſſerebat, quam ut collocato in urbem Cæſariano milite præſidii jure ſpolietur. Hinc a ſociis civitatibus Lubecenſi & Bremenſi adjuta, ipſa de conſcribendo milite cogitabat. Denique die III. Martii e Cæſaris aula adfuit fœderis confirmatio, quæ Brunsvici publicata tantum in vicinia gaudium excitavit, ut ubique hymno iſto Ambroſiano Summo numini grates perſolverentur.

Demum hoc anno ferale iſtud bellum, quod Germaniam triginta annos afflixerat ſopitum, ac pax optima rerum laboranti patriæ reddita eſt. Cum enim utramque partem armorum quædam ſatietas cepiſſet, ac Suecis denuo omnia ad votum fluere viderentur, inita demum eſt pax illa Osnabruga-Monaſterienſis, qua Germa-

Germaniæ libertas, religioni securitas, afflictis denique singulis pristinum decus ac fortuna reddita est ac feliciter asserta.

Hoc igitur læto belli tricennalis exitu tanquam, eventu maxime celebri, auctarium hoc vel ominis causa, obsigno. Recentiora enim, uti nota satis sunt, ita eorum enarratio aleæ plena videtur. Pauca sane dicere inglorium, falsa referre turpissimum, vera autem enarrare, periculosissimum esset futurum, satius igitur puto calamum hic deponere, & posteritati hoc relinquere spicilegium, quæ ut a nostris temporibus erit remotior, ita ab invidia & obtrectatione minus sibi fortasse metuet. In calce constitutus supremum Numen indefessis obtestor precibus, ut rem publicam nostram & antiquitate & rerum gestarum gloria florentissimam contra quosvis tristes labentis seculi casus temporumque injurias firmet, Ecclesiam a Satanæi insidiis defendat, senatum servet, cives beet, totamque civitatem sub æquo & justo AVGVSTI imperio ad immortalem posteritatis gloriam conservet, ac perpetua & inconcussa felicitate perfrui patiatur, quo nihil aliquando de Goslaria in posterorum annalibus, nisi felix, faustum, pium, ac honestum appareat, donec illuxerit ille decretorius orbi dies, qui universum hoc haurient avum, tempusque & tempora computandi studium abolebit.

S. D. G.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

memorabilium.

Nota. *Litera D numeris adjecta Dissertationem de Crodone respicit.*

A.

ABavus *quid denotet in antiquis diplomatibus.* 34
Abbates Fuldenses *Cancellarii Imperatricis Romanæ.* 71
Absdorff (*Matthæus*) *Rector Scholæ Gosl.* 484
Adalbero *Wurzburgensis Ep. interest Conciliabulo Quedlinburgensi.* 98
consentit in depositionem Hildebrandi. 92
Adalbertus *Cancell. Henrici IV. fit Archiep. Moguntinens.* 105
Adalbertus *Wormat. Ep. interest conciliabulo Quedlinburgensi.* 98
Adelbaldus *Ep. Trajectens. interest conventui Goslariensi.* 31
Adelbero *Ep. Metensis Comes Luzelburgens.* 98
Adelbertus *Archiep. Bremens suadet Imperatori ædificationem collegiorum Goslariensium.* 11
an quandam in ecclesias Goslarienses jurisdictionem habuerit? 38
Goslariæ præsens est cum Henr. III. Imp. 47
interest synodo Moguntinæ 48
ejus habendi aviditas 77
cum Saxones curia expellunt *ib.*
Magnum Saxoniæ Ducem hostem invenit. 78
Lochtunæ prope Goslariam moratur. *ibid.*
Goslariæ obit. 85
Adelbertus Marchio *ecclesiæ SS. Sim. & Judæ benefacit.* 153
Goslariensis ecclesiæ advocatus fuit 154
in Richenbergenses liberalis. 157
ejus diploma 153
Adelgotus *Archiep. Magdeb. ab Imp. Goslariam citatur.* 113
accedit quidem, sed mox aufugit. *ibid.*
absens proscribitur. 114
Adelheidis *Abbatissa Novi Op.* 315
Adelheidis *Abbatissa Gandersheimensis Goslariæ præsens* 68
Adelhogus *Præpos. Gosl. SS. Simonis & Judæ ut & Montis S. Petri.* 45.157
egregium diploma obtinet ecclesiæ suæ. 83
ejus familia 156
ejus educatio *ibid.*
Episcopus Hildesiens. creatur. 170
obtinet ab Imperatore eccles. Jerslebiensem 164
ejus nonnulla acta 166
jus patronatus Capellæ S. Cæciliæ confirmat Woldenbergensibus 170
ejus litera Richenbergensibus concessæ. 172
alia ejus diplomata. 166.170.172.176 180
ejus obitus. 190
Adjutorii signum *in sylva Weiphonis* 114
ex eo sibi idolum fingit vulgus *ibid.*
destruitur à Wernero Ep. Merseburgens. *ibid.*
Adolphus Colonien. Archiep *ab Ottone ad Philippum transit.*
Adolphus Nassovius. Cæsar *renunciatur.* 311
ei Landgravius Thur. Albertus provincias vendit. *ibid.*
in Thuringos & Misnenses sævit. 314

A.

Ecclesia SS. Sim. & Jud. privilegia, confirmat ib. ut & ecclesiæ Montis S. Petri. 315
omnibus invisus repudiatur a plurimis, imperio vitaq; privatur. 318
ejus obitus & epitaphium *ibid.*
ejus diplomata nonnulla 314. 315
Adrianus *PP. Fridericum Romæ coronat* 152
ecclesiæ SS. Simonis & Judæ privilegia diplomate suo instaurat *ibid.*
Advocatia Goslariensis *qualis?* 220
Advocati ecclesiæ SS. Sim. & Judæ *qui fuerint?* 154. 187
an hæreditarii ejusdem ecclesiæ advocati fuerint Steinbergii? 155
eorum avaritia coërcetur. 187
Advocati Goslarienses.
eorum catalogus 220
eorum tribunal in palatio Cæsareo 221
eorum sensim collapsa potentia 338
ultimus Goslar. advocatus 380
Advocatorum *ab injuriis se liberat Richenbergensis ecclesia* 342
S. Ægidii *capella Goslar.* 305
Æruscatorum *Goslariensium nequitia,* 557
tumultus inde Goslariæ excitatus. *ibid.*
Agnes *imperatrix fundat ecclesiam Montis Sancti Petri.* 44
ejus, uterum gestantis, somnium 55
cum Henrico IV Filio, Saxoniam peragrat. 67
Vidua cum filio regnat. *ibid.*
Goslariæ commoratur. *ibid.*
ejus cum Filio itinera *ibid.*
ei subtrahitur filius 70
calumniis proscinditur *ibid.*
Romam se recipit ad vitam monasticam. *ib.*
Agnes Henrici Palatini vidua *fundat monasterium Ilsenhagense.* 260
Albanus Ep. *Apostolicus legatus Moguntiæ præsens.* 108
Albertus Ursus *bellum gerit contra Henricum superbum.* 143
Albertus Bolem *benefactor Ecclesiæ Francomontanæ.* 111
ejus familia equestris *ibid.*
ejus antiquissimum epitaphium *ib.*
Albertus Archiep. Moguntinus *Imp. infensus custodiæ mancipatur* 113
jubet Pontificem & Cardinales autoritate Imperatoris in custodiam ire 112
Goslariæ præsens 139
Albertus Archiep. *Magdeb. compescitur ab Ottone IV. Imp.* 212
Albertus Dux Brunsvicensis *latrocinia in hac vicinia impedit.* 275
Inducia inter eum & Johann. Ep. Hild. 277
Albertus Dux Brunsvicens. & Luneb. *obit.* 330
Albertus Ep. Halberst. *litigat cum Abbatissa Quedlinburgensi* 322
Albertus Dux Saxoniæ *donat monasterio Novi Op. advocatiam super 21 mansos* 309

Albertus Landgravius *Thur. Adolfo Imp. provincias vendit.* 311
Albertus *Princeps Anhaltinus Ep. Halberstadens. creatur.* 336
cum comitibus Hercynicis collisus 343
cum Reinstenensibus & Mansfeldensibus Comitibus bellum gerit. 346
Albertus *Dux Saxoniæ arbiter constituitur in negotio pacis Hildes.* 421
Albertus Austriacus *eligitur Imp.* 318
coronatus Aquisgrani *ibid.*
privilegia ecclia SS. Sim. & Judæ rata habet. ib.
tres electores ecclesiasticos bello domat. 322
Thuringiam vexat 325
ejus cædes *ib.*
Albertus II. *Cæsar electus* 392
ejus Obitus *ibid.*
Albertus Com. de Sladem *cum fratre ratam habet donationem patris* 331
Alexander PP. *binos Antipapas ferre cogitur.* 169
turbæ hinc exortæ in Italia. *ib.*
Alexander PP. *Ecclesiam SS. Sim. & Jud. privilegio auget* 276
Alexander de Walmoden *instaurat ecclesiam B. Mariæ Magdal.* 288
Alfelda *occupatur* 356
Alphonsus Rex *in Germaniã venire recusat.* 277
Alstede *civitas Palatina* 23
Altmannus *Passavienſis Ep. interest Conciliabulo Quedlinb.* 98
Altare *trium Magorum in templo forensi.* 391
Altaristarum Goslariensium *ante Reformationem catalogus* 462
D. Amandus, (*Jo.*) *primus hujus civitatis Superintendens* 448
ejus vita *ibid.*
è Pomerania discedit. *ibid.*
ejus genius *ibid.*
Scholam publicam aperiri curat 449
in magistratum invehitur 454
ceremonias mutat *ibid.*
Zvinglii hypothesibus favet *ib.*
aliis tela in certamine Zvingl. subministrat. 456
ejus fatalis obitus 461
Amsdorfius (*Nicolaus*) *reformationis opus Goslariæ perficit* 448
concionatur sæpius Goslariæ *ibid.*
abrogat in sacris Latin. serm. *ibid.*
Magdeburgum discedit. *ibid.*
Io. Mensingium adversarium habet 449
quem refutat 450
Magdeburgo Goslariam evocatur ad sopiendos tumultus in ecclesia 456
ejus ideò publicè habita oratio *ibid.*
Anabaptisticus *furor injuriâ imputatur civibus Goslariensibus* 447
Anna de Ringen *docta monialis Franckenbergensis* 277
Anna de Steinberg *monialis Nov. Op.* 302
Anno *præpos Goslariensis* 60
creatura Coloniens. Archiep. 62
ejus familia, & vita *ibid.*
subtrahit cum aliis Henricum IV. matri 70
in Italia versatur 75
Conciones ad populum habet 63
fuit Imperatoris summus Archi-Cancell. *ibid.*
ejus obitus & epitaphium 90
Annulus pastoralis 26. 27
Anshelmus *Havelbergens. Ep. legatus redit Goslariam ad Lothar. II. Imp.* 149
interest comitiis Merseb. 149
Apologiæ *Henrici IV. auctor quis?* 92
Archidiaconatus *Goslariensis* 222. 291
Arnoldus *Colonienſis Archiep. consecrat Fridericum Ænobarbum Imperatorem* 148
Arnoldus *Nienburgens. Abbas interest comitiis Merseburgens.* 149
Arnoldus *Moguntin. Archiep. castra sequitur Imperatoris* 160
occiditur 164
Arnoldus *Trevirensis Archiep. suppetias fert Imp. contra Lombardos* 174
Arnoldus de Solmessen *Præpos. SS. Sim. & Judæ* 287
visitator constituitur Paderbornensis, *ibid.*
contrahit cum ecclesia sua. 298
ejus genealogia 300
Bambergens. Ep. creatur. 301
Arnoldus ab Echte *Procurator Richenb. Subtens. Præpositus creatur.* 396
Arnolphus *Halberstad. Ep. interest Synodo Goslariensi* 30. 31
ejus obitus 30
Arnulphus Rex *Bojaria sedibus pellitur.* 5
Articuli Smalcaldici *componuntur* 472
Aselinus *Ep. Hildes. creatur* 43
Aslovienses Comites *an iidem cum Winceburgiis?* 97
Astvala *pagus.* 16. D.
Attila *an viciniam hanc turbaverit.* 13. D.
Augustana Comitia 411. 458
Augustini capella 19
Aurea Roma 64
Austriacæ *domus incrementa fatalia.* 411

B.

BAckerodanum *cœnobium* 117
ejus origo *ibid.*
audit & Bartholdesrodanum *ibid.*
B. Augustini familiæ additum *ibid.*
Fratres & sorores in eo cœnobio simul hospitium inveniunt. *ibid.*
a Jo. Episcopo Hildes. reformatur & Cisterciensibus conceditur *ibid.*
ejus mutatio 277
Catalogus Abbatum hujus monasterii. 279
vid. & Mariarodanum cœnobium.
Baculus Pastoralis, *quo investiebantur Episcopi* 26
Baila *Abbatissa Nov. Op.* 367
Bakmeisterus [*Henr.*] *Civ. Gosl. missas aliquot Richenbergæ instituit.* 341
Balthasar *Merklinus Ep. Hild. creatur.* 439
Bambergensis *ecclesia dedicatur.* 31
Bardo *Moguntin. Archiep. interest Synodo Moguntinæ* 48
Baremius (*Martinus*) *Rector Schola Gosl. ejus vita, scripta, mors.* 486
Bartholdesrodanum *cœnobium vid.* Backerodanum.
Bartholdus *Præpos. Woltingerodan. & Canon. Gosl.* 361
Barum [*Johannes*] *Advocatus Gosl.* 324
Basileensis *concilii initia* 386
Segnius protedit 388

Ecclesia SS. Sim. & Juda privilegia confirmat ibid.
Vicina monasteria Canonicorum Regularium reformari jubet. 389
Monti S. Petri ablata jubet restitui. 391
Bavaricum *bellum* 246
Begginæ *S. Ludovici* 289
Beguinæ de alto Spiritu *Magdeburgi hæreseos suspecta* 340
Beirmannus (*Jo.*) *doctus Goslariensis.* 516
Belkisheim *pagus* 16. *D.*
Bellum *ex dissentiente Episcopi Hildes. electione conflatum* 338
Belli tricennalis *in hac vicinia initia.* 558
in eo Goslarienses Cæsaris partes sequuntur. ib.
fœderati irrito successu bellum prosequuntur. ib.
Benno *Gosl. Scholasticus Ep. Misnensis creatur* 78
ejus educatio & eruditio ibid.
genealogia ejus pars ibid.
cucullum Hildesia sumit 79
Seckendorffii de eo judicium. 78
Scholam Gosl. celebrem reddit 79
miraculis clarus est ibid.
ejus canonisatio ibid.
Benno *olim Goslarienf. Magister Osnabrugenf. Episcopus creatur.* 80
stat a partibus Henrici Imp. ibid.
ejus mors & epitaphium ibid.
Berengarius *Comes pessime consulit Henrico Jun. contra patrem* 107
up dem Berge (*Henr.*) *Decanus Montis S. Petri* 428
Bernardus *Comes Peinensis ob turbatam viciniam bello petitur.* 282
Bernhardus *Dux Brunsv. bellum gerit cum Ep. Hildes.* 357
Bernhardus *Dux Brunsv. & Luneb. Ep. Hildes. creatur* 400
Bernhardus *Hildesienf. Ep. creatur.* 130
Goslaria agit 133
Fundat monasterium S. Godehardi 138
consecrat ecclesiam Hanendorpiensem ibid.
Goslaria consecrat Luitgardem Abbatissam Gandersheimensem 139
jus patronatus Capellæ S. Cecilie diplomate confirmat Comitibus Woldenbergensibus 144
visitat ecclesias Goslarienses. 147
ejus obitus 150
Bernhardus *Paderbornenf. Ep. interest comitiis Merseburgenf.* 149
Bernhardus *Hildes. Ep. novellam coloniam Richenb. Ordini Canonicorum regularium B. Augustini adstringit* 114
Boiring-Strassen *unde nomen sortita* 111
Berno *Præpos. Mont. S Petri fit Episc. Hild.* 45. 190
confirmat Woldenbergenf. Comitibus jus patronatus Capellæ S. Cecilie Gosl. 192
ejus obitus. 191. 194.
Bernwardus *Hildes. Ep. creatur.* 22
ejus familia ibid.
Synodo Goslarienfi interest 29. 30
ejus obitus 32
Ejus Canonizatio & miracula 193
Bero *occiditur in tumultu Goslarienfi* 73
Bertholdus *Hildes. Ep. creatur.* 116
condidit cœnobium Backerodanum 117
Has leges antiquiſſimo *Statutorum Goslarienſium volumini* MSCo annô 1397 ſimili prorsùs tenore inſertas legimus his verbis patrii idiomatis, ex codice vetuſtiore, quàm quô in Antiquitatibus noſtris uſi ſumus, depromtis; Vnder welkeme manne / de Borger is tho Goßlar valſche penninge gefunden werden / de ſe ôme gegeuen hefft / den ſchal he bewieſen / offt he mach / vnnd mit den ſúluigen penningen tho deme gain / de ſe ôme gegeuen hefft / So ſchal he ſweren / dat he an den penningen nicht valſches en wuſte tho nemende vnd tho geuende / So ſchalme ſe tho ſnîden / vnd ôme wedder geuen dat ſchal nicht dicker ſchein / ahn einem manne / wanne dries / ſchúedt edt ôme tho deme virden male / ſo ys he des valſches ouer wunnen / vnd men ſchal ouer ône richten alſe ouer einen Velſchere. &c. Quod ſi igitur ſeculis XII & XIII tot legibus ad adulterinas monetas diſcernendas opus fuit, ſi tantæ peritiæ hominibus imò totis ejusmodi hominum collegiis hoc negotium demandatum eſt, proniſſimè ſequitur, Bracteatorum tùm nondùm æque communem uſum fuiſſe ac ſolidorum, aliàs enim fruſtraneam dixeris & ridiculam legem contra falſæ monetæ poſſeſſores, ut juramentô firmarent, *quod eosdem nummos falſos ignoraverint accipiendô dandô*, &c. fucô quippe & fraude in bracteatis palpabili ac manifeſtô in ſenſus incurrente. *Non enim* verba ſunt Exc. Sperlingii, *ſolebant bracteati ex ære merô ſignari, ſed ſeculô* XVI *etiam illud invaluit, cum hactenùs non niſi in aurô & argentô mixtô & impurô cuderentur.* Experientia ſanè docet, numos bracteales quò antiquiores ſint, eò eſſe & majores ponderis & argenti purioris. Quis vero non primô ſtatim intuitu horum numorum aut falſitatem, aut bonitatem perſpiciat? quid vero tot legibus, quid tantâ curâ, quid tantâ denique peritiæ opus fuit ad falſariorum fraudes aperiendas, ſi bracteales modo puriores, in uſu fuerunt, in quibus nulla fraus committi poterat, quæ ſe non ſtatim prodiderit? ex quo non poſſumus non ſtatuere, Numos ſolidos ſeculis XII & XIII multò uſitatiores bracteatis fuiſſe, & in commerciis ferè ſolos habuiſſe locum. Interea non nego hâc ætate bracteatos etiam cœpiſſe in Germaniâ ſignari, ſed rariùs id factum oportuit & curioſitatis tantùm causâ, ut ſolet in rebus novis exterisque fieri. Mirificè mihi placet de Bracteatorum Germanicorum ætate ſententia laudati Dni Sperlingii, mentem ſuam his verbis & ſè admodum explicantis: *Ante ſeculum XII. nullos Germaniam numos bracteatos edidiſſe conſtat. Lutgeri aut Lotharii, qui ab Ao. 1125. usq; ad 1138 imperavit,* (mallem Heinrici V, cujus numus bracteatus in numophylaciô Schwarzburgicô inveniri dicitur, *) *numus inter hos omnes quos Dnus Olearius No. 60 & 62. produxit, antiquiſſimus eſt, nec facile antiquiores dantur.*

IX. Hiſce poſitis, docendum erit, alibi gentium priùs quam per Germaniam bracteales numos in uſu fuiſſe, quô demonſtratô, ſatis puto fore perſpicuum, id genus numos non eſſe Germanicæ originis, ſed ab exteris receptos. Miſſis igitur in præſens illis, quæ de Anglis ex *Simeone Dunelmenſi* ſuſpicatus fuerat *ὁ πάνυ Sperlingius*, quippe a *Dno Tenzeliô* jam ſatis ſuperque diſcuſſa, certum ac exploratum puto, in Succiâ Daniâque multò priùs, quàm in Germaniâ numos cavos & bracteatos viſos eſſe, fortè quod illæ gentes uſus potiùs & frugalitatis, quàm ſplendoris ſeculis tã barbaris habendam rationem putarent. Numos Succicos antiquiſſimos *Biorni*, anno 800, *Stenchilli* anni 940 & *Amundi* anno 1019 viventium jam protulit *Elias Brennerus*. Nec multò recentiores ſunt numi Danici. *Thom. Broderus Bircherodius* produxit numos bracteatos *Suenonis Eſthritii, Canuti Sancti, Olai* filii *Suenonis*, omnes Germanicis noſtris antiquiores. Imo tam monſtroſæ ſæpius figuræ hos numos Septentrionales deturpant, ut dudum ante ſuſceptam ab aliis religionem Chriſtianam cuſos credendum ſit, quod & Bracteati Runicis literis ſignati demonſtrare videntur. Vnde laudatus Bircherodius: *Quando*, inquit, *incepit hoc monetæ genus, apud ſingulas rationes difficile dixeris. Haut paucis ſanè ſeculis Danis & Cimbris illi concavi numi fuerunt in uſu. Et ſine dubiô diu ante Chriſtianiſmi tempora apud nos cœperunt, utpote & aureæ illæ lamellæ ſuperius memoratæ ad concavos pertinent & multa alia hujus generis adeò miſerè effor-mata reperiuntur, ut ante hæc tempora aut cum ipſis his naſcentibus caſa ſint temporibus omninò.* Cum igitur dubitandum vix videatur, quin Septentrionales populi tenues argenti laminas cuneum ferre primò omnium docuerint: non abſonum erit ſtatuere, Germanos, qui falſatorum artibus bonæ monetæ laudem ferè perdiderant hoc Septentrionalium gentium inſtitutum eſſe imitatos. Fecerint hoc eô tempore, quô Civitates, Hanſeaticarum

Goßlar. Stadt-Recht *lib. 2. tit.* van Bredebracke *l. 58. rubr.* valſche Penninghe.

Sperling. de Orig. Bracteator, p. 32.

Sperling. l. c. p. 27. 28. & 79.

* *Schlegel. de numis*

Iſenac. p. 129.

Simeon. Dunelm. Hiſt. p. 231.

Sperling. l. c. p. 79.

Tenzel. Suppl. II. Gothan. p. 31.

Bircherod l. c. p. 32.

El. Brenn. Theſaur. Num. Suec. Gothic. Tab. I. II & III. Bircherod Specim. antiquit. monetar. Danor. p. 50. 56. 63.

rum posteà nomen consecutæ, frequentiùs cœperunt in illas regiones commerciorum causâ navigationes instituere, quod seculô præcipuè XII factum multis scriptorum testimoniis constat, quô tempore etiam bracteatos in Germania cœpisse signari, paulò ante monuimus.

X. Ex jam dictis liquet, numos nostros 1. & 2. esse antiquiores bracteatis omnibus & ex seculô XI superstites. Sed cum tertium prioribus recentiorem jam supra statuerim, de eô etiam dicenda nonnulla videntur. Crediderim igitur, Monetarium, quicunque demum numum signarit, ante oculos quidem habuisse numos priores, sed ignarũ, quisnam Henricorum in iis sculptus sit, *de Heinricô Aucupe*, Vrbis conditore, cogitasse, atque ideo addidisse literam A. Quamvis igitur in hôc mirum in modum deceptus sit, cum Sanctorum tutelarium in aversâ parte conspicuorum cultus huic seculo non respondeat, ab Heinrico III primum Vrbi in religionem datus: seculorum tamen illorum mores videtur secutus, quô urbium conditores numis frequenter solebant inscribi. Huc pertinet *Otto* in numô Pegavienſi Sifridi: caput sive *Henrici Aucupis*, sive alius cujusdam Imperatoris in binis numis Northusanis. Laudatus quoque Schlegelius in tab. I. numorum Isenacensium Mulhusinorum, Northusanorum & Wisensеensium n. 23. produxit numum bracteatum, quem licet certæ cuidam urbi assignare nolim, non dubito tamen & ipsum Heinrici Aucupis, communis vrbium conditoris, & veri Saxonum Thesei memoriam servare. In mediô enim orbe se offert A satis magnum, in margine superiore V in inferiore C, quas literas vocis AVCupis esse initiales non dubito. Imò & in nostris Numis Goslarienſibus bis occurrit *caput Imperatoris coronatum*, vel Apostolis tutelaribus, vel aquilæ, civitatis symbolo, additum, quod nihil notare aliud, quam vrbis nostræ conditorem, persvasissimum habeo. Quidni igitur A Henricianæ imagini in numô 3. adjectum itidem AVCVPEM significet? Attamen conjecturam hanc esse fateor, de quâ cum nemine his in rebus argutiore contendam.

Schmidt. diss. de num. Pegav.

Schlegel. diss. de N. Northus. p. 181.

Vid. tab. I. n. 13. & 32.

XI. A solidis ad bracteatos devenio, eôdem quô in Tabulâ æneâ occurrunt ordine evolvendos, paucis declaraturus, si quid circa unum quemque ex illis singulare aut notatu dignum appareat. Itaque numi sequentes 4. 5. 6. 7. ejusdem fere omnes sunt generis, urbis exhibentes Tutelares, aut eorum potiùs capita, nimbis decorata, additis portis & turribus, crucibus, circellis & liliô. Primus inscriptionem adjectam habet elegantissimis literis conceptam: S. SIMON. S. IVDAS Reliqui omni inscriptione destituuntur.

No. 4 5. 6. 7.

XII. In his numis præcipue notandæ videntur turres & portæ, quæ sanctis his tutelaribus appinguntur, quod non frustrà factum esse, vel inde elucescit, quod & in aliis monumentis & numis, in quibus sancti ejusmodi tutelares conspiciuntur, semper ferè turrium addantur simulacra. Videre id est in numis Halberstadiensibus, in quibus S. Stephanus, Moguntinis, in quibus S. Martinus, aliis, in quibus S. Heibertus, Magdeburgensibus, in quibus S. Mauritius inter turres apparent. Imo in sigillis civitatum id fere est perpetuum, ut tutelares mœnibus turribusque innitantur, quod & sigillum civitatis nostræ docet, in Antiquitatibus nostris conspiciendum, hosque numos nostros non parum illustrans. Si alia requiris, sigillum *Magdeburgense* S. Mariam, *Quedlinburgense* S. Servatium *Isenacense* S. Georgium, *Jenense* S. Michaëlem alia aliorum Cælitum imagines eôdem schemate sistunt, medias inter turres constitutas. Ratio non est longius petenda. Antiqui enim simplici potiùs quam piâ persuasione ducebantur, Tutelares infaustis reipublicæ temporibus, si quando Hannibal esset ante portas, quam utilissimam civitatibus navare operam, mœnibus quippe eorum curæ dedicatis oberrando hostiumque catervas propugnacula subeuntis divinâ virtute suâ & cœlesti majestate terrendo. Jactant hoc de S. Ambrosio, civitatis suæ Præsule Mediolanenses, qui potiti anno MCCCXXXVIII victoriâ, S. Ambrosium, hostes oppugnantes flagellô profligantem in prælio visum perhibent. Vnde S. Ambrosius in numis Mediolanensium fere semper conspicitur flagello instructus. Sed & S. Bruno Wurzburgensis Episcopus, Conradi II. Mediolanum oppugnantis castra secutus, coorta inter missæ sacrificium tempestate, S. Ambrosium e mœnibus opem civibus ferre clamavit, conterritusque prodigio, pacis ineundæ auctor fuit. Ejusdem generis miraculum, quod fabellæ videtur propius, pervulgatum olim fuit Brunsvigæ, siquidem & illa a Philippo Cæsare, Ottonis IV æmulo arctâ obsidione incincta, secutam mox liberationem S. Auctori Tutelari suo acceptam tulit. Id quod his verbis a Cranzio est memoriæ proditum: *Brunsvicenses in consvetudinem deduxêre, ut quotiès urbs illa hostili timore perurgeretur, S. Autoris circumferrent reliquias, hymnis, orationibus, jejuniis & eleemosynis ejus suffragia deposcentes. Compertumque est, & multis vicibus comprobatum, non illum frustrà implorari, qui semper invocatus adsit, meritis tutatus cultores. In hâc verò* (jam memoratâ) *oppugnatione visus est sacrâ veste* IN MOENIBUS *gladium vibrare nudatum: idque ab hostibus animadversum, Philippo ferunt perlatum, quùm illi diceretur, frustrà urbem oppugnari, quam Superi tuerentur. Ipsum vero Regem, miraculo conterritum solvisse obsidionem.* Cùm igitur tam vigiles se in mœnibus præstiterint urbium patroni, nullum sane locum SS. Simoni & Judæ commodiorem assignare se posse, credebant Goslarienses, quàm mœnia civitatis & propugnacula, quæ illis quàm commendatissima volebant esse.

Olear. N. Halb. Spicil. III. n. 4. 5. 9. 11. 13. 15. Id. Isg. ad numophyl. bract. c 6. n. 20. syll. p. 30. n 30. p. 31. n. 40. p. 32. n 82. p. 36.

Jo. Molan. l. 3. hist. imag. sacr. c 54. Brunsch. de Episc. c. 9. p. 980. Camerar. hor. subces. cent. 1. c. 30 p. 149. & cent. 2. c. 16, p. 61.

Tenzel. diss. al. mensir. anno 1691. Sept. p. 795. Campesius gos. l. 1. Exempl. p. 173. Cranz. l. Sax. c. 16 p. 184. Bunting. part. 3. Chron. Brunsv. p. 177. Meibom. T. III. Rer. Germ. p. 350.

XIII. Supersunt & alia nonnulla in his numis contemplanda. *Crucem* in Numo 5 quatuor,

quatuor, in 6 tres apparent. Eæ dubio procul symbola sunt martyrii, confessionis ac fidei, siquidem crucem in crucifixi gloriam sustinuerunt. Apparent tamen etiam in aliis principum ecclesiasticorum æque ac secularium numis & sigillis. Tam ferax enim hoc signo erat medium ævum, ut nec nomen quidem unquàm, nisi cruce prænotatâ putarent scribendum. Sed hæ in vulgus notæ, *Circellos* ornamentorum loco fuisse reor. Variis enim ejusmodi rebus numos exornare studuit malè curiosa antiquitas. Nullus fere numus bracteatus, in quo non aut circelli ejusmodi, aut globuli, aut stellulæ, aut flosculi aut cubuli, aut lunulæ, aut rhombi, aut res ejusmodi aliæ in varias figuras dispositæ occurrant. Ingenii nimis curiosi esse credo, in rebus tam levibus quærere mysteria, quæ seculorum istorum ruditas vix agnoscit. *Lilium*, quod in numo 7. itemque 16 Apostolorum capita distingvit, quoties sanctis additur in numis, sanctimoniæ tessera est ac puritatis imò innocentiæ. Sane quoties in Numis bracteatis a Cl. Dno Oleario in Spicilegio III. Antiquitatis suæ adumbratis S. Stephanus Protomartyr conspicitur, toties ferè ei lilium appingitur. Idque in sigillis Monasteriorum, in quibus Sancti tutelares adparent, est perpetuum.

Olear. N. Halberst. n. 2. 5. 9. 11.

No. 8. XIV. Numus 8 est elegantissimus ejusdem cum antecedentibus typi. Inscriptio tamen diversa hunc in modum concepta S. SIMON ET. S. JVDAS. APOstoli. *Stella*, quam in numis principum ornamenti loco diximus esse, quoties sanctis annectitur, gloriam eorum, quâ in cœlis jam constituti refulgent, denotare dicitur. Vnde Molanus: *Ego omnium*, inquit, *maximè splendorem & lucem illis* (confessoribus) *convenire arbitror, ac propterea non inepte stellæ vel radii luminis eorum imaginibus appinguntur, juxta illud Prophetæ: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas aternitates.*

Molan. hist. imag. sacr. l. 4. cap. 30.

No. 9. n. 5. XV. Numus 9 itidem elegantissimus ejusdem cum ceteris typi est, nisi quod Apostolorum imaginibus subjecta est corona clausa, qualis in sigillis Imperatorum Regumque capita ornat. Inscriptio: S. SIMON. ET. JVDAS. *Corona* vel ideo non videtur otiosa censenda, quod eadem in Sigillo Ecclesiæ SS. Simonis & Judæ in Antiquitatibus nostris delineato inter tutelares eosdem Apostolos conspicitur, cujus hanc credíderim rationem, quod significari debeat dignitas hujus Ecclesiæ quam in Diplomatibus semper dictam video *Specialem Imperii Capellam*, quæ dignitas in Diplomate Rudolphino fortuito hoc versu effertur:

Tab. 2.

Quæ imperii nostri dignoscitur esse capella.

Quid? quod ab Imperatoribus Friderico I & Henrico VII salutetur *Gloria Coronæ suæ.* Si igitur laudatæ hujus Ecclesiæ Canonici, *ad Cæsarem se respicere nullo mediante*, ostensuri, Coronam sigillo Ecclesiæ suæ insculpserunt; quidni idem fecerit Civitas, ut simul Imperialem se ac Cæsaream profiteretur?

No. 10. & 11. XVI. Eadem corona imo binæ potiùs apparent etiam in Numis 10. & 11, nullâ præterea re memorabilibus, & ex superioribus facilè explicandis.

No. 12 & 16. Numi 12. & 16. nec ipsi habent titulum, at ceteris tamen in eo præcipuè differunt, quod Apostolorum imagines ædiculis quibusdam sunt inclusæ. Vix enim aliter Sancti ævo medio solebant pingi. Testantur id numi Halberstadienses a Cl. Oleario editi, testantur alii plures ab eadem in Isagogê ad Numophylacium Bracteatorum recensiti, testantur sigilla innumera; quæ hic curiosius enarrare nihil attinet. Imò hodiernâ adhuc luce Pontificii plerumque sanctorum statuas in ejusmodi receptaculis seu ædiculis ponunt, quas Architecti *Loculamenta* Italicè *Nicchi*, Gallicè *Niches* Germanicè Eine Bilder-Blindte nuncupant. Qualis ritus idola ac Deastros tutelares dedicandi jam olim gentilibus solennis fuit, emphaticâ epanorthosi culpatus ab Auctore Libri sapientiæ: *Aut si quis artifex faber de sylvâ lignum rectum secuerit, & hujus docte eradat omnem corticem & arte suâ usus diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ. Reliquiis autem ejus operis ad præparationem escæ abutatur. Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit lignum curvum, & verticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis. Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubricâ, & rubicundum faciens sucô colorem illius, & omnem maculam quæ in illo est perliniens terrâ: & faciat ei* domicilium dignum, & in pariete ponens illud, & *confirmans ferro, &c.* Ceterùm in Numo 16. alterius Apostoli humero in hæret nescio quid, scuto gentilitio simile, nisi forte librum esse malis, quem pariter Matthiæ numi referunt. Libros certe Sanctorum imaginibus adjici solitos in propatulo est. S. Stephanus in numis Halberstadensibus quinquies librum tenet. Idem in numis aliis ut & in sigillis fit frequentissime ex eâ fortassis ratione, quod Evangelium de Christo eos per vitæ suæ spatia gentibus prædicasse, indicare voluit antiquitas.

Idem. Isagog. cap. 6. Sapient. XIII. 11. sq.

Olear. spicil. III. Antiqv. n. 1. 2. 8. 10. 11.

No. 13. XVII. Numus 13 inscriptione destitutus cum ceteris coincidit, nisi quod capitibus Apostolorum subjectum est aliud coronatum, de quo jam supra dictum est uberius.

No. 14. Numus 14. eosdem sistit Apostolos coronatos, ut videtur, & barbatos, cum in ceteris numis bracteatis omnibus, præter hunc & quartum imberbes exhibeantur. Inscriptio truncata ita concipitur: *SImon & IVDA.* Quid sibi velit figura inferior perspicillo similis, fateor me ignorare. Ceterùm numum hunc ceteris esse recentiorem, literas pingviores & ab antiquâ elegantiâ remotiores loqvuntur.

No. 15. Numus 15 ceteris rudior ultimus est inter bracteatos capita SS. Simonis & Judæ exhibentes, & quamvis cum ceteris in eo conveniat, quod & hic corona conspicitur hisce Apostolorum capitibus imminens, in eo tamen a reliquis abit, quod capita hæc insistere videantur basibus quibusdam, quæ utrum altaria an stylobatas notare debeant, alii judicent.

XVIII. Ceterum quemadmodum numorum 4.8.9.14.15. inscriptiones apertè produnt capita sanctorum in his numis obvia SS. Simonem & Judam denotare, atque adeo Goslariensis officinæ esse ita numi 5.6.7.10.11.12.13 & 16. non alio indicio Goslariensibus accedunt, nisi quod literis etiam omnibus destituti & inscriptionibus reliquorum figuris ex asse respondeant, jam tum ejusmodi numum edidit sæpius adductus Dn. Sperlingius, qui tamen curâ Dni Schlegelii hìc non est delineatus, licet ei aliquantisper similis sit numus n.10. adumbratus excepto, quod loco coronæ inferioris sub utroque capite sculptæ sint lunatæ bicornes. Et quamvis nec inscriptio adsit, nec numus similis ad cujus exemplar hunc potuerit exigere Sperlingius, statim tamen eo cunctante conjecit Dnus Mellenius, illum esse Goslariensem. En & numum ipsum & verba Sperlingii: *Pari magnitudine spectatur qui duas facies aut vultus exprimit, sub unâ coronâ aut mitrâ comprehensos, singulis vultibus luna dimidia est subjecta Regis & Reginæ videntur significari effigies rudis operis & antiquæ fabricæ, argenti satis puri, sed quò referam non habeo. Indicavit mihi admodum Reuer. Dn. a Mellen, esse sibi eundem numum cum inscriptione:* S. SIMON ET S. IVDAS *ita ut hæ duæ facies sub una corona duos istos Sanctos referant, atque existimat, Goslariensis officinæ hos numos esse, quod etiam mihi placet.*

XIX. Examinatis Apostolorum Simonis & Judæ Numis mnemonicis antiquioribus, tum solidis, tum bracteatis, ad cavos porrò Matthiæ Apostoli imagine notatos pro-
N. 17. 28 gredimur. Tredecim eorum ejusdem omnes generis sed cunei ætatisq; diversæ sistuntur Tab. I. a No. 17 ad 28, quibus & ultimus addendus est numero certo destitutus nec non hic a Schlegelio prætermissus.



Omnes hi numi inscriptionibus destituti nihil aliud nisi Matthiam Apostolum exhibent, rudi Minervâ expressum, dextraque securim martyrii instrumentum, sinistra librum tenentem. Libri plerumque globulis in quincuncem positis vel unico medio insigniti cernuntur, quos nodosas interpretor & gibbosas fibulas angulares, aeris pondere ac robore codicum ligaturas ab attritu custodientes quibus antiqui libri semper muniebantur.

XX. Cur hi numi S. Matthiæ sistant imaginem, nemini est obscurum. Eadem ratio, quæ Goslarienses SS. Simonem & Judam numis insculpere, etiam S. Matthiam in iisdem jussit dedicare. Hoc enim tenendum est, quoties in Civitatum numis aut sigillis sancti occurrunt, semper indicari, eos illis civitatibus tutelarium loco fuisse. Initiò civitati nostræ in religionem dati fuerant S. Maria & SS. Simon & Judas Apostoli. Sed ut solent homines superstitione dementati novas subinde sectari ἐθελοθρησκείας, ita & apud nos huic Tutelarum trigæ interjecto tempore veluti succenturiatus fuit D. Matthias, cui quantus sit in urbe honor habitus, quæ supplicationes decretæ, quæ sacra instituta, dici vix potest. Hic ceteris deinde succedaneus datus omnes Goslariensium numos solus fere occupavit, tam solidos quam bracteatos, quorum innumeri ultimis seculis e moneta Goslariensi prodierunt, origines daturi nomini **Ein Mattier**/ quod olim numis hac imagine conspicuis proprium successu temporis a genuina significatione in aliam defexum, cui vix quadrimulo licet S. Matthiæ imagine haut notato dari cœpit. Quoties hujus Apostoli in fastis recurrebat anniversaria memoria, incredibile est, quanto omnium ordinum sexuumque studio publica hæc sit peracta celebritas, quod missæ confectæ, quot percursæ processiones, quot oblationes effusæ. En preces tunc publicè fusas: *Gratias tibi Rex regum, qui per gratiam tuam hunc nobis donasti Patronum. O sacer Matthia, nos pusillum gregem tuum sub tegmine alarum tuarum conserva. Alleluja.* At nunquam magis ferbuit apud nos religio, quam festo SS. Petri & Pauli, quo reliquiæ hujus Apostoli in sarcophago elegantiori per urbem circumlatæ incredibili religione colebantur. Id quod tum ex aliquot diplomatibus tum e testimonio ex allegato Breviario Goslariensis eccle siæ jam in Antiquitatibus nostris probavimus,

Vid. diss. nostr. de Diis tutelarib. Gosl.

Breviar. Gosl. Eccl. antiq edit Halb. 1522 part. hiemal. f. 45. Antiqu. Gosl. l. 5. p. 436, 437.

XXI.

XXI. Operæ pretium erit & hìc inquirere, quonam tempore cives noſtri, tot jam Patronorum ope ſecuri, *D. Matthia* etiam præſidium ambire cœperint? Paucis reſpondeo, tùm demùm id factum eſſe, cum D. Matthiæ reliquiæ Treveris inventæ Goslariam deferrentur. Perſvaſum enim erat ſimplici antiquitati, Sanctorum reliquiis aras & focos totasque civitates ab hoſtili incurſu tuta præſtari. Hinc reliquias vocabant *Patrocinia*, eo quod earum cuſtodia Merita præſidiumque Sanctorum ſe credebant demerituros. Minùs itaque dubito, quin Goslarienſes, adepti hunc reliquiarum theſaurum, ſibique de illo mirificè gratulati, ipſum D. Matthiam publicis ſuffragiis in Tutelarium ſuorum numerum retulerint. Sed quando reliquiæ hæ Goslariam translatæ? Hoc quidem paucis expedire conabor. *Chronicon Goslarienſe* MSC. *membranaceum* rem ita refert: *dedit etiam* [Henricus III. Imperator] *Treverenſibus quosdam largos redditus, quos habent pro reliquiis B. Matthiæ, quas hic* [Goslariæ in eccleſia SS. Simonis & Judæ] *glorioſiùs collocavit, & duas cruces aureas* &c. Sed hallucinari hic Auctorem domeſticum, & Henrico III tribuere, quæ alicui ſequioris ætatis Cæſari erant tribuenda, palàm eſt. Auctores enim habeo, D. Matthiæ reliquias anno demum 1126 Treveris fuiſſe inventas. Gobelinus Perſona: *Annô*, inquit, MCXXVI *Treveri apud S. Eucharium reperitur corpus S. Matthiæ Apoſtoli ſubtùs altare S. Johannis Baptiſtæ.* Brevius Theodericus Engelhuſius ad Lotharii III. Imp. tempora: *Reliquiæ S. Matthiæ reperiuntur Treveris.* Accuratiora forte habet Browerus in Annalibus Treverenſibus, quo rariore tamen libro jam deſtitutus, contentus illis, quæ modò adduxi, teſtimoniis negare non dubito, quin Henricus III. reliquias D. Matthiæ Goslariam transferre potuerit. Fortè hoc fecerit Conradus III, aut Fridericus I, quibus imperantibus etiam Matthiam a Goslarienſibus in Patronorum numerum cooptatum, credere par eſt.

Carol. du Freſne part. III. Gloſſ. Lat. p. 204.

Gobelin. act. 6. Coſmodr. c. 59 p. 268.

Engelhuſ. Chron. p. 224.

XXII. Jam ut ad Numos noſtros veluti e diverticulo redeamus, notatu non plane indignum opinor, S. Matthiam in quibusdam Numis non nuda ſed velata atque ſub veſtimentis recondita manu librum tenere, ſolenni antiquorum ritu ac verecundiæ zelo, ut res ſacras nudis manibus contrectare neſas ducerent. Apparet hoc e numis 17.18.19. 20.23.24.25. ut & e Tab. II numis 36.38.50. Tab. III. n. 58. Extat etiam apud me bulla plumbea Victoris II Papæ, in cujus altera parte ſeſe vel Victor Pontifex, vel ut Mabillonius mavult S. Petrus offert, manu ſub veſtimentum reducta clavem e cœlo accipiens, addito lemmate TV PRO ME NAVEM LIQVISTI SVSCIPE CLAVEM. Antiquiſſimum hoc eſt inſtitutum & jam Athenienſibus pudoris modeſtiæque ſtudioſis florente republica ſolenne, ut eleganter hoc eſt ſuo more docet Caſaubonus. Pertinet huc etiam locus Quintiliani: *Falli videntur, qui ſolos eſſe Atticos credunt tenues & lucidos & ſignificantes, ſed quadam eloquentiæ frugalitate & ſemper* manum intra pallium continente &c. Hæc ſunt, quæ in numis Matthiæ ſignatis imagine, obſervanda videntur, quibus conſideratis ad reliquos Bracteatos inoffenſo pede progredimur.

Antiqu. Goſl. tabl. n.

Mabillon. lib. 2. de Re Dipl. c. 14. n. 10. p. 128.

Caſaub. ad Diog. Laërt. in Palemone

Quintil. lib. 12. c. 10.

XXIII. Qui igitur in tabula I. reſtant, Bracteati omnes aquilam, Goslariæ ſymbolum non uno ſchemate offerunt. Hoc monetarum genus apud nos olim erat frequentiſſimum, multis nominibus a typo cuneoque petitis notum, qualia ſunt Ein Arnekop/ eine Arnekópſche Oerling &c. Eſt vero Arn vox Saxonica antiqua, Belgis *Een Arend* dicta, Aquilam denotans, & ſi *Aldrovando* fides, jam Francis antiquiſſimis uſitata. De hac voce etiam *Spangenbergius*: Dieſes iſt hie zu behalten / daß die alten Deutſchen den Adler einen Aar oder Arn nennen/ von welchen Wörtlein Aar oder Arn / ſind viele Orte in Deutſchland genennet/ unter andern auch Arnſtandt der Graven von Schwartzburg fürnehmſte Stadt. Imo *Cl. Dn. Olearius* etiam in verſione Bibliorum B. Lutheri hanc vocem reperit Levit. XI, 13. ubi vocabulum Hebraicum עזניה Germanicè vocatur Ein Fiſch-Ar / id eſt, Ἀλιαίετος *Aquila marina.*

Aldrov. Ornithol. p. 13 ſq. Spangenb. Adelſpiegel Part. I. l. 2 cap. 2. p. 6.

Olear. part. I. hiſt. Arnſtad. c. 1. p. 4.

Num. 29. nihil exhibet præter Aquilam, ſed elegantiſſimam eodem ſchemate, quo in ſigillis Civitatis noſtræ minoribus (ſecreta vocant,) conſpicitur. No. 29.

Multò elegantior Numus 30, cujus in inferiore parte circulus aquilam oſtentat Goslarienſium inſigne, de quo hunc in modum eleganter luſit Doctiſſimus Johannes Glandorpius, Rector olim Civitatis noſtræ celeberrimus: No. 30.

Glandorp. Deſcript. gentis Anzoniæ. Lipſ. 1557. 8.

Romanas timuêre aquilas Regesque Ducesque,
Tam generoſum illis a Jove robur erat.
Hanc quoque Goslariæ fulgentia ſigna tuentem,
Inde ſuos ortus ſcito & habere decus.
Aſpicis, ut bifido meditetur prælia roſtro,
Et ſubvecta alis ungvibus immineat.
Irritare cave, ſciat, hoc te velle, periſti,
Impunè hanc aquilam nemo lacesſit iners.

Inferiorem circulum eleganti ſchemate ambiunt *mœnia, turribus* quamplurimis diſtincta, quorum in medio eminet *templum*, fortè collegiatum SS. Simonis & Judæ, quô ante reformationem ob ſanctitatis famam copiamque reliquiarum maximè ſeſe efferebat Goslaria. *Roſas* & *ſtellas*, niſi ſolùm ornamentorum locô ſunt, florentiorem Civitatis ſtatum celebritatemque notare, per me credat, qui volet.

No. 31. 32. 33. Num. 31. 32. 33. solam aquilam præferunt sed diverso situ. Pectori aquilæ in numo 32 inhæret caput Imperatoris coronatum, rudi opera effictum de quo jam supra sententiam nostram aperuimus. Numus 33 est recentior ceteris, seculo XVI. ineunte cusus, quo scutorum obliquorum usus præcipuè obtinuit. Id sanè certum est numos bracteatos minores tam argenteos quam æneos etiam ultimis seculis apud nos fuisse usuales & frequentissimos. De æneis nemo dubitat, Hodienum enim penningi bracteales hujus generis, vulgò Strüven penninge apud nos adhibentur, quorum tres Tabulæ IV inseruit Cl. Schlegelius. At de argenteis etiam ne sit dubitandi locus, est mihi hujus generis numulus argenti purissimi cum scuto Goslariensi & literis GOS Goslariam notantibus. Additus annus 1628. Sed en ipsum numum,

No. 34. Numus 34 restat, hâc tabulâ ultimus & a ceteris omnibus diversus non nisi caput aquilæ rudi operâ effictum exhibens. Hujus generis typum, licet paulo majorem, credo fuisse eorum numorum, quos Arneköppe vocabant. Hujus dimidium erat numus dictus Ein Arnekópsche Peerling / qualem hunc ipsum numum 34 fuisse suspicor, metalli purioris, quam quo ceteri minores bracteati constant.

XXIII. Examinatis jam singulis Tabulæ I. numis, duo præcipuè in universum inquirenda videntur, *primò* quænam sit singulorum numorum ætas ac *deindè* quantum singuli valuerint? Sed cum hac in re bracteati omnibus fere nos destituant characteribus, ex quibus apodicticè liceat de ætate eorum ac valore concludere, nec numorum etiam omnium nobis sint visa prototypi, pauca dixisse sufficerit. Antiquissimi igitur & seculo XI. cusi videntur numi 1 & 2. Tertium quo referam non habeo. Seculi XIII. suspicor esse numos 4. 8. 9. 16. 29. 30. tum ob magnitudinem & elegantiam tum ob literarum figuram isti seculo convenientem. Certum enim est sequentibus seculis nec tam magnos nec tam elegantes bracteatos ex officinis prodiisse, nec literas deniq; & orthographiam tam accuratè servatam esse. Sequentis seculi XIV. esse reor numos 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. 14, 15. nisi forte binis ultimis paulo majorem tribuere ætem velis. B. Matthiam multo serius in numos quam in Tutelarium numerum receptum puto. Seculi igitur XV & XVI erunt fœtus isti informes qui n. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24 & 25. ut & 31. 32. apparent. A seculo enim XIV. civitates Hanseaticas frugalitatis studio cœpisse minores ejusmodi numos cudere, quos Peerlingen vocabant, exemplis Hamburgensium, Stralsundensium, Luneburgensium probat Dn. Sperlingius elegantem simul intexens narrationem turbarum quas horum numulorum tædio dedit clerus majoris ponderis oblationibus adsuetus. Numi 26. 27. 28. ex æruscatorum officinis videntur reliqui. De ceteris jam nostram aperuimus sententiam. Majoris negotii res esse videtur, valorem horum numisinatum hariolari, quippe quod difficillimum ac tantum non ἀδύνατον videtur Cl. Oleario. Numos tamen 16 29. 30. Denarios esse ad oculum patet si cum Denario Mulhusingensi Friderici consequ. feras, cum uterq; ejusdem fere sit magnitudinis. Ceteros libratenùs, ut loquitur Cl. Olearius, computatos, admodum sit probabile. Tot tamen subinde res monetaria subiit vices, ut nec nomina quidem singulorum numorum supersint. Antiquissima, quæ mihi est, de numorum Goslariensium valore notitia annum præfert 1491, quo globo turris S. Jacobi inserta fuit. In eâ & hæc lego: In dem sülven Jahr galt ein Gülde 13 grote Krossen Item ein grot Kroß galt 14 nie Mattiß Penninge Item ein Mattiß Krosse galt 6 nie Penninge, Item 30 Mattiß Krossen galten einen Gülden. Item kleine Mattiß Kroß galt 4 nie Penninge Item 45 kleine Krossen galten einen Gülden Item 2 arn. köpsche Peerling galten einen Arnekopff. Item 12 Mattiß Penninge galten einen nien Schilling. Esset quidem facillimum, hæc numorum genera inter se reducere, sed cum ipsos numos qui hæc nomina sustinuerunt ignoremus, felicioribus ingeniis hoc computandi onus relinquere malumus.

Sperling. de num. bract. orig. p. 41. sqq. Olear. Isagog. ad Numophyl. bract. c. 3 sect. I. p. 16.

Tabula II.

XXIV. In ceteris tabulis, quæ numos recentiores tantum sistunt licebit nobis esse eò brevioribus, quo majore luce suâ radiant. Omnes enim qui in tabula II. occurrunt trium generum sunt, quippe in alterâ facie vel SS. Simonem & Judam, vel D. Matthiam, vel B. Mariam virginem cum puerulo Jesu, in alterâ aquilam præferentes. No. 35. 36. 37. 38. *Primi generis* numi omnes inquam sistunt *SS.* Simonem & Judam Apostolos, sed totos, cum in bracteatis non nisi capita eorum sese operant. Notandus & ordo. S. enim Judas, qui fullonis fustem sinistra tenet, dextrum, *S.* Simon, qui serram dextrâ præfert, sinistrum locum occupat. Perigraphe ubique eadem: SANCTVS SIMON ET JUDAS, quod enim in n. 35. 36. & 38. loco SANCTVS legitur SANETVS procul dubio a sculptoris manu est. In alterâ facie insignia Goslariensia apparent, aquila nimirum scuto modò obliquè posito inscripta, cui insistit galea clausa, quæ in numo 36. coronata se offert cum caudâ pavoninâ vario schemate effictâ. Perigraphe: MONETA NOVA GOSLARIENSIS in 36. & 37. MONETA NOVA GOSLARIEN. Numi hi quos ipse possideo omnes sunt argenti purioris & nisi me omnia fallunt, expirante seculo XV ex officinâ nostrâ prodierunt. Primò enim nullus annus est adscriptus, quod seculo XVI. fiebat fere semper, deinde

&

& ſecutum obliquum & literæ rotundæ illius ſeculi ſunt quarum in locum ſeculo XVI elegantiores ſenſim ſucceſſerant. Si tamen quisquam eos ineunte ſeculo XVI. cuſas malit, cum eo non contendam.

XXV. *Alterum genus* eſt eorum, qui S. Mariam præferunt, vulgo dictorum Marien groſchen quorum ſex diverſæ ætate ſiſtuntur n. 39. 40. 41. 42. 43. 44. Omnes in anticâ exhibent B. Mariam deiparam coronatam nimboq; radiato circumdatam lunæque inſiſtentem, dextrâ ſceptrum ſiniſtra puerulum Jeſum tenentem cum lemmate: MARIA, MATer GRACIE. In poſticâ aquila alas expandens conſpicitur cum perigraphe: MONETA NOVA GOSLARIENſis, & Zifris anni indicibus ex quibus patet *numum* 39. anno 1504. n. 40. anno 1508. n. 41. anno 1511. n. 42. anno 1512. n. 43. anno 1514. & *numum* denique 44. anno 1520. eſſe cuſos, ut adeo erroris comperti ſint *Tilemannus Friſius* & qui hunc ſecutus eſt *Theodor Stier*, quorum hæc de Marianorum origine ſententia: Denn man dero Zeit (anno 1490) noch von keinen Marien-Groſchen gewuſt / beſondern es ſind erſt dieſelben hernacher anno 1505. zu Goßlar geſchlagen. *No. 39. 44* *Til. Friſ. l. 4. Münz Spirgel. c. 15.* *Stier. præfat. ad comput. monetar.*

XXVI. Cum hi groſſi mariani, qui hodie per totam inferiorem Saxoniam pretium nomenque retinent, primi omnium prodierint ex officinâ Goslarienſi, facturi videbimur operæ pretium, ſi & hìc inquiramus cur Goslarienſes SS. Simonis & Judæ ut & Mathiæ cultum a tot ſeculis in numis ſuis profeſſi, jam S. Mariam in Numis dedicare inceperint? Obſervo igitur primos hos numos Goslarienſes, B. Mariæ ſignatos imagine, omnes, ante reformationem prodiiſſe, imò eo tempore, quo de abolenda antiquâ ſuperſtitione ne fuerat quidem adhuc cogitatum. Vnde certum puto, & hanc divam a civibus in Tutelarium numerum relatam eſſe. Factum id præcipue videtur ultimis ſeculis, quibus *capella B. Mariæ virginis* Palatio cæſareo proxima, diuq; ruinas minari viſa, Scholaſticorum Goslarienſium & inprimis Henrici Wellhuſii curâ refici & multis indulgentiis locupletari cœpit. Quemadmodũ enim tunc temporis nihil erat frequentius, quam ut laborantibus inopiâ eccleſiis indulgentiarum clargitionibus ſubveniretur; ita etiam Scholaſtici, hujus eccleſiæ patroni, illas undique conquirebant, quo ſcilicet homines, hiſce præmiis ad ſalutem æternam propoſitis illecti, eò liberalius opes ſuas effunderent. Plures quidem ejusmodi indulgentiarum literas temporum injuriis periiſſe reor, ætatem tamen tulit diploma *Roderici* Portuenſis, *Olivcrii* Sabinenſis, *Juliani* Oſtienſis, *Johannis* Albanenſis Epiſcoporum, *Johannis* tt. S. Praxedis, *Johannis Michaelis* tt. Sancti Marcelli, *Georgii* tt. S. Mariæ trans Tiberim, *Jeronimi* tt. S. Griſogoni *Dominici* tt. S. Clementis *Pauli* tt. S. Sixti *Johannis Jacobi* tt. S. Stephani in Celio monte, *Johannis* tt. S. Vitalis Presbyterorum ut & *Franciſci* S. Euſtachii, *Raphaelis* S. Georgii ad velum aureum *Johannis* S. Mariæ in Aquino & Aſcanii S. Viti in macello Diaconorum Cardinalium, quo anno 1487. eandem capellam donarunt, multas indulgentias ſeculi more polliciti illis, qui ad ejus fabricam manus allaturi eſſent adjutrices. Talibus itaque indulgentiis illecti dici non poteſt, quanta religione incenſi fuerint cives noſtri, non modo ad B. Mariæ cultum jam tum procliviores, ſed & ſingulari inſtitutâ fraternitate illi perpetuas in urbe laudes decernentes. Frequentiſſimum hoc erat collegium confluentium ad ſacra Mariæ habenda utriusq; ſexus hominum, & profuſâ liberalitate oblationes ad reficiendam ejus capellam elargientium, unde factum eſt ut hæc ſocietas brevi interjecto tempore multis facultatibus proventibusqne abundaret, quorum fructus ad Capellæ jam dictæ uſus erogabantur. Scio equidem, ejusmodi confraternitates, ceu tum vocabantur, per omnes urbes fuiſſe frequentiſſimas, & plerumque ad annua potius convivia, quam ad religionem ſpectaſſe, quemadmodum hac ipſa etiam in urbe ſeculo potiſſimùm XV floruit confraternitas S. Nicolai, in Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ emolumentum inſtituta, multosque Cardinalium indulgentiis anno 1479. & 1503. munita. Vnde B. Myconius ejusmodi conventicula hunc in modum depingit. *Fraternitatum infinitus pene numerus erat hominum in factiones coëuntium, & leges conſcribentium. Hi ſuos habebant ſacerdotes, altaria, ades, cereos, ſuffitoria, ferias, quibus congregabantur ad miſſas & oblationes ſacerdotibus faciendas. Accedebant redituum fundationes. Iſtis quoque ſalus procurabatur.* At multùm a ceteris diſcrepabat Confraternitas B. Mariæ, publicis quippe ſenatus ſuffragiis inſtituta, ejusque auſpiciis continuata, quod diſerte licebit e diplomate anno 1452 exarato, in quo Senatus Goslarienſis Procurator ſupremus de overſten Vormünder / *Henningus de Mander* Capellanus (Capellan der Broyderſchup) & *Johannes Wydenbenbein*, *Conradus Hillen*, *Detmarus & Tylo Kerkhoff* electi procuratores hujus confraternitatis (gekorne Vormünder derſülven Broyderſchup) audiunt. Tandem ergo S. Mariæ religio hac occaſione incenſa novisque ſubinde indulgentiarum flatibus alta adeo ferbuit, ut & in numorum ſuorum typis ejus conſecrandam memoriam exiſtimarent. *Mycon. hiſt. MSC. ap. Sekend. lib. 1. hiſt. Lutheran. ſect. 2. n. 2. p. 4.* *Antiqv. Gosl. p. 412. & 431.* *Antiqv. Gosl. lib. 5. p. 400.*

XXVII. *Tertium genus* numorum, in hæc Tabula II. comprehenſorum, conſtituunt illi, qui S. Matthiæ imagine notantur, quorum ſeptem diverſi n. 45. 46. 47. 48. 49. 50. & 51. conſpiciuntur. In ſex priorum antica facie habetur hujus Apoſtoli, altera manu ſecurim, altera librum tenentis imago, cui circumſcriptum: SANCTUS MATHIAS in poſtica Aquilæ adſcriptnm: MONETA NOVA GOSLARIENSIS. De his numis nihil eſt quod dicam amplius, cum jam ex ſuperiùs dictis facile intelligan- *No. 45-50*

tur. De eorum ætate vero, nullo annorum numero notatâ ita sentio, numos 45.46 47.& 48. seculo abeunte XV. n. vero 49. & 50. seculo XVI. cusos videri.

No. 51. XXVIII. Singularis est numulus 15. ex una tantum parte signatus, sistens B. Matthiam dextra securim sinistra librum præferentem cum titulo S. MATTHIAS ORA PRO NOBIS. Neminem fore arbitror numariæ rei scientia vel leviter tinctum, quin statim ex literarum elegantiore ductu hunc numum recentiore & seculo demum XVII. signatum deprehensurus sit. Sed quid hoc sedulo civibus cum invocatione Sanctorum fuit negotii? cur formula: *Ora pro nobis*, qua a reformationis auspiciis solum Jesum Christum, summum Christianorum sacerdotem & in cœlis intercessorem, compellare didicerant, revocato antiquo errore sanctum invocassent? Qua ergo occasione hic numus cusus? Si meam hic aperire sententiam deberem, asserere non dubitarem, numulum hunc anno 1630. non quidem publica auctoritate, sed curantibus Jesuitis Goslariensibus prodiisse. Cum enim exercitu fœderatorum ad Lutteram profligato, ferale illud edictum de restituendis bonis ecclesiasticis prodiret: statim apud nos, pulsis canonicis, in ecclesiam SS. Simonis & Judæ, quæ a S. Matthia nomen tum habebat, irruperunt Jesuitæ, omnibusque hujus ecclesiæ reditibus sibi vindicatis acceptoque simul a Cæsare Monasterio Woltingerodano fundamenta moliti sunt Collegii splendidissimi, adeoque se jactarunt in novo hospitio, quasi totam Civitatem Pontificis subjugatum venissent. Cum igitur ecclesiam B. Matthiæ occupassent, nec satis diu malè parta felicitate sibi viderentur fruituri, quid mirum, si Patroni, cui ecclesia ista non minus ac SS. Simoni & Judæ dedicata fuerat, invocaverint præsidium, ejusque honori etiam hunc numum signari curarint. Æruscatorum sanè fraudibus in tantum mutata fuerat monetæ Goslariensis facies, ut monetandi jus impune tùm exercerent privati, e quibus facilè unum aut alterum invenerunt Jesuitæ, qui eorum consilio ejusmodi numos signaret, ut fucum scilicet facerent exteris, Goslariamque jam ferè ad Pontificis castra defeciisse persuaderent. Sed de hoc videant alii. Mihi sanè hoc videtur vel maximè credibile.

Antiqv. Gosl. ant. Har. ad lib. 6. p. 5. 62. sq.

XXIX. Adjecti sunt minoribus tres seu thaleri seu floreni jam post reformationem cusi, sed retinentes tamen in altera facie B. Mariæ imaginem cum lemmate MARIA MATER DOMINI, in altera aquilam Goslariensem cum perigraphe: MONETA CIVITA. IMPERIALIS GOSLARIENSIS. Primus cusus est anno 1542. eo ipso anno, quo exuto ditionibus Henrico Juniore Duce Brunsvicensi, Goslarienses ad venarum metallicarum possessionem postliminiò redierunt. Secundus anno 1544. quo istarum fructibus adhuc fruebantur. Tertius anno 1545. quo Henricus Ducatum armis repetitum veniens a fœderis Smalcaldici sociis captus profligatusque Goslariensibus venas metallicas denuò reliquit, ex quarum fructibus mirum est, quantum his annis argenti signatum sit, cum multa thalerorum millia in bellum Brunsvicense pariter & Smalcaldense essent eroganda.

XXX. Explicata jam & hac tabula, quæ primos sistit numos solidos, ex eo tempore, quo bracteatorum usus eviluit, Goslariæ cusos; nunc quo tempore id factum sit meritò disquirimus. Paucis vero ut mentem nostram aperiamus, in ea sumus sententia, quam & suprà jam prodidimus, factum id esse seculo XV. expirante, cum bracteatorum fragilitate multùm per tot secula argenti periisse experiundo demum homines didicissent. Primæ e Civitatibus Hanseaticis rem ausæ sunt Lubecca, Hamburgum, Rostochium & Wismaria, de quibus Cranzius: *Anno 1408*, inquit *quatuor urbes Lubeca, Hamburgum, Rostochium, & Wismaria paulisper levato mallo, quod auri nova pondera deposcebant, novum instituunt cudere numisma*, Grossos, *nostri* solidos *vocant, ad differentiam minoris numismatis, quod* Cavum *dicitur*. Hoc institutum secutæ sunt deinde & reliquæ Hanseaticæ civitates & in his Goslaria, Grossorum ejusmodi fœcunda parens. Nata indè est Inscriptio MONETA NOVA, in hunc usque diem servata, quâ mutatum monetæ pondus & e bracteato solidum factum indicare voluerunt. Quod & Dn. Sperlingius videtur concedere, de hac voce ita differens: *Nondum enim seculo XIV. Moneta nomen didicerant nummis inscribere Christiani, ex quò Deam Monetam in nummis Romanorum deseruerant. Seculò XV. primùm in numis iterùm Moneta nomen prodiit aliò sensu, quam inter Romanos, ut seculo XVI. MONETA NOVA.* Et quamvis in prioribus errare videatur laudatissimus Sperlingius, cum multò prius *Moneta* vocem etiam in numis bracteatis invaluisse multis exemplis demonstret Cl. Schlegelius: in origine tamen formulæ MONETA NOVA asserenda ei accedere non dubito. In nullis, quos vidi, bracteatis ea se mihi obtulit. Et quamvis sint, in quibus M.N. habetur, nolim tamen has literas legere *Moneta Nova*, sed una voce: MoNeta: Nota enim est perversa antiquorum in abbreviandis vocibus consuetudo, quâ sæpè tam monstrosæ voces prodierunt, ut quid sibi velint, solis conjecturis plerumque assequamur. Quid de Abbatum Pegavienſium numis, in quibus disertè voces MoNeta NOVA haberi scribit laudatus Schlegelius, sentiendum sit, nemo non videt.

ap. Sperling. De num. cavis p. 73. sq.

Sperling. diss. de bracteat. orig. p. 19.

Schlegel. de num. Isen. p. 41.

Olear. Isagog. c. 3. p. 20.

TAB. III.

XXXI. Numorum hâc tabula tertiâ comprehensorum, partim argenteorum partim aureorum nullus explicatione indiget, si fortè binos illos n. 63. & 66, conspi-

cisq;

tiendos excipias. Attamen dicemus etiam nonnulla de numis n. 56. 57. 59. ut & de numo 69. elegantia nulli secundo, Cetera sua luce radiabunt.

No. 56. 57 59. XXXII. Numi igitur 56. & 57. S. Matthiæ 59. SS. Simonis & Judæ præferunt imagines, quod eo magis mirum videri possit, cum primus anno 1548. secundus anno 1550. tertius anno 1552. ex officina nostra prodierint, cum ab ipsis reformationis auspiciis nullus amplius cusus sit numulus, alius quam Mariæ imagine notatus. Nec poterant sane sine venerationis specie antiquorum Divos tutelares in numis retinere. Sed cur his præcipue annis antiquum cuneum adhibere ausi sunt? Id manifestum est, si quis tempora considerat. Erant tum turbæ istæ intermisticæ, quibus perterritæ singulæ fere per viciniam urbes, rejecto licet libro isthoc infausto, ceremonias tamen quosdam adiaphoras suscipiebant, & quicquid repugnare conscientiæ non videbatur, æquo ferebant animo. Qua occasione & numos hos a tanto tempore non visos denuo prodiisse in lucem reor.

No. 65. 66 XXXIII. Majoris momenti sunt numi n. 65. & 66. adumbrati, iique licet D. Julii Ducis Brunsvico Luneburgensis, Goslariæ tamen cusi, ut ipsi numi docent. Habes in altera horum thalerorum (vulgo Brillen Thaler audiunt) facie insignia Ducum Brunsvicensium cum perigraphe: JVLIVS D.G. D. BRVN. N R. M. A. D. I. In altera eqvum prosilientem sub qvo annus 1588. & literæ I. M. C. M. vel MICM. pone hunc virum Sylvestrem sinistra candelam ardentem cum capite sceleti clepsydra & nonnunquam perspicillo tenentem, quibus circumscriptum ALIIS INSERVIENDO CONSVMOR GOSLARIAE. In priore numo hæ præterea literæ apparent: W. H. D. A. L. V. B. D. S. S. N. H. V. K. W. In posteriore vero sequentes: W. H. D. A. E. V. R. D. S. S. N. R. V. K. W.

Nemo non videt hosce thaleros habere aliquid mysterii, cui tamen explicando cum multi adhuc inventi sint œdipi, tria tantum addere juvat. Primò plures esse ejusmodi thaleros ejusdem cælaturæ, diversis tamen annis cusos veluti 1587. 1589. & 1590. In quibusdam Goslariæ nomen omittitur in aliis habetur. Sunt etiam semithaleri & thaleri quadrantes & thaleri funebres iisdem figuris notati, quod argumento est, hoc ænigma mirum in modum huic principi placuisse. Imo ejusdem typi numos etiam ab Henrico Julio ao. 1595. cusos esse contra factionem Asseburgensem, compertum habeo. Qui tamen huc non pertinent. Deinde sciendum, qua occasione hi thaleri Goslariæ fuerint cusi. Henricus nimirùm Junior difficili obsidione anno 1552. Goslariensibus eripuerat venas metallicas Ramelsbergenses, de quibus adhuc diu admodum in Camera Spirensi litigatum fuerat. Signando igitur æri cum nullus esset oportunior locus, delectum est monasterium vicinum Richenbergense, quod vallis præmunitum arcis præ se ferebat speciem. Denique cum hoc monasterii Conventui minus videretur commodum, Julio Principi obtulit curiam suam Goslariæ sitam prope portam S. Viti, quam etiam laudatus Princeps statim justo pretio emit monetamque Richenbergensem eò transtulit, quæ etiam curiæ nomen fecit, ut hodienum vocetur Die Münze / licet dudum sit, ex quo nullum in ea argentum signatum constat. Ex hac igitur curia prodierunt hi numi, ideo nomen Goslariæ præferentes. Sed quid sibi volunt inscriptiones & sigla tum in perigraphe tum in ipso orbe conspicua? Hoc tertium est, quod notandum videtur. ALIIS INSERVIENDO CONSUMOR Symbolum fuit Divi Principis. Literæ W. H. D. A. L. V. B. D. S. S. N. R. V. K. W. ita legendæ sunt:

Tenzel. dial. mensir. ao. 1692. p. 797 Schlegel, Bibl. in num. p. 16. 209. & 412 suppl. I. p. 102.

Was Helfen Dem Auge Leuchter Vnd Brill
Der Sich Selbst Nicht Rahten Vnd Kennen Will.

At in posteriore numo cum perspicillum non adsit & literæ quoque aliter se habeant, W. H. D. A. E. V. R. D. S. S. N. R. V. K. W. alium esse oportet literarum sensum, quem aliis divinandum reliquimus. Nec magis perspicuæ sunt Literæ MICM. aut ut in priore nemo habentur I M C M. quæ tamen ab aliis explicantur: INVITVS MORDENS CUR MORDEOR. At evidentiores hæ in altera facie post Principis titulum conspiciendæ: N. R. M. A. D. I. hunc quippe sensum habentes: *Non Recedet Malum A Domo Ingrati.* Ceterùm an hoc ænigmatico numismate Goslarienses, qui oblatas a Julio Principe conditiones accipere noluerunt, notentur, quod nuper nonnemo documentis quibusdam probari posse asserebat, nos quidem in medio relinquimus.

No. 68. XXXIV. Elegantissimus porrò & spectatu dignus est Numus 68. exhibens in antica laureatam Rudolphi II. Imperatoris faciem cum titulo RVDOLPHUS. II. D. G. ROM. IMP. *semper Augustus*: in postica insignia Goslariensis Civitatis cum lemmate GOSLARIA CIVITAS IMPERIALIS. Procul dubio hic numus est homagialis anno 1576. cuius, quo Sacramentum fidei dixere Cives.

TAB. IV.

XXXV. Paucis adhuc delibabimus numos recentissimos in ultima tabula delineatos. Numi igitur 73. 74. 75. cusi sunt ipso anno 1622, quo æruscatorum nequitia summa imis apud nos miscuit. Hi tamen sunt puriores, forte in memoriam homagii Ferdinando II. præstiti a senatu signati, quod tamen miror in hunc annum dilatum. Minor n. 76. necessitate videtur cusus, quoniam æruscatores puriori argenti numos omnes ad ustrinã damnaverant. Numus 77, aureus procul dubio est homagialis ejusdem

No. 73. 74 75. No. 76. No. 77.

dem Ferdinandi II. memoriæ cusus. Sistitur, hic in anteriore facie Cæsar paludatus coronatusque, dextra sceptrum, sinistra globum imperialem præferens. Sub pedibus palatium Cæsareum Goslariense, portam obstructam Cæsaream Das Kayser Thor & Ecclesiam SS. Simonis & Judæ videre mihi videor, perigraphe: FERDINANDUS II. D. G. ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS. In aversa insignia Goslariensis civitatis ambit hæc Inscriptio: Moneta Nova AVREA. CIVITATIS IMPERIALIS GOSLARIENSIS.

No. 78. Numus 78. ejusdem est cum præcedente generis, homagialis nimirum, elegantia nulli secundus. Habes hic Ferdinandi II. protomen laureatam cum titulo: FERDINANDVS. II. D. G. ROM. IMP. SEMP. AVG. in aversa civitatis nostræ simulacrum, cui insignia imminent, cum lemmate: LIBERA IMPERII CIVITAS.

No. 79. N. 79. eodem anno cusus est, quo civitas edicto Cæsareo *de restituendis bonis ecclesiasticis* compulsa multum detrimenti a Franciscanis & Jesuitis passa est. Mirum inter has turbas de cudenda moneta fuisse cogitatum.

No. 80. Numus 80. anno 1623 cusus eadem, qua n. 76. occasione, nimirum abolita æruscatorum malæ notæ moneta numi puriores imposterum commerciis inservirent.

No. 81. 82. Numi 81. & 82. denuo sunt homagiales, D. Leopoldi memoriæ sacrati. In priorem tamen vitium irrepsit, Num loco 1650 legendum 1659.

Tres ultimi, quorum duo priores ex officina Dn Wermuthii, celeberrimi Artificis prodierunt, Nonis Novembris Anni MDCCV. nobis in memoriam revocant, quibus HOMAGIUM NOVI IMPERATORIS NOMINE AB ILLVSTRISS. COMITE SCHWARZBURGICO ALBERTO ANTONIO LEGATO SUSCEPTUM. Quæ publica lætitia cum adhuc in civium animis tanquam monumento ære perenniore inscripta perennet, nostro non eget stylo. Vovemus potius, ut SpE IN JESU DEI ET MARIÆ FILIO collocata, sub Augusto Augusti Imperio floreat Religio, floreat Senatus, cives denique non interruptis pacis & concordiæ bonis perpetuo perfruantur.

TANTVM.

JO. MICH.
HEINECCII
DISSERTATIO
DE
ANTIQVISSIMO REGIONIS, GOSLARIAM AMBIENTIS, STATU
ET
CRODONE
inprimis
HARRZBURGICO,
EX GENUINIS ET ANTIQVIS SCRIPTORIBUS ALIISQVE MONUMENTIS CONGESTA.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA GENSCHIANA.

VOLLSTÄNDIGE ANLEITUNG ZUR ANFERTIGUNG VON PHOTOGRAPHIEN AUF PAPIER

VON

DR. HERMANN VOGEL

TAB. *ad dissertationem.*

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

DISSERTATIO DE CRODONE HARZBURGICO

CAP. I.

DE Antiquissimo hujus viciniæ Statu.

§. I. *An ante diluvium hanc viciniam homines inhabitarint.*
§. II. *Ipsius diluvii per viciniam vestigia.*
§. III. *Conchæ marinæ apud nos diluvii indices.*
§. IV. *Harzicus saltus antiquis notus.*
§. V. *An Gothi hic habitarint?*
§. VI. *An Bructeri.*
§. VII. *Recensentur auctores qui Cheruscos hic quærunt.*
§. IIX. *Variorum de Cheruscis sententiæ.*
§. IX. *Inquiritur accuratius ubi Cherusci habitarint.*
§. X. *Circa Goslariam Cheruscos habitasse conceditur.*
§. XI. *Ad objectiones aliquot respondetur.*
§. XII. *Expenditur Conringii sententia, qui Chaucos hic vicinia habitasse credit.*
§. XIII. *Locus Ptolomæi expenditur, ex quo Campsanos hic habitasse colligi posset.*
§. XIV. *Romani brevi tempore his regionibus imperarunt.*
§. XV. *Nec unquam Cheruscos denuo perdomuerunt.*
§. XVI. *Cheruscorũ sedes occuparunt Thuringi*
§. XVII. *Quo tempore Thuringi has regiones occuparunt.*
§. XVIII. *An Attila viciniam turbaverit & a Stederburgensibus prostigatus sit.*
§. XIX. *In quonam pago situ Goslariensis ager.*
§. XX. *Goslariensis ager in pago Hartingaco situs est.*
§. XXI. *Regnum Thuringorum excisum.*
§. XXII. *Saxones Thuringiam ch Unstrutam in victoria præmium accipiunt.*
§. XXIII. *Cranzius eumq; secuti dormitasse comperiuntur.*
§. XXIV. *Carolus M. victor etiam harum regionum.*

§. I.

An ante diluviũ hanc viciniam homines inhabitarint.

Ommentaturus nonnulla de Crodone Harzburgico, famoso illo harum regionum Deastro, cujus ætas nostram historiæ Goslariensis epocham antecedit, videor mihi facturus operæ pretium, si paulula præmisero de antiquissimo hujus viciniæ statu, priscisq; Hercyniæ accolis, qui ante invectos Christianæ disciplinæ ritus conditamque Goslariam hic sedes fixisse perhibentur. Et actum quidem ageremus, si ad antiquissima illa & diluvio priora tempora descenderemus. Tã pauca enim sacræ paginæ nobis ex illo ævo servarunt, ut quicquid superaddas, conjecturis meris nitatur. Nec tamen negaverim omnino, has terras ante diluvium sive a gigantibus, sive justæ staturæ hominibus fuisse cultas. Adeo prægnantes enim Conringii sunt rationes, quibus id stabilivit, ut frustra conjecturas debiliores firmioribus opponas. Miræ enim illæ Saxorum compages, quæ tum in Helmstadiensi, tum in Blankenburgensi agro occurrunt, inusitatæ magnitudinis sunt, auctoresque indicant ultra communem hominum mensuram progressos, nisi forte mechanicas artes harum regionum incolis jam inde ab antiquissimis usq; temporibus non ignotas fuisse malis, quæ tamen altioris profecto rei esset indaginis. Et certe non video, cum Cimbris & Septentrionalibus gentibus concedamus, ut ex ejusmodi admirandis operibus gigantes sibi gentiles probent, quidni & viciniæ nostræ idem jus indulgendum sit, cum nostra opera, inprimis Blankoburgensis ille murus septentrionalia illâ aut superent magnitudine, aut certe æquent. Sed Conringio hæc accuratissime pertractante, non opus erit, Iliada post Homerum scribere.

Conring. de antiquo statu Helmst. & vicin. p. 3. sqq.

Sax Gram. præf. Op. Olaus Magn. l. 5 c. 1. Arngr. Jon. c. 4. descript. Island. Olaus Worm. l. 1. monum. Dan. c. 6.

Diluvii vestigia per viciniam.

§. II. Nec magis videtur necessarium de ipso diluvio universali hic subtiles quæstiunculas nectere. Cum enim ipsa scriptura S. luculenter ejus universitatem demonstret, ut non temere quispiam præter Peyrerium insanientem eam vocare in dubium ausurus sit, omnino & has terras communem tum orbis subiisse sortem certum est & indubitatum. Et certe dici non potest, quot in vicinia nostra aquis non nimium irrigua magni cujusdem ac insignis cataclismi vestigia extent, quem frustra de alio quam universali illo interpreteris. Vnde enim ossa illa ignotorum animalium, quibus unicornis Hercynici nomine

nonnullis illuditur, unde arbores proceræ satis & trabes, quæ in aluminosis vicinæ Hildesiensis terræ locis nonnunquam effodiuntur, nisi ab inundatione ista? Nec enim est, quod hæc tanto tempore integra manere potuisse negemus. Compertum enim est, ossa non minus quam ligna limosa tellure tecta & ab aëris accessu remota sensim lapidescere, formamq;, materia non nihil transmutata, retinere, quod egregie demonstrat laudatissimus Conringius, cujus argumentis ex ipso Goslariensi agro probationem addam omni exceptione majorem. In vicino monte Ramelino fossores dudum in ipsis fodinis reperere loca, in quibus antiquitus laboratum esse collegerunt. In istis vero se offerunt trabes satis magnæ, quæ ob eundem, quam dixi rationem, lapidis fere assumsere naturam, ceu ipse hisce oculis vidi. Quamvis igitur hæ trabes non sint ab universali isto diluvio reliquæ, sed ex statuminibus; quibus fossores ante aliquot secula cavernas interiores firmarunt; probant tamen luculenter id quod demonstrandum sibi sumserat Conringius, ossa nimirum & ligna, si in limosas aut argillosas terras incidant, lapidescere & a putredine conservari.

Conchæ marinæ apud nos diluvii vestigia indices.

§. III. Pertinet huc etiam vicinus urbi collis monti Petrino contiguus, in quo insignis cujusdam & universalis cataclysmi haut obscura deprehendas. Superiore enim anno tempus ambulatiuncula æstiva cum amico fallens, incidi ibi in terram fabulosam & marino limo tam similem, ut, si duritiem & siccitatem exceperis, nihil posset esse similius. Eam cum paulo curatius uterq; inspiceremus conchyliorum in illo testas tam copiosas tamque varias reperimus, ut vel e medio mari petitam crederes. Statim suboluit nobis plura ibi hujus generis conchylia latere. Hinc terram fodere cœpimus totumque tractum iis invenimus refertissimum. Videas hic turbines, videas conchas, easque iterum variæ formæ ac magnitudinis, silice quovis duriores, coloris tamen nativi servantissimas. Quæso unde hæc putemus in collem istum translata? & in eum quidem collem, quem nec amnis quidem ullus, nec fluvius alluit? & in quem, si vel maxime fluvii quam proximi essent, aquarum vis ascendere non posset? Certe hæc liquido ostendunt, mare quondam aquis suis editora hæc loca inundasse, quod sane nunquam nisi in universali isto diluvio factum constat. Meminit etiam ejusmodi concharum in montibus quoq; altissimis obviarum Conringius, sed in oris his reperiri non meminit, copiolius alias hoc argumentum tractaturus. Eas tamen ad universalem cataclysmum referendas & ipse existimat, desertis Goropii Becani & Vlyssis Aldrovandi sententiis, qui istas testas in ipsis montibus generari crediderunt. Et id quidem verum videretur, si vivæ nonnunquam reperirentur conchæ, quales in Carniola nonnunquam in mediis Saxis reperiri auctor est Valvassor. At vero cum nudæ appareant testæ telluriq; ac lapidi firmissime inhærentes, nec unquam hoc genus vivum diligentissime licet a me quæsitum inveniatur, difficilis profecto erit ratio cur natura se ipsam deserat, cur non amplius vivas producat conchas, quas olim uberrime produxit. Sin nudas testas in montibus gigni malis, quærendum amplius esset, cur hoc vel illo in loco tam copiosæ, alio nullæ gignantur. Scio equidem miros nonnunquam naturam procreare fœtus, & in fossilibus præcipue haut raro ludere: Sed quis ea uno loco tam copiosa reperit, ejusdem generis, quam conchæ ejusmodi reperiuntur. Nec est, quod moveri nos patiamur testarum illarum natura, quæ ad lapideam haut parum accedere videtur. Conchas enim ut & alia corpora lapidescere egregie demonstrat Jo. Daniel Major, tum ad Fabri Columnæ tractatum de purpura, tum singulari dissertatione de Cancris & serpentibus petrefactis, ubi hanc metamorphosim exemplis quam plurimis curiose demonstrat. Nugacior est Olympiodori sententia, ita ad primum Aristotelis meteorologicum commentantis: *Fortasse vehementiora venti in altum testacea ista abripientes a finibus maris usq; ad juga montium celsissima projecerunt.* Vix enim concipi potest ventus tam validus, qui ex oceano aut regionibus remotioribus testacea hæc in collem hunc tam copiosa projecerit. Rectius ergo sentire videntur, qui hoc concharum montensium genus inundationi cuidam universali adscribunt, quod tanto consensu veteres æque ac recentiores faciunt, ut Herodotus, Theophrastus, Eratosthenes apud Strabonem, ipseq; Strabo, Polybius, Pomponius Mela, Ovidius, Solinus, Philo, Plutarchus, Tertullianus, Isidorus plutesq; alii vim argumenti hujus deprehenderint. Operosum admodum esset omnium hic loca proferre, aliquorum tamen verba audire juvat cum videam ea a Conringio non esse adducta. Elegantia igitur non minus, quam memorabilia sunt illa Ovidii, ubi de diluvio agit:

Jo. Dan. Major. ad Fabri Col. Tr. de purpura c. 1. §. 6. 7. p. 20.

Id. Diss. de petref. cancror. & serpent. a. 1654.

Ovid. l. 15. metam.

Vidi ego, quod quondam fuerat solidissima tellus,
Esse fretum: Vidi factas ex æquore terras:
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus ancora summis.

Quamvis igitur de ancoris motensibus, num ad universalis illius cataclysmi reliquias referendæ sint, merito dubitandum sit, videaturq; poëta de suo aliquid addidisse, rectius tamen ex concharum testis mare aliquando exundasse & supra ipsa montium juga stagnasse colligit. Id quod etiam placet Plutarcho ita de Ægypto differenti: Θάλασσα γὰρ ἦν ἡ Αἴγυπτος· διὸ πολλὰ μὲν ἐν τοῖς μετεώροις καὶ τοῖς ὄρεσιν ἰχθύων εὑρίσκεσθαι μέχρι νῦν καὶ χοιρύλια ἔχειν. Mare enim

Plutarch. lib. de Iside.

Tab. ad diss. fig. 6.

Conring. l. c. p. 30. sq Ulyss. Aldrovant. l. 3. de Test. c. 1.

nim Ægyptus erat, *ideoque plura hodienum in metallis aq; ac montibus conchylia inveniuntur.* Addo hisce paganis philosophis Christianos, e quorum numero Tertullianus: *Mutavit*, inquit, *& totus orbis, aliquando aquis omnibus obsitus, adhuc maris conchæ & buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare, etiam ardua fluitasse.* Eo non multum junior Origines idem diluvium adstruere laborans, Xenophanis Colophonii adducit verba: *In medio terra & in montibus concharum testa inveniuntur.* Denique huc facit etiam Orosius, cujus verba notatu videntur dignissima: *ex lapidibus, quos in remotis montibus, conchis & Ostreis scabros invenerit, conjici adhuc potest conjectura diluvii:* Hæc jam antiqui ex conchis, istis marinis in terra passim residuis collegerunt, & eorum quidem non pauci, quibus diluvium, Noachicum ne innotuerat quidem. Quid recentioribus naturæ mystis videatur hic quidé prolixius edisserere non vacat, cum non nisi historiam polliceamur Lectori, & ad conchas istas oblata tantum a Conringio occasione paululum deflexerit oratio. Vtinam vero Doctus quidam Goslariensiú Medicus eam reipulicæ literariæ navare operam vellet ut *historiam naturalem vicinia* aliorum exempla secutus evulgaret; habiturus profecto esset campú ad excurrendú latissimum, & tum in regno minerali, quam vegetabili præstare quicquam posset impensa opera dignissimum. Tot enim ipse aliud agens naturæ deprehendi arcana, ut sæpius miratus sim, ea neminis adhuc calamum provocare potuisse. Sed eam fortasse felicitatem posteris fata reservarunt.

Tertull. c. 2. de pallio p. 7. Tom. I Opp

Origen. l. Φιλοσόφ

Oros. l. 1. c. 3.

§. IV. A diluvio omnia in annalibus incerta ac multa nocte obruta apparent, ad eam usque ætatem, qua Græci & Romani exterarum rerum curiosi de Celtis etiam & Germanis nonnulla garrire cœperunt. Sed pauca ea esse & non satis ubique explorata norunt omnes, qui patrias antiquitates ad exterarum narratiunculas exigere conati sunt. Inprimis hæ regiones, quæ Saxoniæ nomine posteris temporibus claruere, tam ignotæ istis scriptoribus fuere, ut vix ejus meminerint. Frequentes equidem apud veteres Hercyniæ mentio, ab ipso Aristotelis ævo multis decantatæ scriptorum fabulis; sed eo nomine non tam hæc vicina juga ac saltus, quam omnes per Germaniam sylvas longissimis tractibus connexas veniisse dudum est inter eruditos explicatum, idque inprimis constat e Cæsaris commentariis. Ut adeo Thuringicis, Alsatlis, Suevicis, Bohemicis, Westphalicisque sylvis hoc nomen ex æquo olim traditum videatur. Ex omnibus tamen his sylvis sola hæc quæ per viciniam longo tractu extenditur commune nomen retinuit, sive illud a voce Germanico Hart sive a duritie incolarum cum Henrico Rosla repetere malis, quamvis hæc sententia satis frigida videatur Meibomio. Nec tamen plane has regiones præterierunt ii antiqui scriptores, quibus Romanorum ævo Germaniam sibi familiorem reddere licuit. Meminit enim Cæsar Sylvæ *Bacenis*, quam eandem cum Harzica nostra esse, demonstravit Cluverius, quemadmodum mons *Melibocus* Ptolomæi ad hæc loca pertinere, nostrumque Brocken-Berg referre eruditis videtur. Ejus sane sententiæ, quod ad Melibocum attinet præter Cluverum, Meibomium aliosque est Bilibald Pirkheimer, licet Bacenim sylvam inter Suevos & Cheruscos discurrentem de Semana Ptolomæi, hoc est Thuringica explicare malit. Quæ sententia Danckwertho quoque probata cum Cluveriana facile conciliari posse videtur, si Bacenim sylvam, partem antiquæ Hercyniæ, Thuringicam æque ac nostram in se complexam esse cum Hottomanno & Sagittario dicamus.

Rosl. Herl p. 793. & de metall. Harz, n. 3 Cluver. l. 3 Germ. Ant. c. 5. Dankvv. Chron. Sl. Holst. Prikh. ap. Schard. Tom. I. p. 91. Hott. not. ad Cæs. l. c. Sag. l. 1. de regn. Thur c. 4. p. 76.

§. V. Antiquissimos harum regionum incolas Gothos fuisse suspicatur Conringius, quos ante ipsorum Chaucorum adventum huc terrarum migrasse, atque inde in tractum illum borealem secessisse existimat. Sed eam sententiam Arnkielio etiam probatam nullius tamen antiqui scriptoris firmatam testimonio quibus argumentis confirmare nitatur doctissimus Conringius, paucis erit dispiciendum. Primo igitur id colligit ex nominibus compluribus opidorum vicorumque, queis etiamnum & nostra hæc & Gothia Scandinaviæ loca designentur. Sic enim notum est in Hallandia occurrere Halmstadium, Warbergam, Falkenburgum, Gotingam, insulam Anholt, Sckeningam, Westerwikum, Sœwede hæred, quemadmodum & in vicinia nostra non ignorantur Helmstadium, Warberga, Falkensteinium, Gotinga, principatus Anhaltinus, Schœninga, Osterwicum Sœwe. Porro cum regiones nostras terminet Albis, quem patria lingua die Elbe vocemus, constat etiam Gothis non modo præcipuos fluvios vocati Elff/ verum etiam id nomen appellativum apud eos esse omnibus fluminibus commune, id quod magno judicio deducit laudatus Conringius. Ex hac igitur nominum insigni convenientia consequi putat, unam eandemque gentem eadem nomina vicis utrisque imposuisse, & Gothos antiquissimis temporibus has regiones tenuisse, atque inde in Scandinaviam commigrasse. Sed quantum huic argumento insit roboris facile patet. Si ex nominum enim convenientia quicquam coneludere liceret adeo vetustum, nescio an ullam reperturus sis regionem, e qua non quibusvis populis coloni possint peti. Age consideremus nonnulla: Nota in Anglia Londen, in Svecia Lunden, in Hollatia Lunde; Anglia habet Cambridge, Hannonia, Cameracum, hodie Cambrai, in Anglia claret Grœnwik in Belgio Grœningen, in vicinia nostra Gruningen, Anglia habet

Anglothi hic habitarint. Conr. l. c p. 50. sq. Arkiel. Gentil. Cimbric. c. 3. p. 12.

Harzici montes in scriptoribus antiquis noti?

Cluver. l. 3 Germ. ant. cap. 47. Dalech. ad Plin. l. 16. c. 2. p. 694. Cæsar. Comm. de Bell. Gall. l. 6. c. 25.

Meib. not. ad Henr.

Harvik, Belgium Hardęwik, vicinia nostra Harbke. In Anglia floret Salisburi, in Germania superiori Salisburgum, in Palatinatu Sulzberg, ejusdem omnes originis. Angliam ornat Falmouth, sive Valmuden, viciniam nostram Walmoden. Et quid si Anglorum Norwik, cum nostro Ostervico, Anglorum Oxford cum Franconico Ochsenfurt, Anglorum Stafford cum Magdeburgensium Staffurt componeremus. En igitur si vel solam spectes Britanniam, quod quæso gentes cognata sibi nomina reperient, quarum tamen plures nec a Britannis descendunt, nec Britannis dedere incolas. Saxones enim, quos in Britanniam migrasse constat, Cimbriæ Angriæque partem tantum inhabitasse constat. Quis autem me ferat, si ex Anglorum Norwiko, Grœnwiko, Staffordo, Valmüden & Harwik colligere velim, Britannos antiquissimis temporibus Saxoniæ hujus meliorem partem tenuisse. Nescio certe an non æque vana futura sit hæc conjectura, ac illa, qua inducti nonnulli Belgas ex ipsa Græcia adducunt eo, quod Belgarum Delft, Medenblick / Brül / Vlißingen / Helvoet / Græcorum Delphis, Medeæ, Hellio & Ulyssi nonnihil habeant simile. Pertinet etiam huc; quod ipse Conringius alicubi egregie monuit: *Ex sola quidem affinitate nominum, conjicere de gentium rebus, si nullum aliud adsit argumentum audax esse & temerarium facinus, quis non videt? Quasi vero quidquam sit vulgarius, quam ut soni quadam cognatione diversissima res in diversis linguis conveniant.* Deinde Conringius Gothos Antiquissimis temporibus, hoc est, ante ipsorum Chaucorum adventum hanc viciniam tenuisse credit. Quis vero sibi persuadeat, Helmstadium, Warbergam Osterwicum, Falkensteinium, Sœwe aliaque oppida & vicos ab illo adductos in medium jam inde a mille & septiogentis annis perstitisse, nomina non mutasse, cum tamen vix ulla sylva, vix mons, & regio in his oris illud retinuerit nomen, quo Romanis & Græcis scriptoribus innotuit. Casu igitur potius, quam consilio illam Gothicorum & nostrorum nominum convenientiam contigisse putaverim. Utraque sane gens ejusdem originis, utriusq; linguæ non plane dissimilis quid itaque mirum, si utrique nonnunquam similia nomina exciderunt, præcipue si eadem fuit cognominis occasio, nisi forte Thuringis aut Saxonibus hæc nomina tribuere malis, qui hæc loca post Chaucos tenuere, & ex meridionali illo orbe ambo videntur profecti: Nam vicos hos Thuringorum superare ætatem, nimis est creditu difficile. Sed puto hæc non magnopere indigere refutatione. Altera quoque Conringii ratio non usq; quaq; firmo nititur fundamento. Putat enim omni carere dubio, molliores quasq; regiones prius habitari cœpisse asperioribus, atq; inde verisimile esse Gothos priusquam horridas illas Scandinaviæ provincias intrarint, hasce feliciores adiisse. Enimvero notum est quam dubia res sit omnis demigratione gentium disceptatio, quæ deficientibus genuinis antiquitatis testimoniis solis plerumque nititur conjecturis. Et certe non pauciores reperias rationes, quæ Scandinaviam priusquam Germaniam nostram habitatam persuadere possent, quantumvis eas explodere videatur Conringius. In certa igitur est ista Conringii de Gothis conjectura, soloq; se ingenio Conringii commendat.

Conring. præf. ad Tacit. de morib. Germ.

Gret. prolegom. ad Procop. Rudbek. Atlant. c. 3. 4. Sagittar. Thur. c. 4 p. 59. sqq.

§. VI. Sed missis his antiquioribus ad tempora progredimur Romanis propiora, & historicorum testimoniis aliquanto magis munita. Verum nec hic quidem omnia ita plane ac expedita sunt, ut dubitationi locus non sit. Qui enim Taciti ceterorumq; hujus notæ historicorum lucubrationes explicare aggressi sunt, tres præcipue hic constituunt populos a se multum diversos, *Bructeros* nimirum, *Cheruscos* & *Chaucos*. Expendere itaq; juvat, quænam harum gentium sibi has sedes suo quodam jure vindicare possit. Ordiamur a Bructeris, quos nominatim has regiones tenuisse, plures tradunt. Ptolomæo βρουκτέροι, Straboni βούκτεροι, in tabula itineraria Buructuri, in panegyrico Nazarii Bructeri, ab aliis Bricteri, Boructuarii, Bortharii vocantur, testem celsissimo Paderbornensium monumentorum auctore. De iis itaq; Philippus Melanchton cui plurimum debent renatæ literæ: *Bructeri*, inquit, *sub Goslaria, ubi hodie est* der Brocksberg / *bonam complexi partem ejus regionis, quæ nunc dicitur Saxonia, ira Hildesheym & Brunsvigam. Claudianus:*

An Bructeri circa Goslaria habitarint.

Monum. Paderb. p. 5. Mel. vet. reg. & gent. p. 78. ap Schard. T. 2.

Venit aetola Sylva Bructerus Hercynia.

Nec dissentit a socero Caspar Peucerus, qui ita de Bructeris tradit: *Bructeri sub Goslaria ubi hodie* Der Brockersberg / *quem Melibocum nominant, appellatione veteri: sub quo Semana sylva versus Brunsvigum & Halberstadium & mons Asciburgius ad Ascaniam, cujus nomen conservavit opidum Aschersleben.* Pertinet huc etiam Buntingius ita disserens: Die Bruckteri haben auch daselbst bey den Brocksberg gewohnet / der nach den Nahmen von ihnen behält denn er auff Latein genennet Mons Brückterus. Eidem quoq; sententiæ in novissima Dictionarii Fabro Buchneriani editione favere videtur doctissimus Cellarius, qui in excutienda geographia antiqua vix parem habet, siquidem ipsa pene Melanchtonis verba ibi repetita, & Goslariæ quoq; factam esse mentionem deprehendes. Quid eos in hanc sententiam induxerit facile liquet, nominis nimirum similitudo & Claudiani testimonium. Optime enim Bructerorum nomen convenit cum monte illo editissimo, quem Bructerum nonnulli, alii Germaniæ den Brocken vocant. Sed præterea, quod recens hoc nomen est, & sensim ex veteri illo

Peucer. l. 4. Chron. Car. p. 396

Bunting. part. 1. p. 8.

Vit. Tenz. Dial. mensir. 1694. p. 429.

illo Meliboco formatum, non video quo pacto rem omni teſtimonio deſtitutam ſoli nominis convenientia quadam ſtabilire velimus. Claudiani quoq; teſtimonio uti haut temere velim, quod tantum abeſt, ut vulgari ſententiæ faveat, ut aperte cum illa pugnare videatur. Vocat Bructeros accolas Sylvæ Hercynicæ, libertate Poëtica uſus: Sane enim non Bructeros modo ſed & Chaucos, Cheruſcos, Cattos, Suevos eodem vocare nomine licebit. Notum enim eſt, Sylvæ Hercyniæ nomine iſtis temporibus omnem Sylvarum tractum per Germaniam veniſſe. Nec facile quisquam mihi demonſtrabit, Harzicos noſtros montes Claudiani ævo κατ' ἐξοχὴν Herzyniam appellari cœpiſſe. Huc accedit, quod Claudianus cum Bructeris conjungat Cimbros tanquam vicinos, quod argumentum tanti viſum eſt Althamero, & Henrico Glareano, ut Bructeros ad *eam Hercyniæ partem habitaſſe* ferant, *qua ad Germanicum mare porrigatur.* Vt omittam Freherum rectius illa Claudiani interpretari de Sylva, quæ hodie vocatur der Weſterwald / quam Bructeros avita regione pulſos interjectis temporibus accoluiſſe veriſimile eſt. Enimvero ſatis accurate eorum fines deſcribuntur a Tacito, hunc in modum: *Bructeros ſua urentes expedita cum manu Luſtertinius miſſu Germanici fudit, interq; cædem & prædam reperit unde vicesimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam. Ductum inde agmen, ad ultimos Bructerorum, quantumq; Amiſiam inter & Luppiam amnes vaſtatum.* Ex hoc loco patet, ultimas Bructerorum ſedes in Weſtphalia ad Luppiæ & Amiſiæ fontes fuiſſe, haut procul a ſaltu Teutoburgenſi. Vnde Jodocus Willichius colligit, Bructeros ſive Ptolomæi Buſactaros hodie eſſe Luppianos, Monaſterienſes & Osnabrugenſes, qui a Bructeris etiam nomen retinuerint. Id quod & inde colligitur, quod Bructeri una cum Tencteris Batavis ſe jungere potuerint, memoriæ hoc prodidit Tacitus: *Civilis*, inquiens, *univerſam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri Tenctericq;.* Sed omnium accuratiſſime ultimas Bructerorum ſedes definivit celſiſſimus monumentorum Paderbornenſium auctor, qui, locis Tacitis inter ſe collatis, Dalbruchiam Bructeris aſſignat, *peculiare Paderbornenſis diœceſeos territorium, in quo, uno magno vico excepto, ceteri incolæ longo latoq; ſpatio villis & tugurriis habitant, induſtrii, laboris patientes & militiæ apti.* Et profecto non modo ſitus egregie convenit cum tacitl deſcriptione, quippe inter Luppiam, Amiſiam, Vurlam Gilennamq; amnes, & Teutoburgenſem ſaltum extenſus, verum ipſum etiam nomen Delbrugiæ, unde Mollerus:

Quin & Dalbrugiæ veſtigia nominis inſunt. Sive enim Bructeri nomen a paludibus, quos Broukken Weſtphali vocant, ut ſunt Bructeri, quaſi paludum accolæ ſive a pontibus, qui Brukken appellantur, eſt deductum, Delbrugie utrumq; convenit, quæ & paludoſa eſt, & propterea pontibus aggeribusq; abundat. Verum enim vero concedunt forte omnes Bructeros in Weſtphalia Germanici ætate hæſiſſe. Quid vero ſi mutata ſubinde ſede in has quoq; regiones penetraſſent? Conſtat ſane & nomen eos & ſedem ſæpius mutaſſe, & diſerte a Tacito memoriæ proditum eſt, *pulſis Bructeris ac penitus exciſis vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine in fines eorum antiquos Chamavos & Angrivarios immigraſſe.* Sed nec inde quidem elicies Bructeros ex hoc vlciniam noſtram tenuiſſe. Cui enim eſſet veriſimile gentem frequentiſſimis prœliis tum a Romanis, tum a vicinis nationibus detritam *ac penitus*, ut Tacitus ait, *exciſam*, tantarum virium fuiſſe, ut tranſito Viſurgi per ardua Hercyniæ juga ferro ſibi viam facere, veteresque inde pellere colonos potuerit. Hinc magis crediderim, verum eſſe id quod Monumentorum Paderbornenſium auctori viſum eſt, Bructeros e ſedibus ſuis ejectos, ultra Luppiæ ac Amiſiæ fontes ac ſaltum Tentoburgicum ſparſim ſibi domicilia ad Viſurgim Sylvam Hercyniam & Rhenum inter Coloniam Agrippinam & Haſſos quæſiviſſe. Id quod etiam innuere videtur Petrus Bertius Tabulam Peutingerianam explicans: *Vox Bructuri [Burchuri] indicat Bructerorum regionem. Poſteriores eos vocant Boructuarios, extatq; inter Duisburgium & Werdam oppidum Bronck ejuſdem originis.* Num quædam Bructerorum colonia in ipſam Sarmatiam Pruſſiam penetravit, quod Althamero viſum eſt, videant illi, quorum intereſt. Noſtræ ſane rationes non ferunt, ut has oras Bructeris cum aliis vindicemus.

§. VII. Sed ad Cheruscos demum transeundum eſt, quos has regiones olim jam Taciti ævo tenuiſſe, auctores habeo præſtantiſſimos. Ita enim Melanchton in commentariolo de vocabulis regionum & gentium Germaniæ: *Cheruſci populi Hercyniæ & aliqua pars Thuringorum.* Idem in Chronico Carionis: *Cheruſcos fuiſſe inter Salam & Hercyniam Sylvam verſus Goslariam, non dubium eſt. Et vox Cheruſci adſinis eſt appellationi hujus temporis Hartziſche.* Et paulo poſt: *Vltra Salam ad Hercyniam fuerunt Cheruſci ad Northuſen & Goslariam.* Socerum ſequitur gener Caſpar Peucerus: *Cheruſci Hercynia populi cum bona parte Thuringorum adjacentium Semana Sylva, qua Ptolomæo Cheruſcum a Sueucis disjungit*, die Herziſchen, *ubi ditiones ſunt principum Anhaltinorum & aliquot comitum, Stolbergenſium, Manſfeldenſium, Schwarzburgenſium.* Buntingius quoq; a Meibomio emendatus: Mitt den Cattis und Chadois / das iſt / mit den Heſſen und Sachſen im Lande Braunſchwl. haben gegränzet / wie Cornelius Tacitus weiter anzeiget / die Cheruſci das ſind die Herziſchen / die am Harzwald gewohnet haben / wie ſie denn auch noch heutiges Tages thun. Atque hi quidem ſunt, nominatim Goslariæ Hercyniæq;

Claudian de Conſul. IV. Honor

Althamer. not. ad Tacit. de morib. Germ. p24

H. Glarean. ad eund. p. 73.

ap Schard T. 1.

Tacit. l. 1. annal.

Willich. part. 2. in Tacit. comment. cap. 10. p. 61. ap. Schard. T. 1.

Tacit. l. 4. Hiſtor. c. 21.

Monumēta Paderborn. p. 50.

Conf. David Chytr. lib. 3. Sax. p. 80.

Moller. deſcript. Rheni. l. 3.

Tacit. de morib. Germ. 33.

Bert. lib. 1. Rer. Germ cap. 23.

Recenſentur auctores qui Cheruſcos hic quærunt. Melanch. ton. voc. reg & gent. Germ. p. 79. ap. Schard. T. 1. Chron. Carion. l. 3. p. 194. ſq. Caſp. Peucer. l. 4. Chron. Car. p. 396. Bunting. part. 1. Chron. Brunſv. p. 6.

cyniæque meminerunt. Non pauciores possum laudare, qui licet Goslariam non nominent, easdem tamen regiones Cheruscis assignant: Bilibaldus enim Birkheimerus: *Cherusci*, inquit, *inter Albim fluvium habitabant & Visurgim, dirimebanturq; ab Angrivariis, ut Tacitus scribit, lato aggere, quem illi extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur, - Vnde plane constat, Cheruscos eam in habitasse terram, quæ hodie Saxonia pars est, cum Turingia universa.* Eadem penè est Althamari, Henrici Glareani, Jodoci, Willichii, Jacobi Spigelii, David. Chytraci, Caspari Sagittarii & celeberrimi Schurzfleischii sententia, quorum hic prolixius allegare verba nil opus est. Sed instar omnium nobis hac in re esse debet Philippus Cluverus, qui de sede hujus gentis ex professo in Germania sua antiqua agens aperte illis terras nostras una cum aliis tribuit. Ita enim ibi orationis suæ summam colligit: *Continentur hodie hoc terrarum spatio regiones ista: totus episcopatus Ferdensis, Luneburgensis, ac Brunsvicensis ducatus, duo item episcopatus Hildesbemensis & Halberstadiensis; comitatus Schovenburgensis, Magdeburgiensis Episcopatus pars cis Albim, Marchia antiqua, Dannebergensis Comitatus, Laviburgiensis ducatus portiones cis Albim.* Hæc Cluverus qui tamen paulo latiores Cheruscis terminos videtur statuere. De quare paulo post.

Bilibald. Birckheim. exp. locor. per germ p. 86 Albim. ad Tacit. germ. p. 25 l. c. H. Glarean. l. 1. p. 73. Jod. Willich. f. 51. l. c. Jac Spigel. ad. Richard. Bartholini Perus. Austr. ad l. 1. p. 495. & l. 6. p. 587. ap. Reuber. Dav. Chytr. l. 3. Chron. Sax. p. 80. & procè. p. XVI. Casp. Sagittar. l. 1. de Regn. Thur. c. 4. p. 76. sqq. Schurzfleisch. dissert. 28. p. 3 de Arminio. Cluv. Germ. antiqu. l. 3. c. 19. Knaut antiqu. Ballensted l. 1. c. 3. p. 19

Variorũ de Cheruscis sententiæ.

§. VIII. At vero mirum est de potentissima hac gente, quæ ipsos olim Romanos terrore concussit, non certius inter eruditos constare. Vt enim hi auctores omnes Cheruscos inter Albim & Visurgim ad Hermunduros (& Cattos usq; sedes sibi fixisse ferunt; ita æque fortasse multos reperias, qui in alia omnia eunt. Non dicam jam de celsissimo Monumentorum Paderbornensium auctore, qui Pontanum secutus Cheruscos non omnes intra Visurgim & Albim, sed & non paucos trans Visurgim habitasse ex Dione probat. Levis enim est hic dissensus, & in ceteris nihil mutat auctor accuratissimus. At majoris momenti sunt, quæ Danckwertho Cimbricarum rerum scriptori venerunt in mentem. Is enim Cheruscos eosdem cum Thuringis facit, loco hoc subnixus Taciti: *Ita qui olim boni æquiq; Cherusci nunc inertes ac stulti vocantur.* Putat enim hic latere Thuringorum nomen, eosdemq; qui paulo ante æquibonique Cherusci vocati sint, posteris temporibus nomen adeptos Thuringorum, hoc est, inertium & stultorum, quasi Thoringer / atq; inde omnia Thuringis tribuere audet, quæ de Cheruscis veteres canunt annales. At egregie hanc Danckwerti ingeniosam satis conjectu ram expendit doctissimus Sagittarius, qui licet partem Thuringiæ septentrionalis à Cheruscis olim possessam negare non audeat, operose tamen ac solide demonstrat, nec Thuringos cum Cheruscis eosdem fuisse nec nomen Thuringorum inde derivatũ. Sed quid de iis dicamus, qui Cheruscos in ipsa superiore Germania quæsiverunt. Facit id Sebastian⁹ Munsterus in descriptione Germaniæ: *Cheruscis Kreuchnviensis succesisse, vel ut alii putant Cherusci habitaverunt juxta Albim. Sun etiam, qui eos Ottonicã Sylvã habitasse putant.* Meminit quoq; hujus erroris Althammerus: *Sunt praterea, qui scribunt, Cheruscos eam tenuisse portiunculam Suecie circa Heilbronnam & Wimphen, qua Chrevchgau nunc dicitur, quod mutatis temporibus & ipsi sedes mutarint, excedentes Saxonum finibus illic resederint.* Id sane incredibile fere videtur, Raymundum Martianum in eam delati potuisse sententiam, ut Cheruscos Leodiensis partem territorii fuisse crederet, quæ assertio vix speciem veri præ se ferre videtur; De aliis, qui Heruscorum sedes indagare conati sunt, solum addo limatissimum Schurzfleischii judicium. *Paulo latius interpretatur Cheruscos Girclaxus Canimus in Tab. Italice scripta. Perperam de his Althamerus, angustius existimat Henricus Junius, nil decidit Fr. Philippus Ferrarius in Lex. Geograph. Quod non mirum Peregrinus in Germania Italus fuit.*

Seb. Munster. in descript Germ. p. 241. Altham. l. c.

§. IX. In tanto igitur tot sententiarum divortio quid statuendum nobis sit, non poterit rectius expediri, quam si ipsa veterum scriptorum loca inter se conferamus ex iisq; limites hujus gentis discamus. Tacitus itaque, qui nobis instar omnium est: *In latere*, inquit, *Chaucorum Cattorumq; Cherusci nimiam & marcentem diu pacem illacessitos nutriverunt.* Interjectisq; non nullis addit, *Fosos quoq; conterminam gentem fuisse.* Idem in historiarum libris tradit, *Germanicum Cesarem ad VII. Cal. Junias C. Cœlio L. Pompejo Coss. triumphasse de Cheruscis, Cattisq; & Angrivariis, quaq; alia nationes usq; ad Albim colunt.* Sed & libro undecimo de Cheruscis agens ait *eas æternum cum Cattis discordasse.* Tacito addimus Vellejum, qui pauca hæc de Cheruscis notavit: *Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuari, Bructeri recepti Cherusci gentes & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis: penetrata ulteriora.* Vtroq; vero hoc antiquior Cæsar & ipse Heruscorum hunc in modum meminit: *Sylvam esse ibi infinita magnitudinis, quæ appellatur Bacenis; ac longe introrsus pertinere & pro nativo muro objectum Cheruscos a Suevis, Suevosq; a Cheruscis injuriis incursionibus prohibere* Qui locus Cæsaris omnium est præstantissimus, & præcipue ad ad nos pertinet, quamvis Cluvero non nihil mendi in se habere videatur, de quo paulo post dispiciemus. Agmen claudat Claudianus, qui & ipse Heruscorum sedes, licet brevius, descripsit:

Et ingentes Albim liquere Cherusci.

E græcis scriptoribus Dio etiam sæpius Cheruscorum habuit rationem, qui de Druso ita tradidit, *eum Lupiæ fluminis ripis ponte junctis, Sigambros irrupisse, perq; eos in Cheruscorum fines usq; ad Visurgim processisse,*

Inquiritur accuratius, ubi Cherusci habitarint?

Sagittar. l. c.

Monum Paderb. p. 34. Ist. Pontan. l. 1. de Orig Frãc cap. 9.

Tacitus de morib. Germ.

Id. lib. II. histor. Aug. Id. lic. II. histor.

Vellej. Pater c. l. 2. c. 2,105.

Cæsar. l. 6. de bello Gall.

Claudian Consul. IV Honor.

Dio. l. 54.

Idem

Idem Dio libro ſequenti de Druſo: *Chattorum fines ingreſſus, ad Sueviam usq; proceſſit inde in Cheruscorum agros converſus, Viſurgimq; transgreſſus ad Albim usq; penetravit.* Idem Dio libro LVI. *Cheruscorum fines* vocat Viſurgim flumen. Proximus a Dione eſte Ptolomæus: Hic vero: *Sub Semnonibus*, inquit, *habitant Ilingæ, ſub Ilingis Calucones, ex utroq; latere Albis fluminis, ſub quibus Cheruſci & Campſani usq; ad Melibocum montem, ſub Campſanis vero Chattæ.* Ex his locis vet'erum auctorum hos ſequentes Cheruscorum limites colligimus:

Dio lib. 56.

1) Cherusci Chaucos, Cattos, Feſſosq; attigerunt. Patet id ex Tacito.
2) Cheruſci ad Albim coluerunt. Ex locis Taciti & Claudiani. (runt,
3) Cheruſci cis & trans Viſurgim habita-
4) Cheruſci ad Bacenim Sylvam habirunt, & montem Melibocum. Ex Cæſare & Ptolomæo.
5) Cheruſci a Suevis non longe fuerunt remoti.

Ex his hypotheſibus, quas omnes ex probatiſſimis auctoribus collegimus ſequitur, Cheruſcos terram, quæ Viſurgi, Haſſia, Hercynia & Thuringia ambitur, impleviſſe, ac præterea ultra Viſurgim & Hercyniam non modicam partem tenuiſſe. At vero Septentrionalis ora paulo magis videtur dubia. Hic enim nimium liberalis videtur Cluverus, qui terminos ducit ab ea Albis parte, quæ Lauenburgenſem agrum alluit, usque ad Viſurgim, ubi Aleram excipit. Ita vero fit, ut ſatis exigua regio ſuperſit Chaucis, quos tamen immenſum ſpatium tenuiſſe & impleviſſe teſtatur Tacitus. Videamus igitur an certiora ex ipſo Tacito colligere poſſimus. Is vero Chaucos ita deſcribit: *Hactenus in Occidentem Germaniam novimus, in ſeptentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens quanquam incipiat a Friſiis; ac partem litoris occupet omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usq; ſinuantur, tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci ſed & implent.* Ex his Taciti verbis iterum nonnulla colligimus criteria, ex quibus terminos Cauchorum colligimus. Patet enim inde

1) Cauchos (puta minores) Friſos procul dubio ad Amiſiam attigiſſe.
2) Omne deinde littus ad Albim usque tenuiſſe.
3) Gentium omnium trans Viſurgim ſitarum & a Tacito deſcriptarum veluti Bructerorum, Chamavorum, Amisbariorum, Angrivariorum, Dulgibinorum & Chaſſuariorum lateribus obtenſos.
4) In Cattos usque Chaucorum gentem ſinuatam.
5) Immenſum terrarum ſpatium, hoc eſt, ſatis prolixum tenuiſſe.

Patet itaque terminum inter Chaucos & Cheruſcos figi oportere ab Albi fluvio eo loco ubi Lauenburgenſis ducatus eſt ad illam Viſurgis partem, ubi fluvius flexus paulatim in Occidentem comitatum Schawenburgenſem ambit. Ita enim ſi terminos colloces omnia egregie convenient. Ita Chauci omnes gentes, quas Tacitus retulerat attingent, in ipſosque Cattos ſinuabuntur, ita Cheruſci quoque nec ab Albi, nec a Friſorum terminis neque a Viſurgi removebuntur. Intelligetur quoq; hoc pacto immenſum illud ſpatium, quod Cauchis tribuitur a Tacito. Cum e contrario Cluveri ſententia id habeat incommodi, ut plane non cum Tacito conveniat. Quod & Conringius animadvertit, qui tamen ipſe in contrarium lapſus errorem Cauchis nimis multum tribuiſſe, Cheruſcis fere nihil reliquiſſe videtur. De cujus ſententia paulo poſt dicemus.

§. X. Ex jam dictis luce meridiana clarius eluceſcit, Cheruſcos olim eam impleviſſe terram, quæ nunc Ducatus Lawenburgenſis partem cis Albim Ducatum Brunsvicenſem, partem Luneburgenſis minimam, Marchiam veterem, Halberſtadienſem & Hildeſienſem Epiſcopatus, provincias Magdeburgenſes cis Albim, partemque principatus Anhaltini complectitur. Videant ergo qui cum Cluvero, Cheruſcis totum præterea Ducatum Luneburgenſem, principatum Hannoveranum, Epiſcopatum Verdenſem & Comitatum Schawenburgenſem tribuunt, quo pacto ſuam ſententiam cum Tacito conciliare velint. Nobis ſane termini ſeptentrionales Cheruſcorum ita videntur ponendi, ut ab Albi ubi Ducatus Lawenburgenſis eſt ad eam usque Aleræ partem, ubi Okarus ſe Alleræ miſcet, atque inde ad Viſurgis flexum prope Hamelam civitatem perducantur. Vix igitur dubitandum amplius videtur an Cheruſci etiam vicinam noſtram tenuerint. Id enim ex jam dictis plane non eſt obſcurum.

Circa Goslariá Cheruscos habitaſſe conceditur.

§. XI. Sed huic ſententiæ repugnare nonnulla videntur, quæ ſtudio erunt removenda. *Primo* enim neſcio quid monſtri alere videtur ille locus Cæſaris, qui licet vel præcipue ſylvæ Bacenis faciat mentionem, addit tamen, *hanc ſylvam pro nativo muro objectum Cheruscos a Suevis Suevosque a Cheruſcis injuriis incurſionibusq; prohibere.* Ex hoc ſane loco non obſcure patet, Suevos Cheruſcorum vicinos fuiſſe, eosque populos ab his ſylva Baceni eſſe diſtinctos. Jam vero conſtat, ultra Hercyniam non Suecos, ſed Cattos Chaſſuariosque ſedes habuiſſe. Unde ſequeretur, vel Cheruſcorum fines non recte a nobis ad Bacenin ſylvam extendi, vel certe Bacenin non eſſe Hercyniam noſtram, quod tamen omni dubio carere credideramus. Sed non una ſuppetit virorum doctorum reſponſio, qua id dubium ſolvere conati ſunt. Initio enim Cluverus multis argumentis demonſtrare auſus eſt, Cæſarem non modo, verum etiam alios auctores eum hac in re ſecutos vel-

Ad objectiones aliquot reſpondetur.

Cluver. l. 3. c. 5. Germ. antiqv.

uti

uti Strabonem, Dionem, Svetonium, Florum, Cattos & Svevos non bene inter se distinxisse & sæpius Svevos vocare, quos Cattos appellare debuissent. Quæ si ita essent, nihil plane nobis esset laborandum. Sed huic Cluveri conjecturæ ipse Tacitus contradicit, qui ut observatum est Doctissimo Sagittario, Svevos haut obscure Cheruscorum vicinos statuit. En ipsa verba Taciti: *Sed Suevi prætendebantur, auxilium adversus Cheruscos orantes. Nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu gentis adsvetudine & tum æmulatione gloriæ, arma in se verterant.* Et sane quo pacto in Svevos arma convertere poterant Cherusci, nisi utriusque gentis regiones aliqua parte connexæ fuissent. Nec forte Tacitum ejusdem erroris arguere poterit Cluverus, cujus Cæsarem reum agit. Testatur enim ipsius Taciti de moribus Germanorum commentarius, satis accurate eum inter Cattos & Svevos distinxisse. Hinc Sagittarius aliam excogitavit rationem, qua Cæsaris locum in tuto collocare possit. Ait enim per Svevos apud Cæsarem rectius Hermanduros, Svevicam gentem, intelligi. Et sane diserte Tacitus: *Svecorum non una, ut Cattorum Tencterorumve gens. Majorem enim Germaniæ partem obtinent propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in communi Svevi vocentur.* Nihil ergo inusitatum si Hermunduri a Cæsare vocentur Svevi. Jam vero cum idem doctiss. Sagittarius alibi accurate demonstret Hermunduros, antequam suis sedibus expellerentur, partem Thuringiæ non minimam tenuisse, idque etiam concedat Conringius, facile constabit ratio, cur Cæsar Svevos quoque in Cheruscorum vicinia collocet, limitemque inter utramque gentem constituat sylvam Bacenin, hoc est, nostram Hercyniam. Immo supereſt hodienum in diœcesi Halberstadiensi pagus Svaba, qui cum & Svevicus & Svabingow nonnunquam in diplomatibus audiat, satis apert e declarat Suevos, hoc est, Hermunduros magnam viciniæ partem tenuisse.

Sagitt. l. 1. de regn. Thur. c. 4. p. 77.

Tacit. de morib. Germ.

Sagitt. l. c. p. 60.

Expendi turConringii sententia, qui Chaucos hic viciniæ habitasse credit.

§. XII. At vero majus deinde negotium facessunt nobis Conringii conjecturæ, ingenio tanti viri dignissimæ, quas tamen hic expendere juvat vel eo nomine, quoniam eas & Corbero in historia Goslariensi placuisse animadverto. Ille igitur eruditionis omnis princeps ac Germaniæ nostræ Scaliger, H. Conringius, delecta Cluveri sententia, non Cheruscos sed Chaucos hanc tenuisse viciniam statuit. De hac quidem Conringii opinione quid statuendum sit, rectius nobis forte constaret, si Joannis Schildii & Erpoldi Lindenbrogii, limatissima de Caucis opera jam nobis ad manus essent. Ea vero cum consulere nobis nunc non liceat, id saltem faciendum nobis putavimus, ut primo rationes nostras, quæ non ferant, ut Conringio adsentiamur, proponamus, deinde vero ipsa Conringii argumenta ponderemus. Itaq; supponimus initio, Cheruscorum gentem olim fuisse potentissimam, ipsisque Romanorum annalibus decantatissimam. Chaucos vero vix ulla re fortiter contra Romanos gesta cognitam esse. Utrumque dubio carere puto. Cheruscos enim arma sæpius in Romanos convertisse, plurimumque ad immanem illam cladem Varianam contulisse autores probant innumeri, egregieque demonstrat Monumentorum Paderbornensium auctor. Hinc etiam tantum sibi Romanorum conflarunt odium, ut Tacitus vix eorum sine bile meminerit. E contrario Chaucos fere nunquam Romanis sese opposuisse legeris. Potius Tiberii solo adventu perterriti Velleio teste se dediderunt, cum ille inferiores Cauchorum regiones transiret, & ad Albis ostium cum classe se junctarus penetratet. Immo ipse Tacitus, qui a eorum ingenia collaudat, vocatque ideo *populum inter Germanos nobilissimum, quique magnitudinem suam maluerit justitia tueri, sine cupiditate sive impietate. Quietos secretosque nulla provocasse bella, nullis raptibus aut latrociniis popolatos, idque precipuum virtutis ac virium argumentum esse, quod ut superiores egerint, non per injurias sint assecuti. Promta tamen omnibus fuisse arma, ac si res poscceret, exercitus, plurimum virorum equorumque, & quiescentibus eandem famam.* Jam igitur si tantum Chaucis majoribus spatium tribuas, quantum tribuit Conringius, ita ut eorum regiones Bremenses, Verdenses, Hildeshemenses, Luneburgicos, Brunsvicenses, Halberstadenses, Magdeburgenses Marchionatū veterem Brandeburgicum ad Salam usq; complexa sit, nihil fere relinquetur Cheruscis, sed & a Visurgi contra auctorum testimonia plane sejungentur. Nec concipi poterit, quo pacto Romani tam crebro cum Cheruscis confligentes aquilas ad Albim usque potuerint circumferre, ut non per Chaucorum simul regiones transire necesse habuerint. Denique si transierunt, non satis idonea reddi ratio poterit, cur nunquam cum Romanis arma contulerint, cur potentissima gens inulta servitutem subire voluerit, cur communem Germanicarum gentium causam prodiderit, cur nullam in annalibus reliquerint sui memoriam. Crediderim itaq; eas sedes tenuisse Chaucos, ut non facile cum Romanis collidi possent, Cheruscos vero superiore Visurgi ubi præcipue Romani rem gerebant propiores uberiorem rei gerendæ occasionem bellique causas magis sonticas invenisse. Vix igitur mihi possum persuadere, ut Chaucos has regiones coluisse credam. Altera mea ratio ipsis nititur auctorum testimoniis supra adductis. Ex iis enim patebat, Cheruscos consentiente veterum auctorum suffragio ad Visurgim, Sylvam Bacenim & Albim collocari, iisque vicinos tribui Cattos & Suevos. Jam vero si Conringium

Conring. de statu antiqu. Helmst. p. 68.

Cœrb hist. Gosl. c. 1, n.

Monum. Paderb. p. 33.

Vellej. l. 2. c. 105. Conf. Tacit. l. 1. annal. c. 38.

ſequamur, Chaucosque ab Oceano ad Salam usque extendamus, non potuere ſane Cherusci vel Sylvam Bacenin, vel Visurgim accolere, nec Catti aut Hermunduri eorum limites attingere potuerunt. Atque adeo nunquam nos expediemus, ſi vel maxime & Cattis & Hermundoris alias ſedes aliamque patriam adſignemus. Hæc ſunt, quæ me movent, quo minus cum Conringio faciam, cujus judicio aliàs lubentiſſime faſces ſubmitto. Jam proximum eſt, ut & Conringii argumenta expendamus, quibus ſuam ſententiam tuetur. Ac primo quidem urget Taciti locum, qui Chaucos *immenſum terrarum ſpatium tenuiſſe, nec tenuiſſe tantum ſed & impleviſſe* ferat. Verum enim vero ſpatium, quod Chaucis a Cluvero relinquatur, ſatis exiguum eſſe aſſerit. Sed quod pace venerandorum Conringii Manium dixerim, non multum ineſſe roboris huic argumento puto. Spatium enim immenſum catachreſtice & hyperbolice uſurpatur a Tacito, pro ſpatio ſatis magno ſi cum ceteris gentibus vicinis comparetur. Conſtat vero nec Bructeris nec Angrivariis, nec Chamavis, nec Marſis, nec Dulbingis tantum terrarum ſpatium tribui a Cluvero, quantum Chaucis tribuitur. Nos vero magnam adhuc Saxoniæ partem, quam Cluverus Cheruſcis adſignaverat, Chaucis conceſſimus, ut adeo, ſi de noſtra hypotheſi dicendum eſſet, nec Cherusci nec Catti, nec ulla gentium Germanicarum, Suevos ſi exceperis, tam ſpatioſam regionem tenuerint, quanta a nobis Chaucis tribuitur. Æque facile igitur intelligemus immenſum illud Chaucorum ſpatium, licet vel maxime eorum terminos, ad Salam usque non producamus. Denique abjicit Conringius idem Taciti teſtimonium, ex quo Chaucos omnium gentium paulo antea a ſe recenſitarum lateribus obtendi & in Cattos usque ſinuari, conſtet. Cluverum vero majores Chaucos tam procul a Cattis ſejungere, ut plane non appareat, quo pacto vel gentium a Tacito recenſitarum lateribus obtenduntur, vel in Cattos usque ſinuentur. At eam objectionem ut Cluverum premere non negaverim, ita me plane non tangere animadverto. Noſtra enim hypotheſis in eo nihil habet incommodi. Chaucorumque regiones ſi iis terminis circumſcribantur, quos nos adſignavimus, & omnes gentes Trans-Veſeranas attingent, & in Cattos quoque ſinuabuntur. Tertium præſidium Conringio eſt in lingua harum regionum quæ cum ubique eadem ſit inter Viſurgim & Albim, indicio ſit, unam eandemq; gentem etiam has regiones incoluiſſe. Sed ſi ex lingua colligere id liceret, non modo inferiorem Saxoniam, verum etiam Weſtphaliam & Marchiam utramque, immo totam Pomeraniam unam eandemque gentem incoluiſſe oporteret, cum ubique appareat mira linguæ ſimilitudo. Enim vero conſtat has regiones inter gentes quam plurimas olim fuiſſe diſtractas. Linguam quoq; hodie noſtris hominibus familiarem, ab antiqua multis modis eſſe mutatam, facile poſſet demonſtrari; ſi inſtituti ratio pateretur. Hinc crediderim potius linguam hodiernam puram eſſe Saxonicam, & a Saxonibus, qui has regiones omnes paulatim victricibus armis perdomuere, invectam. Idque eo facilius accidere potuit, quo magis utriusque gentis linguæ convenerunt. De qua re alia forte occaſione oportunior erit dicendi locus. Quæ cum ita ſint, nondum poſſum a me impetrare, ut mutata ſententia Chaucos potius cum Conringio, quam cum Cluvero Cheruſcos hominum noſtrorum majores agnoſcam.

§. XIII. Jam forte opus eſſet amplius addere, quo Cheruſcos hic habitaſſe probemus, niſi & Ptolomæi locum mihi opponi poſſe præviderem. Eum licet jam ſupra adduxerim, hic tamen repetam. Ita autem ſe habet: *Sub Semnonibus*, inquit, *habitant Ilinge, ſub Ilingis Caluçones, ex utroque latere Albis fluminis; ſub quibus Cheruſci, & Campſani usque ad Melibocum montem, ſub Campſanis vero Chatti.* Ex hoc loco colligere quis poſſet, non Cheruſcos, ſed Campſanos hanc viciniam tenuiſſe. Haut obſcure enim a Cheruſcis diſtinguuntur, eorumque ſedes ad Melibocum usque hoc eſt Bructerum nobis vicinum extenduntur. Unde ipſe quoque Cluverus agnoſcit Campſanorum patriam in Cheruſcorum fines incidere, eamque ponendam inter oppida Brunſvic & Wernigerode. At cum nemo veterum, præter Ptolemæum Campſanorum meminerit, ac ipſe Tacitus, qui tamen omnes celebriores Germaniæ gentes ſatis accurate percenſuit, Campſanos præterierit, recte conjicere videtur Cluverus, eos aut partem Cheruſcorum aut clientes fuiſſe. Nec enim inuſitatum eſt, gentem unam eandemque, ſi paulo ſpatioſiorem terrarum tractum tenet, non uno ubique eodemq; nomine cenſeri.

Locus Ptolom. expenditur, ex quo Campſanos hic habitaſſe colligi poſſet.

Cluver. l. 3 c. 19. Germ antiqv.

§. XIV. Cum igitur Cheruſcorum Romani hic ſedes quæſiverimus: ac invenisſe etiam brevi videamur, ſatis aperte inde ſequi putamus, has regiones olim ante Varianam hisregiocladem ſæpe Romanorum armis perluſtranibus tam fuiſſe. Nam quicquid terrarum nationumque inter Rhenum, Albim, Salam atque Danubium flumina ſitum fuit, ipſi crebris bellis diu, jam inde a Julii Cæſaris temporibus pervaſerant, præſidiisque poſitis firmaverant. Teſtatur id Florus: *Miſſus in eam provinciam Druſus primos domuit Vſipetes: inde Tencteros percurrit, & Cattos. Nam Martomanorum ſpoliis inſignibus quendam editum tumulum in trophei modum excoluit. Inde validiſſimas nationes, Cheruſcos, Suevosque & Sicambros pariter aggreſſus eſt: qui viginti centurionibus incremento*

Tempore imperationum Rhenum, Albim, Salam atque Danubium flumina ſitum fuiſſe. Cluver. Germ. antiqv. l. 1 c. 2. Paul. Diac. l. 7. hiſt. miſc. c. 14. p. 847

eis hoc velut sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoria spe, ut pradam in antecessum pactione diviserint. Cherusci equos. Suevi aurum atque argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque preda divisit & vendidit. Preterea in tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albin, per Visurgim; nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. At non diu fructum hunc tot bellorum perceperunt Romani: Cæso enim Quintilio Varo, Cherusci cum Cattis, Marsis & Bructeris victoria potiti jugum excussere ipsisque Romanis servitutem minari visi sunt, & *imperium Romanum, quod*, Floro teste, *in litore Oceani non steterat, ex eo tempore in ripa Rheni fluminis stetit.* Ex hoc tempore sæpius Romani in perdomandis his regionibus suam exercuere virtutem; sed majore plerumque animo quam fortuna. Tiberius certe, qui post Vari cladem hanc provinciam susceperat, licet insigni prudentia bellum administraret, nunquam tamen has regiones in provinciæ formam redigere potuit. Satis quidem magnifice de Tiberii victoriis Vellejus. *Intrata*, inquit, *protinus Germania, subacti Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci gentes & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis: penetrata ulteriora.* Sequente capite Cauchos quoque in deditionem acceptos, Longobardos fractos, & ad quadringentesimum milliarium a Rheno usque ad flumen Albin, qui Senonum Hermundurorumque fines præfluit, Romanum exercitum perductum narrat, nihilque jam in Germania, quod vinci posset, superfuisse scribit, præter genten Maroimanorum. Talia & de Germanico referuntur. Sed notum, quam immodicus in Cæsaris Tiberii laudibus sit Vellejus. Profecto vago bello hae Tiberii Germanici; victoriæ fuere similes, & Romani post hoc nihil sub imperio retinuerunt, nisi Rheno proximos Frisos: Usipios, Tencteros, Jahones, Matthiacos & Alemannos. Vnde & Tacitus Germanos a Rheno remotiores *triumphatos magis, quam victos esse* candide fatetur: Immo idem auctor de historia Germanorum antiquissima præclare meritus diserte asserit ditiones Romanas, quæ olim Albi finiebantur, ab Albi nunc esse disjunctissimas. En iterum ejus verba: *In Hermunduriis Albis oritur flumen inclytum & notum olim: nunc tantum auditur.* Ex quo facile licet colligere, breve admodum & non adeo stabile in has regiones Romanis fuisse imperium.

Flor. l. c.

Vellej. l. 2. c. 105, 106.

Id. l. 2. c. 108.

Tract. de morib. Germ. c. 37

Id. c. 41. de moribus Germ.

Nec unquam Cheruscos perdomuerunt.

§. XV. Ab hoc tempore hæ regiones petitæ magis a Romanis, quam intratæ videntur. Domitianus enim susceptа in Cattos expeditione non nisi triumphum retulit: gentem certe non perdomuit, nec Cheruscos videtur attigisse. Quicquid deinde Honorii tempore Claudianus jactat poëticam licentiam sapit:

Suet. c. 6

Domitian. Aurel. Victor. c. 11 Claudian. Conc. Honor. IV.

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo. Juratur Honorius absens
Implorat quenum supplex Alemannia nomen.
Bastarna venere truces: Venit accola sylvæ
Bructerus Hercynie, latisque paludibus exit
Cimber, & ingentes Albim liquere Cherusci.

Consuetudinem tamen & commercia Romanorum Cheruscos emollitos sensim, non plane spreviisse, docent Romanorum numi hinc inde e terra effossi. Ne enim longius abeam, in agro Brelemensi & Vpemensi reperti sunt hi bini, alter aureus elegantissimus & integritate sua admirabilis, alter aureus satis notus. Ipsos prototypos mecum benevole communicavit Pl. rev. Dnus Winkelmannus Pastor Brelemensis & Vpemensis ætate meritisque conspicuus. Sed de iis forte alibi.

§. XVI. At Cherusci, ut solent res humanæ variæ esse ac instabiles, a pristina fortitudinis gloria interjecto tempore ita desciverunt, ut jam ante Taciti ætatem primo a Cattis, quibuscum æternum discordabant, devincerentur, deinde Thuringis ac demum Saxonibus cedere cogerentur. Thuringos aliquando has regiones Cheruscorum tenuisse, non modo ex pago *Northuringia* patet, qui veteris coloniæ memoriam diutius conservavit, partemque veteris Thuringiæ Septentrionalis in se complexus, ipsam Magdeburgum metropolin videtur habuisse*. Sed & auctores in eo conveniunt omnes, quod Saxones demum Thuringorum in locum his in regionibus successerint, ut ex Eginharti fragmento ab Adamo Bremensi servato, Chronico MSC. Jenensis bibliothecæ, pluribusque recentioribus probat Doctissimus Sagittarius. Sed in eo paululum inter se discordant auctores, quinam Septentrionali Thuringorum terræ fines sint statuendi. Torquatus ex cujus annalibus MSC. Magdeb. & Halberstad, nonnulla producit MSC. Meibomius satis magnum terrarum tractum Thuringis tribuit. *Omnem enim terram illam, que jacet inter Hercyniam, Salam, Albim, immo ultra quoque Brandeburgum usque ad Haveli rivas & ducatum Brunsvicensem, seu Alarim amnem, dictum esse pagum pagi Sax. Northuringorum*, fatetur. Qua in re licet erret, cum pagus Northuringen ab ipsa Septentrionali Thuringia probe sit distinguendus, eosdem tamen Thuringiæ septentrionali terminos recte quidem assignant M. Wagnerus, Auctor selectarum historiarum Landgraviatus Thuringici, Sagittarius, Tenzelius aliique plures. Quamobrem si hos sequi lubet, postumus forte & Goslariæ agrum olim a Thuringis possessum fateri. Sed paulo arctiores Thuringiæ Septentrionali limites statuunt Conringius, & Schurzfleischius. Hi eam tantum terram, quæ ab Vnstruto fluvio in Albim

Cheruscorum sedes occupatum iunt Thuringi. Thuringen aus erlesene Geschichte von der Landgr. Thüringen c. 2. p. 19. *Sagitt. l. c. p.* 292.

Meib. de

Torquat. ann. MSC. Halberst.

Origg. Magdeb. passim in dipl. Ottonis M. Ditmar. Merseb. Adam. Br. l. 1. c. 4.

M. Wagn. p. 106. T. 3

Tenzel. Dial. mensir. 1604. p. 420. Conring. de Orig. jur. germ. c.13. & de antiquo statu Helmst. p. Schurtzfl. diss. 17. de Thur. p.3. Sagitt. l. 1 c.4. p.104.

bim usq; Sala & Ocra amnibus clauditur, Thuringici olim juris fuisse suspicantur. Ex quo sequeretur, veteré Cheruscorum Coloniá agrum hunc aliquanto diutius retinuisse, neç Thuringorum huc pertigisse imperium. Goslariensis enim ager, quamvix sesqui milliare ab Ocra distet: tamen cum cis Ocram situs sit, terminis istis a Conringio & Schurtzfleischio adsignatis non clauditur. Sed multa sunt, quæ nobis alia videntur suadere. Primo enim cum Thuringi e borealibus terris advisurgim & Albim sitis, Sagittario teste, venerint, & Cheruscorum sedes sub suam sensim redegerint potestatem maxime profecto fit verisimile eos septentrionalis Cheruscorum sedes prius, quam meridionales esse ingressos, atq; adeo has terras priusquam trans-Hercynicas sibi subjecisse, atque indç demum ultra Hercyniam ferro sibi patefeciisse viam. Vnde & Sigfridus presbyter Thuringorum imperium â Francorum regionibus usq; ad Oceanum protensum ait. Deinde non video, cur pugnacissima Thuringorum gens Ocra flumine se passa sit coarctari, ac non potius ceteras quoque Cheruscorum regiones sensim sibi subjecerit, præcipue cum debilitatis Cheruscis & pene ad inicitas redactis, id fuerit facillimum. Quamvis igitur vel maxime concedas Cheruscos ex his regionibus a Thuringis non plane fuisse pulsos, id quod & Conringius de Chaucis conjecit, non tamen est credibile, tam vicina potentissima Thuringorum gente, sui juris eos mansisse. Sed multo verisimilius est, eos Thuringorum imperium agnoscere coactos. Denique cum Saxones Thuringorum sedes occupasse certum sit, iidemque regiones cis Ocram jam Francorum ævo tenuerint, recte colligere mihi videor, & Thuringos his regionibus ante Saxones imperasse. Conringius equidem eo potissimum argumento utitur, quod e sex pagis, quos Halberstadiensis episcopatui Ludovicus Pius assignavit; unicus duntaxat Nort. Thuringou appelletur, reliqui audiant Hartingow, Derlingow, Svavia, Hassigow, & Belkisheim; sed inde plane non sequitur, ut Thuringiam septentrionalem cum pago Northuringow iisdem finibus includamus: Pagus enim licet maximus tamen neque ad Salam, neque ad Ocram, neq; ad Vnstratam extensus fuit, ut paulo post apparebit. Atque adeo Thuringia Septentrionalis a reliqua plane fuisset sejuncta, quod tamen non fit verisimile. Notavit id jam Christ. Knaut in dissert, de pagis Anhaltinis: sciendum vero hic est, non totam North-Thuringiam pago Northuringiæ fuisse inclusam, sicuti Torquatus refert, sed multos alios pagos ad Northuringiam pertinuisse; de quibus laudatus Knautius fusius egit.

Knaut. antiquit. pagor. & Comitat. Princip. Anhaltin. §. 6.

Quo tempore

§. XVII. Quo tempore Thuringi in has regiones se effuderint, tam est dubium ac incompertum, ut collatis inter se scriptoribus, eveniat nobis, quod illi apud Terentium, qui se consultis pluribus Causidicis, multo incertiorem, quam ante esse fatebatur. Conringius, qui Hermunduros cum Thuringis eosdem statuit, eos tertio seculo Cheruscorum sedes invasisse, atque inde in ipsos Chaucos Majores, quos has regiones incoluisse putat, imperium propagasse opinatur. Sed cum hanc Conringii hypothesin, cui & Peifferus suffragatur, egregiis argumentis rejecerit Doctiss. Sagittarius, non poterit certi quicquam ex ea colligi. Ipse Sagittarius, recitatis aliorum opinionibus & suo more accurate expensis, Thuringos jam quidem quarto seculo, ex septentrionalibus ad Visurgim & Albim regionibus ad Salam & Werram migrare cœpisse existimat, ante quintum tamen seculum eos certam sibi statuisse sedem vix credit. Quæ cum sua probabilitate non careant, certe seculo quarto septentrionalem hanc Thuringiam ab iis occupatam fuisse fatendum erit.

Thuringi has regiones occuparint?

Pfeiff. in Lipsiens. Orig. l. 1. p.32. sqq.

§. XVIII. Eodem tempore, quo Thuringos in has regiones se effudisse diximus, Romanum Imperium turbare cœperat Attila Hunnorum Rex, de cujus potentia quanta fuerit hominum opinio, ex annalibus patet, qui ejus vires describturi ad fabulas propemodum accedunt, quas accurate, ut solet, expendit Doct. Schurtzfleischius. Illud igitur Dei flagellum cum nonnulli & viciniam hanc nostram turbasse credant, quæstio movenda nobis est: *An Attila nunquam in has regiones pervenerit?* Affirmat hoc Buntingius, cujus Chronicon a Meibomio multo accuratius editum, hac tamen in re nihil mutationis subiit. Ita enim ille: Im Closter Stederburg bey Wolffenbüttel findet man Nachrichtung/daß daselbst bey Attilæ des wütrigen Tyrannen Zeiten ein festes Schloß mit einer starcken Besatzung an rittermäßigen Kriegsleuten gewesen sey. Und als einsmahls der Bluthund seinen Weg daselbst fürüber genommen/sein die Krigsleut aus dem Schloß heraus gefallen/ haben in den grossen Hauffen/ den der Tyrann umb sich hatte/ mit Gewalt hinein gesetzt/ sie getrennt und in die Flucht gebracht/ und soll er/ Attila selbst mit sieben Soldaten kaum davon kommen seyn. Diese Relatio gereicht unsern gemeinen Vaterland zu Ruhm und Ehren. Sonst melden andere Historici, Attila habe sich nach der blutigen Schlachtung bey Tholosa geschehen in Thüringen begeben/und daselbst ausgeruhet. Andere sagen/ er habe in seinem Kriegsheer auch Sächßl. Soldaten gehabt/ welches nicht unglaublich. Nescio an operæ pretiũ esse facturus, si multis operosis argumentis hanc narratiunculam refellere conarer. Adeo enim error incurrit in oculos, ut nec occultari quidem possit. Nonnulla tamen, quæ mihi occurrunt, referam, ne alii se decipi patiantur. Primo enim, si fundamentum consideres, sive Buntingius, sive Meibomius

An Attila vicinia hanc turbaverit, & a Stederburg. profligatus sit?

Bunting. part. 1 p. 18

mius (ultima enim editio saltem est ad manus) hæc se desumsisse fatetur ex Chronico quodam Stederburgensi, non adeo antiquo, ut in re tam antiqua eo nitaris. Bina quidem supersunt Chronica Stederburgensia, alterum brevius, quod in Meibomii tomo primo rerum Germanicarum occurrit, alterum prolixius, a Gerhardo præposito Stederburgensi scriptum, qui, ut infra dicetur seculo duodecimo vixit. In illo nihil de Attila reperias, cum a seculo undecimo demum telam ordiatur. Hoc vero cum, Meibomio teste, omnia monasterii fata copiosius persequatur, nec quicquam ex eo præter Historiam Henrici Leonis lucem viderit, facilius adducor, ut credam, illam de Attila traditionem ex hoc Gerhardi Chronico esse desumtam. Cum igitur autor non antiquissimus sit, non multum certi in re tam antiqua ab eo expectamus. Deinde neque Paulus Diaconus, nec Jornandes, nec Sidonius, nec ceteri, quibus Attilæ historiam debemus, id memoriæ prodidere. Sed potius alia omnia docent. Si enim gentes exercitum ejus secutas desideres, recensebit illas Sidonius.

Paul. Diacon. Lis. c. 2. p. 919. Jornand. de reb. Getic. c. 35 sq. p. 1106. Sidon. carm. 7. v. 319. Conf. Velser. l. 2. rer. Bojic. p. 70

Subito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scyrum Burgundio cogit.
Chunus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Toringus,
Bructerus; ulvosa quem Nicer ablnit unda
Prorumpit Francus.

In his quidem versibus nulla gens nominatur, quæ ad nostram hanc viciniam pertineat, nisi Thuringi, quos jam tum his regionibus imperasse crediderim. Jam vero diserte refert Sidonius Thuringos Attilæ exercitum secutos & tot victoriarum cladiumque socios fuisse. Quo pacto igitur hæc conciliaverit cum Stederburgensi fabula. Si hujus regionis incolæ socii Attilæ fuerunt, cur eorum patriam hostili exercitu ingressus esset, cur hostem subito se præbuisset Iociis? cur Stederburgenses ejus exercitum essent aggressi. Præterea monstro est simile, unius arcis præsidiarium militem tantum Attilæ exercitum, quo semper stipatus incessit, adeo ad internecionem usque deleviSse, ut ipse tyrannus cum septem militibus vix evaserit. Denique & illæ rationes, quibus hanc fabulam stabilire videtur Buntingius aura ipsa sunt leviores. Supponit enim, Attilam Thuringiam ingressum; atq; ibi a longa expeditione requieviSse, sed quã incertum hoc sit, Sagittarius, Thuringorum Livius, dudum demonstravit. Deinde Saxones hic jam tum habitasse, eosque cum Chaucis plane eosdem esse statuit. Saxones vero Attilæ exercitui interfuisse credit. Sed nec Saxones tum has regiones tenuerunt, quod paulo post apparebit, nec forte Attilæ su-

Sagitt. l. 2. de regno Thur. c. 5. conf. Tenzel. Dial. mensir. a. 1689. p. 894.

ere socii. Diserte enim Jornandes Romanis ait *adfuisse auxiliares Francos. Sarmatas, Armerisianos, Liticianos, Burgundiones, Sarmationes, Ripariolos, Briones, quondam milites Romanos, tunc vero jam in numero auxiliarum requisitos, aliasque nonnullas Celticas & Germanicas nationes.* Quamvis non negem locum hunc paulo esse obscuriorem, nec satis intelligi, utrum Romanis, an Attilæ socios se adjunxerint. Burgundiones certe & Francos, quos Jornandes Romanis tribuere videtur, Sidonius non obscure Attilæ adjungit. Gobelinus Persona Saxones Romanis militasse testatur. *Erant enim Romanis Franci adjutores Burgundiones, Aloni, conf. Franci & Saxones.* Et si vel maxime Saxones sub Attila stipendia meruisse concederemus, tamen hæc nihil ad nos pertinere viderentur, cum Saxones eo tempore nondum sedes in his regionibus quæsiverint. Patet ergo fabulam esse, Thuringicæ illi plane similLimam. De quo ne amplius possit dubitari, ipsam commenti originem placet ostendere quam in Witekindo Saxone, auctore locupletissimo, mihi videor invenisse. Ille enim enarratis turbis, quæ sub Ottone I. Imp. ex Eberhardi & Tancmari rebellione fuerant exortæ, mox subjicit: *Dum ea interea geruntur, antiqui hostes nostri Vngarii subito irruunt in Saxones, & castris super littus Bodæ fluminis collocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem missus a castris cum parte exercitus eo die ad vesperam signa movit circa urbem, quæ dicitur Stiedereburg. Vrbani autem videntes, hostes & ex itinere & ex pluvia, quæ ingens erat, segniores, audacter erumpunt portis, & clamore primum territantes demum repente in adversarios irruentes, plurimis ex eis cæsis, & copiosa equorum multitudine cum aliquibus signis capta, ceteros fugere compulere. Vrbes, quas obvias habuere illorum fugam animadvertentes, armis resonantibus locis urgebant, & maxima ex eis parte prostrata, ducem ipsum in quendam luti puteum cogentes, oppresserunt.* Hæc Witekindus, quem cum quidam monachorum fugitivo oculo inspiceret, Hungarosque a Stederburgensibus profligatos legeret, tempora non satis accurate distinguens Attilæ hanc cladem tribuit, Hunnorum Regi, satis crasso errore, huic tamen hominum generi olim familiari.

Fornand. c. 39 de reb. Getic. p. 1107. Gobel. at. c. 23. p. 214 Cranz. l. 1. Sax. c. 25. p. 20. Witek. l. 2. p. 645.

§. XIX. Jam proximum est, ut inquiramus, quonam in pago Goslariensis ager situs sit. In hos enim jam inde ab antiquissimis temporibus temporibus Germanicæ nationes suas regiones describere solitos, e Cæsare æque ac Tacito liquet. Vnde nec ad Thuringos, nec ad Saxones pagorum origo recte referri posse videtur. Nec tamen abnuerim a Thuringis esse pagorum descriptionem, quam in nostris regionibus ad Hohenstauffiorum usque Imperatorum tempora observatam esse ex diplomatibus constat. Satis enim egregia sunt, quæ hac de re disserit Sagittarius.

In quonam pago situs Goslar. ager. Cæsar. l. 1. de bello Gall. p. 37. & passim l. 1. c. 13. Germ. Sagitt. l. 4 Lucar. Thul. c. 2.

Knaut. antiquit. pagor. & Comitat. Principp. Anhalt. §. 6.

Quod si ergo priscos evolvamus annales, ac tabulas in supplementum adhibeamus eorum, quæ de ejusmodi pagis Meibomius, Paulini, & Knauthius commentati sunt, plures ejusmodi occurrent in vicinia pagi. In Halberstadiensi enim diœcesi se offerunt pagi Hartingaw, Derlingaw, Northuringaw, Suava, Hassingow & Belkisheim. In Hildesiensi episcopatu & Ducatu Brunsvicensi Gandersheimigawi, sive Flentigabi, Astvala, Grenigawi, Fretenigabi, Vertigawi Erigawi, Eilverlgawi, Güttingon, Hartheri, Valedungon, Aringe, Gollokeune, Logingaha, de quibus paulo accuratius hic agendum videtur, ut constet, quæ unicuique regio tribuenda sit, & ad quem nam eorum Goslariensis ager referri debeat:

1) Primus igitur, quem signavimus, est pagus *Hartingavv*, alias *Hardgo*, *Hardaga*, *Hardegovve*, *Hartingovve*, *Hertega* appellatus, procul dubio a sylva Harz, quam antiquis Hart pronunciatam luculentis testimoniis probavit Meibomius *. Invenio & in catalogo pagorum, qui in Gaco desinunt, apud Sagittarium pagum Harzgow. Sed quia illum se in originibus Palatinis Freheri reperisse fatetur vir doctissimus, quæ mihi jam non sunt ad manus, non dubito, quin superioris Germaniæ pagus idem nomen sortitus sit, atque ille Harzgow ad nos plane non pertineat. Nostrum sane in Halberstadiensi diœcesi fuisse situm, ipsamque Halberstadiensem urbem suo ambitu inclusisse, patet ex Ludovici Pii diplomate, quo diœcesin Halberstadiensem terminis suis circumscribit, quod integrius, quam Sagittarius in lucem emisit Reimannus. In eo enim ita loquitur Imperator: *Qua propter notum sit omnium fidelium nostrorum industrie, presentium videlicet & futurorum, quia Hildegrinus Catholanensis, ecclesie Halberstadiensis Episcopus venerabilis, qua est constructa in honorem Christi suiq; protomartyris Stephanum super fluvium Holtemma in pago* Hartingowe, *cujus parochia piissimi patris Caroli Imperatoris Augusti & determinata est in his pagis, Darlingovve & Northuringovve, & Belkesheim, Hartingovve, Suavia & Hassgovve veniens ad nos pie &c.* Ex his verbis liquet & Halberstadiensem diœcesin hunc pagum suo ambitu esse complexam, & ipsam urbem Halberstadium sitam fuisse in pago Hartingowe. Nec tamen mallus publicus fuit Halberstadii, sed in castello Hartingow, quod urbi olim proximum in ruinas consedit, vix minimis superstitibus reliquiis. Ad hunc igitur amplissimum pagum, ut e Meibomio & diplomatibus didici, pertinuere villæ & bona.

* *Meib. de metall. Harzic. n. 3.*

Reimann. dissert. Critic. de Chron. MSC. Winnig. p. 23.

Halberstadt.
Groningun hodie Grüningen.
Wollferstedum, Wulferstede.
Oschersleburi, hodie Oschersleben.
Vplingi, Vppelinga.
Staun.
Roresheim, Roreshem.
Vallersleben, Vallersleben.
Bardorf.
Duttenstedte
Gehrlan.
Gethlide.
Sylvula Aal inter duas vias, una, quæ Bennigerothe, altera quæ Immenrothe ducit.
Nethidorp. [Nebedorff]

2) Sequitur pagus *Derlingaw*, quem & *Darlingovve*, *Derilingaw*, & *Derlingen* voca tum in diplomatibus invenio. Eundem ad Halberstadiensem diœcesin pertinuisse, patet ex Ludovici laudato diplomate Nec vana est conjectura doctissimi Sagittarii, qui Darlingos huic pago nomen dedisse existimat. Meminit enim horum anno MCXLV. Rudolphus Halberstadensis Episcopus. Sed minus certum est ubi finis hic pagus fuerit, aut quousque sese extenderit, quod paulo parcius ejus mentionem in diplomatibus fieri reperimus. Budæus eum proxime a pago Northuringiæ constituit ultra Ohram fluvium. Et certe Magdeburgensi diœcesi interjecto tempore ex parte videtur incluſus. Ea enim ad Halberstadiensem ecclesiam olim pertinebat. Nec tamen totum juris Halberstadiensis esse desiisse laudatum Rudolphi diploma indicat, ubi & Derlingos testes appellat. Paucæ villæ nominantur, quos ad hunc pagum pertinuisse certum sit, Nos aliquot recensecimus:

Sagittar. hist. Halb. § 30. *Meib. l. c. p. 99.* *Paulini de pagis p. 577.*

Hebesheim.
Musischi.
Drongelevo, quod Sagittario est Dreyleben.

3) Pagus *Northuringiæ* & amplissimus fuit & multorum exercuit industriam. Vocatur Northduringun, Norturinga, Norduringa, Northuringi, pagus Northuringorum. Et varie considerari potest. Nonnunquam enim totam illam regionem, quæ olim cis Hercyniam Thuringis paruit notat; & tunc istæ quoque villæ sæpius ad Northuringiæ pagum referuntur, quæ proprie ad alios pagos pertinuere. Aliquando vero etiam partem tantum ejus regionis complectitur, quæ Northuringiæ nomen κατ' ἐξοχὴν retinuit, & Albi, Ohra, & Boda fluminibus alluitur. Et hæc pars proprie vocatur pagus. Quamvis igitur si accurate loqui velimus, probe distinguendum sit inter Northuringiam & pagum Northuringiæ, videntur tamen Imperatores & ipsi hoc discrimen non semper attendisse. Id quod in Ottonis M. præcipue diplomatibus observat Paulini. Sic enim Dreilebe refertur ad pagum Northuringiæ, quæ tamen ad pagum Derlingow pertinuit, Oschersleve & Vppelingen adsignantur pago Northuringiæ, quæ tamen in aliis diplomatibus ad pagum Hartingow pertinuisse dicuntur. Quo fit, ut non satis accurate pagi hujus terminos possimus constituere, licet multæ villæ ad illum pertinentes ex diplomatibus

Knauth. l. c.

Paulini de pagis p. 585.

Meib. l. c. p. 106. Sagittar. l. 2. c. 12. p. 289. Paul. l. c.

tibus recensentur a Meibomio, Sagittario & Paulini, quibus nos ex nostris diplomatibus addimus villam Partunlep, quam cum Bartensleben eandem esse, compertum habeo. Sed certi sumus Goslariensem agrum, licet juris Thuringici aliquando fuerit, ad pagum Northuringiæ non pertinuisse; Siquidem Albi hic propior fuit, & viciniam vix attigit. Supersedere igitur prolixiore disquisitione facile poterimus.

Meib. l. c. p. 109. Knaut. l. c. §. 7. sq.

4) Addimus pagum *Suaba*, qui & Suavia, Swabe, Suevon, Svabengovve & pagus Suevicus in diplomatibus audit. Pagus hic a Suevis procul dubio nomen accepit, quos Cheruscis olim ad Hercyniam finitimos statuit Cæsar, & nisi fallor Hermunduris olim aliquando paruit, Suevicæ genti quod maxime erit credibile si contuleris ea, quæ paulo ante § XI. diximus. Hunc quoque inclusum fuisse terminis diœcesis Halberstadensis constat e Ludovici laudato diplomate. Quo vero loco situs fuerit, ex villis colligendum est, quas partim Meibomii partim Knautii industriæ, partim diplomatibus nostris debemus. En earum seriem

Kabere.
Piculingen.
Jhersleb hodie Hatßleben.
Adenstedi.
Regenstedi hodie Reinsted.
Redigaresrode.
Turthinge.
Bebonthorp.
Asmerslevo.
Welpeslevo.
Pedabrunno.
Westholze.
Rothaltasburg.
Emmalestorpe.

5) Pagus Hassingowe, qui Ditmaro Hassegun, aliis Hessingaw & provincia Hassingorum, immo, si Paulinum audimus, Hesse nominatur, Halberstadiensi diœcesi non minus quam antecedentes fuit inclusus. Ejus terminos sciremus accuratissime si constaret an idem sit cum pago Hasgaw, cujus in diplomatibus Magdeburgensibus a Sagittario & Meibomio recensitis mentio fit: Ibi enim differte limites hujus pagi annotantur Sala, Willerbach, & Wippra, fluvii. Sed incertum hoc est, & inter doctos admodum dubium. Asserit Meibomius avus, negat Conringius, ambigit Meibomius nepos. Et certe si ab arce Hessen olim Hessenheim, quod plerisque videtur, pagus nomen adeptus est, videtur ab Albi paulo remotior fuisse. Villa nulla in diplomatibus occurrit, ex qua situm pagi colligas, præterquam, quod Paulini ex diplomate indicium nobis fecit *illa Rotmerhusen, in Osterheim Marca, in pago Hesse nominato, in comitatu Abbonis.*

6) Pagi Belkisheim nomen duntaxat supereſt in laudato diplomate Ludovici Pii.

7) Pagum Gandersheimigawi Gandersheimensia nobis monumenta indicant atque ex ipso quidem nomine patet, eum Gandersheimium ambiisse: Sed cum nullius præterea mentio fiat villæ in illo sitæ, terminos ignoramus. Vocatum etiam hunc pagum Flintigawi, item Flenchi, liquet ex Tancgmari Vita S. Bernwardi, quamvis in diplomatibus a se invicem distinguantur.

8) Pagum *Astvalam*, in quo S. Bernwardus Hildesiensis Episcopus auspiciis & permissu Ottonis III. Imp. castellum contra Slavos extruxit, ad Aleram fluvium, atque adeo in ipsis Hildesiensis episcopatus limitibus fuisse ex diplomatibus Ottonis III. & Henrici II. a Schatenio productis patet.

9) Pagum *Grenigavvi*, cujus memoriam itidem servarunt Gandersheimensia diplomata, villam Grene in ducatu Brunsuicensi satis notam ambivisse ex nomine colligo.

10) Pagus *Fretenigabi*, ex iisdem monumentis notus ut a villa Freter nomen accepit, ita & situs circa illum fuisse videtur.

11) Pagi *Erigavvi*, *Vierzigavvi*, *Eilvesrigavvi*, quorum nomina satim in Gandersheimensi diplomate supersunt, an in diœcesi Hildesiensi quærendi sint, ignoro. Forte id e reliquis colligeres, nisi & Westphalici nonnulli, veluti Ammerigawi & Auganagabi in eodem diplomate occurrerent.

12] Pagus *Guttingon* qui & *Guottinga* vicinus fuit pagis Valedungon & Aringe, juxta fluvios Laynam & Aleram. Henricus n. IV. Imp. Hezeloni Hildesiensi Episco Comitatum in iis situm, quem Friderikus Comes possederat, liberaliter largitur. Villas in his pagis Paulini enumerat sequentes. *Paulini p. 580. 590. l. c.*

Amphidi,
Alicoga,
Redun.
Fredenun.
Walehuson.

Pagos igitur hos omnes ut in Gœttingensi agro quæramus & nomen Guttingon & villæ pleræque hodienum superstites suadent.

13) Pagum *Harthere* e quo villam Mundelingen Gandersheimensibus sanctimonialibus tradidit Otto IV. itidem in vicino vel ducatu Brunsvicensi vel diœcesi Hildesiensi querendum putamus. *Paulin. p. 580. l. c.*

14) Eadem Gandersheimensia monumenta nobis suppeditant pagum Gollokeune, qui villam Landronhoff suo ambitu complexus est.

15] Agmen claudat pagus *Lolingaha*, quem puto eundem esse cum *Lainga*, ut & Lagenahe, Langenea & Logi, quos seorsim recensuit Doct. Paulini. Videor equidem Meibomium nepotem dissentire ab Hoffmanno, qui itidem pagum Lochni *Meibom. p. 103. 104 Paulin. p. 582. Ant. vita S. God. c. 6*

sive

Vit. S. Meinwer. n. 117.

sive Locni cum pago Logingeha eundem asserebat. Sed ut in pago Langneha occurrit villa Hemli, ita in pago Logi s. Lochni occurrit villa Hemliaw, ut in villa Lainga curtis Salta, ita in pago Logi Sal, quod est super fluvium Weseram, quemadmodum ex Paulini patet. Quo adducor, ut utrumque pagum eundem credam. Sed de hoc cum nemine contenderim. Villas addo ex quibus de situ conjectura fieri possit. Nomina tamen, si quis separatim requirat, distingvo.

in pago Longingaha
  castellum Gruona.
in pago Lainga.
  curtis Salta.
in pago Lagenahe
  Gunnissin.
in pago Langnea
  Hemli
in pago Logi, Lochni, Lucni, Login,
  Laeni Sal quod est super fluvium
  Weseram.
Sulbicln.
Hemliaw.
Curtis Gardinebike.
Hui.
Moldugavel.
Liudelveshusen.
Winethe.
Erpessum.
Gemmet.

Omnes has villas sive uno sive diversis pagis comprehensa, ad Visurgim sitas fuisse liquet. Ibidem ergo & pagus ipse quærendus erit.

Goslariensis ager in pago Harting. situs est.

§. XX. Omnes hi pagi in vicinia nostra noti celebresque olim fuerunt. Jam igitur si rationibus subductis inquiramus, quonam pago Goslariensis ager fuerit circumscriptus, omnes nos propemodum auctores destituunt. Quamvis enim plures adhuc laudatam operam in colligendis Germaniæ pagis posuerint, nemo tamen ex villis, quæ in illis sitæ fuerunt genuinos eorum terminos ratiocinari conatus est. Et profecto, si tot villarum horrida & depravata nomina, si topographiarum suis numeris absolutarum inopiam, si denique villarum in multis pagis pauciſſimarum memoriam consideres, ejusmodi geographiam medii ævi optare quam sperare erit facilius. Attamen ne hic lectorem sub cultro, quod ajunt, relinquam, ita statuo atque ita animum induco meum, agrum Goslariensem olim partem fuisse spatiosi pagi Hartingow. Primo enim ipse situs id suadet; Siquidem Goslaria ad radices Harcynici saltus posita Hercynico quoque pago accensita videtur. Deinde villæ a nobis sub illo pago recensitæ aperte testantur vicinum admodum nobis illum pagum fuisse. Et quamvis diœcesi Halberstadiensi in diplomate Ludovici Pii dicatur inclusus, hoc tamen non videtur ita intelligendum, ac si ultra illam diœcesin non pertigisset. Constat enim ex aliis diplomatibus etiam cis Ovacrum loca nonnulla pago Hartingaw esse accensita. Denique invicto plane argumento id demonstrare possum ex diplomate Henrici V. Imp. infra a nobis producto. In eo n. Cæsar monasterio montis S. Georgii prope muros civitatis nostræ sito liberaliter donat silvulam Aal (hodie Jürgen Aal vocant) quæ vix mille passibus ab urbe distat, diserte adjiciens, eam silvulam in pago Hartingow sitam. En ipsum Cæsarem audiemus: *Unde tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, quia monasterio S. Georgii quod prope Goslariam situm ab abavo meo fundatum quidem sed imperfectum, pro anima nostra remedio .. in proprium tradidimus. præterea ex regali nostra munificentia comitatum situm in pago, qui dicitur Hartega terram quoque cum sylvula circumjacente, quæ Aal dicitur, quicquid inter publicas vias, unam quæ Benningerothe, alteram quæ Immenrothe ducit, ad utilitatem inibi Deo servientium addimus. Data mense Januario. Indict. 1. anno Incarnat. Dni. M C XVIII.* Quod si ergo silvula Aal cis Ovacrum prope civitatem nostram hodienum superstes ad pagum Hartingaw pertinuit, nullum amplius superest dubium, ipsum quoque Goslariensem agrum ad eundem pertinuisse.

Regnū Thuringorum excisum *Witek. l. 1. p. 630. Greg. Turor. l. 3. c. 7. Sigebert. Gembl. ad ann. 524. sqq. Egenh. ap. Adam Bremens. l. 1. c. 4. Sagittar. l. 2. c. III 2. de regn. Thur. p. 263, sqq.*

§) XXI. Thuringorum imperium de quo modo prolixius egimus, in seculum sextum usque floruit, qvo tempore sub Hermenfrido ultimo Thuringorum Rege destructum in aliarum gentium potestatem pervenit. Cum enim Hermenfridus Amelbergæ conjugis illecebris ad propagandos imperii sui fines impulsus Francorum ope Bertharium fratrem oppressisset, & Theodericus Francorum Rex partem devictæ provinciæ ex pacto postularet, ille hac victoria ferocior redditus fidem datam fregit. Quamobrem bello petitus a Diterico, & prope Runeberg prælio devictus Scheidungam probe munitam se contulit. Dietericus, bellum uno impetu confecturus, evocatis in auxilium Saxonibus & parte devictæ provinciæ cis Vnstrutam oblata, Scheidungam obsidione incinxit, ac mox sub suam redegit potestatem. Quo factum est, ut Hermenfridus facta deditione non modo avito regno excideret, verum etiam paulo post Tulpiaci e mœnibus a Diterico dejectus, vitam ipsam amitteret. Rem quæ ad nos non adeo pertinet incredibili fide ac industria ex optimis ac probatissimis scriptoribus explicavit Sagittarius, cujus scripta exscribere supervacaneum, augere difficillimum, mutare esset maxime temerarium.

§) XXII. Oppressis igitur Thuringis & Hermintriedo rege occiso, pars Thurin. Thuringiæ, septentrionalis vocata & ab Vnstruta ad Albim usque pertingens ad Saxones Vnstra giam cis belli victoriæque socios ex pacto perve tam invi nit. Id quamvis Francici scriptores qui ctoriæ hodie supersunt suarum tantum rerum præmiū

accipiunt,

admiratores taceant, memoriæ tamen prodidit Eginhardus, cujus librum de Saxonum origine dudum deperditum excerpsit Adamus Bremensis, cujus verba adscribam: *Quibus* (Saxonibus) *secum quasi jam pro libertate & patria fortiter dimicantibus superavit adversarios, vastatisq; indigenis & ad internecionem pene deletis terram eorum juxta pollicitationem suam victoribus delegavit. Qui eam forte dividentes cum multi ex eis in bello cecidissent, & pro raritate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius, eam maxime, qua respicit orientem, colonis tradebant, singulis pro sua sorte sub tributo exercendam. Cetera vero loca ipsi possederunt.* Adde & Widekindi testimonium: *His itaque omnibus peractis reversi sunt ad Thiadericum in castra, & ab eo suscepti, satisq; laudati & terra presenti in aternam possessionem donati sunt. Socii quoq; Francorum & amici appellati, urbem cui ab igne ne propriis mœnibus pepercere, primum incoluerunt... Saxones igitur possessa terra summa pace quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsa gentis tributis condemnavere.* Hæc antiquiores, qui omnem Thuringiam cis Vnstratam intelligunt. Recentiores vero, ut solent, nonnulla de suo adjicientes veterisque Thuringiæ amplitudinem hodiernis terminis metientes partem tantum Thuringiæ; quæ Vnstrutam inter & Harcyniam sita est, Saxonici juris factam asserunt. Faciunt id Auctor qui Chronicon Martini Poloni interpolavit, & scriptor de Landgraviis Thuringiæ, licet Sifridus presbyter, Auctor Chronicæ Ducum Brunivicensium & Kranzius nihil definire videantur. Sed nullo hæc nituntur fundamento. Quantula enim pars esset, quæ Saxonibus, victoriæ hujus sociis, cessisset, si cum amplissima provincia, quam Franci sibi retinuerunt, compares. Quis has provincias cis Hercyniam accepisset. Franci enim nunquam ante Caroli M. tempora huc imperii sui fines protulerunt. Quamobrem recte quidem Conringius hoc, quicquid cis Vnstrutam superfuit, Thuringorum terræ in Saxonum tunc pervenisse potestatem existimat. Eodem quoque tempore natam illam inter Angarios, Westphalos & Ostphalos sive Osterlingos distinctionem, dubitari vix potest. Quamvis interjecto tempore Ostphalia Ducatus titulo innotescente Westphaliaque in varios episcopatus & comitatus distracta Saxoniæ nomen penes Ostphalos tantum manserit reliquum.

Adam. Bremens. lib. hist. eccles. cap. 4.

Witek. l. 1 p. 633.

Auct. de Landgr. Thur. c. 5. Chron. Duc. Brunsv. ap. Mad. p. Cranz. l. 1. c. 28. Conring. de antiqu. statu Helmst. p. 79. sq.

Id. ibid. p. 89. 90.

Kranzio eumque secuti dormitasse comperiuntur.

§. XXIII. Ex his satis superque liquet, Goslariensem agrum una cum tota Thuringia Septentrionali jam seculo sexto in Saxonum pervenisse potestatem Et quamvis Eginhardus æque ac Witekindus observent, eam ob paucitatem Saxonici exercitus non totam potuisse a Saxonibus occupari, sed potius antiquis colonis sub annuo tributo ex parte fuisse relictam: Saxonum tamen reipublicæ accessit, qui interjecto tempore sensim magis magisque potentia aucti procul dubio novis subinde colonis provinciam sibi dudum subjectam illustravit, licet ut Thuringi Cheruscos ita & Saxones Thuringos non omnes expulerint aut oppresserint. Quæ cum ita sint, non possum non mirari illum, qui nuper de Goslariensi historia nonnulla compilavit, tam parum patriæ res habuisse perspectas, ut Cranzii & Lezneri de Saxonum in Ostphaliam adventu diversas sententias recensens, cum utro sentiendum esset non potuerit perspicere. Cranzii enim locus, quem allegat, tam est frivolus ut Conringii judicio in omni narratione nihil reperias sinceri, nihil quod non plurimum dissentiat ab omnibus antiquis monumentis, immo nihil, quod non ab ipsiusmet Cranzii narrationibus aliis dissentiat. Quis enim Vandalos ante Saxones cis Albim habitasse unquam credidit? quis Saxones tam brevi tempore omnem Ostphaliam occupare potuisse sibi poterit persuadere? quis unquam veterum scriptorum hæc memoriæ prodidit. Rectius egisset memoratus auctor, si, omissis Cranzii nugis dudum explosis, Leznero accessisset, aut potius ipsos antiquos scriptores, aut saltem qui e recentioribus accuratius rem sunt persecuti evolvisset. Nescio enim an satisfacturus ille sit eruditis, qui in tam antiquis rebus multis præterea præsidiis instructus, solos *Albertum Stadensem, Cranzium & Leznerum*, sequi velit. Hæc ideo monui, ut spicilegium, immo messem mihi relictam esse demonstrarem, cum nonnulli laudato isto tractatu omnem mihi præreptam materiam adhuc credide-rint.

Conring. l. c. p. 93. Cranz. l. 1 Sax. c. 2.

§. XXIV. Proinde octagesimus secundus Carolus post millesimum ac centesimum hodie M. victor annus agitur, ex quo Saxones has oras etiam non ingressi tantum sunt, sed & reipublicæ harum suæ adjecerunt. Quæ deinde iis cum regionis Francis bella interceserunt, ab aliis satis accurate enarrata sunt. Saxonici tamen juris hæ regiones constantissime permansere, donec Carolus M., debellata multis præliis ferocissima gente, nostram quoque Ostphaliam Imperio Germanico adjungeret. Ex eo tempore Duces Saxoniæ Rudolphus, Otto & Henricus Auceps ejusque posteri, qui Saxoniæ ducatum beneficio Francorum regum fuerant adepti, his regionibus imperarunt, ab iisque ad Bilingios, atque inde ad Guelphos derivatæ sunt, qui etiam dignitatem a majoribus per manus traditam hodienum egregie tuentur. Ut tamen plures Episcopatus & Comitatus suo jure utuntur per hanc Westphaliam, ita & Goslaria ab Imperatoribus condita & cunctis ornamentis

mentis exculta in hoc usque tempus exoptatissima libertate fruitur, Cæsarum olim devota hospes nunc subjectissima cliens.

CAP. II.

De Gentilismo harum regionum, & Crodone inprimis Harzburgico.

§. I. *Crodo Harzburgicus considerandus.*
§. II. *Auctores qui Crodonis meminere.*
§. III. *Quid de auctoritate horum scriptorum sentiendum?*
§. IV. *Crodonis cultus asseritur rationibus.*
§. V. *Crodonis simulacrum describitur.*
§. VI. *Merianus alia depingit Crodonis simulacra.*
De pallio Mechthildis ad quod provocat Merianus. Neque pallium, neque vestes cetera monstrosis figuris variegata ad Crodonem pertinent, quod probatur. Crodonis simulacrum in his vestibus frustra quæritur.
§. VII. *An Crodo falcem tenuerit?*
§. VIII. *An candelabris Harzburgensibus similis?*
§. IX. *Taciti locus expenditur.*
§. X. *Sedes Crodonis Hartisburgum, cujus etymologia. Vocatur & Arcipolis. Nec non Zartisburgum. Denique falso Saterburgum.*
§. XI. *An Gardelebie Crodo sit cultus? An Crottorffii?*
§. XII. *An in Thuringia?*
§. XIII. *An in Cimbria?*
§. XIV. *Sacra Crodonis.*
§. XV. *Lucus Crodoni sacer.*
§. XVI. *Dies Sabbathi Crodoni sacer. Hebdomarius cyclus etiam ethnicis notus. Nomina Germanica dierum antiqua, ubi & de* Satertag.
§. XVII. *Sacrificia Crodonis horrenda.*
§. XVIII. *Altare Crodonis in ecclesia SS. Simonis & Judæ superstes.*
§. XIX. *Crodonem vulgo eundem cum Saturno Romanorum statuunt. Id quod non est probabile. Ratio prima.*
§. XX. *Chronicon Saxonicum nonnunquam utile.*
§. XXI. *Ratio secunda. Saxones Romanos Deos non agnovere.*
§. XXII. *Cur Tacitus Romana nomina Germanorum Diis imposuerit?*
§. XXIII. *An Dii Romani Hamburgenses sint genuini?*
§. XXIV. *Ratio tertia. Simulacrum Saturni ad Crodonem nihil facit.*
§. XXV. *Ratio quarta. Dii Germanorum naturales plerique fuerunt.*
§. XXVI. *Explicatio Crodoniani simulacri hieroglyphica.*
§. XXVII. *Quando hæ regiones ad Christianismum pervenerint? Bonifacius Alt-Saxonibus prædicavit. Saxonia jam ante Bonifacium Christianos habuit.*
§. XXVIII. *Carolus M. paganismum penitus abolevit. Halberstadiensium Episcoporum hac in re solertia, ut & Hildesiensium.*
§. XXIX. *Peregrinatio superstitiosa Harzburgum suscepta.*
§. XXX. *Epilogus dissertationis.*

§. I.

Crodo Harzburgicus considerandus.

EXecuti superiori capite ea, quæ de antiquissimo harum regionum statu dici posse videbantur, jam deplorandas eloquio tenebras inspicere juvat, quibus ante invectam Christianam religionem hæc vicinia non minus, quam totus terrarum orbis fuerat oppressa. Non vero animus est extra oleas vagari, hoc est, singula illa, quibus olim se se oblectavit Saxonia, numina intueri: Sed solus nobis propositus erit Crodo Harzburgensis, his olim regionibus eo venerabilior, quo propior. Et quamvis hic meras deprehendam tenebras, & experiundo discam, quod conqueruntur auctores, omnem majorum nostrorum theologiam gentilem dudum evanuisse: conabor tamen rem indagare pro viribus, eum servaturus ordinem, ut *primo* quidem ipsum Idolum, sedemque ejus & domicilium describam, *deinde* sacrorum disciplinam depromam, *porro* quem Deum repræsentet, expediam, ac *denique* ipsam ejus destructionem lætumque Christianæ religionis in hac vicinia exortum repetam. Ita quidem lectoris animus & crassam miratus caliginem & lucem hodiernam considerans, utrobique habebit, quo ad gratias Deo persolvendas, dignamque evangelio vitam ducendam accendi se sentiret ac veluti impelli.

I. §) II. Quod si igitur ipsum Idolum spectemus, nondum occurrit nobis, qui ejus Auctomeminerit, auctor impressus antiquior res qui Chronico illo Saxonico, quod Pomarius Crodolingua nitidiore vestitum in lucem emisit, nis meFrancici scriptores omnes veluti ex com- minere-pacto ne primis quidem labris illud attin- *Chron.*
gunt, quibus tamen satis prompta fuisset *Sax. vet.*
ejus rei occasio, Siquidem Carolus Ma- *p. 28.*
gnus omnium primus huic superstitioni finem fecisse fertur. Nec in Saxonicis quidem Scriptoribus Witekindo & Ditmaro quicquam reperies, quod ad Crodonem *Witek. l. 3*
spectet. Quamvis enim Witekindus *p. 660.*
mentionem faciat *simulacri Saturni ex ære Fabric. l. 2*
fusi, quod Herimannus Dux Slavis inter- *orig. Sax.*

spolia abstulerit, atque eo in loco Crodonem sibi reperisse videatur Fabricius; non multum tamen hac in re nobis est præsidii. Nam & Crodo Saxonicus dudum fuerat eversus, & de Slavico Saturno, non de Saxonico Crodone Witekindus loquitur. Solum ergo Chronicon Saxonicum est, cui aliquam de Crodone notitiam debemus, ex soque solo petitum est, quicquid Cranzius, Leznerus aliique plures infra a nobis allegandi de Crodone referunt. Placet igitur ipsa ejus verba hic audire: Ich finde geschrieben / daß allhier in Oster-Sachsen zur Hartzburg ein Abgott gestanden / den der gemeine Mann Crodo geheissen: Dieser Abgott stund auf einer Stüle / und auf einem Barsche / daß solte bedeuten / daß sie wolten auf festen Füßen stehen. Auf dem Barsche stund er barfuß / zur Erinnerung / daß sie eher barfuß / auf Schermessern gehen / als sich zu eigen geben solten. Denn der Abgott war mit einer leinen Schürtzen umgürtet / zur Anzeigung / daß sie von ihrem Gotte Saturno her frey wären / und sich strauben gegen ihre Verfolger / gleich wie der Barsch gegen den Hecht. In der lincken Hand hielt der Abgott ein Ratt / zu bedeuten / daß sich die Sachsen gleich wie ein Ratt in einander schliessen solten. In der rechten Hand trug er einen Wasser-Eimer mit Rosen / das Wasser bezeignete / daß er wäre eine Mutter der Kälte: die Rosen im Eymer zeigeten an / er wäre ein fruchtbarer Brun der Früchte / denen so seine Macht drum beten / daß die Kälte ihren Früchten nicht schadete. Do nun König Carl in dis Land kam / und bekehrete die Ost-Sachsen / fragete er / wer ihr Gott were? Do rieff das gemeine Volck / Crodo / Crodo ist unser Gott: da sprach König Carl / heist euer Gott Crodo / das heist der Croden Teuffel. Hievon kam das böse Sprichwort (von Croden Teuffel) unter die Sachsen. Also zog Carl hin zur Harsburg und zerstörte den Abgott Crodo / und legte den Thumb zu Salingstete / daß nun Osterwick heist in die Ehre Steffani. Haec Chronicon vetus Saxonicum. Jam & Cranzium audiamus, Ita vero ille in Saxonia: *In arce Hartesborg idolum coluere Saxones, cui nomen Krodo, [Saturnum hunc dixere Latini] senem in pisce stantem, qui rotam teneret & urnam in rota unionem populi, in urna rerum significans abundantiam. Sed Karolus subvertit. Remansit autem inter Saxones execrationis vocabulum, ut in detestationem rei pessimæ dicant Krodo.* Brevius rem in Metropoli comprehendit: *Krodo nomen erat idolo, quod Saturnum sunt arbitrati. Locus cultura ejus in Hartesborg, veteri arce. Permanet hodie in gente execrationis vocabulum, ut quoties abominanda res est visa, Krodo cum indignatione dicant.* Hæc sunt præcipua loca, quibus Crodonis notitiam debemus, quibus deinde multi multa addidere, ut patebit, si quis Lezneri, Arnoldi, Wormii, Rossaei, Nerretteri, Meriani & Arnkielii scripta cum illis contulerit.

Cranz. l. 2 Sax. c. 12. p. 37.

Id. l. 1. Metrop. c. 3. p. 51. Leznerhist. Car. M. §. 26. Arnold. von Alt-Sachs. Götzen.

Worm. l. 1. Monument. c. 4. Rossaus part. 5. de rel. mundi qv. 2. p. 190. sq. Mor. Topogr. Ducat. Brunsv. Arnk. P. 1. Cimbr. Fridm rel. c. 11. p. 74.

§. III. Quamvis igitur non admodum antiquos habeamus auctores, qui Crodonis Harzburgici meminerunt, ipsam tamen de Crodone traditionem, multis rationibus adductus, convellere non ausim cum non dubitem, quin auctor Chronici Saxonici auctores habuerit multo antiquiores, qui tamen aut injuria temporum periere, aut adhuc inediti privatos intra angulos latent. Certe non primum fuisse illum, qui Crodonem produxit, testatur aliud vetus Chronicon ante trecentos annos descriptum, e quo nonnulla allegavit Dnus Reimannus, quæ repetere juvat; Eine Myle Weghes van dem Hartze unde to der Hartesburg da stund Saturnus der verstörde / und legte uppe den kleynen Water geheten de Ylsede eynen Dam &c. Et si vacaret nunc Bedæ venerabilis Opera evolvere, dubio procul inventuri essemus Crodonis vestigia. At nec negaverim Chronici Saxonici auctorem lacinias suas iis, quæ scripta se invenisse ait, assuisse. Tota certe explicatio mysterii Monachi sapit ingenium, ut paulo post demonstrabimus. Id igitur modo concedimus, idolum aliquando Harzburgi stetisse, ac a Saxonibus cultum fuisse, cetera omnia tamdiu licebit dubia pronunciare, quoad certiora demonstrabuntur.

Reimann. dissert. Crit. de Winnig. p. 19.

Quid de auctoritate horum scriptorum sentiendum?

§. IV. Non abnuo itaque, Crodonem Harzburgicum eum in modum fuisse effictum, quo eum descripsit Chronici auctor. Quamvis enim tam antiqua Crodonis sit ætas, ut non tuto recentiorum nitaris testimonio: Simulacri tamen simplicitas cum Germanorum antiquorum Saxonumque genio mirifice congruit. Si enim antiquorum Germanorum simulacra consideres, plane ejusdem omnia generis reperies, non longe petita, & a Romana Græcaque curiositate diversissima. Nihil hic e veteri mythologia, nihil ex theogoniis poëtarum desumtum, solos si exceperis Jovem Hamburgensem & Magdeburgicam Venerem, de quibus paulo post depromam sententiam. In Crodone certe nostro primo observabis piscem, cui insistit. Nec a Saxonum more id videbitur alienum, si in consilium adhibueris cornu illud famosum Tundrense, quod cum Arnkielio totius Germanici Cimbricique gentilismi monumentum præcipuum existimo. In illo tria diversa occurrunt idola piscibus innixa, unum Satyro quadrupedi, reliqua avibus similia. Nec abludunt cetera Crodonis insignia: rota nimirum & amphora. Tale enim quid & ceteri Germanorum Dii præferebant. Sic enim Suantevithus cornu, Thor sceptrum, Othinus gladium, Freia arcum, Irminsula lanceam cum vexillo, alii aliud quicquam ejusmodi tenebant, ubique obvium. Denique locus ad veterum Germanorum cultum paganicum præcipue est accommodatus, ut mox declarabimus. Nihil ergo

Crodonis cultus asseritur rationibus.

Arnkiel. l. 2. von Güldnen Horn c. 4. p. 74.

ergo video supereſſe cauſæ, quamobrem traditionem tam antiquam plane convellere & falſam pronunciare velimus.

Crodonis ſimulacrum deſcribitur.

§. V. Jam ut promiſſi memor ipſum Crodonis ſimulacrum deſcribam: non alium video, quem ſequar, quam ipſum veteris Chronici Saxonici auctorem, cum antiquior nobis non ſuppetat, eumque longe agmine ſequantur Cranzius, Leznerus, Fabricius, Olaus Wormius, Nerretterus, Roſſæus, Arnoldus, Arnkielius, aliique plures. Hi omnes, veluti ex compacto, ita deſcribunt Crodonis ſimulacrum, ſtatuam fuiſſe viri omni capitis ornatu deſtituti, cæſarie intonſa, horridi, ſubitus ſagati, infra cingulum toga lintea induti. Medium præterea corpus ajunt cingulo linteo conſtrictum ipſos, vero pedes nudos inſtitiſſe piſci aculeato, quem percam vocant. Denique ſymbola illi tribuunt roſam & amphoram frugibus floribusque refertam, hancque dextra tenuiſſe, illam ſiniſtra elevaſſe ferunt. Nos, ſi forte lectoris id videretur intereſſe, ipſum adjicimus iconem, qualem poſt alios Arnkielius dedit. Si Tab. ad. diſſert. fig. 4.

Chron. Pom. l. c. Cranz l. c. Lezn. de Car. M. c. 26. Fabr. l. 2. origg. Sax p. 61. Ol. Worm. l. 1. monum. c. 4. Nerrets. Juden von Heyden Tempel. p. 964.

Roſſæus part. 5. de relig. mundi. q. 2. p. 191. Arn. l. c. Arnkiel. l. c. Herm. Stangef. l. 2. an circ. Weſtph. Erpold. Lindenbr. hiſt. Carol. M.

Merian9 alia depingit Crodonis ſimulacra.

§. VI. Nemini puto dubium fore, hanc Crodonis deſcriptionem, quam Chronici Saxonici auctori debemus, tamdiu nobis eſſe retinendam, donec certius quicquam ex antiquo ſcriptore diſcamus. Nihilominus tamen Merianus in topographia Ducatus Brunſvico Luneburgenſis multo aliam nobis faciem Crodonis oſtendit, quam ipſius penicillo depingere juvat: Auf welcher Burg (Hartesburg) ein Abgott / oder Teufel Crodo genannt / von dem Sachſen angebetet und verehret worden / und iſt von der Mechtilden Imperatoris Henrici Aucupis Tochter auf einen gewirckten Seiden rock wie der Abgott ſich allemahl zu præſentiren pflegen mit allerhand farben von Seiden künſtlich abgewürcket worden / welcher rock aber durch der Cron Schweden General Feld-Marſchallen Herrn Banier von den Stifft SS. Simonis & Judæ in Goslar abgefodert / und nach Schweden geſand iſt. ... Sonſten wird der vorhin gemelte Abgott oder Teufel Crodo gemeiniglich in Geſtalt eines alten Mannes ſo ein weis Linnen Kleid angehabt / mit einer Sichel in oder Senſſen Barfüßig ſtehend in der rechten Hand ein Gefäß voll Waſſer und Roſen haltend / in der lincken aber ein Rad abgemahlet / und iſt von den Sachſen angebethet und denſelben geopffert worden. Non vulgaria hæc omnia ſunt, atq; hinc noſtra inquiſitione digniſſima. Primo enim nonnulla de Mechtildis pallio præmittit, de quo admonendus Lector videtur, deinde & novum fingit Crodonis idolum, quale adhuc nuſpiam inveni. Ad pallium illud ſericum quod attinet, exiſtimat auctor illud in tricennali illo bello Suecico a Svecis ablatum. Sed minime hoc quidem ita ſe habet; Siquidem nec in catalogo rerum a Suecis ablatarum, infra a nobis producto hoc pallium occurrit, & hodienum tum pallium Mechtildis, tum aliæ hujus generis caſulæ oſtenduntur. Reperies in illis horridas rapacium venenatorumque animalium monſtrorumque figuras: at vero iis Crodonis ἐπιφανείας & myſteria repræſentari, ne traditione quidem, nedum literis proditum memoriæ eſt: miror ergo, Merianum hæc tanquam rem exploratam retuliſſe. Equidem ſcio Celeb. Dn. Calvoerium, Amicum meum inſignem, veſtes illas, quas etiam ex parte aeri inſculptas dedit a Crodonis cultu derivare ob figuras Chriſtianis plane incognitas, & paganis potius familiares. Conjectatur enim vir Sagaciſſimus hæc veſtimenta initio Crodonis Sacrificulis inſerviiſſe, & deinde Chriſtiano cultui mediante conſecratione fuiſſe deſtinata. Sed videor mihi habere rationes, cur aliter ſententiam. Nam initio quidem admodum eſt incredibile veſtes has ſericas per novem ac plura ſecula integras permanere potuiſſe. Deinde Crodonis ſacrificulorum veſtimenta quis credat ita fuiſſe comparata, ut caſularum uſum præſtare in Chriſtianorum ſacris potuerit. Tertio imagines crucifixi & inſignia familiarum manifeſto docent illa recentiora eſſe. Et quamvis vir doctiſſimus hæc multo poſt acceſſiſſe inferioris q; tum ſtaminis, tum texturæ eſſe dicat, nondum tamen video, quando hæ laciniæ aſſutæ fuerint. Si enim ad Crodonis ſacra caſulæ hæ pertinuiſſent; certe ſtatim cum Hartzburgi eccleſia collegiata extrueretur, fuiſſent conſecratæ, atque adeo & crux tam ſtatim acceſſiſſet. Factum id eſſet ſeculo decimo. Sed an tantam antiquitatem præ ſe ferant hæ aſſutæ imagines, aliorum eſto judicium. Denique palmarium argumentum meum hoc eſt, quod compertum habeo, etiam Chriſtianos barbaro iſthoc ævo ab ejusmodi monſtroſis figuris non plane abhorruiſſe. Pertinent huc, ut ipſe obſervat vir doctiſſimus, veſtes illæ ſigillatæ, hoc eſt, ut Carolus du Freſne interpretatur, ſigillis & figuris ornatæ, quarum ſæpius meminit Anaſtaſius in vitis Pontificum Romanorum. Et ne putemus monſtroſas tantum animalium rapacium figuras a ſacris Chriſtianorum excluſas fuiſſe: en nonnulla, ex Conradi Epiſcopi Chronico vetere rerum Maguntiacarum a me obſervata: *Inter acerras una erat de lapide integro Onychino concave, habens ſimilitudinem vermis horribilis, id eſt, ut bufonis. .. Item erant due grues argentee concave, que ſolebant poni juxta altare hinc & hinc & dorſo patebant, impoſitis carbonibus & thure, vel thymiamate boni odoris fumum per gutture & roſtra emittebant. ... Erant pelves IIII. argentee & aurei diverſarum formarum, quos*

Vid. Auct. ad ann. 1632. Tab. ad diſſert. fig. 1, 2, 3. Calvar. part 2. ritual. Evangel. ſect. 3 c. 27 p. 513. Neque pallium neq; veſtes monſtroſis figuris variegatæ ad Crodon. pertinet Quod probatur.

DuFreſne part. 2. Gloſſ. Lat. p. 858. Chron. Conrad. Mogunt. p. 451. ap. Renber.

manilia vocant; eo quod aqua sacerdotum manibus funderetur ex eis argenteam quadam habentes formam leonum, quadam draconum avium, vel gryphonum vel aliorum animalium quorumcunque. Ad forte hæc de cetero sacro thesauro, non item de vestimentis sacris vera sunt? Immo & hæc non minus, quam alia ornamenta ecclesiastica ejusmodi sphyngibus consveviſſe variegari, testis est Antonius de Yepes, qui chartam Rudesindi Episcopi Dumiensis æræ 950. exaratam profert, in qua hæc vestimentorum sacrorum genera recensentur: *Plumatios dignores palcos decem, alios subtiliores octo, aliphases vulturinos quinq;.* Vbi quid per *aliphases vulturinos* intelligatur aliud, quam vestimentum ejusmodi vulturum iconismis variegatum, non video. Sic & in libro Anniversariorum basilicæ Vaticanæ apud Johannem Rubeum occurrunt inter cetera ecclesiæ ornamenta *duo pluvialia de diaspro & panno barbarico*, ubi pannus barbaricus notat pannum variis animalium figuris variegatum. Ita enim Donatus Virgilii Scholiastes: *Barbaricarii qui ex auro coloratis filis exprimebant hominum formas, animalium & aliarum specierum imitabantur subtilitate veritatem.* (*) De his quidem monstrosis vestibus initio sinistris quam interjecto tempore judicatum fuit. Clandidum enim est S. Bonifacii Moguntini judicium: *Illa ornamenta vestium, vermium imaginibus clavata, adventum Antichristi ab illo transmissa præcurrunt.* Nec tamen ab hoc antichristi charactere deinde se abstinuit clerus Pontificius, qui etiam posteris temporibus casulas variis animalium formis variegatas adhibuit. Meminit & Leo Ostiensis *planeta purpurea cum phryso & cum aquila ex margaritis contexta.* Du Fresne quoque in inventario ecclesiæ Eboracensis observat *unam capam del Sarcenet (Saracenici operis) operatam cum imaginibus*, quæ imagines procul dubio profanæ & monstrosæ fuerunt, cum nihil sacris nostris accommodatum a Saracenis potuerit proficisci. Videmus, quo Cleri Pontificii luxus olim fuerit prolapsus. Minus ergo opus esse puto ut casularum nostrarum variegatarum originem ad Crodonis sacra referamus, cum videam9 & Christianis eã aliquando luxuriam dicam, an insaniã placuisse. Quæ cum ita sint, nescio quo pacto cũ Meriano ex his figuris Crodonis faciem agnoscere possimus. Duo enim probanda restarent hæc asserenti, primo quidem vestes illas Carolo M. esse antiquiores, deinde vero Crodonis imaginem in iis repræsentari. Quod sane factu erit difficillimum. Quis enim credat, quod Merianus asserit, Mechtildem Henrici Aucupis filiam has Crodonis ἐπιφανείας panno huic intexuisse? Quando enim Crodo Mechtildi apparuisset? Quid Mechtildi cum Crodone qui dudum a Carolo M fuerat excitus? Videtur igitur Merianus, ut alia pleraque ex Chronico quodam Goslariensi MSC. aut certe ex anili traditione hausisse. Ejusmodi enim commentis Schedæ, quæ vulgo circumferuntur, solent esse refertissimæ.

Ant. de Yepes tom. 5. Chron. Ord S. Bened. ap. Car. du Fresne tom. 1. Gloss. Lat. p. 132.

Joh. Rub. in vita Bonifacii VIII. p. 345. Donat. ad l. 7. Æn. p.

Benifacii epist. ad Gutbbert.

Leo Ost. l. 3. c. 57. Du Fresne l. c. part. 3 f. 705.

Crodonis simulacrum in his vestibus frustra quæritur

(*) *Conf. Turneb. l. 10. Advers. c. 18. Bronver. l. 4. annal. Trevirens. p. 251. Car. Du Fresn. Tom. 1. Gloss. Lat. p. 474.*

§.) VII. Ejusdem etiam notæ sunt cætera, quæ de vulgari Crodonis simulacro addit Merianus. Primo enim piscem omittit, quem veluti ex compacto omnes Crodoni subjiciunt: deinde addit falcem, quam omnes alii auctores ignorant. At vero hæc omnia nullum in vetustis scriptoribus habent præsidium, ac falso plane nituntur fundamento. In ea enim opinione fuit auctor, ac si in Crodonis cultu Saturni sacra latuerint, atque inde ausus est insignia Saturni Crodoni tribuere. Sane enim Saturno apud Romanos falcem messoriam, sive Harpen vulgo appingi soliram, testantur Plutarchus, Macrobius, & Natalis Comes. Quæ cum ita sint certe Auctor topographiæ vel memoria lapsus est, vel conjecturæ suæ nimium tribuendo fuit deceptus.

An Crodo falcé tenuerit

Plutarch. Quæst. Romic. 42. p. 275. Macrob. l. 1. Saturn. c. 7. 8. Natal. Com. l. 2. myth. c. 2.

§.) VIII. Pauca addo, quæ ad Crodonis simulacrum pertinere videntur. Nimirum solent Hartisburgi ab incolis pari candelabra quadrupedia, totidemque cornibus sursum instructa, eaque vulgo Crodonis simulacrum referre dicuntur. Sed de his solum addo doctissimi Calvœrii judicium, qui & ipsius candelabri faciem æri incisam dedit: *Habent incolæ hodie nunc candelabra, ad Crodonis, seu ex traditione adjunt, simulacrum effabricata, Indorum magis Deastros, quam humanam effigiem, qua quidem Credo effingi consuevit, æmulantia.*

An Candelabris Harzburgensibus similis? *Calvar. part. 2. Ritual. Evang. sect. 2. c. 41 p. 347.*

§.) IX. Cum igitur meliora non videamus, omnino vulgari isti sententiæ nos accedere oportet, quæ Chronographum veterem Saxonicum auctorem habet. Venit mihi vero hic in mentem Taciti locus, qui si vera tradit omnis nostra disquisitio vana esset ac supervacanea. Ita enim ille de Germanis: *Cæterum nec cohibere parietibus Deos neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Quamvis enim Taciti ævo cultum Crodonis vix supparem dicere audeam, atque adeo huc Taciti locus non videatur pertinere, Adamus tamen Bremensis, Helmoldus & denique Cluverus hæc ad Saxones quoque & Slavos restringunt, sui, ut videntur parum memores, quippe qui solum si excepris Cluverum, alibi alia omnia statuunt. Verum enim vero, quid faciemus tot Deorum simulacris a S. Bonifacio & Carolo M. destructis, quid dicendum de simulacro Saturni Scavici, cujus Witekindus meminit, quid Irminsulæ, quid aliis innumeris fiet, de quibus certo satis constat?

Taciti locus expenditur. *Tacit. c. 9. de morib. Germ.*

Ad. Brem. l. 1. c. 6. p. 8. Helm. l. 1. c. 83. p. 165. Cluv. l. 1. Germ. antiq. c. 34. n. 1.

Indi-

Indiculus sane superstitionum paganicarum, in Germania adhuc seculo octavo passim obviarum meminit etiam *simulacrorum de conspersa farina, simulacrorum de pannis factorum, simulacrorum, quæ per campos portant.* Quæ cum ita sint, aut Tacitum oportet errasse, aut Germanos post Taciti ævum antiquos mutasse mores.

Cf. Baluz. T. 1. Capit. p. 150. Conr. de Or. Juris Germ. p. 349. Sagitt. l. de antiqv. Gentilism. & Christian. Thur. c. 3. p. 28

falso Saterburgum.

§. X. Satis hæc quidem de simulacro. Jam sedem Crodonis & domicilium videamus. Est illud Hartisburgense castrum, ultra Okarim uno ab hinc milliari dissitum, quod antiquissimum esse quivis facile fatebitur, licet ii, qui illud jam ante Christi nativitatem conditum volunt, rem incertissimam asserere videantur, id quod etiam doctissimus Meibomius fatetur. Non dicam jam de varia ac discordante a se hujus castelli fortuna, qua factum est, ut modo ad invidiam usque floreret, ipsisque Imperatoribus esset in deliciis, modo prædonibus præberet domicilium, modo funditus dirueretur. Hæc enim fata infra in antiquitatum libris sedulo sumus persecuti. De nomine tantum dicenda quædam videntur, in quo ineptire nonnunquam auctores video. Vocatur hodienum vicus, cui castellum imminuit Hartesburch, sive Hartzeburg; quemadmodum & apud vetustos scriptores Hartisburch, Hartesburgum, Haisburg, in diplomate Henrici IV. Harzesburg, quæ nomina, quin a sylvæ Hercynicæ jugis, quibus adjacet, fuerit adeptus, ne dubitandum quidem videtur; Siquidem & hæc olim tum in diplomatibus, tum apud scriptores *montana Hartz* (*montes Hartici*, *mons* Hart & denique *Hartho* solita sunt appellari. Helmoldus: *In Hartico*, inquit, *clivo Hartesburgum castrum firmissimum ædificatum* ab Henrico IV. Imp. Et scriptura in fenestris ecclesiæ Simonis & Judæ Hartesburgum vocant *arcem Hercynicam*, quo nomine rationem simul denominationis involvi crediderim. Enimvero licet hæc ita sint manifesta, ut in oculos incurrant, non desunt tamen, qui nescio quæ somnia sibi fingunt. Ita enim Auctor Historiæ belli Saxonici a Reubero & Goldasto editus nomina se invento Harzburgum *Arcipolim*, militem præsidiarium *juvenes Arcipolenses* vocat; Id quod eo magis mirum, si, quod Goldasto initio visum fuerat, auctor poëmatis fuerit Rupertus Goslariensis Præpositus, qui genuinum arcis vicinæ nomen explorare quam facillime potuisset. Sed id quidem licentiæ poëticæ tribuimus. At quid Abbati Urspergensi veniisse in mentem dicemus, in cujus chronico loco Harzburgi, *Zartesburgum* legimus, nisi forte literariis hunc errorem debemus. Sed omnium maxime ineptit auctor Chronici Saxonici veteris, quem Crodonis historiam passim interpolasse supra notavimus. Relicta enim etymologia arcis propiore quam ab Hercynia rectius deduxisset, illam initio *Saterburgum* dictam, atque depravata deinde voce Harzburgum appellatam asserit. Und (Julius) inquit, buwete de Saterborgk/dat nu het de Hartesborg/ un satte darub den Gott Saturnus. Hoc autem monachi commentum, quamvis plures suum fecerint, quibus toties descripta solenne est describere, paulo post explodemus, ubi fabulam de Saturno sub Crodonis simulacro latente expenderimus.

Sedes Crod. Hartisb. cujus etymologia.

Meib. ep. ad Frid. de Heimb. an. 1683.

Helmold. l. 1. c. 27.

Vocatur & Arcip. *Hist. Bell. Sax. ap. Reub. p. 204. & passim.*

Denique

§. XI. An & alia Crodonis domicilia præter Hartisburgum per Ostphaliam olim claruerint, tacentibus id monumentis incompertum habemus. Sunt, qui Gardelegiam, Marchiæ veteris claram civitatem in hunc censum referunt, quod & Christophorus Enzelius facit in Chronico der alten Marck Brandenburg/ quem his verbis allegat Pomarius in additionibus ad Chronicon vetus Saxonicum: In der Altmarckischen Chronicken wird berichtet/ daß man diesen Abgott Crodo auch zu Gardeleben neben der Isis angebetet/ und die Stadt davon Crodonis Leben genannt habe. Sed Enzelii Chronicon (verbis utor viri eruditi) *fabulis & nugis est refertissimum*, atque adeo in re tam antiqua fidem non meretur. Hinc Laurentius Schulze Pastor & Superintendens Gardelebiensis in libello, quem inscripsit Trauer und Thränen-Predigt über den unverhofften und hochbeklagten Kirchen Fall des lieben GOttes Hauses zu St. Marien in Gardeleben. ao. 1658. licet totam Gardelebiensem historiam brevi & eleganti quodam compendio complexus sit, atq; ibidem a Caroli quoq; temporibus urbem stetisse conjiciat, hanc tamen de Crodone narrationem non attigit. Proclivius equidem erit id credere de Crottorffio, Halberstadiensis diœceseos vico, si e solis nominibus res tam priscas volueris conjicere. Sed habent ejusmodi etymologiæ nescio quid, ut auctorum magis ingenia, quam se ipsas commendent, inprimis si nihil aliud accedat, quod eas faciat verisimiles. Rem igitur ipse quidem in medio relinquo.

An Gardelebiæ Crodo sit cultus?

Pomer. ad Chron. Sax. p. 29.

Strvv. bicl. hist. c. 20. p. 538.

lis. k. his.

An Crottorfii?

vid Hach. germ. med. diff. 8. § 13 p. 207. Arn. l. c. c. 7. p. 93. Reim. Id. hist. Halb. p. 9.

§. XII. Beatus Sagittarius, quo nemo doctior manum ad Thuringorum antiquitates scribendas appulit, etiam Thuringos hunc Deastrum Saxonicum veneratos esse modeste conjicit. Ipsa B. Viri, Præceptoris mei etiam post cineres suspiciendi, verba afferam, quæ utroque pollice amplector: Weil der Sachsen Götzen etwas bekannter/ so möchte man von denenselben/ so viel die Thüringer betrifft/ etwas Beständigers vorbringen können. Jedoch mus ich gerne gestehen/ daß ich noch zur Zeit davon ein mehrers nicht bemercket/ als was sich aus dem in Thüringen und sonderlich auch zu Erfurth auch mit vielen zusätzen bekannten Scheltwort Kröte auf den Sächsl. Abgott Crodo schliessen lässet. Verum his statim Subjicit: Gleichwie es aber endlich mit vorgedachten drey Götzen Thor, Wodan und Fria, wie auch dem auf

An in Thuringia?

Sagitt. l. de antiqv. gentilismo & Christ. Thur. c. 1. p. 5.

Crodo was sonderlich die Thüringer betrifft auf solchen Gründen beruhet / dawieder man noch wohl etwas einzuwenden hätte: Also wäre zu wünschen / daß man so wohl von diesen als andern Gözzen / so die Thüringer entweder mit allen / oder mit etlichen andern Teutschen Völckern gemein gehabt / oder auch insonderheit beehret / gründliche Nachricht hätte. Nihil pronunciat vir insignis judicio præditus. Familiare enim illud execrationis vocabulum du Kröte / quod non modo per Saxoniam & Thuringiam, verum etiam in ipsa Dania frequentius, quam par est, auditur, non tam a Crodone, quam a busone venenato illo animali, (quod Germani eine Kröte vocant) originem videtur adeptum. Saxones enim æque frequenter usurpant illud du Lorch / cujus originem nemo a Crodone deduxerit.

Ernest. l. 2 Observ. c. 9.

§. XIII. Restat Cimbria, in qua Crodonem fuisse cultum Wormius & Arnkielius asserunt. Id vero eo minus negandum puto, quo certius constat, Cimbriam antiquissimam esse Saxonum patriam, e qua deinde egressi Septentrionales Germaniæ regiones impleverunt. Si igitur unquam Saxonum Deaster fuit Crodo, quod supra ultro fassi sumus, negari sane non potest, eum & per Cimbriam cultores reperisse, aut potius ex ipsa Cimbria in has regiones fuisse allatum. Præclare enim laudatus Dn. Arnkiel: Wie die Gothen also haben auch die Sachsen ihre Väterländische religion in denen eingenommenen Ländern angerichtet. Zu dem Ende thut der Heydnische Herzog Hengst / der Angel Sachsen Heerführer sein Glaubens Bekäntnis von seinen einheimischen Göttern vor dem Brittannischen König Vortiger / davon *Galfredus Monument. lib. 6. Hist. Brit. cap. 10.*

An in Cimbria? *Worm. l. c. Arnk. l. c.*

Arnk. c. 3. l. c. p. 18.

II. Sacra Crodonis.

§. XIV. Satis multa de Crodonis domiciliis disseruimus, proximum est, ut & sacrorum disciplinam, quantum quidem id fieri potest describamus. Cum vero pauciss ima ea de re supersint monumenta, nisi omnia, quæ de Germanis universis Tacitus aliique hujus generis scriptores narrant, ad Saxones quoque & Ostphalos referre velis, licebit nobis hic esse eo brevioribus, quibus propositum est, non nisi, quæ ad Crodonis cultum pertinent, commemorare. Atque hic quidem tria potissimum videntur observanda, *loca sacra, festa preces & sacrificia*, quæ uti omnibus paganis fuere communia, ita & in Crodonis sacris videntur locum inveniss e.

Locus Crodoni sacer.

§. XV. De loco sacro, quem Harzburgi hodienum ostendunt id noto, eum cum veterum Germanorum moribus egregie convenire, sive eum cum vulgo in ipso montis vertice, sive ad montis latus quæras. Hoc enim mavult Doctiss. Calvoer: *Ad Hercyniam* inquiens, *nostram in via qua ascenditur ad montem, in quo arx Harzburgum, quasi Hercynie castellum dicas, posita antiquitus fuit, ostenditur in petra lo-*

Dn. Calv. part. 3. rit. sect. 1. c. 2. p. 61.

cus, in quo sive steterit Idolum Saxonum Crodo, Κρόνος Græcorum, Saturnus vero Romanorum, faciem obvertens Orienti, ex quo longe lateque spectari potuit. A vero proinde abludere arbitror eos, qui in vertice montis Templo obumbratam idolum illud collocant. Pedibus sane viri Doctissimi in sententiam eo omniaque probo, quæ tum de loco, tum de templo monet. Si itaque hunc montem consideres, reperies totum arboribus sylvisque horridum. Inprimis vero antiquiore tempore undiquaque nemoribus clausum fuisse probabile erit, cum silvæ sensim excisæ nondum tot pratis campisque locum feciss ent. Deinde videbis montem hunc esse satis editum, denique multis eum cavernis distingui animadvertes. Quæ omnia cum priscis Germanis in Deorum cultu quam maxime placuisse constet, non poterat sane accommodatior commodiorque huic superstitioni locus reperiri. Templa universos Germanos minus probasse e Tacito patet, cujus jam supra locum adduximus. Et ne Saxones aliam iniisse rationem putes, diserte id de illis affirmat Adamus Bremensis. Idem de silvis ac nemoribus statuendum, quæ sicut Tacitus a Germanis ita Adamus Bremensis a Saxonibus Diis consecrata perhibet, *frondosis*, inquiens, *arboribus, frutibusque venerationem exhibebant.* Quo spectat & illud Claudiani, de Germanis:

Ut procul Hercynia per vasta silentia sylva
Venerari tuto liceat; lucosque vetusta
Religione truces & robora numinis instar
Barbarici nostræ ferient impune bipennes.

Sed de lucis ac nemoribus, ut & montibus sacris tum aliarum gentium, tum præcipue Germanorum satis accurate jam dudum egere Cluverus, Guilielm. Cave, Owenus, Arnkiel & doctissimus Dn. Casper Calvœr, quorum opera sunt in promtu. Ejusmodi sacrorum nemorum vestigia plura per viciniam hinc inde notare licet. Vt enim taceam, quæ de Meliboco nostro ex Saxis ad ascensum excisis, partimque admodum aræ ferme dispositis, ex plana & patente area, ex θεολοfonte limpidissimo, ex perantiqua traditione de sagarum in montis vertice congressu, aliisque hujusmodi indiciis colligit laudatus Dn. Calvœr, quibus & ipse facile accedo, ipse mihi ejusmodi nemus sacrum deprehendere visus sum in colle, cui rudera antiquissimæ arcis Häynburg (Auctor Historiæ de bello Saxonico & Chronici Montis Sereni Hennenberg, Chronicon Bigaugiense Heimenburg / diplomata modo Heimborg, modo Heimborg vocant) conspiciuntur. In latere enim montis arbores tam confertim satæ sunt, ut & reliquias has esse sacri nemoris, & ipsam arcem inde nomen Häynburg adeptam conjiciam. Antra quoque & specus, quæ in Harzburgensi luco apparent, licet a plerisque latronum receptacula credantur, non incongrue videor mihi

Claud. l. de laudib. Stil. p. 298

Cluv. l. 1. Germ. antiqu. c. 34. Gv. Cave part. 1. appar. ad adsign. apost. p. 21. Owen. l. 3 θεολ. c. 11. p. 255. Arnk. l. c. 31. p. 127. Calvœr. part. 2. rit. sect. 1. c. 1. p. 10. Chron. mont. Ser. c. 4. p. 77. Chron. Big p. 264 p. 45.

ad Cultum Crodonis referre, quæ jam inde a Druidum ætate Germanis superstitiosis in Deorum cultu placuerunt, ut e Cluvero patet. At vero plures unius rei possunt esse usus, & quæ olim Crodonis cultoribus venerationi fuerunt, eadem loca interjectis temporibus latronibus potuerunt receptacula præbere.

Cluv. l.c.

§.) XVI. De diebus festis Crodoni sacris nihil ex omni antiquitate mihi adhuc occurrit, nisi quod ex compacto tradunt, ut ceteros Deos per septimanam ita & Crodonem die Sabbati præcipue sacrificiis precibusque cultum fuisse. Autores hujus rei habeo Richardum Verstegan, Wormium, Arnkielium, & qui singulari tractatu rem executus est, Arnoldum, quorum testimonia non ausim plane in dubium vocare. Cum constet morem dies per Deos præcipuos distinguendi antiquissimis gentilibus fuisse familiarissimum. Novi equidem Doctissimum Scaligerum, qui temporum rationes summa cura emendavit, in eam inclinare sententiam, ac si septimanarum origo in Europa Christianismo ipso non esset antiquior: ita enim ille: *Primum σύστημα ex diebus dicitur Septimana, res omnibus quidem Orientis populis ab ultima usq; antiquitate usitata, nobis autem Europeis vix tandem post Christianismum recepta.* Sed huic sententiæ antiquissimi adversantur auctores, quibus hebdomadis dispositio non fuit incomperta. Non equidem repetam ea, quæ Christianæ ecclesiæ patres ea de re adversus gentes disputant; ipsorum tamen gentilium testimonia audire juvat, omni exceptione majora, e quibus non hebdomadum tantum antiquitatem, verum etiam ipsa dierum nomina discimus. Sane Dion Cassius in memoriam nobis revocat *Τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλουμένην, Diem quam Saturni vocamus*, ubi procul dubio de Romanis est locutus. Immo idem auctor alio loco diserte hunc morem gentibus omnibus esse communem fatetur: *Τὸ δὲ δὴ*, inquiens, *εἰς τὰς ἑπτὰ τὰς ἐπὶ τοῖς πλανήταις ὠνομασμένας τὰς ἡμέρας ἀναφέρειν, κατέστη μὲν ὑπὸ Αἰγυπτίων. Quod vero Diis assignantur septem stellis, quæ Planetæ vocantur, id certe inventum est Ægyptiorum.* Herodotus quoque Græcorum historicorum antiquissimus: *Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι εὑρημένα· μιῆς τε καὶ ἡμέρης ἑκάστης θεῶν ὅτεν δή. Καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ἐπίσταται ἀγκυρήσας, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ οἵη τις ἔσται· καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐν ποιήσι γεγονότες ἐχρήσαντο. Alia etiam ab Ægyptiis inventa sunt: Quis mensis & quis dies cujusq; sit Deorum: & quo quis die genitus, qualia sortietur, & quam mortem obiet & qualis existet. Quibus rebus usi sunt ii, qui e Græcis in poësi versabantur.* Et cui quæso ignotum illud Apollinis oraculum, quod e Porphyrio nobis servavit Eusebius:

Dies Sabbati Crodoni sacer. Richard. Verstег. c.3. ant. stupl. Arn. l.c.

Hebdomarius cyclus etiam ethnicis notus. Scalig. l.1. emendat. temp. p.6.

Theoph. Antioch. l.c. adv. Autolyc. Clem. Alex. l.5. Strom. p.508. Philast. haref. n.111 Dion. Cass. l.37. Id. l.36. Herod. l.2 c.82.

Euseb. l.5. præp. Ev. c.14.

Et similis modo Saturnum, & Venerem,
Invocationibus arcanis, quas invenit Magorum optimus
Septisona rex, quem omnes norunt,
Et valde, & singulatim semper Deum septemlici voce.

Omitto alia; Plura enim desideranti *Cluv. l.1. Germ.* facile satisfiet a Grotio, Cluvero & Marshamo, qui hanc rem cum cura tractarunt. *ant. c.33.* Enimvero ne Germanos solos cyclum hebdomarium ignorasse putes. Celticæ quoque gentes per hebdomadas annos digessisse, e vetustissimis dierum nominibus, *Grot. l.1. de verit. rel. Christ. c.16. p.1093 & 2003.* apud Germanos, Britannos & Gallos usitatis colligit Grotius. Slavis certe Germanicæ genti diserte hunc morem annum per hebdomariam cyclum digerendi tribuit Helmoldus, Slavos una cum regulis suis & flamminibus feria quavis secunda lucum sacrum ingressos referens, ex quo sequitur ordinem gentium morem retinuerint, dieique more ceterarum gentium non modo per hebdomarium cyclum Germanum diviserint, sed & singulos singulis Diis, nis? quos colebant, tribuerint. Utinam vero *Helmold. l.1. c.83. p.185.* antiqua dierum Saxonicarum nomina superessent. Dies enim Saturni genuinum nomen suum dudum videtur amisisse. Nomina Sonnabend est vox recentior, &, ut videtur, ex veteri Christianorum ritu petita, quo vesperam hujus diei, sabbati quippe Christiani prænunciam sacram & festam habebant. Nomen quoque Sambs, Satertag non multo videtur antiquius, & ex Germanico Sabbatstag contractum. Illud vero Saterrtag / quod vulgo pro antiquo venditant, tum genuinum esse concedam, si Saturnum unquam Germanos coluisse quisquam mihi probaverit. Potius hanc appellationem si unquam in Germania audita est, Romanis debere originem crediderim, quos ultimum hunc septimanæ diem Saturno tribuisse, supra e Dione Cassio vidimus, quiq; cum bonam Germaniæ, Galliæ Britanniæq; partem tenuerint, & nomina hujus diei videntur invexisse, ut adeo Satertag nihil sit aliud, quam dies Saturni Romanorum. Rationem hujus sententiæ meæ inde derivo, quod omnia reliqua dierum nomina Deos Germanorum indigetes præferant. Sic feria prima a sole der Sontag / feria secunda a Luna, der Montag / feria tertia a Tuistone der Dienstag / sive Twistag / feria quarta a Wodano, Wodenstag item Wonstag / feria quinta a Thoro, Thorstag / nunc Donnerstag / feria sexta a Freya Freytag vocatur. Omnia hæc a lingua patria deducta, omnia Germanis convenientia, & de his Germanorum Diis e certis constat antiquitatum monumentis. Quis ergo sibi persuadeat, ex omni exterorum Mythologia solum Saturnum infaustum Deum ita majoribus nostris placuisse, ut eum non modo in Deorum suorum numerum retulerint, verum etiam ipsum exterorum nomen retinuerint, cum alias nullum in Germa-

Invoca Mercurium; & pariter solem die solis;
Lunam itidem, cum aderit ejusdem dies;

nia antiqua Romani cutus extet vestigium. Quæ cum ita sint non possum certo asserere, an Crodo diem Sabbati sacrum habuerit, multo minus an huic diei nomen dederit, licet, cum id historicis nonnullis recentioribus visum fuerit, nec multum abnuerim.

Sacrificia Crodonis horrenda.

§. XVII. Preces & sacrificia (qui postremus ritus est, de quo nonnulla hic subjicienda sunt,) ita fuere omnibus gentibus communia, ut ea in sacris Crodonis locum inveniisse extra omnem dubitationis aleam videatur positum. De precibus quidem nihil compertum habeo, quod ad Crodonem spectet; at vero sacrificia eo altiorem requirunt indaginem, quo magis horrenda ac barbara fuisse dicuntur. Arnkielius enim, qui Cimbriacarum gentium ritus accuratissime expendit, ubi de Sacris Crodonis agit, Saxones ἀνθρωποθυσίας crimine se polluisse suspicatur; ita inter alia locutus: Dionysius Halycarnas schreibet im ersten Buch / daß die Celtische und andere gegen Orient sitzhaffte Völcker dem Saturn Menschen geopffert. Hierunter werden unsere Vorfahren mit begriffen: denn durch die Celten werden verstanden die Teutsche / Britannisch / Spanische und Illyrische Völcker / welche Celtischer nation sind. Eadem repetit in luculento de cornu Tundrensi tractatu, quamvis utroque loco ea, quæ de Saturno dicuntur, ad Crodonem, quem Sater vocat, applicet. Et licet nos Crodonem cum Saturno non plane eundem putemus, tantum tamen abest, ut humana carne litatum illi esse negemus, ut id ultro fateamur. Primo enim horrenda hæc sacra toti terrarum orbi fuere communia, ut luculenter demonstrant Jacob. Gensius & Arnkielius. Deinde Celtas inprimis ut auctores sunt Strabo & Dionysius Halicarnasseus * diabolus ad ejusmodi immanitatem induxerat, ad quos & Germani pertinent. Præterea in ipsa Germania non modo Taciti ævo, verum etiam longe post exortam Christianam lucem Slavi victimis humanis polluere manus, ut ex Helmoldo constat. Denique Cimbris e quibus Saxones prodiere, hic cultus fuit solenissimus, id quod ex Svecorum, Danorum, Islandorum, Norwegiorum, & Cimbrorum annalibus aliisque monumentis operose demonstrat laudatus Arnkielius. Non ergo video, quo pacto & Crodonis cultores ab ejusmodi immanitate absolvere queam, licet vel maxime auctores veteres ut cetera pleraque id taceant.

Arnk. c. 4. Gentilism. Cimbr. p. 130.

Jac. Gens. part. 1. de victim. hum. c. 4. Arnk. l. c. c. 27. p. 138

Helmold. l. 2, c. 12.

* *Strabonis, Dionysii & Taciti loca prolixe explicat Cluverus l. 1. Germaniæ, c. 35.*

Altare Crodon. in eccles. SS. Sim. & J. superstes

§. XVIII. His sacris adhibita altaria, quorum usum ab ipsis diluvii temporibus apud omnes gentes invaluisse constat. Nec igitur Crodonis cultoribus altaria defuisse verisimile est. Idque eo certius pronunciamus, quod hodiernum in ecclesia SS. Simonis & Judæ superat altare Crodonis æneum, cavum, satis affabre effictum, atque, ut vulgaris traditio habet, Harzburgo cum aliis sacris ornamentis translatum. Formam habet Parallelepipedi, & longitudine 3. pedes & digitos, latitudine 2. $\frac{1}{2}$ pedes altitudine 2. pedes & 7. digitos absolvit. Basis loco inextremis quatuor oris notantur totidé statuæ virunculorũ barbara facie cavoq; capite horridorum, latera eleganter perforata cavitatem intus ostendunt, area vero superior tabulam marmoream complectitur, cui crux incisa consecrationis episcopalis signum. Sed rectius hæc ex ipsa altaris effigie disces, quam ideo inserui. Multa autem sunt, quæ mihi persuadent, Crodonis hoc esse altare. Primum quidem antiqua traditio ad posteros veluti per manus propagata, eruditorum deinde, quibuscum rem communicavi, judicium, & denique forma a Christianorum altaribus remotissima, & plane ad gentilium sacra accommodata. Cum olim Christianorum altaria solida plerumque sint, & pallis obducta, hoc ubique perforatum apparet. Cum Christiani altaria vel ad parietes vel ad columnas construxerint, vel certe ad tabernacula incluserint, hoc ita confectum est, ut veluti mensa in medio templi choro consistat, singulaque latera eandem plane faciem præ se ferant. Christianorum quoq; altaria nec figura nec altitudine cum hoc Crodoniano conveniunt. Deniq; statuæ virunculorum horridæ non modo habitu corporis & vestitu antiquitatem loquuntur verum etiam capite indicant, eas thurificationi fumoque excitando olim inserviisse, quales bases altarium in Christianorum templis antiquissimis haut temere notabis. Unde non immerito statuere mihi videor, hoc altare recte juxta communem famam e Crodonis sacris dici reliquum esse. Nec adversatur nobis crux tabulæ superiori marmoreæ incisa. Ex ea enim hoc tantum cum Doctissimo Calvœrio colliges, altare hoc ob insignem antiquitatem ad sacra Christianorum translatum & solenni ritu fuisse consecratum. Id quod sæpius consueviisse notum est, & provocatum. Solebat enim Carolus M. excisis idolis, & penitus abolitis nonnulla ex sacra gentilium suppellectile ad posterorum memoriam conservare & in ecclesiis augustioribus tanquam trophæa quædam & spolia opima dedicare, ubi & minus esset ab idololatria periculi, & locus omnium tutissimus. Quemadmodum igitur columnam, cui Irminsula inhæserat ob insignem antiquitatem Hildesiæ; ita & altare Crodonis eadem de causa Harzburgi in oratorio recens a se condito reliquisse, videtur.

Tab. ad dissert. fig. 5.

III. Crodon. vulgo eundem cum Sat. Romanorum statuunt.

§. XIX. Jam tertio loco venimus ad quæstionem gravissimam, quem nam Deorum Crodonis simulacrum repræsentarit, aut cujus memoriæ sit positum, de qua re vulgaria potius quam solida proferri vulgo video. Omnes enim qui ad huc cum cura veterum Germanorum theolo-

blogiam excusserunt, veluti ex compacto in eo consentiunt, Crodonem eundem fuisse cum Romanorum Saturno, a quo & nomen Sater sit adeptus. Vetus Chronicon Saxonicum, quod in Reimans Bibliotheca latet, & in observationibus Hallensibus Germanicis mirifice commendatur; Eine Myle wegs von den Hartze/ und to der Hartzburg da stund Saturnus, Chronicon Saxonicum a Pomario editum: dem der Abgott war mit einer Leinen Schürtzen umgürtet/ zur anzeigung/ daß sie von ihren GOtte Saturno her frey wären. Cranzius: *In arce Hartesborg idolum coluere Saxones, cui nomen Crodo (Saturnum dixere Romani,)* Et alibi: *Krodo nomen erat idolo, quod Saturnum sunt arbitrati.* Leznerus: Mann hat den vermeinten Gott Crodonem, welchen die Lateiner Saturnum genennet haben in Bildnis eines alten Manns ... dargestellt. Hoc deinde veluti longo agmine facto secuti sunt Bernoldus, Verstegan, Arnkielius, Sagittarius, Nerretterus, & quicunque vel Crodonis meminerunt, vel ejus historiam accuratius sunt executi. Quid? quod nonnulli rem facturi probabilem non modo nomen Sater huic Deo tribuerint, verum etiam Crodonis etymologiam ex Græco χρόνος exsculpere voluerint, satis quidem ingeniose, dummodo meris conjecturis ac non potius argumentis pugnandum esset. Verum enim vero expensis rebus omnibus, quæ huc facere videntur, rationibusque deductis, hanc feci summam cogitationum mearum, Crodonem Saxonicum cum Saturno Romanorum nihil habere commercii.

Observat Halens. Germ. part. 1. obs. 10. Pomar, Chron. Saxon. p. 28. Cranz. l. 2 Saxon. Id l. 1 metr. c. 3. Lezner. Histor. Caroli M. c. 26.

Id quod non est probabile.

§.) XX. Prima, quæ mihi occurrit ratio, ab ipso hujus sententiæ fundamento petita est. Quicunque enim recentiorum Saturnum excogitarunt Romanorum, solum illud vulgare Chronicon Saxonicum sunt secuti, cujus auctor licet antiquiorum nonnunquam scrinia compilarit, plura tamen subinde ex suo ingenio videtur suppleviſse. Quod dudum notatum est ab eruditis. Et quis quæso prudens non animadvertat, omnia illa, quæ de sensu hyerglyphico hujus idoli comminiscitur, ex ipsius pera prodiisse. Adeo enim puerilia omnia sunt & frivola, ut nonnisi otio abutentis monachi sapiant ingenium. Quamobrem ejus auctoritatem non ita magnam putamus, ut ejus causa sententiam nostram deserentes, in alia omnia abeamus. Alias & credere nos oporteret, quas de Triumvirûm Romanorum per Saxoniam dominatu aliisque ejusmodi rebus nectit fabulas, quas tamen eruditi hodie omnes explodunt.

Ratio I. Chronicon Saxonicũ nonnunquam futile.

Ratio II. Saxones Roman. Deos nõ agnovere.

§. XXI. Deinde nunquam probari poterit, aut Germanos, aut Saxones ex ultima Cimbria huc terrarum migrantes Romanorum Deos coluisse. Scio equidem ita nonnullis videri, sed omnes genuino destituti ex antiquitate testimonio, in Chronici Saxonici Cranziique auctoritate acquiescunt, qui primi ejusmodi quid scribere sunt ausi. Et profecto si rem accuratius expendas, vanitas hujus sententiæ statim se prodet. Quærendum enim merito videtur, qua occasione hi Dii Romanorum in Saxoniam pervenerint. Facilis quidem admodum ad responsionem est auctor Chronici Saxonici, fabulam exorsus a Julio Cæsare, qui cum victricia per has regiones arma circumtulisset septem castella dedicarit, eaque totidem Diis Romanorum consecrarit, a quibus deinde ad posteros cultus hic externus sit propagatus. En ejus verba: Düsse drey Könige Julius, Crassus, & Pompejus de delten det ricke/ so dat Julio/ dem voll dat Land Germania, dat is dat Land by dem Ryne/ dar Worms/ Mentz/ Cölln/ und Triere inne ligt. Düsse Keyser Julius de Betwanck hier düsse Land/ und brachte so to dan romieschen Laven/ ande Affgodde/ und Buwode seven Berge/ in de ehre der seven planeten. He Buwede mit erste in den Lande dat in Westvalen hett eine Borch uppe einen hohen Barch/ de heit Marsbarch/ vnde satte darup den GOtt Mars, unde Buwede in Sassen dat Hues Veneris, dat is Megdeburg in de Ehre siner Afgoddinne Venus, unde na siner Tungen wart se gehetin partena. Unde so wart de Borch genannt Partenopolis. De Sassen de heten se de Megdeberch/ na deme dat de Afgoddinne ne Megeden gestalt weren/ unde buwede de Saterborgk/ dat nu het de Hartesborch/ unde satte darup den Gott Saturnus und buwede Solledal dat nu Soltwedd:l het/ un satte darup dan Gott Sol, unde fand den Barg in den Maneschine/ darup buwede he eine Borch in die Ehre dem Gott Luna, unde leit de Borch heten Lunaborck, he buwedeuk ene Borch heten Lunaborch, he buwede ock ene Borch dem höchsten Gott Jupiter, und nannte sie Ihleborch und buwede ene Borch manck dem Käyannern/ de het Juliana, un hett nu Wollgast/ unde satte daruppe den Gott Mercurium, un bey düsser wiße bleven de Sassen/ unde treten hart in den loven/ bet dat König Carle de grote düsse afgodde alle verstörete. Enim vero hæc tam absona sunt, & frivola, ut mirum sit viris quibusdam non indoctis hæc potuisse persvaderi. Equidem omnium optime hæc ab ipso Cæsare sunt explosa, qui rerum a se ipso gestarum testis est luculentissimus. Hic vero trajecto bis Rheno, brevi admodum tempore in Germania se substitisse ipse fatetur, atque eadem de causa perstringitur a Pompejo apud Lucanum, veluti timore quodam, aut socordia arma conferre noluisser. Quantum vero temporis superfuit Cæsari, ut tot castella, tam longe a se dissita conderet. Sed dudum ejusmodi commenta explosit Petrus Lambecius, ubi de Hamburgi originibus agit, quæ civitas non minus, quam illa septem castella Romanorum Deorum receptaculum fuisse vul-

Sched. Syntagm. l. 4. de Diis germ c. 1. p. 490. Pomar. Chron. Magd. p. 2 Sachs. part. 3. Chron. Cæs. p. 14. Albin. lib. 11. Chron. Misn. p. 304. Cæs. l. 4. & 6. Comment. de bello Gall.

Lucan. l. 2 Pharsal. Vir. l. 3. c. 10. Lambec. part. 2. Orig. Hamb. p. m. 2. Crenz. l. 1. metr. c. 12

go asseritur. Ipse quoque Cranzius, qui tamen Chronicon Saxonicum ubiq; ferme sequitur, vanitatem hujus sententiæ animadvertit, & ad illa refellenda passim occupatur, ut ne opus quidem sit plura addere. Quoniam tamen semel Romanorum Deos in in Saxonia inveniisse sibi visus est, aliam excogitavit Romanæ theologiæ per Germaniam originem. Conjicit enim, hæc peregrina Numina vel a Ducee quodam Germanico, qui Romanis forte militaverat, in Saxoniam fuisse invecta, vel ab eo tempore his in regionibus coli cœpisse, cum Drusus victrices aquilas, ad Albim usque circumtulisset. Sed ut vera fatear, neutrum mihi verisimile videtur. Quo minus enim a Duce Romanis militante, peregrinam hanc religionem deducamus, prohibet sacerdotum Germanorum auctoritas, quibus inconsultis nulli Germanorum Ducum in populari republica licuit quicquam sacrorum mutare. Inprimis Druydes, quorum religio hac ætate ipsam quoque Germaniam mediam, Schurzfleischio teste, pervasit, tanta auctoritate, non minus in sacris, quam reipublicæ negotiis versati sunt, ut nihil iis nolentibus in sacris aut fieret, aut mutaretur. Non ergo video, quo pacto unicus Dux religionis exteræ amantior, toti genti religionis patriæ servantissimæ nova numina imperare potuerit. Multo minus id de Druso suspicari licet. Quamvis enim hic fortissimus juvenis victis ferocissimis gentibus, & magna Germaniæ parte in provinciæ formam redacta, *præsidia atque custodias ubique dispossuisset, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim*: Tantum tamen erat imperii Romani odium, ut & mores eorum detestarentur, & de abjiciendo jugo cogitarent sæpius. *Igitur breve id gaudium*, ut Florus ait: *quippe Germani victi magis, quam domini erant: moresque Romanorum potius, quam arma sub imperatore Druso suspexerant.* Quæ cum ita sint, in eam venio sententiam, aut nunquam Romanorum Deos victam gentem suscepisse, aut certo id minus serio feciisse. Non facile enim barbari eorum suscipiunt religionem, quos ipsi odio plus quam Vatiniano prosequuntur, & si vel maxime id cogantur facere, semper tamen ad animum redit odium, quo inflammati semper de abjiciendo jugo sibi invitis impositio, laborant. Et id quidem in Germania mox apparuit occiso Varo & tribus legionibus ad internecionem cæsis. Bone Deus! quæ tum victoris populi indignatio emicuit, quod erga Romanos odium? Captos sane omnes partim arborum truncis antefixos, partim patibulis illigatos, partim in scrobes præcipitatos trucidabant; Tribunos vero & primorum ordinum centuriones cladis Varianæ superstites ad barbaras suas aras mactabant. Credatne igitur quisquam Germanos tanto Romanorum odio flagrantes, quicquam Romani ritus apud se fuisse toleraturos. Ex eo tempore Romanorum Imperium in ripa Rheni fluminis stetit, nec unquam victores orbis Romani imperio suo adjungere Germaniam citeriorem potuerunt: licet crebris bellis gentem fortissimam vexarent, Hinc Tacitus *Albim flumen inclitum & notum olim, suo ævo tantum audiri* conqueritur. Atque adeo eo minus fit probabile, Germanos, quorum imperium ferre non poterant, eorum mores & Deos suscepisse. Enimvero de Saxonibus ex ultima Cimbria huc adventantibus, & quibus nunquam cum Romanis quidquam commercii fuit, id plane videtur incredibile, cum eorum ardor Deos tutandi patrios Caroli adhuc ævo satis manifesto apparuerit.

Schurzfl. dissert. 54 de Druyd. p. 18.

Flor. l. 4. c. 12.

Id. de mor. germ. c. 41

Tacit. de mor. germ. c. 9.

Polyb. l. 3. hist. p. m. 226.

Ouvin. l. 3. Θεολ. λογ. 8. c. 4. p. 198

Tacit lib. annal. c. 61

§. XXII. At vero opponere huic sententiæ solent ea auctorum loca, in quibus Mercurii, Herculis, Martis, Vulcani immo & ipsius Isidis Ægyptiæ cultus aliaque peregrina sacra Germanis tribuuntur. Huc pertineat illa Taciti: *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem & Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Fateor, magnum ac difficile videri posse, tam probati scriptoris testimonio refragari, cum omnium accuratissime Germaniam antiquam descripserit, & tot habeat auctoritatis patronos. Non desunt tamen argumenta, quibus Tacito non quidem fraudis aut malæ fidei, attamen erroris dicam scribamus. Notum est, quam sero Romani Germaniam peragrarint, nota gentium Germanicarum ferocia, quæ omnia pene exterorum commercia repuebat. Quæ quoties considero, toties miror, ante Tacitum nonnullos scriptores quædam de Germanis garrire ausos. Ex quo vero Romani armis sibi viam patefecerant, major equidem rerum nostrarum cognitio, ita tamen comparata, ut solet in tanta barbarie esse. Causas hujus rei omnium optime, licet aliud agens, tetigit Polybius, ubi itinerum molestias ac pene innumerabilia terra marique pericula, barbarorum inhospitalitatem, linguarum diversitatem ipsorum denique scriptorum audaciam & omnia, quæ audiverant mirabiliora reddendi consuetudinem prohibere ait, quo minus Romani exterarum rerum accuratam habeant notitiam. Inprimis id notabis, Romanos ubi exterorum sacra describunt, meras pene conjecturas vendere, omniaque ad Theologiam suam accommodare. ipsisque exterorum Diis Romana pro lubitu numina imponere, dummodo similitudo aliqua apparuisset; Quasi vero omnis Deorum cultus a Græcis Romanisque ad ceteras gentes pervenisset. Nec aliter fieri potuit, cum ex aspectu saltem judicarent, ipsaque mysteria non penetrarent. Solos Judæos spectemus, quo-

Cur Tacitus Romana nomina Diis imposuerit

quorum religionem toto cœlo a gentilium omnium atque adeo etiam Romanorum deliriis fuisse remotam est certissimum. Quas vero nugas agunt scriptores Romani & Græci. Tacitus, Plutarchus, Juvenalis, Justinus, si quando de eorum sacris garriunt. Ita cultum incerti Dei Judæis tribuunt Trebellius Pollio & Lucanus ipseque Claudius Cæsar * Cœli, Juvenalis, ** asini & porci Petronius, Tacitus, Plutarchus alii, *** Bachi, Plutarchus & Tacitus, **** Saturni Tacitus ***** Quæ itaque monstra nobis hodie non fingeremus, nisi certa ac indubia Judæorum scripta ac ipsa scriptura sacra extaret? Quod si ergo in Judæorum sacris scriptores pene omnes ita aberrarunt, quibuscum Romanis multum erat commercii, quodque per universum terrarum orbem Josepho & Philone testibus se effuderant; quid mirum, si & Germanorum sacra ad Romanæ superstitionis amussim exegerunt, illorumq; Diis Romana imposuerint nomina, quæ forte ipsi Germani, si in vitam redirent non essent agnituri. Apposite Irenicus:

Iren. l. 1. c. 2. *Plinius*, inquit, *Strabo*, *Ptolomæus, magis obscuraverunt, quam illustrarunt Germaniam. In quo enim Strabo cum Ptolomæo convenit? tanta rerum variatio, tanta nominum novitas, ut profecto vix in ambobus nomen nostri seculi integrum seu cognitum reperias.*

§.) XXIII. Multo minoris mihi est alterum argumentum, quod objicere meæ sententiæ liceret. Illud desumi forte posset a Jove illo Hamburgensi, duodecim diis deabusque Romanis stipato, ut & Venere Magdeburgica, quos Deos omnes olim a Saxonibus cultos vulgo ferunt, Chronici Saxonici auctoritate subnixi. Nescio an gratiam apud lectorem initurus sim, si fabulam de qua magnus Johannis Heroldi liber extat, multo apparatu explodere aggrederer. Dudum enim inter omnes, qui a fabulis abhorrent, constat, monachorum hæc esse commenta, ut cetera omnia, que de Jove Hammone ibidem culto vulgo circumferuntur, nonnunquam voluminibus stabilita. Potius igitur Lambecii lucubratio-

An Dii Romani Hamburgenses sint genuini? *Lamb. l. 1. or. Hamb. p. 2.*

nes commendandæ sunt, quibus aliquid addere Iliade esset post Homerum scribere.

§.) XXIIII. Redeo ad rationes meas, quæ mihi quo minus Crodonem Romanorum Saturum esse concredam obstant. Tertia igitur mihi subnascitur ex ipso Crodonis simulacro, quod quo considero frequentius, eo minus reperio, quod cum Romanorum Saturno conveniat. Si Romanorum numismata, marmora veterumque scriptorum loca perquiras non temere inter Saturni Romani Symbola aut amphoram floribus repertam, aut deniq; piscem pedibus subjectum reperies. Audacissima ergo est conjectura eorum, qui primi Crodonem cum Saturno Romano confuderunt. Sed ut scias, quam parum cordi fuerit auctoribus nonnullis sacra Germanorum temerare: quid Mercurio Romanorum simile habet Saxonum Wodan corona Sago, gladio scutoque indutus, quid Sagata Freya gladioque & arcu armata ad Venerem Romanorum spectat. Quid Thuisconis sceptrum ad Martem. Non defuerunt tamen, qui hæc Romana sacra in his simulacris inveniisse sibi visi sunt. In hunc igitur censum & eorum venit conjectura, qui Crodonis simulacrum alia omnia præ se ferens de Romanorum Saturno explicant.

Ratio tertia simulacrum Saturni ad Crodon. nihil facit.

§.] XXV. Denique a Saturni sacris abhorret ipsa Germanorum Theologia, quam maximam partem naturalem fuisse existimo, licet & majorum suorum bene de se meritorum statuas nonnunquam dedicasse videantur. Licebit id nunc paulo altius repetere. Ex quo nimirum Noachi posteros diluvii primum, deinde ipsius veri Dei cepit oblivio, in eo quidem omnes consenserunt & existere Deum & omni veneratione colendum esse. (*Quæ enim gens tam fera, aut immanis esset, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio?*) Attamen cum & linguis & longis terrarum spatiis inter se postea distinguerentur non eandem omnes opinionem de Deo pro se ferebant, sed in iis fingendis suo quisque morem gerebat ingenio. Utinam vero rectam rationem & luminis innati reliqui-

Ratio IV An Dii German. naturales plerique fuerunt.

Cic. l. 1. Quæst. Tusc.

* *Trebell. Pollio*: *c. 2. vit. Claud. p.* 410. Deum Judæorum vocat *incertum Moysis numen Lucanus l. 2. pharf.*

. . . gens dedita sacris,
Ignotit Judæa Dei.

Claud. Imper. ap. Philon. p. 1041. *delegat. ad Claud.* Judæis objicit quod adorarent *Deum* ἀκατανόμαστον αὐτοῖς.

** *Juvenal. Satyr.*

Nil præter nubes & cœli numen adorant.

Conf. *Selden. l. 3. c. 9. Druf. triharef. p. 449, Osterm. diss. de rit. Jud. c. 1. §. 18.*

*** *Petron. in epigramm. p. 73.*

Judæus licet & porcinum numen adoret
Et cylli summas advocet auriculas.

Conf. *Tacit. l. 5. c. 3. hist. Joseph. l. 2. contra Apion. Phod. biblioth. cod. 244. p 619. Suid. voce Judas tom. 1. p. 1246. de porco Judæorum Deo fictitio. vid. Plutarch. l. 4. Sympos. quæst. 5. fol. 669. sq. tom. 2. Opp. Conf. Carpzov. diss. de asino Messiæ. M. Zach. de Grap. de Ono & Chorolatria Christianis objecta Tanaqu. Fab. part. epist. 6. p. 20. sq.*

**** *Tacit. l. 5. hist. c. 4, Plutarch l. c. Boxhorn. p. 139. Histor. Univ.*

***** *Tacit. l. 6.*

as sequi maluissent, non est dubium, quin castius de Deo sensissent homines nondum præjudicatis opinionibus in diversum acti. Sed cum in tanta re parum essent attenti; non adeo mirum est, illos in maximis erroribus & rerum divinarum ignorantia versatos esse. Tria autem erant potissimum Theologiæ genera, ad quæ præ ceteris animum gentiles applicabant, *naturalis* videlicet, *fabularis*, & *Politica*, quemadmodum Varro olim observavit, teste Augustino. Hanc fere Romani excoluerunt, suæ quippe reipublicæ vinculum aptissimum religionem ejusmodi fore rati. Illa poetis debet originem, qui quosvis fere heroas, paulo altius ultra vulgi sortem progressos, in Deorum numerum retulerunt: Græci quoque in hac præcipue elaborarunt, qui Ægyptiorum theologiâ naturalem cum non intelligerent, multis quippe hieroglyphicorum involucris palliatam, cortice tanquam puerili lusitantes, misso nucleo, has scilicet fabulas commenti sunt. Plerique vero Septentrionales & Occidentales gentes naturæ phænomena mirati, mera illâ, quæ hominibus inde nascuntur, bona considerantes, ad ea colenda adjecerunt animum, creatorem minus venerantes, quam creaturas. Optime hoc idololatriæ genus perspectum habuit Plato in Cratylo, qui de barbaris (ita enim vocare hasce gentes, solebant) Φαίνονταί μοι, inquit, οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα καὶ γῆν οὐρανὸν ἅπερ οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντας δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς θεᾶς αὐτὰς ἐπωνόμασαν. *Mihi quidem illi homines videntur, qui Graciam primi tenuerunt eos tantum Deos censuisse, quos nunc barbarorum plerique colunt, solem nimirum, lunam, terram, astra, quæ cum ipsi viderint omnia continuo cursu ferri ab illo τὰς θεὰς (Deos) nominarunt.* De Germanis inprimis hoc dicit Cæsar: *Deorum numero eos solos dnecunt, quos vident, solem, Vulcanum, lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Per Vulcanum non intelligit illum claudicantem Veneris maritum, multis fabulis Græcorum celebratum, *de his enim Diis, eos ne fama quidem accepisse* ipse fatetur, sed ignem, cujus præses credebatur Vulcanus. En igitur Deos Germanorum! Naturales erant plerique, & ejusmodi, ut in oculos omnium incurrerent. Ipsi Tacito, qui meo quidem judicio, parum perspicax in sacris Germanorum fuit, nonnunquam verum excidisse videtur, veluti cum de Germanis scribit: *Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, id est, terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum invehi populis arbitrantur.* Addo nunc Gallorum Taranim, cujus meminit Lucanus. Gallos enim & Germanos olim non communi tantum Celtarum nomine, verum etiam iisdem ferme moribus claruisse satis perspicuum est ex vetustis literarum monumentis. Hunc enim Taranim, a voce Taran vel Tonder, quod tonitru Britannis æque ac Germanis notat, nomen accepisse, & Deum aliquem aëri præsidem significasse, non inepte conjicit Owenus. Qui Deus nescio annon similis sit illi Getarum Ζάμολξιν apud Herodotum. Quanquam enim Boxhornius hoc nomen deducit a *Gisvvallisa*, quod apud Gothos est *dare requiem*: rectius tamen cum Johanne & Olao Magnis a Germanorum Geblizzen seu Blizzen originem hujus vocis petierim. Hinc apparet, nullam fuisse naturæ partem, quam non in Deorum numerum retulerint Germani, si quid commodi exinde ad Deos redundaret, & certe, si prisci illi Germani montis nostri Ramelini vidissent divitias, non dubito, quin illi statuas, aras & delubra dedicassent, non secus ac olim ab Ægyptiis Nilo factitatum est. Cum enim primum homines *vani in ratiociniis falli essent*, ut loquitur Apostolos, omne illud Deum esse credebant, quod iis opitulari ulla in re posse videbatur. Non alio profecto διαλογισμῷ in cultum Melechet proruebant Israëlitæ profani, quam quod ex illa religione secunda omnia experiri sibi videbantur. *Cum*, inquiunt, *adolebamus regina cœli, satiebamur cibo, & malum non experiebamur, ex quo vero destitimus adolere regina cœli, & libare ei libamina egximus omnibus.* Accessit deinde admiratio rerum ejusmodi naturalium. Cum enim mirificum ornatum ordinemque earum & stupenda phænomena oculis quotidie usurparent, neque amplius putarent deliberandum, ex quo fonte hæc omnia emanaverint, veneratione dignas existimabant creaturas, quarum autorem debeant ex tam præclaris operibus agnoscere. Disertè hoc de Ægyptiis tradit Lactantius: *Cum in Ægypto ob deliciosam terra constitutionem in adibus & tuguriis raro se continerent, totam noctem sub cœlo sereno, ac nullis malignis impressionibus obnoxio dormiendo consumunt, de frequenti cœlestium corporum adspectu & constanti lege procedentium stellarum in eam paulatim devenere opinionem, astra Deos esse & rerum universi conservatores, quos vario ritu & ceremoniis venerabantur.* Et ne Lactantium putes ea in re suis conjecturis nimium indulgere, e gentilibus quoque hoc agnovit Diodorus Siculus: Narrat enim, τοὺς Αἰγύπτιον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν ἡγουμένους ἀναβλέψοντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπαγέντας καὶ τὸ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν τὴν δ' Ἶσιν ὀνομάσαι. *Homines antiquissimos scilicet in Ægypto, mundum suspicientes, & contemplantes hujus universi naturam, admirabundos existimasse, Deos esse æternos & omnium primos solem & Lunam, quorum illum Osiridem, hanc Isidem appellarint.* Quis igitur dubitaret hæc Germanis quoque ve-

Augustin. l.6.c.5.p. 105. de civitate Dei tom.5.opp

Caesar.l.6 bell. Gall.

Owen.l.3

Θεολογ. c.11 p. 255.

Herod.l.4 c.94.

Boxhorn. p.220.l.3. univers.

Jo. & Ol. M.l.1.l.13

Suetic. c. l.3.c.3.rer septentr.

Rom.l.21.

Jerem. XLIV. 17.

Lactant. l.5.c.24.

Diod.Sic. l.1.Bibliot.

nisse in mentem, quos Theologiæ naturalis studiosos quam maxime fuisse, paulo ante ex Cæsare & Tacito didicimus? Nec plane in naturæ regno hospites Celtas fuisse, satis declarant ea, quæ de Druydibus refert Cæsar: *Multa de sideribus atque eorum motu de mundi & terrarum magnitudine de rerum natura disputant, & Juventuti tradunt.* Quibus gemina sunt illa Pomponii Melæ: *Hi terram mundiq; magnitudinem & formam, motus cœli & siderum scire profitentur.* Vnde & Lucanus:

Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum, Druydæ, positis repetistis ab armis,
Solis nosse Deos & cœli Numina vobis
Aut solis nescire datum.

Cæsar. l. 6. p. 136.

Lucan. l. 1 Pharsal.

Explicatio Crod. simulacri hieroglyphica.

§. XXVI. Quæ cum ita sint alterutrum mihi videtur, Crodonis nimirum simulacrum aut veterem quendam Saxonum principem bene de gente sua meritum, aut naturam rerum, veluti in ænigmate referre. De illo scriptoribus tacentibus nihil affirmo; de hoc vero eo impunius mihi licebit conjecturas meas hic proferre, quo frequentius id est ab aliis factitatum. Fatetur Leznerus Crodonis simulacrum non minus quam Arminium, & Signum illud adjutorii animo non malo fuisse initio positum: Es konte wohl seyn / daß weltverständige und sinreiche Leide dieses jezt genandte Bildniß (de Irminsula loquitur) zu einer guten und nüzlichen Anzeigung und nöthigen Erinnerung (wie etlicher massen aus der Deutung zu vernehmen) den Sachsen wohlmänlich für die Augen gesezt hatte / und das rohe unwissende gemeine Volck gantz unbesonnen zugeplazzet / wie mit *Jedute*, *Crodone* und andern mehr geschehen / und einen GOtt daraus gemacht. Quam Chronici Saxonici auctor antiquus & Cranzius excogitarunt explicationem Crodoniani simulacri ænigmaticam supra ipsorum verbis dedimus. Superaddit his nonnulla Arnkielius, quem ideo etiam audire juvat: Sein langer Rock / Barth und Haar bedeutet die Langsamkeit der Bewegung des Saturns / welche sich auf dreyßig Jahren erstreckt. Das Rad hat sein absehen auf den umlauff der Zeit / das Wasser-Faß mit Blumen oder Rosen gefüllet zeiget auf seine Herrschafft über Wasser und Land / oder wie andere wollen auf die rechte Zeit und Hoffnung derselben. Daher man sagt: Zeit bringt Rosen. Der Fisch darauf dieser Götze stehet mit blossen Füssen bildet die schlüpffrigkeit und unbeständigkeit der Zeit ab. Adeo varie ab auctoribus Crodonis symbola explicantur. Licebit itaq; nobis & nostram sententiam, aut potius conjecturas prodere. Cum igitur paulo ante Germanos theologia physica potissimum delectatos assuerimus, non incongruum videbitur existimare, Saxones Crodonis simulacro universam rerum naturam *συμβολικῶς* exprimere voluisse: Caput intonsum Crodonis solem imaginatur radiis ab aëre reflexis ejusmodi schema præ se ferentem. Hac sane forma pene semper solis imagines apud gentiles pingi solebant, sicut & Apollini, hoc est, soli intonsum caput veteres tribuerunt, unde non modo proverbium: *Lamiæ turres & pectines solis* natum est apud Tertullianum; verum etiam phrases poëticæ quibus soli capilli & intonsa cæsaries adscribi solent. Ita enim Claudianus.

Arnk. c. 11 l. c. p. 74.

Tert. c 3. adv. Valentin.

Claud. in Conf. Prob & Olyb. p. 1.

Sol qui flammigeris mundum complexus habenis,
Volvis in exhausto redeuntia sidera motu,
Sparge diem meliore coma.

Rota, quam sinistra elevata protendit, cœlum notat & aerem, continuo motu in orbem circumactum, aut certe ejusmodi figuram oculis nostris referentem. Urna floribus frugibusque referta, terram depingit ex qua omnia illa proficiscuntur, quæ ad tuendam vitam hominum faciunt. Denique piscis, cui ipsum simulacrum insistit aquam, piscium domicilium, eis in memoriam revocabat. Habitus corporis Crodonis superius sagatus, infra togatus hoc forte sibi vult, quod supralunares hujus universi partes stabiliores & firmiores, inferæ autem fluxæ magis & mutabiles sint veterum judicio. Nudi denique pedes forte naturæ phænomena manifesta & in omnium oculis incurrentia, quodam velut symbolo, depingunt. Hæc ego de Crodonis simulacro conjicio. Certa enim & omni ambiguitate carentia proferre de re antiquis nimis parce memorata Oediporum res esset. Videtur autem hoc providentiæ Dei sapientissimæ unice tribuendum, quod omnis Germanicæ idololatriæ memoria tam penitus evanuerit. Inde enim factum est, ut verbi divini veritas magis magisque indies celebraretur. Hoc tamen mihi persvadeo ipsum Crodonis nomen haud parum conjecturam meam firmare, quippe quod affine arbitror Saxonico nostro Grote / quod magnum significat. Ita enim hunc Deum vocasse videntur, cum eorum quidem judicio nihil natura esset majus aut excellentius, magnaque ejus & incredibilis in omni genere vis esset, unde & Claudianus naturam vocat *potentem.*

Claud. l. 2 de laudib. Stilic. p. 334.

§. XXVII. Sed satis quidem de Crodone dixisse videmur. Veniendum demum ad auspicatissima illa tempora, quibus pestilentissima superstitio, qua a tot seculis Saxones sese polluerant post felicem Christianæ lucis exortum evanuit. Equidem quo tempore cujusque ministerio primum semina divinæ veritatis per has regiones sparsa sint, nondum constat. Celebrantur Saxonum apostoli duo Ewaldi, Svidbertus, Lebulnus, & famosus ille Bonifacius, sed an has quoque regiones attigerint, tacentibus scriptoribus antiquis ignoravimus. Scio equidem Leznerum

IV. Quando hæ regiones ad Christ. pervenerunt? *Vid. Sagittar. l. 3. hist. gentilismi & Christian. Thuring. & c. 10. p. 165. sq.*

& qui hunc sequitur Spangenbegium in Vita Bonifacii multa de hoc sanctulo referre, e quibus forte colligas, eum per hanc quoque Saxoniam prædicando Evangelio vacasse. Huc enim pertinet, quod Hamilæ ad Visurgim cum Bernhardo comite collocutus esse eumque ad Christianam fidem commovisse dicitur, quod in ditione Gottingensi Fortunæ simulacrum excisurus in fugam sit conjectus, atque inde pagus, ubi capellam condiderat nomen Wende acceperit, eo quod ibi Bonifacius fugere sit compulsus. (Weil er sich daselbst hette wenden müssen.) Quod deinde peragrata ditione Hildesiensis Gandersheimium usque pervenerit atque inter arcem Brunstein & cœnobium Wiprechtshusanum in monte Rehberg, Retonem deastrum dejecerit, & inde originem habeat ignis paschalis in memoriam aboliti gentilismi per inferiorem Saxoniam incendi solitus: porro quod ad Hercyniam auf der Bielehöhe gegen der Redma haud procul a cœnobio Katlenburgensi idolum Biel, Brunsrodæ vero (hodie Osterode vocatur) simulacrum Astherrot deleverit, denique quod Ilfeldæ, ubi Hercyniæ incolæ idolum Biel denuo resuscitaverant, Zelum pro gloria Dei iterum ostenderit, eademque opera Lahram & Jecham Deastros exciderit. Sed hæc omnibus vetustis scriptoribus ignota Leznerus & Spangenbergius soli memoriæ prodiderunt, quibus subinde non tam vera quam multa referre curæ fuit. Vnde totam hanc narrationem non magni habendam judicat doctissimus Sagittarius, quo nemo majori judicio Bonifacii vitam & res gestas expendit. Equidem Alt-Saxonibus * eum prædicasse liquet ex epistola Gregorii Papæ II. ad Saxones exarata, qua his Bonifacium hac de causa eo missum etiam atque etiam commendat. Ex ea epistola non modo illud discimus, quod jam tum ante Bonifacii adventum quidam per Saxoniam Christo nomen dederint, verum etiam quod neophyti a ceteris Saxonibus incredibili severitate ad paganismum redire fuerint compulsi. Digna itaque videtur epistola, quæ integra hic legatur:

Bonifacius Alt-Saxonib' prædicavit,

Baron. ad ann. 723. Bin. tom. 3 Concil. part. 1. p. 342. Nic. Ser. rer. Alog. l. 3. c. 26. p. 348.

* *Ita Gregorius vocat Saxones Germaniam incolentes, ut distinguantur a recentioribus Saxonibus Angliæ nuper potitis.*

Gregorius Papa universo populo provinciæ Altsaxonum.

SApientibus & insipientibus debitor sum, fratres charissimi, ideoque volens vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis & pro his, qui verbum exhortationis fidei Jesu Christi Domini nostri susceperi sunt, ut consolentur corda vestra instructa in charitate, & in omni plenitudine sapientiæ, annuntio vobis, quoniam prope est regnum Dei, ut nemo vos amplius decipiat, in sublimitate verborum, aut in quocunque metallo salutem vestram quæratis, adorantes idola manu facta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta, quæ falsidica nomina a paganis antiquitus quasi Dii facti sunt, in quibus Dæmones habitare noscuntur, *Psal. 95.* quoniam omnes Dii gentium, ut ait scriptura, dæmonia sunt, Deus autem noster cœlos fecit. Quicunque autem in vobis susceperit Christum Jesum Dominum nostrum; in ipso ambulent radicati, & super ædificati, & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte ne *Coloss. 2.* quis vos amplius decipiat per Philosophi- *Luc. 16.* am & inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filii tenebrarum, quam filii lucis. Discedite ab idolorum cultura & accedite & adorate Dominum Deum nostrum, qui fecit cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt: & vultus vestri non erubescent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piscium, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Expoliate vos veterem hominem, & induite Christum novum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem quoque sermonem nolite de ore vestro proferre. Jam enim advesperascit dies sæculi, & appropinquat tempus tenebrarum. Ideoque nolite esse otiosi, sed potius operamini opus bonum, ut Christus habitet in vobis & quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in N.D.N. *Col. 3.* Christi, gratias agentes Deo Patri per ipsum: respuentes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster, & laudabilis nimis & terribilis *ps. 95.* super omnes Deos: qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veri- *Tom. 2.* tatis pervenire. Hoc etiam commoneo fratres, ut quicunque ex vobis voluerit ad Christum converti nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, sculptilia adorare. Ministrum quoque & conservum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium fratrem ac Episcopum meum ad hoc ipsum ut cognoscat quæ circa vos sunt & consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Jesu Christo Domino nostro suscipite, ut a diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

Egregium hoc est Saxonicæ historiæ monumentum & auro contra carum, quod nos docet, non modo Bonifacium subinde Saxones ad frugem vocasse: verum etiam jam ante ejus adventum nonnullos Christo cœpisse obsequi. Si quis me quærat, cujus opera hæc Saxonica ecclesia collecta sit, fatebor, mihi id non dum liquere, puto tamen aut ab apostolorum virorumque apostolicorum prædicatione has

Saxonia jam ante Bonifacium Christ. habuit

super-

superfuisse fidelium reliquias, aut â vicinis Thuringis & Francis eos rectius sapere edoctos. Qua de re forte alibi copiosius iumus acturi.

Carolus M. paganismum penitus abolevit. *Winkelm. not. Sax. Westph. l. 3*

§. XXIIX. Verum enim vero quamvis auctores nonnulli, & in his Winkelmannus magnum eorum ineant numerum, quos Bonifacius ad fidem Christianam pellexerit, vereor tamen ne cum paulo durius in eos, qui id fecerant, consulerentur, plerique ad gentilismum redire sint coacti. Tempore certe Caroli M. nulla fere per Saxoniam supererant Christianæ religionis vestigia; animique ferocissimorum hominum tantopere ab hoc cultu abhorrebant, ut vix tot annorum ancipiti bello oppressi imperata facerent. Bellum id Saxonicum Carolum M. inter & Saxones gestum multos invenit historicos veteres æque ac recentiores, ad quos me nunc refero. Veteres quidem de Crodonis simulacro à Carolo exciso nihil memoriæ prodiderunt. Solent enim scriptores Francici res a Carolo per Saxoniam gestas paulo parcius notare. Non tamen est dubium, quin id factum sit anno 780. quo Carolus M. transito Visurgi, Ostphalos quoque ab idolomania ad veram lucem revocavit, quo eodem tempore & templum in eadem arce Christo dedicasse videtur, de quo infra in ipsis antiquitatibus plura. Eleganter rem descripsit P. Henricus Turkius in fastis Carolinis, cujus verba repetam: *Rebus Paderborna ex sententia confectis Carolus transito Visurgi Orientalis Saxonia idololatria bellum infert. Excisis Crodonis aliorumque falsorum numinum simulacris, de quibus multa Cranzius & Lezuerus ad confluentes Hora & Albis, inter Saxonum & Slavorum proceres amicitiam & fœdera sancit. Ad Ovacram quoque amnem in Hocheim aliquamdiu considet, inde promotis Salingstadium (posteriores dixere Osterewickum) castri ibidem ecclesia in honorem S. Stephani consecrata primum dedit Episcopum Hildegrinum, ortu Frisium, fratrem germanum S. Ludgeri, qui Selingstadiensem cathedram annis XL. eandem Halberstadium translatam septem insedit.* Atq; adeo Halberstadiensis episcopatus erectioni id debemus, quod abolito gentilismo Christo universæ hæ regiones nomen dederint. Carolus enim M. qua erat in propaganda Christiana religione solertia, viros quosque huc accersivit sanctissimos, qui semen divini verbi spargerent uberrimum, populumque in umbra mortis desidentem ad æternam lucem evocarent. Fecit id potissimum Hildegrinus Halberstadiensis Episcopus, ejusque frater Ludgerus Monasteriensis Præsul, quos Northuringorum populos in Christiana religione instituisse, ex historia rythmica vita S. Ludgeri annotarunt Christophorus Browerus & Hermannus Conringius. Accessit deinde episcopatus Hildesiensis ex quo non minus solertes viros prodiisse par est credere, quorum industria omnes paganæ superstitionis reliquiæ feliciter sensim proscriptæ sunt & abolitæ.

H. Turk. Fast. Carolin. p. 18. Conf. Obs. Hallens. Germ. part. p. Halberstadiensium episc. hac in re solertia.

Conring. de antiqu. Stat. Helmst. p. 76.

U. & Hildesiensiū

Peregrinatio superstitiosa Harzburgensium.

§. XXIX. Hac Caroli M. providentia licet superstitio vetus penitus videretur deleta, instigante tamen maligno spiritu, superiori adhuc seculo pestilentissimum malum recruduit. Cum enim Mariæ effigies antiquitus ibi fuisset dedicata, homines nescio qua vana spe illecti undique eo confluebant, inprimis si qua pars corporis morbo vitium cepisset, & connivente janitore in arcem admissi precibus fusis membrisque ceræ impressis una cum fulcris ibidem ἀναθημάτων loco dedicatis, incolumes subinde rediisse sibi videbantur. Cum autem deinde in fimbria miraculosæ hujus Mariæ Crodonis symbola subobscure depicta animadverterentur, non diutius tolerandam superstitionem ratus glorioſæ memoriæ Augustus Dux Brunsvico Luneburgensis anno MDC LIV. idolum dejici, anathemata concremari, atque adeo omnem ineptiendi occasionem adimi superstitiosæ plebecolæ jussit; id quod etiam non sine magno incendii periculo factum esse dicitur. Ne fabulam sapere hæc videantur, sciat lector ipsa istius præfecturæ tabularia literaria hæc testari, quibus addo illa quæ in Meriani topographia hac de re habentur: Hierbey ist dieses zu erinnern / ob wohl benanntes Hauß Hartesburg / wie obgedacht von den Heydnischen Greuel durch Carolum Magnum befreyet worden / so hat sich doch annoch für 40. oder 50. Jahren / welches jedermann des Orts wissend / auch bey den Christen eine solche Abgötterey finden lassen / indem nicht allein in der nähe / besondern auch aus weit abgelegenen Ohrten viel bresshafftige / Krancken und am Händen und Füssen lame und blinde Leute sich durch Mittel auf die Hartzburg / durch conniventz des Pförtners gemacht / ihr Gebeht für dem Altar verrichtet / ein wenig Geldes in den Armenstock geleget / und dan das membrum corporis an welchem der Krancke bresshafftig und Noth gelitten / in Wachs gebildet / in der Kirchen ust und an die Wand nebst den Krücken / worauff sie hinaus gekrochen / gehengt / und sich alsdenn gesund davon gemacht / es wird aber beständig berichtet / daß der Mutter Marien Rock / welches Bildniß auff dem Altar gestanden / unten am Saum der Crodo oder Teuffel fast unkentlich gemahlet gewesen / welches bald hernachmahls abgethan / Krücke und abgebildete Wachßbilder und Menschliche Glieder von dem Hause oder der Kirchen vielmehr genommen / und also diesen neuen Greuel durch die hohe Christliche Obrigkeit das final gemacht worden.

Epilogus dissertationis.

§. XXX. Atque hæc quidem sunt, quæ de Crodonis sacris ex antiquis monumentis proferre in medium licuit. Fateor

teor tantam esse scriptorum inopiam, ut plura dubia quam certa & explorata occurrant, attamen & hoc pertinere ad absolutam historiæ cognitionem puto, ut & falsa & incerta a genuinis discernamus. Multa enim vulgo in proletariis scriptoribus multa in veterum monachorum schedis referuntur quæ si cum judicio examinantur vana apparent & fabulosa, adeo ut auctoribus propositum fuisse videatur, res non ut gestæ fuerunt, sed ut geri potuissent enarrare. Quod ut in omni historia, ita & in gentilismi Saxonici descriptione contigisse, hæc de Crodone dissertatio satis superq;, ut opinor, declarabit.

FINIS.

PANE-

PANEGYRIS
SACRATISSIMO ROMANORUM
IMPERATORI
JOSEPHO
PIO, FELICI, AVGVSTO,
CVM EJVSDEM MANDATO
ILLUSTRISSIMUS COMES AC DOMINUS
DOMINUS ALBERTUS ANTONIUS,
Quatuor-vir Imperii, Comes de Schwarzburg & Hohenſtein,
Dynaſta in Arnſtadt, Sondershauſen, Leutenberg,
Lohra & Klettenberg, &c.
FIDEI SACRAMENTVM
a
Civitate Goslarienſi Libera & Imperiali
Ipſis Nonis Novembris CIↃ IↃCC V.
CLEMENTISSIME EXIGERET,
auctoritate & ſuffragio
DECANI, SENIORIS & CAPITVLI
Imp. Liberæ & exemtæ Eccleſiæ SS. Simonis & Iudæ
in ipſa hac Imperiali Baſilica
Publico Sermone celebrata
à
JO. MICH. HEINECCIO.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA GENSCHIANA.

* * *

PHosphore. redde. diem. quid. gaudia. noſtra. moraris,
Tanta, ſcilicet. lætitia,
inter. lætas. bonorum. omnium. acclamationes.
animos. noſtros,
lætitiæne. magis. an. pietatis. ſenſu. tactos.
pertentat.
ut. tardas. naturæ. leges. vix. feramus.
Illuceſcat. tandem. auſpicatiſſimo, ſidere.
Dies. V. Novembris.
quo.

MAGNUS.

JOSEPHUS.

SACRATISSIMUS. ROMANORUM.

IMPERATOR.

SEMPER. AVGVSTVS.

Germaniæ. Hungariæ. Bohemiæ. Dalmatiæ. Croatiæ.
Slavoniæ. Rex.
Archidux. Auſtriæ. Dux. Burgundiæ.
Dominus. noſter. longe. Clementiſſimus.
Delicium. ac. amor. generis. humani. orbis. ſidus. hoſtium. terror.
grande. cœli. depoſitum.
ſuſcepto. nuper. felicisſimis. auſpiciis. Imperio.
miniſterio.
Illuſtriſſimi. Comitis. ac. Domini.

DOMINI. ALBERTI. ANTONII.

Quatuor-viri. Imperii. Comitis. de Schwarzburg. & Hohenſtein Dynaſtæ, in. Arnſtadt. Sonderhauſen. Leutenberg. Lohra. &. Klettenberg. Domini, noſtri.
gratioſiſſimi.

A. FIDELI. SUA. AC. S. R. I. CIVITATE. GOSLARIENSI.

Sacramentum, fidei. longe. clementiſſime exiget.
Publicis. votis. omnia, perſonant. Eccleſia. reſonat.
Publicis. hiſce. reipublicæ. plauſibus. quidni. applaudat.

ECCLESIA. SANCTORVM. SIMONIS. ET. JUDÆ.

Cæſarum. opus. deliciæ. cliens. filia. cultrix. ſubjectiſſima.
Vota. nimirum. reddenda. ſunt. Cæſari.

PIO. FELICI. AVGVSTO.
FELICISSIMO. TEMPORUM. REPARATORI.

Fiet. id. craſtini. hora. II. pom.
in. ſolenni. panegyri.
Oratione Panegyrica.
ab. aliquo. lætitiæ. noſtræ. interprete. publice. habenda.
ad. quam. benevole. audiendam.
Omnes. quibus. ſe. probat. pietas. noſtra.
Quam. officioſiſſime. invitant.

Decanus. Senior. &. Capitulum.

Imper. Lib. &. exemt. Eccl. SS. Simonis. &. Judæ.
P. P. Gosl. d. IV. Nov. MDCCV.

Illu-

ILLUSTRES AC GENEROSI

VIRI,

ILLUSTRIS AC SUMME REVERENDE

DOMINE DECANE,

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,

VIRI OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI,

Tuque reliqua exoptatisſima lectisſimaque Concio.

SI mihi, in ſplendida hac Summorum virorum corona ad dicendum prodeunti, tantum eſſet flumen ingenii, tantaq; dicendi vis ac copia, quanta animus lætitia afficitur, quantisque plauſibus non modo hæc tota Civitas, verum ipſum etiam auguſtum hoc Templum, imo univerſa Germania nunc ubique perſtrepit; dubitandum non eſt, quin cum laude aliqua dicendi partes veſtro ſuffragio atque auctoritate mihi demandatas ſim executurus. Nam cum Oratores priſci, ſi quando ad pulvinaria Deorum decernebantur ſupplicationes, aut Capitoliũ illud largo hoſtiarum cruore madebat, in publica lætitia rapi quodammodo inter dicendum, & veluti in cœlum ire ſibi viderentur; quid mihi contingeret, inter fauſtas totius Orbis acclamationes, & vota pro incolumitate optumi Principis concepta verba facturo, niſi immodicus affectus conceptas animo cogitationes disjiceret? Quacunque certe oculos animumque circumfero, tam ſolennibus congratulationibus, tamque immenſa lætitia omnes, quibus aliquis communis boni ſenſus eſt, exultare, lætari, triumphare animadverto, ut re ipſa videantur declarare, quam immoderata res ſit improviſum ex ſubita rerum trepidarum converſione gaudium. Exultat, leniusque veluti inter publica tripudia labitur Danubius, qui cum paulo ante inter mutuas Germanorum Gallorumque clades accolarum cruore & ferali mole cadaverum polluereturmajore ſe oneris parte nunc levatum ſentit. Ovat Rhenus, injectas ſibi a ſuperbis victoribus compedes abjiciens, jamque continuatis Germanorum trophæis in priſtinam libertatem vindicatus. Triumphat Hiſpania, cujus gemitus & querelæ, cum terris amplius non caperentur, cœlo jam receptæ viam tot victoriis parant. Omnes fœderatorum exercitus, omnia caſtra, claſſes denique omnes ac portus, non modo opimis prædis & manubiis ſed & coronis civicis ornantur. Poſtremo & remotiſſimæ illæ & transmarinæ gentes, quæ ſub alio ſole cœloque vivunt, Germanorum virtutem, Anglorum arma, Luſitanorum & Allobrogum conſtantiam, Belgarum prudentiam & ſuſceptos pro bona cauſa labores ſuo favore videntur conſecrare. Enimvero inter communes hos applauſus & inauditos bonæ cauſæ triumphoſ, quibus in medio armorum ſtrepitu ſanior orbis pars mira ſeculi felicitate ſe oblectat, neſcio an quidquam uberiorem lætitiæ materiam poſſit ſuppeditare, quam auſpicatiſſimum MAGNI JOSEPHI Auguſtiſſimi Cæſaris Imperium, quod poſt acerbum & multis ſeculis lugendum DIVI LEOPOLDI funus feliciſſime nuper inchoavit. Qualis enim mundi ſtatus eſt, cum diſcuſſa noctis caligine ad jucundum ſolis exortum e ſopore veluti eriguntur omnia & excitantur, ſimulque & calorem & ſpiritum reſumunt, quæ exanguia paulo ante atque enecta jacuerant; talem reipublicæ reddi faciem reddito ſole, reddito ſidere, reddito Cæſare, Orbis terrarum ſentit. Publicam felicitatem flebili LEOPOLDI occaſu interruptam JOSEPHUS uberrime reſtituit, ſpei ſerenitatem publico luctu obfuſcatam revocat, & quaſi ſignum quoddam extollit ad bene de republica ſperandum. Nunquam igitur toties redire poterit anniverſarius hujus Imperii natalis, quin ſæpius ſæpiusque ut redeat, voveant omnes, quotquot reipublicæ ſalutem ex eo ſuſpenſam intelligunt. Hic vero, *Illuſtres Auditores*, hic, inquam, eſt ille candidus fauſtusq; dies, a quo omnia noſtra totiusque Germaniæ gaudia derivantur. Hæc publicæ lætitiæ cauſa, qua nunc civitas, curia, forum, templa, ædes, mœnia denique ipſa & propugnacula affici & pertentari videntur. Nulla eſt ætas, nullus ſexus, nullus ordo, quin eodem pietatis calore abreptus, ore, oculis, fronte, totoque corporis habitu lætitiam præferat. Incitat alter alterum, nec quisquam ſegnius vota concepiſſe vult videri; cumque ſinguli omnia faciant, ſibi ipſis non ſatisfaciunt. Ipſum, mihi credite, hoc Templum geſtire quodammodo, & aliquem publici affectus ſenſum capere videtur, cum fauſto ſidere illuxerit dies, quo Sacratiſſimus hic noſter IMPERATOR auſpicio

Illustrissimi Comitis ac Domini, Domini ALBERTI ANTONII, *Quatuor-viri Imperii, Comitis Schwvarzburgici & Hohensteinensis, Dynastæ in Arnstadt, Sondershausen, Leutenberg, Lohra & Klettenberg, Domini nostri gratiosissimi*, a fideli hac Civitate Goslariensi fidei sacramentum longe clementissime excepit. Quamvis enim communis hodie fit lætitiæ materia, nec quisquam sit sui suæq; patriæ tam immemor futurus, quin publicis simul votis & acclamationibus suas adjungat: habet tamen hæc ecclesia momenta maxime propria, cur vota optimo Cæsari nuncupet, diemque hunc veluti pignus felicitatis & securitatis publicæ jubeat esse consecratum. Cæsares enim sunt, *Illustres Auditores*, quorum exsuperantissima clementia Antiquissimum hoc Canonicorum Collegium, & commune olim per orbem Romanum Præsulum seminarium, in id culmen, quo stat evectum, jure singulari dignitateque utitur, & celebritate cum multis aliis concertat. Cæsares sunt, qui tam innumeris beneficiis hoc domesticum suum Sacrarium ornarunt, ut cum eorum trophæa atque arcus triumphales dudum in ruinas concederint, in hac tamen sacra mole gloriæ illorum ac pietatis monumenta ÆTERNITATI AVGVSTÆ SACRA hodienum perdurent integra, omnesq; temporum injurias contemnant. Cæsares deniq; sunt, quorum providentia hæc Basilica in media rerum omnium disturbatione totque infestis seculorum fatis contra fortunam adversantem semper spei institit, ac de ipso tandé tempore triumphavit. Nihil ergo huic Collegio potest esse exoptatius, quam Cæsarum felicitas, Cæsarum vita, Cæsarum victoriæ, faustumque ac tranquillum Imperium, pro quibus non vicennalia, ut triceñalia, veteri Quiritiú more, sed perpetua vota puro castoq; animo concipit. Patere igitur Augustissime JOSEPHE, quem præsentè videmur intueri, cujus victricem dextrá jucundo animi lætabundi errore osculis defatigamus: Patere inquam Princeps PIE, FELIX, AVGVSTE, ut in heroicas tuas virtutes nostra paululum se expandat oratio, in eumq; feratur campum, qui nobis ad excurrendum patet latissimus. Et quamvis in hoc ferventissimo pietatis æstu & inter suffusam lacrymis lætitiam lingua hæreat stupéatque, & verba potius quam sententias proferat, est tamen quo me conatibus excidentem erigam. De Majestate Tua *Sacratissime Imperator*, mihi dicendum video. De ea vero quæ posset inveniri oratio satis grandis, satis sublimis, satis Te, *Imperator*, digna? quicquid dixero, quantumque dixero, nunquam tamen nisi id spero me consecuturum, ut parum potius, quam satis dixisse, omniaque Tua magis admirari, quam dicendo exornare videar. Solis instar mihi futurus es, cujus fulgorem & lucem, nemini inconnivis oculis intueri, venerari aç suspicere omnibus licet. Quid dicam vero, *Illustres Auditores*? aut quomodo dicam? aut quid omnino non dicam? Nam si rhetorum præceptis coercendus animus, ab aliis potius quam ab ipso Imperatore ordiendum erit, & prius de fortunæ dotibus, summoque natalium splendore, quam de divinis ejus virtutibus dicendum. Quis vero dubitet, quin nihil dicendum sit de Cæsare nostro, ut idem illud de alio quoque dici posse videatur? quis ignorat, sic eum propriis abundare laudibus, ut non indigeat alienis? Parentemne igitur hic commemorem, DIVUM LEOPOLDUM, invictum & optimum Cæsarem, qui conservata republica, restitutis provinciis, servatis civibus, grandi posteris exemplo felicitatis humanæ relicto, nihil majus orbi conferre potuit, nisi quod JOSEPHUM dedit, tantundem relicturum posteris quantum a majoribus acceperat. Celebrant annales incomparabilem Metelli Macedonici fortunam, qui præter excellentes triumphos, honores amplissimos & principale fastigium, extentumque vitæ spatium, quatuor sustulerit filios, omnes adultæ ætatis viderit, omnes reliquerit superstites, unum Consularem & Censorium, alterum Consularem, tertium Consulem, quartum candidatum. Jure optimo dixerim, MAGNUM LEOPOLDUM multo feliciorem Metello videri, qui cum Rhenum Danubiumque victoriis conjunxisset, & non provincias sed regna, ecclesiæ & reipublicæ restituisset, sexaginta & quinque annis vivendo expletis, quemadmodum ille Antoninus Pius, denuo adolescens desideratus est, ipse Cæsaris & Reginæ filius, Regis frater, duorum filiorum Parens, quos adultos, florentes, Reges vidit. Gentemne celebrem Austriacam, quæ Sacratissimum Cæsarem orbi dedit? Quis finis dicendi esset futurus? Totus profecto terrarum orbis injicit manum, & Austriaca trophæa, adoreas arcus triumphales ostentans, ompem conatum dicendi excipit pariter & extorquet, cum non arctioribus limitibus, quam ipse orbis, Augustæ domus gloria contineatur. Hæc est illa gens, quæ inter ipsas Alpium nives nata, & veluti e glacie frigoribus rupibusque effossa ad eum populum refert originem, qui illi terrarum Deæ gentiumque Romæ terrori diutissime fuit, & in fœderis magis societatem, quam victoriæ præmiú cessit demum victrici reipublicæ Hæc illa gens, quæ contracta cum Burgundis, Hispanis & ceteris regnatricibus olim familiis affinitate, sanguinem Caroli Magni & Chlodovæi cum suo in posteros derivavit. Hæc illa gens, quæ tot fere coronas, quod capita, tot Imperatores & Reges, quod Principes, tot Victores, quot Duces numerat. O generosam stirpem, ac veluti in unam arborem plura genera, sic in istam Domum multorum insitam atque illuminatam virtutem! Discant igitur, discant posteri, quanto alveo exuberent corrivati

rivati in unum Auſtriaci & Palatini ſanguinis fontes. Diſcant quid exſpectandum ſit de Sacratiſſimo Cæſare, in quem Francorum virtus, Burgundorum magnitudo animi, Auſtriacorum pietas, Palatinorum prudentia, atq; omnes omnium Regum & Principum virtutes, cum ipſo paterno maternoq; ſanguine tranſierunt. Ludibrium humano generi debet Alexander ille Macedo, quem abdicato patre ferunt auctoritati ſuæ mendacio conſuluiſſe, ipſumque Jovem ſibi adoptaſſe parentem, qui non niſi matris adulterio poterat probari. Quaſi a Superis adulteris peteretur majeſtatis præſidium, aut cœlum non potius virtuti, quam ambitioni pateret, aut nobilis non ex ſe ipſo naſceretur. Placeat ſibi hoc parente Alexander; glorientur de Martis proſapia invictæ Amazones; Nero deniq; impuriſſimus mortalium, Jovem ſe ridendo auſu efferat. Deliria hæc ſunt ab adulatione profecta, & ſtante Romana re eo prolapſa, ut vivis mortalibus delubra & templa dedicarentur, thura offerentur, immolarentur hoſtiæ, vota & ſupplicationes decernerentur. Quanto felicior his FELIX JOSEPHUS, qui tot Deos, quod Majores, tot ſimulacra, quot fumoſas per atria imagines numerat? & tales quidem, quos non ſeruilis adulatio, auctoritas Quiritium, fauor plebis atq; opinio, ſed ipſum illud cœleſte Numen ſuo effato ſuffragioq; conſecravit. Quanto rectius Cæſaris noſtri, quam Antoninorũ monumentis illa veteri ritu & conſvetudine inſcribamus fidæ mentis ſigna:

PRO. SALVTE. D. N. IMP. CÆS. JOSEPHI. P. F. AUG. ET CAROLI. REGIS. HISPANIARUM. TOTIUSQUE. DOMUS. DIVINÆ. EORUM.

Quidni Divina audiat Domus, ad quam DEUS dixit, *vos Dii eſtis*; Quam conſtanti obſequio Germania per tot ſecula Auguſtã conſecravit, ex qua ipſa Hiſpania tot Deos tutelares petiit, popoſcit, impetravit, Quæ deniq; ſingulari divini Numinis providentia inaudito exemplo, qua ſol oritur occiditque, ſceptra paulo ante protendit, & mox, ut auguramur, denuo protendet. Hujus gentis auguſta ſoboles Auguſtiſſimꝰ JOSEPHUS, omnia, quæ adhuc in Auſtriacis terrarum orbis ſtupuit, naſcendi ſorte ac legibus ſimul eſt conſecutus. Corpus ſolidum, maſculum, & ſucci plenum, digniſſimum tanti animi domicilium; os venerandum, quod Mars habitat, frontem gravem & in viridi ætate feſtinatis quibusdam ſenectutis inſignibus ad augendam Majeſtatem ornatam, indefeſſum vigorem, animum igneum, & tanti Imperii capacem, nunquam otioſum, cœli ad inſtar, quod infatigabili motu ſuo ſingulis mundi partibus conſulit, univerſas in ſuo ſtatu tuetur. Fortunæ hæ ſunt, *Illuſtres Auditores*, & benignioris naturæ dotes, quas DEUS miro favore iis ſolet indulgere, quorũ nutu pacem, bellũ, terras, maria vult temperari. Ferunt Tiberium illũ Auguſtum, cujus dignitatem corporis mirifice collaudant annales, ſuſcepta in Germanos expeditione, tanta ſui admiratione ipſa hoſtium caſtra impleviſſe, ut aliquis Germanorum ætate ſenior, corpore excellens, trajecto Albi flumine, petierit, liceret ſibi in eam, quam Romani tenebant, ripam tuto egredi, & videre Cæſarem; Dataque petenti facultate diu tacitum conſtitiſſe, & miratum Principis majeſtatem, in ea ſolutum verba: vidiſſe ſe, quos antea audiverit, Deos, nec feliciorem ullum vitæ ſuæ aut optaſſe aut ſenſiſſe diem. Impetrato denique ut manum contingeret, reverſum in naviculam & ſine fine reſpectantem Cæſarem, ripæ ſuorum eſſe appulſum. Quid Germanus miretur in Trans alpino, quod ipſa Germania producit abſolutiſſimum? Certe ſi homo ille rediret in vitam, non Tiberii corpus amplum & robuſtum, non articulos firmos, non promiſſam cæſariem, oculosque turgentes, animi indices, amplius ſtuperet, ſed JOSEPHUM noſtrum, in cujus Martio ore ipſum Arminium ſuum eſſet agnituſus. Verum alio me vocat numeroſa Cæſaris gloria; aliud ingredior laudum argumentum, ejus nimirum imperium, quod nuper feliciſſimis auſpiciis ſuſcepit. Tacitus ſæpenumero mecum cogitavi, qualem quantumque eſſe oporteat Principem, cujus nutu patria quam optime regatur, cujus prudentia reſpublica conſervetur, cujus denique virtute vota auguriaque ſubditorum cumulatiſſime impleantur: Cum interim fingenti formantiq; mihi non aliud abſolutius occurrat exemplar, quam MAGNI JOSEPHI noſtri, qui iſta quæ Romana elegantia in Principibus ſuis laudabat potius, quam inveniebat, abunde eſt divinitus conſecutus, vere quippe PIUS, vere FELIX, vere AVGVSTVS, quæ quidem tria virtutum ornamenta ſi eo nexu in Principe reperiantur conjuncta, ut nullis unquam temporibus disjungantur, nullum arbitror tam faſtidioſum reperiri poſſe ingenium, quod meliorem fingere aut formare Principem audeat. Enituit quiſpiam pietate, ſed deſtituit eum fortuna, alius naturæ fortunæque beneficio in utroque ſummum eſt conſecutus, ſed auguſta majeſtas ipſi defuit & digna Imperio auctoritas, quæ ita cadit in Principem, ut ſi abſit, id quod Imperium eſt, Imperium eſſe deſinat, vel ſit etiam ſumma deformitas. At Auguſtiſſimo JOSEPHO noſtro quanta virtutum concordia, quantusque omnium laudum omnisque gloriæ concentus contigit, ut nihil pietati ejus fortuna, nihil clementiæ auctoritas, nihil majeſtati humanitas detrahat? Celebrant numi PIETATEM AUGUSTORUM, Romanorum videlicet Principum, quorum

pluri-

plurimi e magno imperio nil nisi magnam licentiam usurparunt: Mirantur annales Antoninum, Pii non minus quam Antonini nomine cognitum. Vnum his opposuerim JOSEPHUM, Principem bono generis humani natum qui pietatem velut gentilitium quoddam Austriacæ gentis bonum possidet non minus quam tuetur. Vix cœlestem animam cœlo reddiderat MAGNUS LEOPOLDUS, vix lacrymæ, quas JOSEPHO pietas & grandis Divi Patris oratio extorserant, se subduxerant ex ore, cum religiosissimus Princeps, dimissa aulæ frequentia, ac nemine præter sacrorum Antistites admisso, inter hæc mentem, oculos, vocem, gemitus in Deum verteret, & in ipso luctu flexo genu, de Imperio fausto & auspicato illum compellaret, eo animi calore, ut dubium esset præsentibus, utrum Patris discessum, an Imperii orbitatem magis respiceret. Eat in omnis ævi memoriam adeo incomparabile exemplum, & posteros admoneat, a pietate ordienda esse imperia, & cum Deo, a quo solo conferuntur. Candido lapillo notetur illa dies, qua tam auspicato imperare cœpit *Sacratissimus Imperator*, totique Germaniæ felicitatis publicæ spem contulit uberrimam, & quod olim Augusti Imperio datum est Symbolum, publice statuatur:

II. Non. mai. qua. die.
primum. imperium. orbis. romani. auspicatus. est. Imp. Cæs. Joseph. non. thure. vino. supplicent. vel hostias. singuli. inmolent. sed. vota cives. certatim. concipiant.

Quæ pietas deinde ejus in patriam, qua pietatem patriæ provocat? Quam inusitato amoris genere rempublicam veluti adoptavit? quam nullam licet arduam curarum defugit molem? qua providentia Imperio decus, provinciis quietem, turbulentis tranquillitatem, desperatis salutem reddere annititur? qua æquitate ac iustitia innocentiam ab improborum audacia defendit? ista videlicet, virtutum princeps sic est JOSEPHO curæ, ut cum in publico nuper orbis luctu Interstitium Senatus Imperii decerneret, JOSEPHUS novo decreto ad jus dicendum redire jusserit, ne innocentes & causa sua freti clauso tribunali ab improbis impune divexarentur. Has virtutes, hanc inusitatam optimi Principis pietatem, si superstitiosa illa & fictrix Deorum ætas conspexisset, dubium non est, quin consecratura eas & in Deorum numero fuisset collocatura. De felicitate porro, altero Principum bono, quam multa quam jure dici possent, nisi in tanta præconiorum laudumque ubertate parcius unoquoque defungi oporteret. Equidem non est ea censenda principum felicitas, si nunquam quiescant aulæ obsequia, si perpetui purpuratorum strepitus nullo intercalari luctu turbentur, si integræ noctes inter ludicras voluptates aut cœnarum magnificentiam effluant. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa secundis, adversis secunda distinguantur: nec Principes quidem, humano licet fastigio majores, homines esse desinunt: nec quisquam extitit a tot seculorum decursu, tam innoxia fortuna usus, ut laudum adoreas nulla sinistrior fama, Victorias nulla clades, consilia nullus improvisus eventus turbarit. Dudum e mortalium orbe exulat illa Polycratis felicitas, animo super humanam sortem elato, ipsi fortunæ imperantis, & nullo adversitatis temperamento nimiæ felicitati statuentis modum. Ne ipsum quidem illud quod nos ambit cœlum, puriore semper adspectu refulget, succedunt nonnunquam nubila, quibus nobis pulcherrima lux intercipitur & veluti subtrahitur, mox se ipsum ab injuriis vindicatura. Quemadmodum vero sol ille ductor siderum, si quando objecta lunari umbra eripitur nobis pulcherrimi luminis usus, nihil in se patitur, quamvis conditus & visui nostro ereptus, sed sibi ipse suis opibus restituit lucem, apparitorus mox toto sidere, & inferiores mundi partes resalutaturus, ita nec Princeps quidem amittit felicitatis laudem, si quando ea incidunt reipublicæ tempora, quibus trepidare omnes & tutissima quævis timere incipiunt, dummodo auspiciis suis fessas reipublicæ res restituat, consiliumque maturum ad reddendam patriæ quietem adferat, & ruentis Imperii molem cum laude sustineat. De JOSEPHO itaque nostro, *Auditores Illustres*, de JOSEPHO, inquam, felicissimo Principum quid dicamus? credentne posteri, Cæsarem undique hostibus & perduellibus cinctum eam reipublicæ præstitisse securitatem, qua nunc fruitur? Credentne Cæsarem, solo consilio & sapientia Senem, annales leges, non exspectata ætate, antevertentem, ita imperasse, ut simul Germaniam lætitia, Angliam & Belgium ipsamque remotissimam Lusitaniam gloria, Galliam & Italiam terrore, Hungariam majestate, Hispaniam & ceteras provincias sub alieno Domino gementes spe uberrima impleret? Credentne, Cæsarem, cum eo tempore capesseret rempublicam, quo Hungaria motibus intestinis jactabatur, Bavaria e ruinis adhuc fumabat, Suevia cineres mirabatur & urbium cadavera, Rhenus denique non tam undis quam cruore madebat, eo rem tam brevi tempore redegisse, ut Hungaria nunc pacem concupiscat, Bavaria obsequium præstet, Suevia e ruinis reviviscat, Rhenus frequentissimos nunciet triumphos? Quis felicitatem Tuâ deprædicaverit, FELICISSIME JOSEPHE, cum ante paucos admodum an-

annos, relictis aulæ penetralibus, ipse ires in castra, & Landavium, fortissimum Germaniæ propugnaculum Tuis auspiciis patriæ redderes, & ne militiæ quidem subterfugeres incommoda? Ecquis vero non stupebat, cum superiore anno eandem civitatem a Gallis operosa oppugnatione recuperatam, vice altera præsens repeteres, exercituque sacra vultus tui majestate recreato atque ad virtutem incenso, nobilissimam urbem Tibi & Imperio iterum vindicares? Quæ tum bonorum omnium erant congratulationes? quæ spes? quæ auguria? quæ admiratio? videbaris profecto jam tum fructum gloriæ Tuæ ferre longe uberrimum, & vivus posteritati felicitatem Tuam admiraturæ interesse. Omitto hic Bavariam, quæ nuper invictissimis Leopoldi armis in provinciæ formam redactar ebus novis studere cœperat, occultatis ubiq; parricidarum manipulis, quibus vicinæ Sueviæ & Franconiæ jam imminere tumultus videbantur. Vix quædam hujus conjurationis indicia se prodiderant, cum ex templo adessent victrices copiæ, provincias crudeliter denuo ab hoste divexandas, subjugata Monachio, servitutis metu & suspicione liberaturæ. Adeo victos se prius sentiebant Bavari, quam militem conspexerant, & prius triumphabat Augustus, quam de ea expeditione fuerat auditum: Fulminis instar, quod vix conspectum cito venit, urit, desinit. Sed annalibus hæc relinquenda, quibus ut ut veritati apertæ studeant, suspecta reddetur, rei prope incredibilis, memoria. Quæ deinde Cæsaris auspiciis in Italia Alsatiaq; gesta sint, etiamnum secundus ministrat rumor, & mirari potius, quam dicere malumus. Germania mihi manum injicit, quæ felicitatem suam miratur, pacem inter arma suspicit, LEOPOLDUM in JOSEPHO sibi redditum, & non tam Patris imaginem, quam ipsum Patrem imperantem stupet, omnemq; hanc felicitatem suam Cæsaris felicitati submittit, cujus manibus felicia tempora subditis divinitus dispensari constat. Optimo illo atque absolutissimo Principe, Cæsare Germanico, inter diuturni & difficilis morbi discrimina hærente, incertus increbuerat rumor, qui vivere Cæsarem salutiq; redditum narraret, protinus tanta lætitia totam Romanam civitatem occupavit, ut passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum fit, & effractis foribus, ne quid vota reddituros moraretur, ubique exauditæ concinentium gratulantiumq; voces: SALVAM ROMAM, SALVAM PATRIAM, SALVUM ESSE GERMANICUM. Cum vero incerta fama de ejus salute evanescceret, aliaque succederet; Germanicum properantibus satis extinctũ nuncians, tantus mœror, tanta trepidatio omnium occupavit animos, ut veluti in furorem acti: PERIISSE REMPVBLICAM, NIHIL SPEI RELIQVUM ESSE, clamitarent. Quod si unius Germanici salute stare aut cadere rempublicam creditum est, cui publicam civium gratiam non tam recte agendi consuetudo, quam mirum & efficax promerendi amoris studium conciliaverat; quid quæso dicturos eos facturosq; creditis, si JOSEPHI felicitatem admirari licuisset? Quam consentiente nobiscum voto cœlum essent sollicitaturi? Quibus congratulationibus non modo Capitolium illud, sed omnia compita, agros, fora repleturi? Quam frequentes has emissuri acclamationes: SALVA PATRIA, SALVUM IMPERIUM, SALVUS JOSEPHUS. Quod enim de lustro suo gloriari solitus est iste Marcus Cato Censorius, se Censore nec vineam fefellisse, nec agros negasse depositum, nec hominibus aut pecudibus fœcunditatem defuisse; idem jure quodam nostro de felicissimo JOSEPHO jactare possumus, cujus primo Imperii anno, felici futurorum augurio, nec clades exercitus nostri passi sunt, nec annonam negarunt agri, nec annus ipse pestilenti quodam sidere afflavit mortales. Fausta ubique omnia, tranquilla, salubria, & quod in quibusdam Romanorum numis est, FELIX TEMPORUM REPARATIO. Eris igitur nobis vere Pius, Felix, Augustus, *Auguste Imperator.* Pius, cum sis optimus, & reipublicæ studiosissimus; Felix cum ipsam rerum omnium dominam fortunam consiliis sapientissimis vincas; Auguste, cum tesseræ tuæ sapientissime memor, TIMORE & Majestate omnium perstringas oculos; AMORE omnium amorem retineas. In ipso Imperii Tui auspicio, quantum, augustum Te esse, dedisti argumentum, cum Imperium ab Imperio augendo auspicatus Donawerdam illam vetustissimam civitatem, quæ oppressa & libertate exuta dudum Bavaris paruerat, civitatum Imperialium. Collegio postliminio restitueres, & protinus Augusti dares augurium. Qua majestate atq; auctoritate divinum auspicio AUGUSTI nomen, quod consentiente omnium gentium, quas humanitas imbuit, suffragio possides, tueris? Mira in hoc apparent summorum animorum consilia. Reverentiam alius terrore, alius amorem humanitate captavit. Tu vero, Imperator, sapientissimo temperamento in hoc usus, amorem ita auctoritate, majestatem amore distinguis, ut hostes terreas cives recrees, omnes ad veneration-nem & reverentiam impellas. Quantum Te omnes venerantur, tantum amant, quantum suspiciunt, tantum exosculantur, quantum timent, tantum sperant. Cœli, unde nobis datus es, videris referre naturam, quod jam jucunda temperie, jam tonitruum fragore mortalium animos modo ad amorem voluptatemque allicit, modo trepidos reddit & suspensos. Dicam verbo: Es nobis, Sacratissime JOSEPHE, Princeps PIUS, AVGVSTVS, FELIX, orbis delicium & amor, civium so-

latium, certissimum reipublicæ firmamentum. Salve igitur læta dies, posterisque non sine tripudio memoranda, qua Augustissimus Cæsar divinitus reipublicæ concessus, Goslariam suam sibi in memoriam revocavit! Te celebrat patria, te Civitas candido notat lapillo, tuum exortum ipsa hæc Basilica læta & gestiens excepit, faustisque prosecuta est acclamationibus. Hi vetustate jam exesi & septimum durantes seculum lapides; hæc superior orchestra, quæ tot Imperatores, tot Principes, ipsosque Pontifices Romanos olim sinu suo complexa est; hoc supremum altare, tanti Cæsaribus visum, ut plerasque solennitates in eo peragendas censerent; hæ denique Canonicorum cathedræ, e quibus tot Sancti, tot Archi-episcopi & Imperii Electores, tot Episcopi, tot militiæ togatæ antesignani & Cancellarii, aliique Principes & Illustrissimi Viri prodierunt; postremo tota augusta hæc moles lætari & novam veluti faciem induere videtur, sibique a Sacratissimo Cæsare novam pollicetur vitam, novos spiritus, quibus se victuram perpetuo præsumit. Gratulatur sibi, in JOSEPHO revixisse Henricum tertium Conditorem suum, qui tanto amore hanc Ecclesiam complexus est, ut ei natalis sui nomen imposuerit, ut a Pontifice ipso, seculi more, dedicandam putarit, ut nonam proventuum suorum partem indulserit, omnia huc congesserit ornamenta, atq; ipsam deniq; proprii sanguinis partem suumq; cor cum præcordiis quiescere hic voluerit. Gratulatur, rediisse sibi Henricum quartum, sed sobrium, sed castum & pium, non qualem nobis superiora secula delinearunt. Quid cæteros referam Cæsares, Henricum quintum Lotharium, Conradum, qui omnes hac ecclesia non minus, quam ipsa Goslaria delectati sunt? Quid Fridericum primum dicam, illum Germaniæ Herculem, qui hanc, quæ vos ambit, Ecclesiam, *gloriam corone sue*, magnifico & plane incomparabili elogio appellavit, tantisq; eam non ornavit, sed cumulavit beneficiis, ut alterius conditoris ferat nomen, perpetuumque sibi in posterorum animis statuerit monumentum? Quid Henricum sextum, quid Philippum & Ottonem, quid Fridericum secundum repetam? Incomparabiles Heroas & cum cura etiam dicendos, nisi his JOSEPHI splendor & exspectatio admirationem quodammodo detraheret. Unius hic meminisse juvat Rudolphi primi, fundatissimæ & regnatricis Austriacorum Domus auspicatissimi Progenitoris, qui primus omnium summum decus in familiam suam intulit. Hic quemadmodum Germaniam intestinis concussam motibus, & e tristi interregno inter diversa studia fluctuantem felicissime suæ felicitati restituit, ita & Ecclesiam hanc augustam eadem temporum infelicitate tantum non extinctam velut in sinum recepit, eamq; adeo beneficiis suis & providentia stabilivit, utq; peritura absque illo videbatur, pristinum per tot Imperii periodos statum conservet, retineat, tueatur. Hæc pietas cum ipso Rudolphi sacro sanguine in Te quoq; derivata est, Auguste. Non fallet augurium, quod de Tua clementia hæc cepit Ecclesia. Tu Europæ solatium, Tu Germaniæ decus, Tu libertatis asylum, Tu felicitatis publicæ pignus & firmamentum. Vive igitur in spem patriæ, vive in spem Imperii, in spem Civitatis, in spem denique hujus Ecclesiæ, & gaudia totius orbis tua felicitate supera! Quicquid adorearum & triumphorum Hispania, Italia, Hungaria videbunt, Tuum erit Auguste. Quicquid in Civitatem nostram emolumenti redundabit, Tuum erit Auguste. Quicquid huic ecclesiæ novi accesserit ornamenti, Tuum erit Auguste! Ut voto finiam, in Quiritium olim consessum admisso, AUGUSTE, PIE, FELIX, TRIUMPHATOR, DEUS TE SERVET! Bone Ductor, bone Imperator, exemplum militiæ, exemplum Imperii, Deus Te servet! Assertor reipublicæ, populorum vindex, Deus Te servet! Generis humani spes ac deliciú, Deus Te servet! Ut cum admirabili WILHELMINA AMALIA Tua, teuno digna Conjuge, cum Fratre incomparabili CAROLO Rege, contra livida quascunque hostium procellas favente semper Austro consistas, semper floreas, dignus Imperio, dignus triumphis, dignus æternitate!

DIXI.

)o(

Kurtzer

Kurtzer Bei-Bericht

Von der in der Kayserl. Freien und des Röm. Reichs Stadt Goßlar

Anno 1705. den 5. Novembr. solenniter celebrirten

Huldigung.

SO bald nach höchst-seeligstem Hintritt des Glorwürdigsten KayserS LEOPOLDI der Allerdurchläuchtigste / Großmächtigste und Unüberwindlichste Fürst und Herr / Herr JOSEPHUS als längst-erwehlter und bereits gekrönter Reichs-Nachfolger seinen gesegneten Thron unter viel tausend Glückwünschungen aller seiner Unterthanen bestiegen / wurde sofort zu Einnehmung der Huldigung in denen Reichs-Städten alles veranstaltet / und zu dem Ende von Ihrer Römischen Kayserl. Majestät der Hochgebohrne Graf und Herr / Herr ALBRECHT ANTON, der Vier Grafen des Reichs / Graf zu Schwarzburg und Hohenstein / Herr zu Arnstadt / Sondershausen / Leutenberg / Lohra und Klettenberg ꝛc. auch in hiesige Kayserl. und des Römischen Reichs Stadt Goßlar allergnädigst abgeordnet. Der 5. Novembris des zu Ende eilenden 1705ten Jahres war der höchst-erfreulichste Tag / welcher denen gesamten Einwohnern hiesiger Stadt in viele späte Jahre ein stetiges Andencken dieser Allerhöchsten Kayserlichen Gnade hinterlassen wird. Den Tag zuvor hielten hoch-gedachte Ihro Hoch-Gräfl. Gnaden / nachdem sie an den Gräntzen von einem Theil der löblichen Bürgerschafft durch eine wohl montirte Cavallerie eingeholet worden / einen recht prächtigen Einzug / unter einem ansehnlichen Comitat dero Hoch-Gräfl. Bedienten / wie auch einer guten Anzahl der schönsten Hand-Pferde und Carossen. An den Gräntzen der Stadt complimentirte Ihro Hoch-Gräfliche Gnaden der hiesige Stadt-Syndicus Herr D. Kempfer mit einer wohlgesetzten Rede / und an dem breiten Thor nahm Dieselbe der älteste Bürgemeister Herr D. Georgius Trumphius gleichfals mit einer netten Oration unterthänigst an / und præsentirte Ihrer Hoch-Gräflichen Gnaden die Schlüssel der Stadt-Thore auf einen rothen Sammeten Küssen; Nachdem nun hoch-gedachte Ihro Hoch-Gräfl. Gnaden beydes höchst-gnädig beantwortet / so wurden Selbige von denen gesamten Herrn des Engern Raths zu Fusse mit entblösseten Häuptern unter Lösung des Geschützes von denen Wällen in Dero erkiestes Hoch-Gräfl. Logiment begleitet. Die gantze Bürgerschafft paradirte mit ihrem Gewehr in guter Ordnung biß an das Hoch-Gräfl. Quartier, zu beiden Seiten der Strassen / und wurde an allen ersinnlichen Freuden-Bezeugungen bey solchen angenehmen Einzuge nichts unterlassen / was nur ein gewis Zeichen der innerlichen Devotion und Frölocken über denselben abgeben kunte. Den folgenden Tag wurde frühe mit allen Glocken in denen Pfarr-Kirchen der Gottesdienst eingeläutet / und nachdem hoch-gedachte Ihro Hoch-Gräfl. Gnaden sich unter Begleitung dero Hoch-Gräfl Herrn Sohns und Dero Comitats in die Haupt-Kirche verfüget / nahm der Gottesdienst seinen Anfang mit einer schönen Music, und endigte sich mit derselben / nebst dem abgesungenen Te Deum laudamus, als zuvor der Con-Senior Ministerii allhier Herr Henricus Domanes eine Geistreiche Huldigungs-Predigt abgeleget hatte. Hierauf erhuben sich Ihro Hoch-Gräfl. Gnaden auf das Rathhauß / und verfügten sich auf den im Saal desselben aufgerichteten Thron / für welchen sich Bürgemeister und Rath / das gesamte Ministerium, wie auch Abgeordnete von Gilden und Gemeinen nebst denen Honoratioribus der Stadt in guter Ordnung unterthänigst darstelleten / und nach gehaltener überaus galanten Oration des Hoch-Gräfl. Herrn Canzlers von Beilwitz / und ebenmäßig wohlgesetzter Beantwortung des Herrn Syndici D. Kempfers den Eid der Treue allerunterthänigst ablegten. Von dar erhuben sich hoch-gedachte Ihro Hoch-Gräfl. Gnaden auf die gegen dem offenen Marck aufgerichtete Bühne / vor welche sich die übrige gesamte Bürgerschafft gestellet hatte / die ebenfalls nach abgelegter trefflichen Anrede des jezt gedachten Hn. Canzlers den aller unterthänigsten Huldigungs-Eid abschwur / worauf sich dieser Actus mit einem frölichen Vivat Josephus! unter Lösung der auf dem Marckt gepflantzeten Stücke endete.

Unter währender Tafel ließ man alle ersinnliche Freude blicken / und ein Hochwürdiges Capitel des Uhralten Kayserl. freien Exemt-Stiffts SS. Simonis und Judæ schickte sich indessen gleichfalls / ihre allerunterthänigste Devotion gegen Dero Allerhöchstes Ober-Haupt und allergnädigsten Protectorem zu bezeugen / und den höchsten GOtt um Ihro Kayserl. Majestät gesegne-

te Regierung / und alles höchste Kayserl. Wohlwesen anzuflehen / und wie sie des Tages zuvor solches durch beygefügtes publicirte Programma invitatorium öffentlich intimiret / also wurde folgendes Tages der solenne Gottesdienst nach bezeichneter massen celebriret. Nachdem durch Läutung aller Glocken das gewöhnliche Zeichen dazu gegeben worden / so wurde das Veni lancte Spiritus musiciret. Nach Endigung desselben wurde das Te Deum laudamus innociret / und unter abermahliger Läutung aller Glocken wechsels-weise von denen gesamten Herrn Capitularibus und denen Musicis auf der Orgel abgesungen / hierauf wurde der 95. Psalm Venite , exultemus Domino &c. unter einer völligen Instrumental- und Vocal-Harmonie musiciret / und loco ordinariæ lectionis der Biblische Text aus Gen. XLIX: 22. 27. verlesen. Als nun hierauf der Hymnus : Benedictus Dominus &c. ebenfals wechsels-weise von denen Hn. Capitularibus / und auf der Orgel von denen Musicis abgesungen / und die Collecta pro salute Imperatoris nebst dem Benedicamus Domino &c. sich geendet / so wurde in schätzbarer Anwesenheit vieler Adlichen und gelehrten Personen beygefügte Oratio panegyrica von M. Jo. Michaele Heineccio, einem hiesigen Prediger gehalten / und nach deren Endigung mit musicirung des 150. Psalm Laudate Dominum &c. und wiederholter Läutung aller Glocken geschlossen.

Wie nun ein jeder in allen Häusern sich diesen Abend frölich erzeiget / also hat auch nicht weniger nach geendigten Gottesdienst / Ihro Römischen Käyserl. Majestät und Dero hohen Abgesandten zu Ehren / dieses Kayserl. Stifts Decanus und Käyserl Reichs-Hof-Rath Herr Anton von Seidensticker / bey einer zahl-reichen Assemblee unterschiedlicher Baronen / vieler Adlichen Herrn und Dames wie auch Geistlicher und weltlicher Bedienten und des fürnehmsten Stadt-Frauenzimmers ein publiques Festin angestellet. Inzwischen war nicht nur das ganze Haus durch alle Fenster illuminiret / sondern es præsentirte sich auch auswendig zwischen zwo Pyramiden ein von der Erde nach der Sonne fliegender Adler / mit der Beyschrifft:

Avitâ virtute !

Umher aber die Worte:

VIVAT
MAGNUS JOSEPHUS
&
WILHELMINA AMALIA,
AUGUSTA.

Drey unterschiedliche Chore von Musicanten liessen sich in dreyen Gemächern mit allerhand Instrumenten stets hören / und wurden diese Freuden-Bezeugungen biß in die späte Nacht continuiret.

Endlich hielten den dritten Tag hochgedachte Ihro Hoch-Gräfliche Gnaden in eben der Ordnung / als sie eingezogen / Ihren prächtigen Außzug / und liessen uns ein immerwährendes Andencken dieses uns von dem HErren gemachten Tages zurücke.

Wir alle wünschen indessen aus devoten Hertzen / GOtt wolle die Jahre unsers allergnädigsten Kaysers viel seyn lassen. Er unterstütze selbst durch den Geist des Raths / der Weißheit und der Stärcke seinen Kayserlichen Thron / und wende von Ihm ab alle traurige Verhängnisse / damit Sie wider alle verkehrte Anschläge Dero Widerwärtigen in aller ungekränckten höchsten Glückseligkeit grünen / und in Dero Erz-Herzoglichen Hause Gerechtigkeit / Friede / Sieg und Seegen allezeit Ihren unveränderten Siz haben mögen / wir aber uns in viele späte Jahre mit diesen Worten vergnügen können : Wir haben genug daß unser JOSEPH lebet !

Gen. 45. v. 28.

Er Lebe !

RERUM GERMANICARUM TRES SELECTI SCRIPTORES

INPRIMIS DE

VITIS ET FACTIS CAROLI MAGNI, IMPERATORIS,

NEC NON

WITIKINDI MAGNI, REGIS SAXONUM,

HACTENUS DESIDERATI.

Acceſſerunt etiam

GVILLIELMI BUDÆI, DOCT. MED. THANATOLOGIA,

ITEM

CAPITULATIO OSNABRUGENSIS

cum Catalogo omnium Monaſteriorum Eccleſiarumque
in Epiſcopatu Oſnabrugenſi,

ET TANDEM

ACTA FORMULÆ CONCORDIÆ

IN COENOBIO BERGENSI REVISÆ,

Quibus præfixa eſt Præfatio

JOHAN. GEORG. LEUCKFELDI,

Paſtor. Primar. Gröning.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,
ANNO MDCC VII.

PRÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLUM.

QUemadmodum singulari directione divina duobus ultimis seculis omnium facultatum, quas vocant, literarum studia, ab hominibus, socordiæ carnisq; voluptatibus deditis, antea neglecta ac quasi proscripta, æstimari denuo ac revocari cœperunt; Ita inprimis est agnoscenda & laudibus celebranda provida hæc Dei cura, quam in resuscitando studio Historico, *quod per multa secula alto, quod liceat dicere, sopore obrutum atque sepultum jacuerat, nec extra paucorum monasteriorum cellulas apparuerat, manifestavit. Namque illud tanto huc usque vigori restitutum est atque splendori, ut, cæteris licet non anteferatur, tamen eundem cum iis locum obtineat. A dicto enim tempore diversarum & Regionum & Religionum permulti præclari & ingeniis pollentes Viri* Historiam Civilem *pariter ac* Ecclesiasticam *vel ipsi accuratius examinaverunt, & in ordinem magno redegerunt labore, vel aliis, ut id facerent, magno fuerunt adjumento. Neque defuere, qui aliorum hac de re olim composita scripta, quæ situ & squalore obducta pene consumebantur, in lucem prolata, notis perneccessariis & utilibus illustrare, laudandis conatibus laborarunt. Inter quos non infimum habent locum Auctores Centuriarum Magdeburgensium, Osiander, Fabricius, Albinus, Chytræus, Büntingius, Spangenbergius, Conringius, Meierus, Meibomii, Bosi-*

Bosius, Sagittarius, Puffendorffius, Reuberus, Kulpisius, Schilterus, Freherus, Tentzelius, Ittigius, Paullini, Leibnitzius, Arnoldus, nec non Spanhemius, Usserius, Goldactus, Sleidanus, Casaubonus, Hottingerus, Hombeckius, Cave, Pearsonius, item Thuanus, Cuspinianus, Baronius, Mabillonius, Papebrochius, Lambecius, Natalis Alexander, cum innumeris aliis, qui omnes, quamvis non una ratione à dolo fraudulento & partium studio alieni fuerint, satis tamen industriæ impenderunt, ut nomina suis monumentis æternitati inscriberent, atque res gestas ab oblivionis interitu vindicarent. Quemadmodum vero Germania *quondam, & cum ea huic inserta* Saxonia Vetus, *ultimorum Franciæ & Saxoniæ Regum Imperiis, præsertim* Caroli Magni & Witikindi, *eorumque gestis per multos annos bellis inclaruit; quorum hic ab illo multis superatus præliis Christianam tandem Religionem amplexus est, ille autem ad hanc stabiliendam complures Episcopatus, Cœnobia & Templa fundavit atque dotavit; Ita etiam multi Historiophili occasionem inde nacti sunt, vitas, bella & res, quæ his duobus Regibus imperantibus contigerunt, præcipue* Caroli Magni *postea Romani Augusti, investigandi & ex antiquitatis ruderibus eruendi. Silentio jam præterco Scriptores, qui vitam & heroica hujus Imperatoris facta persequuti sunt, antiquissimos, (v.g.* Eginhardum, *de quo infra dicetur, nec non Monachos duos, quorum unus, a* Canisio, *ex Bibliotheca Monachiensi, Tom. I. Antiq. Lection. productus, in monasterio S. Galli latuit, alter vero, cujus monumentum* Petrus Pithœus *in Annalibus Hist. Franc. Script. Parisiis* 1588. *evulgavit, & postmodum* Kulpisius *cum Annalibus antiqui Saxonum Poetæ, quem* Reinerus Reineccius 1594. *Helmstadii publicaverat, Argentorati Anno* 1685. *iterum imprimendum curavit, in monasterio S. Eparchii Engolismensi vitam transegit.) mentionem tantummodo injiciens eorum, qui e nostra Germania supra nominatis duobus seculis ad indagandam vitam Caroli laudati animum applicaverunt, adque meam venerunt notitiam.* Marcus Wagnerus *selectum sic dictum Chronicon de gestis Caroli Magni fecit, & Magdeburgi* 1579. *edidit. Hunc Anno* 1593. *Hamburgi celeberrimus Historicus* Erpoldus Lindenbrogius *secutus, & Chronica de ejusdem Imperatoris gestis germanice confecit. Parimodo notissimus Pastor Iberiensis Principatus Grubenhagensis* Johannes Leznerus *Anno* 1602. *Hildesiæ Historiam de vita dicti Imperatoris publici juris fecit, id quod etiam* Johann Joachimus Franzius *Anno* 1644. *Argentorati præstitit, ut alios, qui cum*

Scha-

Schatenio *in Annalibus Westphalicis & Paderbornensibus multa de factis ejus tradiderunt, sileamus.*

I. *His tamen omnibus certo modo palmam præripere videtur quidam e Societate JEsu Hildesiensis, eruditionis laude dignissimus, nominatim P.* HENRICUS TURCKIUS, *qui* Fastis *suis, quos* Carolinos *vocavit, & haud vulgari studio excitatis Historicis aliisque Scriptoribus collegit, vitæ Caroli M. non parum lucis affudit, utut scriptum illud publice nondum prodierit. Quapropter Editor, nempe Dominus Bibliopola, qui illud, a præclaro Medico & doctissimo Polyhistore Hildesiensi D. Conrado Bertholdo Behrens, Fautore meo æstimando, acceptum, nobiscum communicat, dignum judicavit, quod primum in hoc volumine locum occuparet. Neque dubitamus, fore, ut perlectum desideriis benevoli Lectoris in plurimis satisfaciat, quando in eo non accuratam solummodo Chronologiam & elaborationem, verum etiam ejus generis Diplomata & Antiquitates de variis rebus ac fundationibus perspiciet, quorum conspectus paucis huc usque contigit, quamquam inficiari nolumus, authoris fidem neutiquam in omnibus fallibilitate carere.*

II. *Cum autem parum vel nihil adhuc, nisi sparsim, prostet, quod nos de* vita *supradicti ultimi Saxonum Ethnici Regis & primi Ducis Angariæ & Saxoniæ,* WITIKINDI *nimirum, sufficienter instruere possit, Dominus Editor hunc defectum supplere studuit, quando* JACOBI ANDREÆ CRUSII, *qui Seren. Electori Brandenburgico a Consiliis aulicis fuit, erudite & perfecte elaboratum* Witikindum, *qui a multis equidem desideratus fuit, in lucem producit, quo in libro Lector omnino inveniet, quod ad historiam hujus herois illuminandam plurimum facere possit.*

III. *Tertium in hoc volumine locum ornat iterum sæpedicti* Caroli vitæ delineatio, *quam* EGINHARDUS *reliquit, adjectis quibusdam Francorum* Annalibus, *quos ordinis Benedicti Monachus de Regibus,* Pipino, Carolo & Ludovico *ad Annum* 789. *contexuit. Fuit autem* EGINHARDUS, *quemadmodum constat, Imperatoris Caroli Magni Secretarius seu Cancellarius, tandemque diversis in monasteriis Abbas. Stylus, quo in vita Imperatoris sui utitur, satis elegans & nitidus est, ita ut ab* Hermanno *Comite Nucnario tractatus hic dignus habitus sit, quem Anno* 1521. *Coloniæ Agrippinæ primum typis vulgatum Carolo quinto Imperatore dedicaret. A quo tem-*

pore illum plures eximiæ eruditionis Viri. e. g. Andreas du Chesne, Reuberus, Freherus & Frantzius *suis historicis, quæ congesserunt, operibus, inseruerunt. Anno* 1667. *eum iterum prelo subjecit Magister Helmstadiensis, cui nomen fuit* Fridericus Besselius, *adjunctis non contemnendis Adnotationibus. Distractis autem & venditis Exemplaribus, Dominus Editor in hoc volumine supplere, quæ deficiebant, voluit.*

IV. *Post hunc Eginhardi librum locata est celeberrimi quondam Medici & Halberstadensis Historici.* GVILLIELMI BUDÆI *THANATOLOGIA, quam ab initio superioris seculi de mortibus Potentum & Eruditorum in octavo publicavit. Utinam cuncta hujus Viri Historica scripta extarent! non parum enim ex his Historia præsertim harum Regionum illuminari posset.*

V. *Qui hunc excipit, quintus Tractatus continet Anno* 1651. *impressam* Capitulationem Episcopatus Osnabrugensis, *quem omnium primum Carolus supra laudatus instituit. Huic Lector additum invenict Catalogum omnium hujus Episcopatus Prælaturarum, & Cœnobiorum utriusque sexus, nec non omnium Evangelicarum atque Parochiarum Catholicarum.*

VI. *Tandem hoc Volumen finiunt* Formulæ Concordiæ, *a* 6. *Evangelicis Theologis magni nominis Anno* 1577. *in Cœnobio Bergensi illustri prope Magdeburgum, revisæ, ACTA quædam, a me quidem non visa, tamen, ut audio, ex diversis hoc opus spectantibus probatis scriptis collecta; Et hoc fuit, de quo cum Benevolo Lectore, rogante Domino Editore, communicare volui & debui. Opuscula si hæc singula, priusquam typis exscripta essent, accepissem, unum alterumve locum luculentius potuissem, adjectis notis, declarare, nec non ACTIS, ultimo loco positis, haud exiguum Epistolarum numerum ex autographis, quas tam Domini Auctores Formulæ Concordiæ reliqui, quam præcipua Ecclesiarum Ministeria de ejusdem subscriptione ad D. Chemnitium scripserunt, adjicere, quarum nulla lucem adhuc vidit. Quod autem jam non licuit, potest alio tempore communciari. Interim vale, Benevole Lector, & primo quoque tempore inter alias* Antiquitates *ex Archivo etiam a me elaboratus expecta* Gandersheimenses.

Scribebam Gröningæ in Principatu Halberstadensi, M. DCCVII. Mens. Januarii.

Joh. Georg. Leuckfeld,
Heringensis.

ELENCHUS SCRIPTORUM
in hoc Volumine contentorum.

I.

R. P. HENRICI TURCKII e Soc. Jesu FASTI CAROLINI. *Seu Rerum a Carolo Magno Imperatore Gestarum Series.* Qva non solum Constitutiones ejusdem Sacræ Civiles q; ac Bella ordine explicantur, ac Antiquitates Westphalo Rhenunæ evolvuntur, sed & præcipue de Episcopatuum Saxo Westphalicorum Fundationibus agitur, ac difficiliores ejus ævi quæstiones chronologicæ deciduntur. Ex museo Conradi Bertholdi Behrens.

II.

JACOBI ANDREÆ CRUSII, JCTI & CONSILIARII BRANDENBURGICI DN. DN. ELECTORIS, *WITIKINDUS* sive de WITIKINDI Principis Angariæ, ac Ducis Saxonum, nec non Libertatis Germanicæ diuturno bello contra Carolum Magnum Imperatorem gesto, propugnatoris fortissimi Vita, Moribus, Rebus bello paceve præclare gestis, Conversione ad Christianismum, Obitu monumentoque Liber singularis, ex optimis veterum monumentis concinnatus.

III.

EGINHARDI VITA & GESTA CAROLI MAGNI, Imperatoris, cum brevi narratione de Origine & Sedibus ipsorum Francorum, & Annalibus Pipini, Caroli & Ludovici Regibus Francorum ab Anno 747. usque ad 798. per qvondam Monachum Benedictinæ Religionis collectæ.

IV.

GVILLIELMI BUDÆI, MED. DOCT. THANATOLOGIA succincte comprehendens plerosque cum hujus Seculi Dynastas, eorumque, si quas habuerunt, conjuges, & maturæ ætatis liberos, tum etiam literis præclaros atque excellentes viros, qui quidem proxime elapsis centum annis, vere isthoc aureo seculo, per Germaniam, Galliam, Italiam, Angliam &c. in vita esse desierunt, ita tamen dispositis singulis & universis, ut nihilominus annorum series, secundum qvam unumqvemlibet, urgente dira atqve ineluctabili fati necessitate, de hac vitæ statione migrare contigit, rite observetur.

V.

Capitulatio des Stiffts Oßnabrügk auff der Römischen Käyserlichen Majestät und anderer Reichs-

Stände

Stände Hochansehnlichen Abgesandten Interpositi-
tion, verhandelt und endlich geschlossen zu Nürn-
berg / welchem beygefüget ein Catalogus aller
Prælaturen / Clöster / Männ- und Weiblichen Ge-
schlechtes / wie auch aller Evangelischen und Ca-
tholischen Pfarr-Kirchen des Stiffts Oßnabrugk.

VI.

Acta Formulæ Concordiæ, in Bergensi Cœnobio prope Mag-
deburgum, cura & impensis AUGUSTI, SAXO-
NIÆ ELECTORIS, a Summe Reverendis Viris
D. NICOLAO SELNECCERO, Theologo Saxonico.
D. CHRISTOPHORO CORNERO } Theologis Brandenbur-
& } gensibus.
D. ANDREA MUSCULO, }
D. MARTINO CHEMNITIO, Theologo Brunsvicensi.
D. DAVIDE CHYTRÆO, Theologo Megapolitano.
D. JACOBO ANDREÆ, Theologo Wirtenbergensi.
Tempore Reverend. Præsulis Domini ULNERI, Anno 1577. Men-
sibus Martio & Majo revisæ, collecta hæc sunt excerpta ex D. Leon-
hardi Hutteri Concordia Concorde, Reverend. D. Sebastiani Goebe-
lii Programmate ad Jubileum rite celebrandum, Gothofredi Arnol-
di sic dicta Hæreticorum Historia, & D. Saccii concione funebri Re-
verend. Abbati PETRO ULNERO habita, quibus est annexa O-
ratio de Ortu, Incrementis ac Fatis variis antiqvissimi clarissi-
mique COENOBII BERGENSIS.

FASTI CAROLINI,

SEU

RERUM

A

CAROLO MAGNO IMPERATORE GESTARUM SERIES;

QVA NON SOLUM CONSTITUTIONES EJUSDEM SACRÆ CIVILESQVE AC BELLA ORDINE EXPLICANTUR, AC ANTIQUITATES WESTPHALO RHENANÆ EVOLVUNTUR, SED ET PRÆCIPUE DE EPISCOPATUUM SAXO WESTPHALICORUM FUNDATIONIBUS AGITUR, AC DIFFICILIORES EJUS ÆVI QVÆSTIONES CHRONOLOGICÆ DECIDUNTUR,

EXCERPTI

EX OPERE MANUSCRIPTO ANNALIUM WESTPHALO RHENANORUM

R. P. HENRICI TURKII è Soc. JESU.

EX MUSEO

CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA GENSCHIANA.

DEUTERONOMIUM

Secul. p. Dil.	ÆGYPTUS.	ISRAEL.		SYRIA.	ASSYRIA.	CHALDÆA.	MEDIA.	GRÆCIA. & Asia Minor.
VII.	Pastores in Ægyptum.	Joseph in Ægyptum.						Phoroneus Danaus,
VIII.	Mistragmuthosis.	Ephraim in Palæstinam.						Cecrops &c. ex Ægypto.
IX.	Thummosis.	Moses ex Ægypto.						
X.		Josua in Palæstinam.		CuschanRischatajim.		Evechous.		Cadmus, aliiqve ex Phœnicia.
XI.		Judices in Theocratia.						
XII.	Reges inglorii.	Saul primus Rex.						
XIII.				Rechob.				Pelops & Lydia.
XIV.		DAVID. (Isbosceth, Absalom.)		Hadadeser.		Mardocentes.		Heraclidarum & Dorienſium reditus.
	Vaphres.	SALOMON.		*Israelita.*				
	SESOSTRIS.	Rehabeam	Jerobeam. I.	Reson.				Jonum & Æolum migratio.
		Abiam.	Nadab.	Tabrimon.				
XV.	RHAMSES.	Asa.	Baesa.	Benhadad. I.				Troja capta.
	MEMNON.	Josaphat.	Ela. (Simri.)	BENHADAD. II.				
	Israelita.	Joram.	Amri. (Thibni)			Nabius.		
		Ahasias.	Ahab.					
	Proteus.	Athalia.	Ahasia.					
	Necepsos.	Joas.	Joram.	HASAEL.				
			Jehu.					
	Bocchoris.		Joahas.					Reges Lydorum.
XVI.	Nechus.	Amazias.	Joas.	Benhadad. III.	BELUS.	Nabonnadus.	Pharnus.	Ardys. I.
	Æthiopes.	Asarias.	Jerobeam. II.	*Israelita.*		*Assyrii.*	*Assyrii.*	Alyattes. I.
	Sabacon.	Jotham.	Zachar. (Sallú.)					Meles.
		Ahas	Menahem.					Candaules.
			Pekajas.	Rezin.	NINUS.			*Assyrii.*
	Thearcon.		Pekas.	*Assyrii.*				
XVII.	*Assyrii.*	Hiskias.	Hoseas.			Merodach.		Gyges.
	Sethos.	Manasses.	*Assyrii.*		SEMIRAMIS.	Regebel.	Dejoces.	Ardys. II. *Cimmerii.*
	Anysis.	Amon.			SARDANAPALUS.	*Assyrii.*	Phraortes.	Sadyattes.
	Psammetichus.	Josias.			*Chaldæi Medi & Ægyptii.*		*Assyrii	
	Nechus.						Cyrus	
XVIII.	Psammis.	Joahas. Joachim. Jechonias.				NABOPOLASAR.	Cyaxares.	Alyattes. II.
	Apryes.	Zedekias.				NEBUCADNEZAR.	Astyages.	Crocsus.
	Chaldæi.	*Chaldæi.*				Belsazer.	*Persæ.*	*Persæ.*
	Amasis.					Darius Medus.		
	Psammenitus.					Labosordach.		
XIX.	*Persæ.*					Nabonidus.		
						Persæ.		

REVERENDISSIMO

ET

ILLUSTRISSIMO

DOMINO,

DN. MAXIMILIANO

HENRICO JOSEPHO,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO RHODIOPOLITANO,

AC PER CIVITATEM ET DIOECESIN HILDESIENSEM

SUFFRAGANEO,

IN SPIRITUALIBUS ET TEMPORALIBUS

COMMISSARIO APOSTOLICO

SPECIALITER DEPUTATO;

VICARIO GENERALI,

AC CURIÆ EPISCOPALIS ECCLESIASTICÆ OFFICIALI;

NEC NON

CATHEDRALIS ECCLESIÆ IBIDEM

DECANO;

ET

ARCHIDIACONALIS AC INFULATÆ

PRÆPOSITURÆ ECCLESIÆ COLLEGIATÆ BONNENSIS

COADJUTORI;

LIBERO BARONI DE ET IN WEICHS, DOMINO

IN ROSBERG, WEYER. &c. &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME AC ILLUSTRISSIME PRÆSUL,

DOMINE GRATIOSISSIME,

CUm inter tot undiqvaqve REVERENDISSIMÆ ac ILLUSTRISSIMÆ DIGNITATI TUÆ, EPISCOPALEM INFULAM gratulantium vota, & ipſe qvoqve qvædam perſolvere mearum omnino partium judicarem, Gratioſus vero Favor TUUS, DOMINE, vulgares ejusmodi acclamationes in me non admittere, ſed literarium qvippiam poſtulare videretur: Deſideratam orbi Erudito vitam CAROLI MAGNI, Glorioſiſſimi Imperatoris, *Turkio* Autore conſcriptam, offero, qvam ex non una ratione acceptam gratamqve fore auguror.

Etiam ECCLESIÆ ISTIUS, cujus PER ILLUSTRI CATHEDRALI CAPITULO, jam decimum qvintum annum DECANUS dignisſime præſides, Ejusqve membrum ab annis triginta emines, primus Autor eſt Laudatisſimus Hic IMPERATOR, ceu qvæ ab EODEM anno 796. Aulicæ haut procul Laina fluvio prius fundata ac inchoata, dein vero à Filio Ejusdem, ac in Imperio, Germanicoqve

Re-

Regno Succeſſore LUDOVICO PIO ad Inneram translata eſt: cujus AUGUSTISSIMI FUNDATORIS memoria, cum qvotannis in choro Cathedralis Eccleſiæ celebretur, nullo modo ingratas ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ DIGNITATI TUÆ iſtas pagellas exſtituras arbitror, qvæ vitam *EJUSDEM* traderent.

Altera ratio eſt, qvod maximum Hunc IMPERATOREM ſanguine materno attingas, gradibus qvidem poſt octo ſecula non nihil remotioribus, indubitatis tamen ac certis. Non qvidem hic ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ antiqvitates ſciſcitari aggredior, cum ſoli tantum radios affundere anniterer, & inſuper ex publicis Bavariæ monumentis abunde conſtet, omni ſeculo ex WEICHSIO, prope *Ratisbonam*, caſtro, prodiiſſe Heroas, Toga ſagaqve non minus Inclytos, qvam *Eccleſiaſticis* Dignitatibus fulgentes, imo ECCLESIÆ FRISINGENSI anno 1411. EPISCOPUM DEGENHARDUM ſuppeditaſſe: Non, inqvam, hæc omnia per partes enumerare inſtituti ratio patitur, qvæ tantum qvâ via à CAROLO MAGNO deſcendas, oſtendere tenetur. Inter maſculos autem EJUS poſteros AUGUSTA Domus BRUNSVIGO-LUNEBURGIA eſt, uti contra vulgarem opinionem, qva Hæc ab ESTENSIUM in Italia PRINCIPIBUS primæ familiæ deducitur, aſſertum lego in memoria funebri ſapientiſſimi PRINCIPIS, JOHANNIS FRIDERICI, BRUNSVIC. & LUNEB. qvondam Ducis, & qvoqve aſolertiſſimo Antiqvitatum Hiſtoricarum ſcrutatore *Bucelino* probatum video. *Ex Domo Hac porro ERNESTUS* Dux, qvi anno 1546. *Zellis* obiit, omniumqve, qvi hodie in familia ſuper ſunt, communis parens exiſtit, ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ *DIGNITATIS* Tuæ atavus eſt, ex Filia ſcilicet *ELISABETHA URSULA*, qvæ OTTONI Comiti *Schaumburgio*, *Epiſcopatus* hujus primum Adminiſtratori nupta, Matris Tuæ, JULIANÆ ADOLPHÆ, ILLUSTRISSIMORUM *DOMINORUM* A MORIEN in NORDKIRCH *Domo* prognatæ, proavia eſt.

Accedit tertia ratio, qvam qvoqve vitæ Hujus Carolinæ oblationem *TIBI* gratam reddere arbitror, qvod ſcilicet *Diligentiſſimus* ejusdem *Autor* partim ex ea *Societate* ſit, cui qvam munificum Patronum *TE* præſtes inſcriptio ædium Gymnaſii mariano-Joſephini apud Nos publice teſtatur; partim vero ita ad mentem *TUAM* elaborarit, ut vel à me ipſo, ſi manus operi admoviſſem, accuratius exſpectari neqveat. Qvamvis enim in qvibusdam forte non ejusdem cum eo ſententiæ ſim, ſumma tamen Doctiſſimi viri in colligendis paſim antiqvioribus Weſtphaliæ tractusqve *Rhenani* inferioris monumentis diligentia, inqve diſponendis iisdem, ſupputandis annis ac chronologicis difficultatibus conciliandis reſpondens judicium par, laude omni majora ſunt.

Dignare igitur REVERENDISSIME PRÆSUL, ut oblatione ſcripti hujus *Turkiani*, debitam obſervantiam meam teſtari liceat, cum & inter ingratos merito cenſeri poſſem, non occaſione ejusmodi publice

qvoqve recolerem, qvo favore à qvindecim annis profecutus me fueris, qvibus TIBI ac Familiæ TUÆ medicinam, qvodqve poſt Divinam benedictionem ad Domeſticam TUAM ordinationem maximam partem refero, feliciter facio. Bonitatem in ſymbolum elegiſti, DOMINE, in Bonitate autem amor proximi exprimitur. Servet igitur DEUS TE publico Hujus Diœceſeos commodo ac bono, TUIQVE, ac REVERENDISSIMI ILLUSTRISSIMIQVE FRATRIS TUI, DOMINI JOHANNIS FRANCISCI ERNESTI, ORDINIS TEUTONICI EQVITIS, ac COMMENDATORIS RATISBONENSIS & GANGLOFENSIS, AUGUSTI ELECTORIS PALATINI CONSILIARII INTIMI, EJUSQVE PRÆTORII ac STABULI PRÆFECTI SUPREMI, nec non DYNASTÆ in SIMMEREN, BEYENBURG & BARMEN, poſt ſera aliqvando fata memoriam, in LECTISSIMA JUVENUM TRIGA, VESTRIS ex ILLUSTRISSIMO FRATRE, DOMINO THEODORO ADOLPHO LIB. BARONE DE & IN WEICHS, SUPREMO IN ARCHIDIOECESI COLONIENSI VENATIONUM PRÆFECTO, DOMINO IN WEYER ET ROSBERG, PATRONO MEO MAXIME GRATIOSO, NEPOTIBUS, DN. MAXIMILIANO JOSEPHO, DN. JOHANNE BERNHARDO, ac DN. FERDINANDO, CATHEDRALIS HUJUS ECCLESIÆ CANONICIS, ac reſpective ORDINIS TEUTONICI EQVITE, revireſcere faciat, TOTAMQVE ILLUSTRISSIMAM DOMUM WEICHSIAM ſemper florentem vigentemqve conſervet ac tueatur. Scripſi Hildeſii d. III. Mart. Anni M.DCCIV.

REVERENDISSIMÆ AC ILLUSTRISSIMÆ
DIGNITATIS TUÆ

Obſervantiſſimus

Conradus Bertholdus Behrens.

FA.

FASTI CAROLINI.

Annus Christi 768.

PIPINUS Rex Francorum debellato & occiso Waifario duce Aqvitaniæ rerum gestarum gloria inclytus, moritur octavo Cal. Octob. (a) pro qvo filii Carolus & Carolomannus regnum Francorum inter se partiti, administrandum suscipiunt. Carolo majori natu cessit Aqvitania, Neustria, inferior Austrasia, adeoqve tota nostra provincia cis-Rhenana unà cum Moguntia & Wormatia. Carolomanno vero natu juniori Austrasia superior, & ditiones trans Rhenanæ. Uterqve 7. id. Octobr. hic Svessione, ille Noviomi coronatus est. Pro Noviomo annales à Nevenario editi substituunt Noviomagum, ibiqve Coronam Carolo impositam asserunt præter alios Novitii auctores Joannes Letznerus & Joannes Joachimus Frantzius, qvi posterior recentissime Caroli Magni historiam (b) ex multis scriptoribus concinnatam publicavit. Susceptis regni insignibus Carolus Aqvisgranum profectus, ibi natalem Domini celebravit.

Annus Christi 769.

(c) Carolus Hunoldo Waifarii ducis fratri, qvi extincto Pipino Aqvitaniam occupaverat, bellum infert. Eo devicto reversus in provinciam nostram Coloniam Agrippinam invisit, ex qva urbe, ejusqve agro collectam multitudinem cum uxoribus liberis & omni suppellectile ceu novam coloniam deducit in Aqvitaniam, collocatqve ad ripam Dordoniæ fluminis in novo à se erecto castello cui nomen inditum Frontiacum, seu ut habent annales Nevenariani Franciacum. Ut vel hinc videas, qvantum fidei, & fortitudini Colonienſium tribuerit Carolus, qvibus munire regni Francorum fines adversus toties rebellem Aqvitanum voluit. Confecto decimo qvam inchoatum erat, anno bello Aqvitanico, Carolus in avito solo, villa nimirum Duria ferias Christi natalitias peregit, & Juliam nostram Ubiosqve opimis Aqvitanorum spoliis copiose ditavit.

Annus Christi 770.

Postqvam Leodii Pascha celebrasset Carolus, Wormatiæ conventum habuit, ubi per motus populi precibus sancivit, ne posthac Episcopi & Clerici castra seqvi cogerentur. Moguntiæ celebravit natalem Domini.

Annus Christi 771.

(d) Carolus celebrato paschate in villa Heristallo ad Mosam regni sui comitia agit ad Scaldem flumen in villa Valentiniana, inde audita morte Carolomanni fratris in villam Carboniacum proficiscitur, ubi submittentibus se proceribus fraternæ ditionis habenas suscipit, jamqve totius Francorum Monarchiæ potens dies Christi natalitias Attiniaci peragit.

Annus Christi 772.

Carolus magnus post pascha Heristallii celebratum, secundum Wormatiæ conventum cogit. In eo præter alia decretum est bellum contra Saxones, cujus per 33. annos in posterum gesti causas & brevem summam sic recenset Eginhardus (e) Saxonicum bellum qvod qvasi intermissum videbatur, repetitum est, qvo nullum neqve prolixius neqve atrocius Francorumqve populo laboriosius susceptum est. Qvia Saxones sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes & natura feroces & cul-

A

(a) *Apud Rheginonem mendose irrepsit* 8. *id. Augusti videatur Aimoin c.* 67. *l.* 4. *Annal. Francic.*
(b) *Argentinæ an.* 1644. (c) *Annal. Canisian. Rhegino. Aimoin. c.* 68. (d) *Aimoin. annal. Franci. Rheg.* (e) *In vita Caroli M.*

& cultui dæmonum dediti, noſtræqve religioni contrarii, neqve divina neqve humana jura vel polluere vel transgredi inhoneſtum arbitrabantur.

Suberant & cauſæ, qvæ qvotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet noſtri & illorum pene ubiqve in plano contigui, præter pauca loca, in qvibus vel ſylvæ majores, vel montium juga interjecta utrorumqve agros certo limite diſterminant: in qvibus cædes & rapinæ & incendia vicisſim fieri non ceſſabant: qvibus adeo Franci ſunt irritati, ut jam non vices reddere, ſed apertum contra eos bellum ſuſcipere dignum judicarent. Suſceptum eſt igitur, & magna utrimqve animoſitate, tamen majore Saxonum qvam Francorum damno per 33. annos geſtum. Hæc Eginhardus. Poeta Saxo, qvi vixit ſub Arnulpho imperatore Paterbornæ, & prodiit ſuperiore ſeculo (*f*) è Bibliotheca Wolffenbutteliana, auctus notis Reinerii Reineccii Profeſſoris Helmſtadienſis, indilucido admodum poemate, qvo Caroli M. res geſtas hiſtoricus verius qvam poeta per ſingulos annos eſt proſecutus, qvatuor belli cauſas affert, videlicet Saxonum Idolomaniam & continuas excurſiones in Francorum terras: perfide ab iis ruptam ſæpe pacem, deniqve Francorum votum, ut gens ferox & animoſa penitus concederet in jura ſua, ac ditionem.

(*g*) Moturus in Saxones Carolus religioſorum, ſervorumqve Dei preces expetiit, atqve ingenti ſuo exercitui Epiſcopos, Abbates, multosqve presbyteros immiſcuit, qvorum opera Idololatras Saxones non ſuo magis qvam Chriſti jugo ſubjiceret. Qva via copias in Saxoniam duxerit, antiqvorum nemo attigit, recentiores varie divinant. Nonnulli à Wormatia per Mœnum, ubi ſtat Francofurtum hoc eſt Francorum vadum, perqve Haſſiam iter Caroli relegunt; alii per Weſterwaldiam, Comitatumqve Witgenſteinium; qvid opus tanto circuitu tanto exercitui, cum Bonna, cum Agrippina ponte perpetuo inſtructa, cum Duisburgum ſeu vetus Diſpargum oportuniſſimam facultatem præberent vicinas Saxonum terras adeundi? (*h*) Saxoniam ingreſſus Carolus cuncta ferro & igne depopulatus Eresburgum caſtrum primo impetu cepit, idolumqve qvod Irmenſul à Saxonibus vocabatur, evertit, aurum & argentum, qvod ibi reperit, abſtulit. In cujus deſtructione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut propter continuam cœli ſerenitatem exſiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus aqva qvæ biberetur inveniri nulla poſſet, ſed ne diutius ſiti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut qvadam die cum juxta morem tempore meridiano cuncti qviescerent, prope montem, qvi caſtris erat contiguus, tanta vis aqvarum inconcavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto ſufficeret. Tunc rex idolo deſtructo valido præſidio Eresburgi relicto ad Viſurgim flumen acceſſit. Ibi inſtituto palatio cum Saxonibus pax non diu duratura coaluit, dati è nobilitate 12. obſides, firmamenta fœderis, cum qvibus Carolus victor in Franciam rediit, ac Heriſtalli ad Moſam ſacras naſcenti Chriſto dies peregit. Hæc annales qvibus addo poetam eadem his verſibus canentem: Nec mora cum totis Francorum viribus ipſe Saxoniam aggreſſus ferro vaſtavit & igni. Caſtellum naturali munimine valde forte manu qvoqve firmatum, qvod barbara lingva Nominat Eresburg valido cum robore cepit. Gens eadem coluit ſimulacrum qvod vocitabant Irmenſul, cujus factura, ſimulqve columna non operis parvi fuerat pariterqve decoris. Hoc rex evertens manſit tribus ipſe diebus in caſtris juxta poſitis. Tum continuato æſtatis fervore diu cœloqve ſereno ardebant agri, nec in ipſis fontibus ullus humor erat, multo ſqvallebant pulvere rivi. Jamqve fatigabat graviter regalia caſtra, aucta calore ſitis, ſed vis dedit omnipotentis cui placuit fani ſubverſio juſta profani ut mediante die ſubito per concava ſicci cujusdam torrentis erat qvi proximus illis ſufficiens exercitui prorumperet unda. Bis ſex obſidibus ipſa de gente receptis, Carolus ad patriam rediit cum proſperitate. His hoc anno ab antiqvis auctoribus relatis adjicit Crantzius (*i*) è qvorundam opinione Carolum prima caſtra habuiſſe ad fontes Lupiæ, cumqve Saxones magna manu regi occurriſſent, conſertum eſſe prælium haud procul Osnabrugo ad ſylvam faginam (*k*) victos magna clade Saxones: reſiduos ac maxime nobiles fugiſſe trans Viſurgim, & pulſis qvi ea loca tenebant Slavis, illic conſediſſe, Oſtphalorum ſibi indito nomine, ex eoqve tempore qvi eis Viſurgim remanſerant Weſtphalos nuncupatos. De prælio ad faginum nemus conſentit Crantzio Bernardus Wittius (*l*) Monachus Leisbornenſis; aliam vero ſtationem aſſignat Carolinis caſtris in agro urbis Lippſtadienſis. Referunt alii, Burchardum nobilem Saxonem præcipuum cladis ac fugæ auctorem à popularibus ſuis crudeli ſupplicio affectum. Qvorum omnium fides eſto penes auctores. De nato nunc demum Weſtphalorum & Oſtphalorum nomine, meo qvidem judicio fabuloſum eſt. Jampridem eam Saxonum diſtinctionem in uſu fuiſſe docent SS. Marcellinus & Ludgerus, inſinuat poeta. Et jam alibi refutavimus Crantzium exiſtimantem ſolam Weſtphaliam eſſe antiqvam Saxonum patriam, verius multo eſſe ſtatuimus primum trans Albim natos Saxones, inde occupaſſe terras inter Viſurgim & Albim, deniqve inſudiſſe ſe in Weſtphaliam. Nunc antiqvæ hiſtoriæ illuſtrandæ notationes qvasdam ſeu diſſertatiuncu-las adjiciamus.

Nota-

(*f*) *Anno* 1594. (*g*) *Ægil. in vita Sturmionis I. Abbatis Fuld. apud Brouv. in ſiderib.* (*h*) *Annal. Francor. Aimoin. c.* 69. *Rhegino.* (*i*) *L.* 2. *Saxon. c.* 9. (*k*) Buchholtz. (*l*) *In MS. Chr. Weſtph.*

Notatio I. de WIDEKINDO & Saxonum ducibus in bello Carolino.

Saxones pacis tempore Satraparum imperio ita regebantur ut simul & ipsi regerent. Satrapes fuisse ex Adelingis electos ac paris omnino potentiæ docui in introductione prolog: 22. §. 2. Si bellum ingrueret è Satrapis communi sorte dux legebatur, qvi arma administraret, populum in hostem duceret. Adventante cum tantis Francorum populis Carolo, tres à singulis Saxoniæ populis constituti duces, ab Angariis Bruno, ab Ostphalis Hesso, à Westphalis Widekindus: addunt alii qvartum Saxonum trans albinorum ducem Abbionem seu Albionem. Constabunt horum nomina è seqventibus. Widekindus Westphalorum primum, Saxonum deinde omnium ducatum administravit, qvem illi à Carolo M. confirmatum fuisse, factumqve hæreditarium alibi demonstrabo. Notat Gobelinus (*m*) Widekindum à veteribus nunc ducem nunc regem Saxonum appellari: fuisse priscis germanis suos reges, ac potissimum Francis provinciæ nostræ trans Rhenanæ incolis jam sæpius ostendi. Confirmant regiam Wedekindi dignitatem veteres Saxonum cantilenæ & carmina. Ad hæc sepulchralis lapis qvi in pago Angariá haud procul Hervordia visitur, in qvo ipse exsculptus est in paludamento regio cum sceptro & corona; deniqve antiqvæ Inscriptiones Hameliæ & alibi docent Angariam & Westphaliam nominatas olim regna. Nihilominus cum regum ac ducum eadem propemodum esset conditio, eadem electio, eadem potestas: præterea ducem eum Saxonum manere voluerit Carolus, placuit annalium Francicorum conditoribus, & è nostris Widekindo monacho, Helmoldo & Alberto Stadensi Widekindo ducis titulum attribuere, eundemqve ipse posteris suis reliqvit. Fuisse ante Caroli adventum nobilissimum ac potentissimum Satrapam natione Angarium demonstrant arcium plurium rudera tum Angariæ in pago vicino Hervordiæ, tum Mindæ eo loci ubi nunc stat Ecclesia cathedralis, tum deniqve prope monasterium Rullam haud procul Osnabrugo, qvas posteri fuisse Wedekinditburgos, hoc est, castella Widekindi ex constanti majorum fama tradunt. Illius qvoqve volunt fuisse Iburgum, seu principum Osnabrugensium sedem, seu diœcesis Paderbornensis oppidulum qvod nunc Driburgum appellant. Posteriores Saxonum historici (*n*) absqve ulla tamen vetustioris scriptoris autoritate hanc à progenitoribus Widekindi Genealogiam texunt qvæ seqvitur.

Sighardus Crantio è Bertholdo qvi contra Dagobertum regem Saxones duxit

Edelhardus	Bertholdus	Wernekinus
Albion transalbinorum dux & Hermannus	Theodoricus à Carolomanno Principe captus.	Widekindus magnus & Bruno, uxor 1a. Geva soror seu filia Sigefridi Daniæ regis 2a Svakan seu Svaterna Bohema

Filios & nepotes Witekindi alibi memorabo, ex eo qvidam deducunt Ottones Cæsares, modernos Franciæ reges, principes Electores Saxoniæ, duces Sabaudiæ, aliosqve viros illustres.

Notatio II. de ERESBURGO.

Ubinam steterit Eresburgum, prima Caroli expeditione & sæpius deinde captum, atqve unde profluxerit loci appellatio, diversi diversa sentiunt. Fuisse inprimis inter Rhenum & Visurgim certum erit ei, qvi Caroli itinerum rationem habuerit. Unde longissime aberrant, qvi ex Dithmaro interpretantur Merseburgum in Misnia ad Salam flumen. Ado in chronico collocat ad Visurgim. Nonnulli ad Lupiam.

(*o*) Pideritius ad Emeram fluvium in diœcesi Paterbornensi non procul Lugda oppido, ubi in alto monte vestigia extant destructæ arcis, qvam accolæ Herlingsburgum seu Hermionsburgum vocants contenduntqve fuisse sedem & augustale Arminii Cheruscorum ducis. Ibi etiam stetisse Hermionsulam, hoc est columnam Hermionis Arminii qvondam honori erectam, deinde à Saxonibus cultam numinis loco. Probat tum ex majorum fama, tum è convenientia nominum, nam Herosburgum qvomodo nonnulli veteres scribunt & Hermionsburgum pene eo incidere. De Hermonsula post paulo tractabo. De Hermionsburgo habebit responsionem Pideritius è seqventibus. Sunt alii, qvibus vetus Eresburgum fuisse videatur aut Hertzberga aut Arnsperga, aut Mesenburgum, aut nescio qvod aliud Eresburgum in ditione, qvam in Westphalia tenent Archiepiscopi Colonienses, vera est opinio Gobelini, Engelhusii, Gerardi Cleinsorgii & omnium fere modernorum, statuentium Eresburgum

(*m*) *In Cosmidrom.* (*n*) *Ex iis Hamelman in antiq. Sax. Henninges part. 2. tabul genealog. Peucer.* (*o*) *In Chron. Lipp.*

eo loci, in qvo modo cernitur Stadberga oppidum juris Colonienſis in confinio Haſſiæ & Weſtphaliæ ad ripam amnis Dimelæ.

Ibi altiſſimo in monte, in aditu provinciæ Angariæ celebris illa Saxonum munitio ſtetit, ibi Carolus magnus ut eſt in diplomate (p) Ludovici regis Caroli nepotis primam totius Saxoniæ Eccleſiam DEO conſecravit, qvam doluere boni omnes anno 1646. ab Amelia Eliſabetha Haſſorum principe, cum Stadbergam auxilio Francorum & Svecorum expugnaſſet, una cum oppido in cineres & favillas redactam: nititur aſſertio noſtra inprimis literis ex archivo Corbeienſi depromtis. In qvibus refertur Eresburgi Abbatiolam fuiſſe à Carolo M. fundatam, qvam Ludovicus pius ejus filius donarit monaſterio Corbejenſi, eam ſeu Abbatiolam ſeu præpoſituram hodie dum poſſidet Abbas Corbejenſis habetqve ſuum Stadbergæ vicarium. Deinde extat diploma Leonis pontificis qvo Eccleſiam à ſe Eresburgi conſecratam novo privilegio inſignivit. Addidit eas notas illi Eccleſiæ pontifex, ut alibi *nusqvam* qvam in oppido Stadbergenſi reperire liceat.

Origo nominis Eresburgi à nonnullis apud Gobelinum & Wittium tribuitur Heræ Deæ hoc eſt Junoni, & hos ſecutus Althamarus in commentario ad Germaniam Taciti: credi poteſt, inqvit Meibomius in notis ad Irmenſulam, Heram eandem eſſe cum Herthumo ſeu Hertho veterum Svevorum Deo apud Tacitum, cújus cultum Svevi à Sigeberto rege Francorum in deſertas Saxonum terras translati induxerint, qvam tanqvam præcipuam Dearum omnium, omnisqve felicitatis ac fertilitatis auctorem præcipuo qvodam honore coluerint Saxones accolæ. Teſtantur iidem ſuo ævo ſuperſtitionibus deditam ruſticanam gentem in diœceſi Paterbornenſi (cui Eresburgum adjacet & in ſpiritualibus paret) exiſtimaſſe Dominam Heram, diebus qvi inter Chriſti natalitia & Epiphaniam intercurrunt, ferri in tota vicinia per aerem: ab eadem obveniſſe appellationem duobus pagis ejusdem diœceſios qvorum alter major alter minor Ira dicitur. Hinc qvoqve hujus opinionis autores putant, propriiſſime ſcripſiſſe Rheginonem Heresburgum non Eresburgum, ego qvicqvid ſit de ſuperſtitioſo cultu Dominæ Heræ à Saxonibus impenſo, non id factum opinor Eresburgi. Simulacrum illic non in fœminæ ſed viri formam efformatum atqve adornatum ſtetit, à ſimulacri cultu derivatum nomen in locum. Placet proinde magis altera Gobelini interpretatio, ut à cultu ac veneratione Eresburgum appellatum fuerit, qvaſi caſtrum honoris & venerationis, & Eresburga mons venerationis, voluere nimirum Saxones ut locus provinciæ ſuæ munitiſſimus totus religioni eſſet conſecratus. Illic ſacerdotes ſedem figerent, illiç in communi totius populi ſano peragerentur ritu publico & ſolenni ſacra gentis, illuc ex omnibus locis tenderent, qvotqvot religioſior in numina pietas impelleret. Deniqve bella ſuſcepturi ibi ſolennes hoſtias diis immolarent; è bellis reduces illic captivos ſacrificarent, & monſtrant accolæ vicinum locum huic qvondam lanienæ deſtinatum; qvidam à qvadringentis annis eruditè ut putant, ſed malè, montem Mattis appellant, vel ſive decepti ut exiſtimat Gobelinus à Wedekindo monacho qvi Irmin Martem interpretatus eſt; ſive ſumta occaſione è vulgi ſermone qvi cum turpe apud noſtrates ſonaret, ſiqvi dicerent ſe ire zum Eresberg, ultimam prioris dictionis junxere ſeqventi pronunciaveruntqve zu Mersperg aut ſimpliciter ad montem: Stadbergæ vocabulum incepit ubi celebri Eccleſiæ in monte DEO conſecratæ paulatim civitas accrevit, & præter vicum qvi pedi montis adjacet, aliud ſuperius oppidum ſurrexit qvod ut inſinuavi ſupra, ab Haſſis noſtro tempore inflammatum paulatim incolæ reſtaurant.

Notat. III. de IRMINSULA.

De Irminſula Saxonica luculentum tractatum ann. 1612. edidit Henricus Meibomius Lemgovienſis in Julia Academia apud Helmæſtadienſes poeſeos & Hiſtorices Profeſſor. Ego qvæ de hoc antiqviſſimo Saxoniæ monumento mihi veriora videbuntur, tribus potiſſimum qvæſtionibus attingam, prima erit ubinam ſteterit, altera cujus fuerit honori, ac numini conſecrata, tertia ipſius ſimulacri ac columnæ figuram exhibebit.

De ſede ac domicilio Irmenſulæ dubium movere videntur antiqviores Francorum annales, qvos Caniſius publicæ luci dedit, qvosqve ſecutum ſe profitetur Rhegino. Ii narrant Carolum capto Eresburgo ad Hermanſaul usqve perveniſſe. Qva loqvendi formula viſi ſunt duobus diſtincta locis collocaſſe Eresburgum & Hermanſulam & hinc forte occaſionem accepit Pideritius Columnam illam ſtatuendi in ſuo Hermonsburgo ad Ambram. Fortius pugnat Martinus Kloknerus Paterbornenſis in Manuſcripto ſuo ad Gobelini Cosmodromium ſupplemento, in qvo teſtatur legiſſe ſe in antiqvo codice præpoſituræ Stadbergenſis locum Idoli fuiſſe ſupra Eresburgum, ubi nunc viſitur Bredelaria monaſterium, adhuoc diem vicinum campum dici Matfeld, qvaſi campum martis vel potius lanienæ. In eo coram deaſtro Saxones ſuos luſtraſſe exercitus captivosqve Marti in altaribus litaviſſe: altarium reliqvias non ita pridem effoſſos qvadratos lapides. Hinc motum S. Annonem Colonienſem Archiepiſcopum in Area dæmonum cultu, & feralibus ſacrificiis infami ann. 1170. ſacrorum hominum aſceterium condidiſſe. Verum iſta me non abducunt ab Eresburgo qvod inprimis Annales Caniſiani manifeſte non ſeparant ab Irminſula: & habuerint profani ſacrificuli Eresburgi commorantes invicinia campos ſuper-

(p) *Data an.* 1553.

perstitiosis ritibus dedicatos, habuerint in proximis sylvis plures Irminsulas; à veteribus pene omnibus scriptorihus primarium fanum & idolum Irmensul Eresburgi ponitur.

Et qvid aurea & argentea anathemata ibi magna copia suspensa & à Carolo ablata loco munito excluderentur? Confirmatur ex iis qvæ infra dicam de columna hac non aliunde qvam Eresburgo Huxariam, inde Hildesiam translata. Majorem difficultatem parit altera qvæstio, qvodnam numen videlicet Irmensula repræsentarit, varii varia conjectant, & ex scriptura apud Auctores diversa diversas conantur elicere interpretationes. Meibomius contentus adduxisse discrepantes opiniones, nihil definit. Proferamus primum antiqvorum scripturas. Annales Francorum à comite Nevenario editi, Aimoinus, Dithmarus, poeta Saxo, Schassnaburgensis, Hermannus Urspergensis scripserunt Irminsul, Rhegino Hermansaul, Ædo Adurmensul; Sigebertus Hormensul; auctor incertus vitæ Caroli magni, & annales à Canisio allati Ermensul. Liber manuscriptus de Canonizatione Caroli Magni & Chronicum Belgicum Hermensul; Adam Bremensis Irmindsul, Chronicum Saxonicum vernacula lingua perscriptum & anno 1492. Moguntiæ excusum habet Armensul; qvam enunciationem hodie retinent veteris Saxoniæ incolæ, retinet qvoqve pagus diœcesis Hildesiensis in præfectura Wintzenburgia, ubi qvondam propter Armensulam velitatio fuit. Inprimis nemo inficias ire poterit vocabulum Irmensul ex duabus dictionibus compositum esse; qvarum posterior Sul ut loqvuntur Saxones seu Saul, Seul ut superiores Germani, significat columnam Idolo Irmo seu Irmino sustinendo deservientem, neqve enim assentior vel Aventino, Drossero & Spangenbergio, qvi ex Sul faciunt sal, Saal, hoc est aulam seu basilicam, vel Goropio Becano (*q*) qvi Hal, hoc est conservo, & Sal hoc est Salem obtrudit, subtilius more suo qvam verius. Adamus Bremensis, Urspergensis & Crantzius Irmin contendunt nomen esse appellativum, ac significare idem qvod Iderman, qvasi fuerit columna Universalis, commune profugium & Asylum omnium: cæteri probabilius faciunt ex eo nomen proprium, & qvidem putat Widekindus monachus, Rolevingius & Theodoricus Niemius Irmin denotare Martem. Refutantur à Gobelino (*r*) qvi Irmin interpretatur Hermen seu Hermetem, hoc est Mercurium, Aventinus (*s*) Hermanno seu Hermioni qvinto Germaniæ magnæ regi filio Tuisconis erectam, statuam autumat: Recentiores vero qvam plurimi, inter qvos Reineccius, Petrus Albinus, Matthæus Dresserus & Spangenbergius Arminio seu Hermanno Cheruscorum duci, Qvintilii Vari ac Romanorum victori, Germaniæqve libertatis vindici. Non est mihi verisimile Romanos toties victore cum exercitu has terras pervagatos, capitalissimi hostis, & qvondam in Romanos, adeo crudelis statuam, perpetuum cladis ac infamiæ suæ monumentum toleraturos fuisse. Adhæc reclamat imago & habitus simulacri non virum aliqvem totum militarem, & cataphractum, non calcantem libertatis inimicos, non superbum trophæis, qvo schemate Arminius exprimendus fuisset, sed nescio qvid hieroglyphici, ac naturæ divinioris objicientis. Dum aliæ rationes in contrarium non adducuntur placet seqvi Gobelium ac pronunciare Irmin esse Hermem hoc est Mercurium, ita enim hunc Græcis dici testantur S. Augustinus & Isidorus, constat ex Tacito à Germanis tanqvam præcipuum Deorum cultum Mercurium, qvemadmodum ostendi in introductione prolog. 21. §. 1. qvem Godamma appellavere Longobardi ac præcipuo in honore habuere; Cur non & Saxones Longobardorum in Italiæ profectione socii & commilitones, illi qvoqve Deo se suaqve omnia consecrarint, cujus ope putabant Longobardos nobilissimam Italiæ portionem adeptos?

De figura statuæ columnæ impositæ in diversa etiam abeunt auctores. Rolevingius (*t*) ex nescio qvo auctore, erant, inqvit, in statua Hermansuel qvatuor imagines, scilicet Martis Mercurii, Herculis & Apollinis; magis vulgaris est illa pictura, qvam affert vetus Saxoniæ Chronicon, ut statua retulerit virum toto corpore armatum, gladio accinctum, in cujus galea loco coni stabat gallus: thoraci insculptus ursus (qvem Crantzius ait è pectore inermi prominuisse) clypeo de humeris dependenti Leo, dextera vexillum gestabat, cum insigni rosæ rubeæ, sinistra lancem æqvilibrem; inscripti erant Idolo, cum longe postea in Corbejensi monasterio reperiretur, characteres: Deus ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus, qvemadmodum explicat Crantzius, sed verba Chronici ita sonant: Olim Saxonum dux fui & DEus, adoravit me populus Martis: gens qvæ me veneratur aciei cornua gubernat. Crantzium emblemata statua interpretantem irridet Goropius, ipse non minus ridendus. Sub dio positam fuisse statuam habet Adamus Bremensis, in campo floribus luxuriante Crantzius. Malim stetisse in delubro, qvod Erisburgi fuisse dicitur religione augustum, magnitudine ingens, structura operosum, splendore magnificum, divitiis inclytum, & ubi nisi in delubro anathemata, Coronæ, scuta, vexilla, manubiæ hostium, enses, ubi tantæ opes à vota solventibus accumulatæ nisi ad statuam & in delubro?

Carolus magnus capto Eresburgo delubri demolitioni, statuæqve dejectioni triduum impendit. Comminuto idolo (*u*) ejus fragmenta una cum columna; ut omnem ad Idoloma-

(*q*) *Orig. Antverp. l. 6.* (*r*) *c. 36. 6. stat.* (*s*) *l. 4. annal. Boior.* (*t*) *P. 2. antiq. Sax. c. 3.*
(*u*) *Leznor. ex Chr. Corb.*

niam Saxonibus fomitem tolleret, plaustro ingenti imposita ad Visurgim devehi, eoqve in loco, ubi nunc Corbeia conspicitur, terræ infodi jussit. Reperta sub Ludovico pio cum novæ Corbejæ fundamenta jacerentur, ejus jussu, ut omnis è Saxonum animis Idololatriæ veteris memoria deleretur, Hildesium devecta est, non sine acri sed infelici, Saxonum velitatione, ad pagum, inde Armensulam denominatum, dolentium rem sacram à majoribus suis religiose habitam, à militibus Cæsarianis alio transportari. Hildesii in nova basilica, prius solennibus cæremoniis expiata, ante chorum collocata est, ineunte hoc seculo situ & rubigine squalentem nobilis Canonicus interpolari innovariqve curavit. Inventi sunt in ea versiculi tres aureis literis exarati: Sic fructus vestri vestro sint gloria patri, Ne damnent tenebræ, qvod fecerit actio vitæ; Juncta fides operi sit, lux superaddita luci. Triumphat modo super illam stans virgo mater, & ut qvondam stygii draconis, ita veteris illius sive Mercurii sive Martis sive dominæ Heræ caput conterit. Habet in longitudine columna pedes plus minus undecim, circumferentia proxime basin est duorum cubitorum: basis ipsa constat è rudi lapide sive topho. Ipsa marmorea est, coloris spadicei. Nodi qvibus ambitur sunt ex aurichalco, inaurati duo, medius & superior, sicut & interstitium qvod est inter hunc & coronam; qvæ & ipsa inaurata; nec minus circulus cupreus, ei incumbens, inscriptos habens hos tres versus heroicos jam memoratos. Cultello percussa sonum instar tinnimenti reddit. Æstate cum aer ferventissimus, ipsa perqvam est frigida, sudanti non absimilis. In memoriam dejectionis Irmentulæ qvotannis pridie dominicæ Lætare in campo dominico pueri Idolo insultant, ac duo ligna acuminata in modum pyramidis Jupiter Jupiter! inclamantes, è truncis terræ impactis sæpius sæpiusqve ad societatem lapidibus certatim conjectis, deturbant. Similem ritum eodem tempore Paterbornæ olim observatum, in memoriam dejecti ibi Idoli Jodute observat Klocknerus, Halberstadii & Magdeburgi alii.

Notat. IV. De Sacerdotibus Irmensulæ, & sacrorum ritibus, deqve memorabili historia, hoc anno Eresburgi gesta.

Qvæ (x) Eresburgi sacrorum fuerit religio, qvi ritus, qvæ ceremoniæ silent mediæ ætatis scriptores. Partim ex incolarum qvasi per manus traditis relationibus, partim ex veterum schedarum fragmentis, solum modo constat, sacerdotes utriusqve sexus magno numero templo adfuisse. Ex qvibus fœminæ sortibus divinatoriis, ad oracula excudenda, abdita atqve abstrusa eruenda, susceptorum negotiorum exitus prænoscendos, viri sacrificiis, hostiisqve afferendis, vacabant. Sed iidem rebus politicis maxime immixti, tum alios magistratus, tum in singulis pagis, in qvos tum divisa erat omnis Saxonia, præsides seu Gogravios constituebant. Similiter designabant judices agrarios viros sedecim, qvi statis diebus judicia rusticana sub dio exercentes, rusticorum controversias decidebant. Eorum judicum natu maximus Gravius: minimus Frono, item minister, reliqvi liberi judices indigitabantur. Cujus collegii judicum potestas in 72. familias se extendebat, ibantqve bis qvotannis tam primarius judex qvam minister Eresburgum, atqve ibi duos cereos & nummos novem offerebant, ut numine tutelari placato uterentur, rerumqve suarum successu secundiore gauderent. Iidem sacerdotes, qvoties praliandum erat, statuam sui deastri columnæ detractam in aciem ferre, & à pugna captivos, qviqve ex suis segniter rem gessissent, vinctos verberatosqve pœnis afficere solebant. Cujus rei meminit vetus cantilena, in qva regis cujusdam Saxonici filius propter infelix prælium sacerdoti se mactandum tradi miserabilibus conqveritur modis. Postremo sunt qvi scribant antiqvos Saxones, & cum primis militares homines, certis iisdem solennibus & festivis diebus, armis indutos, aut etiam cataphractos, gladiisqve accinctos, dextera vero cœstus ferreos vibrantes, alternis circa idolum patrium obeqvitare, interdum eqvis descendentes in genua procumbere, cernuos preces suas demurmurare, opemqve hoc modo præsentem & in bello secundam fortunam efflagitare solitos. Memorabilis est, & siqvidem vere accidit, plurimum illustrandis Erisburgensium sacrorum arcanis servit, historia, qvam ex incognito mihi auctore suse deprompsimus, & pulcherrimis Gallicanæ eloqventiæ floribus exornatam, habet Nicolaus Causinus. (y) Fuit, inqvit, in Dania regii sanguinis Clodoaldus magnæ cujusdam provinciæ gubernator. Huic ex uxore pridem extincta tres supererant liberi, Clodoaldus patri cognominis, Hildegardis filia, & minor natu Hyacinthus, Hildegardem septimum ætatis agentem annum, forte in nemore sese oblectantem, prædones rapuere, ductamqve in Saxoniam asseripsere vestalibus idoli Irmensul; nec magis felix Clodoaldus primogenitus à piratis sublatus est, qvi deinde opilioni cuipiam obtigit, cumqve ejus filio Faustino paribus studiis enutritus adolevit. Ut dolori ac orbitati suæ mederetur afflictissimus Clodoaldus pater, in exteras regiones cum minimo natu Hyacintho peregrinationem instituit, lustravitqve diversas provincias, si forte alicubi reperiret amissas proles. Tandem in Saxonia nostra, propinqvorum qvos ibi habebat, opera adjutus, sedem figit haud procul Eresburgo. Accidit qvandoqve

(x) *Ex Letzner. Meibomus c. 4. Irmens.* (y) *In fin. libr. aula sancta, ubi citat Chronica Saxonum & relationes Schaumburgi Evordii Albini.*

qve ut animi sublevandi causa venatione operam daturus deveniret in horridam & vastam sylvam in qva positum erat idolum Irmensul, ex ære fusum, humanis illic hostiis placari solitum. Ad illud à Venatore exagitatus aper confugerat. Svadebant proinde comites Clodoaldo, ne porro pergeret, neve aggrediendo belluam patrias Ceremonias sperneret, violaretqve, at ille æstu qvodam abreptus, apro necem intulit, abscissumqve illi caput magnifice ostentavit. Interim è simulacro horrifica insonat vox, pessima qvæqve minitantis tum ipsi Clodoaldo, tum universæ regioni, ni pro illata injuria sibi satisfiat. Nec vanum oraculum: Ipse Clodoaldus repente oculorum lumine privatur, herbæ & gramina sub ejus & comitum pedibus exaruerunt. Provolvitur lacrymans ac supplex ante Idolum Clodoaldus, & veniam multis flagitat, conceditur demum ea lege, si promittat, sacrificaturum se Irmensulæ, qvicqvid Domum redeunti primum occurrerit. Et ecce revertenti è Sylva patrem exhilaraturus obviam prodit filius Hyacinthus, cujus vocem percipiens cæcus pater, heu! exclamat, filius est, perii. Hyacinthus videns stupensqve excæcatum patrem adhæc alta imo è pectore suspiria trahentem, se infortunii istius causam æstimat, & lacrymantibus qvotqvot aderant, miserabiles edit clamores. Inde ad genua accidit Clodoaldo, rogat, per qvicqvid sacrum esset, significaret sibi qvo remedio vellet possetqve, sanari. Secedit cum comitibus pater, svadent hi satisfaciat violatæ religioni, & promissis; reluctatur paternus animus, defertur ad Hyacinthum totum negotium, Inserit se consultationi, seqve qvam paratissimum offert. Pater præ filii amore vix sui compos, arctissime eum brachiis suis constringit. Exorat tandem patrem Filius, sinat adire se Sacerdotes, tractaturum cum iisdem de sua libertate, Nihil sibi obventurum ejus scitu ac consensu. Svaviter interea se subducens, convenit sacrificulos, inqvirit, supereste ne præter sangvinarium hoc sacrificium promissum, alind medium, qvo Pater posset à cæcitate, regio liberari à sterilitate. Negant illi aliter fieri posse simulqve innocentem puerum constringunt, ac sacrificio destinant. Diffunditur rumor, nobilissimum ac innoxium Puerum Irmensulæ immolandum. Plures è nobilitate ad eum liberandum se parant. Commodum ea tempestate versabantur in Saxonia duo peregrini eqvites multis egregiis facinoribus illustres, alteri Ischyrioni, alteri Faustino nomenerat. Ischyrion, ut infra patebit, ipsissimus erat Clodoaldi primogenitus, qvondam in pueritia ereptus Patri, cui pro Clodoaldo nomen hoc novum obtigerat ab educatore opilione. Incesserat cupido hosce visendi Irmensulam, de qva plurima inaudierant. Sub crepusculum vespertinum ingressi Vestibulum horrendi nemoris, animadvertunt in vicino dumeto movere se qvippiam. Faustinus feram arbitratus sagittam eo vibrat. Qvando adrepit Homo totus luridus & è vulnere sangvinolentus, suiqve ut misereantur rogat, illi vulnus obligant, ex eoqve cognoscunt militem esse, qvi multa olim stipendia meruerit in Thracia, sub duce qvodam Mammuchano; demumin Saxonia captum traditumqve sacrificulis Eresburgensibus, à qvibus cum multis aliis captivis ad aras perductus, ut jam jam Idolo immolaretur, ipse accepto hoc vulnere profugerit. Addebat multa auditu horrida & immania, de crudelitate sacrorum, futurumqve ut die insequente solennissimum sacrificium ex immolatione formosissimi ac regii juvenis cum plurimorum dolore instituatur. Exardescebant ad hæc eqvitum animi ad eximendum profusioni tam nobilem sanguinem, qvibus miser ille, frustra inqvit qvantum libet conatum adhibebitis. Res est plenissima periculi, incertissima Victoria. Ut homines deessent, vigilant ad aras leones, excubant ursi, qvi immolatorum cadaveribus pascuntur. Eqvites dimisso homine, in casam qvandam se conferunt, multaqve collocuti concludunt pro liberando Puero qvidvis experiri! non defuturam sibi nobilitatem, cujus communis causa agatur. Mane vix dum exorto sole procedit è castro ad interiora nemoris feralis pompa. Veneficos & sagas, imo ipsos dæmones procedere dixisses non homines, præibat puerorum agmen, de forme ac incultum. Nigra omnes induti tunicâ, pars faces, pars thuribula, nolas, crotala gestabant manibus, seqvebatur hos popa præferens rotundum vas aqva plenum. Pone in cedebant duo alii popæ humeris suis deferentes parvum altare argenteum, cui in erant craticulæ, per qvas sacer Ignis intus inclusus foras emicabat. Medium tenebat infelix Hyacinthus devota sacrificio victima. Capiti coronam è floribus contextam imposuerant, corpus veste exholoserico vitta & candida amiciverant. Post illum vir toga soluta qvæ sine manicis esset, & tela subtilissima vestitus, strictum ensem, qvo puero erat truncandum caput, ostentabat, tribus ab eo aut qvatuor passibus remota procedebat Hildegardis Vestalium antistita mitram gestans in capite, diffusa per humeros flava cæsarie & pulcherrimo amictu decora. Ea ingentem portabat paropsidem & forfices inauratas, qvibus resecaretur exuberans immolandæ hostiæ capillorum longitudo. Post hanc barbara majestate & truculento aspectu ferox gradiebatur Sacerdotum princeps, freqventi sacrificulorum turba stipatus, cinctusqve securitatis causa numeroso satellitio. Visa eminus hac pompa inardescunt eqvitum duorum animi, advolant citato cursu, fugant plerosqve satellites, dilabentibusqve aliis qvammultis eripuissent puerum, ni agmine facto sacerdotes conglobati ac velut in furias acti super Hyacinthum se projecissent, suorumqve corporum objectu à raptu prohibuissent. Diu multumqve luctatenuit. Tandem eqvites metu ne opprimere-

meretur puer acceptant oblatam à pontifice conditionem, decertaturos se cum bestiis sacri nemoris custodibus. Eos si viceriṅt, spondet hierarcha puerum libertati restituendum. Et erat frequens nationi illi cum hujusmodi bestiis certamen. Ergo in pomeridianum tempus, dilato tantisper sacrificio, condicitur nova pugna, coram ingenti hominum multitudine, quæ ad famam spectaculi confluxerat, spectantibus è loco eminentiore mystis, ex humiliore inter matronas ac virgines Hildegarde, prodeunt egregie instructi in arenam animosi bellatores. Ischyrion potissimum & Hildegardis & omnium in se oculos rapuerat. Primum emittitur ursus, qui in pedes torva fronte consurgens provocat Ischyrionem. Hic agili corporis flexu in belluam velut equum insilit, eamque succutiendo adeo efferat, ut amphiteatri aream furibunda percurrens tandem in angulum velut pudore suffusa se receperit, nec ullis adigi potuerit stimulis, ut se arenæ crederet, ac cursum priorem reiteraret, cum interea Faustinus alium ursum sibi immissum clava trucidasset. Iratus pontifex jubet induci leonem, imperterritus Ischyrion cunctantem telo immisso irritat, accurrentemque venabulo, quod manu gestabat, excipit. At Leo ferrum cute declinans ligneum invadit manubrium, inque mille partes discerpit. Retrocedit uno alterove passu Ischyrion & primum evaginati gladii, quem solis radii illustrabant, fulgore visum bestiæ præstringit, hebetatque, inde evolvens palliolum, quod brachio involutum gerebat, felicissime oculis ejus injicit, atque ita perturbati ventrem gladio transfodit, ruit leo atque in proprio se sanguine volutat. Exoritur ingens spectatorum clamor victori applaudentium. Indignatur vero & magno furore succenditur mystarum princeps, queritur occisas esse Dei nutricias, quarum niti de sanguine effuso sumatur vindicta, tum alia mala tum sterilitatem toto anno provinciæ incubituram. Insanis ejus vocibus effectum tandem, ut tumultuante populo capti fuerint equites tanquam læsæ divinitatis rei, & in tetros conclusi specus, Idolo immolandi. Hildegardis quæ durante spectaculo capta erat admiratione utriusque virtutis, & generositatis, hinc amore, inde commiseratione in animo ejus concertantibus, cœpit tota nocte inquies deliberare secum, quo pacto illos à vinculis & morte eriperet, unaque cum iis aufugeret. Adhibetur in consilium Araspus ejus nutritius è Dania simul abductus & fidissima famulorum, quos utpote Vestalium princeps plures habebat, quibus approbantibus nocte intempesta una comitante puella & famulo carcerem subterraneum, in quo duo equites & puer Hyacinthus arcta custodia detinebantur, ingreditur: offert suam operam & arma, exacto prius juramento, quod se illæsa virginitate reducturi essent in Daniam. Jamque ad imperium virginis vincula captivis demebantur, quando monitus à Geronda nobili puella Hildegardis æmula amasioque Gerondæ Gandulpho accurrit furibundus multisque satellitibus stipatus hierarcha. Obstupuit enim vero & erubuit deprehensa Hildegardis: frustra facinus excusare conantem, quasi inspectura devotas numini hostias carcerem subiisset, acriter increpat pontifex, reisque gravioribus vinculis oneratis ipsam quoque constringit, & separato carceri includi præcipit; rapitur & in vincula Araspus secretorum virginis conscius. Postero die coram accersitis sacerdotibus, magistratibus & judicibus adductam constructis manibus in concilium ream peragit Hildegardem summus Sacerdos, effigisse carcerem, molitam prodere castrum, patrias religiones violasse, & quod nefas Vestali prostituisse pudicitiam. Respondet illa fortiter & generose, captivos esse innocentes, & quale crimen sit, voluisse opem ferre innocentibus? De pudicitia læsa constanter negavit, inque testimonium illibatæ virginitatis ferrum candens (quæ erat apud Saxones Solennis probatio) sine ulla adustione palam manibus contrectavit; pervicit demum pontifex, ut tanquam venefica & sacrorum Deorumque proditrix multorum calculo igni adjudicaretur. Intercedentibus aliis atque amplius deliberandum censentibus alteri concilio judicioque reservata est, atque in ergastulum retrusa. In eo dum hæret anxia spem inter & metum, adest cum exercitu Carolus Francorum Rex atque dilabentibus idoli sacerdotibus, potitur Eresburgo. Convenit tum regem cœcus & infelix Clodoaldus, abeoque vindictam de sanguinariis sacrificulis expetiit. Quod ab iis jam mactatum crederet filium Hyacinthum. Jussus est bono esse animo, atque interim ab Episcopo fidei christianæ elementa didicit, quibus plene instructus una cum suscepta religione oculorum quoque lumen recepit.

Carolus dum lustrat captum Eresburgum & demolitioni Idolomaniæ vacat, audit in subterraneis specubus attineri non vulgaris notæ homines lanienæ destinatos: missis satellitibus jubet omnes adduci, ii facto ad ejus carceris strepitu quasi ad mortem educendi summo omnes horrore perfusi, resumsere animos, ubi conspexere ignotos satellites. Educti è diversis cavernis Hildegardis, Hyacinthus, Ischyrion, Faustinus, Araspus spe simul ac metu pleni sistuntur regi considenti in solio, ac prope jussu regis considenti Clodoaldo. Incredibile dictu, quo hic gaudio, quo affectu exceperit, quem mortuum crediderat filium Hyacinthum: quem post amplexus & oscula Carolo supplex obtulit. At converterat omnium in se oculos Hildegardis avebantque nosse quænam esset hæc virgo, & ob quod delictum vinculis istis mancipata. Illa decentissime gratiosissimeque ad regem accedens, suavi ac eleganti oratione ei vitæ suæ conditionem, parentes, patriam, ante 15. annos raptum è Dania ex-

exposuit, ac pro se nihil sollicita, petiit demisse duebus istis equitibus vitam donari. Non se ultra continens Clodoaldus, mea, inqvit, o rex, hæc est filia, simulqve cum filio Hyacintho ruit in illius amplexus. Mox & ipse Araspus nutritius virginis suum agnoscit qvondam dominum Clodoaldum. Delectatus summopere rex svadet non invitis Hyacintho & Hildegardi, ut Christiana sacra suscipiant. Jussus inde Ischyrion edere nomen, progeniem, cursum vitæ, paucis disserit, parvulum se abreptum à piratis & delatum in Africam, ibi in portu cum piratæ ab incolis accurrentibus coacti essent navem relinqvere, eaqve spoliaretur in prædam cessisse se cuidam opilioni Thoæ, & cum ejus filio Faustino qvem præsentem videret, educatum. Thoam adulto sibi dixisse, cognovisse ex nautis esse viri principis filium, ad hæc discedenti sibi tradidisse parvam dactylothecam qvæ secum in nave fuerit inventa. Hinc cepisse se consilium peragrandi orbem, adeoqve comite Faustino opilionis filio militasse in Africa, Asia & Europa, in Saxoniam tandem delatos, ex causa superius memorata morti addictos; exhibitam sibi dactylothecam, perlustrante rege, simul oculos eo injicit Clodoaldus. Inerat inter cætera Achates gemma variorum colorum. Insculpta illi visebantur duo pila decussatim posita. Ibi exultare Clodoaldus, esse ea familiæ suæ insignia qvid si & ille deperditus suus filius? Inspicitur porro dexter ejus humerus, cui (uti & omnibus ejus familiæ primogenitis in aliqva parte corporis) à natura eadem pila pari situ erant impressa. Tum enim vero impos sui Clodoaldus amplectitur filium amissum, Hyacinthus & Hildegardis fratrem qvondam Clodoaldum, nunc ex impositione opilionis Ischyrionem. Procumbunt omnes in genua coram Carolo, cui Deoqve inprimis Christianorum cujus beneficio è præsenti exitio erepti essent, se qvam devinctissimos profitentur.

Atqve hæc summatim è Causino, qvæ qvi volet uberius apud eum ac longe ornatius scripta inveniet. Sit ne vera historia, an ad inexpectatos animorum motus concitandos efficta comœdia, æqvi lectoris judicium esto. Ego ne qvid rerum Eresburgensium præterirem, attingere saltem debui.

Notat. V. De miraculo erumpentium subito aqvarum.

Dum Francorum exercitus æstate hujus anni siccissima triduo hæret ad Eresburgum, deficientibus aqvis siti pene confectus esset, ni novos subito fontes Deus suppeditasset. Reinerus Reineccius (z) contendit nullum tunc miraculum factum sed fontem illum tumultuarium, qvem descripsi in (a) introductione, non qvidem tum primum erupisse sed singulari Dei gratia innotuisse exercitui. Verum hac ratione inprimis nullum interveniisset miraculum, qvod omnes prisci ferè scriptores constanter agnoscunt. Deinde morabatur Francorum exercitus ad Eresburgum, à qvo minimum 6 aut octo horarum itinere distat fons tumultuarius, interjacentqve multi alii amnes. Tertio Franci eo loci jam uno alterove die hæserant, qvo tempore cum sæpius è fonte illo eruperint aqvæ, mirum ni citius à militibus fuissent observatæ aut demonstratæ ab accolis. Itaqve credibilius est Deum supra Eresburgum confidentibus Francis novas undas aut excitasse aut subministrasse exsiccata Dimela.

Sed jam plus satis nos hic annus detinuit, concludam si verbo indicaro 12. nobilissimos obsides qvos Carolus ad Visurgim à Saxonibus accepit, ab eodem traditos fuisse instituendos (b) S. Burchardo Wircenburgenti Episcopo, in iis fuere Hatumarus (c) & Baduradus prim Paderbornenses episcopi, primitiæ Saxonum, doctrina postmodum ac sanctitate clari.

Annus Christi 773.

Carolus hybernis paschalibusqve feriis Hariſtalli ad Molam peractis proficiscitur in villam Theodonis ubi excipit legatum Hadriani papæ eum contra Desiderium Longobardorum regem in Italiam evocantis. Æstate pene tota legationibus ultro citroqve mittendis insumta. Carolus ubi (d) prius Kal. sept. an. 6. regnante Carolo piissimo rege indict. II. Hariſtallio palatio confirmasset jura ecclesiæ Trevirensis publico diplomate, qvod Svavis ad vicem Ercanbaldi recognovit circa octobrem in Italiam movet, & fusum Desiderium Papiæ obsidet celebrans in castris sacros Christo nascenti dies. (e)

Annus Christi 774.

Carolus relicto ad Ticinum exercitu Romam tendit ibi pascha acturus, feria secunda paschæ Romæ in Basilica S. Petri Apostoli, inter cætera (verba sunt Luitprandi Ticinensis) qvæ ad manum Papæ offerebat, partem aliqvam Saxoniæ in provincia Westphalia, qvam ad fidem Christianitatis convertit, Deo in sacrificium obtulit. Qvibus verbis innuere existimo Luitprandum, id qvod tradunt Osnabrugensium annales (f) vouisse regem in eadem basilica, præsente Adriano Papa, constructurum se in Saxonia in honorem S. Petri Episcopatum. Qvod votum an. 777. Osnabrugi implevit. Roma reverso Carolo deditum est Ticinum una cum Desiderio rege, qvem, subditoqs Francis regno Longobardorum, cum conjuge secum duxit in Franciam, misitqve Leodium ad Agilfridum Episcopum. Ubi in exilio mortuus Aqvisgrani postea & ipse & uxor ac liberi ad pedes Caroli tumulati sunt. (g)

(z) *In not. ad poet.* (a) *Prolog. 26. §. 6.* (b) *In vita S. Burchardi.* (c) *Gobelin. in Cosmod.* (d) *Brouver. l. 7. annal. Tr.* (e) *Rhegin. annal. Francorum auctor vitæ poeta.* (f) *Egbertus N. Osnabr. Ep. in litt. ad Willibert. Colon. ex eo Ertvvin. Erman in Chron. Osnabr.* (g) *Petr. Beck. in Aqvisgr. c. 5.*

At rege Carolo (Rhegino auctor vitæ Caroli Poeta Aimoin) in Italia occupato, Saxones occasionem recuperandæ libertatis non negligendam rati postpositis sacramentis in vicinas Francorum & Christianorum terras irruunt. Collecti (g) Westphali vastatis ad Isalam locis Daventriam occupant, populumqve à SS. Marcellino & Lebuino fidei christianæ mysteriis initiatum ad resumendam Idololatriam vi cogunt, in ea irruptione templum S. Lebuini sepulchro nobilitatum incendio vastatum est, ac solo æqvatum. Sacrum viri corpus ad ludibrium diligenter reqvisitum minime reperiri potuit. Alia Saxonum manus Eresburgo obsidionem admovit. Captum (h) ne Francis libertatis inimicis in posterum serviret, munitionibus suis denudatum est. Majori furore aliæ Saxonum copiæ Hassiam invaserunt. Incolæ (i) Fritzlarienses viciniqve Christiani delato secum è basilica Fritzlariensi corpore S. Wigberti rebusqve pretiosioribus in munimentum Buriaburgense tanqvam asylum confugerunt. Saxones tota regione per incendia, per cædes grassati, fixis castris in ipso Fritzlariensi oppido & basilica S. Wigberti Buriaburgum magnis conatibus adorti sunt, sed magna clade tum in oppugnatione tum ab erumpentibus obsessis affecti, rabiem omnem convertere in basilicam Fritzlariensem, de qva extabat vaticinium S. Bonifacii cum eam consecrasset, nunqvam incendio perituram. Ausi nihilo minus Saxones ædem prophanatam ignibus aggredi. cœlesti portento perterrefacti sunt, ac cohibiti. Vidêre enim noctu & ipsi & obsessi Ecclesiam divina qvadam luce ambiri, & qvendam (k) candido indutum amictu, humana forma augustiorem obambulare culmen, minasqve intentare: ad hæc (l) duos juvenes niveis item vestibus decoros arcere flammas. Hinc panico correpti pavore, relictis impedimentis ac spoliis, qva cuiqve via patuit, per tenebras aufugere, non aliter ac si hostis instaret. Obsessi mane certatim egressi affatim ditati sunt. Repertus est juxta ipsam basilicam extinctus Saxo acclivis supra pedes, ad huc dum ignem & ligna in manibus gerens, flatuqve oris eadem accendere neqvicqvam laborans. Carolus à subacta Longobardia victor reversus Ingelheimium, exercitum in qvatuor partes divisum misit in Hassiam contra populatores. Ipse ad villam Carisiacam in hyberna concessit. Tres Francorum manipuli Saxonum cuneis devictis, iisqve extorta præda in Franciam læti rediere. Qvarto uti hostis ita & materia rei bene gerendæ defuit.

Annus Christi 775.

Res à Carolo rege in Francia & Saxonia gestas sic præ cæteris narrat vetus poeta:

Rex hiemis tempus ducens in Carisiaco,
Illuc Francorum proceres totumqve senatum,
Convocat ac multa tractans de rebus agendis
Et variis qvibus indiguit respublica curis.
Inprimis hoc consilium perhibetur inisse
Ut jugiter bellum Saxonibus ingereretur,
Qvas expertus erat fidei vel fœderis omnis
Immemores nunqvam sub pace qviescere velle;
Hinc statuit reqvies illis ut nulla daretur,
Donec gentili ritu cultuqve relicto,
Christicolæ fierent aut delerentur in ævum.
Hoc inspiratum cordi divinitus ejus.
Utile consilium comitantur strenua facta.
Qvippe duces omnisqve simul delecta juventus
Ad Duriam (A) vicũ properant, nam rege jubente
Illic conventus populi generalis habetur
Atqve de hinc grandi superato flumine Rheno
Saxonum Carolus fines hostiliter intrat.
Ac primo Sigeburg (B) castellum cepit & inde
Eresburg petiit qvam captam diximus urbem:
Sed ne præsidio Francis fore posset, eandem
Indigenæ destruxerunt. Hanc deniqve rursus
Munivit, posuitqve suas illic legiones.
Inde gradu celeri Wisurã properavit ad amnem
Cui juxta montem qvi Brunesberg (C) vocitatur
Obvia magna fuit cupiens obsistere turba
Ne fluvium transiret: & hoc conãmine casso
Fugit enim primo statim certamine pulsa,
Innumerosqve die terrum prostraverat illo.
Inde movens Carolus regiones venit ad illas
Qvas Osterlingi (D) retinent, sediqve locatis
Ad fluvium castris, qvi nunc Ovacra (E) vocatur
Tunc illi qvidam qvi de primoribus ejus
Gentis erat supplex occurrit nomine Hessi (F)
Partis & illius pariter plebs obvia tota
Venerat, obsidibusqve datis, qvos jusserat ipse
Se servare fidem regi per maxima spondent
Juramenta: qvibus cunctis hoc ordine gestis
In pagum rediit, qvem dicunt nomine Bukki (G)
Illic occurrere duces simul Angariorum
Cum populo similiqve modo regalibus omnes
Dum parent jussis juramentisqve fideles
Se fore confirmant, reditum parat Ilico victor.
Interea juxta Wiseram dimissa manebat
Pars exercituum regis. Locus iste vocatur
Hlidbeki (H) qvo castris iidem sedere locatis
Sed male securos res prospera fecerat illos
Qva rex usus erat, cum cunctis hostibus esset
Terrori, jam tunc audente resistere nullo.
Hinc erat in castris cautela remissior illis
Sol summo cœli pronus vergebat ab axe
Et vespertinas jam tendere cœpit ad horas
Tunc ut eqvis qvidam deferrent pabula, longè
De castris prius egressi pariter redierunt.
His se Saxonum qvoddam permiscuit agmen
Fingentum semet socios, animoqve fideles
Tum se qvisqve novo blande sociabat amico
Ad lubitumqve fidem verbis fallacibus auget
Obsequium, cuncti simul in commune laborant.
Pars subvectat onus viridis simul utraqve fœni.
Sic introgressi Francorum castra doloti

De-

(g) *Joan. Cincinnius in vita S. Ludgeri c.* 10. *& apud Brouv. c.* 7. (h) *Poeta an. seq.* (i) *Lupus servatus in vita S. Wigberti c.* 13. 16. 17. (k) *C.* 17. *vit. S. Wigbert.* (l) *Rhegino, auctor vit. Car.*

Depressos somno Francos instanter adorti
Saxones eadem nimiam fecêre feroces.
Donec discusso tandem torpore soporis
Qvidam correptis obstare viriliter armis
Cœperunt, pugnaqve de hinc utcunqve remota
Scilicet ex pacto qvod tunc angustia talis
Dictabat, hostes celeri redíere recursu,
His rex auditis illuc properare sategit
Atqve satis velox fugientum terga secutus
Prostravit multos auctores criminis hujus
Hinc ad Westphalos venit: statimqve receptis
Obsidibus . . . . . cum
magna gloria rediit in Franciam tribus Saxonum populis tribus praliis superatis, ut vult Sigebertus, sed poeta & annales Pithœani duorum solummodo prœliorum meminerunt, alterius ad montem Brunonium, alterius in Lidbechi. Addamus pauca illustrando poetæ.

(A) Ad Duriam vicum, est Marcodurum celebre ducatus Juliacensis oppidum. Annales & Rhegino villam Duriam appellant. Præter conventum procerum Francorum qvem illic hoc anno habitum asserit poeta, Synodum qvoqve ab Episcopis eodem tempore illic celebratum ait Rhegino. Interfuisse illi Ricolphum Colonien sem nescio unde acceperit Gelenius. Qvæ autem in hac aliisqve seqventibus synodis Caroli M. auctoritate congregatis statuta fuerint, promiscue simul in unum librum congessit Ansegisus Abbas Lobiensis, qvo 180. continentur.

(B) Sigiburg castellum. Sigebertus Segeburc. Rhegino Sigiburch castrum appellat. Annales Nevenariani, Sigiburgum arcem, inqviunt, in qva Saxonum præsidium erat, primo statim impetu pugnando cepit. Merlæus & nonnulli apud Hamelman (*n*) interpretantur Sigebergam in ducatu Montensi celebri Abbatia S. Benedicti ad Sigam flumen clarum oppidum. Contradicunt alii pene omnes, & Sigiburgum hic à Carolo M. expugnatum probant fuisse munitissimum qvondam castrum & oppidum situm ad confluentes Ruræ & Lennæ in Marca Westphalicâ, uno fere à Tremonia milliari ad montem, cui nomen est virginum saltus. Egi de illo in introductione prol. 8. §. 3. accolæ constanter affirmant fuisse arcem Widekindi, monstrantqve puteum in qvo idem sit baptizatus. Cui traditioni fidem non habeo qvia Widekindus sedem gentilitiam in Angaria habuit. Sane distinguere oportet arces, qvas Widekindus tanqvam dux totius Saxoniæ militum suorum præsidiis intedit, ab iis qvæ illius fuere ut domini hereditarii. Prioris generis concesserim fuisse Sigisburgum, non posterioris. Qvod vero teste Hermanno Heijo (*o*) chronicon manuscriptum Sigburgense refert in cacumine montis Sigburgo adiiti stetisse Idolum Irmensul, veterem Ecclesiam parochialem extitisse qvondam ejusdem ideoli fanum, qvam fidem mereatur patet ex anno superiore: nisi ad conciliandas auctorum opiniones dicere placet plures Irmensulas variis in locis erectas cultasqve fuisse. Oppidi Sigburgensis rudera etiam num in fastigio montis visuntur. De ecclesia ibi à Leone papa consecrata agam ad annum 799.

(C) Brunsperg Bruniberga mons & arx Brunonis dicta ut volunt à Brunone Widekindi fratre Angariorum in hoc bello duce. Munitio, inqvit, Crantius (*p*) erat omnium firmissima ad Visurgim, intra validam Saxonum præsidium, firmata est obsidio. Ferunt remanere in hodiernum diem illis nomina ex castris regis, qvæ tum erant tripartita, ut alio loco rex cum robore exercitus; alio etiam auxiliares tenderent & tertio loco suis erant in castris, qvi stipendia mererent. Fusius paulo ista deducit Letznerus (*q*) è monumentis Corbejensibus & Conrado Fontano monacho è qvo hæc pauca: tribus exercitibus montem Brunonium, sublimi loco ad Visurgim jacentem inter Harstellum & Corbejam ac probe munitum Carolus presserit. Primus exercitus ibi consedit ubi postmodum Meingoldesheimium pagus est enatus; alter in opposita valle, qvam amœnum locum Franci appellaverunt, qvi corruptus desiit in pagum Amelunxen, tertio in qvo impedimenta copiarum asservabantur statio fuit in Bossenhausen, nunc contracte Bosseten. Uxor Caroli separatim sacellum construxisse perhibetur, in qvo rei divinæ vacaret, à qvo Uxoria nunc Huxaria originem sumserit. Saxones ut regem ab obsidione avocarent magnas contraxerant copias confidebantqve inter saltum Sollingensem & Visurgim. At Carolus traducto clanculum per Visurgim selectissimo & promtissimo qvoqve nil opinantes Saxones invasit, cecidit & usqve in Sollingense nemus est persecutus, ubi vel hodie extant monumenta victoriæ Francorum & Saxonum cladis, campus victoriæ, Windeberga Streitecka. Durant veteris ecclesiæ rudera & ultimo in loco paucis ante annis varii generis arma effossa sunt. Cæsis Saxonibus, mons Brunonis 8. Julii die S. Kyliano sacra se dedidit. Carolus militibus qvi strenue rem gesserant, laborum præmia nobilitatis insignia, vicinorumqve locorum dominia concessit. Unde illa nobilitatis arciumqve frequentia in ditione Paterbornensi ac Corbejensi. Tuno Malsburgici, Spigelii, Desenbergici, aliiqve magno numero se ortos ferant, Pie galios ex Ubiis translatos alibi scripsi.

(D) Osterlingi aliter Ostphali dicti, qvos nunc ad Ovacram (E) seu Okeram flumen cæsos à Carolo in pago Bussida, deletis 5500. narrat Letznerus silent alii.

(F) Hessi

(*n*) *In anti. Westph.* (*o*) *In Præfat. circ. Westph.* (*p*) *L. 2. Sax. 6, 10.* (*q*) *In Chr. Corbeien. & vit. Caroli M.*

(F) Hessi Ostphalorum dux vocatur aliter Hesso, Hasso, à Crancio Hassinus, à Rheginone Hassino.

(G) BUKKI apud Rheginonem scribitur Bucki in annalibus Nevenarianis Buchi, qvidam Bödeken in diœcesi Paderbornensi explicant. Certius pagus Bucki fuit trans Visurgim in comitatu Schaumburgio, ubi arx Buckenburgum servat vestigium nominis. Illic primores Angariorum, qvos ducum nomine intelligit poeta. Una cum Brunone gentis totius duce, qvem addit Rhegino, stitere se supplices regi, suntqve recepti in gratiam.

(H) HLIDBECKI. Annales Canisiani vocant Lidbach, Nevenariani Hudbeci, auctor vitæ Caroli Lidca. Cleinsorgius explicat Lubekenam oppidulum diœcesios Mindensis cis Visurgim.

Hæc de Carolo hoc anno, qvi deinde exeunte Decembri Italicam expeditionem parat contra Rotgaudum Fori Julii ducem, restituere conantem Longobardiæ regnum filio Desiderii Adelgiso, natalem domini rex (r) Sletstadii in Alsatia celebrat. Hoc item anno Albricus succedit in Episcopatu Trajectensi S. Gregorio 12. Kal. Januarii anno priore mortuo. Ab Albrico S. Ludgerus ejus sub Gregorio, condiscipulus, illustri in Frisia loco natus, & recenter reversus ex Anglia, ubi Eboraci Alcuino Flacco, tres annos & dimidium operam dederat; mittitur Daventriam ut irruptione Westphalorum collapsam Christianitatem rursus erigat. Qvod & prospero successu perfecit, tum adhuc diaconus, præludens Episcopatui & Apostolatui Westphalico, qvemadmodum narrant ejus vitæ scriptores. (s)

Annus Christi 776.

Carolo occupato in Italia contra Rotgaudum ducem Saxones ineunte anno juramenti omnis immemores iterum erigunt cristas, ac majore furunt audácia. Primus eorum impetus in Eresburgum incubuit, qvo tanqvam freno sub jugo continebantur. Ceperintne castrum, an re infecta obsidionem solverint variant auctores. Divinitus defensum castrum affirmat Rhegino, Swiberto, cæteri, & ex iis chronicon Saxoniæ, novissimeqve Frantzius (t) pene omnes narrant deditum Saxonibus, prodigiumqve qvod Rhegino Eresburgo incolumitatem peperisse refert, illi Sigisburgo tribuunt; qvibus ego qvoqve accedo. Ergo post qvam obsidentes vim omnem Eresburgo expugnando neqvicqvam intentassent, ad fraudes & dolos conversi, persvasere demum Francis ut excederent, qvibus egressis injectæ sunt faces munitioni, subrutaqve mœnia & propugnacula. Hoc successu elati Saxones pari conatu aggressi sunt Sigisburgum, pro qvo apud Rheginonem per errorem irrepsit Deu suburgum, nisi forte Rhegino intellexerit Duisburgum cujus tamen obsessi nullus aliorum scriptorum meminit. Obsessi cum fraudibus Saxonum cognitis induci nullo modo possent, ut certis conditionibus loco cederent, instituta est acris oppugnatio, promotisqve machinis, qvos petrarias & clitas appellabant, omnis conatus adhibitus, ut vi armata in oppidum penetraretur. Jamqve sæpius repulsi decretoriam irruptionem exercitui indixerant, cum sensere de cœlo contra se pugnari: Nam omnibus tum obsessis tum obsidentibus aspectantibus visus est incumbere Ecclesiæ, qvæ sita erat infra castum, strictus ac minax gladius, ad hæc duo scuta in aere apparuerunt rubro colore flammantia, seseqve supra eandem Ecclesiam agitantia. Hinc tantus incussus terror Saxonibus, ut primum celerrime se reciperent ad castra, inde orta confusione & tumultu strictis ipsi se gladiis peterent, fugientesqve qvotqvot respicerent ab insequentibus lanceis confoderentur. Id se audivisse ab iis qvi viderant, testatur anonymus vitæ Caroli auctor. Qvin ea occasione obsessi animati erupêre è castro, ac palantes dispersosqve ad Lupiam usqve non exigua edita clade sunt insecuti.

Carolus victo occisoqve Rotgaudo duce post pascha Tarvisii in Italia celebratum ut nunciatam sibi Saxonum rebellionem qvam primum ulciscceretur, magnis itineribus in Germaniam properavit, statimqve conventu Wormatiæ celebrato ac ordinatis more recepto sacris & civilibus negotiis, cum ingentibus copiis tanta celeritate pervenit in Saxoniam, ut omnes hostium conatus, qvibus ei resistere & aditum præcludere moliebantur, anteverteret. Fulmen irruisse in provinciam crederes, qvo continuo protrita omnia, adeoqve perculsi rebelles, ut regem ad fontes Lupiæ castra metatum, sordida veste, capillo barbaqve promissis & omni supplicantium habitu ad misericordiam commovendam conqvisito, deformes adirent, delictorumqve veniam supplices peterent. Recepti in gratiam jurisjurandi religione rursum se obstringuut; plurimi qvo obsequendi promtitudine Carolo se insinuarent, cœlesti lavacro tincti, cœtui Christianorum adsociantur. Rex deinde Eresburgum restaurat, præsidioqve valido munit. Aliud etiam castellum ad Lupiam, eo loci qvo Saxonum multitudo sancto ablutionis sacramento initiata fuerat, seu novum à fundamentis erigit; seu ut insinuat Rhegino in prisci castelli ruderibus excitat. Wittius & Cleinsorgius nomen ei fuisse volunt Burch Vechterer, hoc est castrum bellatorum, incubuisseqve flumini Glenuæ haud procul Lippstadio. Verum longius illud abest à Lupiæ fontibus, prope qvos scribunt veteres, regem castra habuisse. Qvo circa malim cum Gobelino & panegyrista Paderbornensi Neuhausium arcem

(r) *Rhegin.* (s) *Cincinnius c.* 10. *auctor coævus apud Brouver in sid. c.* 7. (t) *Annal. Pithe Nevvenar. Aimoin. Ado auctor vitæ Caroli.*

arcem & sedem principum Paderbornensium, olim Alisonem nuncupatum apud Tacitum, hoc tempore à Carolo reædificatum, atqve illic Francos in statione collocatos ad trium fluminum confluentes, ubi facilis esset à Westphalis ad Angarios, ab Angariis ad Westphalos commeatio, nulloqve negotio, uterqve populus in officio contineri posset. Qvod & sub Augusto movit Tiberium, ut munitionibus locum instrueret, figeretqve ibi Romana castra ad coercendas omnes Rhenum inter & Visurgim sitas nationes. Carolus dispositis ad tutelam Castellorum præsidiis cum obsidibus imperatis in villam Haristallium ad Mosam hiematum concessit.

Eodem anno Albricus (*u*) novus Ultrajectensium Episcopus, adducto secum Ludgero, Coloniam venit, ubi ipse consecratus à Metropolitano Agrippinensi Episcopo, Ludgerus vero sacerdotio initiatus est. Uterqve suæ sanctitatis radiis velut duo lucidissima sidera Coloniam illustrarunt. Reversus in Frisiam Ludgerus ab eodem Albrico constituitur pastor & doctor Doccumii. Vico S. Bonifacii martyrio celebri, ut ibi qva sacra facundia, sanctisqve moribus, qva parentum & cognatorum, hominum nobilium, auctoritate & potentia suffultus incrementum ac stabilimentum adjiceret rei Christianæ. Septem ipsos annos eo in munere vir apostolicus posuit. Totius anni decursu continuis Ecclesiasta Evangelii functus laboribus subautumnum redibat Trajectum, ac tribus mensibus monasterio illi præerat.

Annus Christi 777.

§. 1. Aqvisgranum à Carolo M. excultum.

Memorat utiqve ex Aqvisgranensium Chronicis & traditionibus Beckius (*x*) Carolum magnum dum hiemem transigeret hoc anno Haristallis, venationibusqve pro more se oblectaret, forte devenisse in eum locum, in qvo nunc visitur Aqvisgranum, regem perspecta accuratius amœnitate opportunitateqve situs & thermarum, qvibus mirifice capiebatur commoditate allectum, fontes illos calidos terra aggesta opertos, permixtos, neglectoqve, veteris qvoqve palatii à Grano structi rudera frutetis abdita à situ & sqvalore vindicanda excolendaqve sumsisse. Crevisse usqve adeo in locum amorem & propensionem, ut istic decreverit domicilium perpetuum statuere, ac regiam figere. Delectabatur, inqvit Eginhardus, vaporibus aqvarum naturaliter calentium freqventi natatu corpus exercens: cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei juste potuerit præferri: ob hoc etiam Aqvisgrani regiam exstruxit, ibiqve extremis vitæ annis usqve ad obitum continuo habitavit: & non solum filios ad balneum, verum etiam optimates & amicos aliqvando etiam Satellitum & custodum turbam invitavit, ita ut non nunqvam centum vel eo amplius homines una lavarentur. Qvomodo autem Carolus thermas repererit, sic ipse refert in diplomate (*y*) alibi citando, & judicando: Notis qvaliter ad locum, qvi Aqvis, ab aqvarum calidarum aptatione traxit vocabulum, solito more venandi causa ingressus sed perplexione sylvarum, errore qvoqve viarum à sociis seqvestratus veni, thermas calidorum fontium, & palatia inibi reperi, qvæ qvondam Granus unus de Romanis principibus, frater Neronis & Agrippæ à principio construxerat. Qvæ longa vetustate deserta ac demolita, frutetis qvoqve ac vepribus occupata nunc renovavi, pede eqvi nostri in qvo sedi, inter saltus rivis aqvarum calidarum perceptis & repertis. Hæc de se Carolus, qvæ hoc anno contigisse vix adducor ut credam, ob ea qvæ notavi ad annum 765. qvo Pipino ejus patri Aqvisgranum tanqvam regiam villam hiberna præbuisse vidimus, atqve adeo ipsum Pipinum balneis Aqvis granensibus usum. Jam tum igitur reperta erant forte à Carolo juvene, jamqve inceperant esse in pretio & excoli. Qvin & avo ejus proavoqve Pipino Heristallio non procul Aqvis grano ad Mosam commorantibus, ac sæpius à Mosa Coloniam Agrippinam proficiscentibus, qvis credat ignotas fuisse & neglectas has adeo raras ac nobiles undas in venationibus, in itineribus toties occurrentes? certe tanto tempore illæ latere non poterant, nec si innotuerunt, negligi à viris principibus hujusmodi deliciarum curiosis. Illud proinde solummodo concesserim Beckio & Aqvisgranensibus, Carolum hoc anno diligentius speculatum oportunitates deliciasqve fontium, aggressum ibi novis operibus eos exornare, futuræqve regiæ fundamenta jacere, cujus & basilicæ prope ædificatæ consummationem privilegiaqve rursum spectabimus anno 799.

§. 2. Concilia & Comitia Paderbornensia.

Prima (*z*) veris aspirante temperie Carolus ex hibernis Heristallensibus Noviomagum ad Wahalem fluvium contendit. Ibi in palatio publico peragens paschalis festi solennitatem, ac in Junium (*a*) usqve moras trahens, missis nunciis ac literis Paderbornam omnem Saxonum gentem convenire jussit. Ipse interim vacasse videtur novo egregii operis palatio qvod in urbe Noviomagensi inchoasse testis est Eginhardus. Annales Canisiani ajunt Paderbornæ habitam Synodum: Rhegino placitum, annales Nevenariani generalem populi conventum: Poeta concilium his versibus: Tanto concilio locus est electus agendo qvem Pathalbrunnon vocitant, qvo non habet ipsa

(*u*) *Cincin. in vita Ludger. c. 12. Brouver. c. 9.* (*x*) *C. 1. Aqvisgr.* (*y*) *Ann. 799.* (*z*) *Annal. Nevenar.* (*a*) *Ut ex diplomatis ibi datis ostend. mircens.*

gens alium naturali plus nobilitate insignem, qvi præclaris redimitus abundat fontibus, & nitidis & pulchris & trahit inde barbaricæ nomen linguæ sermonevetustum. Tunc ibi villa fuit tantum. Fuit ut ex seqventibus colligitur, conventus ille & sacer & profanus, rebus Saxoniæ utroqve in foro constituendis destinatus. Confluxit totius gentis senatus ac populus, hoc est, cuncti Saxonum satrapæ, præcipue arcium ac vicorum pagorumqve præfecti. Solus abfuit Widekindus, unus ut loqvuntur annales Francorum è primoribus Westphalorum, qvi multorum sibi facinorum conscius & ob id regem veritus ad Sigifridum Danorum regem profugerat, ejusqve opem implorabat, ibi videlicet jaciens fundamenta belli, qvod postea à Danis Normannisqve susceptum surgenti Francorum imperio pene exitium attulit. Carolus instituto ad Saxonum frequentem concionem sermone de præsenti rerum statu, & sua in illas regiones cura qvædam præfatus, id sibi maxime cordi esse ajebat, ut qvi uno imperio, & cœlo protegerentur, unum etiam cœli dominum agnoscerent, nec agnoscerent tantum, sed & eandem illi fidem animo, easdem ore laudes offerrent. Cognovisse eos hactenus, qvid Christianorum Deus posset. Hunc ante suos in acie stare, & omnes hostium conatus & machinas eludere: proinde coram sanctissimo numine genua flectant recipiantqve signum qvo in terris nullum illustrius Christi cultores, à reliqva impiorum turba secernit: Saxonibus etsi diversa sentiebant, non est visum è re sua intempestiva pertinacia victoris iram accendere: qvamobrem nihil optatius sibi evenire respondent, ac rursus ne dilatio simulationem proderet, largissimis verbis obedientiam promittunt, simulqve ingens eorum multitudo sacra baptismatis aqva abluitur. Decernitur qvoqve à Synodo & à Saxonibus acceptatur, ut si susceptam Christianitatem deserant, resiliantqve à fide regis ejusqve filiorum & à Francorum imperio, perderent ingenuitatem, patriam & libertatem, omnisqve hæreditatis essent incapaces. Qvo vero in suscepta religione magis confirmarentur ac solidioribus majoribusqve indies incrementis procederet in Saxonia res Christiana decretus est à patribus Episcopatus, qvem ut paulo post scripturus sum, mox Osnabrugi Carolus erexit dotavitqve: ad hæc dati Neophytis doctores, ac vitæ magistri, inter alios Sturmio (b) primus Abbas Fuldensis nobilibus in Norica seu apud Bojos (c) parentibus exortus, is in attributa sibi maxima parte Saxoniæ, suscepto cum suis oratoris Evangelici officio, curam inqvit vitæ auctor, modis omnibus impendit, qvaliter non parvum Domino populum acqvireret. Temporibus instabat opportunis, sacris eos sermonibus docens ut idola & simulacra derelinqve-

rent, Christi fidem susciperent, Deorum suorum templa destruerent, lucos succiderent, sanctas qvoqve basilicas ædificarent. Refert ibidem pluribus idem auctor, qvomodo prædicando & baptizando cum suis presbyteris obierit provinciam, & per regiones qvasqve singulas construxerit Ecclesias. Verum hæc omnia tam præclare cœpta anni seqventis rebellio corrupit. Redeo ad Carolum cum adhuc dum Paterbornæ agentem ex Hispania convenere tres Sarracenorum principes, qvas inter eminebat Ibnalarabas Cæsar augustæ præfectus ejusqve gener Alarvir. Ii orta inter Sarracenos Hispaniam insidentes discordia, à suis profligati tanqvam nomini Christiano plus justo addicti, cum magnifice admodum excepti essent, Caroli animum in Sarracenos accendere. Hic proinde solutis comitiis Paderbornensibus in Franciam regreditur animo bellum in Hispaniam, ejusqve dominos Sarracenos complexus, Christi natalitia peracta in villa Duciaco.

§. 3. Primus in Saxonia Episcopatus erigitur Osnabrugi.

Priusqvam è Saxonia Carolus excederet, fama est (d) Widekindi in Dania exulantis atqve in comitiis Paderbornensibus proscriptibus arces, qvarum altera visebatur Angaria altera haud procul Osnabrugo, occupasse, validoqve Francorum muniviſſe præsidio. Qvo facto sine ulteriore dilatione, qvam Rom. ann. 774. voverat, Synodus Paderbornensis decreverat, primam (e) in Saxonia sedem Episcopalem sub metropoli Colonicnsi erexit Osnabrugi. Impositus illi primus antistes Wiho gente & origine Frisius, Trajecti à S. Willibrordo ad omnem pietatem & sanctimoniam formatus, Sustridus (f) Petri qvi Vithonem nominat, natum esse in aula Dei, asserit; Turmerus Leovardiæ. Basilicam sacris ritibus Leodiensis Episcopus Deo consecravit atqve inauguravit in honorem S. Petri apostolorum principis, sanctorumqve martyrum Crispini & Crispiniani. Novo episcopo ejusqve clero assignatæ decimæ à neophytis Saxonibus pendendæ, nec dubium qvin qvædam è fisco addictis possessionibus exulis Widekindi, auxit dotem Carolus anno 804. cum in eadem ecclesia Osnabrugensi fundasset latinarum & græcarum literarum gymnasium, imposuissetqve onus & honorem Antistiti Osnabrugensi suscipiendi legationem in Orientem ad Græcorum imperatorem. Cæterum Ertwinus Ertman consul olim & historicus Osnabrugensis (g) primordia fundati Episcopatus Osnabrugensis citius longe collocat, anno videlicet 772. eamqve opinionem præferunt Calendaria Osnabrugi publice impressa. Eo anno inqvit Ertman, Carolus Osnabrugi pascha celebravit, & Wihonem

cura-

(b) *Ægid. in vita B. Sturmionis apud Brouw. Antiq. Fuldens. & siderib.* (c) *Brunner. p. 1. annal. Bojor. l. 5.* (d) *è veter. Chron. Lezner.* (e) *Carol. in diplom. an. 804.* (f) *Decad. 5. script. Frisior.* (g) *In MS. Chr. Osnabr.*

curavit ibidem ab Agilfrido Leodiensi consecranduin. Sed fallitur patrius ille scriptor an. 772. non Osnabrugi sed Haristallis ad Mosam solennitatem paschalem egit Carolus, neqve eo tempore bellum Saxonicum adhuc fuerat auspicatus. Et vidimus supra anno 774. Romæ voviſſe regem se in honorem S. Petri episcopatum in Saxonia erecturum, nondum igitur erexerat, anno vero 775. Saxoniam qvidem victor Carolus percursavit, sed ut totam Christo adjungeret, obtinere non potuit. Id perfectum hoc anno solenni ritu in synodo Paderbornensi, in qva ejurata Idololatria omnis Saxonum natio vero & uni Deo sacramentum dixit, inqve parochias Episcopales distribui cœpta regio, qvemádmodum colligitur ex vita B. Sturmionis, cui ut supra dixi, certa qvoqve Saxoniæ portio vera fide imbuenda fuit assignata. Hinc nec assentior Crancio (*h*) differenti exordium primi hujus Episcopatus in annum 780. Mecum de hoc anno consentiunt, Cleinsorgius, Letznerus, Furmerius imo alibi ipse Crancius. (*i*)

§. 4. Miraculum qvod contigit Werdæ ad Rhenum.

Eodem (*k*) anno tres nobili juvenes apud Boructuarios loco orti indignum genere suo facinus patravere. Noctu ingressi Ecclesiam S. Swiberti in vico Werda sacrilege invasere capsulam sancti Episcopi auro gemmisqve decoram. Ea qvatuor insistebat pedibus ex ære fusis, pedes Leoninos exprimentibus. Arca velut sensisset attactum impiorum hominum primum divina virtute se in sublime sustulit, & qva licuit, ungulas in sacrilegos exeruit. Illis minime tanto prodigio territis unus saltu se in eam injecit, viqve abstulit duas laminas, in qvibus exsculpti erant apostoli. Eam prædam adepti simul iniere fugam, sed cum se extra vicum Werdam esse arbitrarentur, semel iterumqve deprehenderunt, se in atrio basilicæ. Per triduum inde cum sine cibo & potu errassent, detulere metallum ad argentarium. Is laminas fecerat, ideoqve sacrilegium prodidit, accurrentibus populis capti supplicio capitali nefas luissent, ni in gratiam parentum Caroli regi strenue militantium pœna in exilium proscriptionemqve commutata fuisset.

Annus Christi 778.

§. 1. Caroli bellum in Hispania.

Carolus (*l*) expeditione in Hispaniam facta, fusis Sarracenis, multis urbibus expugnatis, dum per pyrenæos montes in Galliam regreditur, Vascones ex insidiis extrema victoris exercitus adorti, cæde aliqvot principum facta, impedimentisqve direptis Francorum se ab armis inviis saltibus latebrisqve tutati sunt. Occubuit cæteros inter Rolandus vir fortissimus, ingens poetarum ac historicorum argumentum, cui à Carolo passim statuæ positæ: visitur earum una superstes.

§. 2. Saxonum rebellio & grassationes.

(*m*) Saxones ex absentia Caroli occasionem arripientes tanqvam malis suis animosiores redditi, omnes simul ac potissimum Westphali arma resumunt. Concitatos à Widekindo ex Dania reduce, multorum est opinio, nec probabilitate caret. Illud certum sive præsentis sive absentis Widekindi impulsu coiisse rebelles. Primum ferro & igne vastati Boructuarii Francorum socii imo progenitores: vicis, villis, oppidis injectæ flammæ, & ad Rhenum usqve sacra profanaqve pessundata. Nullum ætatis aut sexus discrimen ira hostis fecerat; ut liqvido appareret, eos non prædandi sed ultionis exercendæ gratia Francorum terminos introiisse: incensæ Dei ecclesiæ, in sanctimoniales exercita qvæ dictu nefas. Hassia Wederavia & omnis Rheno vicina regio à Duisburgo ad Mosellam usqve infestis populationibus patuit. Duitium perveniſſe armatos tradunt annales Francorum pro qvo male apud Rheginonem legitur Duria. Cum vero istic ab Agrippinensibus prohiberentur à transitu, solum omne qvod à Duitio ad Confluentes in diversa ripa porrigitur, cum immani furore pervagati sunt. Hanc eorum ferociam & qvid tunc Werdæ patraverint, secutamqve Dei vindictam hoc ferè sensu describit S. Ludgerus (*n*) Ferocissimi ac perfidi Saxones ac Westphali conglomerati in invicem præceptis satraparum ipsorum venerant cum validissimis & strenuissimis agminibus depopulantes longe lateqve ferro & igni cuncta qvæ Christianorum erant. Veneruntqve usqve ad littora Rheni & in tantum sæviit ira & crudelitas ipsorum, ut nulla tenus parcerent nec ecclesiis nec ulli sexui ac ætati, qvin omnia demolirentur usqve ad internecionem. Qva clade sæviente, oppidum Werda solo tenus destruitur Ecclesia cum conventu S. Swiberti crematur. Sacerdotes aut trucidati aut fugati: incolæ utriusqve sexus fere occisi, libri sacri exusti, vicus fere in solitudinem redactus. Inqvisitum studiose in sacrum corpus S. Swiberti, qvem tanqvam capitalem suum hostem oderant, ut qvi Christianos protegeret, Francis contra se largiretur victorias. Illud vero sagaciter subtus terra depositum & depressum minime reperiri potuit. In ea oppidi Werdensis vastatione præ aliis eximiè impium se ac ferocem ostenderat Ogelus Osterbachius Paderbornensis vir domi nobilis. Is ignem primus fastigio Ecclesiæ Swibertinæ injecerat; divina virtute repulsum sæpius

(*h*) *L. 1. metr. c. 2.* (*i*) *In Saxon. l. 2. c. 11.* (*k*) *S. Ludger. in Canon. S. Suvib. c. 11.* (*l*) *Annal. Francor. Eginh. poeta.* (*m*) *Annal. Franc, Brema Rhegi, autor vitæ Car.* (*n*) *C. 4. 5. 6. 7. Canon. S. Suvib.*

pius & extinctum, sæpius & eousqve ad moverat donec conceptis flammis sacra ædes incendio periret. Qvam rem tanqvam præclare gestam cum sociis in vicino prato prandentibus & ob tanta spolia genio indulgentibus jactabundus & cachinnans enarrat, & impia in Christianorum Deum verba profundit, miser retrorsum in terram corruens coram omnibus fracto collo horribiliter expiravit, multis salutari qvodam horrore percussis, cadaveri postqvam tribus ferme horis coopertum jacuisset, moventibus se castris frustra consanguinei & commilitones iterum iterumqve in loco consecrato tumulum paraverant, refluente semper terra in paratam foveam, inspectum deinde adeo horribili ac miserabili vultu apparuit, ut omnes horrore perculsi abscederent. Ab aliis deniqve satellitibus, in Rhenum est projectum. Hæc cum naturalibus causis & casui asscriberent Nothelinus & Occo Satrapæ, adderentqve neqvaqvam tribuenda virtuti S. Swiberti, ut qvi suum ipse oppidum suamqve ecclesiam tueri neqviviſſet, ultricem *mox* & ipsi sensere Dei manum. Nothelino ademta oculorum acies, & incredibilis singulis pene illius membris impressus dolor, qvo malo conflictatus tandem ad se rediit, ac votum emisit, visitaturum se sepulchrum S. Swiberti, ecclesiæqve restaurandæ pro suis facultatibus opem collaturum, modo visum & sanitatem, reciperet. Recepit extemplo ac pie largiterqve promissioni Deo factæ satisfecit. Haud adeo promtum è cœlo auxilium adfuit alteri satrapæ Occoni, qvem sacrilegis ditatum spoliis, & superbo eqvo provectum ob impias in S. Swibertum Christianamqve religionem jactatas voces Deus audiendi & loqvendi facultate privaverat. Domum idcirco reversus diu in luctu & sqvalore hæsit. Tandem divinitus illustrata mente, culpam agnoscens, speravit crebris precibus ac eleemosynis recuperaturum se integram sanitatem. Id vero non nisi simili emisso voto assecutus est. In qvo adimplendo religiosiorem etiam se qvam Nothelinus præbuit, qvando Werdam veniens spreta domo ac satrapiæ dignitate, addixit se perpetuo S. Swiberti servitio, in qvo Werdæ deinceps consenuit Ecclesiamqve adjutus à Nothelino aliisqve anno seqventi eleganter restauravit. Nunc revertamur ad populatores Saxones, ii à Confluentibus digressi Loganæ tractum, ipsam qvin imo Buchoniam petiêre, jamqve dilapsis cum corpore S. Bonifacii Hameleburgum monachis in Wederavia subsistentes Fuldensi monasterio infesti imminebant, occurrebatqve adventantibus Sturmio Abbas, ut leniret, & ab incœpto dehortaretur, qvando advenere copiæ ex orientali Francia & Allemannia.

§. 3. Saxones à Francis orientalibus & Allemannis repressi.

Carolus (o) ex Hispania redux cum Antisiodorum venisset certior factus est, de rebellione & irruptione Saxonum, festinatis nunciis jussit qvantocijus Francos orientales & Allemannos tendere contra furentem hostem. Ipse remissis ad suas copiis qvas ex Hispania laceras reduxerat, Haræstalium profectus est, ibi acturus Christi dies natalitias & hiberna.

Saxones audito hostilium copiarum adventu à Loganæ tractu per Hassiam festinabant iter in Saxoniam. Præventi ab insistentibus fugientium vestigiis Francis in ipso fluminis Adernæ vado (nunc appellant Ederam) pene ad internecionem deleti sunt. Pauci ex ingenti numero amissis omnibus impedimentis & spoliis domum fuga se receperunt. Locum tantæ cladis annales Canisiani & Rhegino nominant Lithesi: poeta Battensfeldum. Forte inqvit Reineccius fuit Battenberg seu Battenfeld in Hassia.

Annus Christi 779.

§. 1. Caroli magni hiberna.

Carolus hybernos menses in Majum usqve transigens Haristalli capitularia seu constitutiones varias mense Majo edit, qvas à se notis illustratas Moguntiæ anno 1602. publicavit Vitus Amersbachius. Ibidem 5. non. Maji (p) ad petitionem Erinhardi Abbatis confirmat possessiones à Proavo Pipino Heristallo donatas ecclesiæ novi castelli juxta Arduennam publicis literis, qvas Wichbaldus ad vicem Radoni recognovit. *Anno regni Francorum* II. Longobardorum 5. proavus, inqvit, noster Pipinus Ecclesiæ S. Mariæ in novo castello constructæ diversas res dedit. Hinc præcipimus ut qvicqvid in denominandis villis, ut sunt Harimalla in pago Hasbanensi, Budilio in Taxandria, Filfurdo in Bragbando, in pago Haginæo, in pago Luminse, Fraxino tenent, deinceps possideant. Qvia vero nominati fundi modo possidentur ab ecclesia Aqvisgranensi, putat inde Miræus castellum novum situm fuisse eoloco ubi nunc est Aqvisgranum, nescius fuisse Caprimontem prope Leodium. Qvo à Notgero antistite Leodiensi everso, ecclesiæ illic constructæ reditus, translati sunt Aqvisgranum.

§. 2. Caroli profectio in Westphaliam & res ibi gestæ.

Prima (q) veris temperie discedens Haristallo Carolus Compendium venit. Inde reversus excipit in villa Werciniaco inqve Italiam remittit Hildebrandum Spoleti ducem, qvi sibi cum muneribus occurrerat. Post hæc animo ad Saxonicam expeditionem intento Duriam petiit, ubi juxta morem habuit generalem populi sui conventum & synodum sacerdotum congregavit, in id unice incumbens, ut priusqvam bellica inchoaret, reformaret subditorum mores, ordinaretqve sacro sanctos Ecclesiæ ritus. Peracta Synodo primos omni West-

pha-

(o) *Annal. Rhegin. poeta.* (p) *Miraus in Chr. belg.* (q) *Annal. Nazarian.*

phalos tanqvam potissimos malorum anno superiori patratorum auctores aggredi statuit. Traductæ copiæ per Rhenum eo loco, ubi in eum se exonerat Lupia flumen. Annales Canisiani appellant Lippeham Nevenariani Lippenheim; Rolevingius Lippekant. Stat ibi modo nobilis Cliviæ trans Rhenanæ civitas Wesalia, à qva proxime patet in Westphaliam ingressus. Nec dubium fuisse istic tum qvoqve munimentum, in qvod secure exercitus transportaretur. Fixis in Ericeto Lippiensi castris cognoscit Carolus Westphalos considere in Bucholt vana spe ductos resistere se posse Francis. Locum alii ad Hasam flumen, alii ad Alpham (r) rivum qvi Meppenam inter ac Haselunam fluit, locant. Ego considerans iter Caroli non alium intelligendum puto hic, qvam Bucholdiam, nunc diœcesios Monasteriensis oppidum, qvod Wesalia in Westphaliam tendentibus primum se offert. Neqve enim crediderim Westphalos, relicta in direptionem Francis tota sua provincia, in extremo Westphaliæ angulo ad eos arcendos castra metaturos fuisse. Cæterum Westphali seu vi pulsi fugatiqve juxta annales, seu territi tanta Francorum multitudine, non expectato prælio, ut narrat auctor vitæ Caroli, cohibere non potuere qvin dilaberentur. Itaqve nemine prohibente Westphaliam ingressus rex omnes subegit atqve in deditionem accepit. Positis inde ad Visurgim castris loco qvi diversimode scribitur, aut Medufulli (s) aut Mediofaili (t) aut Mediofulli (u) Medofuldi (x). Nudufulli (y) aliqvot diebus qvievit. Venere ibi supplices noxiarumqve veniam flagitantes Angarii & Ostphali. Data utrisqve venia si obsides darent, ruptamqve fidem novo sacramento illigarent. Impleta conditione rex trans Rhenum in Wormatiam civitatem hibernatum se recepit. Id anteqvam (z) faceret, Sturmionem Saxonum apostolum propter senium ac debilitatem à laboribus istis sublevandum censuit, voluitqve ut cum sociis Eresburgi stationem figeret: paulo post etiam ad monasterium Fuldense remisit, ubi exeunte anno 16. Kal. Januar. diem extremum clausit ærumnarum in Saxonia nostra exantlatarum præmium à Deo percepturus.

§. 3. Ludgero præmonstratur locus Werthinensis monasterii.

Novennio (a) prius qvam Werthina monasterium construeretur, locus ille divinitus S. Ludgero est præmonstratus. Didicerat ille à Deo Frisiam qvam tum Doccumensis ut supra scripsi pastor excolebat, à Nortmannis totam vastandam, ideoqve de monasterio, qvod jam pridem in animo habebat, alibi condendo secum deliberabat; qvando duo loca oblata sunt alter juxta Isalam dictus Wichmondi; alter in Ubiis ad fluvium Arnapam, vulgo Erpiam ad cruces appellatus, ubi curtem habebat nomine Weldam. Accidit rigente hyeme, altissima nive terram cooperiente, ut coram cruce lignea, qvam Weldæ erigi jusserat, jejunus & fusus in preces pernoctaret, divinamqve voluntatem ardentissime expoſceret. Tum manifestatum illi cœlitus, neutrum locum ædificationi futurum opportunum, qvorum alterum Nortmanni vastaturi, alterum Isala aqvis suis absorpturus esset. Iret trans Rhenum, & ubi in densissimo nemore, cui nomen Weneswalde, seu ut est apud Surium, Widuberg, Werthino rivulus in Ruram influeret, habitationem præpararet. Illum esse locum qvem pro servitio sibi impendendo Deus elegisset. Exhilaratus hoc oraculo Ludgerus qvid cognoverit, manè amicis aperuit, atqve mox in viam se dedit, visurus ostensum solum. Qvo delectatus à Folckberto possessore, dato illi qvem in vicinia habebat, fundo comparavit. Obstitit sylvæ densitas & tum aliæ causæ tum cura animarum, cui in Frisia indefessus operarius insistebat, detinuere novennio integro S. Ludgerum qvo minus in loco adeo à Frisia remoto jaceret novi monasterii fundamenta.

Annus Christi 780.

§. 1. Altera Synodus Paderbornæ & initium Paderbornensis Episcopatus.

Carolus M. (b) post Christi anastasin, Wormatiæ religioso ritu peractam cum primum temporis oportunitas adesse visa est, iterum petit Saxoniam cum ingenti exercitu. Progressus per Eresburgum ad fontes Lupiæ, hoc est ut explicat Gobelinus & seqventium rerum series docet Paderbornæ aliqvot diebus stativa habuit. Synodum tum ibidem habitam tradit Rhegino & auctor vitæ Caroli. In ea inprimis ad stabiliendam fidem Christianam apud Saxones duo decreti novi Episcopatus, alter cis Visurgim Paderbornæ, alter trans flumen. Admotæ protinus operi manus (c) proqve futura Episcopali sede Paderbornæ paulo infra modernam basilicam ubi domicilium & tribunal suum habet Officialis Paderbornensis, nova Ecclesia constructa est, qvam in Idoneorum Antistitum summa inopia Carolus administrandam commisit S. Burchardo Wirceburgensi Episcopo, qvi præsens aderat, cujus disciplinæ & institutioni traditos qvoqve 12. Saxones obsides scripsi ante octennium. De ea re sic loqvitur scriptor vitæ Meinwerci Paderbornensis Episcopi. Positis Carolus regali magnificentia principalis Ecclesiæ fundamentis talem locum jure belli acqvisitum magis ecclesiastico qvam proprio deputavit servitio. Cum autem noviter factæ conversionis messis multa, novellæ vero plantationis operarii essent pauci, locum eundem tuitioni præsulum Wirciburgensis ecclesiæ commisit, sub qvorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa viæ intercapedine,

(r) *Reinecci.* (s) *Annal. Pith.* (t) *Auctor vitæ Car.* (u) *Rhegino.* (x) *Annal. Canisian.* (y) *Aimoin. c. 73. l. 4.* (z) *Ægil. ejus discipul. in vita Sturm. apud Brouw. in antiq. Fuld.* (a) *Cintin. c. 19. vit. S. Ludg. apud Brouw. c. 21. apud Sur c. 18.* (b) *Annal. Nevvenar.* (c) *Gobelin. in vita S. Meinulphi & in Cosmod. p. 189.*

publicaqve variorum negotiorum necessitudine proficere potuit. De pleniore Paderbornensis Episcopatus institutione agam ad annum 795. nunc prima solummodo illius lineamenta adumbrata vidimus. Eodem (*d*) tempore Carolum Paderbornæ moras trahentem convenit Wigtrudis nobilis è vicinià matrona. Ea marito non ita pridem orbata, cum vim passa esset, à mariti defuncti fratre, gravissimam hanc injuriam regi conqvesta est, ejusqve fidei & clientelæ se parvulumqve filium commendavit. Admisit curam rex, & filium è sacro fonte suscepit, appellatum Meinulphum lumen postmodum Cleri & Ecclesiæ Paderbornensis. Meinulphum Burani inter suos majores referunt; Brenekenses suum esse dicunt; aliæ qvoqve nobiles gentes sibi eum vendicant. Qvid mihi probabilius videatur exponam anno 852.

Ibidem Paderbornæ (*e*) eadem in Synodo lis multis annis agitata inter Alfverum Abbatem Prumiensem & Weomadum Archiepiscopum Trevirorum de cella S. Goaris ad Rhenum, pro Abbate definita est, eademqve cella à Carolo donata Monasterio Prumiensi.

§. 2. Fundatio primi Episcopatus trans Visurgim Salingstadii, postea Halberstadium translati.

Rebus Paderbornæ ex sententia confectis Carolus transito Visurgi orientalis Saxoniæ Idololatriæ bellum infert. Everfis Crodonis aliorumqve falsorum numinum simulacris, de qvibus multa Crantzius (*f*) & Letznerus (*g*) ad confluentes Horæ & Alnis inter Saxonum & Slavorum proceres amicitiam & fœdera sancit. Ad Ovacram qvoqve amnem in Horheim aliqvam diu considet, inde promotis Salingstadium (posteriores dixêre Osterwicum) castris, ibidem Ecclesiæ in honorem S. Stephani consecratæ primum dedit Episcopum Hildegrinum, ortu Frisium, Fratrem germanum S. Ludgeri, qvi Salingstadiensem cathedram annis 40. eandem Halberstadium translatam septem insedit.

§. 3. Caroli iter in Italiam.

Composita Saxonia Carolus cum uxore & liberis in Italiam proficiscitur voti exsolvendi gratia ut tradit poeta, & ut qvemadmodum existimat Baronius de Ecclesiastico Saxoniæ statu, deqve iis qvæ in concilio Paderbornensi decreta erant, coram conferret cum Hadriano pontifice. Hiems Ticini transacta est.

Annus Christi 781.

Carolo (*h*) rege Christi resurrectionem Romæ celebrante, Pontifex sacris undis abluit, & ungit coronatqve regem Longobardiæ filium ejus Pipinum, alterum vero filiorum Ludovicum regem Aqvitaniæ. Regem ex Italia reversum Wormatiam Thassilo dux Boicæ, qvi sive à Luitpurga conjuge Desiderii Longobardorum regis filia sive à Widekindo (*i*) è Saxonia in Boicam profugo incitatus jam dudum inimica Francis consilia coqvebat, convenit eiqve simulatè licet, fidelitatem novo sacramento juravit. Carolus Carisiaci natalem domini & hyemem transigit.

Annus Christi 782.

§. 1. Carolus M. Coloniam proficiscitur & novum ibi Archiepiscopum constituit.

Post ferias paschales actas Carisiaci, æstatis initio cum propter pabuli copiam exercitus duci poterat, Carolus in Saxoniam eundum, & ibi ut in Francia qvotannis solebat, generalem conventum habendum censuit. Cum omni igitur exercitu Coloniam Agrippinam petiit. Ubi auctor vitæ Caroli & ex eo Baronius asserunt ab eo Synodum celebratam, cujus alii auctores non meminêre. Potuit novi antistitis electio Carolum aliqvamdiu Coloniæ detinuisse, si, qvod opinatur Gelenius, (*k*) hoc anno mortem obiit Ricolphus Archiepiscopus inqve novo antistite deligendo in studia & factiones scissi erant Colonienses. Crumbachius excessum Ricolphi rejicit qvidem in annum 787. & auctor chronici vernaculi plane vitiosè in annum 817. Ego hic Gelenio inhæreo. Carolus ut natas (*l*) turbas componeret, Aqvisgrano Coloniam tendit, evenit in itinere, ut in qvadam Ecclesia rei divinæ interesset, proqve more sub offertorio florenum aureum altari imponeret; Peracto missæ sacrificio sacerdos (Hildebaldus dicebatur) acceptam nummum jubet recipere eum qvi obtulerat. Non enim dedicari. Urgente rege, pecuniam retineret, qvam ipsi ex animo voverem, Hildebaldus, Domine, inqvit, venatorem te esse video, (& erat habitu venatorio fere indutus) rogo ut vice hujus floreni, ubi cervum, aliamve feram venatu acceperis, ex ea cingulum, sive ut alii narrant corium pro involucro libri, qvo indigeo, mihi velis impertiri. Delectatus candore viri Carolus, audiensqve esse boni exempli sacerdotem, ubi Coloniam attigit, rejectis aliis candidatis, urbi eum antistitem dedit ex privilegio, qvod Pipino patri Zacharias Papa concesserat, ut liceret Francorum regibus Ecclesiarum præsules nominare. Hanc historiam qvidam non illepide hoc carmine expressit: Missa celebratur, à venatore rogatur: aurea zona datur, & presbyter incathedratur. Mihi ut illam elevare non est animus ita difficile creditu videtur, virum summæ nobilitatis ut patebit ex anno 799. egisse curatorem rusticanæ parochiæ & tantæ urbis Archiepiscopum, maximæ in aula Caroli auctoritatis, Archicancellarium videlicet, & sacri palatii Archicapellanum qvemadmodum videre licet ex multis diplomatibus, summisqve rebus qva sacris qva profanis gerundis admotum, adeo simplicem antea fuisse ac rudem. Nisi dicas cum Gelenio, spreto illustri stemmate vetustumqve splendore ex christiana humilitate ma-

(*d*) *Gobelin. invit. S. Mennlp.* (*e*) *Brouver. l. 7. annal. Trevir.* (*f*) *L. 2. Sax. c. 12. & lib. 1. metrop. c. 3.* (*g*) *In vita Carol. M. c. 24. 25. 26.* (*h*) *Annal. Franc.* (*i*) *Letzner.* (*k*) *In prol. hieroth. in pag. 44.* (*l*) *Chron. Colon. f. 114.*

maluisse in abjectiore loco & officio delitescere, occultasseqve ingentes animi dotes ac corporis ignobili in vico. Magnæ certe & miræ humilitatis virum fuisse testantur acta translationis S. Huberti factæ per Walcandum Episcopum Leodiensem anno 817. ex primaria Thuringiæ nobilitate originem Hildebaldi deducit Gelenius, tribuitqve illi pro insigni gentilitio Leonem Thuringicum. Fratrem habuit Helmwaldum, sororem Irmgardem nuptam Bartholdo Grimbergæ domino. De qvo ad annum 799. appellatur nunc Adebaldus, nunc Hadabaldus vel Hildeboldus, Hadalboldus, (*m*) inscriptio tumuli in S. Gereone præfert Hildebaldum.

§. 2. Carolus celebratis ad fontes Lupiæ comitiis in Franciam redit.

Transito Coloniæ Rheno Carolus cum omni Francorum exercitu ad caput Lupiæ (qvo nomine & Paderbornam & Lupisalium & Newhausium comprehendo; qvæ tria loca triangvli in morem posita, exoriens Lupia aqvis suis secundat) Tiberianis olim castris nobilitatum, tertium resedit & ut scribit Rheginò synodum tenuit. Comitia ibi frequentia habita in confesso est, ordinata Saxonum respublica ex mente Hadriani pontificis, qvo cum anno superiore egerat, consultum religioni Christianæ. Ad hæc auditi legati Sigifridi Danorum & Godefridi Nortmannorum regum, qvosqve Caganus & Lugurus Hunnorum principes pacis causa miserant. Haud à vero abludit Danos inter cætera egisse causam Widekindi exulis, idqve nullo operæ pretio conflabit ex secuta post paulo rebellione. Soluto conventu Carolus in Franciam se recepit.

§. 3. Saxonum nova rebellio; Francorum clades.

Vix è Saxonum (*n*) finibus excesserat Carolus, cum Widekindus fortunam denuo tentaturus in Saxoniam rediit, ac vana spe inflatos multorum popularium animos rursus ut rebellarent permovit. Erupit conjuratio cum Sorabi Slavorum natio, qvi terras inter Albim & Salam colebant, conterminos Thuringorum ac Saxonum fines prædandi causa fuissent ingressi. Ibant jussu regis contra Slavos cum selectis copiis Geilo magister eqvitum, qvem comitem stabuli nuncupabant, Adalgisus præfectus cubiculi & Wolradus comes palatii, habebantqve in mandatis, ut qvamprimum Saxones attigissent, illos qvoqve in societatem militiæ allectos communi hosti opponerent. Non multum viæ processerant, cum Saxones qvorum præsidium petebatur, hortatu Widekindi à fide resiliissent. Omissis igitur in præsens Slavis duces nominati cum suis & Francorum orientalium copiis in eos properant omnem vim in toties perfidos conversuri. Occurrit proficiscentibus Theodoricus comes, propinqvus regis, qvi raptim in Ripuaria, ubi certior factus est, hostem fidem datam fregisse, militem collegerat. Ex cujus consilio missi exploratores, qvi ubinam gentium Saxones & qvid rerum agerent, nunciarent: ubi dicerunt, castra eorum posita esse in septentrionali latere montis Suntat (fuit is ex mente Wittii & Cleinsorgi prope Mindam, Mundam ditionis Brunsvicensis oppidum mavult Reineccius) placuit ducibus Theodoricum in citeriore ripa Visorgis, Geilonem transmisso fluvio propius montem considere, tum si hostis ad moveret copias neuter sine altero pugnam capesseret, sic enim ubicunqve lacesseret, facile circumfusum obteri posse. Nulla magis res qvam regimen pluribus commissum ac ambitio exercitum perdit. Veriti qvi flumen transmiserant duces, ne prostrato hoste victoriæ laus ad Theodoricum devolveretur, illo inscio, solutis ordinibus, incomposito agmine qvasi ad prædam, non in acerrimum hostem, non in acie consistentem, sed terga vertentem properant, qvo qvemqve impetus eqvi tulit delatus. Saxones qvi pro castris in acie stabant, numero consilioqve superiores, Francos festinantes magis qvam maturantes excipiunt & dato loco circumveniunt. Omnes pene ad internecionem cædunt. Geilo, Adalgisus, præterea qvatuor comites & alii præcipuæ nobilitatis viri viginti admodum cadunt, præter cæteros qvos fama obscura recondit. Paucissimi fuga in castra Theodorici deferuntur. Saxones longe lateqve victoriam prosequuntur. Ea occasione Paderbornenses Ecclesiam apud se ante biennium structam, flammis exurunt.

§. 4. Exercita à Carolo vindicta in rebelles.

Carolus accepto de suorum in Saxonia clade nuncio, celerrime coactis copiis magnis eò itineribus contendit. Ad confluentes Alaræ & Visurgis in loco Fredi nunc Ferda castris locum capit, eo proceres omnes accersit, in auctores perfidiæ diligentissime inqvirit, atqve tradi sine cunctatione jubet; Widekindus ab omnibus malorum caput accusabatur. At ipse jam ad Nortmannos in Daniam profugerat. E cæteris qvatuor mille & qvingenti securi percussi, scelerum pœnas exsolvere. Repertæ (*o*) adhuc dum paucis ante annis prope Ferdam foveæ humanis capitibus plenæ vindictæ veritatem ac magnitudinem testatæ sunt. Carolus his perpetratis in Franciam ad Theodonis villam hibernatum concessit.

Annus Christi 783.

§. 1. Saxonum omnimoda rebellio, Widekindi in Frisia tyrannis. S. Ludgeri & aliorum doctorum fuga.

(*m*) *In lib. 2. capitul. Franc. c. 25.* (*n*) *Annal. Nevvenar.* (*o*) *Letzner. ex Henrico Rantzovio.*

Widikindus è Dania redux ad omnimodam defectionem impellit Saxones; arma corripiunt illi inprimis, qvorum parentes & cognatos vindex gladius anno superiori abstulerat. Sævitur ubiqve in Christianum & Francicum nomen, Widekindus (p) cum magno exercitu irrumpit in Frisiam Francis subjectam provinciam, plenam Christianis. Ibi cuncta incendiis, cædibus rapinis vastata: solo æqvatæ ecclesiæ, expulsi aut mactati sacerdotes deiqve famuli: Bremæ (q) qvoqve & trans Albim plures è discipulis S. Willehadi, ex odio Christianæ religionis interfecti. Deniqve major Frisiæ pars ad Flevum usqve fluvium compulsa Christianos ritus abjurare, & pristino cedendum furori ratl Frisonum Doctores resumere. In hisce procellis Willehadus Epternaci se abdidit in monasterio S. Willibrordi religionem professus. S. Ludgerus, cum sub idem ferè tempus è vivis qvoqve abiisset S. Albricus, Trajectentis Episcopus, in Sustrensi Juliæ monasterio sepultus, unicum suum refugium ac solatium, unà cum fratre juniore Hildegrimo Romam perrexit, pontificiqve maximo significavit desiderium suum construendi monasterium ordini S. Benedicti. Delectatus Hadrianus sanctitate & zelo viri, collaudato ejus proposito, qvamdiu Romæ egit amicissimum & admodum familiarem habuit, proqve futuro monasterio præstantium reliqviarum thesauro locupletavit. Inde Ludgerus Beneventum petiit, & in monte Cassino cui propinqvus ejus Dethmarus è Frisia oriundus Abbas præerat, biennium integrum vixit tum ut in monasterio sacri ordinis addisceret disciplinam, tum ut ibi aliqvanto tempore liberiore vacatione qviesceret, Deo soli intentus, & Frisonum Saxonumqve salutem eidem commendans. An vero ibidem verè monachus fuerit S. Ludgerus, controvertitur.

Affirmat Bernardus Wittius audetqve asserere, omnes Episcopos Monasterienses ab S. Ludgero usqve ad Hermannum I. qvi sedere cœpit circa annum 1032. è S. Benedicti familia ad eam dignitatem fuisse evectos. Assentitur Wittio Cleinsorgius & ante eum Trithemius non uno in loco S. Ludgeri monachatum in monasterio Beneventano astruit. At negant Crantzius (r) Breviarium Monasterienſe, & Monachi Werthinenses in vita S. Ludgeri, apud Surium, deniqve Joannes Cincinnius, Cassini, inqvit, in habitu monachi vixit sine professione, solummodo ut in se sanctum caperet experimentum. Browerus (s) amplius deliberandum censet, forte mixtum vitæ genus è canonico & Monachico sectatum. Movit Crantzium, qvod ab esu carnium non abstinuit, qvod deposuerit habitum. Utrumqve præter morem & institutionem S. Benedicti. Ego qvicqvid demum roboris hæ rationes obtineant, in hæreo traditioni Ecclesiæ Monasteriensis ac pronuncio S. Ludgerum ut hospitem duntaxat vixisse Cassini, cum ipse apostolicam in convertendis animabus vitam profiteretur. Nec enim tam facile sivisset se è monasterio si illi mancipatus erat, educi, non deserta professione, Clero Osnabrugensi voluisset adscribi, non deniqve admisisset curam perpetuam animarum in diœcesi Monasterienſi.

§. 2. Caroli magni gemina contra Saxones victoria.

Saxonibus adeo ferociter debacchantibus, Carolus magnus postqvam in villa Theodonis, ubi hibernaverat, Hildegardi uxori pridie Kal. Maji defunctæ justa persolvisset, exercitum in Saxoniam duxit. Castra fixerant rebelles juxta montem Osneggi qvomodo appellat Eginhardus, nostris est Oslingh ad vicum Thietmellen, qvem mirum est qvam varie scripserint rerum Francicarum scriptores: Rhegino Thietmalli, auctor vitæ Caroli Theotmalli. Annales Pithæani Thiotmellic. Canisiani Theotwaldi. Nunc Dethmoldia dicitur oppidum sedesqve comitum Lippiensium, haud longe dissita à campo victoriæ, qvem olim deleto Varo ac tribus legionibus Romanis insignem fecerant Saxonum progenitores, ut videantur è loci memoria ominari voluisse cladem Francis, sibi victoriam, ideoqve avidi manus conserere istic in campo eosdem Francos operiebantur. Carolus haud segnis cum expeditissimis suorum, cum necdum omnes copiæ advenissent, summa celeritate ad Saxones contendit, commissoqve prælio immani eos clade affecit, ut pauciſſimi ex innumera multitudine evaserint, in loco (t) certaminis postmodum Franci sacellum erexerunt, cui nomen à sancto auxilio, qvod testatum voluere sibi è cœlo in tempore adfuisse. Parta qvanqvam non incruenta victoria Carolus Paderbornam retro flectit iter; partim ut saucios, qvi plurimi erant, curaret, partim ut alteram exercitus partem è Francia venientem exciperet. Interea cognoscit Saxones novo instituto delectu citatisqve ad arma qvotqvot ferre possent; in finibus Westphaliæ unum in locum Hasæ flumini conterminum convenisse, hic Francorum adventum expectare, ibi si invaderentur, certare constituisse. Auctus novo copiarum supplemento rex, sine mora eodem advolavit, eademqve felicitate qva prius vicit. Cæsa est infinita multitudo hostium, magnus captivorum numerus abductus, ingens præda capta. Auctor vitæ Caroli ait plus qvam sex Saxonum millia occubuisse, Sigebertus pene ad internecionem deletos. Widekindus primum in arcem suam ad Viurgim inde in Daniam elapsus est. Atqve hæc sunt duo famosa prælia præter qvæ nulla alia cum Saxonibus habita agnoscit Eginhardus, additqve

(p) *In vita S. Ludgeri apud Brouv. c. 13. 14. apud Cincinn. c. 14. 15.* (q) *Adam Bremens. c. 8. 9.* (r) *L. 1. metr. c. 5.* (s) *In Not. ad vit. S. Ludger.* (t) *Siderit. in Chr. Lipp.*

qve uno mense paucis interpositis diebus accidisse: iis hostes adeo debilitatos fractosqve ut ulterius regem neqve provocare neqve venienti resistere, nisi aliqva munitione defensi auderent. Locus prælii posterioris à Wittio non improbabiliter asseritur juxta Haselunam oppidum Hassæ flumini incumbens. Distat inde haud procul Hummelinga præfecturæ Meppensis ditiuncula crebris & continuis pene paludibus depressa. Ubi ex aggestis inusitatæ magnitudinis silicibus varia visuntur sepulchra, interqve alia regis cujus piam qvem accolæ Surboldum appellatum fuisse tradunt. Fortassis is in hoc prælio eoqve in loco cecidit, Angariorum aut Frisonum auxiliarium rex. *Sunt* (*u*) qvi ex chronico Brunsvicensi scribunt pugnatum in comitatu Diepholdico juxta vicum Trebbenam. Conjectura ducitur ex Oratorio & cruce istic ut fama est à Carolo M. erectis in monte vicino qvi inde qvoqve montis Adjutorii appellationem traxit; Fuit olim, cum majorum florebat religio & pietas, ingens eo advenarum confluxus, qvotannis stato die pontificias noxiarum conditiones nundinasqve frequentantium. Accreverat parochiæ Drebbenensi celebritas ex Canonicorum collegio illic instituto, comitumqve Dipholdijorum mausolæis in basilica perqvam magnificis. Nunc exstirpata vetus religio, comitumqve familia intermortua, omnem Drebbenæ famam cultumqve adeimêre. qvin ipsum Carolinum ut volunt oratorium in montis jugo collapsum inqve suis ruderibus tumulatum est. An Carolus verè extruxerit, non disputo. Scio & in Eichsfeldia (*x*) & prope Dethmoldiam & alibi montes prodigiosis facellis à Carolo insignitos, dictosqve montes adjutorii, qvod illic manifesto numinis auxilio hostes vicisset, hanc tamen memorabilem pugnam eo loci pugnatam non existimo qvem longe ab Hassa flumine prope qvod dimicatum scripsere veteres remotum constat; alio igitur tempore propitium se exhibuerit cœlum Francis ad Drebbenam.

Post tantam victoriam Carolus ad orientem iter convertit, primumqve (*y*) ad Visurgim Widekindum in arce sua inclusum circumsedit. Verum is caute in Daniam evasit, frustratis spe sua obsidentibus. Traducto per flumen exercitu rex ad Albim usqve processit, pervagatus orientales Saxones vicis omnibus ædificiisqve incensis, corruptis segetibus in Franciam redit, ubi ducta nova conjuge Fastrada, hieme tota moratus est in villa Haristallio.

Annus Christi 784.

§. 1. Carolus primo in Westphaliam, inde in Orientalem Saxoniam proficiscitur.

Carolus ad reliqvias belli Saxonici conficiendas toto animo, ubi tempus oportunum adesse visum est, ab Haristallio promota castra Rhenum ad Lippenheimium seu Lupiæ ac Rheni confluentes traduxit. Vastatis Westphalorum pagis, qvæ unica restabat, munitionem Dromi, seu ut poeta rectius appellat Dremi, adortus est. Qvam expugnatam solo æqvavit. Porro Dremi pagus qvemadmodum in vetustis chartis scribitur, regio est Westphaliæ inter Lupiam Glennamqve flumina & Warendorpium sita, in qva Dreinsteinfurtum vicus & arx nobilissima Reckiorum familiæ gentilitia possessio servat vestigium nominis. Annales Nevenariani corrupte scribunt pagum Draigni, corruptius Rhegino Dragim. Carolus Visurgim petiit consedítqve in loco, qvem annales à Newenario editi vocant Huculbi, publicati à Canisio Huculus, poeta Uculbi, auctor vitæ & Rhegino Huculin. Ubinam fuerit, diu ad sinistram Visurgis ripam qvæsitum nec dum reperi. Cum videret rex se in orientales Saxoniæ partes sicut statuerat ob nimias aqvarum inundationes è continuis pluviis subito enatas transire non posse, ipse relicto cum parte copiarum Carolo juniore filio in Westphalia circumducto ac continuato per Thuringiam itinere in eam Saxoniæ orientalis partem penetravit, qvam Albis & Sala fluvii allambunt. Populatus omnem regionem castraqve aliqvamdiu metatus Schoningæ (qvam veteres vocant nunc Schannicum, nunc Schanningi aut Schaninge Stominchi) in fines Franciæ Wormatiam regreditur.

§. 2. Caroli Junioris victoria de Westphalis in pago Dreini.

Westphali (*z*) profecto Carolo rege ad ulteriora Saxoniæ, rati filium ejus apud se relictum opprimi posse hacqve ratione jugum Francicum excuti, asscitis in societatem Frisiis, coacta ingenti armatorum manu Juniorem Carolum juxta Lupiam ad munimentum Dreini infestissimis animis sunt adorti. Utrinqve eqvites potissimum pugnavere, victoria penes Francos stetit. Fusi fugatiqve Westphali ac Frisii cæsi in loco (*a*) 7000. Fortissimus princeps posito præclaro militiæ suæ tyrocinio cum magna gloria & triumpho à patre Wormatiæ exceptus est. Bernardus Wittius prælii hujus eqvestris locum ponit ad rivum rubeum non procul Lippstadio in Lupiam defluentem: vidisse se ineunte superiore seculo, cum pro reparando monasterii Capellensis ædificio humus egereretur, erui ibidem ossa humana, & arma omnis generis indices commissæ aliqvando pugnæ. Addit ab hac Francorum victoria, originem sumsisse Capellam virginum nobilium monasterium; Carolum enim juniorem exemplo patris, tum in memoriam accepti cœlitus beneficii, tum in solatium & honorem Franco-

(*u*) *Matthæ. Merian. in topog. Westph.* (*x*) *Apud Serar. l. 3. rer. mag. not. 20. & Letzner. c. 19. vita Caroli.* (*y*) *Annal. Mind. Crantz. l. 1. metr. c. 9.* (*z*) *Annal. poeta S. Ludgerus c. 8. de canonica S. Suviberti.* (*a*) *Autor vitæ Caroli.*

rum qvi istic occisi tumulum acceperant, capellam seu ædiculam sacram extruxisse, ubi Glena undas suas in Lupiam evolvit. Eam consequentibus annis, crescente pietate, populi liberaliter in res sacris sua erogantis, auctam esse decoratamqve Parthenone, cui nomen Capellæ remanserit. Stat prope Lipstadium nostro seculo nimium qvantum deformata, virginibus à Sanctissimo D. Norberti instituto in secularem vitam prolapsis. Cæterum rem prorsus admirandam, qvæ in hoc prælio contigerit, posteritati prodidit S. Ludgerus (*b*) qvanqvam per errorem apud eum pro anno præsenti ponitur superior. Erat, inqvit, inter Westphalos homo Christianus contra voluntatem à suo satrapa in bellum tractus, nomen illi qvondam Lidack: in sacro fonte baptismatis assumserat Brunonis, vir dives & potens, fortis viribus, audax animo & factis strenuus, ortu Paderbornensis. Is ex miserando casu qvi anno 778. evenerat satrapis Ogello, Occoni & Nothelino qvemqve præsens ipse spectarat, ingentem acceperat affectum pietatis erga S. Swibertum, recitataqve qvotidie oratione dominica & salutatione Angelica in ejus honorem magna cum fiducia ut cliens patronum rogare ab eo tempore non desierat, se ut Deo commendatum vellet, nec unqvam in extrema necessitate desereret. Non vanas fuisse preces nunc magno suo commodo sensit. Nam in prima acie strenue bellantem Francus eqves hasta in pectore confixerat, prolapsumqve in terram eqvi pedibus conculcabant. In tanto discrimine miser nec dum desperare, in preces & vota ardentius incumbere, spondere, si evaderet perpetuam servitutem ad sepulchrum S. Swiberti. In hoc æstu alienatus à sensibus videt propinqvum sibi, magna circumfusum luce, pontificali indutum habitu Swibertum, qvi pedo pastorali eum tangens, non morieris, inqvit, hac vice Bruno; vitam longiorem impetravi tibi à Deo. Tu modo promissa exple. Atqve his dictis, post sanctæ crucis signaculum illi impressum disparuit simul evanescente claritate: Franci nonnulli mirati insolitam lucem attoniti accurrunt. Bruno ad se reversus, ratusqve amicos esse, qvi aderant, rogat flebili voce sui ut misereantur simulqve demirantibus rem totam edisserit. Exuitur mox armis sanguine madidis & sublimi in loco, qvo ab omnibus videri posset, constituitur. Inde omnis cura impenditur, ut sanitati restituatur. Carolus M. qvi tum Schoninga trans Visurgim morabatur, ubi audivit, jussit hominem ad se adduci. Inspexit cum stupore vulnera, miserumqve libertate donatum remisit in patriam post hac Deo & S. Swiberto Werdæ serviturum, qvod magno animi sensu qvamdiu vixit, præstitit. Valuit certe illud exemplum, apud plures, ut rejecto Idolorum cultu aggregarent se ad Christianam Ecclesiam, pius vero rex singulari deinceps veneratione S. Swibertum est prosecutus. Domitis Saxonibus fratres monasterii Werdensis dispersos revocari mandavit, restauratqve S. Swiberti basilica, & pluribus ornamentis decorata, qvæ ablata erant ut restituerentur effecit; addidit è regali fisco nova prædia, & magnis oblatis muneribus beneficentiam suam in fratres effudit.

§. 3. Caroli M. in Westphaliam reditus atqve hiberna Lugdæ & Eresburgi.

Carolus iniqvissimo ferens animo, gentem toties à se superatam non cessare ab armis, brumæ rigentis exordio Saxoniæ fines hostili animo armatus intrat: in castris super Ambiam (*c*) flumen juxta castrum Saxonum Schidroburgum in villa Lugda Christi natalitia celebrat. Schiroburgum annales Nevenariani appellant Dekidroburg, Aimoinus Skidroburg, poeta Skideronburg, auctor vitæ Cidrioburgum situm in pago Vaizzaumga, Rhegino Kichirsburg Winzagani, nunc Shira seu Schidra vocatur. Qvod religiosorum olim domicilium comites Lippienses fisco ac suæ sustentationi addixerunt. Multi (*d*) è chronico vetusto Mindensi referunt à Carolo M. nunc Schiroburgi fundatam esse Ecclesiam Episcopalem præposito illi primo antistite Alberto, Viro sanctitate claro. Eam deinde per Brunonem Saxoniæ ducem translatam esse primum Wallersleviam trans Visurgim, per Henricum I. regem in Vrosam oppidum, tandem per Ottonem Magnum Archiepiscopali auctam dignitate Magdeburgum. Qvæ res mirum est, qvod latuerit diligentissimum antiqvitatum Saxonicarum scrutatorem Crantium, qvanqvam insinuet sed subobscurè in sua (*e*) metropoli, asserens Henricum regem Collegium Canonicorum, qvod Widekindus tritavus ejus Angariæ fundaverat, transtulisse in Saxoniæ orientalis provinciam in Wallersleve ac præfecisse illi Episcopum Marcum sanctitate præcipuum virum: Ottonem vero Magnum sumtum inde Episcopatum transtulisse in Magdeburg. Pro collegio canonicorum Angarensium, qvod constat certo Hervordiam transportatum, scribere aut voluit aut debuit Crantius Schidrensium, adeoqve probabilem existimo opinionem Chronici Mindensis. Cujus vero honori fuerit Ecclesia illa consecrata, qvis primus ille Schidrensis Episcopus, non explicavit chronici auctor. Videntur ob brevitatem temporis, qvo sedes illa Schidræ subsistit, monumenta omnia antiqva periisse. Dicamus etiam qvippiam de villa, nunc oppido diœcesis Paderbornensis Lugda, qvod nonnulli nimis ambitiose celebrant tanqvam sit Lugdunum Westphalorum, patria viri doctissimi ac Westphalicarum tabularum illustratoris Joannis Gigantis. Auctor vitæ Caroli vocat villam Luidi, sitam ut habent annales in pago Hæthago.

(*b*) *L. c.* (*c*) *Emeram. in dioeces. Paderbornensi.* (*d*) *Johannes de Essendia Rolevinc. Cleinsorg. Piderittius.* (*e*) *L.* 3. *c.* 11.

goge, seu ut est apud Aimoinum Huthagoge: in Rheginone mendose scribitur villa Linhidi. Imminet Ambræ flumini non spernendum oppidum, prope adjacet arx Pyromontana munimento, & acidulis clara. Præterea haud procul in edito monte spectantur rudera Hermionsburgi, de qvo alibi scribere me memini. Carolus metis Lugdâ castris Remam ad Visurgis & Warnæ confluentes usqve populabundus pervenit. Flumen transire conantem cum & hiemis asperitas & aqvarum inundatio prohiberet, Eresburgum in hiberna concessit.

§. 4. Leisbornensis Abbatiæ initium.

Eodem anno (*f*) qvanqvam Wittius præcedentem mavult, Carolus M. post expugnatam munitionem Dreini, victosqve istic eqvestri prælio Westphalos sive ut Deo se gratum exhiberet, sive ut victoriæ à filio obtentæ monumentum statueret, ac trophæum; ad Lupiam flumen in pago Dreini & rivulum Lisum monasterium construxit, inde Lisborнam nuncupatum in qvo virgines Saxonicæ divino cultui consecrarentur, & sanctioris vitæ exemplo neophytis Saxonibus præluceret. Suam ad id operam symbolumqve contulit Boso vir præstantissimus proprio fundo qvatuor curtibus liberaliter impensis. Collectis virginibus præposita est prima Abbatissa B. Rothwindis soror ipsius Caroli. Ecclesia dedicata Deo in honorem B. M. V. SS. Cosmæ & Damiani & sancti illius senis Simeonis, cujus Brachium ab Imperatore Constantinopolitano acceptum aliasqve sacras reliqvias præter ampla privilegia possessionesqve eidem loco idem rex religiosissimus concessit. Viguit in eo Parthenone disciplina ordinis S. Benedicti à prima institutione ad annum usqve 1130. qvo Egbertus Monasterienſis Episcopus exclusis virginibus induxit viros ejusdem ordinis sibi subjectos, postqvam jam pridem ab S. Henrico imperatore Monasterienſes antistites Abbatiam à prima origine sui juris ac liberam accepissent regendam. Hæc ex tabulario ejusdem monasterii Bernardus Wittius qvi ibi monachus vixit.

Annus Christi 785.

§. 1. Carolus M. ex Eresburgo per hiemem Saxoniam vastat, Paderbornæ & Bardovici comitia celebrat, tota Saxonia subjugata.

Eresburgi in Saxonia lubernans Carolus, accitis eo atqve adductis è Francia Fastrada uxore ac liberis validoqve præsidio arci impositio ipse per se perqve duces tota hieme Saxones exagitat, subigit loca munita, vastat agros, urit domos, sand tobvios, cuncta cædibus atqve incendiis permiscet omnesqve pene Saxonum regiones eis visurgim ingenti clade afficit. Christo resurgen i sacrum diem Eresburgi feriatus, mense majo Paderbornæ Universæ Saxoniæ comitia celebranda indicit. In iis comitiis existimo Westphaliam & Angariam posita pertinacia, ejuratoqve Widekindo & omnibus rebellionis auctoribus totam se Francis subdidisse, essqve in provinciam redactam & in Episcopatus distributam contra Saxones. Ad hæc ut melius & constantius in officio continerentur constituta in utraqve provincia & populis promulgatis judicia occulta, de qvibus paulo post plura scripturus sum. Neqve post hac nisi semel eis Visurgim Carolo bellum fuit, idqve à paucis verius est illatum aliunde, qvam communi gentis concilio susceptum. Paderbornæ morantem regem accessit evocatus ex Aqvitania filius Ludovicus Vasconio conspicuus indumento ac cultu, missile manu ferens. Post comitia Eresburgum cum patre petiit ibiqve usqve ad autumnum hæsit. Pater vero ut omnem omnino Saxoniam pacatam relinqveret, cum exercitu trans Visurgim nemine resistente Bardovicum processit. Convenere frequentes è tota Saxonia orientali proceres subjectionem perpetuam polliciti. Soli detrectabantur Widekindus & Albio ultra Albim latitantes & in omnem occasionem vigiles, ut denuo negotium Francis facesserent. Missi ad eos Bardovico è Saxonica nobilitate legati, qvi svaderent ut omissa perfidia regis se fidei ac clementiæ committerent, venirent securi obtenturos. Homines tot facinorum sibi conscii dubitaverunt accedere, nisi non modo impunitas promitteretur, sed & mitterentur obsides, qvibus saluti suæ caveretur, missis per Amalwinum aulicum obsidibus, Carolus relicta Saxonia Attiniacum in Franciam perrexit, illic hiemem transacturus. Subsecutus Amalwinus Attiniacum adduxit & stitit regi Widekindum & Albionem. Uterqve rebellionis pœnam deprecatur, atqve à Carolo in gratiam admissus, Christianam religionem amplexus est, sacroqve fonte lustratus. Ita Saxonia tota subacta aliqvot annos qvievit ab armisqve respiravit. Hæc de hujus anni rebus gestis veteres scriptores, circa qvæ plurimæ se ingerunt difficultates, paucis hic enodandæ atqve illustrandæ, potissimum de judiciis occultis, de occasione & loco baptismatis Widekindi, de dignitate ei collata, de Episcopatibus institutis.

§. 2. De judiciis occultis institutis apud Westphalos.

Multa de iis qværi possunt, de tempore, qvo instituta, de voce iis imposita, de jurisdictione, legibus, modo procedendi, attingam singula. Inter varias recentiorum conjecturas assentior Rolevingio Meibomio (*g*) hoc anno constitutionem Carolinam de judiciis occultis Eresburgi deliberatam esse ac conceptam, Paderbornæ vero in comitiis, suffragantibus Saxonibus solenni modo promulgatam. Fertur, inqvit,

(*f*) *Bernard. Witt. in chron. MS. Westph. c. 6.*

(*g*) *C. 12. in Irmens. Sax. l. (b). part. 2. antiq. Sax.*

qvit, Rolevingius, rex cùm in Saxonia hiemaret misisse legatum Romam ad Leonem (Scribendum erat Adrianum) papam pro consilio habendo de rebellibus istis, qvos nulla poterat diligentia ex toto compescere aut exterminare. At sanctus vir audita legatione nihil prorsus respondit, sed surgens ad hortulum ivit, & Zizania cum tribulis colligens supra patibulum qvod de virgis fecerat, suspendit. Rediens autem legatus hæc Carolo nunciavit, qvi inde hujus judicii instituendi sibi consilium & auctoritatem datam esse arbitratus est. Hæc Rolevingius è vulgi utiqve rumore hausta. Qvæ meo judicio ænipolia commenta sapiunt nec digna summo sacerdote qvi svaserit, nec necessaria sapientissimo regi, qvi Saxonum indolem præsens contemplatus non indigebat è remotis locis ut frena acciperet, qvibus contineret ad rebellionem & ferociam pronos. Non ignoro ipsos horum tribunalium judices in littoris ac legibus suis præferre, Confirmationem & robur iis accessisse à Leone Papa; sive id volunt ad majorem judiciis conciliandam auctoritatem, sive revera Leo cum anno 799. in Westphaliam venit suo suffragio approbarit ac rata esse jusserit, cum jam tum usurpari cœpta ingentem feroci populo formidinem incussissent, ne auderet impunè scelera pro more perpetrare, illud interim persvasum est, aliqvot consequentium annorum qvietem in Saxonia judiciis hoc anno inchoatis in acceptis referendam esse. Merito autem mireris judicii hujus apud scriptores istius seculi nullam extare mentionem, nec qvi multis annis post vixerunt de eo qvicqvam tradidisse. Primus diserte aliqvid explicavit Patritius, qvi scripsit acta concilii Basileensis, post eum Æneas Sylvius (*h*) insinuat Vippo in vita Conradi Salici c. 6. ubi ait legem crudelissimam Saxonum ab eo esse roboratam, tanta illud olim in Germania existimationis fuit, ut Albertus (*i*) Cæsar ad hortatus sit patres concilii Basileensis ut causam qvandam profanam ad Concilium delatam secreto Westphalorum judicio decidendam committerent: utqve raro aut nunqvam Cæsares ad se ab illo provocantes admiserint. Qvin significat Sylvius, probat Joannes Jacobus Speidelius (*k*) Westphalos judices olim per totam Germaniam jurisdictionem suam extendisse omnesqve Imperii subditos atqve adeo ipsos Cæsarum ac principum ministros in causas aut nullatenus aut non recte administratæ justitiæ, ab iis evocari solitos, hinc plerasqve provincias procurasse sibi atqve obtinuisse à Cæsaribus privilegia, qvibus munitæ de cætero non cogerentur se sistere, si citarentur. Qvod indicium est olim debuisse.

II. Vocantur hæc judicia à Sylvio, Rolevingio & nonnullis aliis vetita, putant Freherus & Meibomius Scribendum fuisse Vemia, qvomodo & in præsens vocantur, aut Vituta, seu Vitia aut Wittia. Ridicula est derivatio Vemi à Rolevingio allata. Videtur, inqvit, hoc nomen tractum à latino, & sicut qvidam de more habent, etiam Teutonici ut dicant Wemii, qvando aliqvid triste vel terribile vident vel audiunt qvasi Væ mihi! Sic hoc pragmatico formidabili & peremptorio jure promulgato illico responderunt Wemii, qvasi animo consternati pro tam severa constitutione palam sancita. Longe verius (*l*) alii nominis originem trahunt à verbo Saxonico Vehmen seu Verfnemen, qvod idem significet ac verbannen, Verdammen, verstossen, verweisen zum euersten verlästern und verfolgen. Latine damnare, ex hominum numero deturbare, summæ execrari ac persequi, patebit inferius ex modo pronunciandi sententiam. Vittia seu Wittia Meibomius deducit à Witti qvod veteribus Germanis idem erat qvod prudentia; Vituta vero à Wittut, hoc est, lege, qvomodo prisci Germani loqvebantur; aut à Wette hoc est pœna ut sit Wettegericht qvasi peinlich-gericht. Verum ista longius videntur petita; maneant propria & usitata horum judiciorum nomina, Vehmgericht, judicium execratorium, freygedinck, freystul, libera judicia, liberæ sedes, der heimlichen achte-gericht / occultorum bannorum judices appellantur Stoelherren, sedium domini; districtus, in qvibus exercentur, qvorum sunt plures in Westphalia, frey-Grafschafften / liberi comitatus; judex primarius cuiqve præpositus freygraf, liber comes seu judex, assessores fryschoffen, liberi Scabini, aut etiam freyfronen. Letznerus à jure consultis ait nuncupari Bansellos, qvotqvot eo spectant, Wetenden, conscios vocant: sub pœna capitali laqveo persolvenda arcetur omnis inscius, seu ut loqvuntur Unwetender. Locus ubi exercetur hoc judicium foris in agro situs dicitur regium scamnum camera occulta, regia sedes. Is ubi celebrandus judicialis dies (qvod plerumqve fit diebus martis, prohibentur dies dominici, festivi jovis, Veneris, Sabbati, item vigiliæ) undiqve clauditur, advigilaturqve stricte ne qvis clanculum arrepat, qvæqve ibi geruntur auscultet.

III. Carolus M. viros hisce tribunalibus præfecit (*m*) nobiles & ingenuos, maturitate, prudentia & æqvitatis amore conspicuos. Elegit, inqvit, Silvius viros graves & recti amantes, qvos plectere innocentes haud verisimile sit. Cum decursu temporis paulatim homines sordidi, qvin infames in numerum judicum irrepsissent ad hæc in causas eò non spectantes se immitterent, & aliqva inconsideratius & injustius agerent, primum Rupertus Cæsar Heidelbergæ & Baccharaci anno 1408. feria qvarta post visitationem B. M. V. deinde Arespergæ in multorum procerum ac Vrigraviorum præsentia Theodoricus Colonienſis Archiepiscopus cui,

(*h*) *De statu Europ. sub Frider. III. c.* 29. 36. (*i*) *Spondan. in annal. Eccles. ad ann.* 1439 *expatricio.* (*k*) *In notabil. Jurisdico, historic politicis.* (*l*) *Letzner.* (*m*) *Ertwin. Erman. in Chron. Osnabr.*

cui, ejusqve successoribus tanqvam Westphaliæ ducibus Sigismundus imperator Vicariam in ea judicia jurisdictionem, antea à solis cæsaribus dependentem, concesserat; denique Fridericus III. Imperator anno 1442. Francofurti & filius ejus Maximilianus anno 1495. Wormatiæ decrevêre ut non nisi juxta leges Carolinas in iis procederetur. Adeoqve nullimodo injudices allegantur, qvin sint legitimo thoro, & in terra Westphalia nati, non infames, non perjuri, non servituti obnoxii. Nulli è clero patet aditus, nulli, qvi contra Cæsarem aut dominum suum infidelitatem, aliudve grave crimen commisisse convictus fuerit. Urigraivi cum Aruspergæ à sedium dominis Westphaliæ duci ad illud munus promovendi proponuntur, jurant præfuturos se judicio secundum æqvitatem & modo legitimo; de nulla alia re qvam illuc pertinente cognituros; comparituros qvotannis, cum Cæsari, ejusve vicario Westphaliæ duci conventum in Westphalia indicere visum fuerit; non recusaturos, qvo minus si qvæ à Cæsaribus sancita fuere prævaricati fuerint, illic exauctorentur. Pœna etiam decem auri marcarum cæsareo fisco inferendarum imposita, Cæsare approbante, sedium dominis à Theodorico Archiepiscopo, si permiserint leges ab eo latas impune violari. Scabini creandi, ubi in occultam cameram introducti fuerint, detectis capitibus procumbunt in genua, duosqve digitos manus dextræ imponentes gladio & laqveo, qvi istic qvoties judicium peragitur, semper in scamno positi visuntur, jurant fidelitatem judicio, amaturos æqvitatem, delaturos qvæcunqve cognoverint, nec qvicqvam eorum qvæ præscripta & usitata sunt transgressuros, denique commoda & emolumenta judicii pro viribus curaturos. Ubi admissi præstito hoc juramento fuerint, fruuntur omnibus libertatibus & immunitatibus, omniqve auctoritate, qvam Carolus indulsit, Cæsares posteri confirmavêre. Tunc iisdem præleguntur leges, indicatur judiciorum tessera, qvæ juxta priscum morem sunt qvatuor verba his literis significata S.S.G.G. qvæ non nemo explicat stock, stein, gras, grain.

IV. Secreti ac silentii tanta hic vis ac religio, ut insciis arcana aut ritus prodidisse summum habeatur piaculum. Nondum, inqvit Silvius, qvisqvam repertus est, qvi secretos ritus & arcana vel pretio vel metu revelaverit. Ipsorum qvoqve Scabinorum magna pars occulta est: qvi per provincias discurrentes criminosos notant, Urigravius soli Cæsari patefacere potest qvis & ob qvod crimen condemnatus fuerit. Scabinorum qvispiam si ulli hominum tesseras aliave arcana detexerit, re manifesta, eum Urigravius cæteriqve Scabini apprehendunt, manus colligant ante pectus, linteo oculos obvelant, dejectoqve prono interram linguam reflexam per cervicem extrahunt, extractæ parvulum infigunt repagulum, tum injecto collo triplici laqveo, septenis pedibus altius qvam cæteros miserum hominem suspendunt, ex arbore, usqve adeo crudeli morte silentium hic sancitur.

V. Finis à Carolo intentus fuit metu in officio continere Westphalos, qvod in regione crebris sylvis ac paludibus horrida freqventia homicidia committerent, Christianam religionem sæpius acceptatam fidemqve regi juratam sæpius perfidè abnegarent, aliaqve gravia flagitia patrarent, itaqve secretos hosce judices delegit, hacqve potentia armavit, ut qvoscunq; certo cognoscerent & deprehenderent reos, acrerum novarum moliendæqve seditionis cupidos & autores esse, sine longiore disputatione statim mulctarent. Et profuit ille metus ferociamqve populi domuit, cum sæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri, laqveo suspensi invenirentur nulla accusatione prius auditâ. Qværentibus tamen causam, constabat fregisse fidem, aut magnum aliqvod scelus commisisse, qvi sic necati reperiebantur. Spectant igitur ad hæc tribunalia qvæcunqve enormia crimina contra legem divinam & religionem christianam, apostatiæ, incendia locorum sacrorum, homicidia, adulteria, publicæ grassationes, infestationes viarum, sacrilegia, proditiones, manifesta & publica perjuria, usuræ falsitates. Licet qvoqve eo confugere, cui ab alio judice jus evidens abjudicatum. Soli viri non fœminæ judicantur.

VI. Clauso judicii loco, postqvam Urigravius & minimum 14. Scabini confederint, non licet, nisi peractis omnibus Urigravio assurgere, aut alteri locum cedere, solo Cæsare demto, si is casu interveniret. Scabinus accusator, qvem defert, jurat tali crimine pollutum esse. Nomen delati libro inscribitur, qvem sanguinis appellant, alius si accusêt, inducitur in judicium, præferens libellum accusatorium unum perigium complicatis manibus, cum viridi cruce & earum albarum Chirothecarum; qvod Silvius affirmat, reum nulla citatione aut defensione prævia, ubi primum comprehendi possit, supplicio affici, id solum locum habet, cum tres qvatuorve Scabini in flagrante crimine qvemqvam deprehendunt, tunc enim è vestigio eundem & judicare & suspendere possunt, aut si restiterit, aliter occidere alligatumve stipiti aut cultro relinqvere, testificati id facere se autoritate judicii occulti; de cetero nemo citatur, nisi accusatio legitime præcesserit, nemo damnatur, nisi citatus & auditus, Patritius apud Spondanum ad annum Christi 1439. narrat, Scabinos qvos ad judicium vocent, virga leviter percutere, vel insusurrare hæc verba: alibi æqve bonus comeditur panis ac hic. Addit non posse facile evitari Scabinos, cum sint vulgo ignoti. Accusato conceduntur 6. septimanæ, dies tres, intra qvos comparere teneatur. Literæ, in qvibus & delictum & citatio exprimitur, traduntur duobus Scabinis perferendæ. Ji jurejurando adiguntur polliceri citaturos se recte, statotempore qvid effecerint relaturos ad judicium. Citandus si alicubi latet scribitur ad eos, apud qvos diversatur, ut illi significent oportere certo die & loco se sistat, qvod si confugerit ad arcem qvo tuto accedere non licet, citator seu die seu nocte pedes eqvesve ante arcem, è repagulo ligneo tres findit particulas, inciluris-qve nummum regium & citatorias literas

includit. Tum in testimonium retentis apud se tribus sarmentis excisis, acclamat vigili seu ostiario, moneat latitantem hominem, ut in jus adeat, seriem & causam cognitu-rum è literis ligneo repagulo inclusis. Si nullibi reperiretur, eundum est Scabinis versus qvatuor orbis plagas, & reus indagandus. Delatus si trina vice citatus vadimonium deserit, vrigravius contra eum ut contumacem pronunciaturus sententiam, stato die primum ex proprio nomine hominem nominat, & qvatuor vicibus jubet adesse, & respondere accusatori. Eo non comparente hæc verba eloqvitur: Ex supremo jure, qvod Carolus Cæsar sanxit, Leo papa confirmavit, & in qvod principes, comites, nobiles, liberi & ingenui in terra Saxonia juravêre. Virum hunc è summo in infimum gradum dejicio. Privo eum omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & juribus: Subjicio banno regio, odio, execrationi, hostilitati, & fuminæ, qvæ concipi potest, offensæ: Facio eum indignum & incapacem omnis juris & gratiæ, achtloes, rechtloes, segeloes, wêdcloes, Denique juxta leges tribunalis ad mortem condemno. Collum laqveo, corpus volucribus in aëre consumendum adjudico: animam DEO cœli commendo, feuda & beneficia si qvæ habet, caduca & domino aperta pronuncio: Uxorem ejus viduam, liberos orphanos statuo.

His dictis laqveum vel salicis frondem implicatam projicit extra judicii locum, assidentes omnes expuunt & sententiam approbant. Mandatur sub juramento, & fide, qvam occultis judiciis debeant, omnibus omnium locorum Urigraviis & Scabinis, ut ubi ubi in hominem inciderint, proximæ arbori suffigant. Atqve hæc in absentem, qvi adesse noluerit. Si qvis vero in judicium præsens adductus à Scabinis, proponitur illi accusatio instituta, qvam veram esse jurejurando confirmat accusator, rogantur Scabinorum sententiæ, poniturqve inqvit Patritius, in medio chordula, qvam qvi necandum censent reum, digito tangunt. Si reus injustam putet sententiam, jubetur liberè id ipsum eloqvi, ac sedere, donec convincatur per testes. Appellatio nulla valet nisi ad Cæsarem. Urigravius laturus sententiam mortis, debet ipse una cum Scabinis esse jejunus, non pileum, aliudve capitis tegumen, neqve pallium, neqve chirothecas neqve arma gestare aut penes se habere. Reo condemnato, executio committitur cuipiam è junioribus Scabinis, qvi si imparem aut insufficientem se existimet, alterius opem implorat, qvi in suspendendo homine adjuvare tenetur. Ex scripsi hæc de judicio Carolino maximam partem Monasterii è codice manuscripto cujusdam, qvem aut Urigravium aut Scabinum, dum in vivis ageret, fuisse non dubito. Hoc tempore post judicium aulicum, in diœcesi Monasterii à Johanne Hoyano institutum, rarus est admodum judiciorum occultorum usus, qvanqvam Urigravius, Scabini & arcana Cameræ restant. Vidi libellum supplicem ab ordinibus diœcesis oblatum Rudolpho II. Imperatori pro immunitate suorum, obtinuerintne, mihi est incompertum. Testatur Letzterus ea trans Visurgim ab Erico Brunsvicensi in comitatu Wolpe vicinisqve locis penitus esse sublata. Addit idem istic, Scabinos venisse ad occultas cameras semper instructos laqveis ac ter circuisse in orbem, dixisseqve qvisqvis probus est, qvietus consideat; male sibi conscii abire qvidem poterant, sed cum dispendio omnium bonorum ac vitæ à qvocunqve auferendæ. Qvod si maneret, Scabinos cum certum circuissent, injecisse collo laqveum, & pertractum ad proximam arborem suspendisse. Eo peracto reversos pronunciasse, jure hunc reum esse sublatum è medio.

§. 3. De occasione & loco baptismatis Widikindi.

Qva occasione Widikindus Christo nomen dederit, narrat vetus chronicon Saxoniæ anno 1492. Moguntiæ excusum & ex communi Saxonum traditione Crancius (*n*) his verbis: Rex Carolus castra habuit ad Oram fluvium in loco Wolmerstede in orientali Saxonia. Incessit cupido principi Widikindo lustrare regis castra, qvod etsi palam jam reconciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia scrutari, vicina erat paschalis solennitas & rex cum universo milite christiana pietate se cum sacris imminentibus apparabat, commemoratione dominicæ passionis & expiatione criminum in purgatione conscientiæ. Widekindus mendici habitu per fluvium in navicula allabitur, & qvo minus noscceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens qvippe pauperum regionis multitudo qvotidie affectabatur. Rex illis largam stipem jussit erogari. Widekindus ubi ad eum perventum est, dextram & ipse portendit. Attendit qvi distribuit in curvum in manu digitum, qvalem sciebat habere Widekindum. Vultum ejus diligentius intuetur: agnoscit arridens, qvi largiebatur qvid ita mendicus inter mendicos sederet, percunctatur. Erat tum sanctissimus paschæ dies. Rex hilariter excepit venientem percunctatus qvid sibi vellet indignus principe habitus. Ille sub hæc: volui, serenissime rex hoc habito incognitus lustrare secreta gestorum, qvæ cognitus non tam fideliter aspicerem, curiositas induxit, ut latibulum qværerem, qvi inter tuos nunc in gratiam receptus propalam poteram percontari qvæ vellem? Ille ut erat adhuc rerum christianarum rudis, subintulit: vidi, qvod mirabar, ante biduum te vultu demisso tristem, incertus qvid contigisset, qvod tantum regem contristaret. Commemoratio fuit dominicæ passionis, qvæ die parasceves regium vultum obscurasset. Rursum, inqvit, vidi hodierno die te primum sollicitum & ad rem attentissimum. Posteaqvam vero mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre qvod de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerulum in os susciperent, qvem

(*n*) *L. 1. Metrop. c. 9.*

qvem qvibusdam ludibundum arridere, ultro properare, aliis vero abhorrentem avertisse vultum & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc qvid sit, nec dum accipio. Tum rex, bene, inqvit profecisti. Plus tibi aliqvid, qvam cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Inde mutata veste, manu secum abstractum, docuit grande pietatis mysterium in altaris sacramento. Hucusqve Crancius. Historiam adeo prodigiosam nulli veterum scriptorum vel verbulo indicarunt, ii nimirum toti in Caroli rebus occupati, qvæ exterorum, qvæ Widekindi Saxonumqve erant, neglexêre, uti ex multis aliis eorum incuria omissis certo constat. Unde ex silentio historicorum nullum ad eam labefactandam validum argumentum desumi potest, neqve everti id, qvod in antiqvis libris manuscriptis, qvod in picturis, rithmis majorum narrationibus apud Saxones decantatum est, neqve in dubium unqvam ante hac vocatum. Solummodo circumstantiæ difficultatem pariunt, maxime loci, in qvo contigit. Certum inprimis est, Carolum nunqvam Wolmerstedii pascha celebrasse, imo nunqvam in Saxonia nisi hoc anno Eresburgi & anno 798. Heristelli ad Visurgim anno porro 780. in æstate ad confluentes Horæ & Albis aliqvamdiu consedit, fixis Wolmerstedii castris. Si dicamus anno 780. accidisse fatendum erit Widekindum eo tempore Carolo fuisse reconciliatum, ac postea perfide fœdera cum Francis inita, Christianamqve religionem deseruisse, crudeliusqve multo in Christianumqve nomen grassatum qvod nefas creditu, & à nullo veterum ullibi proditum. Neqve Eresburgi hoc anno fieri potuit, qvia nondum in paschate Widekindus cum rege in gratiam redierat, exeunte solum anno ad Carolum in Franciam profectus; restat igitur ut vel Attiniaci in Francia anno seqvente, vel qvod probabilius puto Heristelli anno 798. ad Visurgim tanto prodigio neophytum Widekindum in suscepta religione Deus confirmarit. Obstat huic opinioni duntaxat, qvod Crancius ex annalibus Mindensibus huic miraculo attribuit originem Episcopatus Mindensis hoc anno inchoati, vel anno 780. hinc videri vel anno 780. vel præsenti Widekindo hoc visum oblatum. Huic objectioni ut satisfaciam, fidenter pronuncio, Widekindum portento adeo stupendo permotum anno 798. non qvidem fundasse Episcopatum Mindensem sed fundato jam pridem insignem adjecisse dotem, habitationemqve antistiti in suo palatio concessisse.

De loco in qvo sacrum baptisma suscepit Widekindus, major longe est opinionum diversitas. Antiqvi omnes scriptores, demto nemine, clarè insinuant, fortissimum ducem Christiana religione initiatum Attiniaci in Francia. Posterius natæ sunt octo facile conjecturæ è traditionibus locorum petitæ. Qvidam enim asserunt ablutum sacris undis Widekindum Wolmerstedii (o) alii Bardovici (p) aut Mindæ, alii Wittenbachii seu Mittenbachii in ditione Fuldensi. (q) Sunt qvi Angariam aut fontes Lupiæ, Neuhusiumqve malunt. Sigesburgenses ad Ruram monstrant apud se puteum, cujus undis sit in Christo renatus Deniqve Osnabrugenses certo sibi persvadent id factum haud procul Osnabrugo juxta Rullam monasterium seu rudera arcis Widekindeæ in Ecclesia parochiali vici Belem, qvam velut novæ nativitatis domicilium ipse construxerit appellaitqve Bethlehem, in testimonium adducunt vetustum & amplum admodum baptisterium, qvod nostra memoria miles uti plura alia priscæ pietatis monumenta profanavit atqve contregit. Inter tot sententias ego vix qvicqvam hic definire ausim, nec sedere arbiter in tam difficili & odiosa lite, si qvid tamen pronunciandum, dico verisimilius videri aut Attinienſi aut in Belem sacrum baptisma illi collatum, arridetqve conciliatio Rolevingii, Attiniaci Widekindum hoc anno subjecisse se christianæ religioni, factumqve cathechumenum, in Belem vero anno seqventi sacræ regenerationis lavacrum novo cathechumeno esse impensum. A qvo autem id factum asseremus? à Lullo Moguntino ait recens auctor (r) astante Carolo M. & Fastrada regina, multisqve aliis proceribus; ab Hercunaberto Mindensi Meibæus; à S. Hildegrino Halberstadiensi alii. Qvid si aut ab Hildebaldo Colonienſi ceu metropolitano sacriqve palatii archicapellano; aut à Wihone Osnabrugensi Episcopo? in re incerta sentiat, qvod lubet, qvisqvis hæc evolveris.

§. 4. Præmia conversо Widekindo à Carolo Magno collata.

Carolum M. cum invitaret ad se Widekindum spopondisse ei non modo commissorum veniam sed & præmia. Affirmat vetus poeta, qvænam illa præmia? primo redditæ illi avitæ possessiones, atqve inprimis præter arces Mindensem, Iburgensem, Belemensem in Osnabrugensi agro sitam, gentilitia domus in vico Angariæ unius ferè leucæ spatio Hervordia distans, in qva deinceps plerumqve resedit, inqve constructa à se Ecclesia honori S. Dionysii galliarum patroni qvam & exornavit canonicorum collegio tumulatus est, ut alibi prosecuturus sum. Atqve hæc est illa arx Angariensis tot regum principumqve altrix ac propagatrix cujus nunc vix tenuia rudera conspicias. Secundo, eidem Widekindo asseritur (s) à Carolo M. collatus hæreditario jure in posteros derivando ducatus Westphaliæ & Angariæ, qvem ducatum ille prius à Westphalis & Angariis obtinuerat sed electitium & temporaneum. Certe

(o) *H. c. apud Cranc. l. 2. Saxon. c. 2. 3.* (p) *Cuyremius in Sax. Cathol.* (q) *Tessemach. in annal.* (r) *Isaac Pontan. l. 1. rer. Danic. l. 1. annal. Sigebert. ad a. 777. Stadensis.* (s) *Cranc. l. 2. Saxon. c. 24. Widikind. Monach.*

auctor vitæ (t) S. Ludgeri Widekindum jam Christianum appellat Saxonum ducem, & posteriores Westphaliæ & Angariæ duces ad Widekindum tanqvam primum suæ dignitatis inceptorem origines suas referunt, nec constat, unde, aut à qvo alio ducum titulus in eorum familias sit introductus.

Duo nobis contra opponuntur, primo nuspiam ab antiqvis rerum Francicarum scriptoribus ducatus iste memoratus, qvia nec à vetustissimo inter Saxones scriptore poeta, qvi præmiorum qvidem à Carolo promissorum Widekindo meminit, sed ipsum tanqvam obscurum, & ignobilem qvendam Widekindum appellat; itane, inqvies, compellare debuisset, si Widekindus, ejusqve posteri duces fuissent Angariæ, in qva poeta Gomo post Widekindi d. l. 1. c. 10. mortem anno vivebat & scribebat? secundo Helmoldus diserte testatur, Saxoniam nullum ducem nisi Cæsarem agnovisse. Qvo ad Francicos scriptores jam supra respondi, eos Carolo penitus intentos res externas aut vix aut negligenter ad modum attigisse. Poetæ vero, jam Widekindi posteri è Westphalia & Angaria excesserant in Saxoniam orientalem, ibi longe lateqve rerum potiti, Westphalia Angariaqve maximam partem sub Episcoporum, Abbatum comitumqve jurisdictionem redacta. Non ergo valde mirandum, si poeta Paderbornæ in monasterio vivens scribensqve exiguam aut eorum, aut progenitoris Widekindi notitiam habuerit. Ad hæc clarum est poetam semper pene insistere vestigiis aut Eginhardi aut Francicorum annalium conditorum, apud qvos qvia de Widekindi ducatu nihil repererat, nec ipse qvicqvam de eodem cecinit. Alioqvin videbimus ex eodem poeta anno 503. à Carolo Saxonibus victis impositos judices, hoc est, comites, & legatos, qvo nomine qvos alios qvam duces intelligas? Ut videatur nostram sententiam poeta potius stabiliviss. Helmoldo longè posteriori auctori prævalere debent, ea qvæ in medium attulimus, nisi per ducem intellexerit, eum qvi supremo jure Saxonibus omnibus atqve adeo ipsis Episcopis imperaret, qvalem nec nos aut Widekindum aut alium in Saxonia ullum agnoscimus. Porro Widekindum non tam ducem qvam regem Saxonum Westphalorum & Angariorum fuisse, anteqvam ii Francis colla submitterent, ad annum 772. significavimus. De insigni Widekindi, pullo nimirum eqvino priores erigente in saltum pedes ex nigro colore mutato in album à Carolo, videatur Crancius (u) Cui tamen haud facile fidem habeas asserenti subsilientem istum mannulum esse vetustissima Saxonum arma, cum ego alibi ex Widekindo monacho produxerim Leonem, draconem & aqvilam, Soli Westphali eqvum, Angarii tria nymphææ folia sibi vendicant; an à prisco ævo? solide probari neqvit.

§. 5. An ita profanam jurisdictionem Carolus contulerit Widekindo & comitibus in Saxonia, ut nullam Episcopis dederit.

Nonnulli moderni (x) auctores nescio qvibus oculis intuentes Episcoporum nostrorum opes & potentiam, negant illos ex institutione Caroli Magni profanam ac civilem sacræ & Ecclesiasticæ admixtam habuisse jurisdictionem, sed eam demum accessisse, aut sub Ludovico Pio (y) aut sub Ottone Magno (z) solis Widekindo duci, missisqve dominicis & comitibus à Carolo concessum, ut profana administrarent. Probant primo qvia Episcopi Saxoniæ non obtinuêre majorem potestatem qvam cæteri per Franciam antistites, qvos constet extra sacram, non habuisse ullamaliam potestatem. Secundo Ludovicus pius Imperator in sua constitutione (a) describens discriminansqve comitum & Episcoporum proprias functiones, comites, inqvit, justitiam diligant & faciant: Episcopi religiose conversentur & prædicent. Tertio ex primis fundationibus Episcopatuum minime obscurum est, inqviunt, Episcopis & Ecclesiis tantummodo concessas esse decimas, relicta vero tum Saxonibus sua dominia tum supremam potestatem regibus, eorumqve vicariis ducibus & comitibus. Nec alium in finem additi sint Ecclesiarum præsidibus advocati è nobilitate, qvam ut eos defenderent, eorum qvæ possiderent, bonorum politica administratione fungerentur: eorundem subditis nomine regio justitiam administrarent. Qvarto denique præterqvam qvod existiment abusum esse Christi instituto contrarium, nec adhuc puriore Ecclesiæ seculo, qvo Carolus imperavit, vigentem, sacerdotes divino cultui mancipatos, politicis rebus & sæculari imperio distineri, liqvere ajunt ex literis & privilegiis Ottonum eorumqve successorum, posteriori demum tempore ab Episcopis secularia dominia male ambita, pejus à Cæsaribus indulta. Futiles has rationes ut plumbea tela facile elidas. Prima ex falso præsuppositio qvid concludit nisi falsitatem? S. Cunibertum Colonienſem in Francia Episcopum diu ante Carolum pedo junxisse gladium, alibi demonstravimus. S. Hubertum Leodiensem exercuisse secularem jurisdictionem sub Carolo Martello docet Joannes Roberti. (b) De Trevirensibus & Moguntinis prælulibus testes locupletes sunt Browerus & Serarius. Et nunqvid ex S. Bonifacio alias didicimus Episcopos Galliæ armatos prodiisse in militiam & vitam egisse principum secularium. Abusi fuerint aliqvi ea potestate, de hoc enim modo non disputamus, sufficit demonstrasse, fuisse viros potentes & utroqve gladio instructos. Sed esto, gratis hoc si concederem gallicos Episcopos non habuisse profanam, ullam jurisdictionem, alia ratio esse potuit in

(t) *Apud Brouw. in sideric. c. 26.* (u) *L. b. 2. Saxon. c. 24.* (x) *Reiner. Reinecci. in notis ad poet. Joannes Letzner. in vit. Carol. M. Andre. Knichen. de jure territor. c. 1. & alii.* (y) *Ut tradit Knichen ex Helmold. c. 4.* (z) *Ut putat. Reineccius.* (a) *Apud Ansegisum Abbatem lib. 2. c. 12.* (b) *In paralipom. ad ejus vitam p. 164.*

in Saxonicis. Majore illis autoritate & gratia opus erat, in gente adeo dura & feroci, qvæ illo rerum temporalium adminiculo destitutos præsules facile spreviſſet, excussoqve jugo ad ingenium & ritus idololatricos rediiſſet. Ludovicus pius in allata constitutione dicendus est primarium Episcoporum descripsisse munus, secundarium hoc & addititium siluisse, aut certe voluisse, ut comites qvi tum regio tum Episcoporum nomine jura reddebant populis, diligenter officio suo fungerentur. Qvod de decimis affertur, eæ à Carolo qvidem clero Saxonico sunt assignatæ: Verum ostendam inſita adjecta esse à munifico principe, oppida, communitates, villas, rebellium multorum arces; sicut romano pontifici in Italia donarat multas provincias exemplo patris sui Pipini, ita qva erat in sacrorum locorum præsides liberalitate, eam erga Saxonicos sacerdotes minime passus est desiderari in ea provincia qvam ampliſſimam belli jure subegerat. Advocati è comitibus additi Episcopis eorum civilem potestatem confirmant potius qvam destruunt. Per eos enim tanqvam ministros seu ut olim loqvebantur ministeriales Episcopi subjectum sibi populum in civilibus gubernabant: eorum opera coercebant refractarios, bella injuriasqve illatas propulsabant, jura suis reddebant, qvod & nunc fieri videmus, qvid ergo inde conficies? An Archiepiscopus noster Colonienſis Maximilianus Henricus omni idcirco exutus est politica potestate, qvia eam potiſſimum laicis hominibus commisit, nomine suo exercendam? Injurius fueris si affirmaris. At nefas est hominem Deo rebusqve divinis consecratum secularibus se implicare. Vide qvisqvis hæc effutis, qvam calumnioſe traducas tot eccleſiaſticos principes, qvi & nostra ætate, & olim cum laude & sanctitate rebus publicis sacris ac politicis simul præfuerunt. Non pugnant inter se sacer & profanus principatus; utraqve potestas & politica & spiritualis bona est, utraqve à Deo inſtituta & ordinata. Utramqve nullum unqvam jus eidem homini pariter interdixit. Qvin in Samuele laudabiliter concurriſſe divinæ testantur paginæ. Qvo exemplo aliorumqve veteris legis pontificum nostri se pontifices tuentur, nec se implicant rebus secularibus, adeo ut iis qvasi retibus illaqveati, se suumqve animum expedire neqveant ad divinarum rerum contemplationem, qvod vetat Apoſtolus (*c*) sed possident solummodo secularia, eaqve gubernant, idqve cum magna utilitate Eccleſiæ & populorum præstare eos ac præstitiſſe freqventes plutimum exemplis suis locis ostendam, & ante me alii (*d*) ostenderunt, qvos tu lector consulas. Si qvi religione neglecta & deserta totos se ad dominatum & imperium converterunt similiores facti tyranni militibus, satrapis & Venatoribus, qvam sacerdotibus & ovium pastoribus nomini suo non sacerdotio nec legitimo imperio asperſere maculam. Vitia iſta hominum sunt, non principatus, nec minus è laicis principibus qvam plures istis deturpatos & videas & legas. Nos de ipsa civili potestate secundum se spectata hic agimus, qvam à Carolo Magno simul Saxoniæ Episcopis tributam affirmat ipse rex tum in aliis diplomatis tum in literis, qvæ etiam num extant fundatrices Episcopatuum Verdensis (*e*) & Bremensis (*f*) infra citandæ, in qvibus refert ipse rex, se juxta antiqvum Romanorum morem Saxoniam in provincias redegiſſe & in Episcopatus certis terminis distribuiſſe, addixiſſe devictos Saxones Deo & sacerdotibus tributarios, ac subjugales, vide & diplomatis Carolini fragmentum anno 803. Eccleſiæ Osnabrugensi dati. Crancius qvi vetustas chartas inspexiſſe potuit diligentiſſimus Saxonicorum antiqvitatum indagator non uno in loco hanc sententiam profitetur: Dedit, inqvit, (*g*) Carolus regalia pontificibus qvod intelligeret infrenem populum posse religione contineri, armis placari non posse. Et alibi (*h*) Episcopis à summo pontifice & legatis ejus cum attributus esset ensis ille spiritualis distructionis, ipse Carolus suum illis adjecit, ut haberent qvo contumaces & terrerent (& distringerent. Item (*i*) qvamvis pontificibus esset à Carolo permiſſa potestas gubernandi, non tamen amisêre primores Saxonum suam administrationem. Qvibus verbis innuit Crancius, id qvod veriſſimum puto, Saxoniam partim duci, partim comitibus, partim antistibus relictam gubernandam. Factus qvidem dux Westphaliæ & Angariæ Widekindus, sed jure admodum corciso, & in terris ipsi solum propriis; qvomodo & comites certos districtus regii juris accepêre regendos aut si qvi proprios habebant, multi beneficiario certiqve ministerii præstandi titulo subjecti aut à Carolo aut à se ipsis Eccleſiæ, certis vero casibus ut cum è Saxonia ducendus in hoſtem exercitus, omnes paruiſſe Widekindo, ejusqve posteris ducibus crediderim. Ottones & qvi eos consecuti sunt Cæsares multa Eccleſiis è propriis fundis, qvi sibi tum qva ducum Saxoniæ posteris & hæredibus tum qva regibus competebant adjecêre Episcoposqve jam rerum temporalium dominos justis ex causis auctos à se divitiis, auxêre etiam honoribus, ac principum titulis in majorem religionis splendorem ac commodum reipublicæ, qvantumcunqve odio religionis æstuantes adversarii obganniant.

§. 6. Origo Episcopatus Mindensis.

Crancius postqvam retuliſſet Carolum exposuiſſe Widekindo arcana S.S. Eucharistiæ sacramenti, exhilaratus, inqvit Widekindus iis qvæ ex rege cognoverat, eundem oravit, ut proprium illi sacerdotem permitteret, qvi divinæ rei curam haberet, crebriusqve in conspectu perageret altaris sacratum ministerium. Rex etiam pontificem illi daturum promittit, modo

(*c*) 2. *Timoth.* 2. *v.* 4. (*d*) *Bellarm. l.* 5. *de Rom. pontif. c.* 9. & 10. *Gelen. in pret. hierol. à pag.* 70. (*e*) *An.* 786. (*f*) 788. (*g*) *In proemio metrop.* (*h*) *L.* 1. *Sax. c.* 22.

illi habitationem Episcopo dignam provideret. Dux vero arcem suam ad Wiseram utriusqve capacem ostendit, deditqve in ejusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ Ecclesiæ. Ferunt proinde nomen Ecclesiæ provenisse qvod meum & tuum qvasi communis duorum possessio sonat, in lingua Saxonum vernacula Min, din. Erat vir præcipua religione Herimbertus, qvi à Carolo dignus est habitus qvem primum præficeret Ecclesiæ Mindensi Episcopum. Adjecit illi ministeriales non paucos nec parvos, ut, haberet Ecclesia defensores suos. Ornata est autem Ecclesia jam tum ab initio multis S.S.um reliqviis, Feliciani Fuliginatis Episcopi & martyris, Theodori Episcopi, Carpophori & Habendi martyrum. Hæc Crancius: Chronicon vetus Mindense eadem narrat, de Widekindo, sed accidisse vult anno 780. fundationem sui Episcopatus, primum Episcopum vocat Hercumbertum, qvi à nonnullis teste Cleinsorgio putatur ex Abbate Corbeiæ Francicæ ad eam dignitatem promotus, ad hæc consecratam suam basilicam in honorem S. Petri principis apostolorum & S.S. Martyrum Gorgonii & Dorothei: stare eam in fundo arcis Widekindeæ, alteram arcis partem occupare curiam majoris præpositi: esse tertium in ordine Episcopatum totius Saxoniæ. Ut admittam anno 780. decretam in synodo Paderbornensi sedem Mindensem, nego, qvod & paulo ante feci repetoqve primordia illius deberi converso Widekindo sed soli Carolo; incrementum vero ac domicilium ajo additum seu confirmatum, qvod jam Carolus dederat, à Widekindo anno 798. aut anno qvi præsentem consequitur, si qvidem traductum ad Christianam religionem Widikindum ante jam dictos annos nemo in veterum annalium lectione versatus jure affirmare poterit. Cæterum qvem ex illustribus viris advocatum novellæ Ecclesiæ dederit Carolus, non meminêre Mindensium annales. Constat ex diplomatis posteriorum regum, qvæ Pistorius numero triginta edidit, licuisse Episcopo Mindensi eligere advocatum qvem vellet, ut proinde hæreditarius fuisse qvispiam non videatur, saltem posterioribus temporibus, subjectus est Herimbertus primus Episcopus Hildebaldo Colonienſi metropolitano, uti ante illum Wiho Osnabrugensis.

Annus Christi 786.

Carolus hiemem, ac paschalem solennitatem traducit Attiniaci 9. Kal. Julii Moguntiæ præsentibus ac subscribentibus Lullo Moguntino, Hildebaldo Colonienſi, Richoldo Trevirensi Archiepiscopis litteras expedit, in qvibus stabilit fundatum à se Episcopatum Verdensem. Notanda literarum verba, victos tandem aliqvando virtute Christi Saxones, & ad Baptismi gratiam perductos: Effeciſſe se ut Christo domino & sacerdotibus ejus omnium jumentorum suorum & fructuum terræ, omnis agriculturæ decimas & nutrituræ simul in unum divites & pauperes secundum canonicam assertionem & legalem cautionem constricti de cætero persolvant. Terram autem eorum secundum antiqvum Romanorum morem in provinciam redegisse, & in Episcopatus certo termino distribuisse. Hinc & se fundasse Episcopatum Verdensem, & ad ejus structuram 200. mansos cum suis pertinentiis obtulisse prater decimas, qvas omnes divites & pauperes illi persolvere debeant. Deniqve commendasse se ex consensu papæ, sacerdotum, & Alcuini insignis prædicatoris Ecclesiam Swiberto sanctæ conversationis viro. Fuit Svibertus iste uti eum celebrat Crancius (*i*) professione monachus & Abbas, natione Anglicus, vir zelo Dei fervens & multis clarus miraculis alius tamen & longè posterior S. Sviberto Werdensi, qvam jam ante 50. annos cœlo intulimus.

Interea dum Carolus per duces suos minorem Britanniam domat, latusqve Wormatiæ ex ea provincia obsides accipit; dum Aragiso duce Beneventi res novas moliente, in Italiam hieme ineunte movet, natalem Domini Florentiæ feriatus in Saxonia qviescentibus armis lætissimo ac prospero cursu procedit res Christiana, incumbentibus in constructionem Ecclesiarum scholarum Christianarum erectiones rudimqve institutionem tum Widekindo duce, aliisqve proceribus; tum novis antistibus cæteris ve fidei præconibus. Qvos (*k*) inter eodem tempore Bernardus qvidam Abbas, religione & fidei ardore præstans Mimigardefordensibus vicinisqve Westphalis erudiendis excolendisqve vacabat, ut videatur jam tum diœcesis Mimigardevordensis fuisse constituta, ac descripta suis limitibus, id qvod ex diplomate Ferdensi certum redditur, interim S. Ludgerus primus futurus antistes, anno superiore à Carolo ad suggestionem Alcuini ex Italia evocatus Lotusam Monasterium in Brabantia, virorum sub canonica regula domino famulantium regebat, ac simul qvinqve Frisiæ pagos recens Francis subjectos doctrina Christiana imbuebat, donec post biennium Mimigardefordam accessit.

Annus Christi 787.

Domito Aragiso Beneventi duce Carolus Romæ Christi anastasin religiosus veneratur. Regrediens ex Italia secum educit in Franciam & Germaniam cantores Musicos, & Arithmeticæ ac grammaticæ professores. Hinc rescriptum (*l*) evulgat de scholis per singula Episcopia & monasteria instituendis. Post hæc indictis à rege comitiis Wormatiæ, decernitur bellum Thassiloni Boicæ duci. Eo in bello Saxones nostri duce utiqve Widekindo una cum Austrasiis & Francis orientalibus vires suas regi conjun-

(*i*) *L. 1. Metr. c. 6.* (*k*) *In vit. S. Ludgeri apud Brouver. c. 17.* (*l*) *Extat apud Sirmondum Miraus ex Adelmaro.*

junxêre. Thassilo triplici exercitu appetitus. Ultimum exitium supplicabundus à se & patria avertit. Magnus duce in gratiam recepto ad villam Ingelheim in hiberna concedit.

Inter (*m*) Musicos ex Italia hoc anno adductos fuisse perhibetur Arnoldus origine græcus, arte lyricus, ob cujus peritiam Carolo per qvam carus extitit, inqve palatiis Aqvisgranenli & Neomagensi curas regis graviores frequenter modulis suis demulsit. Domicilium habuisse ajunt in Juliacensis ducatus villa, qvæ ab eo Arnowilre, hoc est Arnoldi villa dicitur, in qva & diem extremum clausit, apud posteros famam sanctitatis promeritus. Testatur id Usuardus in martyrologio qvod Molanus auctum & notis illustratum in lucem edidit: in eo ad diem 18. Julii hoc ejus elogium ponitur: In territorio Juliacensi, pago Arnswilre natale B. Arnoldi citharædi Caroli M. & confessoris, multæ erga pauperes pietatis viri. Perstat sylva, qvam Arnoldus à rege pio astu impetratam ruricolis in vicinia degentibus liberali animo donavit jure perpetuo in commune possidendam exclusis agricolis in medio positis, qvi uti cum rege conventum fuerat, labore diurno nemus celerrime circumeuntem, sibiqve vindicantem vel spreverant vel refocillare sitientem neglexerant. Coloni qvotqvot silvæ commodis perfruuntur, qvotannis 18. Julii ad ejus tumulum præeuntibus vexillis ac crucibus, catervatim religioso singulis è pagis agmine confluunt, Deoqve ac famulo ejus Arnoldo gratias persolvunt.

Annus Christi 788.

§. 1. Series rerum à Carolo M. gestarum.

Thassilo Bajoariæ dux ad ingenium reversus Hunnos in novum bellum conduxerat, ob id tanqvam læsæ majestatis reus Ingelheimium à Carolo citatus in generalibus comitiis ex auctoratur, ac cum filio Theodone in monasterium detruditur, Bajoaria regi adjudicata, & in provinciæ formam redacta. Hunni eam incursantes fortiter repelluntur. Hinc Hunnicum bellum enascitur, qvo teste Eginhardo Franci incredibiliter ditati sunt. Carolus Aqvisgrani hibernat.

§. 2. Episcopatus Bremensis.

Spiræ existens Carolus pridie idus Julii fundato à se Episcopatui Bremensi hujusmodi literis (*n*) robur adjicit. In nomine Domini & Salvatoris nostri JEsu Christi Carolus divina ordinante clementia rex: Si Domino Deo exercituum succurrente in bellis victoria potiti sumus, in illo & non in nobis gloriamur: & in hoc seculo pacem & prosperitatem & in futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Qvapropter noverint omnes Christi fideles, qvod Saxones qvos in progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsiqve Deo & nobis tandiu rebelles, qvousqve illius non nostra virtute ipsos & bellis vicimus, & ad baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinæ libertati donatos & omni debito nobis censu solutos pro amore illius, qvi nobis victoriam contulit, ipsi tributarios & subjugales devote addiximus: videlicet ut qvi nostræ potestatis jugum hactenus ferre detrectarunt, victi jam Deo gratias, & armis & fide, Domino ac Salvatori nostro JEsu Christo, ac sacerdotibus ejus, omnium jumentorum & fructuum totiusqve culturæ decimas, ac nutrituræ divites & pauperes legaliter constricti persolvant. Proinde omnem terram eorum antiqvo Romanorum more in provincias redigentes, & inter Episcopos certo limite disterminantes septentrionalem illius partem pio Christo & Apostolorum suorum principi Petro pro gratiarum actione devote obtulimus, sibiqve in Wigmodia in loco Bremen vocato super flumen Weseram Ecclesiam & Episcopalem constituimus cathedram &c. Addit ibidem se eidem Ecclesiæ consecrari fecisse 3. idus Julii Episcopum primum Willehadum, contulisseqve ei non modo Saxoniæ sed & Frisiæ partem: postqvam denique descripsisset terminos Episcopatus sic concludit: Et ut donationis ac circumscriptionis auctoritas nostris futurisqve temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Domini Caroli regis invictissimi Hildebaldus Archiepiscopus Colonien sis & sacri palatii capellanus recognovi. Datæ IIdo idus Julii anno dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. (*o*) Amen, anno autem regni Caroli XXI. Actum palatio Nemetensi feliciter. Amen.

Subjecta est Ecclesia Bremensis suffraganea metropoli Coloniensi qvanqvam ubi accessit Bremensi sedes Hamburgensis, Bremensis postmodum gravissimas lites movit Coloniensi, qvibus nunc victus, nunc victor, tandem plane prævaluit, affectusqve honore metropolitico parem se propemodum Agrippinensi gessit.

§. 3. Episcopatui Mimigardevordensi S. Ludgerus Vicarius præficitur.

Moriente Bernardo Abbate Westphalorum doctore, de qvo egimus ante biennium, S. Ludgerus (*p*) è præposito monasterii Lothusani in Brabantia à Carolo constituitur vicarius & administrator Episcopatus Mimigardevordensis: id qva ratione acciderit referunt vitæ S. Ludgeri scriptores (*q*) præmittuntqve qvomodo oblatum sibi à rege Archiepiscopatum Trevirensem vir sanctus respuerit, dictitans hujus-

(*m*) *Molan. in natal. SS. Belg.* 18. *Julii ex Arnoldo Hisuelt Canonico Colon.* (*n*) *Recitat Adam Bremensis l.* 1. *c.* 10. *& ex illo Cranci. l.* 2. *Sax. c.* 15. (*o*) *XI.* (*p*) *Brouver. in not. ad vit. S. Ludger. aliiserius circa annum* 793. (*q*) *Apud Brouv. in siderib. c.* 17. *Cincinnius c.* 20.

jusmodi Ecclesiam se Episcopo minime indigere, in qva per plures viverent se longe doctiores, eoqve honore digniores, posse se rudibus melius præfici, & si regi placeret, in Saxonum populo voluntarium subiturum laborem, qva responsione & voluntate plurimum recreatus Carolus in occidentali Saxonum parte pastorem eum constituit, impleto somnio qvod super tribus acervis dudum Ludgerus viderat. Tum vero operis divini multum avidus sollicito studio totisqve viribus in conversione gentilium Westphalorum vehementer insudare cœpit. Auferre veteris vanitatis culturas, Idololatriæ reliqvias, Ecclesias construere, in eas populos convocare & erudire. Presbyteros, qvos scientia & moribus instruxerat, per loca distribuere. Ipse svavissimus suis moribus, & plurima humanitate adeo sibi cunctorum animos devinxit, doctrinamqve suam persvasit, ut in Saxonia & Frisia multam plebem Deo acqvireret. Et qvidem opus pontificis studiose explere satagebat, gradum vero Episcopalem suscipere renuens, ad 12. fere annos distulit, ita qvod oneris erat suscepit, qvod vero honoris declinavit, qvomodo vero tandem ab Hildebaldo Colonienſi Episcopalibus insulis exornatus atqve initiatus sit, dicetur anno 800. Fuisse qvoqve S. Ludgerum allectum inter canonicos & doctores Ecclesiæ Osnabrugensis ipsorum Osnabrugensium est persvasio, idqve legi Monasterii in qvodam vetusto codice manuscripto. Silent ea de re vitæ auctores & Crantius. Qvandonam vero dicemus vixisse S. Ludgerum Osnabrugi in Clero? an ante annum 782. qvo in Italiam secessit? at tum morabatur in Frisia, asscriptus Clero Trajectensi. An anno 785. qvo ex Italia rediit? at ab illo tempore usqve in præsentem annum monasterio Lothusano in Brabantia rector præfuit. Super est igitur, ut dicatur hoc & 12. seqventibus annis, qvibus Westphalos vicario munere excoluit, Osnabrugum per intervalla incoluisse, atqve istic Saxonum egisse institutorem. Id qvam habeat probabilitatis speciem, lector judicet. Fuit S. Ludgerus &c. vide post §. seqventem & loco.

§. 4. Tractatur fusius de origine dote Episcopatus Mimigardevordensis.

Initium Episcopatus Mimigardevordensis qvem nunc Monasteriensem dicimus, chronicon Mindense & Gigas referunt ad annum 785. Cleinsorgius ad annum 783. qvidam manuscripti codices ad annum 776. Wittius ad annum 777. Rolevingius ad longe posteriora tempora. Ut rectius de vero tempore statuatur, tam hujus qvam aliarum in Saxonia Ecclesiarum, distinguere oportet inter annum, qvo Ecclesiæ primum constitutæ sunt, ac suis limitibus circumscriptæ; & cum qvo præfectus illis solenniter primus antistes, qvo observato discrimine facile explicantur & conciliantur discrepantes opiniones de primordiis Episcopatuum Saxoniæ. Cum igitur viderimus ex diplomate Ferdensi dato anno 786. & ex Bremensi hujus anni, Saxoniam Universam saltem qvæ sita est inter Rhenum & Visurgim, ante annum 786. fuisse a Carolo redactam in provincias, ac in diœceses Episcopales divisam, necessario hinc infertur, non modo Osnabrugensem, sed & Paderbornensem, Mindensem, Schidrensem, ac Mimigardevordensem (de trans Weseranis non lubet disputare) Episcopatus, ante annum 786 jam fuisse erectos suisqve terminis definitos. Perfectam hanc limitum constitutionem factam reor anno 785. Paderbornæ in synodo ibi tum celebrata, ubi non modo sedi Osnabrugensi fundatæ anno 777. Paderbornensi & Mindensi anno 780. Schidrensi anno 784. alii atqve alii fuerint assignati sed & Mimigardevordensi sua data primordia suiqve fixi limites vel aliis detracti vel novi additi; & qvidem eam Saxoniæ partem, qvæ meridiem respicit, propinqviorqve Rheno est, addere placuit Ecclesiæ Agrippinensi, agente id, qvi plurimum in palatio poterat Hildebaldo Archiepiscopo, partes orientales cetsere Paderbornensi, Schidrensi Mindensi & Bremensi; mediterraneæ Osnabrugensi & Mimigardevordensi cum districtu septentrionali, atqve occiduo. Ex qvibus videas hac ratione antiqvissimam esse sedem Osnabrugensem, qvæ toti primum Westphaliæ & Angariæ in sacris jus dixit. Hanc ordine excipiunt Paderbornensis, Schidrensis, Mindensis omniumqve postrema Mimigardevordensis, ætate inter Westphalicas junior; potentia & divitiis nunc omnibus major. Qvia vero vel ob defectum idoneorum antistitum dotisqve sufficientis, vel ob continua bella non potuere novis erectis Cathedris subito imponi præsules, cæ, excepta Osnabrugensi & Mindensi, vel per extraneos Episcopos, ut Paderbornensis, vel per alios sacerdotes velut vicarios aliqvo tempore fuerunt administratæ. Ita Mimigardevordensis habuit Bernardum Abbatem, & de inde per annos 12. S. Ludgerum Adeoqve si auspicari lubet à primis consecratis Episcopis initia Paderbornensis & Mimigardevordensis Episcopatus; illius incidet in annum 795. hujus vero in annum 800. Ex his non difficile erit arbitrari, qvid sentiendum sit de Crantio, his verbis proponente (r) sedis Episcopalis apud Mimigardevordenses exordium: Tertiam (post Osnabrugensem & Salingstadiensem) Episcopalem Ecclesiam rex erexit in mediterraneis Saxoniæ nunc Westphaliæ in Mimigrodo loco populoso ac celebri; Locumqve jussit Westphaliæ consecrari in honorem D. Pauli, præposuitqve loco pontificem sanctum virum Ludgerum virum ab utero sanctificatum, qvi prædicationis S. Officio tam ardenter incubuit, ut merito Saxoniæ Apostolus & nominaretur & esset. Et infra, vocavit Rex de monasterio cui præfecerat Ludgerum, eiqve commendavit Ecclesiam Mimigrodensem, qvam 12. annis pastor fidelis gubernavit, donec jubente eodem rege con-

(r) *L. 1. Metrop. c. 5.*

consecraretur ab Hildebaldo Colonienſi. Ubi errat inprimis qvod Eccleſiam Mimigrodenſem appellet tertiam totiùs Saxoniæ; id enim illi non conceſſerint nec Mindenſes nec Paderbornenſes potiori jure ſubnixi. Deinde contra ea, qvæ aſſeruimus videtur confundere Crancius initium Epiſcopatus cum ingreſſu S. Ludgeri, cum conſtet minimum biennio illud hoc eſſe anterius. Qvod ſpectat ad dotem Mimigardevordenſis Eccleſiæ facili negotio ea recenſeri poſſet, modo extarent literæ primæ fundationis, qvas audivi qvandoqve alicubi detineri. Præter decimas attribuiſſe ſcribitur (*s*) Carolus S. Ludgero tum oppidum Helmſtadium trans Viſurgim ſerviturum monaſterio Werthinenſi, tum ipſi, ejusqve poſteris Epiſcopis 12. villas in territorio Mimigardevordæ poſitas, qvas vulgus nuncupat bis copingas, hoc eſt, Epiſcopi poſſeſſiones, alii curtes officiarias (*t*) perſtant tum aliæ plures tum celeberrima Nortwaldenſis, in ſingulis viſtanſir oratoriam, ut cum eo diverteret Antiſtes, rei vacaret divinæ. Villici earum dicti aut ſculteti aut officiarii. Cuilibet curti ſuberant qvatuor aliæ minores decumariæ, tum aliæ qvam plures caſæ. Connexa qvoqve erant nonnullis certa judicia, & jura non modo in fortunas ſed & in vitam necemqve aliorum, ſculteti eorumqve uxores & liberi obnoxii erant Epiſcopo velut mancipia, usqve adeo uti nec alteri ſubjicere ſeſe, nec jure civitatum donari, nec ſacros ordines ſuſcipere, aut religioſæ vitæ ſe adjicere absqve ejus facultate poſſent, iidem qvæſtori antiſtitis qvotannis certam penſionem perſolvebant; reliqvorum fructuum dominio pro ſe, proqve familia retento. Curabant non modo ſuæ curtis, ſed & aliarum minorum reditus, ædificiaqve ut ſarta tecta perſiſterent è vita excedentibus pari jure ſuccedebant liberi, iis deficientibus agnati, ut videantur commiſſa illis prædia feudorum potius qvam locatorum bonorum naturam imitata, durantqve etiam num ſub eadem conditione non modo villæ Epiſcopales ſeu biscopingæ ſed & aliarum Eccleſiarum poſſeſſiones de qvibus latius pertractat Andreas Boickhorſt (*u*) Syndicus capituli Monaſterienſis.

Hæc de dote, videamus & locum, in qvo Epiſcopalis Eccleſia conſtructa narravimus alibi Mimigardevordæ fœminam locupletem à S. Swiberto in die converſionis S. Pauli à graviſſimo morbo divina virtute ſanatam in ejusdem gentium doctoris honore oratorium proprio in fundo ædificaſſe, in hoc eodem (*x*) oratorio Carolus cathedram futuro antiſtiti erexit. Addidit Monaſterium ſeu domicilia in qvibus tum Antiſtes, tum canonici habitarent, vitæ communi inſtituta, qvos vetuſtæ chartæ nominant fratres S. Pauli & S. Walpurgis, qvod hæc diva ſimul eſſet tutelaris. Stetit vetus templum matronæ illius opus eo loci ubi modo eſt porticus & cæmeterium presbyterorum. Relictis in eo S. Pauli fratribus Dodo decimus Epiſcopus novam Eccleſiam conſtruxit, in qvam qvos Canonicos tranſtulit, ſimpliciter S. Walpurgis fratres appellati. Hi modernum templum cathedrale occupant, cujus fundamenta jacta anno 1225. Fratres vero S. Pauli occupant è tempore Florentii Epiſcopi ſacellum Epiſcopale D. Andreæ ſacrum, cui nomen vetus dominicum. Porro confluente olim ad monaſterium multitudine populi, ibiqve circum qvaqve cleri permiſſu ſedes ſuas figente in eam qvæ nunc cernitur amplitudinem & elegantiam civitas excrevit, cui & Monaſterii nomen adhæſit, abolito qvæ è regione transflumen multis ſeculis ſteterat, Mimigardevordæ vocabulo, uti ſcripſimus ad annum 504. ampliſſima modo eſt campi dominici Baſilicæ cathedrali circumfuſi area, ut qvæ ex dimenſione Kerſenbroichii celeberrimi qvondam ſcholarum Monaſterienſium rectoris continet in diametro paſſus minores 390. in circumferentia 1226. primarium vero templum in formam crucis ædificatum qvoad longitudinem 360. latitudinem 103. pedibus protrahitur, ipſam aream qvatuor portæ cum adjunctis ſacellis muniunt, circumornant magnificæ Canonicorum ædes ſimulqve Auguſtum Societatis JESU Collegium Gymnaſium.

Addenda §. præcedenti de S. Ludgero.

Fuit S. Ludgerus (*y*) natione Friſo, natus circa annum 749. in pago Virumo prope Doccomium S. Bonifacii cæde nobilitatum. Parentes habuit ea in gente illuſtres genere juxta ac Chriſtianæ religionis ſtudio. Pater Theatgrimus, Mater Liafburga dicebatur. Avus Wriſingus S. Bonifacio familiaris à Radbodo rege præter jus fasqve omnibus rebus exutus, ejectusqve in Franciam confugerat, ubi ſuſcepta Chriſtiana religione, cum poſt mortem Radbodi Caroli principis armis reſtitutus eſſet, eandem patriæ intulit, & ab ejus domo r. in cæteram Friſiam Chriſtianitas propagata eſt. Mater cum puerum in utero geſtaret, & acuta ſude perfoſſa, jam jam expiratura crederetur, repente cum omnium admiratione vires recepit, non multo poſt S. Ludgerum enixa. Vix verba puer balbutire cæperat, vix greſſum figere, cum peculiaris in eo morum gravitas eluxit. Averſari ludicra, & jam tum feria agendo vel corticis in libros concinnare, vel lectitanti aut

(*s*) *In vetuſto codice MS.* (*t*) *Amthöf.* (*u*) *In vita S. Ephonis Monaſterii anno* 1649. *edita.* (*x*) *Kerſenbroich in Hiſt. annal. & catal. Epiſc. Mon.* (*y*) *è vit. S. Ludgeri & annexa illi Chronotaxi Chriſt. Brouver.*

scriptanti similis assidere. Interrogatus qvo magistro ita didicisset, DEUS, inqviebat, DEUS me docuit. Provectior ætate à parentibus erudiendus traditus est S. Gregorio sedis Ultrajectinæ administratori. Qvo doctore literis virtutes, sapientiæ timorem domini conjunxit, fuitqve in collegio Trajectensi eo mores suavissimos omnibus in amoribus, jam viginti annorum adolescens circa annum 770. cum Alberto consecrando Episcopo missus est à Gregorio in Angliam. Ibi suscepto diaconatu, Eboraci cum Alcuino viro celeberrimæ tum professionis frequenter contulit, & ab eo cœlestem doctrinam hausit. Anno 771. ex Anglia reversus Trajectum, cœpit rursum Alcuini desiderio suspirare in Angliam, qvo navigavit anno 772. ac tribus annis cum dimidio ab eodem Alcuino sacris eruditus disciplinis, filiiqve loco habitus est. Anno 775. redux ex Anglia ab Alberico Trajectensi Episcopo missus Daventriam ac deinde in Frisiam vitæ apostolicæ rudimenta posuit. Anno 776. Coloniæ sacerdotio inauguratus, septem post hac annis Frisiorum popularium suorum eruditioni & culturæ animarum intuit donec anno 782. Widekindi tyrannide e Frisia profligatus Romam deinde Cassinum concessit. Post biennium è Cassinensi Monasterio à Carolo Magno evocatus anno 785. Lethuisno Monasterio Frisiqve rursum excolendis præpositus est. Hoc demum anno Frisiam hucusqve Apostolus, Christi legatum apud Westphalos agere cœpit.

Annus Christi 789.

§. 1. Synodus Aqvisgranensis. Bellum Caroli in Slavos.

Carolus Magnus tota hieme Aqvisgrani moratus, ibidem 19. Kal. Aprilis edidit Capitularia (z) ad pastores & curatores animarum, in qvo plures Ecclesiæ canones ex conciliorum veterum Pontificum & patrum sententiis collecti pro Ecclesiastica disciplina formanda. Promulgati opusculi tempus & locus ita subnectitur: Anno dominicæ incarnationis 789. Indict. 12. anno 20. (a) regni nostri, actum est hujus legationis edictum in Aqvisgrani (b) palatio publice; data est hæc charta die decimo Kal. Aprilis. Affirmat in eodem Carolus se missos suos ad eos direxisse, qvi ex sui nominis auctoritate una cum iis corrigerent, qvæ corrigenda essent. Capitulare hoc nonnemo recens (c) adlor editum vult non in Synodo sed in regni comitiis, & qvidem cura regiorum legatorum, idqve ut ostendat Carolum politica potestate leges Ecclesiis & sacerdotibus præscripsisse. Probat ex verbo (Edictum legationis) qvasi vero non sit æqve sacra ac profana legatio. Contrarium videtur innuere ipse rex dum in proœmio asserit, cum sacerdotibus & consiliariis suis considerasse se DEI in se & populum suum clementiam, & qvam necessariam sit ei agere gratias continuaqve bonorum operum exercitatione divinis insistere laudibus. Et videtur inqvit Sirmondus Paulinus Aqvilegiensis Episcopus, cujus & Alcuini opera collectos esse hos canones scribit Benedictus (d) Levita, vices apostolicas in hac Synodo egisse, qvisqve & patrum collectorum studio & auctoritate concepta leges, Caroli mandato jussæ observari. Essqve hæc prima Synodus Aqvisgrani celebrata. Carolus inde ut Wilsos (e), Sclavos Oceani accolas, qvi Francis subditas aut fœderatas gentes bello premebant reprimeret, Coloniæ Agrippinæ Rhenum transit, adjunctisqve sibi Saxonum auxiliaribus copiis per mediam Saxoniam usqve ad Albim progreditur. Per qvem ductus à se pontibus probe utrinqve munitis instratum ulterius profectus, populata ferro & igne Wilsorum regione Dragowito (f) civitati obsidium admovit. Tum Wilzan primarius Wilsorum regulus ex oppido egressus supplex venit in castra, ac se gentemqve universam dedidit. Rex acceptis obsidibus eadem via per Saxoniam regreditur, ac rebus qvoqve ad Saxones pertinentibus secundum tempus dispositis Wormatiam hibernatum abiit. Corrigendus hic Sigebertus dum duos illos pontes à Carolo vult Coloniæ super Rhenum constructos & munitos, qvos alii omnes super Albim collocant. Et qvid erat opus Coloniæ construere pontem ubi jam erat? qvid opus munire, ubi omnia pacata & secura?

§. 2. Tremoniæ in Westphalia origo & erectum ibi à Carolo dicasterium.

E Sclavica expeditione redux Carolus dum 4. Kal. Octobris in Westphalia divertisset ad villam Trutmanni viri illustris, eundem Trutmannum & loci comitem, & novi ibi erecti tribunalis præ-

(z) *Edidit Sirmond. t. 2. Comit. gall. Vitus Amerbachius notis illustravit it. Eusans.*
(a) *Scribe 21. ex Ansegiso.* (b) *Alia MS. habent in Aquis palatio publico.*
(c) *Herman. Conring. de Origine juris Germ. c. 14.* (d) *Præf. in lib. 5.* (e) *Putantur fuisse qvi nunc dicuntur Mecklenburgenses.* (f) *Putat Leibnitz. sic olim appellatum Brandenburgum.*

præsidem creavit hoc publico diplomate. (g) In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Carolus divina ordinante gratia rex. Si Domino Deo exercituum succurrente in bellis victoria potiti sumus, in illo & non in nobis gloriamur: Et in hoc seculo pacem & prosperitatem & in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Propterea omnes Christi fideles noverint, qvod Saxones qvos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsiqve Deo & nobis tam diu rebelles, qvousqve illius non nostra virtute ipsos & bellis vicimus & ad baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinæ libertati donatos & omni debito censu solutos, præ amore illius, qvi nobis victoriam contulit, ipsiqve tributarios & subjugales devote addiximus, eosqve in fide Christiana retinere optamus & perseverare cupimus. Qva propter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illustrem ibidem comitem ordinamus, ut resideat in curte ad campos in mallo publico ad universorum causas audiendas, vel recta judicia terminanda. Isqve advocatum omnium presbyterorum in Saxonia fideliter agat, superqve vicarios & Scabinos, qvos sub se habet, diligenter inqvirat & animadvertat, ita ut officia sua sedulo peragant. Tandem idem comes omnia sibi singulariter à nobis præscripta, toto conatu & totis viribus perficiat, & ita memoratus noster Comes bene ingenuus ac fecurus existat. Et ut ista ingenuitatis pagina firma stabilisqve consistat, manu propria subscripsimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum (h) Caroli regis invictissimi. Hildebaldus Archiepiscopus Colonienfis & sacri palatii capellanus recognovi. Data IV. Cal. Octob. anno dominicæ incarnationis DCCLXXXIX. Indict. XII. Anno autem regni Domini Caroli XXI. Actum in villa Trutmanni feliciter. Ex his literis perspicuum evadit Tremoniam, unicam hoc tempore in Westphalia Urbem liberam atqve Imperialem debere uti prima sua incunabula, ita & nominis appellationem Trutmanno primo comiti, ut proinde evanescat qvod Georgius Brunus comminiscitur de Tortmannis nescio qvibus Svevis qvasi urbis auctoribus, varie in diplomatis, & apud historicos nomen loci depravatur. Nam modo Trotimannia (i) modo Druthmannia (k) aut Trutmannia; nunc vicus Droomanni (l) Urbs Trotmanni (m) Drotmanni (n); nunc Trotmanda (o) aut Trutmunde scribitur. Rectissima videtur nomenclatura Trutmanniæ, antiqvitates urbis Dithmarus Mutherus ejus civis pertractat. Niemius affirmat suo tempore nationem Westphalicam in calibus juris controversi decisionem Trutmannia, seu ut Euphoniæ causa latiniores loqvuntur Tremonia petivisse. Qvo saris arguitur in hac villa Carolum instituisse veluti Senatum & curiam totius Westphaliæ ad qvam omnes causæ graviores deferendæ essent, ut Tremonia conferetur velut mallum publicum, hoc est ut explicat Vitus Amerspachius, (p) locus indictus vel designatus, in qvo gentis totius esset consilium, Galli moderni vocant Parlamentum; Germani Cameram.

5. 3. Werthinensis Abbatiæ Imperialis constructio.

Hoc (q) eodem vel superiore anno S. Ludgerus ad locum Ruræ contiguum ante novem annos divinitus sibi præmonstratum, adductis secum clericis & operariis perrexit, monasterii dudum præmeditati cum facultate Hildebaldi Colonienfis Archiepiscopi jacturus fundamenta. Fertur confediffe primum loco irriguo juxta fontem, cui nunc à beati viri nomine vocabulum est ad rivulum Werthinam. Illic fixis tentoriis agebant scilicet, ut diluculo exoriente arbores cæderent, aream ædificiis aptarent, opus molirentur. Peritiores artifices, inspecta accuratius conditione soli, ac densitate nemoris, adhortari Ludgerum, desisteret ab incepto, non esse qvod putaret, eo loci habitationem hominibus parari posse, sineret ferarum manere latibula. At vir Dei postqvam cum clericis suis vigilias nocturnas divinumqve officium solito citius absolvisset, cæteris ad qvietem se componentibus, ipse pervigil sub qvadam arbore in preces incubuit. Inde fisus de divina bonitate tentorium suum repetiit. Mirum dictu! nox erat tota illustris & serena, cum subito cœlum nubibus obduci, sævire venti, ingens ex oriri tempestas, qva annosæ prodigiosæqve magnitudinis qvercus stirpitus è terra evulsæ sunt, totumqve nemus procubuit demta sola arbore sub qva preces fuderat. Exorta luce vident omnes ac mirantur aream admodum amplam patere fundando monasterio paratamqve ædificiis struendis è prostratis à cœlo arboribus materiam. Ergo considente in erecta sub residua arbore cella Ludgero, omnibusqve addente animos, incumbunt alacres operi. Saltus Weneswalt antea sua asperitate horridas & incultus sterilisqve urgente, qvem ad curam animarum avocatus Ludgerus fabricæ præfecerat, Hildegrimo fratre Halberstadiensi Episcopo, ac Gerfrido nepote, brevi nobili se monasterio decoratum aliaqve longe hortorum & agrorum specie convestitum admiratus est. Consummato opere Clerici, qvos Ludgerus nutrierat, & monasticis disciplinis instruxerat, tandem ægre licet, inducti, ut ibidem novo assumto habitu regulam & institutum S. Benedicti profiterentur. Visitur ad Ruram flumen in Collimitio

(g) *Ex archiv. Tremonienf. publicavit Meibom. in not. ad Widekindum.* (h) *CARLUS.* (i) *In diplom. Otton. an* 993. (k) *In diplom. S. Henrici.* (l) *Continuat. Rheginon. an.* 953. (m) *Apud Widekind. l. 2. annal.* (n) *Dithmar. l.* 6. (o) *Tract. 6. c. 33. in nemore unionis* (p) *In not. ad capitular. Carol. M. Hæc referenda an.* 802. (q) *Cincin. c. 37. vita S. Ludgeri & privilegium Ecclesiæ fundatæ in Werthin.*

ducatus Montensis & Marcani comitatus ad radicem montis Widebergæ, basilica, oratoriis & annexo oppidulo, qvod ipsi accrevit, pulchra, amnis, qvem egregio qvoqve ponte jungit, oportunitate spectabilis: Ecclesiam primam (nunc Sacellum S. Ludgeri dicitur) ipse sacer fundator consentiente Hildebaldo Archiepiscopo, cujus archidiœcesis limitibus Werthina includitur; novam basilicam ab Hildegrino S. Ludgeri germano magnificentia majore extructam Hadabaldus item Colonienſis Antistes dedicavit, uti hisce versibus testatur Walafridus Strabus. (r) Hoc templum Stephani celebratur honore dicatum cum Jacobo nostri fratre simul domini. Hildigrim struxit, Hadabaldus Episcopus Archi sanctificavit: honor certus utrumqve manet. Extant publicæ tabulæ Willibert Colonienſis Archiepiscopi, in qvibus ipse testatur consecratam à se & Hildegrimo Episcopo anno 865. (al. 875.) basilicam S. Ludgeri confessoris in Werthina ab ipso qvidem primo inchoatam, sed à nepotibus ejus qvinqve Episcopis Hildegrino, Thitgrimo, Gerfrido, Altfrido, & Hildegrimo fratre in honorem S. Salvatoris & SS. Dei genitricis Mariæ & SS. Apostolorum Petri & Pauli, Stephani protomartyris, Laurentii Diaconi, Martini confessoris constructam. Walafridus Strabus ante citatus Grimoaldo Abbati tribuit templorum Dei genitricis & Apostoli Petri instauratos honores. Præter aliam dotem attribuit S. Ludgerus huic suo monasterio Helmstadium oppidum, qvod Carolus Magnus adversus Sorabos & Wilsos bella gerens munierat, donaratqve Ludgero, ut prolaturus trans Visurgim fidem Christianam tutum istic haberet receptum. Ibidem Hildegrimus Episcopus Halberstadiensis symbolam suam conferente S. Ludgero fratre, Abbatiam qvoqve ordini S. Benedicti fundavit, Werthinensi Abbati subjectam anno 801. ut ex chronico Werthinensi MS. tradit Joannes Budeus Halberstadiensis, seu ut Chytræus anno 805. manet ea hodieqve, oppido jam ab anno 1490. Ducibus Brunsvicensibus in feudum concesso. Werthinam vero S. Ludgeri totiusqve ejus familiæ patrimonium Wilhelmus Abbas anno 1317 celebriorem reddidit, adjecto oppido, qvod Engelbertus comes Marcanus civilibus privilegiis ornavit, comitesqve deinceps ibi erecta arce se advocatos protectoresqve Werthinæ profitentur, cum Abbas ipse sit membrum immediatum, adeoqve princeps imperii, cui reliqva Germania contribuente (s) incumbit aliqvot mensibus alere 2. eqvites, 6. pedites, qvanqvam jam ab anno 1602. ostendit debilitas vires oneri ferendo impares.

De tempore fundatæ Werthinæ accuratius qvæsitum.

Secutus Browerum seriem vitæ & rerum S. Ludgeri digerentem existimavi Werthinam præmonstratam viro sancto anno 779. cœptam vero ædificari anno circiter 788. ea in ductus ratione, qvod antequam Ludgerus iter in Italiam susceperit anno 783. jam prænovisset, Hadrianoqve pontifici significasset, futuri monasterii rationes & modum. Nunc vero accuratius inspecto archivo Werthinensi, disco inprimis ex diplomate Caroli Magni anno 802. protendai, structuram vix ante annum 802. inchoatam. Deinde in privilegio primæ fundationis conscripto ab Othelgrimo & Thiedbaldo, discipulis S. Ludgeri asseritur Ludgerum postqvam locum cœlesti indicio designatum ab incolis & dominis illius permutatione acqvisivisset, profectum Romam ad Leonem papam, ab eoqve accepisse salvatoris nostri cruorem sacrum reliqvias & sanctæ DEI genetricis Mariæ, nec non & 12. apostolorum, ut in eorum honore monasterium construeretur. Jam clarum est ex tabis pontificium Leonem III. ante finem anni 695. pontificium thronum non insedisse. Qvod si igitur secundo Romam adiit Ludgerus ut Leonis papæ & auctoritate & sacra munificentia in novi operis fabrica muniretur, liqvet nec ante annum 796. Werthinense ædificium fuisse inchoatum. Illud vero non levem hic parit difficultatem, qvomodo Ludgerus Westphalorum ab anno 789. doctor & pastor potuerit desertis ovibus longinqvo itineri vacare in Italiam, cumpræsertim itineris illius iteratinulla vita à qvibuscunqve scripta meminerit; priorem vero profectionem ad Hadrianum pontificem pari consensu tradant omnes. An bellum anno 793. in Westphalia renascens alios doctores alio Ludgerum fugavit Romam usqve? an vero in privilegio primæ fundationis pro Leone scribendum est nomen Hadriani? Fretus auctoritate diplomatis Carolini propendeo in annum 802. fundatæ Werthinæ, qvo de ea agam fusius.

§. 4. Prima incunabula illustris Collegii Hervordiensis.

Eodem anno 789. Joannes (t) Waltgerus, seu ut alii scribunt Wolderus, vir illustris, ab intimis consiliis Widekindo duci, & ut nonnulli (u) nominant Comes Hervordiæ, ibidem Hervordiæ in proprio fundo Ecclesiam construxit dotavitqve eo loci qvo nunc sacellum Waltgeri visitur cum hac inscriptione: Princeps hujus terræ Waltgerus primus fundator Ecclesiæ Hervordiensis. Putatur possedisse Waltgerus magnam partem comitatus Ravenspergici, sedem gentilitiam habuisse in monte Dorenberg seu Dornenberg. Familia ejus jam à tempore S. Bonifacii Christianis sacris initiata. Patrimen Dedda seu Waldericus Dedda, Mater Evy dicta. Avus Adolphus à S. Bonifacio lustralibus undis expiatus. Waltgero nomen Joannis in Baptismo additum. Qvomodo vero huic Ecclesiæ Waltgerianæ sub Ludovico pio accessе-

(r) *Apud Canisium t. 6. antiq. lect.* (s) *Merianus in topograph. Westphal.* (t) *Chronicon Mindense Hermanni à Lerbeck.* (u) *Hamelman. in Westph.*

accessérit virginum monasterium dicam ad annum 832.

Annus Christi 790.

Carolus (x) Magnus qvietum à bellis annum totum transigit Wormatiæ, atqve arma parat in Hunnos.

§. Widekindi ducis & S. Ludgeri studia promovendæ religionis in Saxonia.

Widekindus Westphaliæ & Angariæ dux ea tempestate totus pietati & templis DEO exstruendis vacabat; Angariam suam novo sacerdotum collegio in honorem S. Dionysii decorabat. Aderat auxilio institutis novitèr Episcopis, usus in his aliisqve consilio & svasu S. Ludgeriqvo familiarissime utebatur. Hic vero (y) non contentus rem Christianam apud Westphalos stabilire atqve ornare, remotioribus qvoqve Frisiis Evangelii facem illatum ibat; iis potissimum qvi in Frisiæ finibus jacentem Fotesslandiam insulam (nunc terra sancta dicitur) incolebant, densis adhuc dum gentilitiæ superstitionis tenebris involuti. Qvas ille protectus eò cum sociis divino Christi lumine depulit. Parantem exinde adire Nortmannos, remotioresqve ad septentrionem populos vetuit magnus Carolus. Qvæ causa regem impulerit, ignoratur. Qvare regressus in Westphaliam circuibat fervidus Ecclesiastos viros villasqve discipulorum agmine circumseptus, ac multis passim miraculis illustris. Discipulis qvod otii dabatur à publicis concionibus, matutino tempore, lectiones tradebat. Exterius honeste indutus amictu, nudam carnem atterebat cilina veste. Qvoqvo incederet circumferebat sacra vasa atqve ornatum sacro missæ officio celebrando. Extat alicubi (z) ejusdem S. Ludgeri calix parvi ovi magnitudinem vix adæqvans, intus auro argentoqve obductus. Cætera materia nigri est coloris, qvali videmus multa constare pocula.

Annus Christi 791.

Celebrata festivitate paschali Wormatiæ, Carolus tribus exercitibus Hunnorum in Pannonia terras invadit. Exercitum constantem è Ripuariis Saxonibus & Frisiis, ducebant Theodoricus (a) Comes & Magenfridus cubiculi præfectus. Vastata Pannonia Rex Ratisponam ad hiberna se contulit Saxonibus & Frisiis Ripuariisqve per Boiohemiam domum remissis,

4. Non. Febr. (b) migrat è vita S. Burchardus Wirceburgensis Episcopus, Ecclesiæ Paderbornensis administrator. Succedit defuncto in utroqve munere Mengingaudus seu Meingut.

Annus Christi 792.

Carolus belli Hunnici apparatibus intentus paschalia, æstatem & natalitia Christi peragit Ratisponæ. Pipinus ejus ex concubina filius, à nonnullis contra patris vitam & regnum incitatus, detecta conjuratione Prumienti (c) Monasterio includitur, in qvo sub Assvero Abbate diligenter in disciplina monastica institutus ad vitæ finem egit.

Annus Christi 793.

Bellum Saxonicum renascens.

Carolo Ratisponæ agente pascha & æstatem, occupatoqve neqvicqvam in ducenda fossa, qva Rhenus Danubio necteretur, inde Sarraceni irrumpunt in septimaniam; hinc Saxones qvi jam octo annis qvasi respirandi gratia ab armis abstinuerant, bellum denuo gravissimum excitant; palam inqviunt, annales Caisiani, abjurant Christianismum, ineunt fœdera cum vicinis Nortmannis & Slavis, mittunt etiam legatos ad Hunnos. Eo Saxonum furore incensæ Ecclesiæ, spoliati, fugati, mactati Episcopi & presbyteri, solenniqve ritu resumta vanorum numinum religio. Primum rebellium impetum sensit Theodoricus comes seu cognatus seu filius nothus regis, cujus copiæ advisurgim in pago Frisiæ Rustringen, ubi modo Jevrensis ditio protenditur, ex insidiis deletæ. Sed qvinam perfidorum hominum concitatores? qvi ductores? an inter eos Widikindus dux? negat jure merito Crancius (d) & à tanta infamia liberat constantissimæ fidei & religionis principem. In Frisia coortam rebellionem, cæsosqve Francos vidimus; à Frisiis igitur auctoribus, & iis, qvi forte è Nortmannia in Frisiam advenerant exules, Saxonia pridem proscripti, æmuliqve dignitatis ac mutationis Widekindi, convolarunt ad signa populi, avideqve arripuere occasionem pristinam vivendi licentiam recuperandi. Carolus eo nuncio accepto, omissa tantisper expeditione, qvam in Hunnos parabat, exeunte Decembri Wirceburgum properavit atqve inde Francofurtum.

Annus Christi 794.

Carolo hiemem peragente Francofurti, ibidem ex Germaniæ, Galliæ, & Italiæ Episcopis numero fere 300. concilium celebratur, qvod plenarium dictum. Damnati inprimis Elipandus & Felix hæretici, Christum asserentes filium Dei esse non naturalem sed adoptivum. Deinde reclamantibus (e) apostolicæ sedis legatis, improbante postmodum Adriano papa septima Synodus œcumenica habita Niceæ pro cultu sacrarum imaginum, ab ignaris decretorum il-

(x) *Annal. Franc. Aimoin. c. 81. poeta.* (y) *Invita apud Brouver. Suri. & Cincinnium.* (z) *In dioeces. Hulberst. apud qvendam decanum vidit qui mihi retulit. P. F. H.* (a) *Hunc Theodericum Ripuariorum ducem Avent. & l. 4. appellat nothum Caroli, alibi vocat cognatum.* (b) *Urspergens.* (c) *Brouver. l. 7. annal. Trev. Sigebertus.* (d) *L. 1. Metrop. c. 12. & libr. Saxon. c. 17.* (e) *Baron. Bellarm.*

lorum Episcopis est rejecta. Qvanqvam sunt (*f*) qvi affirment à patribus Francofurtensibus non damnatam sed approbatam synodum Nicæam sacrarum imaginum venerationem sano sensu adstruentem. Videantur ea de re latius citati auctores ac Theologi.

Carolus soluto Francofurtensi conventu, misso Pipino filio contra Hunnos in Pannoniam, bipartito exercitu arma in Saxoniam promovit. Ipse cum dimidia parte copiarum, ab Australi parte per Hassiam hostile solum invasit. Cum altera dimidietate Carolus junior transito Coloniæ Agrippinæ Rheno ab occasu rebelles adortus est. Castra metati erant Saxones invasto ac plano campo, qvem poeta vocat Sinothfeld, annales Newenariani Sintfeld, auctor vitæ Siniti feld, corrupte admodum Rhegino Finisfeld, corruptius Aimoinus Smetfeld, Reineccius intelligit Sendam, qvæ est vastissima planities inter diœcesin Paderbornensem & Lippiensem comitatum, Letznerus Wintfeld campum victoriæ Qvintilii Vari cæde famosum. Conformius scripturæ veteri interpretor Sendfeldiam haud longe hinc sitam in diœcesi Paderbornensi agrum frumento nobili feracem. Non imparati antea ad confligendum Saxones ubi vidêre tantam Francorum multitudinem, duosqve exercitus in se tendere, abjectis animis & armis supplices sese regiæ majestati dediderunt. Magnus conciliatis Deo & sibi rebellibus, acceptisqve obsidibus in hiberna copias reduxit Aqvisgranum, ubi ferè continuo deinceps qvoad vixit aulam & hiberna habuit. Ibidem eodem circiter tempore barbara & antiqvissima carmina qvibus veterum regum bella & actus continebantur, memoriæ mandavit: inchoavit etiam grammaticam patrio, hoc est nostrate sermone, sed parum felici conatu. Mensibus anni juxta Theutonicam linguam vocabula imposuit, ventos 12. propriis nominibus appellavit, cum antea qvatuor tantum venti cardinales nominarentur.

Annus Christi 795.

Carolus paschalibus Aqvisgrani celebratis, missisqve ducibus, qvi bellum Hunnicum prosequerentur, ipse Saxonum perfidiæ non immemor ex hibernis mature prodit, ac se Moguntiacum confert: Ibi trajecto Rheno è regione urbis in villa Cuffenstain ad Moeni ripâm conventum totius regni vernum more Francorum agit mense Majo. Inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pene totam populabundus peragravit. Cum vero in pago Bardengovia, juxta Bardovicum vetus oppidum, Slavorum procerum, qvos ad se venire jusserat, operiretur adventum, nuncium accepit, Witzan regem Abotritarum qvos modo Meculenburgenses vocari non nulli contendunt, dum in itinere esset, in trajectu Albis fluminis à Saxonibus ex insidiis esse interfectum. Qvod facinus animo ejus ad Saxones acrius persequendos velut qvosdam stimulos adjecit, & in odium perfidæ gentis magis excitavit, terra igitur ex magna parte vastata & obsidibus qvos dare jusserat acceptis, ad Aqvas graneas regreditur ibiqve per hiemem commoratur.

§. 1. Basilica Aqvisgranensis à Carolo constructa.

Sigebertus & Browerus collocant hoc anno structam à Carolo Magno Basilicam Aqvisgranensem; Petrus Beckius anno sequenti. Uti fundamenta citius posita arbitror, ita ejusdem dedicationem referam anno 799. Hadrianus papa epistola duodecima multa opera & marmora urbis Ravennæ tam in templis qvam parietibus & stratis sita donat Carolo qvi petierat. Unde confirmatur opinio Sigeberti scribentis vivente adhuc Adriano basilicam hanc qvam miræ pulchritudinis vocat ad ejusqve structuram columnas & marmora devecta Roma & Ravenna, à Carolo inchoatam. Eidem (*g*) operi moliendo erutum qvoqve jussu Caroli marmor in agro vici Kreilæ fundo S. Gereonis Agrippinensis ex qvo & olim baptisterii qvod est in ejusdem S. Martyris basilica visendum antiqvitate opus, & columnarum qvæ aris recens sunt aptatæ marmor excisum perhibetur; marmor sane qvod ob variegatam partium temperaturam inter Europæa emineat. Carolus vicissim tum in grati animi monumentum tum ex affectu in Gereoneos martyres singulari collegio illi præter alia ampla prædia donavit territorium Virsense. Cæterum basilicam Aqvisgranensem & pontem Moguntiacensem Eginhardus inter præcipua fere opera Caroli recenset, qvod confirmans non ignobilis superioris ævi poeta ita cecinit. Sed audiamus ipsum Carolum de hac sua basilica sic loqventem (*h*) Ibidem (Aqvisgrani) monasterium Mariæ matri domini nostri JESU CHRISTI omni labore ac sumtu qvo potui ædificavi, lapidibus ex marmore pretiosis, & auro & argento & luminaribus, atqve ex ære solido cancellis & januis adornavi. Qvod domino adjuvante ac cooperante sic formam suscepit ut nullum ipsi qveat aqviparari. Itaqve tam egregio opere hujus Basilicæ non solum pro voto meo ac desiderio, verum etiam ex divina gratia ad unguem perfecto, pignora Apostolorum, martyrum, confessorum à diversis terris & regnis & præcipue græcorum collegi, qvæ huic sancto intuli loco, ut eorum suffragiis regnum firmetur & peccatorum indulgentia condonetur.

Totam molem (*i*) ædificii sphæricam & in orbem concameratam octo pilæ saxo structæ sulciunt, græco architectandi more, binas præbet circuitiones sub geminatis superbissimisqve testudinibus. Tam superioris qvam inferioris contignationis pilæ octo totidem arcus, dimidiatasqve circuitiones continent. Inferius qvidem

(*f*) *Binius tom. 3. concil. part. 1. p. 141.* (*g*) *Gelen. l. 3. Sacr. Syn. 2. p. 261.* (*h*) *In Privileg. concess. urbi Aqvisgr.* (*i*) *Vide plurib. Petrum Beeck, in suo Aqvisgr.*

dem columnæ nullæ superius vero perystilium ita in gyrum adaptatum, ut singulis arcubus qvaternæ columnæ marmoreæ, teretes, ac capitellis Corynthiis exornatæ interserantur, grandioribusqve duabus humiliores totidem superimpositæ sint. Præ se ferunt hæ columnæ sustinere arcus attamen ornatui potius qvam sustentationi serviunt. Aliis insuper è porphyretico petegrinoqve lapide columnis decoratur Ecclesia, de qvibus videatur citatus Petrus Beeck Canonicus Aqvisgranensis. Teste Eginhardo inter superos & inferos arcus interiorem basilicæ partem ambiebat corona in cujus extremo margine inscriptæ literæ: Princeps Carolus. Anno qvo rex decessit literæ qvæ principis nomen exprimebant, penitus inductæ sunt, qvod ominis loco acceptum. Ante fores sacræ ædis fixit duas qvadratas columnas, uniqve incubantem æneam seu lupam seu ursam qvæ accepto vulnere pro catulis abstractis moribunda depugnare videtur. In altera super basin qvadram æreus conus cernitur ipsa figura est orbiculari & acuminata inqve varias velut linguas secta; in imo inacta stipitem lata & in rotundum assurgens continet permulta grana. Utriusqve hieroglyphicam explicationem petat qvi volet à Petro Beeckio ut rite decenterqve divino numini in eadem basilica litaretur, instituit istic dotavitqve Carolus 20. Clericos, qvi communem ac regularem vitam ducerent, sacris ministeriis mancipati. Fama est translatos eo ex Sinzichio oppido ad Rhenum sacerdotes, qvos olim Helena Augusta istic in memoriam vitæ in cœlo crucis à filio Constantino perpetuis assignatis reditibus collocarat. Perstitere Aqvisgranenses Canonici in vita communi usqve ad tempora Ottonis III. qvando à Notgero Leodiense Antistite eorum auctus est numerus simulqve cum opibus crevit possessionum proprietas. Carolus ut exemplo illustri præiret, Graecam (*k*) Ecclesiam mane & vesperi, nocturnis item horis ac sacrificii tempore, qvoad id valetudo permisit, impigre frequentabat; curabatqve magnopere, ut omnia qvæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate, ædituos crebro commonens, neqve indecens aut sordidum in Ecclesiam interri vel in ea paterentur remanere. Sacrorum vasorum ex auro & argento, vestimentorumq; sacerdotalium tantam in ea procuravit copiam, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus qvidem privato habitu ministrare aut licitum aut necesse fuerit. Legendi & psallendi disciplinam diligentissime emendavit, erat enim utriusqve admodum peritus. Qvanqvam nec publice legeret nec nisi submisse & in communi cantaret. Atqve hæc de Basilicæ Aqvisgranensis initiis hoc loco dicta sufficiant, qvam observo apud priscos historiographos & diplomatibus appellari nunc capellam Imperatorum & palatii; nunc oratorium S. Mariæ, nunc basilicam sanctæ DEI genitricis structam in loco vulgari vocabulo nuncupato Ahha seu Ahh. Qvæ vox corrupta esse videtur, proqve ea scribendum Aka, nostrates enim Aqvisgranum Aken appellant, superiores germani Achen. Denique voluisse se ait Carolus ut in eodem templo sedes regia locaretur & locus regalis & caput Galliæ trans Alpes haberetur, ac in ipsa sede reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiali jure de hinc imperatoriam majestatem sine ulla contradictione planius assequerentur, idqve consentiente pontifice Leone & omnibus proceribus.

§. 2. Palatium & oppidum Aqvisgranense.

Ex adverso Basilicæ in ruderibus arcis Graneæ regiam qvoqve magnifice exstruxit Carolus in qva extremam fere ætatem egit, eam sive totam sive illius partem Lateranum appellatam videbimus ad annum 817. Poeta relatus à Canisio (*l*) qvi putatur esse Alcuinus Flaccus, celebrans res gestas Caroli, sit conditum ab eo Aqvisgranum velut Romam secundam, illam ab eo divisam in forum, curiam, plateas, deductos valides rivos in omnes urbis partes; exornatam theatro, & thermis & qvidem ob adjacentem sylvam, & prata rivis virentia amœnissimam fuisse & magnifici eam loci faciem; præterea non procul ab urbe vastam aream ferarum receptaculum muro eundem concluisse, in qva crebro venatu sese oblectaverit. Plura de Aqvisgrano dicam anno 805.

§. 3. Paderbornensibus proprius ac primus datus Episcopus.

Eodem anno 795. autoritate (*m*) Caroli regis primus Ecclesiæ Paderbornensi Episcopus præfectus est Hatumarus vir pius, ac nobilis Saxo, qvondam à Saxonibus datus obses regi ab eo vero traditus instituendus S. Burchardo Wirceburgensi Episcopo, interqve ejus Ecclesiæ Paderbornensis fundamenta, commissamqve recens erectam diœcesin administrandam S. Burchardo Episcopo Wirceburgensi ejusqve successoribus. Incensa anno 782. à Paderbornensibus Ecclesia, qvam Carolus exstruxerat; visum fuit regi alio transferre cathedram, qva se indignam perfidi cives reddiderant, placuitqve anno sequenti locus ad Visurgim, cui à stativis castrorum regiorum Herstelli nomen, oportunus sane & contra vim hostilem à Francis probe munitus. Prævaluit postmodum fontium amœnitas, deliciæqve ac fertilitas Paderbornæ, restaurata est Ecclesia, sive à Carolo, sive ab Hatumaro Episcopo in honorem S. DEI genitricis, postmodum à Leone III. consecrata, qvamqve Wirceburgenses præsules exiguo huc

(*k*) *Eginhard.* (*l*) *T. 6. antiq. lect. p. 521. Herkarius & Kersenbrolch ille in MS. hic in impresso catal. Episc. Paderbor. Author vetust. vitæ Meinwerci Crane. l. 1. metr. c. 11.*

(*m*) *Gobelin. in cosmodr. 6. etat. 4. & c. 38. ex eb Aulter vetust. vi-*

huc usqve profectu ob loci nimiam intercapedinem, administraverant, à proprio sacerdote gubernari debere judicatum est. E qva familia fuerit Hatumarus, incertum recens auctor (n) tribuit illi clypeum argenteum, qvem intersecent transversim tres trabes nigri coloris. Verisimile est fuisse indigenam diœcesis Paderbornensis. Is tum ob primævæ inspectionis Wirceburgo provectæ memoriam; tum qvod in illius Ecclesiæ gremio fuerat enutritus. Deiparæ virgini adjecit patronum S. Kylianum. Addidere posteri S. Liborium ob corpus ejus huc translatum. In dotem novus Episcopus accepit præter decimas rerum omnium ab incolis diœceseos limitibus inclusis persolvendas, Driburgum arcem cum adjacentibus agris qvam in dedicatione Ecclesiæ anno 799. rogatu Leonis papæ fertur tanqvam auctarium adjecisse Carolus. Didici qvoqve à viro antiqvitatum Paderbornensium admodum gnaro, qvatuor nobiles familias peculiari nexu non dubium qvia in pœnam excitatæ contra Francos rebellionis Ecclesiæ fuisse obstrictas à rege, coactasqve in perpetuum præter alia ministeria pendere qvotannis 40. modios frumenti. Eæ hodie dum nobiles Ecclesiæ Meyeri hoc est, villici nuncupantur. Primus Meyerus fuisse asseritur satrapa, qvi in ipsa Paderbornensi oppido sedem habebat; è cujus sangvine fuit Ogellus ab Osterbach, hoc est de rivo orientali, cujus ex S. Ludgero meminimus ad annum 778. ab hoc descenderunt Stapelii jam pridem emortui. Alter nobilis à Flechten habitans prope Borcholdum vicum; Ejus posteri ædificata arce in Haxshusen deinceps ab eadem traxere appellationem. Tertius nobilis de Brencken, seu Brinecken, qva voce colles apud Saxones significantur. Resedere ejus familiæ ad proceres cognominem vicum, putanturqve satrapæ fuisse Eresburgenses. Qvarto cognomen fuit à Forne, hoc est truta qvam in clypeo gestavit. Sedes illi gentilitia partim in oppido Saltzkottensi, partim in propinqvo pago Verne. Ante annos ferme 300. Crevetius qvispiam, Agrippinensis patritius, ducta ultima filia & hærede Forneorum in eorum jura & possessiones successit. Non ita pridem Crevetii qvoqve extincti. Præter dotem attributus à rege defendendis Ecclesiæ juribus advocatus, Comes à Swalenberg, è qvo moderni Waldecani propagati. Widekindus ultimus Swalenbergæ Comes sub Friderico Barbarossa accepto pretio juribus advocati Ecclesiæ cessit pro se proqve posteris. Deniqve auctor qvi exeunte anno 800. Paderbornæ vixit & ex eo Gobelinus existimant (qvanqvam alibi attribuant hoc Leoni papæ anno 799.) ab eodem Carolo rubentem crucem pro insigni datam Ecclesiæ Paderbornensi: Eum videlicet esse locum triumphali illo signo dignissimum, in qvo duri ad eam diem atqve instar silicis indomiti Saxonum animi ferro Caroli icti tandem in scintillam Christianæ fidei emicuerint, qvæ scintilla in immensum postea crescens incendium corripuerit non Saxones modo, sed & Paderbornæ in Synodo Christiana religio velut nata est, atqve ibi sub crucis vexillo Saxones militare cœperunt, unde & hodie Paderbornensis Episcopatus in Westphalia primus est dignitate, uti Osnabrugensis antiqvitate, potentia Monasteriensis situs opportunitate excellit Mindensis.

Annus Christi 796.

§. 1. Res Caroli regis.

Carolo Magno paschalibus litanti Aqvisgrani Leo novus pontifex tanqvam magno Ecclesiæ defensori mittit claves S. Petri & Vexillum urbis Romæ. Eidem ab Erico duce Foro julienſi deferuntur ingentes thesauri è Pannonia qvi cesserant Francis in deprædatione regia Hunnorum, qvam Bonfinius Sicambriam nominat, Sicambrorum nostrorum, ut alibi dixi opus ac monumentum. Rex unaqve filius Ludovicus qvem ex Aqvitaniacum copiis evocarat ad Fremisheim super ripam Rheni placitum generale habuerunt. Qvo absoluto Pipinus filius jubente patre in Pannoniam belli Hunnici reliqvias confecturus abiit; Carolus Saxonem hostem ut penitus in Francorum obsequium flecteret domaretqve, cum Ludovico filio populabundus usqve ad Martinalia Saxoniam pervagatus est. Eo reverso ad palatium Aqvisgranense, rediit qvoqve eodem è Pannonia cum opimis spoliis, ingentibusqve thesauris victor Pipinus. Opes partim Ecclesiis maxime Romanæ & Aqvisgranensi partim palatinis distributæ. Thudun Hunnorum princeps, qvi se Pipino adjunxerat Aqvisgrani cum omnibus suis sacri fontis beneficio Christianæ religioni adscriptus est. Non diu tamen duravit barbaro constantia, sed fallaci ingenio fœderis sanctitatem violans interjecto tempore sceleris pœnas pependit, captus in prælio, oculisqve & digitis mulctatus.

§. 2. Saxones translati in Transsylvaniam à Carolo.

Pannonia Hunnisqve devictis, auctor est Bonfinius (o) in Daciam provinciam Hunnorum, qvæ nunc transsylvania dicitur, Deductas esse à Carolo Saxonum nostrorum colonias, qvorum ibi in nostram ætatem durant idioma, leges, habitus. Crancius (p) translatos eo Saxones putat ab Arnulpho imperatore, illo Moravorum domitore. Silent de istis Saxonum coloniis prisci. Leges solummodo è Saxonia eo derivatas existimat Rhenanus, Reineccius nec leges nec colonos, ex Asia Sacarum nomen & linguam terris istis importasse secum seu Hunnus, seu qvi iis succesſere, Hungaros. Sed cur, Reinecci, iidem Hungari ceteræ Pannoniæ non idem idioma gentisqve nomen intulêre, si transsylvaniæ? Veriſſimos ac genuinos Saxones terram istam incolere credo & Bonfinio & aliis, arbi-

(n) *Kersenbroich.* (o) *Dec. I. sect. 202. Hungar.* (p) *L. 2. metr. 6, 23.*

arbitrorqve accuratissimo rerum Hungaricarum scriptori fidem habendam, affirmanti, à magno Carolo traductos, immissis ut puto Francis & fidis aliis Germaniæ populis, qvi ne & ibi motus cierent, martii homines, invigilarent.

§. 3. Episcopatus Hildesiensis primordia.

Eodem (q) anno cum Saxoniam orientalem peragraret Carolus, fundasse putatur ad confluentes Salæ & Leinæ Episcopatum, in oppido, qvod ab ejus ibi commorante aula nomen Aulicæ traxit, eiqve præfeciisse Guntharium venerabilem sacerdotem. Ludovicus Pius postmodum Hildesium transtulit. Videndus Crantius (r) & Eggerhardus (s) Abbas Uragiensis.

Annus Christi 797.

Carolus æstatis initio, excipit Aqvisgrani, ubi more solito hibernarat, Radum Sarracenum, qvi captam à se Barcinonem civitatem, in limite Hispanico sitam regis potestati submisit. Missus in Hispaniam Ludovicus filius à Carolo in Hispania Oscam civitatem capit, & multa ibi præclare gerit, ipse Carolus in Saxoniam proficiscitur, neve ullæ paludes aut saltus refugium amplius præberent rebellibus per invia qvæqve loca progressus ad Hadelerios oceano conterminos populos inter Visurgim & Albim penetravit. Gente tota in deditionem accepta, Aqvisgranum rediit, ut legatos exterarum gentium audiret, qvi ibi ejus adventum operiri nunciabantur. Inter qvos erat Abdella Sarracenus, filius Ibiminaugæ regis, à fratre è Mauritania pulsus, opem poscens à rege, Theoctistus etiam Niceæ patritii tunc Siciliam nomine imperii Constantinopolitani moderantis legatus cum literis sui imperatoris ad fuit. Auditis legationibus, rebusqve omnibus compositis, Carolus medio novembri hiemandi causa cum copiis in Saxoniam contendit, ad Visurgim amnem castris simul urbi condendæ locum capit, jubetqve nuncupari Heristellum, qvod est Teutonum lingua exercituum statio, sive mansio reditus atqve stabulum. Potuit & ab Heristello Francico ad Mosam Heristellum hoc Saxonicum accepisse nomen. Durat in præsens arx diœceseos Paderbornensis in ripa Visurgis occidentali, qvam diu nobili Falckenburgiorum familia detentam superiore seculo Henricus Episcopus redemit. Dixi anno superiore ex Gobelino, id qvod confirmat vetus chronicon Mindense, voluisse Carolum ut primus Paderbornensis Episcopus Herstelli tanqvam loco tutiore sedem Episcopalem figeret, qvæ tamen postmodum Paderbornam velut commodiorem stationem translata est. Carolus exercitum qvem secum adduxerat, per totam provinciam in hiberna distribuit: coacti invitè licet Saxones eidem hospitia & stipendia contribuere. Venêre ad regem Heristellum evocati ex Italia Pipinus, ex Hispania Ludovicus filii. Ibi qvoqve legati Hunnorum cum muneribus apparuere: ibi Froja missus ab Adelfonso Galliciæ & Asturiæ rege præter alia munera obtulit regi papilionem miræ pulchritudinis. Remissis Pipino in Italiam, Ludovico & Abdella Sarraceno in Aqvitaniam atqve Hispaniam, Magnus totam hiemem ad domitandam ferociissimam gentem in Saxonia iisdem castris resedit.

Annus Christi 798.

Scripsi ad annum 785. verisimile videri, Carolo hoc anno Heristelli ad Visurgim paschales ferias celebrante Widekindum ducem curiositate ductum penitius res Caroli inspiciundi ex arce sua, mendici habitu, advecto flumine parva in scapha Heristallum devenisse, atqve ibi decantato illo prodigio illustratum, qvemadmodum anno memorato narravimus: iisdem diebus Nordalbingi hoc est aqvilonares Saxones, Albis accolæ, tumultu excitato, legatos regis, partim qvos ad regem Danorum Sigefridum, partim ad ipsos miserat, administraturos justitiam controversiasqve diremturos nefarie trucidarunt. Ut par erat his commotior Carolus, omnes ut canit poeta in desertores iræ laxavit habenas vastari late sparsis legionibus illam præcipiens terram: Tum sævus ubiqve furebat miles; ubiqve cruor rivis madefecerat arva omnibus atqve locis increverat horrida clades; vulnera, mors, luctus, clamor flamma atqve rapinæ omnia complebant; donec compescuit altis Albia gurgitibus procedere longius arma, tradunt annales & Rhegino regem Heristello primum movisse Mindam, sic enim in emendatioribus codicibus legitur pro Munda Brunsvicensis ditionis oppido. Neqve enim probabile supra Heristallum tanto spatio in Hassiam processisse. Trans albini Saxones cum viderent Francos vastatis terris inter Visurgim & Albim flumen hoc transire non posse, elati animis invasere Abotritos Francorum socios. Verum à Thrascone duce Abotritorum qvatuor eorum millia deleta sunt. At rex Aqvisgranum se recepit, ubi legatos Irenæ Augustæ, Michaelem patritium & Theophilum presbyterum pacem & amicitiam offerentes audiit, iisqve petentibus libertati restituit Sisinnium Tharasii patriarchæ Constantinopolitani fratrem olim in prælio captum. Accepit qvoqve dona septem mulos totidemqve Maurós captivos & loricas qvæ per Frojam

(q) *Ita Cleinsorgius.* (r) *L. 1. metrop. c. 10.* (s) *In Catalog. Episcop. Hild.*

& Basiliscum legatos mittebat rex Adelphonsus captæ Ulissiponis spolia, insigniaqve victoriæ. Tota deinde hieme apud Aqvasgraneas resedit.

Annus Christi 799.

§. 1. Leo papa Romæ indigne habitus venit ad Carolum in nostram Germaniam.

7. Cal. May (*t*) Leo pontifex à nepotibus Adriani papæ, aliisqve Romanis indignis modis tractatus, dejectus eqvo, oculis erutis, lingua amputata, per Winigisum Spoleti ducem ereptus est ac Spoletum deductus, invitatuqve Caroli properavit in Germaniam. Coloniam Agrippinam (*u*) cum pertransiret, invisitatis aliis locis sacris, S. Severini basilicam invisit, in eaqve preces diutius fudit, mirantibus & causam scitantibus comitibus, pronunciavit vetus illud: tam illustri exemplo vehementer accensus civium ardor in hunc suum Divum tutelarem, cujus ut patrocinio fulciantur, more jam à multis seculis usitato ac perdurante, initio cujusvis hebdomadæ S. Severini sepulchrum supplicando adeunt.

§. 2. Carolus Aqvisgrano digressus Leonem papam excipit Paderbornæ.

E venatione fessus in palatium Granеum redierat Carolus, seqve ad qvietem composuerat, qvando tota illa tragœdia, prout Romæ in pontificem gerebatur mentis ejus oculis est objecta, discusso sopore simul admiratus simul sollicitus, discit non multo post certis nunciis, qvid Leoni accidisset. Eum proinde missis legatis ad se invitat, ipse in Saxoniam profecturus relicto Aqvisgrano, in Lippenheim nunc Wesaliæ ad Lupiæ & Rheni confluentes comitia proceribus more Francorum indicit. Qvibus peractis ibiqve transmisso Rheno, recta cum filiis Carolo & Pipino Paderbornam petiit, ubi fixis castris tanqvam loco totius Westphaliæ & commodissimo & amæniissimo statuit operiri pontificis adventum, cui Germaniam ingresso obviam miserat Hildebaldum Coloniensem Antistitem & Ascharium comitem. Junior interim Carolus à patre cum copiarum parte missus ad Albim, ut cum Wilsis & Abotritis magni momenti negotia tractaret, & qvosdam Aqvilonarium Saxonum dedentes se in fidem acciperet. Pompam qva Paderbornæ exceptus est Pontifex, fuse & enucleate descripsit, qvi inter fuisse videtur vetus Poëta, diversus ab illo Saxone, qvem sæpe hucusqve citavimus, extat apud Henricum Canisium, cujus indicio putatur esse Alcuinus Flaccus Caroli M. & S. Ludgeri præceptor, affero carmina ut videant posteri qvo honore maximus rex sedem apostolicam sit veneratus. Est locus insignis qvo Patra (*x*) & Lippa (*y*) fluentant altus & in medio (*z*) campo jacet undiqve largo vestitus spatio, celso de colle videri namqve potest legio omnis, & hinc exercitus omnis, castra ducum & comitum radiantiaqve arma virorum. Huc Carolus multis stipatus millibus Heros advenit & tandem juvat hic succedere tectis. Missus apostolici regalem tendit ad aulam interea & summum manifestat qvippe venire pontificem expulsum Romana à sede Leonem civibus à propriis & tot toleraſſe recenset verbera commemorans, ex tinctum lumine vultum narrat. & abscissam liqvido do gutture linguam: nunc medicante DEO sanatum & ab omnibus istis esse malis: animis stupet ipse exercitus omnis audita & Carolus recolendo somnia retro præteriti indicio agnoscens vestigia visus. Hoc fore non dubitat, qvod tristes fundere fletus pontificem in somnis jam dudum vidit eundem. Hinc jubet ex templo Pipinum occurrere magno pastori, pacem & placidam portare salutem. Obvius ire parat genitoris jussa capessens Pipinus: centum lætus cum millibus ibat. Ipse sedet solio Carolus rex justus in alto dans leges patriis & regni fœdera firmans, utqve videt patulo adversum se tendere campo pastor apostolicus centum cum millibus altum Pipinum geminas extendit ad æthera palmas, pro populoqve preces effundit pectore largas. Ante sacerdotem ter summum exercitus omnis sternitur & supplex fusus ter vulgus adorat. Mox Leo papa solo Pipinum more benigno excipit & sacris circumdans colla lacertis hæret, in amplexuqve diu placida oscula libans. It comes & supra se confert vertice toto Pipinus varias miscent sermone loqvelas. Rex pius interea solium conscendit & omnem alloqvitur populum Carolus venerabilis Heros. Ergo, agite, o proceres, inqvit qvibus, induite arma qvi estis soliti ad bellum Martemqve severum, tentare, & crudæ vosmet confidere pugnæ: Pontifici celeri cursu occurramus opimo. Vix hæc dixit Heros fremit undiqve turba tumultu Tela manu glomerat mox, loricasqve trilices, & latos clypeos, galeasqve, & spicula, peltæ æratæ resonant; acies hinc inde videntur ire eqvitum, sparso nigrescunt pulvere nubes, & tuba lugubri medio strepit aggere voce classica signa sonant campi densantur aperti agmine, cristatur fulgetqve exercitus omnis. Tela micant pariter vexilla levata coruscant. Armati incedunt juvenes & freta juventus, gaudet eqvis siccus ferveſcit in ossibus ardor auden-

(*t*) *Anastasius apud Baron.* (*u*) *Surius 23. Octobr. ex vetust. codic.* (*x*) *Padera.* (*y*) *Lupia.* (*z*) *Planicies inter Lupiam & Paderam exorientes, ubi Paderborna monti accubuit.*

audendi & medio Carolus micat agmine lætus. Aurea crista tegit frontem & conspectus in armis fulget: Eqvo ingenti portatur ductor opimus. Ante sacerdotum porro castra agmina ternis Stant divisa choris in longis vestibus almæ Sacra crucis vexilla levant & præsulis omnis adventum expectat clerusqve & candida plebes. Jam pater in campo Carolus videt agmina aperto, Pipinum & summum pastorem tendere contra constat, & inqve modum populum expectare coronæ. Præcipit atqve acies hinc dividit urbis ad instar. Ipse autem medio consistere, in orbe beati præsulis adventum expectans & vertice toto altior est sociis, populum supereminet omnem. Jam Leo papa subit, extremo se agmine miscet. Tam varias habitu lingvas tam vestis & armis miratur gentes diversis partibus orbis. Extemplo properans Carolus (*a*) veneranter adorat pontificem amplectens magnum & placida oscula libat. Inqve vicem dextras jungunt, pariterqve feruntur gressibus & multo miscentes verba favore Ante sacerdotem ter summum exercitus omnis Sternitur & supplex vulgus ter fusus adorat pro populoqve preces ter fundit pectore præsul. Rex pater Europæ & summus Leo pastor in orbe congressi inqve vicem vario sermone feruntur. Alter in alterius confingunt lumina vultus & parili tendunt ad culmina gressu. Ante sacerdotes sacri stant ostia templi alternis vicibus modulantes carmina laudum, atqve creatori grates laudesqve frequentant, qvi nova pontifici reddebat lumina summo, & desperatam condebat in ore loqvelam. Exoritur clamor, vox ardua pulsat Olympum. Intrat apostolicus Carolo ducente beato templa creatoris solito solennia more concelebrare pio missarum sacra favore. Exhinc officiis divinis rite peractis invitat Carolus celsa intra tecta Leonem. Clara intus pictis colluces vestibus aula, auro, ostro ornantur hinc inde sedilia multa, Ad mensas resident læti, variisqve fruntur deliciis, medio celebrant convivia tecto, aurea namqve tument per mensas Vasa falerno. Rex Carolus simul & summus Leo præsul in orbe vescitur, atqve bibunt pateris spumantia vina; Post lætas epulas & dulcia pocula Bachi multa pius magno Carolus dat dona Leoni. Hinc lætus repetens aulæ secreta revisit Rex & Apostolicus repetit qvoqve castra suorum. Hucusqve poeta festivitatem qva Paderborna majorem nullam vidit, prosecutus est. Ostentant (*b*) Paderbornenses in hunc usqve diem distinctas domos in qvas Leo, & Carolus diverterint: alteram Ecclesiastici collegii thesaurarius alteram Camerarius inhabitat. Qvanto tempore Leo apud Carolum manserit, variant scriptores, & fama populorum. Dies solummodo aliqvod annumerant annales Newenarii comitis, Rhegino & Poeta Saxo, crediderim eos definivisse tempus, qvo hæsêre ambo Paderbornæ. Plus qvam annum moratum pontificem in provincia nostra colligitur inprimis ex Sigeberto, qvi hoc anno ponit adventum Leonis ad Carolum, seqventi reditum in urbem, deinde ex Anastasio affirmante, Romanos audito, Leonem apud Carolum Magno in honore agere, misisse legatos ad regem, qvi variorum criminum reum agerent pontificem; Carolum iis auditis convocasse magno numero præsules Franciæ ac Germaniæ è qvorum sententia Leo suæ sedi sit restitutus: paulo qve post ejus reditum in urbem venisse qvoqve Romam Carolum; jam constat nec ista tanto molimine brevi temporis spatio potuisse peragi, nec ante finem anni proximi regem urbis Romæ mœnia subiisse. Deniqve diuturnam pontificis commorationem apud nostrates, adstruunt traditiones plurium Ecclesiarum, qvas diversis diebus & mensibus consecrasse perhibetur, ut non male opinetur Rolevingus Leonem à Carolo per provinciam circum ductum ut homines ac loca solenni benedictione lustraret. Clariora ista evadent, si è veteribus monumentis produxero ipsorum locorum sacrorum initiationes, qvas Leoni majores nostri ascribunt.

§. 3. Ecclesiæ in occidua Saxonia à Leone papa consecratæ.

I. Paderbornæ 8. id. decembr. Leo papa sacris ritibus initiavit non Ecclesiam cathedralem ut vult Crantius (*c*) (ea enim etsi fundamentis à Carolo positis non nisi sub Badurado Episcopo ad culmen fuit educta) sed cryptam (*d*) seu oratorium veteris Ecclesiæ à Paderbornensibus crematæ busto sub scitivum, in eoqve aram honori S. Stephani proto martyris, è cujus sacris exuviis portionem Roma secum delatam eidem intulit. Auditum tum oraculum ex ore pontificis, oratoriam illud tanti martyris patrocinio munitum nunqvam deinceps ab incendio cladem ullam passuram, qvalem illi non semel à Saxonibus accidisse ex rege intellexerat. Itaqve qvanqvam sæpius flamma in Ecclesiam Paderbornensem sæviit perseverat oratorium illud illæsum. Tum qvoqve pontifex sedem Paderbornensem ratam esse jussit; Obtinuit illi à rege Driburgum oppidum, dedit insigne rubeam crucem ut scripsi anno 795.

II. Eresburgi 7. Cal. Januarii dedicatam à Leone capellam testantur hæ publicæ literæ, qvas recitant Wittius, Baronius, Binius & Clein-

(*a*) *Poeta Saxo sic eadem brevius canit: Famqve propinqvantem cum primum noverat, illi obvius ipse loco de castrorum memorato, stipatus multis populorum millibus ibat, pontificemqve vicem Petri (cui clandere calum & reserare licet verbo) sedemqve tenentem suscepit cum magnifico reverenter honore.* (*b*) *Reiner, Reinecc. in not. ad poet. Saxon.* (*c*) *L. 1. metr. c. 11.* (*d*) *Auctor translationis S. Liborii, & alius vitæ Meinwerci. item Gobelinus in cosmod. 6. ætate Brouver in sideribus.*

sorgius: Leo servus servorum Dei Carolo Magno Romanorum imperatori (e): Piæ tuæ petitioni per omnia congaudentes, qvod jubes annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, qvem expugnatum cum tota Saxonia DEO obtulisti, & per nos beato Petro consecrasti, liberum ab humana potestate esse & fratrum inibi ad Christi servitium adunatorumditioni tantum modo parere censemus. Qvi ne aliqvid in hoc impedimenti patiantur neve regni veteri invatoribus aliqva rebellandi inducia præparetur: sub anathemate, S. Petri auctoritate, interdicimus, ne qvis unqvam bellica in ipso monte præsidia collocare, aut per te collata prædia aut decimas circa montem per duas Saxonicas rastas, qvas illuc delegasti, audeat diripere. Hæc conservantibus sit pax à DEO patre; infringentibus excommunicatio, & à beatorum collegio sit separatio. Dat. Eresburgi per manus Joannis Bibliothecarii & cancellarii Ecclesiæ Romanæ 7. Cal. Januarii Anno domini Leonis III. 4. Indict. 7. die dedicationis capellæ in Eresburg. Videas ex hisce à Carolo Magno Eresburgi constructum fuisse virorum monasterium, qvod abbatiolam appellatum Ludovicus pius postmodum cum omnibus juribus transcripsit Corbeiensi Abbatiæ.

III. In eadem diœcesi Paderbornensi idem summus pontifex consecravisse dicitur (f) Ecclesiam parochialem in pago Sidinghausen, qvem sibi vendicat dynastia burana, qvo die, aut cujus honori sacrum nomen addit.

IV. Mindam (g) etiam à Carolo deductus est pontifex, ubi comitia totius nationis Saxonicæ celebrata; populi in religione christiana & subjectione regum Francorum qva minis qva promissis solicitatæ stabiliti. binæ istic Ecclesiæ Deo initiatæ. Altera prope oppidum dicta Montensis, Saxonice Bergkercken, in villa scilicet montis Wedekenberg in honorem S. Nicolai, in cujus medio scatuit fons limpidissimus. Superest campanula, qvam Leo a se benedictam reliqvisse dicitur. Altera Rhemæ supra Mindam, eo loci ubi confluunt Wehra & Visurgis, qvando istic Carolus ossa Hildeberti Archiepiscopi Colonensis eo in monte, cui Owesberg nomen, qvondam in expeditione regali ab Idololatris Saxonibus cæsi tumulo honestiori intulit, qvæ postmodum Coloniam ad Basilicam Gereonæam sunt translata. Errat Chronicon Mindense dum hunc Hildebertum, qvem cum S. Ludgero Hildegarium appellat, asserit fuisse Archiepiscopum Rhemensem.

V. Hammeliæ ad Visurgim eodem tempore Bernardus Comes & Christina ejus conjux illustres in Angaria dynastæ, obtulêre Ecclesiam à se constructam Leoni consecrandam, memoriæ, & honori S. Bonifacii, qvi illis in oris primum Christianæ religionis sementem sparserat, ipsosqve Bernardum & Christinam sacro tinxerat lavacro, prout vetus ibi docet inscriptio, qvam nos alibi attulimus.

VI. Sigesbergi (h) oppido in Francorem annalibus celebri ad Ruræ & Lennæ confluentes, idem pontifex, præsente Carolo proceribus qve Francis solemnibus ceremoniis inauguravit Ecclesiam in honorem Sanctæ Dei genitricis & S. Petri principis Apostolorum, adeidit qve id qvod & Paderbornæ fecerat, indulgentias plenarias locum sacrum invisentibus intra octo dies, qvi vel præcedunt vel consequuntur diem S. Marco sacram, & fuisse olim frequentem eò advenarum confluxum, auctor est Rolevingus: (i) inscriptio germanica, qvæ illic in ærea lamina supra ostium sacrarii posita ab Hermanno Flego inspecta & exscripta est, post narratam templi dedicationem, collatasqve indulgentias, retert in comitatu pontificis Leonis fuisse Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates aliosqve ex Clero interiore, numero 415. Carolum regem adduxisse secum reges, duces, comites, milites & populum innumerabilem: dedisse præterea eidem Ecclesiæ deauratam crucem, cui inserta erat particula crucis dominicæ. An inscriptioni illi fides in omnibus habenda sit, vehementer dubito, non esse ab ævo Caroli docent verba tum minus usitata, qvod qve Carolum non regem sed cæsarem nominat. Illud interim extra controversiam est, constanti majorum relatione assertum, Sigburgensem Ecclesiam à Leone Romano pontifice præsente Carolo rege sacratam, ibidem qvoqve ab eodem Leone consecratum in honorem S. Petri fontem pro baptizandis catechumenis, qvi & hodie dicitur fons S. Petri, muris & tereo oslio munitus, ejus undis qvi vel tinguntur pro potu vel corpora abluebant, non raro sanitatem aliqve dona cœlitus consequebantur, qvod appensis anathematis, tabellis, cereis imaginibus, & aliis hujusmodi testatum voluêre. Duravit loci sanctitas atqve celebritas frequentiaqve ad puteum miracula usqve ad annum 1550.

§. 4. Leo papa Coloniæ & alibi cis Rhenum varia loca consecrat.

Coloniæ pontificem plures aras in basilicis capitolina & martiniana multaqve alia monasteria & templa in Germania & Gallia consecravisse, concessis indulgentiis, testem (k) locupletem habemus S. Ludgerum, hæc ante oculos habentem. In Julia præter eas, qvarum nomina vetustas expunxit, testatur Jacobus Pollius scriptor rerum Marcoduranarum, extisse ex antiqvis chartis consecratis Leonem Ecclesias Heinsbachensem & Ditloensem illam in honore B. M. V. hanc in S. Petronellæ; ac hæc in illa

(e) *Scribendum: Patricio, qvod nomen ex autographo à describentibus librariis & auctoribus male est omissum & aliud illud substitutum.* (f) *Schopp. in Genealog. Burarior. Dynast.* (g) *Chronicon vetus Mindense.* (h) *Hermannus Fleg in annal. circul. Westph. c. 8. ex Chronic. MS. & inscriptione Sigburgensi.* (i) *L. 3. de laud. antiqv. Saxon. c. 8.* (k) *In epist. ad Rixfried. de canon. S. Svvibert. c. 9.*

illà collocasse sororem suam Anthiconiam, cujas illic corpus hodieqve portatili tumbæ inclusum colitur à vulgo S. Bucconia appellata, in hac vero Mathildem Limburgentis ducis viduam. Verum non facile persvaserit Pollius Anthiconiam fuisse sororem Leonis, aut ea tempestate Duces Limburgensibus præfuisse nisi forte temporarios, & ab alia nomen clatura. De Ecclesiis consecratis tantisper admittam. Prumiæ (*l*) 7. Cal. Aug. petente Carolo dedicavit solenni ritu basilicam salvatoris, præsentibus & auxiliantibus Cardinalibus, Archiepiscopis & Episcopis 360. De Visetensi & Tungrensi Ecclesiis initiatis scribunt Leodienses historici (*l*) Aqvisgranensis basilicæ dedicationem probabilius factam reor anno 805. ob ea qvæ tum allaturus sum.

§. 5. Canonizatio S. Swiberti Werdæ ad Rhenum.

Celebris est historia factæ canonizationis S. Swiberti à Leone papa, qvam proprio libello complexus est S. Ludgerus, in cujus tamen numerum irrepsisse errorem, dum pro anno præsenti substituitur annus 804. agnovêre mecum jam pridem Browerus Fisenius, Chapeaville & alii. Nam instituta illa solennitas scribitur prid. non: septembris, qvo die anno 804. Leo papa in provincia nostra adeoqve in Gallia neqvaqvam fuit, sed in eam demum pervenit circa Christi natalitia, hæsitqve apud Carolum solum modo paucis diebus. Adde libellum illum Ludgeri à recentiori manu vitiatum videri, eadem forte qvæ S. Swiberti vitam à Marcellino scriptam seu vitiaverat, seu improbante eruditiore seculo, aliis paraphrasibus vulgo explicationem reddere studuerat, ut mirum non sit paraphrasten S. Ludgeri chronologiam minus recte suisse assecutum. Interim de ipsa, qvam narraturus sum, historiæ veritate dubitare nos nullo modo sinunt tum vicinarum Ecclesiarum tum potissimum ipsius cæsaris insulanæ prisca monumenta, qvæ omnia S. Ludgero assentiuntur. Ipsum igitur rem memoratu dignissimam ac suæ ætatis prosequentem audiamus. Agebat Coloniæ Agrippinæ Leo papa, aderat rex Carolus & Hildebaldus Archiepiscopus, uterqve oportunum tempus advenisse rati, qvo meritis ac decretis jam pridem honoribus apostolica auctoritate afficeretur tot prodigiis à DEO illustratus Swibertus Germaniæ inferioris ac Westphaliæ apostolus, adiere pontificem ac summo studio egêre, ut is Werdam secundo flumine descenderet divumqve Swibertum sanctorum numero asscriberet. Morem gesturus æqvissimis postulatis Leo, deducentibus rege, Archiepiscopo ac qvamplurimis sacri profaniqve ordinis proceribus navem conscendit. Delatos ad ripam oppidi, exscendentesqve, numerosa supplicatione, prælatis vexillis ac crucibus excepêre ac in basilicam S. Swiberti honori consecratam deduxere fratres monasterii Werdensis, omnesqve Werdenses inqvilini, qvi eo die à cibis abstinentiam sibi indixerant. Postridie qvi erat pridie nonas Septembris mane itur ab omnibus in eandem basilicam. Postqvam sacris solemniter operatus esset Hildebaldus præsul, publice lecta est vita S. Swiberti simulqve miracula, qvæ Marcellinus conscripserat. Pontifex rogatis sententiis Cardinalium omniumqve prælatorum qvi aderant, iisdem suffragantibus Swibertum ob insignem vitæ sanctimoniam tot prodigiis testatam jure ac vere cœlitum honores promeruisse declaravit, atqve adeo ipsum in divorum confessorum cœtu ac numero ritu solenni reposuit. Secuta est festiva campanarum compulsatio, decantatus hymnus Ambrosianus: ossa viri sanctissimi ab Hildebaldo Archiepiscopo è monumento elevata, & palam exposita, suavissimo ab iis se diffundente odore, omniumqve nares ac animos reficiente. Sancitum deniqve à summo pontifice ut dies hic canonizationis atqve elevationis qvotannis sacer ac festivus haberetur. Intererant solennitati præter Leonem Carolum & Hildebaldum innumeramqve populi qvæ affluxerat multitudinem, celebrioris nominis prælati Bernardus Cardinalis & Episcopus Ostiensis, Theodorus Sabinensis, Nicolaus tituli S. Crucis in Hierusalem, Eustachius S. Praxedis, Bonifacius tituli SS. Marcellini & Petri, presbyteri Cardinales, Fortunatus Trevirorum, Gerbaldus Leodiensium, Volqvinus Morinorum antistites. Pontifex præter noxarum condonationes S. Swiberti Ecclesiam adeuntibus concessas parvulam crucem obtulit; cui admixta erat portio crucis dominicæ, à rege dati duo calices totidemqve ampullæ è puro auro præter alia magni pretii munera. Contulêre qvotqvot aderant pro se qvisqve donaria in fabrefactionem præstantis capsulæ ac feretri S. Swiberti lipsanis honorandis: contigit eodem tempore res ad miranda, qvæ plurimum fecit ad illustrationem & gloriam novi cœlitis. Inter alios qvi è vicinis provinciis ingenti numero ad eam festivitatem confluxerant studio etiam videndi pontificis ac regis venerat navigio Werdam usqve nobilis domina Irmgardis, soror germana Hildebaldi Colonensis Archiepiscopi, uxor viri nobilis Bartholdi Grimbergii, Sarodensium præfecti, una cum Gocellino primogenito, octo fere annorum puero, multisqve aliis viris primariis, civibus sanctensibus. Scapham subducturus nauta, dum ob navigiorum ad ripam stantium multitudinem apclustre mutat, Gocellinus puer collidentibus se navibus è prora decidit, ac in Rheno submersus ex omnium oculis abripitur; hic plorare vociferari, ac tantum non in flumen se præcipitare mater. Fecisset certe ni pedissequæ vitenuissent. Facta exscensione insanienti similis, complosis manibus fertur ad Ecclesiam. Inde à fratre Archiepiscopo deducta ad Hospitium noctem ducit in somnem, continuo S. Swiberti opem implorans: voto qvoqve emisso spondet se si vitæ resti

(*l*) *Wilhelmus Hovius monach. Prumien: in cithara spirituali.*

restituatur filium dicaturam illius servitio. Postera luce Gocellinus diu studiosè in undis qvæsitus, tandem à Lamberto Dosetio Embricenti repertus & extractus, postqvam is aliqvot horarũ spatio immersus delituisset sub aqvis, offertur matri. Ad cujus aspectum illa primum exanimis postmodũ ad se reversa, cadaver ulnis amplexa deportat ante tumbam S. Swiberti: objiciunt se omnes in ardentissimas preces. Mirum dictu! puer velut evigilans vitæ redditur, oculisqve apertis, miratus tantam adstantium turbam, alloqvitur matrem. Inde sublimi loco ut ab omnibus conspici posset statuitur. Exoritur ingens clamor, congratulatio, inqve DEI & S. Swiberti laudes effusio, crescit gaudium matri ex adventu & gaudio conjugis Bartholdi, qvi audito infelici casu filii citato eqvo Sanctis Werdam approperaverat. Sistitur Leoni & Carolo redivivus puer. Cuncta admiratione & lætitia complentur. Hildebaldus deinde consentientibus parentibus Gocellinum exutum argentea torqve, pretiosisqve vestibus clero adscribit mutato Gocellini nomine in Swiberti, ante elapsum annum puer non sine ampla dote & prædiis à patre assignatis monasterio sè mancipat, in qvo deinceps magna animi demissione sospitatori suo ac servatori Swiberto inservivit. Fecit idem eodem tempore Conradus Severini civis Wesaliensis admodum opulenti ac potentis filius, qvem idem S. Swibertus religioni à patre oblatum, cum inutilis videretur, & à reliqvorum cœtu separandus esset, à morbo epileptico liberaverat. Qvæ aliaqve pluribus videri poterunt narrata apud S. Ludgerum, cui sane debemus primam ferè omnium in literas relatam, ex iis qvæ exstant, publicam clareqve expressam canonizationem, concessionemqve indulgentiarum. Qvod in nostra provincia accidisse, inprimis dignum observatu est.

§. 6. Hildebaldus Colonienſis Huy elevat S. Domitianum.

17. Cal. Julii hoc eodem (*m*) anno Hildebaldus Colonienſis non dubium qvin facta potestate à Leone papa, jubente Carolo rege Huy cum magna celebritate elevavit ac transtulit ossa S. Domitiani Tungrensis qvondam Episcopi, qvæ tum in adstantes svavissimum odorem diffudere.

§. 7. Reliqva hoc anno à Carolo rege gesta Aqvisgrani.

Carolus rex Paderbornæ Saxonum rebus pro oportunitate dispositis cum filiis Pipino & Carolo Aqvisgranum rediit, ubi Danielem legatum Michaelis Siciliæ præfecti, & Irenes Augustæ audivit, atqve absolvit. Ibidem regi nostro tristes allati nuntii de morte duorum clarissimorum ducum Erici Forojulienſis & Geroldi Boici, qvi in prælio à rebellantibus Hunnis occubuerant. Geroldus hic domo Svevus, Hildegardis reginæ frater Sacellum D. Virgini Paderbornæ juxta S. Bartholomæi ædem struxerat, qvod nunc vetustate collapsum superest apud auctorem vitæ Meinwerci Episcopi Paderbornensis. Guido qvoqve dux limitis Britannici, domita, qvæ rebelles sumserat spiritus, Britannia, arma ducum, qvi se tradiderant, suis ipsorum nominibus inscripta regi ad aqvas granenſas præsentavit, uti & signa Mauris in Majorica prædonibus erepta; adfuit & orator monachus ab Hierosolymitano patriarcha secum & benedictionem & reliqvias è loco resurrectionis dominicæ deferens, qvibus basilica Aqvisgranensis incredibiliter locupletata est. Remisit cum legato Carolus Zachariam presbyterum, simulqve non levem pecuniæ summam Hierosolymis distribuendam. Deniqve eodem tempore Azan Sarracenus Oscæ urbis Hispaniæ præfectus claves oppidi & alia dona regi transmittit in palatio Aqvisgranensi Christi dies natalitios ac hiemem transigenti.

Annus Christi 800.

§. 1. Leo papa Romam remissus ductore Hildebaldo Colonienſi Archiepiscopo & aliis.

Leo papa (*n*) peractis apud nos plurium Ecclesiarum consecrationibus, divinoqve cultu amplificato, hoc anno, ut probabilius judicavi, ex Sigeberto, remissus est in Italiam. Adeuntibus illi seu qvi honoris causa deducerent, seu qvi regia auctoritate contra vim tuerentur, ac cathedræ pontificiæ rursum imponerent, duo Archiepiscopi Hildebaldus Colonienſis, & Arno Salisburgensis, qvinqve item Episcopi & tres comites. Ingredienti urbem pontifici occurrêre non modo primores è clero & populo, sed & cunctæ scholæ peregrinorum Francorum, Frisonum, Saxonum & Longobardorum; non nulli Leonis calumniatores, violatoresqve à regiis legatis comprehensi, & in Franciam missi.

§. 2. Carolus M. lustrata Gallia Romam profectus, ibi coronatur Imperator.

Medio ferè martio Carolus Aqvisgrano digressus, oceani Gallici littora qvæ Normanni piratæ infestaverant, lustrat firmatqve classe & præsidiis. Post sanctum pascha in monasterio S. Richarii celebratum, justaqve Lutgardæ uxori pridie nonas Junii Turoni extinctæ persoluta Aqvasgraneas repetiit. Mense Augusto Moguntiaci habito regni totius conventu, cum Pipino & Carolo filiis ingentiqve comitatu in Italiam iter instituit. 8. Cal. Decemb. Romam lauto omine ingredientem Leo pontifex, & primores urbis magnificentissime excepêre. Inde cum in die natalis Domini Carolus sacrosancto missæ sacrificio interfuturus S. Petri basilicam teiisset ingressus, & ad aram supplex preces funderet, Pontifex nihil minus cogitanti diadema Cæsareum

(*m*) *Barthol. Fisen. lib. 5. hist. Leod.* (*n*) *Anast. Biblioth.*

um imponit cuncto Romanorum populo acclamante: Carolo Augusto à DEO coronato, magno & pacifico imperatori Romanorum vita & victoria. Posthæc omisso patritii nomine Imperator & Augustus appellatus est. Atqve ita imperium Romanum in occidente jam 324. annis prostratum à Carolo provinciæ nostræ indigena erectum est, ac pristinæ utcunqve dignitati restitutum.

§. 3. S. Ludgerus consecratur Episcopus.

Postqvam (o) 12. ferè annis S. Ludgerus Mimigardevordensem Ecclesiam presbyter gubernasset, jubente Carolo rege, ab Hildebaldo Colonienſi metropolitano, invitus licet, consecratus est Episcopus. Id factum hoc anno censeo cum Browero, anteqvam videlicet Hildebaldus Italicam profectionem susciperet. Qvi serius longè admissum à Ludgero episcopatus gradum contendunt, refelluntur è diplomate inferius citando, in qvo jam anno 802. Ludgerus nominatur Episcopus.

§. 4. Egbertus vir illustris Saxoniæ occiduæ gubernator impositus.

Iturus (p) in Italiam Carolus tum alios aliis provinciis rectores dedit, tum Saxoniæ nostræ Rheno ac Visurgi conclusæ Egbertum virum illustrem, maritum S. Idæ fœminæ uti stemmate, ita vitæ sanctitate multò illustrioris, cujus vitam duobus libris (q) comprehensam posteritati reliqvit Uffingus cœnobita Werthinensis, è qvo hæc summatim delibare placuit; Egbertus inter palatinos ac proceres Caroli accensitus, cum qvandoqve regem in occiduam Galliæ partem profectum affectatus in gravem morbum incidisset, ab eodem comiti cuidam è Pipinis Caroli progenitoribus cognatum sanguinem trahenti commendatus est. Magna benevolentia & caritate susceptus hospitio, brevi valetudinem integram recuperavit. Delectatus porro supra modum humanitate, ac morum elegantia Idæ filiæ comitis eam à parentibus sibi in matrimonium dari petiit, interposita etiam auctoritate Caroli regis. Hic ut parentes facilius induceret, præter possessiones, qvas Egberto in Francia attribuit, eundem Saxonibus Rhenum inter & Visurgim gubernatorem seu regium vicarium præfecit. Confectis nuptiis ibat cum sponsa in destinatam sibi provinciam Egbertus, diverteratqve nocte qvadam juxta Lupiam flumen in pago Dreni ad locum densius nemore horridum qvem Saxones Hirtzfeld seu Hirutfeld nuncupabant. Cum in fixis istic tentoriis gravis cæteros sopor occupasset, Idæ angelus è cœlo missus se visendum præbuit. Post varia monita prædixit, hîc, ubi reqvievscerent, oratorium ab ea construendum, in qvo ipsa virqve ejus mortui terræ mandandi forent, viro citius ex hac luce sublato, ipsam eodem in loco solutam curis terrenis DEO uni reliqvam vitam dicaturam. Postera vix exorta luce, Ida solo tenus inclinata Deum ferventissime rogat, qvod inspirasset secundaret ac piæ mentis proposito annueret. Egbertus non procul inde domicilium & aulam fixit. Hovestadium etiamnum ab aulæ statione accolæ locum appellant, situm ad Lupiam in diœcœsi Monasterienſi. At illustris matrona, comprobante marito non multo post operi manum admovit, ac purgata ab arboribus area persistit nostra ætate in pago Hertzfeld, sic enim nunc appellamus. Integram è polito lapide Ecclesiam construxit, qvæ in sanctæ DEI genitricis ac sancti germani Episcopi honorem consecrata. Huc illa freqventer Hovestadio excurrere, hic divinis laudibus, & assiduis precibus intenta diutius commorari, nec tamen desinere ea præstare viro, qvæ decebant conjugem. Paucis post annis Egbertus præfectura rite ac sancte administrata decessit è vita. Tum Ida, sanctas Beggam ac Gertrudem cognatas suas æmulatura cœpit longe artius vitæ genus sectari, duram sibi imperare abstinentiam, gloriam omnem terrenamqve pompam pedibus conculcare, elargiri sua pauperibus, in Deum unum resqve cœlestes mentem defigere. Id ut majori oportunitate præstaret, super tumulum viri sui Egberti contiguam Ecclesiæ Hirtzfeldensi versus austrum construxit porticum, in qva à strepitu hominum libera directore vitæ spiritualis usa Bertgero presbytero, divinis contemplationibus largius indulgebat. Perstitit istic toti Westphaliæ illustre sanctitatis exemplum usqve ad annum 810. qvo ut memorabo in cœlum migravit.

§. 5. Tremoniæ extructa Ecclesia S. Martini.

Trutmannus Comes, qvem supra vidimus à Carolo juri dicundo in Westphalia præfectum, hoc anno (r) in villa sua, qvam paulatim in civitatis formam redigebat, regia auctoritate fanum Idololatricum in Ecclesiam commutasse perhibetur, qvam honori S. Martini Galliarum patroni dicandam curavit.

Carolus Magnus Imperator.

Annus Christi 801.

Carolus Imperator Romæ hibernat; dispositio Imperii & Italiæ statu 7. Cal. May Roma profectus venit Spoletum. Ibi cum ageret, pridie Cal. May Italia terræ motu concutitur. Eundem terræ motum sensisse Galliam & Germaniam, ac potissimum oras Rhenanas sic canit poeta Saxo: Gallia nec tantæ fuit aut Germania cladis immunis; circa Rhenum loca deniqve motu plurima terrifico nimium concussa fuerunt. Audiri qvoqve mugitus è montibus altis, & tetri sonitus reddi, variiqve boatus, Mor-

(o) *Invita apud Brouv. t. 23. Cincinnium c. 21.*
(p) *Bernard. Wich. in Chron. MS. Westphal.*
(q) *Extat apud Surium. t. 5. 4. Septembr.*
(r) *Quidam apud Cleinsorg.*

Morborumqve lues fieri permaxima cœpit. Post natalem S. Joannis Baptistæ Imperator transgressus Alpes in Germaniam rediit, ac deinde annum pene integrum Aqvisgrani commoratus est. Eo convocatis è Gallia & Germania proceribus sacramenta renovavit: Oratores qvi jus dicerent, æqvitatem administrarent, controversias cognoscerent, lites dirimerent, omnes regnorum provincias lustrare, & peragrare jussit. Novas qvoqve leges numero 23. ibidem promulgavit.

Annus Christi 802.

Irene orientis imperatrix, ubi Carolum Augustum esse creatum audivit, ad eundem Aqvisgrani hiemem ac vernum tempus traducentem mittit Leonem Spatharium pacis confirmandæ gratia. Remittit cum eodem Imperator suos legatos Lessem Episcopum Ambianensem & Helmgaudum comitem, qvi non modo pacem firmarent, sed & connubium Irenæ peterent, ut hac ratione oriens atqve occidens in unum coalescerent priscaqve Imperii Romani Majestas resurgeret. At græcis hæc insigne ferentibus, Nicephorus patricius in conspectu legatorum Caroli die ultima octobris deturbata Irene invadit imperium. Ne irritaretur hoc facto Imperator, ejusdem legatos suis additis pro stabilienda pace honorifice dimittit. 13. Cal. Aug. venit Aqvisgranum Isacus Hebræus cum Elephanto, cui nomen Abulabar, & sacris ipsius Cypriani Carthaginensis Episcopi ac Speratimartyrum, capiteqve S. Pantaleonis, qvæ aliaqve munera offerebat Aaron potentissimus in Asia Saracenorum princeps, apud qvem tanti erat veneratio nostri Augusti, ut ejus ditioni Hierosolymitanam Urbem ac territorium adscribi voluerit. Æstatis tempore venationi in sylva Arduenna indulsit, missis interim ab eo copiis Saxones trans Albimos vastantibus, ut tradunt annales à comite Nevenario editi, atqvos Pithœus publicavit, referunt ipsum Carolum in æstate duxisse in Saxoniam Nortmannorum instinctu rebellem, ac fisum opibus, exercitum, vocasseqve eo filios Carolum & Ludovicum, hunc illuc properantem ex Aqvitania trajecisse Noviomagi, conjunctis cum altero filiorum viribus Saxones maxime orientales, & qvotqvot è Westphalis & Angariis conspiraverant, domitos, Ludovicum substitisse eis Vilirgim, qvem pater ab Albi victor rediens fuerit deosculatus, sicqve tali filio beatum prædicavit. Demum reditum ad hiberna Aqvisgranensia.

§. 1. S. Ludgerus construit Werthinam.

Sub idem tempus S. Ludgerus Werthinense Monasterium construebat; prout indicant literæ Caroli Imperatoris hoc anno illi concessæ. In (s) nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus divina donante clementia Imperator Augustus. Si Sacerdotum ac Servorum DEI petitionibus, qvas nobis pro necessitatibus suis insinuarunt, aurem accommodamus, & ad effectum perducimus, non solum regiam & imperialem consvetudinem exercemus, verum etiam æternæ retributionis præmia nobis profutura non dubitamus. Comperiat itaqve omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qvaliter beatæ memoriæ Ludgerus Mimigardevordensibus Episcopus postularit celsitudinem nostram, ut cum licentia & auxilio pietatis nostræ sibi liceret in propria hæreditate in pago Ruricho in loco qvi dicitur Werthina super fluvium Rura in sylva Weneswalt Ecclesiam ædificare in honore S. Salvatoris & S. Mariæ Virginis nec non & SS. reliqviarum, qvas ab apostolico papa de Roma transtulit, etsi facultas daretur, qvandoqve monasterium ædificare, & monachos se velle congregare manifestissime testatus est. Cujus rationabili & justæ petitioni libentissime assentimus inprimis ut eadem Ecclesia in nostram tuitionem suscepta, & non solum ea, qvæ moderno tempore, verum etiam qvæ postmodum à DEI fidelibus collata fuerint, fidelibus (t) firmius & solidius possidere absqve ullius injusta valeat infestatione; ad perficiendum autem eodem in loco monasterium, & ad congregandum cœnobium, suggerente sæpe dicto fideli nostro Episcopo, ad easdem reliqvias, propias res meas, id est fiscum nostrum, qvi vocatur Lothosa, in pago Brabant, cum omni integritate in proprietatem donamus, & in perpetuum perdurare DEO præstante jubemus cum omnibus ad se pertinentibus servis & sylvis, mansis & mancipiis, aqvis & pratis, ædificiis cultis & in cultis imperiali more ad sæpe dictas reliqvias, qvæ in Werthina venerantur, jure hæreditario præstamus & condonamus. Et ut hæc auctoritatis nostræ robore nostris & futuris temporibus domino protegente valeant in convulsa manere, manu nostra subter firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum (u) Domini Caroli serenissimi Imperatoris Augusti Hildegrimus notarius ad vicem Alcuini Archicapellani recognovi. Data 6. Cal. May Anno dominicæ incarnationis 802. anno autem regni 34. in Italia 27. Imperii vero 2. Indict. 10. actum in Wormatia in DEI nomine feliciter Amen.

Qværi posset, cur in hoc diplomate Ludgerus nominetur Beatæ memoriæ, an is jam vitam finierat? ita hinc deduxit Cleinsorgius, sed male, phrasis ea bonæ vitæ famam significat, similis habetur inserta literis Ludovici regis Carolingorum ultimi datis anno 910. Monasterio S. Swiberti, in qvibus expresse Folgero presbyter vivens pari compellatione honoratur. Qvid vero est, qvod diploma hoc recognovit Alcuinus Archicapellanus: an ea dignitate & munere exciderat Hildebaldus Coloniensis, ante hac non

(s) *Ex Archivo Werthin. Refer. huc qvæ scripsi anno* 789. §. 3. (t) *Forte fratribus.* (u) CARLUS.

non semel eo titulo regiarum literarum recognitor? an plures fuêre in aula regia Archicapellani? & alii Cæsarei alii regii? rursum alii Franciçi, alii germani, alii Italici? an denique in absentia Hildebaldi Alcuinus supremi capellani vices egit? amplius deliberandum censeo. Cætera qvæ ad Werthinæ constructionem attinent, supra attigimus, & plura addemus anno 809.

Annus Christi 803.

Carolo Augusto per hiemem considente Aqvisgrani, vicina palatio terra longe lateqve concussa est, concussionem subsecuta pestilentia. Imperator æstate in Germaniam trans Rhenum profectus, celeberrima comitia habuit in palatio, qvod poeta Saxo, & Rhegino Saltz, Annales Nevenariani Sels appellant. Aventinus male vertit in Salisburgium. In Saxonia aut ad ejus fines fuisse nec longe à fontibus Salæ fluminis exploratum est. Nam expresse annales Newenariani Carolum ajunt ex Saltz profectum in Bajoariam; extra Bajoariam ergo qværere oportet. Letznerus collocat ad Albin haud procul Magdenburgo. In qvacunqve demum Saxoniæ parte fuerit, nobilitat Salinarium illud palatium inprimis pax illic æternum cum Saxonibus concluſa, ut mox referam, Pax qvoqve ibi & fœdus inter utrumqve imperium orientale & occidentale initum, nam præsto fuêre legati Nicephori Constantinopolitani Imperatoris Michael Episcopus, Petrus Abbas, Calistus candidatus. Cum qvibus societatis conditiones, Imperiiqve divisio pactæ, qvæ tabulis inscriptæ, à Leone pontifice deinde subsignatæ sunt. Hisce perfectis, cognitisqve in Bajoaria Pannoniaqve causis, mense decembri Imperator hiematum concessit Aqvisgranum.

§. 1. Pax concluſa cum Saxonibus.

Pacem hoc anno Saltzii cum Saxonibus initam cum suis conditionibus sic vetus poeta prosequitur. Nobilis hic annus longi certamina belli tandem Saxones inter Francosqve peracti firmo perpetuæ concluſit fœdere pacis. Augustus pius ad sedem Saltz nomine dictam venerat. Huc omni Saxonum nobilitate collecta, simul has pacis leges inierunt: Ut toto penitus cultu, rituqve relicto gentili, post hac fidei se subdere vellent Catholicæ, Christoqve DEO servire per ævum. At v. censum Francorum regibus ullum solvere neu penitus deberent atqve tributum cunctorum pariter statuit sententia concors. Sed tantum decimas divina lege statutas offerrent ac præsulibus parere studerent, ipsorumqve simul clero, qvi dogmata sacra, qviqve fidem domino placitam vitamqve doceret, Tum sub judicibus, qvos rex imponeret ipsis, legatisqve suis permissi legibus uti Saxones propriis, & libertatis honore.

Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis, Ut gens & populus fieret concorditer unus, ac semper regi parens æqvaliter uni. Hac igitur pacis se conditione fideles se Carolo natisqve suis stirpiqve nepotum ipsius juraverunt per secla futuros. Qvos per terdenos & tres tam duriter annos linqvere protracti penitus certamina belli plus regis pietas & munificentia fecit qvam terror. Nam se qvisqvis commiserat ejus egregiæ fidei ritus spernendo profanos. Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis. Copia pauperibus Saxonibus agnita primum tunc fuerat rerum, qvas Gallia fert opulenta: Prædia præstiterat cum rex compluribus illic, Ex qvibus acciperent pretiosæ tegmina vestis, Argenti cumulos dulcisqve fluenta Lyæi. His ubi primores donis illexerat, omnes subjectos sibimet, reliqvos obtriverat armis. Hæc poeta Paderbornensis, qvo nemo è veteribus accuratius uberiusqve conditiones, qvibus Saxones coaluêre cum Francis descripsit. Videas ex illo, cum nobilitate Saxonum tanqvam populi dominatrice sancitam pacem; Videas Saxonibus præter decimas nihil oneris impositum; relictam libertatem, leges & consvetudines patrias, rectores Francorum nomine datos. Judices, hoc est comites & legatos, qvos infra videbimus appellatos missos (*x*) dominicos. Illi majores comitibus, nomine principis Urbibus ac provinciis præerant, cognoscebant de publicis privatisqve controversiis, excipiebant à populis sacramenta, creabant; loca in qvibus residebant dicta missatica, commeatus illis è publico præbitus. Hujusmodi in Westphalia legatum ac missum fuisse Egbertum, cujus ante biennium memini, mihi persvadeo. Potestas legatorum nunc pluribus, nunc paucioribus annis durabat. Sæpius eam Archiepiscopis & primariis sacrorum antistibus collatam reperias, ut vel hinc rideas inane eorum studium, qvi Ecclesiarum præsules sub Carolo omni politico imperio exutos fuisse probare conati sunt, contra qvos egi anno 785.

§. 2. De legibus Saxonum, speculoqve legum, qvod vulgo extat.

Permissos inqvit poeta, Saxones à Carolo uti legibus patriis; patrias illas leges scriptas fuisse à populo adhuc libero lingua vernacula non crediderim, tum ob ruditatem priscorum germanorum à Tacito non semel assertam; tum qvod non facile olim scriptum qvippiam lingua germanica reperias, Eginhardus rerum Caroli callentissimus testis est cum sub initium imperii omnium nationum qvæ sub ejus ditione erant jura qvæ scripta non erant describi ac literis mandari fecisse, adhac multa legi-

(*x*) *Brovvil.* 8. *annal. Trev.*

legibus Salicis ac ripuariis qvæ deerant addidisse, discrepantia univisse, prava qvoqve ac perperam prolata correxisse. Et qvidem in fine legum Salicarum additur, Carolum hoc anno Imperii tertio Christi 803. capitula eis addidisse. Ripuariis legibus qvidnam adjecerit, haud perinde constat. Namqve in iis Caroli nomen non extat. Feruntur tamen ejus nomine tabulæ, ex qvibus colligas, Caroli etiam circa has leges operam. Apud Saxones vero vetus & recepta fama est legum à Carolo Magno conditarum, Epko Repkovius, qvi vixit circa annum 1200. speculi legum Saxonicarum auctor, id disertis verbis testatur; (*y*) sæpe idem memorat auctor glossæ in idem speculum, qvi non dubitat affirmare, leges Saxonibus à Carolo datas Saxenburgi anno Christi 810. Imperii 10. uti qvidem habet editio Lipsiensis anni 1541. Crancius (*z*) enim legit annum imperii septimum auctoremqve glossæ etiam parachronismi ergo graviter increpat. Certe Epko ille & glossator adeo sæpe putidissimas tabulas comminiscuntur, ut niti aliunde nobis constaret de legibus Saxonum Carolinis, illorum fide haud illud liceret affirmare, qvod non male notatum à Crancio acris judicii viro. Cui tamen non assentior neganti Saxonibus leges datas à Carolo, id enim docet Eginhardus, docet ipse Carolus in sua constitutione de sede & judicio regio Aqvisgranensi, qvam infra proferam. Non qvod velim nova jura à Carolo obtrusa Saxonibus, id enim repugnat Poetæ asserenti patrias leges iisdem permissas, sed qvæ invenit usu apud Saxones recepta, ipse sua auctoritate literis mandata promulgavit, qvæ christianæ religioni nimis adversabantur correxit, cuncta in convenientem ordinem redegit, nonnullis etiam novis additis, qvibus populus sui juris antea sub novo Francorum imperio melius contineretur, & hac ratione legum Saxonicarum conditor Carolus jure merito haberi debet. Illud modo qværitur, qvænam illæ sint leges & qva lingua conscriptæ. Idiomate germanico Saxonibus, Frisiis & Thuringis publicatas à Carolo leges ex seqvioris ævi Chronologis scribit Felix Faber monachus Ulmensis. Verum hujusmodi leges germanicè à Carolo scriptas nemo alius testatur vel visas sibi vel alibi superesse. Tum vero certum est vix qvippiam illa tempestate saltem publice ab imperatoribus & regibus Germanica lingua editum. Omnia diplomata tabulæqve publicæ ad Rudolphum usqve Austriacum latino sermone propositæ reperiuntur in Archivis. Veniamus ad speculum Saxonicum, stultum profecto creditu, inqvit, Hermannus Conringius, hoc argumentum novissime latius prosecutus (*a*) omnia illa qvæ speculo Saxonico continentur, usqve ad libri tertii articulum 78vum à Carolo esse constituta, qvæ tamen à speculi illius glossatore, & nonnullis interpretibus asseruntur. Scilicet abunde constat Epkone Repkovio auctore codicem illum conscriptum qvadringentis post Carolum annis. Ipse autem ille Epko testatur, ante se neminem jus Saxonicum literis mandasse. Qvod etsi omni ex parte verum non sit, decet tamen illo demum tempore, pleraqve illa qvidem, qvæ ibi memorantur Saxonum jura scribi demum cœpisse, adeoqve non ex monumentis antiqvis Carolinis depromta esse, sed ex receptis moribus, qvos fama tum in Carolum institutorem retulit. Taceo plurima ad rempublicam cumprimis pertinentia in speculo illo reperiri, qvæ longo demum post Carolum intervallo initium sumsisse nemini rerum imperii paulo peritiori ignotum est. Itaqve ut sint in illo speculo nonnulla jam Caroli ævo usitata, omnia tamen eam vetustatem neqvaqvam præ se ferunt. Adde esse ibi qvæ censura egeant, adeoqve simul indigna piissimo imperatore. Gregorius certe XI. pontifex maximus in bulla data Avenione, transmissaqve non modo Imperatori sed & Archiepiscopis Coloniensi, Moguntino, Bremensi & aliis enumerat damnatqve 14. articulos speculo illo comprehensos, qvi religioni Christianæ ac bonis moribus adversentur. Qvare verosimilius cum eodem Conringio existimo leges illas Saxonum & Frisiorum, qvas Joannes Basilius Heroldus cum aliis primum in lucem protraxit, esse ipsissimas à Carolo promulgatas; utraqve certe insignis est antiqvitatis, utraqve diserte Francorum reges dominos agnoscit; astruitqve Saxonica illa ætate peraditatam differentiam inter tres Saxoniæ populos Westphalos, Angrivarios & Ostphalos.

§. 3. Jura municipalia à Carolo provinciæ nostræ civitatibus qvibusdam data.

Præter leges Ripuarias provinciæ nostræ cis Rhenanæ cum additamento promulgatas, præter Saxonicas latas Westphalis & Angariis: sunt aliæ municipales celebrioribus locis concessæ ac roboratæ à Carolo, qvantum qvidem communi famâ vulgatum. Ejusmodi loca potissimum qvatuor, Colonia, Aqvisgranum, Tremonia, Susatum. Jura Colonientibus firmata à Carolo prodit vetustus auctor juris Magdeburgici. (*b*) Qvod etsi fabulosum putat Conringius, non dissitetur tamen, olim clari nominis per Germaniam fuisse jus Coloniensium, ad cujus normam multæ aliæ urbes fuerint compositæ. Ego illius auctores agnosco Romanos, moderatores Francos Merovingos, Elucidatorem amplificatoremqve Carolum, neqve enim qvi aliarum omnium nationum sibi subditarum leges scripto proposuit, auxit, illustravit, præteriisse ac neglexisse putandus est vicinam sibi rempublicam Agrippinensem. Aqvisgranum uti à Carolo reliqva decora, ita jura qvoqve accepit; id jam pridem agnovit glossator articuli primi juris Magdenburgici, & qvis credat Caro-

(*y*) *In prolog. & lib. I. art.* 18. (*z*) *L. 2. Sax. c.* 21. (*a*) *In lib. de orig. juris german. Helmstad. an.* 1654. *edit.* (*b*) *Art.* 1.

Carolum cum urbem fundaret, & caput imperii trans Alpes institueret, populi confluentem in dies multitudinem absqve legibus, hoc est corpus sine anima vivere voluisse? De jure & dicasterio Tremoniensi egi supra: Jura Sosatiæ seu Susatensia tantæ olim in tota Saxonia extitêre celebritatis, ut ceu Athenis qvondam Romani, Susato novarum urbium conditores leges peterent. Florent ea etiamnum in urbibus Baltico Mari assitis, derivata illuc è republica Lubecensi, qvam à prima sui origine, ac tum cum maxime florere cœpit, legibus Susato acceptis gubernatam tradit Arnoldus Abbas Lubecensis (*c*). Nam cum retulisset Lubecenses Henrico Leoni Saxoniæ duci obnoxios, à Friderico I. Imperatore anno 1180. ad deditionem coactos, priusqvam, inqvit, imperatori civitatem aperirent, exierunt ad eum rogantes, ut libertatem civitatis, qvam à duce prius traditam habuerant, secundum jura Sosatiæ (*d*) ipsius auctoritate & munificentia possiderent. Dubitari jure posset, qvis Susatensium legum autor, an Carolus, an Archiepiscopi Colonienses jam à tempore Dagoberti regis ac S. Cuniberti Urbis Domini. Interruptum illud præsulum imperium per bella Saxonica par est credere, qvanqvam mirari subit, toto bello Carolino nullam Susati uspiam fieri mentionem. Eversane fuerit civitas, an munimentis suis tuta steterit, incompertum. In auctorem legum literis comprehensarum Carolum propendeo fretus auctoritate Eginhardi.

§. 5. Carolus benefacit Ecclesiæ Osnabrugensi.

Anno tertio imperii, 85. regni in Francia, 30. in Italia, 14. Cal. Januar. Carolus Magnus Aqvisgrani in palatio existens, ob amorem domini nostri JESU Christi, ad mercedem augmentum, & stabilitatem regni, cessit ac donavit basilicæ S. Petri principis Apostolorum & SS. martyrum Crispini & Crispiniani, qvam construxerat in loco Osnaburg, ubi, inqvit, præest Wiho venerabilis Episcopus, omnimodam secularem jurisdictionem in omnes utriusqve sexus homines ad Ecclesiam pertinentes, servos, litones, & liberos, qvos modo possideret, vel deinceps acqvisitura esset, qvos ab omni regia potestate exemit, ita ut nullus judex publicus, dux, comes, vice comes, Schultetus, missusve dominicus eo in Episcopatu vel placita celebraret, vel freda seu mulctas exigeret, vel illius homines ad sua tribunalia citare, aliterve gravare præsumant sed plenam Episcopus ejusqve successores, & advocatus liberamqve de rebus ad Ecclesiam pertinentibus dispositionem habeant. Hæc ex publicis illius Ecclesiæ tabulis Ertwinus Ertman, à qvo optassem integras literas fuisse recitatas, ex eo certe fragmento stabilitur nostra opinio alibi contra novatores asserta à Carolo politicam potestatem concessam Saxoniæ Episcopis.

Annus Christi 804.

Imperator ex hibernis Aqvisgranensibus, ineunte æstate in Saxoniam (*e*) ducto exercitu pacem anno superiore cum Saxonibus conclusam plene exeqvitur, modo qvo infra dicam; ibi dum agit novum illi nascitur bellum Nortmannicum, qvod deinceps in nonaginta annos protractum surgenti Françorum Monarchiæ pene exitium attulit. Godefredus Danorum rex venerat sub idem tempus cum ingenti classe, & totius regni sui eqvitatu in Sliestorff, locum Saxoniæ conterminum, tanta spe inflatus, ut totius Germaniæ sibi promitteret imperium. Frisiam & Saxoniam non aliter atqve suas provincias æstimaret. Promiserat se ad colloqvium Imperatoris ad Albim fluvium confidentis venturum. Verum à suis inhibitus, propius non accessit. Carolus missa ad eum legatione pro reddendis perfugis retrogressus, medio septembri Coloniam venit. Hinc dimissis copiis, post aditum Aqvisgranum, in sylva Arduenna venationi indulsit, medio novembri nunciatum illi, venisse in Galliam Leonem papam, ac velle cum Imperatore festos Christi natalitios dies celebrare. Missus obviam pontifici honoris causa Carolus filius. Subsecutus postmodum Imperator Rhemis Leonem excepit, exceptum deduxit in villam Carisiacum ac post natalitia Aqvisgranum.

§. 1. Finis impositus bello Saxonico.

Concluſa licet pace anno superiore cum Saxonibus, Westphàliaqve & Angaria, juxta illius leges integre compositis, perstabant in armis multi Albis accolæ fisi Godefridi Danorum regis ingentibus in Francos animis & apparatibus. Adventu Caroli in Saxoniam orientalem discussa omnis belli nebula: auctores seditionis, paci obstreperi, profugêre in Daniam: Reliqvi qvi trans Albinam regionem Wihmodiamqve incolebant, numero decies mille cum uxoribus ac liberis translati in Franciam, dispersiqve per rura Galliarum, concessa eorum terra Abodritis toto hoc bello fidissimis Francorum sociis. Atqve ita tandem anno 33. postqvam anno 772. inchoatum esset, finis impositus est bello Saxonico, qvod, ut inqvit Eginhardus, & toties iterata rebellione consummatum magnanimitate regis, ac perpetuata in adversis qvam prosperis mentis constantia, qvæ nulla eorum mutabilitate vel vinci potuit, vel ab iis, qvæ agere cœperat, defatigare. Addit plures eo bello tam ex nobilitate Francorum qvam Saxonum, & functos summis honoribus viros consumtos esse, neqve hoc modo anno Saxonia orientalis ab inqvietis & seditiosis hominibus tanqvam sentina exhausta est. Factum id ante hac & in occidua, pluresqve Westphali & Angarii tum alio tum vel in Italiam & Romam traducti, qvibus locus prope D. Petri basilicam in habitationem concessus, postea vici Saxonum nomine inclaruit. Stat ibi nunc celebre hospitale S. Spiritus dictum

(*c*) *Lib. 2. Chr. Slau. c. 40.* (*d*) *Male corrigit Conringius Holsatia.* (*e*) *Annal. Nevenar.*

dictum in Saxia. Ut vero omnem Saxonibus rebellandi materiam tolleret, habeientqve qvibus domi continerentur, plura qvoqve francorum millia per totam Saxoniam tanqvam novas colonias dispersit imperator, addito multis ob egregie nauatam adversus hostes operam nobilitatis titulo, qvibus vel vacantes & exhaustæ ab incolis sedes vel rebellium & profugorum agri assignati. An autem illam qvam modo clericis & nobilibus serviunt servitutem rusticani homines in Westphalia & Angaria induxerit Carolus, dubium est. Opinor cum Rolevingio jam ante Carolum Saxonicam nobilitatem aristocratice populo dominatam & plurimos habuisse mancipiorum nexu sibi obligatos, adeoqve longe vetustiorem esse illam decantatissimam apud Widekindum (*f*) Adamum (*g*) Bremensem, Nithardum (*h*) Saxonum divisionem in nobiles, liberos, libertos, servos. Nobiles dicti Adilingi, & Ethelheri, ex qvibus supersunt hodierdum comites & dynastæ qvi se nobiles dominos vocent, qvem titulum in Westphalia usurpavere semper comites Lippienses. Ex ipsis satrapæ ac belli tempore duces legebantur. Franci facti rerum domini non nullos ex iisdem comites creavêre. Adilingorum Saxonum pauci modo superstunt, aut vix ulli, nisi forte comites Lippienses, Benthemenses, Teclenburgici, Burani. Liberi vernaculè Frilingi, ii erant, qvi qvatuor mansos possiderent, ipsi per se militare coacti. Qvi tenerent pauciores certa proportione se conjungere cogebantur. Hinc prodiere qvi per excellentiam dicti liberi, seu liberi domini, hinc item milites, die Ritter, militares, die von der Ritterschafft, die gutemans, ministeriales, die Knapen, die Edelknecht, qvibusdam qvasi Adlersknecht, Schutiferi, armigeri, galeati, Valvasores, Vasalli, Scutati, feudatarii, die Wapener, Wapelinger, viri, die Menner, guttmenner, erbare vaste, qvibus nominibus plerosqve eos, qvos hodie nobiles ac prænobiles appellamus in antiqvis literis nuncupatos legas: cæterum nobilitas Westphalica hodierna maximam partem à Carolo Magno originem suam arcessit, atqve ea potissimum, qvæ coronam galeæ incumbentem in insignibus gestat, nam triplici ornamento nobilium Westphalorum galeæ discriminantur, aliæ superposita corona, aliæ cidari depressa, nonnullæ pileo, cujus differentiæ explicationem ex viri cujusdam docti & periti ore acceptam sine cujusqvam injuria, salvoqve saniore aliorum judicio subnecto; Coronati, ajebat ille, nobilitatem suam aut Carolo Magno regumqve Franciæ coronæ acceptam ferunt, aut indicant majores suos sub signo prætoriano regum cæsarumve militasse, & fortibus factis inclaruisse, eminentioris nobilitatis id certe indicium: qvibus cidaris absqve pyramidali acumine galeam ornat, eorum nobilitas ab expeditionibus in orientem ac Palæstinam sub Fridericis, Henricis & Conrado Cæsaribus susceptis profluxit, in qvibus progenitores, familiæqve auctores egregios tese heros præstitere. Pileus primos gentis conditores indicat ministeriales & feudatarios fuisse principum, Episcoporum aut comitum, velut primum ab iis manumissos, aut etiam è libertis ortos. Dicebantur liberti Frilazzi, hoc est manumissi; sed interim patronis certis conditionibus, liti, litings, manebant obligati. Eos repræsentant qvi hodie in Saxonia oppida & vicos incolunt, civesqve seu burgenses appellantur. Lazzi deniqve seu Servi passim in Westphalia reperiuntur, ac communiter rustici vocantur; Saxonice die eigene, eigenleut, nonnulli mancipia nuncupant, verum mancipatus ille glebæ est adjacens ut loqvuntur, & longe honestior, alterius generis qvam ille apud Græcos & Romanos. Egi de illo ad annum 788. §. 3.

§. 2. Osnabrugi fundatum à Carolo latinarum & græcarum literarum gymnasium.

Eodem hoc anno, Wihonis Episcopi 27. Carolus Magnus Osnabrugi in Angaria fundavit dotavitqve gymnasium latinarum & græcarum literarum, prout indicat seqvens diploma relatum ab Ertwino & Crancio: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Imperator Augustus Romanum gubernans imperium, Dominus & rex Francorum & Longobardorum, nec non dominator Saxonum. Notum sit omnibus S. Ecclesiæ fidelibus, nostrisqve præsentibus & futuris, qvod nos ob nostræ mercedis augmentum Wihoni Episcopo Osnabrugensi, suæ Ecclesiæ, qvam nos primam in omni Saxonia in honorem S. Petri principis apostolorum & SS. martyrum Crispini & Crispiniani construximus, qvoddam nemus vel forestum intra hæc loca situm: Forne Winkel, Rustenstein, Angaria, Osningh, Senethe, Dershovet (*i*) Egesterfeld, Drekainana (*k*) innumera collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate in porcis sylvestribus, cervis, avibus, & piscibus, omniqve venatione, qvæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aqvisgrani, pertinentes in sylva Osningi in perpetuum proprietatis usum donavimus. Ea videlicet ratione, qvod si qvisqvam hoc idem nemus nostro banno munitum, sine prædictæ sedis Episcopi licentia studio venandi, vel sylvam exstirpandi, vel aliud agendi unqvam introjerit, sciat se tam divinæ qvam regiæ ultionis vindictam incursurum: nec non pro delicto 60. solidos nostri ponderis, qvos nobis pro banno violato deberi statuimus, redditurum. Insuper vero eidem Episcopo ejusqve successoribus perpetuam concedimus libertatem & ab omni regali imperio absolutionem, nisi forte contingat, ut imperator Romanorum, & rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum con-

(*f*) *L. 1. annal.* (*g*) *L. 1. c. 5.* (*h*) *Lib. de dissensione filiorum Ludovici pii, Reiner. Reineccius in not. ad poet.* (*i*) *Al. Berghovet.* (*k*) *Al. Dumeri.*

contrahere diiponant. Tunc Ecclesiæ illius Episcopus cum sumtu à rege vel Imperatore adhibito laborem simul & honorem illius legationis assumet. Et ea de causa statuimus, qvod in eodem loco latinas & Græcas scholas in perpetuum manere ordinavimus, nec unqvam clericos utriusqve linguæ gnaros deesse confidimus. Et ut hæc autoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter ea roborare decrevimus, & annulo nostro sigillare jussimus. Datum 13. Cal. Januar. ac qvarto, Christo propitio, imperii nostri, 37. regni nostri in Francia, atqve 31. in Italia. Actum Aqvisgrani in palatio in Dei nomine feliciter. Amen. considera hic lector, qvanti ingenia Westphalica æstimârit prudentissimus imperator, cum ea græcis latinisqve disciplinis addiscendis aptissima judicavit: qvanto item in pretio apud eum homines Westphali, qvos perpetuos rebus orientalibus tractandis legatos constituit, qvales esse neqveunt, nisi viri prudentia, maturitate, agendi dexteritate, & politiori literatura conspicui. Qvam nostro hoc ævo majores suos non modo adæqvent iidem Westphali, sed & superent, clarius est, qvam ut à me ostendatur. Non facile aliam in tota Germania regionem reperias, in qvâ tot gymnasia, tot musarum & elegantiorum literarum cultores. Sed hoc argumentum alibi tractabitur. Porro aut vitiatum est diploma dum 13. Cal. Januariis datum asseritur, aut annales Francorum, qvi eodem tempore, Carolum narrant non Aqvisgrani, sed Rhemis aut Carisiaci occupatum fuisse in excipiendo & tractando pontifice, nec nisi post natalitia rediisse Aqvisgranum.

Annus Christi 805.

Carolus Imperator Leonem papam, postqvam Carisiaci & Aqvisgrani 8. diebus juxta annales Francorum, diutius vero ultra Sacrum Epiphaniæ diem, ut testatur poeta, detinuisset, honorifice remittit in Italiam. Missio deinde Carolo Filio ad vastandam Bohemiam, qvam & subegit, victor reversus ad patrem Julio mense, ipse Aqvisgrano digressus Vogesum sylvam venaturus petiit, adulto autumno hiematum concessit in villam Theodonis, qvo ad eum venêre filii Pipinus & Ludovicus.

§. 1. Dedicatio Ecclesiæ Aqvisgranensis.

Dixi ad annum 799. verosimilius videri, non illo tempore, sed hoc demum ineunte anno basilicam Aqvisgranensem à Leone papa fuisse consecratam, movet me id qvod anno 799. exeunte Leo Eresburgi hæserit, ut docent allatæ ibi ejusdem literæ datæ 7. Cal. Januar. Consecratio autem Aqvisgranensis facta est in die Epiphania 6. Januarii uti ex prisca Ecclesiæ illius traditione probat Petrus (*l*) Beckius ibidem Canonicus & diligentissimus rerum Aqvisgranensium indagator, idqve ante ipsum scripserant olim in editione Usuardi Colonienses, qvanqvam nunc 17. Julii illius memoria recolitur. Hoc posito, dico admodum incertum esse, utrum pontifex anno 799. media & rigente hieme, ex Eresburgo per aspera illic & inculta loca, si ullo alibi in tota Saxonia occidua tambrevi temporis spatio properaverit Aqvisgranum; illud vero certum, ex poeta, hoc anno in die Epiphaniæ Leonem Aqvisgrani substitisse, qvo eum è Carisiaco deduxerat Carolus. Secundo adstipulantur huic opinioni Petrus Beckius & Colonienses in suo Usuardo ante citati, dum usi stylo gallicano, qvo annus 804. prorogabatur in 25. Martii anni 805. asserunt inauguratam basilicam anno 804. Denique Carolus in constitutione sua postpaulo citanda ait ad dedicationem basilicæ acciviisse se Roma pontificem, atqvi anno 799. venit Leo non accitus sed auxilium implorans. Hæc de tempore. Leonem pontificem initiatorem fuisse tum multi alii referunt, tum exprimunt versus ad occiduam templi plagam subtus salvatoris faciem & protensum brachium aureis characteribus inscripti: Ecce Leo papa, cujus benedictio sancta templum sacravit, qvod Carolus ædificavit. Acta solennitas in freqventissimo procerum utriusqve ordinis conventu. Memorabile est qvod scriptum reperitur in annalibus Ecclesiæ (*m*) Leodiensis, multisqve aliis posterioribus historicis. Voluerat imperator ad magnificentissimæ basilicæ consecrationem tot convenire Episcopos, qvot dies contineret annus hoc est 365. duo forte aberant. Mirum dictu! prodiisse ajunt Mondulphum & Gondulphum qvondam Tungrenses Episcopos è suis sepulchris, qvæ erant in medio Ecclesiæ Trajecti ad Mosam S. Servatio sacræ, atqve Aqvisgrani ingenti gaudio huic celebritati adfuisse. Ea peracta, & à Leone pontifice accepta benedictione, cunctis stupore defixis, recessisse ac sua repetiisse monumenta. Qvam narrationem adeo prodigiosam & inauditam tanqvam commentitiam rejicit Bartholomæus Fisenius (*n*) utpote à nullo veterum auctorum, qvi res Caroli sunt prosecuti vel verbulo insinuatam. Verum qvam multa sunt Fiseni, maximi momenti negotia ipsius Caroli, aliaqve qvæ sub Carolo acciderunt, ab iisdem auctoribus prætermissa? Supra ex Archivis indicavi paucula. Neqve tamen hic ego qvicqvam affirmo nec definio. Penes pios nec ineruditos homines, qvod prodidêre fides esto. Initiavit basilicam pontifex in honorem DEI & salvatoris nostri JESU CHRISTI ejusdemqve gloriosæ resurrectionis & sub titulo cœli reginæ. Hinc freqventer appellari leges templum sanctissimæ Virginis Mariæ.

(*l*) *In Aqvisgran. c.* 4. (*m*) *Apud Chapeavill. t.* 1. *Episcop. Tungrens. p.* 63. *Petr. Canisius in martyrol.* (*n*) *L.* 5. *inst. Leod.*

§. 2. Sanctio pragmatica Caroli de basilica & oppido Aqvisgranensi ejusqve privilegiis.

Ad majorem basilicæ & urbis Aqvisgranensis notitiam, utqve constent dignitas & privilegia utriqve nunc concessa, juvat audire ipsum Carolum differentem, animiqve sui sensa tusius explicantem eo sermone, qvem habuisse testantur Friderici I. & II. Imperatores: Ego Carolus qvi DEO favente curam regni gero, & Romanorum Imperator existo, consilio principum regni nostri, tam liberorum qvam servorum in plurimo generali conventu, in diversis locis regni nostri habito, discussi, prout justius & melius cunctis videbatur primum de lege sanctarum Ecclesiarum, de reddendis justitiis Episcoporum, de vita & jure presbyterorum, ac clericorum, & hæc omnia judicio ac assensu nostro secundum instituta patrum meorum roboravi, firmavi & auxi, nihil de his minuens qvæ Catholici viri recte atqve legitime vivere volentes ad observandum spirituali ac seculari decreto bonum & utile contulerint.

Deinde prout cunctis placuit prudentioribus regni nostri, legem Saxonum, Noricorum Svevorum, Francorum, Ripuariorum, Salicorum sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum meorum semper fuit, distinxi, distinctam sub autoritate regia & Imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione, aut corde prolatam, sed communi consilio & generali conventu totius Galliæ à me renovatam, & in melius auctam, sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur. Scitis enim & neminem latet, qvia qvicqvid ab Imperatoribus & regibus præceptum & decretum est, semper ratum & pro lege tenendum est, ne qvod ab universis sensatis & justa satis discretione vivere volentibus imperatum est, & actum, & nostra imperatoria & regia majestate confirmatum & solidatum, violetur. Nunc patres, Fratres, & Amici, fautores & Coadjutores gloriæ regni nostri, de omnibus statutis patris mei Pipini, qvæ ad utilitatem & honorem sanctæ Ecclesiæ firmari ac renovari petistis, qvæ ad defensionem secularium rerum & legum stabiliri qvæsistis, nihil minui, nec abnui, sed in melius ampliavi, omnium sanis consiliis acqvievi & fui in medio vestrum qvasi unus de qværentibus & petentibus æqvitatem legis, nulli contradicens, aut renitens dignæ & rectæ petitioni. Ergo vestri decreti & petitionis voluntarius exstiti, vos qvasi patres & fratres audivi. Nunc qvæso ut meæ petitionis & intentionis non solum auditores, sed & benevoli factores fieri velitis, nec qvod indecens aut intolerabile sit, qværo, sed qvod tota Gallia & universi principes potius concedere qvam negare debent. Nostis qvaliter ad locum, qvi Aqvis ab aqvarum calidarum aptatione traxit vocabulum solito more venandi causa ingressus, sed perplexione sylvarum, errore qvoqve viarum à sociis seqvestratus veni, thermas calidorum fontium & palatia inibi reperi, qvæ qvondam Granus unus de Romanis principibus frater Neronis & Agrippæ à principio construxerat, qvæ longa vetustate deserta ac demolita, frutetis qvoqve ac vepribus occupata nunc renovavi pede eqvi nostri, in qvo sedi, inter saltus rivis aqvarum calidarum perceptis & repertis: sed & ibidem monasterium Mariæ matri Domini nostri JESU CHRISTI omni labore ac sumtu qvo potui ædificavi, lapidibus ex marmore pretioso adornavi: qvod Domino adjuvante atqve cooperante sic formam suscepit ut nullum qveat ipsi æqviparari.

Itaqve tam egregio opere hujus basilicæ non solum pro voto meo & desiderio, verum ex divina gratia ad unguem peracto, pignora Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum à diversis terris & regnis, & præcipue Græcorum collegi, qvæ huic sancto intuli loco, ut eorum suffragiis regnum firmetur, & peccatorum indulgentia condonetur: Præterea à Domino Leone Romano pontifice hujus templi dedicationem & consecrationem fieri impetravi, præ nimia devotione, qvam erga idem opus habui & sanctorum pignora, qvæ ibi recondita meo studio & elaboratu habentur. Decebat enim ut idem templum, qvod cunctis monasticis ædificiis in regno nostro forma & structura præesse videtur, in honorem sanctæ DEI genitricis à nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret, sicut ipsa virgo super omnes choros sanctorum præcellens exaltata est; & ideo dominum apostolicum, qvi omnes Ecclesiasticos præcellit gradu ad consecrandum & dedicandum ex sola cordis mei consideratione elegi, & accivi, accivi etiam cum illo Romanos Cardinales, Episcopos Italiæ qvoqve qvam plures & Galliæ, simulqve abbates, & cujusqve ordinis cleri um multum, qvi huic dedicationi interessent. Accitietiam sunt multi Romani principes, præfectura, & qvalicunqve dignitate promoti ad id solenne, Duces, Marchiones, Comites, principes regni nostri tam Italiæ qvam Saxoniæ, tam Bavariæ, qvam Allemanniæ, & utriusqve Franciæ tam orientalis qvam occidentalis, in omnibus voto meo & desiderio obseqventes. Illic vero Domino Apostolico & omnibus prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis, merui ab omnibus obtinere, præ nimia devotione, qvam erga ipsum locum & matrem Domini nostri JESU CHRISTI habebam, ut in templo eodem sedes regia locaretur, & locus regalis, & caput, Galliæ trans Alpes regia haberetur, ac in ipsa sede reges successores & hæredes regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc imperatoriam majestatem Romæ sine ulla contradictione planius assequerentur. Confirmatum & sanctum hoc & à Domino Leone Romano pontifice, & à me Carolo Romanorum Imperatore Augusto, & primo auctore hujus templi & loci, qvatenus ratum & incon-

vul-

vulsum hoc statutum & decretum nostrum maneat, & hic sedes regni trans Alpes habeatur, sitqve caput omnium civitatum & provinciarum Galliæ.

Decrevimus etiam ex assensu & benevolentia omnium principum regni, qvi ad hoc festum dedicationis convenerunt, ut locum & sedem regiam pro murali præsidio contra omnes turbines, Episcopi, Marchiones, Duces, Comites, omnes principes Galliæ, fideles regni tueantur, semper locum hunc venerantes. Decrevimus etiam, si qvæ injuria aut versutia contra leges qvas statuimus surrexerit, libero aut servo nocere tentaverit, Aqvis ad hanc regiam sedem, qvam fecimus caput Galliæ, veniat: veniant judices & defensores loci, & cum æqvitate legis causæ decernantur, status legis resurgat, injuria condemnetur, & justitia reformetur. Nunc vero, qvia locum hunc majestate regiæ sedis, Domini Apostolici decreto & nostra imperiali potentia, nostroqve assensu exaltavimus, Honestate vero hujus templi & plurimorum sanctorum veneratione magnificavimus, decet, nec incongruum videtur (cum ad hoc nimium figitur noster animus) ut petitio mea, cujus vos non solum auditores sed benevolos factores fieri exoravi, apud vos obtineat, qvatenus non solum clerici & Laici loci hujus indigenæ, sed & omnes incolæ & advenæ hic inhabitare volentes præsentes & futuri, sub tuta & libera lege, ab omni servili conditione vitam agant, ac omnes pariter ex avis & atavis ad hanc sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege, qvam dictavero in præsentiarum à nonnullo successore infringantur. Nunqvam de manu imperatoris vel regis alicui personæ nobili vel ignobili in beneficio tradantur.

Acqvieverunt universi domini, & magni Imperatoris Caroli petitioni & voluntati, qvi ad hoc solenne dedicationis ex diversis regnis confluxerant, ac bonum & acceptum coram Deo & hominibus, Domini Apostolici & Imperatoris decretum astruxerunt, & omnium graduum Episcoporum Abbatum qvoqve banno corroborari & confirmari hanc imperatoris petitionem, universi magni & parvi acclamaverunt. Ab Imperatoribus ut dixi Fridericis hæ tabulæ aureis bullis signatæ, qvas Aqvenses fida custodia asservant; Miræus (*o*) & novissime Conringius (*p*) constitutionem illam & sermonem Carolinum suspectum habent, ob varias, ut inqviunt, loqvendi rationes seculo huic incognitas, certe non usitatas, at qvi credi potest sapientissimos Cæsares inseruisse diplomatibus suis, approbasse, & orbi venditasse qvippiam, ante non prævio examine discussum inventumqve conforme veritati, & Authenticum? Si qvæ loqvendi ratio est aliena in seculo Carolino, qvod difficulter evinci potest, dicamus Fridericum I. seu ejus cancellarium ut sui ævi hominibus clarius loqveretur, qvod obscurum videbatur, in constitutione Caroli aliis ac tunc usitatioribus locutionibus explicasse. Qvare veritati nullo modo derogatum est. Cæterum qvæ hic habentur de Grano fratre Neronis, de thermis pede eqvi inventis, de legibus variatum gentium à Carolo distinctius propositis, jam locis suis elucidavimus. De Aqvisgrano constituto post Romam Imperii totius capite, deqve sede regia illic erecta, ut nimirum eam qvi insideret, ibiqve corona insigniretur, hoc velut autoramento adiret possessionem regni & imperii, testatur qvoqve vetus jam inde à Caroli temporibus & frontispicio portæ palatii posita inscriptio: Carolus insignem reddens hanc condidit urbem, qvam libertavit post Romam constituendo qvod sit trans Alpes hic semper regia sedes ut caput urbs hanc cuncta colat & Gallia tota. Gaudet Aqvisgranum præcunctis munere clarum, qvæ prius imperii reges nunc laureat almi. Et Fridericus I. in literis anno 1166. vocat civitatem caput & sedem regni Theutonici. Qvod ipsum his versibus eodem tempore cecinit Ligurinus: Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni Carolus esse volens magno cum Francia regi Utraqve serviret, primam gestare coronam jussit & in sacra reges ibi sede locari. Aqvisgrani in fronte alius portæ ad dextram ascensus hæc verba legentibus se offerunt. Hic sedes regni trans Alpes habeatur caput omnium civitatum & provinciarum Galliæ. Denique crebro ibi in ore populi: Urbs Aqvensis, Urbs regalis, regni sedes principalis, prima regum curia.

§. 3. Osnabrugensia.

Eodem anno Wiho Episcopus primus urbis Osnabrugensis, vir eruditione, sancti monia, & vita Episcopo plane digna illustris 3. Cal. Aprilis, anno sedis 28. vitæ ac laborum periodum clausit. Introducto celebri gymnasio, obtenta ab imperatore suarum libertate, acqvisitis possessionibus supra memoratis, plurimum Ecclesiam suam demeruit, gratamqve sui memoriam posteris dereliqvit. Ertwinus Wihonis mortem anno superiore collocans, ex ejusdem anni diplomate Carolino erroris convincitur, cum in eo 13. Cal. Januarii adhuc dum vivens nominetur. Successorem (*q*) nactus est Meingardum seu ut alii scribunt Mengerum, virum testimonio Crancii ob zelum religionis præsulatu dignissimum.

§. 4. Werthinensia.

S. Ludgerus hoc anno monasterio suo tradit villam Nuetum in cujus acqvisitione hoc miraculum evenisse in suo Werthina rescripto commemorat: Notum (*r*) sit præsentibus & futuris, qvaliter ego Luidgerus, Minigernefordensis Ecclesiæ Episcopus & provisor, in Werthinensi loco basilicam fabricavi, & dato pretio legi-

(*o*) *In donation. piis c. II.* (*p*) *In lib. de orig. jur. Germ.* (*q*) *Ertwin. Cranc. l. I. metr. c. 24.* 29. (*r*) *Ex Archiv. Werthin.*

legitimo à qvadam persona nomine Wigmaro territorium cunctis utilitatibus integrum in villa Nueta nuncupata multis testibus adstantibus comparavi. Præfata ergo persona ab aliqvibus cognatis suis injuste persvasa cœpit denegare qvod tribuit. Arrepto itaqve consilio ad eandem villam uno prænominato die convenimus, & non pauca contumeliarum verba cum suis contumelioſè locutus est. Multis igitur inter nos diebus constitutis nihil prævaluit. Ad extremum vero, cum iterum dies statuta advenisset, qvidam rusticus illius virì prædicti consanguineus hujusmodi verba profudit: Nonne, inqvit, grandis confusio est, qvod hic alienigena nostram hæreditatem sibi vendicare præsumit? ad hunc ergo cum ego Luidgerus peccator respicerem, volens scire qvisnam esset, qvi talia loqveretur, ne eum agnoscerem, caput post tergum vertit, & postea caput ejus irrevertibile, & omnino inflexibile usqve ad finem vitæ suæ permansit. Præfatus enim vir providentia Dei viso miraculo cum suis amicis territorium cum suis adjacentiis, cultis & incultis, sylvis & pascuis, pratis & molendinis libere & integre contradiderunt, qvod antea pertinaciter negaverunt. Insuper etiam affinitimi simul omnes dominationem in sylva & duorum plaustrorum utilitate unanimiter ad reliqvias, qvas de Roma transtuli, tradiderunt, ne talis vindictæ noxii, qvalis ille rusticus fuerat, iram Dei incurrerent & omnes perirent. Acta est autem hæc traditio anno XXXVIII. glorioſi Caroli regis coram testibus, qvorum nomina subtus notantur, Gerfridus, Othelgrimus, Thiudbaldus, Wideleck advocatus Ecclesiæ, Botholod nepos ejus, & alii plures. Qvis iste Widelechus Ecclesiæ Werthinensis advocatus? Comes ne Marcanus Altenaensis, an Montensis, an alius qvispiam in propinqvo? divinent qvibus otium & volupe est, ego ignorare me fateor.

Annus Christi 806.

§. 1. Res Caroli Imperatoris.

Ne se mortuo filii inter se digladiarentur. Carolus in comitiis Thedonis villæ celebratis ultimæ voluntatis monumentum erigit, in qvo filiis Carolo, Pipino & Ludovico suæ cuiqve provinciæ assignabantur. Hinc secundo Mosella ac Rheno præter Agrippinam navigavit Noviomagum, ubi qvadraginta dies verni jejunii & paschalis solennitas religioſè peracta. Missus Carolus filius contra Sorabos, Slavos, Albis accolas post felicem expeditionem victor rediit ad patrem in loco Sili juxta Mosam consistentem. Aqvæ palatinæ qvomodo Rheginonominat Aqvisgranum in hibernis Augustum detinuere.

Annus Christi 807.

§. 1. Ex oriente legati cum donis Carolum Aqvisgrani honorant.

Carolum imperatorem toto anno degentem in palatio Aqvisgranensi varii ex oriente convenêre legati, adeo nomen ejus ac fama orbem universum pervaserat. Abdella Aaronis Persarum regis legatus cum Monachis Thomæ patriarchæ Hierosolymitani oratoribus Aqvisgranum paulo ante pascha intravit, atqve imperatori in celeberrimo paschalium festo die papilionem & tria tentoria miræ & magnitudinis & pulchritudinis detulit. Adhæc pallia serica, odores, unguenta, balsamum nec non horologium ex orichalco arte mechanica mirifice compositum, in qvo 12. horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, qvæ horis completis decidebant & casu suo in subjecto sibi cymbalo tinnitum excitabant, additi erant pari numero eqvites, qvi per 12. fenestras finito horæ spatio exibant, suoqve impulsu portas prius apertas claudebant. Multa alia artis miracula in eo opere cernere erat. Fuêre præterea inter munera, duo candelabra ex orichalco stupendæ magnitudinis & proceritatis. Imperator legatos aliqvamdiu honorifice apud se habitos demum cum pretiosis item donis Persæ & Patriarchæ offerendis dimisit, per Italiam reversuros in Orientem.

§. 2. Widekindi ducis obitus.

Widekindo primo Westphaliæ & Angariæ duci ex nonnullorum (*s*) sententia hic annus supremus fuit, nonnulli (*t*) malunt annum 812, alii 805. vetera hic monumenta, è qvibus certi qvid astruamus, nos destituunt. Constanti fama (*u*) percrebuit, cæsum in prœlio à Geroldo Svevorum duce. Qvis iste Geroldus Svevus nuspiam in prisca historia memoratus? qvinam Svevi, an ii hoc tempore Saxonibus contermini; ita putat Reineccius. Crantii opinio est Svevos etsi longius dissitos versus Alpes, prædia qvædam in sylva Harcinia & Thuringia habuisse, obqvæ genti dissidia fuerint cum Saxonibus. Atqvi Svevi illi hoc tempore Christianam religionem colebant,, Widekindo autem à Christianitatis hostibus necem illatam inde persvadetur, qvod nonnulli martyrem vocant, certe ut cœlitem venerata est antiqvitas, è cujus sensu Carthusiani Colonienses in edito à se (*x*) & aucto Usuardo ad diem septimum Januarii, qvo vel obiit, vel translatus est, tanqvam sanctis annumerati meminerunt, sanctæ memoriæ Widekindi Westphaliæ ducis in Angra qviescentis, magis eam sanctitatem testantur ad tumulum olim ejus precibus patrata, qvæ crebra fuisse loqvuntur hi versus lapidi sepulchri impressi: Ossa viri fortis cujus sors nescia mortis

Hic

(*s*) *Letzner. Reinecc.* (*t*) *Witt. Cleinsorg.* & 1621. (*u*) *Cranc. l. 2. Sax. c. 24.* (*x*) *Anno* 1615.

Hic tumulus claudit: Euge bone spiritus audit:
Omnis mundatur hunc regem qvi veneratur
Ægros hic morbis cœli rex sanat & orbis.

Cur regis titulo honoretur Widekindus dixi ad annum 772. in Ecclesia pagi Angariæ, ubi adhuc dum lapis sepulchralis visitur, ossibus Hervordiam translatis, eidem lapidi incisus est Widekindus regio in paludamento coronatus, cum sceptro & digito incurvo. Adjuncti sunt jam dicti versus miraculorum indices. Hervordiæ, qvo in Ecclesiam S. Johannis translatum est collegium Angariense à Widekindo fundatum, etiamnum ossa maximi ducis cistæ inclusa a Canonicis Lutheranis asservantur, ut mirum sit scriptum à Crancio eadem delata fuisse in ædem cathedralem Paderbornensem, dignæ profecto magnificentiore mausolæo exuviæ tot principum ac regum progenitoris viri, & qvod longe nobilius est sanctimonia ac prodigiorum gloria clari. Sed redeo ad Svevos Widekindi peremtores. Eqvidem non alios eos fuisse reor, qvam Sorabos Slavos Albis ripam accolentes, Francico tum ac christiano nomini infestos, insidentesqve ea loca, qvæ Svevi vel expulsi vel ex parte residui incoluerunt. Nec novum aut insolens est novos populos veterum incolarum nominibus appellari, qvomodo Francis in Gallia devicta Gallorum qvoqve nomen natum. Contra hos Sveviæ veteris inqvilinos Carolus duo castella, alterum Salæ flumini, alterum imposuerat Albi, qvibus arcerentur ac etiam invaderentur. Proclive est opinari Widekindum tanqvam ducem Westphalorum & Angarorum cum copiis oppositum hostibus idololatris, dum strenui ducis simul ac militis officio fungitur, glorioſa morte in prælio occubuisse, sanguinemqve pro christianæ religionis defensione profudisse. Duas fertur habuisse uxores primam Gevam Danorum regis filiam, è qva genuerit successorem in Westphaliæ & Angariæ ducatu Wigbertum: alteram Swatanam Boiohemam è qva natus sit Widekindus II. pater Dietgremi conditoris Marchionum missniæ ac modernorum principum Electorum Saxoniæ, qvin & regum, qvi hodie Francis imperant, nam Crancius, Henninges, Letznerus & alii Saxonum historici sic ordinant stemma Widikindæum, qvod utinam veterum aut tabularum, aut auctorum testimoniis stabiliviſſent. Wigbertus seu Wibbertus (Wiebertus) primogenitus Widekindi, secundus Westphaliæ & Angariæ dux, ab adolescentia, inqvit Crancius (y) Christo devotus, inter Saxones primarius: dubitat porro idem Crancius, an principatum in gente gesserit, qvod ea de re mirum sit silentium, qvodqve Saxones ea tempestate sub Christi religione manſvefacti qviescerent. Ego cum alibi ex eodem Crancio & aliis ostenderim, ducatum Westphaliæ & Angariæ jure perpetuo collatum Widekindo, nihil ambigo, qvin Wigbertus Saxoniæ saltem occiduæ ducem egerit: id posteris Saxoniæ ducibus semper persvasissimum fuit, id canunt rythmi patrii pervetusti. Erit de eodem Wigberto rursum dicendi locus tum alibi tum ad annum 817.

Widekindus primus

Widekindus II.

Dietgrimus.
Diethmarus
Marchio Missniæ
e qvo Electores
Saxoniæ

Widekindus III.

Fridericus
Burggrafius Sorbeci
Rupertus Parisiorum Comes
Otto dux
Hugo Capetus
e qvo reges moderni Franciæ descenderunt qvod in loco disqviram.

Wibbertus

Bruno — Walbertus
Theodoricus — Ludolphus
Theodoricus — Otto
S. Mathildis Uxor Henrici Aucupis. — Henricus Auceps

Abbas Stadensis ad annum 886.
Utho (aliis) Otto vir militaris ac strenuus à principibus Galliæ rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit ex eqvestri ordine Robertum, avum vero Widekindum ex Germania profugum.

NB. Hoc totum stemma in decursu annalium examino. Unde alibi accuratius productum polliceor.

Annus Christi 808.

§. 1. Res Caroli.

Peracta Aqvisgrani hieme, qvæ mollissima fuit ac pestilens, Carolus imperator ineunte vere Noviomagum profectus ibi qvadragesimale jejunium ac sanctum pascha celebravit. Hinc Aqvasgrani reversus, illic per æstatem hiememqve seqventem substitit.

§. 2. Res à Francis contra Nortmannos gestæ.

Serio hoc anno magno apparatu bellum Nortmannicum geri incipit. Godefridus rex Danorum Francorum populis Abotritis arma prior infert, capta ab eo primo impetu aliqvot castella, pulsus Thrasico dux, Godoleibus alter ducum dolo in potestatem redactus ac suspensus è patibulo. Qvibus cladibus fracti Abodritarum animi: duæ gentis partes vectigal ac tributum annuum spopondêre. Elatior iis Godefridus tantos sumserat spiritus, ut jactaret brevi se Aqvisgranum ad Imperatorem venturum. Defecerant ad eum Wilzi, Hilinones, & Smeldingi Sclavicæ nationes, nec tamen incruenta Danis expeditio fuit; optimus qvisqve militum & manu

(y) *L. 2. Sax. c. 25.*

nu promptissimus cecidit. Inter aliosRegniholtus regis ex fratre nepos in oppugnatione cujusdam oppidi cum plurimis Danorum proceribus interfectus. Ad eundum obviam illis conatibus missus ab Imperatore Carolus junior cum valida manu Francorum & Saxonum, per pontem Albi impositum vastavit Slavos, qvi defeciverant, eumqve terrorem incussit regi, ut reductis in Daniam copiis totam Eidoræ fluminis ripam aqvilonarem vallo prætexeret. Franci constructis munitisqve ad ripam Albis duobus castellis contra Slavorum incursiones, hiberna petierunt.

§. 3. Hildebaldi Colonienſis studia in sanctos.

Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis cum Odulpho Malmundarienſi præposito in Galliam profectus concedentibus Carolo imperatore & Parisiorum præsule in pago Tricassino solenniter elevat B. B. Nicasium, Qvirinum & Scubiculum, qvorum (z) sacra liptana inde evecta Malmundarii magno honore ac reverentia depositasunt. S. Qvirinus presbyter cum Dionysio Areopagita in Galliam venerat, cum eodem martyrio affectus.

Annus Christi 809.

§. 1. Res Danos inter & Francos.

Pipino in Italia contra Venetos & Græcos, Ludovico in Hispania contra Sarracenos bella gerentibus in magna boum pestilentia, ac sterilitate vitium, curæ Danicæ Imperatorem Aqvisgrani urgebant, qvando per Frisiæ ducem petente Godefrido rege, trans Albim in Badenflet inter utriusqve legatos colloqvium institutum est. Discessum re infecta, ex asperatis utrimqve magis animis. Accessit irritandis Francis gravius malum indigna & contra fidem datam illata mors Thrasiconi Abetritorum principi à Danis in emporio Rerich. Is si qvis alius amicus semper ac fidus Carolo fuerat, bellicaqve fortitudine præstans, hoc anno adjutus à Saxonibus Wilsos & Smeldingos perfugas ferro & igne vastaverat, atqve omnes pene Slavos ad obsequium redire compulerat. Carolus collectis è Germania & Gallia Colonis perqve Egbertum comitem deductis novam trans Albim civitatem ad Sturiam flumen condit munitqve Saxonum præsidio. Nomen loco impositum Annales Francorum appellant Essesfelt, Rhegino Essesfeld, Aimoinus Esselsfeld.

§. 2. Synodus Aqvisgranenſis.

Imperator è venatione ex Sylva Arduenna reversus Aqvasgrani mense Novembri illic synodum celebrandam curavit, in qvâ inprimis qvæsitum, rectene Hispani & Galli symbolo Nicæno addidissent hanc vocem: Filioqve. Etenim constabat, Spiritum sanctum non modo à patre, sed & à Filio procedere, qvia tamen Ecclesia Romana amore antiqvitatis id in symbolo non dum professa erat, videbantur (a) Gallia & Hispania (b) eidem debere se conformare. Tractatum etiam de statu Ecclesiarum, deqve vita, & moribus Clericorum ac religiosorum. Nec qvicqvam tamen definitum propter rerum magnitudinem & difficultatem. Missi Romam è Synodo Bernardo Wormatiensis, Jesse Ambianensis Episcopi, & Adelhardus Abbas Corbeiensis, qvid illic egerint, videatur apud Binium.

§. 3. Mors & miracula S. Ludgeri.

Eodem anno (c) 7. Cal. Aprilis, feria secunda sub crepusculum vespertinum ad immortalem vitam transiit Ludgerus Proto-Episcopus Mimigardevordensis. Felicissimum viri sanctissimi obitum præcessere facta illustria hic paucis recensenda. Crebro parochiam suam circuibat erudiebatqve populos, & in suscepta religione confirmabat, eradicans si qvid veteris superstitionis aut restaret aut pullularet denuo. Divinos ejus conatus multa prodigia nobilitabant. In pago Sudergo, in loco Alna, (d) cæco per amorem Dei imperavit, ut videret, & vidit. Billerbecæ cœlestem hostiam immolaturus mel à fœmina nobili sed adultera oblatum, & à se spretum, à discipulis vero clam acceptatum diffracta divinitus vase effudit. Buddonem qvem in Buddenfelt (est Buddenfeld municipium comitatus Arnspergensis haud procul castro Hanckleden) ob raptos Widekindi ducis caballos, fudibus, congestisqve Saxis provinciales confecerant, discerpserantqve, collectis artubus vitæ restituit. Meppena inprimis illustre hoc ejus miraculum admirata est. Sunt (e) qvi arbitrentur eam cum tota Embslandia, qvæ est nobilis portio diœcesis Monasterienſis, fuisse à patre hæreditariam Ludgero, ab eoqve ibidem structam Abbatiolam ordini S. Benedicti, cui vicinarum Ecclesiarum jura patronatus, annexuerit. Ludovicus pius postmodum novæ Corbeiæ concessit. Illic igitur rusticani homines neqvicqvam beato præsule intercedente, die dominica patibulo affixerant. Valuere preces Ludgeri apud immortalem Deum, qvas mortales spreverant. Missus è cœlo Angelus suspensum conservavit in vivis, depositumqve de cruce jussit insequi liberatorem suum jam Aschentorpium usqve progressum, eiqve gratias referre. Anseribus sylvestribus, qvi ejus agros depascebantur præcepit avolarent, neqve unqvam ullum damnum colonis suis inferrent. Jussis ad amussim paruêre volucres. Unde consvevêre illæ à pectoribus sancto viro apponi. Sileo res alias admirandas jam supra ex parte allatas. Erat in sacris literis versatissimus. Præter publicas & statas conciones, qvovis mane tradebat lectiones discipulis, qvos complures educabat, instructosqve vel præficiebat Ecclesiis curiones, vel collegiis Clericorum, Monasteriisve allegabat. Oſor simulatæ sanctitatis, ut superstitiosas vestium vilitates non amabat, ita nec elegantias: congruo digni-

(z) *Molan: in natal. S. S. Belus* 11. *Octob. Gelen.* (a) *Binius t.* 3. *concil: part.* 2. *pag.* 155. (b) *Annal. Franc.* (c) *scriptores vitæ apud Brovv: & Surium, item Joannes Cincinnius.* (d) *Cincin interpretatur Alenam oppidum.* (e) *è constanti. fama annales Societat. residentiæ Meppens.*

dignitati suæ amictu incedens rigidis satis horrens indumentum ipsi cuti applicitum perpetuo gestabat, nullo id nisi familiarissimo sciente: Carnium esum certis temporibus non renuit: satiatum tamen illum cibo aut potu nemo vidi unqvam. Invitatus ad epulas, sacris eas colloqviis oportune injectis condiebat. Sublata mensa, secretiora cum suis conclavia aut lectioni aut orationi vacaturus petebat. Erat mire affabilis, omnibus se conformans maxime pauperibus & vilis conditionis hominibus, in superbos vero, & arrogantes rigidissimus. Frugaliter vivens sibiqve subtrahens cæterum omnem censum distribuebat egenis, nihil pensi habens aut augustiora ædificia aut ambitiosa ministeria aut sumtuosos vasorum sacrorum Ecclesiarumqve ornatus, ob id aliqvando à primatibus regis delatus tanqvam qvi profunderet magis qvam augeret res Episcopi. Aqvisgranum citatus est, diverterat juxta palatium Caroli. Mane vocatus à præfecto cubiculi regii, qvod precibus horariis recitandis vacaret, præcedere eum jussit, se secuturum. Iterum ac tertium appellatus tandem absoluto divino officio imperatori se stitit, interrogatus cur tam tarde, vultu intrepido, Deum, inqvit, O Imperator, & tibi & cunctis mortalibus præponendum arbitrabar, hoc enim mihi cum onus Episcopale imponeres præcepisti; nunc divino peracto ob seqvio ad tuum imperium paratior venio. Delectatus eo responso imperator, gratias, inqvit, age Deo Episcope, qvod talem te modo reperio, qvalem ante æstimaram, fuêre qvi actiones tuas malevole apud me interpretati sunt. Hos eqvidem deinceps minus gratos acceptosqve habebo, neqve cujusqvam delationes contra te admittam. Tu modo bene cœptis insiste. DEI operare voluntatem, & nobis fidus ac devotus pro nostro imperiiqve statu preces fundere memento. Atqve ita æmulorum invidia & obsecrationes cessere Ludgero in majorem gratiam & gloriam. De doctrina ejus extat testimonium Rixfudi Trajectensis Episcopi, in epistola ad S. Ludgerum data, in qva inter alia, Zelum, ait, legis DEO habes, & excellentia divinarum scripturarum in tua anima viget & floret. Ex ejus luçubrationibus supersest libellus de Canonizatione S. Swiberti. Vita S. Gregorii sui præceptoris, ejusqve successoris S. Albrici Trajectensis Episcopi. Scripsit præterea, qvæ in vita S. Bonifacii ab aliis prætermissa noverat; vitæ exordia, adventum in Germaniam, ordinationem. Ex operibus publicis præter Werthinense, Helmstadiense Monasteria, atqve Abbatiolam Meppensem, extat oratorium Monasterium trans aqvas dictum in Jerusalem Virgini matri dicatum, reliqvorum memoria periit. Fama sed perobscura manavit, ejusdem opus esse parthenonem Nottelensem in diœcesi Monasterienst cui sororem suam Hereburgam primam Abbatissam præfecerit. Jam senio gravis aliqvanto tempore ante obitum cum infirmari cœpisset, nunqvam tamen destitit, aut ab obeunda diœcesi aut à consveto Psalmo: aut ab offerendo qvotidie sacrificio. Dominica die qva eo anno Incarnationis dominicæ memorie agebatur pridie qvam moreretur, adhuc summo mane Coesfeldiæ & deinde Bilderbecæ concionem ad populum habuit. In hoc qvoqve loco hora tertia rei divinæ operatus est. Qva absoluta, sentiens prævalere morbum, ultimum populo valedixit, deniqve lecto affixus, convocatis clericis, ac discipulis imminere migrationem suam ex hac vita prænunciavit; rogare se ut corpus suum Werthinam deferrent, atqve ibi extra Ecclesiam in parte orientali sepelirent. Ne vero qvisqvam huic suæ extremæ voluntati obsisteret, tantisper Mimigardevordæ deponerent, donec Hildegrimus frater ab imperatore mandatum obtineret Werthinam transferendi. Concessurum imperatorem ex eo cognituros, qvod eodem tempore ipse sanguinem esset emissurus è naribus. Qvod reliqvum erat diei, psalmis & precibus persolvendis insumsit: nocte ingruente inter suorum lacrymas ac vota innocentissimam animam DEO reddidit, anno susceptæ administrationis diœceseos 21mo, admissi gradus Episcopalis nono. Eodem pene momento cum Carolus Aqvisgrani è palatio cum Alcuino egressus stellas in cœlo contemplaretur vidit uterqve insolitam lucem, claritatemqve in sublime ferri. Vidit eandem Gertridus presbyter, sancti Ludgeri nepos, eadem hora, cum è Werthinensi Monasterio, cujus erat rector ad decumbentem patruum Billerbecam properaret. Cadaver uti petierat, resistentibus neqvicqvam Billerbecanis Mimigardevordam delatum est, atqve illic in D. Virginis oratorio depositum, steritqve prorsus incorruptum, qvin svavi odore fragrans. Visus illic cum omnium admiratione sanguis è naribus effluere, qvo tempore Carolus Aqvisgrani Hildegrimo & Gerfrido potestatem faciebat transferendi Werthinam, commotusqve illa luce, qvam conspexerat, Werthinæ prædia nonnulla sita in Flandria in pago Sele liberaliter conferebat. Advenêre cum literis imperatoris Mimigardevordam Hildegrimus & Gerfridus trigesimo ferè ab obitu die. Vix cum sacro corpore è porta atrii exierant, qvando Clericus qvi translationi se opponebat, jamqve manus temere in ipsum injecerat, à feretro velut repercussus in terram decidit, pene examinis sublatus. Elatus est S. Episcopus 24. Aprilis, toto itinere supplice pompa psalmos, hymnos ac litanias alternatim decantante. Fama est in ejus adventu cuncta templi illius tintinnabula & campanas sponte sonuisse. Postera die, in qvam inciderat S. Marci festivitas, ventum est Werthinam. Illic ad orientalem plagam extra Ecclesiam loco qvo olim prædixerat vir sanctus, conditus est 26. Aprilis, ubi nimirum in reliqvorum arborum strage unica solum remanserat, susarum subtus ac ingentis prodigii testis. Supra monumentum postmodum major basilica ædificata, in cu-

jus crypta subtus summum altare hodiedum visitur. Sacra ossa pretiosæ ac deauratæ inclusa capsæ princeps ara asservat. Majorem hanc basilicam Hildegrimus ejus frater, Gerfridus & Thiatgrimus nepotes, Altfridus propinqvus, Hildegrimusqve posterior, nepos ex sorore mox post S. Ludgeri obitum 66. annorum spatio augustissime erexerunt, de cujus consecratione scribam ad annum 875. additum ibi hoc S. Ludgero epitaphium. Has qvi cœnobii Ludgerus condidit ædes, mortuus hac tumulum corporis æde tulit. Subjungitur: S. Ludgerus proto Episcopus Monasteriensis principalis fundator hujus loci à Deo circiter annum salutis 777. (*f*) sibi ostensi qvievit in pace, idqve in Billerbeck anno Christi 829. (*g*) cæteros qvinqve cognatorum in eadem crypta conditorum tumulos & inscriptiones sepulchrales alibi proferam videlicet Hildegrimi anno 827. Gerfridi anno 839. Thiatgrimi anno 840. Altfridi 839. Hildegrimi junioris anno 887. qvam porro varia ac multa miracula mortuus ediderit Ludgerus, integro libro narrant vitæ scriptores. Inter qvæ excellunt: lumen cœco Irmingero ejus qvondam ministro in pago Nordegoa restitutum, sanata paralytica in pago Sudergoa, illuminata cœca, liberatus dæmoniacus: curatus à paralysi Helidwini: puniti qvi dicatam solennitatem profauaverant: Gerbaldo Borckensi in pago Barathra visus restitutus. Warmundus filius Coloni venerabilis Comitis Cobbonus (*h*) à maligno spiritu liberatus. Heriswida è villa Sosato sanæ menti reddita, contracta mulier è Ripuariis orta integritatem obtinuit: Surdus ex Werna auditum recepit: Alia mulier de Susato Adalwina à dæmonio liberata: in basilica in cujus crypta sepultum diximus non semel campanæ sponte sonuerunt, sæpe insolitum lumen apparuit. Mulier Hattuaria membrorum officium recuperavit: alia Ripuaria, ex villa Budica juxta ingressum sylvæ Hamarichi aridi brachii usum ex integro sibi redditum, sensit. Post mortuum Hildegrimum juniorem cum ob improbitatem & desidiam rectorum deficeret in Werthina disciplina regularis, defecere qvoqve miracula, redierunt hæc, ubi collaborante imperatore amotis præpositis introducta est reformatio. Tunc & igneus globus in crypta Ludgeriana apparuit & svavissimus odor perceptus: tunc candela ter ab ædituo extincta, ter divinitus est reaccensa. Veniamus ad successorem S. Ludgeri in Episcopatu Mimigardevordensi, is fuit, volente ita ac jubente Carolo imperatore Gerfridus ejus nepos & discipulus, Werthinensis Monasterii Rector & Provisor fratrum fidelis, ut loqvuntur veteres chartæ, vitam cognati ac prædecessoris sui, sanctosqve mores egregie æmulatus annos 30. in præsulatu exegit. Plura de eodem scribam ad annum 839.

Annus Christi 810.

§. 1. Res & expeditio Caroli contra Nortmannos.

Imperatorem Aqvisgrani bellum contra Godefredum Danorum regem meditantem tristis nuncius percellit, ducentas Nortmannorum naves in Frisiam hostili animo illatas: cum qvibus in continentem egressis Frisios ter pugna congressos ter superatos inferiores abiisse: victis non solum ab hoste tributum impositum, sed centum qvoqve libris argenti à victore pacem mercari coactos. De his certior factus Carolus absqve cunctatione undiqve qvam latissime patet imperium, copias militares evocat. Ipse nihil cunctatus è palatio egreditur primum classi occursurus. Sed ea audito imperatoris adventu è Frisia domum regreditur. Carolus transito Rheno in Lippenheim ad Lupiæ confluentes fixis tabernaculis aliqvot dies moratur donec copiæ omnes confluerent. Ibi Elephas missus qvondam ab Aarone Persarum rege periit. Imperator congregatis copiis qvanta potuit celeritate ad Alaram flumen, ubi Visurgi aquas suas communicat, contendit, vires cum Godefrido id ipsum expetente conserturut, Dum 15. diebus ibi moras trahit, Godefridus qvi nil nisi pugnas & victorias jactabat, domestico facinore oppressus est, satellitis sui manu cecidit. Cujus mors magnum imperatori lucrum attulit. Hemmingo successore Godefridi ex fratre nepote pacem exposcente. Neqve tamen Francis omnia læta: castellum Hochburg (*i*) ad Albim in qvo Odo legatus imperatoris & orientalium Saxonum erat præsidium à Wilsis Slavis Danorum sociis captum est & destructum: Adhæc tanta lues invaserat boum armenta, ut qvos ad necessarios usus exercitus Francicus habebat, ad unum omnes interirent, idqve malum per universas imperatoris provincias tum grassabatur. Ipse etiam Augustus præter domestica funera Rotrudis filiarum maximæ, & filii Pipini Italiæ regis 5. id. Julii extincti, omen mortis imminentis accepisse visus est in hac eadem expeditione (*k*) nam cum qvadam die ante solis ortum è castris egressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitus cum ingenti lumine, facem è dextra in sinistram per serenum aera discurrere. Cunctis hoc signum qvid portenderet mirantibus, subito eqvus cui insidebat, deorsum capite inverso concidit, eumqve tam graviter ad terram allisit, ut fibulâ Sagi rupta, balteoqve gladii dissipato, à festinantibus qvi aderant ministris exarmatus sine adminiculo levaretur, jaculum qvoqve qvod manu tenebat ita elapsum ut viginti & amplius pedum spatio jaceret. Magnus compositis rebus Saxonicis, functusqve bello Danico, mense Octobri Aqvisgranum rediit.

(*f*) *Vide qvæ de hac ostensione discussi supra.* (*g*) 809. *Videas hanc scriptionem a posteriore manu, nec recte depromtam.* (*h*) *Teclenburgici.* (*i*) *Crantio est Hamburg* (*k*) *Eginhardus.*

diit. Ubi exterarum gentium legati, Arsaphius Spatharius Nicephori Constantinopolitani Imperatoris, aliusqve ab Abulaze Sarracenorum in Hispania rege ejus adventum operiri nunciabantur. Cum utrisqve pax facta, fœdusqve ictum.

§. 2. In Westphalia moritur S. Ida.

Eodem anno (*l*) Hertzfeldæ ad Lupiam in diœcesi Monasterienſi cœlitum numerum auxit 4. Septembris S. Ida nobilissima ac piissima matrona, cujus natales & conjugium descripsi anno 800. diu anteqvam migraret è vita marmoreum sibi sarcophagum parari jusserat, qvem binis qvotidie vicibus alimentis & aliis vitæ necessariis rebus implebat, pauperibus deinde distribuendis. Theoricæ intenta disciplinæ nunqvam nisi cum serviret in opum gregi pedem extra cellam qvam incoluit fertur extulisse. Tandem vitalibus graviter læsis & adesis, præsentiens ultimam adesse horam, Bertgerum presbyterum, qvo in sacris usam alibi scripsimus, pluresqve Dei servos accersivit, rogavitqve profusis lacrymis, pro se ut preces funderent. Optime comparata ad extremam luctam in præsentia virorum religiosorum Deo animam commendantum placidissime in domino obdormivit. Corpus consvetis Ecclesiæ ritibus impositum saxeæ illi tumbæ diu ante præparatæ, in porticu qvam multo tempore, divino cultui mancipata incoluerat, magno honore ac reverentia freqvens clerus populusqve tumulavit: tumulatam DEUS plurimis illustravit prodigiis. In qvibus illa potissimum memoriæ prodita sunt: Ludolphi comitis filiolum juxta se sepultum ter divinitus ejecit: Hungaros dum Westphaliam popularentur, ac Hertzfeldensi Ecclesiæ ignem injicerent, terrore panico consternatos in fugam egit. Mulier qvæ mulieri S. Idæ Sepulchrum religionis ergo adeunti Camisiam abstulerat, sepem, qva Ecclesiæ cœmiterium ambiebatur, transcendens, Deo sacrilegium ulciscente, in acutissimam sudem incurrit, qva trajecta, diffluentibus intestinis coram freqventi populo misere expiravit. Fuit & fœmina, cui nomen Eggua ex provincia Dreni. Hujus ad tumulum suum accensis luminaribus pernoctantis aridæ manui S. Ida sanitatem impetraverat à Deo. At ubi qvæstus causa Unam deinde manum simulavit, in pristinam infirmitatem recidit. Nobilis sanctimonialis nomine Werensuidis habitans in pago Nordegoa, Viculo Sendinon cum contracta divino monitu S. Idæ invisisset sepulchrum integræ sanitati est restituta. Fœminam aliam Slavicæ originis, inqvilinam Sosatii, civitatis in Saxonica commanentium populorum freqventia nobilis (verba sunt Uffingi sub Ottone III. scribentis) membrorum usu destitutam suum implorantem patrocinium S. Ida sanam vegetamqve effecit: aliis visum, auditum aliis, multis loqvelam reddidit, dæmones ab obsessis corporibus fugavit. Bilo postmodum presbyter, cum esset custos templi Hertzfeldensis, & eleganter qvidem illud ornaret, humum floribus conspergeret, sed sordes egestas ad S. Idæ & Egberti tumulum effunderet, ab ignota sibi apparente persona graviter est increpitus. Hæc è multis pauca selegi de S. Ida, cujus translationem pertractabo ad annum 980. Beati deniqve Bertgeri illius patris spiritualis obitum anno 830. plura deniqve de Ecclesia & vico Hertzfeldensi sæpe infra dicunda occurrent.

Annus Christi 811.

Carolus M. traducens Aqvisgrani hiemem, ibi conventum imperii celebrat, ac postqvam 12. misisset legatos, viros illustres, qvi ad Eidoram flumen congressi cum totidem Hemmingi Danorum regis legatis pacem stabilirent, in tres regni partes totidem mittit exercitus. Primum trans Albim contra Hilinones Slavos, alterum in Pannoniam, tertium contra Britones. A primo Slavi vastati, Hochburg Castellum anno superiore à Wilsis destructum in ripa Albis fluminis restauratum est. In pannonia controversiis inter Hunnos & Slavos finis impositus. Britones fracti. At imperator ipse ad contemplandam classem, qvam in littore Belgico anno superiori instrui imperarat, petit Bononiam, Gallicam & Gandavum. Medio deinde Novembri Aqvisgranum se recipit; legatos Hemmingi regis pacem confirmantes deferentesqve munera, uti & viros principes missos è Pannonia ab Hunnis & Slavis audit, atqve absolvit. Carolus major natu Imperatoris filius pridie nonas Decembris vita defungitur.

Annus Christi 812.

Hemmingo Danorum rege sine liberis mortuo, certant pro regno Sigefridus Godefridi regis nepos, & Anilo nepos Heroldi qvondam regis. Cæso utroqve in acie, pars Anilonis superior Heraldum & Regnifridum reges constituit. Hi missa Aqvisgranum ad Carolum legatione, pacem petunt, ac remitti sibi rogant Hemmingum fratrem, obsidem imperatori datum. Michael qvoqve Curopalates, qvi anno proximo succesſerat Nicephoro in Imperio Orientis ut cœptam à Nicephoro pacem cum Francis stabiliret mittit ad Carolum Michaelem Episcopum, Arsaphium & Theognostum protospatharios, qvi Aqvisgranum ingressi, admissiqve ad Carolum græca lingua eum Imperatorem & Βασιλέα salutarunt, laudes ejusdem luculenta oratione prosecuti. Dimissis oratoribus Carolus generalem conventum Aqvisgrani solenniter cum regnorum & Imperii proceribus agit. Qvo soluto Bernardum ex Pipino filio nepotem ablegat in Italiam advigilaturum contra classes, qvæ ex Africa & Hispania ad vastandam Italiam venturæ dicebantur. Expeditio qvoqve au-

(*l*) *Harœus in vita SS. Uffingus in ejus vita apud Sur. 4. Sept.*

spiciiis Imperatoris facta in Wilsos, à devictis obsides adducti.

Annus Christi 813.

§. 1. Summa rerum gestarum à Carolo.

Hoc anno, qvo in oriente Michaeli Curopalatæ principi catholico successit Leo Armenus, diram anno seqvente adversus sacrarum Imaginum cultores persecutionem moturus, ad eundem Michaelem adhuc Imperatorem Carolus primo vere oratores suos mittit Amalharium Episcopum Trevirensem, & Petrum Abbatem Monasterii Nonantulæ, qvi pacem & amicitiam confirmarent. Hinc cum in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit: convalescens gratas aqvas repetiit, ubi indictis generalibus comitiis Ludovico filio ex Aqvitania evocato coronam imposuit, eumqve fecit imperii collegam. Bernardum vero nepotem declaravit in locum Pipini patris regem Italiæ. Remisso (*m*) Ludovico in Aqvitaniam nihil aliud cœpit agere qvam precibus vacare, providere pauperum necessitatibus, libris lectitandis, corrigendisqve operam dare; nam qvatuor Christi Evangelia ultimo vitæ anno cum græcis & syris exemplaribus collata, viris doctissimis usus emendaverat.

§. 2. Actus coronationis Ludovici factæ Aqvis grani.

Qva ratione Carolus in celeberrimis comitiis Aqvisgranensibus ingenti pompa ac ceremonia in Dei paræ matris basilica coram multis Episcopis, Abbatibus, ducibus, comitibus, Ludovico filio coronam imposuerit, ex Thegano Chorepiscopo qvondam Trevirensi, aliisqve discimus: Diadema auro gemmisqve interstinctum ex composito super aram maximam jacebat, & circumfusa adstabat regni primorum cohors lectissima. Itaqve Carolus ipsa ætate & canitie venerandus progressus in medium, ubi ante aram cum filio fusus in preces, orandi finem fecit, Ludovicum compellans cunctis audientibus monuit, ut Deum conditorem suum amaret juxta timeretqve: propinqvis pietatem, sacerdotibus honorem, Ecclesiis tutelam, cœnobiis pauperibusqve misericordiam impertiret. Qvi ubi paternis monitis promte morem se gesturum respondisset, jussit Carolus, ut manibus suis diadema ex ara sublatum capiti imponeret, eaqve re memoriam hujus supremi jussi apud se conservaret. Qvamobrem divinis peractis officiis ambo pater ac filius diadematis ac Imperatoriis paludamentis fulgentes plurimo procerum comitatu ad palatium reducti sunt. Ferunt autem, morem hunc deinceps apud Francorum reges obtinuisse, ut plurimum in vita superstites cum filiis tum imperium ex æqvo dividerent, um impares qvoqve nec principis loci capaces regnorum hæredes instituerent. Atqve hæc est prima omnium coronatio imperatoris qvam vidit Aqvisgranum. Sunt qvi affirment in eadem solennitate habitum à Carolo sermonem illum qvem anno 805. retulimus, inqve iisdem comitiis Francorum imperii sedem & caput trans Alpes locumqve in augurationis perpetua & pragmatica lege esse constitutum Aqvisgranum. De sermone nunc habito concesserim: ex ipso vero liqvet, illam dignitatem Aqvisgrano collatam præsente & approbante Leone pontifice, anno videlicet 805. Major vero est disceptatio, utrum jus coronandi reges, dum in sede Aqvisgranensi initiantur futuro imperio, eodem tempore annexum fuerit certo cuipiam archiepiscopatui? an Colonensi an Moguntino? Rursum an in hoc coronationis solenni, qvod pertractamus, Hildebaldus Colonensis inunxerit coronaveritqve Ludovicum an Moguntinus, an vero nullus? Onuphrius cum legisset à Bonifacio Moguntino inauguratum Pipinum Caroli patrem, sine ullius testimonio aut documento audet asserere, omnes Francorum reges à Pipino usqve ad Ottonem I. à Moguntinis coronatos, qvod qvâ facilitate asseritur, eadem rejicitur. Contrarium in multis facile erit demonstrare. Neqve singularis potestas vicaria à Zacharia pontifice indulta Bonifacio qvicqvam in illius successores juris transferre potuit, maxime cum qvem coronavit Bonifacius, solius Franciæ rex fuerit, nec Romano imperio destinatus princeps, de qvo in præsentiarum sermo est. Ego duo hic videor posse affirmare. Primum non sine ministerio magni cujuspiam sacerdotis Ludovici pii coronationem peractam, neqve unctionem sacram prætermissam. Ut qvid enim primò piissimus imperator Carolus morem illum sacrosanctum per sacerdotes inaugurandi reges, Deo auctore in Hebræorum regibus inchoatum, à Clodoveo magno, à Pipino patre, à se usurpatum, in filio Ludovico voluisset negligi? Deinde consvetudo initiandi sacerdotum manibus designatos Imperatores ab Ottone I. usqve in nostram ætatem inviolabiliter observata à Francis ad Germanos profluxit; Francos institutores, religiosissimosqve observatores habuit. Sicuti modo nefas eam præterire, sic nec olim apud Francos, à qvibus accepimus & didicimus. Nec refert insinuari à Thegano, Ludovicum jussu patris positum in altari diadema suis manibus sublatum sibimet imposuisse. Non negat Theganus sacerdotem tum rei divinæ operantem simul manus diademati admovisse, non affirmat ritus & ceremonias usitatas ab eo omissas; Carolo soli & Ludovico intentus, qvid illi egerint locutiqve fuerint posteritati prodere voluit, reliqvis ibi fieri solitis tanqvam qvæ omnibus nota essent, nec qvicqvam haberent novitatis, prætermissis. Jam vero ut ad alterum dicendorum veniam, cui verosimilius ad scribi poterit officium tum novo Cæsari impensum

(*m*) *Theganus.*

sum qvem Hildebaldo Colonienſi, qvi præterqvam qvod in ſua provincia erat Aqvisgranum, Archicapellanus & Archiepiſcopus ſacri palatii, imo ut alibi oſtendam ex Hincmaro Rhemenſi ſedis apoſtolicæ Apocryſarii munere fungebatur? qvi concilio (*n*) Moguntino hoc item anno celebrato, qvi teſtamento Caroli condito ante biennium (*o*) primus ante Moguntinum, ante omnes Archiepiſcopos Galliæ & Germaniæ ſubſcripſiſſe legitur. Cujus in eodem teſtamento metropolis trans Alpes inter omnes Gallicas & Germanias prima recenſetur & conſtituitur. Ego vero in animum meum induco, Carolum ſicuti Aqvisgrano ſito in patrio & gentilitio ſolo primatum ſedis inter urbes; ita & Colonienſi Archiepiſcopo, ſuo proprie maiorumque ſuorum metropolitano prærogativam corona reges inſigniendi à Leone pontifice anno 805. obtinuiſſe, præſertim cum a qvo alio & qvando præſules noſtri jus illud qvod Ligurinus anno 1151. vetus appellat conſecuti ſint, non conſtet nec ab ullo probari poſſit. Accedit deniqve qvod Chronici magni Belgici auctor poſt eum Petrus Beeck & Cratepolius nondubium qvin è veteribus monumentis diſerte affirment, ab Hildebaldo Colonienſi Ludovicum pium coronatum: nullus vero qvi ante nos vixit à Ricolpho Moguntino id factum aſſerat, ſolo demto Onuphrio homine externo qvem hic hallucinatum ſupra oſtendi.

§. 3. Concilia hoc anno juſſu Caroli celebrata.

Eodem hoc anno menſibus majo & Junio jubente Carolo imperatore ſuper moribus cleri reformandis per totam Galliam concilia celebrata ſunt, videlicet Moguntiaci, Rhemis, Turonis, Cabilloni, Arelati. Moguntiacenſi, (*p*) qvod nono Junii habitum interfuere Epiſcopi 30. Abbates 25. inter Epiſcopos primo loco ſedit Hildebaldus Colonienſis poſt illum Moguntinus, deinde Salisburgenſis. Tres hi Archiepiſcopi ibidem ſe vocant miſſos dominicos, qvorum dignitatem, & munus explicavi ad annum 800. In iis ſynodis ſancitum inter alia, ut clerici deſertis armis ſecularibus ſpiritualia inducrent; Epiſcopi & Abbates pauperes Chriſti ſecum haberent ad menſam: ibidem lectio divina perſonaret: Scholæ erigerentur ubiqve ab Epiſcopis, pauperum & peregrinantium ratio haberetur. Ea ſimilesqve, ſanctiones coram imperatore in conventu Aqvisgranenſi recognitæ ſunt, juſſæqve executioni mandari.

§. 4. Signa imminentis mortis Caroli.

Hoc eodem anno die aſcenſioni domini ſacrâ, Aqvisgrani porticus qvam inter, baſilicam & regiam operoſa mole Carolus conſtruxerat, ſubita ruina ad ipſa usqve fundamenta eſt collapſa. (*q*) Eodem ferè tempore pons, qvem apud Moguntiacum decem annos ingenti labore & opere mirabili Rheno inædificaverat ſubſtructionibus adeo firmis, ut perenniter duraturus crederetur, tribus horis totus incendio abſumtus eſt, ne una qvidem haſtula ex aqvis amplius prominente. Accidebant præterea crebræ triennio integro eccliſes, qvibus annumeres lapſum Caroli ex eqvo anno 810. freqventem palatii Aqvenſis tremorem aſſiduum. In domibus, in qvibus converſabatur, laqveariorum crepitum. Tacta qvoqve de cœlo in qva poſtea ſepultus eſt baſilica, malumqve aureum, qvo tecti culmen erat, ornatum, ictu fulminis diſſipatum, ac ſupra domum Hildebaldi pontificis ſacri palatii archicapellani, baſilicæ contiguam projectum eſt. Erat in eadem baſilica in margine coronæ, qvæ inter ſuperiores & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, ſinopide ſcriptum: Carolus princeps. Notatum à qvibusdam eodem qvo deceſſit anno, paucis ante mortem menſibus eas qvæ princeps exprimebant literas ita eſſe deletas, ut penitus non apparerent. Sed hæc omnia inqvit Eginhardus, aut diſſimulavit, aut ſprevit, acſi nihil horum ad res ſuas qvolibet modo pertineret,

§. 5. Teſtamentum Caroli.

Anno 811. triennio ante mortem in futurum providus Imperator coram multis Epiſcopis Abbatibus & comitibus teſtamentum condidit, diſpoſuitqve de rebus mobilibus, qvas in Eccleſias pauperes, liberos, nepotes diſtribui voluit. Qvod legatum Eccleſiis, relictum diſpoſitioni metropolitæ, ea lege ut retenta ſibi una parte, duas tertias inter ſuffraganeos divideret, Metropolitæ civitates hoc ordine ibidem recenſentur: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Luvanum, Rotomagus, Treveri, Senones, Veſontium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Idem fere ſervatur ordo in ſubſcriptionibus. Primus ante omnes adnotatos reperitur Hildebaldus Colonienſis, hunc excipiunt Ricolphus Moguntinus, Arno Salisburgenſis, Wolfarius Rhemenſis Bernoinus, Laidradus Lugdunenſis, Joannes Theodulfus, Jeſſe Ambianenſis, Hetto, Waltgandus Leodienſis, Abbates Fridagiſus, Adalundus, Engilbertus, Irmino. Comites: Walach (*r*) Meginher, Othulfus, Stephanus, Unruchus (*s*) Burchartus, Hatto, Richwinus, Eddo, Eichangarius, Gerhortus, Bero, Hildegrenus, Rhoculfus. Hæc ex teſtamento Caroli apud Eginhardum, è qvo clariſſime videas dignitatem metropoleos Colonienſis, qvæ omnibus in toto Caroli imperio cis Alpino præponitur, ejus item antiſtes inter alios omnes primum dignitatis locum occupat.

Annus Chriſti 814.

§. 1.

(*n*) *Vid. infr. §. ſeq.* (*o*) *Vid. infr. §. 5.* (*p*) *Binius t. 3. concil. part. 2. p. 197. & ſeqq.* (*q*) *Eginhard. in vita Carol.* (*r*) *Filius Bernardi.* (*s*) *Al. Unrochus narochus.*

§. 1. Caroli imperatoris extrema ægritudo & mors.

Carolum Magnum Aqvisgrani hiemantem, mense Januario post usum balnei gravis febris invasit (*i*). Id morbi genus sentiens, ut in febribus solebat, ab omni cibo se abstinuit, arbitratus hoc remedio vim ejus depelli aut certe minui posse: Verum accedente lateris dolore, eloqve inediam adhuc retinente nec aliterqvin medico aqvæ potu sustentante corpus, septimo postqvam decubuisset die, jussit (verba sunt Theganı) familiarissimum pontificem suum Hildebaldum (Colonicnsem) venire ad se, sibiqve sacramenta dominici corporis ac sanguinis tribuere, ut exitum suum confirmaret. Qvo facto inunctusqve oleo ut addit monachus Engolismensis in ejus vita, laboravit in infirmitate diem illum & noctem seqventem. In crastinum vero luce adveniente, extensa manu dextera virtute qva poterat, signum sanctæ crucis fronti imprimens & super pectus & omne corpus consignavit. Novissime autem colligens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus clausit oculos psallens hunc versum leniter, In manus tuas commendo spiritum meum. Statim post hæc perrexit in pace. Ita Theganus. Decessit Carolus 28. Januarii, hora diei tertia, anno ætatis 72. Imperii 14. per 34. dies inchoato, regni Francorum 47.

§. 2. Encomia & merita in nostram provinciam.

Imperator belli pacisqve artibus nulli Imperatorum inferior, omnibus pene major, prudentia maximus, animi magnitudine præstantissimus, doctissimus, religiosissimus & fortissimus. Nimis parce suo ævo laudatus etiam tum cum magnus diceretur, maximis dotibus & virtutibus par ingenium præconiumqve non reperit. Illius in orbem christianum, Ecclesiamqve universam merita, qvæ nemo digne calamo aut ore expresserit, ut præteream, Tota nostra provincia præ aliis pene in omnibus illi seqvam obligatissimam profitetur. Hanc ille tanqvam majorum suorum domicilium, & avitum patrimonium, gentilitiumqve solum, si aliam ullam excoluit atqve exornavit: Effecit nimirum ut Ripuarii è qvibus ille ortus, & apud qvos avus majoresqve ducatum Agrippinensem jure velut hæreditario gesserant, summum rerum scanderemus apicem, & nec Hispanis invideremus Trajanum & Theodosium nec Britannis Constantinum, Apud nos alteram ille Romam suam ac totius imperii sedem posuit, hic corporis sui exuvias, hoc est seipsum qvantum licuit, perpetuum monumentum dereliqvit. Coloniensem inprimis Ecclesiam qvam suam metropolim, ut erat, habuit, qvantis ille honoribus & beneficiis cumulavit? qvantum adauxit? ejus ille antistitem creavit missum dominicum, sacri palatii Archicapellanum, Archicancellarium, adeoqve principem & advocatum totius Cleri in imperio cis Alpes. Illi ejusqve successoribus privilegium perpetuo valiturum concessit, ut successuris in imperio regibus coronam imponeret; qvod & à summo pontifice confirmandum curavit. Eidem tot novos Episcopatus Bremensem, Monasterienscm, Osnabrugensem & Mindensem tanqvam suffraganeos adjecit, extenditqve qvam latissime illius jurisdictionem & imperium. Ut omittam fundatas, dotatas, & locupletatas per provinciam & Urbem Agrippinensem basilicas, Monasteria, & plurima loca sacra; ut tot opes ex Italia, Pannonia, Hispania, & oriente invectas, ut opera publica ad tutelam & ornamentum extructa inter (*t*) qvæ viam ab Agrippinensi colonia Parisiorum Lutetiam tenus munisse atqve straviſſe vulgo refertur; eminet certe inter omnia Caroli opera basilica Aqvisgranensis qvemadmodum in loco memoravi. Venio ad Saxoniam nostram & provinciam transRhenanam cui ille ruditatem literis, religione, moribus introductis abstulit, è barbarica Idololatrica, paupere & vere inculta, eruditam, Christianam, ditem, & florentem reddidit; monasteriis, sacrorum hominum contuberniis auxit, legibus, novisqve ritibus devinxit, omnis illi salutis ac felicitatis auctor, ut jure merito tanqvam suum (*u*) apostolum jam olim Saxones nostri venerati fuerint, qvi in extremo judicii die Saxonum turba stipatus compariturus sit coram Christo, eosqve illi Oblaturus, sicut reliqvi apostoli gentes à se conversas, qvemadmodum canit vetus Poeta.

§. 3. Sepultura Caroli & ejusdem Mausolæum.

Eodem (*x*) qvo obiit die Carolus cadaver illius lotum atqve aromatibus conditum maximo totius populi planctu in basilicam S. Dei genitricis illatum est, ac tumulatum. Non aliter ac si viveret, indutus cæsareis vestibus, aureo accinctus ense, sedi infra subterraneum fornicem latericii operis humeris & capite erectis impositus est. Inditum alteri manui sceptrum; alteri Sacer qvatuor Evangelistarum codex geniis incumbens, aureis inscriptus Characteribus in membranis cæruleis, qvas cortices nonnulli putant. Obductus est liber argentea lamina deaurata superqve eo etiam num Imperatores in coronatione, solenni sacramento se adstringunt imperio. Capiti impositum gestabat diadema, in diademate signum crucis, annexa item diademati aurea catena, ne caput sedentis in partem aliqvam vel nutaret vel declinaret, è collo trethecæ reliqviariæ suspensæ, qvarum prima ad instar crucis efformata eximiam crucis dominicæ portionem continebat, altera catenulæ aureæ adnexa capillos B. M. virginis, tertia ejusdem virginis matris effigiem è S. Luca depictam. Non vane suspicatur Beckius, easdem thecas ad pectus Imperatorem gestare solitum in expeditio-

(*t*) *Aventin. lib. 4. annal. Bojor.* (*u*) *poeta Saxo in ejus obitu. Rolevinguis l. 2. c. 10. de laud: antiq. Sax.* (*x*) *Tnegan. Eginhart, Petrus Beck c. 5. in Aqvisg.*

ditionibus militaribus. Adjecta deniqve erant alia Caroli fortunæ decora, atqve inprimis scutum à Leone papa consecratum, pera item aurea peregrinantium insigne qva usum sæpius in itinere Romano fuerunt. Ad pedes Desiderius rex Longobardorum cum uxore & liberis humatus jacuit: super sepulchralem hanc cameram multis aromatibus oppletam & clausam sigillatamqve, editiore à terra situ collocata tumba ex albo marmore, cui ex una parte incisus raptus proserpinæ. Volunt ex Augusti sepulchro huc translatum. Marmoreo huic Sareophago incumbebat arcus auro obductus, cum erecta Caroli statua, & hac Epigraphe: Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli magni atqve orthodoxi Imperatoris, qvi regnum Francorum nobiliter ampliavit & per annos XLVII. feliciter rexit.

FRANCOFURTI
AD MOENUM,
EX
OFFICINA
GENSCHIANA,

MIRACLE

JACOBI ANDREÆ
CRUSII.

JCTI, NEC NON SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DN. DN. ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARII.

WITIKINDUS.

SIVE

DE WITIKINDI PRINCIPIS ANGARIÆ, AC DUCIS SAXONUM,

NEC NON

LIBERTATIS GERMANICÆ DIUTURNO BELLO CONTRA CAROLUM MAGNUM IMPERATOREM GESTO PROPUGNATORIS FORTISSIMI

VITA, MORIBUS, REBUS, BELLO,

PACEVE PRÆCLARE GESTIS, CONVERSIONE AD CHRISTIANISMUM, OBITU, MONUMENTOQVE

LIBER SINGULARIS.

EX OPTIMIS VETERUM MONUMENTIS CONCINNATUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA GENSCHIANA,

ALIKINDOS

SERENISSIMO ATQVE CELSIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO.

MARCHIONI BRANDENBURGICO,

S. R. IMPERII ARCHICAMERARIO, ET ELECTORATUS SUCCESSORI HÆREDITARIO; IN PORUSSIA, MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, ET VENEDORUM, NEC NON IN SILESIA CROSNENSIUM, ET CARNOVIENSIUM DUCI; BURGGRAVIO NORIMBERGENSI; PRINCIPI HALBERSTADIENSI, MINDENSI, ET CAMINENSI; COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO IN RAVENSTEIN ITEMQVE DITIONUM LAVENBURG ET BUTAW;

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Offero Celsissimo Nomini Tuo, Princeps Serenissime, devotissimo animo opusculum hocce historicum de vita & rebus bello paceve præclarè gestis Witikindi re & nomine Magni, libertatis Saxonicæ contra Carolum M. Imperatorem propugnatoris fortissimi, non ex vulgi erroribus aut anilibus, qvæ circumferuntur de eodem, fabellis, sed certâ vetustatis fide & Historiæ Germanicæ antiqvæ fonte perenni depromptum, librum nec magnum mole, nec tractatione eleganter politum, ex operis ipsius argumento tamen, inspecto insuper insigni animi cultu potentissimæ Domui Brandenburgicæ à me debito paratoq;, nulli, qvàm S. V. inscribendum. Qvem enim, ut alia mittamus, præterit ex illustri familiâ Witikindi Regis sive Ducis Angariæ, Herubis illius Germanici, prout non malè hoc elogio ob ampliss imas & potentissimas ab eo conditas familias à Rinero Reineccio Viro de historiâ rerum Germanicarum præclarè merito ornatur, præter maximos Reges Principesqve Orbis Christiani & vetustissimos Marchiones Brandenburgicos majores S. V. laudatissimos, qvorum for-

fortitudine & præsidio afflictæ & qvasi conclamatæ res Imperii toties conservatæ, originem ducere, accedit qvod & potiores ditiones Witikindi præsertim ad pagum Angariæ spectantes, cujus pagi incolas Tacitus Angrivarios, Witichindus Monachus Corbeiensis verò, Auctor Vitæ Caroli M. à Pithœo editus, nec non Beda Angarios appellarunt, potentissimæ Domus Brandenburgicæ imperio sint subjectæ, præterea cui non notissimum celeberrimi hujus Saxonum Principis antiqvi operis sepulchrum, qvod Carolus qvartus cum Angustâ constâ conjuge sub finem Anni 1377. non solum inspexit, sed tumbam vetustate non nihil deformatam renovari mandavit, additis insignibus, nempe Leone flavo cum caudâ bifurcata in puniceo campo, in S. V. Comitatu Ravensbergico superesse. Qvod si in offerendis ejuscmodi ingenii monumentis beneficiorum qvoqve acceptorum habenda ratio, cui magis qvàm S. V. Domine clementissime hoc opusculum inscribendum, nec enim V. S. maximus Pater afflictæ Germaniæ Achilles Dominus meus clementissimus tantum me toties nomine Civitatis Mindensis ejusdem gravamina proponentem clementissimè audivit, nec unqvam nisi cum salutari resolutione dimisit, sed & S. V. ante qvinqve, ni fallor, annos, heic Mindæ me itidem singulari clementia & favore complexa fuit. Tres ferè anni elapsi, cum à S. V. Patre Maximo Dn. meo clementissimo functio Advocaturæ patriæ mihi clementissimè commissa, annus verò jam est, cum nihil tale exspectantem in numerum Consiliariorum suorum legerit cooptaveritqve. Qvam clementiam ac ἐυεργεσίαν humillimâ mente perpendens, hunc qvalemcunqve ingenii fœtum, tanqvam devotionis & venerationis meæ, qvâ summas virtutes S. V. colo, ad posteritatem monimentum humillimè offerre volui, subjectissimæ observantiæ obsidem sereno pariqve vultu, qvo S. V. Pater Maximus Dominus meus clementissimus Serenit. suæ ante 12. annos inscipt um tractatum meum de præeminentia, sessione, præcedentia, & universo jure προεδρίας Magnatum in Europâ qvatuor libris absolutum suscepit, aspicere & admittere velit. Qvod restat DEUM Opt. Max. ex animo precor, ut S. V. cum totâ potentissimâ Domo Brandenburgicâ, & illum, qvem jam jam orsuri sumus annum, & plurimos alios, qvâm felicissimè peragat, æternâqve laude florentem Virtutum suarum ac clementiæ gloriam & incolumis & fortis, aliis super alia operibus augeat.

SERENITAT. VESTRÆ

Subjectissimus & devotissimus

Jacobus Andreas Crusius D.

CAPUT

CAPUT I.

De varia nominis Witikindi Scriptione.

SUMMARIA.

1. Vitas maximorum Principum ac Illustrium virorum scribendi consvetudo. 2. Historiæ encomium. 3. Witikindi apud scriptores rerum Germanicarum dispersa. 4. Auctoris institutum. 5. Varia nominis Witikindi scriptio exhibetur. 6. Unde nomen Witikindi promanarit. 7. Adducuntur tùm ecclesiastici tùm seculares, qvi à vocabulo Witte nomen habere videntur. 8. Wittigast sive Wisigastaldus dictator Legis Salicæ. 9. Wittodii qvinam apud antiqvos Saxones? 10. Undedicti? 11. Qvænam judicio Socratis beatæ Respublicæ.

VEtus religio est, vitas ac res bello paceve præclarè gestas maximorum
1 Principum & virorum ingentium posteritati tradere, tùm ut nunqvam non meditanda ad imitationem exempla egregia sint, cùm ut defunctorum memoria ab oblivione vindicetur. Enim verò qvid attinet gessisse magna, belliqve ac pacis illustrem extitisse artibus; nisi sit, qvi monumentis victuris enarret, & fide annalium vigere perpetuò, atqve in fama rerum manere jubeat. Eqvidem cûm reliqva mortalia opera variis casibus sint subjecta, verissimumqve sit istud Ovidii *Metamorph. lib.* 15.

Tempus edax rerum, tuqve invidiosa vetustas;
Omnia destruitis, vitiataqve dentibus ævi
Paulatim lentâ consumitis omnia morte.

Sola historia juxta Agathiam *lib.* 1. Viros illustres belliqve duces immortales fecit, eorun-
2 demqve memoriam ab omni oblivione vindicavit, monumentum eqvidem teste Horatio *lib.* 3. *Od.* 30.

—— —— —— —— ære perennius
Regaliqve situ Pyramidum altius;
Qvod non imber edax, non Aqvilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Nec malè historiam lucem veritatis, memoriam omnis antiqvitatis, magistrum vitæ, utilem judicio Principis Philosophorum Aristotelis *lib.* 1. *Polit. c.* 5. Ad publicas deliberationes rerum gestarum, ac verissimam disciplinam ad res civiles cum Polybio *lib.* 1. dixeris. Qvæ cùm ita sint, ab omni ferè ævo eruditi vel plurium virorum illustrium vitas, vel unius saltem aut alterius res gestas, ac dicta factaqve literis consignarunt, qvorum vestigia & ipse secutus vitam Witikindi nomine & re Magni, Principis Saxonum Illustrissimi, & Ducis belli contra Carolum Magnum à Saxonibus gesti diuturni fa-
3 ne & truculentissimi ex professo describere, & qvæ de eodem apud scriptores Germanicos antiqvissimos in universum pauca, parca, & dispersa extant, *συλλήβδην* atqve uno veluti fasce complexurus posteritati exhibere aggredior. Qvâ qvidem in re, cum Fl. Vopisco in Probo,
4 non ego nunc facultatem eloqventiamqve polliceor; sed res gestas, qvas præterire non patiar, & industriam, qvamcunqve etiam iis colligendis impendi. Certus interim animi spei-
que, non alia ratione me & pluribus Witikindum, qvem inter Heroes & Princeps Germanicos post Arminium juvenem genere nobilem, manu fortem, ultraqve barbarum prompti
inge-

ingenii juxta Vellejum, clade Varianâ, eâqve teste Svetonio *in Aug. c.* 23. penè exitiabili illustrem tantum eminere

Qvantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Constat, notiorem, qvam fuerit hactenus, redditurum; Principisqve fortissimi facta atqve famam nominis, cum laude & bonis recordationibus prosequendo, effecturum, ut multa ac bona ejus facta immortalem apud animos omnium, gloriam ipsi concilient, ut Tiberii heic utar verbis ex Taciti *Annal. lib.* 4. *cap.* 38. & Dionis *lib.* 16.

Cæterum veteris instituti morem ac monitum Xenophontis Philosophi apud Eunapium *in vestibulo libri de vitis Sophist.* ibi *κφι τὰ πάρεργα δεῖν τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ἀναγράφειν* secutus, de nomine VVitikindi ejusqve scriptione variâ, nec non qvam ob causam verisimiliter id nomen VVitikindo nostro, ac majoribus illustrissimis tributum pauca præmittere pretium operæ me facturum puto. Eqvidem constat mediæ ætatis historicos scriptione variâ nomen hoc exprimere, observante incomparabili Reinero Reineccio ad Saxonem illum Anonymum à se primo in lucem editum, qvi sub Arnolpho Imperatore res gestas Caroli Magni versibus barbaris enarravit. Ab Adone Viennense magnanimus iste Saxonum Dux nunc VVitichingis, nunc VVitigingis appellatur. Annales Francici, VVitichindus Monachus Corbejensis, & Dithmarus Merseburgensis Episcopus vocarunt VVidikindum, Adamus Bremensis & Albertus Stadensis modo VVedekindum modo VVitikint. Sigeberto Gemblacensi est VVintichindus, Poëtæ Anonymo modo laudato est VVidokindus, VVernerus Rolevinckius VVedekynum. Alii, observante Johanne Goes *in Animadversion, ad Reineri Reineccii commentatiunculam de Angariâ* VVitikindum, VVitichindum, VVidechindum nuncuparunt. Verosimile verò est nomen illud promanasse à veteri Germanico vocabulo
6 VVitte Witte/ & VVitichindo ejusqve majoribus ob singularem prudentiam datum fuisse. VVitti enim Veteribus Germanis idem fuit, qvod prudentia. Observarunt hanc derivationem Viri aliqvot insigniter docti, qvos inter Auctor Etymologiarum nominum aliqvot Germanicorum. Idemqve placuit clarissimo Lipsio *Cent.* 3. *Epist.* 49. & Petro Albino, qvi *in Progymnasm. historiæ Saxonicæ pag.* 200. Affirmat VVitt vocabulum significare Principem sapientem, hinc Idem de VVittâ Saxonum Rege.

Witta subit, certis, cui dat sapientia nomen
Omnibus.

Porro à vocabulo Witte nomen habere videntur modo laudati Regis Saxonum F. Witgislus pater Horstæ & Hengisti, qvi primi colonias Saxonum in Britanniam deduxerunt juxta Bedam *histor. Eccl. Angl. lib.* 1. *c.* 15. Witbertus Comes apud Reginonem *lib.* 2. Witigo Episcopus Misnensis apud Fabricium *Annal. urbis Misnæ lib.* 2. Wittridus F. Eduini Regis Saxonum in Anglià apud eundem Fabricium. *Orig. Sax. lib.* 1. Witili, Witold, aliaqve nomina Historico & Poëtæ sui temporis eximio Henrico Meibomio *de Irminsula Saxonicâ cap.* 12. adducta, & teste eruditissimo Melchiore Goldasto Heiminsfeldio *Alemannicar. Antiqvitat. tomi 2. parte primâ.* priscis Alemannis usitata, ut de Wittigast, qvem Sigebertus Gemblacensis *in Chronico ad annum CCCCXII.* Wi- 8
sogast, Otthо Frisingensis verò *lib.* 4. *c. pen.* Wisigastaldum vocat, dictatore legis Salicæ, de qvo vid. post Franciscum Holtomannum *in Franco-Gallia cap.* 8. Conringium *in tr. de Orig. jur. Germanici cap.* 7. & Johannem Limnæum *in Notitiâ Regni Franciæ lib.* 1. *c.* 8. *in not. lit. t.* ea, qvæ annotavi. *In tr. meo polit. jurid. historiae de præeminentiâ, sessione, præcedentiâ, & universo jure πρωτοκαθεδρίας Magnatum in Europâ lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 49. 50. 51. *& seqq.* nunc nihil dicamus. Videntur eqvidem à vocabulo Witte qvoqve nomen habere Vitiges Gothorum Rex apud Procopium *lib.* 1. *de bell. Goth.* Witgerus Episcopus Metensis. Regin. *lib.* 2. & VVitigonno Abbas Augiensis. Sane & ipsi apud antiqvos Saxones non ignobiles VVittodii sive sapientes Druidum successores divinæ humanæqve Philosophiæ periti, & in autoritate 9
summâ constitutis allecti, qvorum mentio apud Goldastum. Hos enim VVittodios appellabant composito è VVit & dod vocabulo, qvorum illud sapientem, hoc patrem vero amicum significabat, post Harsd. *disqvis. Philol. Germ.* §. 5. & Frider. Brummer. *in tr. de Scabinis antiqvis cap.* 2. §. 22. Prorsus conformi Socratis apud Platonem *lib.* 5. *de Republ.* Qvi beatas Respublicas esse non posse dicebat, nisi aut Philosophi eas regerent, aut Reges *γνησίως καὶ ἱκανῶς* philosopharentur, judicio.

Ab eodem igitur vocabulo VVit sive prudentiâ nomen qvoqve VVitichindo impositum fuisse verosimile est, & verò de ejusdem prudentiâ satis testari poterunt res diuturno bello Saxonico contra Carolum Magnum præclarè & singulari cum prudentiâ gestæ, qvâ de re in subseqventibus pluribus acturi sumus.

CA-

CAPUT II.

De prosapiâ illustrissimâ Witikîndi, ejusdemqve habitu Corporis.

SUMMARIA.

1. Witikindi vitæ exordium à genere. 2. Generis non magna habenda ratio. 3. Imo maximè. 4. Witikindi ex Saxoniæ Ducibus illustrissimisqve in tractu Westphalico magnatibus origo. 5. Recensentur majores VVitikindi. 6. Exhibetur parens VVitikindi. 7. Nec non Genealogia remissivè. 8. Qvo anno in lucem editus VVitikindus, ac qvomodo educatus? 9. VVitikindus insigni proceritate corporis præditus fuit 10. Et qvidem exemplo Germanorum, de qvorum proceritate laudata testimonia Taciti, Cæsaris, Qvintiliani, Manilii, aliorumqve. 11. Tales itidem fuere Burgundiones & Scandinaviæ incolæ. 12. Qvæ causæ ejusmodi insignis staturæ remissivé. 13. Longitudo Herculani corporis digna habitu speculatione Pythagoræ. 14. Alia laudantur argumenta pro proceritate corporis VVitikindi militantia. 15. Qvænam gentes in eligendis Regibus suis proceritatis corporum rationem habuere? 16. Locus vetustissimi sciptoris Scylacis Aristoteli laudatus eâ de re adductus. 17. Qvænam statura corporum Germanicorum fuerit? 18. Cuiacii encomium.

1. NOn aliunde justius vitæ Witikindi Magni exordium auspicari poterimus, qvàm à natalitio sanguine & prosapiâ illustrissimâ. Qvanqvam enim qvibusdam haud necesse esse videri posset describere magnorum Virorum majores & 2. patriam illustrem, cum teste experientiâ omnium temporum Viri fortissimi, qvi imperarunt latè ac dominati sunt, de casis etiam & gurgustiolis prodierint, attamen non postremum laudis aut gloriæ momentum esse arbi- 3. tror, ab illustribus & claris progenitoribus vitæ ac generis ducere primordia, qvippe qvod verissimum sit istud Horatianum *lib.* 4. *Od.* 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec in bellem feroces
Progenerant aqvilæ columbam.

Qvibus semina virtutis à majoribus per multum tempus ducta adsunt, inqvit hac in re de Cæsare Antonius apud Dionem *lib.* 44. fieri non potest, qvin & ingenita & perpetua virtute sint præditi. Qvam ut exerceant, subinde eos.

Et pater Æneas & avunculus excitat Hector.

ut de Ascanio scribit Poëtarum Princeps *lib.* 3. *Æn.* Contigit si cui alii, certè Witikindo Magno fortissimo Saxonum Duci ea felicitas, ut ex antiqvissimâ & illustrissimâ prosapiâ, ac pace belloqve clarissima origine nascerctur. Ea 4. fuit potentissimorum Saxoniæ Ducum & Illustrissimorum in tractu VVestphalico Magnatum, qvos inter primum merito suo occupat locum Bodo Rex Saxonum Princeps domi forisqve bellicosus, cui diversorum locorum Reges suam debent originem, qvi circa 5. annum Christi 260. claruit, neqve prætereundi Vechta sive VVichta, & præcedenti capite laudatus VVitta sive VVittichius, qvorum ille

An. Christi 300. hic An. 350. Saxoniæ præfuit, qvem excepit Wittigislus aliis Witkindus An. Christi 400. eundem secuti deinde Hengistus An. 449. Odoacer An. 480. Hatugatus An. 524. aliiqve anonymi Reges & Duces Saxoniæ, neqve omittendi hoc loco Bertholdus Rex Saxonum, Bello Francico contra Dagobertum gesto, fortiter pugnando occumbens, Sighardus seculo post Christum Restauratorem generis humani natum septimo florentes, qvibus addendi posteriores Dietericus Sighardi F. Edelhardus Diederici F. Bertholdus Edelhardi Frater, Albigus Edelhardi F. sed missis illis exhibemus Magni nostri Witikindi parentem Sereniſſimum Wernekinum Edelhardi fratrem Principem Saxonum, qui Anno Christi 768. obiit. Cœterum cum Magni Witikindi nostri genealogiam à vetustiſſimis Saxoniæ Regibus profluentem absoluta cum laude posteritati exhibuerit Historicus eximius Elias Reusnerus *in præclaro opere Genealogico Imperat. Regum, Principum &c. Germanorum totius Orbis Christiani p.* 248. *& pluribus seqventibus*, ad eundem lectorem remittimus, redeuntes ad Witekindum nostrum multarum illustriſſimarum familiarum, in Europa conditorem.

Lqvidem de anno, qvo in lucem editus Witikindus nihil certi apud vetustiores Germanicarum rerum scriptores occurrit, ac licet de educatione qvoqve Witikindi memoriæ nihil proditum meminerim, qvin potius apud historicos ejus temporis altum eà de re sit silentium, certum tamen atqve indubium est, eundem, utpote ex illustri familiâ natum ab ineunte ætate, more Saxonum in rebus militaribus optimè exercitatum ac educatum fuisse, arguunt sane idipsum res postmodum ab eodem in diuturno illo contra Carolum Magnum bello præclarè gestæ, & verò fix fieri poterit, ut bvisqvam aliqvando ad summum virtutum & rerum perveniat, qvi non puer seminario virtutum concretus, à prima ætate gtadibus virtutis adscenderit, ut ait Fl. Vopiscus *in Aureliano & Probo.* Posteriores eqvidem VVitikindi actiones probant, non alium à primis annis fuisse, qvam Claudianus *lib.* 1. depingit Stiliconem

—— —— —— mens ardua semper
Apuero: tenerisqve etiam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos: erectus & acer,
Nil breve, moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fastisqve loqvi jam digna futuris:
Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibat,
Spondebatqve Ducem celsi nitor igneus oris
Membrorumqve modus: qvalem nec carmina singunt
Semideis.

Qvoad staturam & habitum corporis VViti-9. kindi nostri extra omne dubium ponimus, eundem instar reliqvorum Saxonum, qvorum habitus corporum teste Cornelio Tacito *in lib. de moribus Germanorum*, qvanqvam in tanto hominum idem omnibus, qva in re consentientem habet Juvenalem *Satyr.* 5.

Cærula qvis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torqventis cornua cirro?
Nempe qvod hæc illis natura est omnibus una.

Proceritate insigni præditum fuisse. Sane de Germanis in universum scribit Pomponius Mela *lib.* 3. *cap.* 3. eosdem immanes esse animis atqve corporibus. Tacitus magna corpora omnibus tribuit. Jam ante utrumqve Cæ.10 sar *lib.* 4. *belli Gall.* Germanos immani corporum magnitudine homines pronunciavit. Apud Josephum *belli Judaici lib.* 2. *cap.* 16. Agrippa Rex tumultuantes Judæos ita alloqvitur: Qvis vestrum tando non accepit Germanorum multitudinem? Proceritatem enim & magnitudinem corporum, ipsi vidistis sæpissime, idem de Germanis tradunt Qvintilianus *declamat.* 3. Strabo *lib.* 4. Plutarchus *in Mario*, Ammianus *lib.* 16. Galenus *lib.* 2. *de temperamentis.* Allusit & Manilius *lib.* 4.

Est stupefacta suos inter Germania par-
& paulo post (*tus*
Flava per ingentes surgit Germania partus.

Qvin imo per Germaniam vixisse qvondam homines insignis staturæ ac roboris (cujusmodi Burgundiones non nullos olim etiam fuisse erudite probat Chifletius *parte* 1. *Vesontionis cap.* 11. 47. & de Scandinaviæ incolis testantur Saxo Sialandicus *in proœmio historiæ suæ Danicæ*, & Arngrimus Jonas *in Islandiæ patriæ suæ descriptione cap.* 4.) indicant, ni fallimur, qvæ hodieqve etiam extant! stupendæ magnitudinis saxa saxis curiosè imposita: ad qvæ movenda disponendaqve machinas artificiosas majoribus nostris defuisse nemo non fatebitur, cui non ignota est vetus ruditas & barbaries, taceo reperta in terris aut specubus (cujusmodi est ad Elbingerodam Baumanni caverna) solitam magnitudinem longe superantia humana ossa; & vulgi de gigantibus famam. Sane causas, cur12. illis temporibus majores nostri in ejusmodi staturam excreverint præclarè expoluit perpetuum Academiæ Julix decus Fautorqve noster pl. colendus Hermannus Conringius *in dissertat. de Germanicorum corporum habitus antiqvi & novi causis per tot.*

Eqvidem, si digna res Speculatione & cura habita Pythagoræ, summo Philosopho longitudinem Herculani corporis è plantæ ejus in-13. dicio indagare testibus Plutarcho & Agellio, cur non de Westphalico Hercule Saxonicæqve libertatis propugnatore incomparabili idem inqvirere nobis precium operæ videatur? Et verè

verò Witikindum cumprimis non vulgari corporis statura & proceritate fuisse, non magis vulgo creditum, qvàm ex præcedentibus verosimile redditur: Et cum omnia in eo magna fuerint, neqve hoc ornamentum ei defuisse satis credibile videtur. Non tamen ut prodigiosæ altitudinis Virum aliqvem nobis fingamus, ceu Goliathem Philisteum, aut Maximinum Thracem: sed ut heroicæ staturæ virum principem in bellaci fortissimaqve gente VVestphalorum, qvalis olim inter Danaum primos,

—— —— Præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.

vel potius qvalis in populo sacro Rex & unctus Domini, ab humero & sursum eminens super omnem populum 1. *Reg. c.* 9. VVitikindum sane non vulgari corporis statura & proceritate fuisse præter constantem per aliqvot secula famam non obscurè evincunt ea, qvæ modo de immani Germanicorum corporum magnitudine ex scriptoribus variis observavimus, & cum
14 Tacito teste, habitus qvanqvam in tanto hominum numero idem omnibus fuerit, qvis credat VVitikindum cæteris habitu corporis & proceritate inferiorem fuisse? utut hoc ævo mirum nimiumqve videri alicui possit, qvo

Terra malos homines nunc educat atqve pusillos.

Præterea ipsa ossa VVitekindi, qvæ Hervordienses asservata advenis commonstrare solent, itidem non exiguæ staturæ Principem fuisse arguunt. Eqvidem licet Albertus Crantzius, eumqve exrecentioribus secutus Petrus Cutsemius SS. Theolog. D. *In Saxoniâ Catholicâ p.* 22. ossa VVitikindi ab Henrico Aucupe Imp. cum tumba Paderbornam translata scribant, rectius tamen Reverendissimus & Celsissimus Princeps Ferdinandus Episcopus Paderbornensis & Coadjutor Monasterienſis Princeps eruditissimus *in incomparabili opere Monumentorum Paderbornensium* tradit, Angarienſi Collegio auctoritate Pontifica Anno 1414. 19. Januarii inde translato & Hervordiam migrante, cineres VVitekindi cistæ ligneæ parum reverenter inclusos, una cum aliis qvibusdam cimeliis ex basilica Angarienſis vici asportatos fuisse. Sane ut non
15 paucæ gentes in eligendis Regibus suis proceritatis corporum rationem habuere, vel Philosophorum Principe Aristotele (de qvo Justus Lipsius *Manuduct.* 1. *in Phil. Stoicam dissert. IV.* invidenda qvorundam effata habet. Videatur summus Vir in Philosophiæ Peripateticæ & sui ævi laudem natus Fortunius Licetus *in duobus, qvos publici juris fecit libris, de Pietate Aristotelis in Deum & homines, necnon de primoqvæsitis per Epistolas, Epist.* 17.) teste *lib.* 4. *Polit. c.* 4. ubi de Æthiopiæ incolis idipsum tradit, qvod desumpsit ex vetustissimo scriptore Scylace, qvem & Idem Philosophus *lib.* 7. *Polit. c.* 14. 16 laudavit, ex eo observans, eundem morem apud Indos obtinuisse, qva de re tamen in libro isto Scylaeis, qvi hodie extat nihil, sed potius de Æthiopiæ populis id ipsum relatum legitur, eodem modo & Saxonibus Westphalisq; in Ducibus & Principibus per vero simile est placuisse non vulgarem corporis staturam & proceritatem, sane ad minimum non degenerantem à communi habitu reliqvorum corporum Germanicorum, qvæ magna esse & tantum ad impetum valida scripsit Tacitus, qva in re præter supra laudatos consentientem habet Columellam *lib.* 3. *c.* 8. *ibi Germaniam rerum natura decoravit altissimorum hominum exercitibus.* Mar- 17 qvardus Freherus Patricius Augustanus & Consiliarius Palatinus *in Notis ad Petrum de Andlo de Imperio-Romano Germanico lib.* 1. *c.* 15. *p. m.* 144. observat, plerosq; statura sex pedes excessisse, cum apud Romanos legendo tyroni qvinqve & semis sufficerent, prout eleganter Cujacius, qvem doctissimus Petrus Faber *l.* 6. *Semest. c.* 24 *p.* 495. Doctorem Doctorum appellat: qvem nemo satis unqvam miratus est, teste Lipsio *ad Tacit. l.* 1. *Annal. lib.* 21. *observat.* 5. Accedit prioribus, qvod ex habitu corporis præ aliis insigni & incurvo dextræ digito, qvalem etiam repræsentat monumentum ejusdem Angarienſe, VVitikindum Paderbornæ in Resurrectionis dominicæ faustissimo festo, qvod omnium Christianæ Religionis celeberrimum augustissimumqve olim habitum testibus Chrysostomo *homilia VII. de Resurrectione Domini* & Socrate *hist. Ecclesiast. lib.* 7. *cap.* 5. mendicorum turbæ inmistum, qvibus Carolus Magnus sua stipem manu largiebatur, agnitum fuisse, scribant recentiores historici, qva de re infra pluribus dicturi sumus.

Caput III.

De dignitate Witikindi, qvam inter Westphalos obtinuit.

SUMMARIA.

1. Qvid rerum primis adulteriorls ætatis annis egerit Witikindus? 2. De dignitate Witikindi diversæ extant historicorum & scriptorum sententiæ. 3. Witikindus à Rolevincio Vir nobi-

lis vocatus. 4. Ex nobilitate Comites electi. 5. Witikindus ab Annalibus Francicis unus è primoribus VVestphalorum appellatus fuit. 6. Ducis dignitas & titulus à Witichindo, Gobelino Persona, Cranzio, aliisqve Witikindo nostro assignatus. 7. Notatus Zvvingeri error. 8. An Witikindus Satrapa fuerit? 9. Regia dignitas à qvibus Witikindo tributa? 10. Joannis Goes sententia hâc de re relata. 11. Gobelino suspecta de de Witikindi regia dignitate sententia fuit. 12. Tentata conciliatio discrepantium sententiarum. 13. Ostenditur Witikindo regiam dignitatem titulumqve à vetustissimis rerum Germanicarum scriptoribus assignatum fuisse. 14. Laudatur Dithmarus Merseburgensis Episcopus ejusqve chronicon. 15. Adducitur conciliatio discrepantium sententiarum à Sagittario proposita approbataqve. 16. VVinkelmanni sententia hâc de re laudata.

1. QUid rerum primis adultioris ætatis annis gesserit Witikindus non liquet. Non ante enim ejus ab auctoribus & antiquissimis rerum Germanicarum scriptoribus injectam mentionem observavi, quam ex quo fortissimus Princeps pro libertate gentis Saxonicæ contra Carolum Magnum arma arripuit, bellaque vario marte gessit. Verisimile est, usque ad id tempus, ut adolescens occeperat, ingenium illustre altioribus exercitiis militaribus dedisse, animumque ita mansisse, ut firmior aliqvando adversus fortuitas res agendas capesseret, quo nomine Tacitus *hist. 4. c. 5.* laudat Helvidium Priscum, & verò cujus corpus & animus, ut de Cæsare argumentatur M. Antonius apud Dionem *lib. 44.* ad omnia pacis bellique opera sufficerunt, cum omnino necessum est, ut optimè educatus fuerit.

Cæterum quod dignitatem Witikindi, 2. quam inter suos optinuit, attinet, diversæ extant historicorum & scriptorum eâ de re sententiæ, observante ex JCtis nostris Theodoro Hoepingio *in præclaro opere de Jure Insignium cap. 6. part 5. memb. 2. n. 694. p. m. 342.* aliis cum Regem, aliis Ducem fuisse asserentibus, quibusdam & placuit, eundem Satrapæ tantum vices obtinuisse. Equidem vocatur Witikindus, noster, antequam bellum cum Carolo M. Imperatore gerendum à Saxonibus ei committere- 3. tur à Rolevincio *de laudibus antiqvæ Saxoniæ* Vir nobilis, cujusmodi Nobiles sive Dynastas per Saxoniam & Westphaliam plures fuisse relictos à Carolo Magno, cum gentem fortissimam ac ferocissimam non tam armis subjugatam, qvàm humanitate & officiis delinitam, Francis adjunxisset, historici Germanici testantur, ast ut non dixerim antiqvis temporibus ex Nobilitate Co- 4. mites, qvi deinde suppeditabant Provinciæ Duces ac Marchiones electos fuisse, expressè Annales Francici Witekindum hunc unum è primoribus Westphalorum appellant. Porro Ducis- 5. dignitatem & titulum alii antiqvissimi Germanicarum rerum scriptores eidem tribuerunt. Witichindus Monachus Corbeiensis *Annal. lib. 1. p. m. 10.* expressè eum vocat Ducem ibi. Et hi erant stirpis magni Ducis Witikindi. Eodem modo Gobelinus *in Cosmodromio Ætat. 6. c. 38. p. m. 188.* Witikindum unum è primoribus Westphalorum, pag. verò 189. Ducem Saxanum appellat. Saxones, inqvit, Duce eorum svadente, videlicet Witikindo, postqvam fidem Christianam primo suscepérant, & Carolus profectus erat in Italiam Francorum terminos usqve ad Rhenum ferro & igni devestant. Hæc Gobelinus d. l. Idem fecerunt & alii Germanici scriptores, iiqve recentiores, qvos inter Wernerus Rolevinckius, & Albertus Crantzius Hamburgi qvondam Theologiæ Professor, & ejus Collegii Decanus, (unde Albertus Hamburgen- 6. sis vocatur à Meiero *in annal. Bland. ann.* CIↃ CLX.) qvi obiit VII. Kid Dec. Anni CIↃ IↃXVII. eoqve corrigendus Zwingerus, cum ait claruisse Anno CIↃ IↃXX. Hic Saxoniæ *lib. II. c. 22.* Ille *parte II. opusculi non contemnendi de laudibus antiqvæ Saxoniæ c. 5. Principalis*, inqvit ille, *capitaneus (duræ cervicis incredulorum Saxonum) erat qvidam Vir Nobilis dictus Wedekynus, qvem qvidam nominabant Regem, alii Ducem, filium gigantem robustum. Dani qvoqve vulgariter vocant eum usqve hodie Köninck Wedekyn, Wernikens* Sohn. Alii cum Beda putant, fuisse eundem unum de Satrapis, qvem fors ad regendum exercitû accivit. Major pars scriptorum Regium titulum ac dignitatem Widekindo tribuerunt, 7. qvos inter ex recentioribus Reinerus Reineccius, pro qvâ sententiâ præter veteres eosqve fidelissimos & antiqvissimos rerum Germani-

nicarum historicos ipsa Angariensis inscriptio monumenti sepulchralis pugnat. Sane pacis
8. tempore nullum Germanis olim fuisse communem magistratum, sed Principes regionum atq; pagorum inter suos jus dixisse & minuisse controversias constat, qvod *libro* 6. *de bello Gallico* tradit Julius Cæsar, & passim inculcat clarissimus Philippus Cluverius *in percelebri opere de Germaniâ antiqvâ.* Eruditissimus Johannes Goes
9 *in Animadversionibus ad Reineri Reineccii commentatiunculam de Angaria*, contra Reineccium regiam Witikindo in Saxones tribuentem potestatem *in not. ad Anonymum Poëtam, qvi Arnolpho Imperatore res gestas Caroli M. versibus barbaris enarravit*, defendit, Witichindum Ducem non Regem fuisse, cum Saxonia, teste witichindo Corbeiensi Monacho *lib.* 1. tantum à Principibus gubernata fuerit, nec ullius Regis Saxonici in historiâ Caroli M. fiat mentio, adde qvod Witikindus solis Angrivariis dicatur præfuisse, unde suspicatur Angariensem inscriptionem Reineccio laudatâ à suqerstitiosis & à Witikindi obitu non exiguo intervallo remotis temporibus monumento esse additam. Fateor &
10 Gobelino suspectam de Witichindi regiâ dignitate sententiam qvorundam fuisse, qvod non obscurè colligo ex ejusdem verbis *in Cosmodromio Ætat.* 6. *c.* 38. *p.* 189. extantibus. *Qvandoqve*, inqvit Gobelinus laudato loco de VVitikindo, *Rex nominatur, qvandoqve Dux, qvandoqve unus primorum Westphalorum.* Hæc Gobelin. *d. l.* præclarè observat, & verò Regem plurimi dicunt, idemqve fit in epitaphio, qvod sepulcro ejusdem adscriptum. VVitichindus Corbeiensis magnum Ducem vocat. Annales Francici verò *ad Annum* 887. unum è primo-
11 ribus VVestphalorum dicunt. Qvod si eâ acceptione, qva illi, qvi integræ regioni præfuerunt, non raro Latinis scriptoribus Reges dicuntur, qvod tantundem valeant in Ducatibus suis, qvod in Regno Rex aliqvis, ii, qvi VVitikindum Regem dixerunt, appellarant, nullum eqvidem habebunt repugnantem. Vocatur sanè Witi-
12 kindus Rex etiam ab incerto illo Auctore Chronici Mindensis operâ clarissimi Heinrici Meibomii, Poëtæ & Historici celeberrime vulgati, ibi.

Locus iste nominatus
Mindin, qvondam incastratus
A qvopiam Regulo
Wedekindo: qvi tum gratus
Rex ibidem assignatus
Mindensi Populo.
Contra qvem castrum fundatur
In Brulone & firmatur.
Prout per vestigium
Et fossatum demonstratur.

Et paulò post Idem Auctor in *prælaudato Chronico* de templo cathedrali igni devastato agens.

Qvicqvid Cæsar pro ornatu
Et Rex Wedkind pro afflatu
Spiritus denoverat:
Hoc in totum ex afflatu
Diri ignis & cum statu
Horrido perierat.

Ne qvis verò, Regiam Widekindo tributam dignitatem attinet, objiciat recentiorum scriptorum Germanicorum testimoniis me solummodo heic uti, produco antiqvissimum necnon fidelissimum rerum Germanicarum historicum, Dithmarum ex illustri domo Comitum Saxoniæ, qvos Walbeccenses nominat Cl. Meibomi-13
us ortum, filium Sigefridi Saxonici Comitis, observante Gerhardo Johanne Vossio *lib.* 3. *de histor. lat. cap.* 5. necnon Episcopum Merseburgensem, qvi gesta qvinqve Imperatorum Saxonicorum Henrici I. Ottonis I. II. III. & Henrici II. cujus temporibus vixit, descripsit. Is igitur in Chronico suo, qvod scribere orsus fuit anno Christi CIↃ XVII. ætatis suæ 41. Episcopatus X. unicum istius ævi thesaurum opus hoc Dithmari appellat Andreas Brunnerus *lib.* 9. *Annalium Boicorum p.* 677. *part.* 2. *lib.* 1. *Jam jamqve*, inqvit Dithmarus, *latentis animi fervor erupit, & injusto se hactenus multum peccasse connubio tandem professus, per affines legatosqve suos, filiam Theodorici & Reinildæ ex Widekindi Regis tribu exortam appellat, ut sibi satisfaceret.* Hæc Dithmarus *lib.* 1. *Chron. pag. m.* 5. qvem posteriores historici seqvuntur. Non displicet verò heic clarissimi Viri Casparis Sagittarii sententia, qvam in Historia Antiqvissimæ Urbis Bardewici *cap.* 2. §. 26. *p. m.* 57. seqventibus verbis exposuit. Qvod à scriptoribus, inqvit, qvi post14
Carolingica tempora floruerunt, Rex salutetur Witekindus, sicqve etiam in Epitaphio exstet, nihil magis probat, qvam in bello regia qvadantenus potestate ipsum esse usum: ut propter eandem potentiam à posterioribus pro Rege fuerit habitus. Hæc Sagittarius *d. l.* Et verò cum de Regibus Saxonicis in monumentis Veterum scriptorum parum reperiatur, qvinimo de iisdem apud diligentissimos alioqvin rerum Germanicarum scriptores Eginhartum, Engolismensem & San-Gallensem Monachos, aliosqve Annalium Francorum auctores nulla Regis Saxonici facta sit mentio, pleraqve, qvæ de his Regibus eorumqve regia potestate circum feruntur, non immerito suspecta videri possent, ut ut non ignorum eruditissimum Virum Johannem Justum Winkelmannum Consiliarium & Historicum Hassiacum & Oldenburgicum in Notit. Veteris Saxo-Westphaliæ15
asserere, suos antiqvitus Saxonibus fuisse reges, ex ratione, qvod regius titulus Witikindo à Gobelino & Dithmaro tributus, sed Gobelinum qvod attinet, eidem sententiam de Witikindi regiâ dignitate, suspectam fuisse supra hoc capite monuimus, neqve repugnamus, si eâ acceptione, qvam supra proposuimus *n.* 12. hujus Capitis aut juxta mentem Sagittarii regius titulus Witikindo tribuatur; sane isto modo à scriptoribus Germanicis regiam dignitatem Witikindo adscriptam fuisse, ni fallor, per videtur esse verosimile.

CAPUT IV.

De pagis & ditionibus Witikindo subjectis, ad eundemque spectantibus.

SUMMARIA.

1. Ut Romanum Imperium in provincias, ita Germania vetus pro simplicitate gentis in pagos divisa. 2. Helvetia isto ævo in qvatuor pagos distincta. 3. Laudata de pagis Germaniæ testimonia scriptorum Germanicorum. 4. Pagi qvænam fuerit isto tempore significatio? 5. Adducuntur auctores, qvi ejusmodi Pagos descripserunt. 6. Pagus Angeri spectavit ad VVitikindum. 7. Hujus pagi incolæ Tacito Angrivarii dicti. 8. Angari unde dicti? 9. Angari habitarunt ad confluentes Anagri & Albis, qvæ antiqvissima eorum sedes. 10. Angariorum qvænam dignitas nobilitas & potentia? 11. Eorundem sedes. 11. Susatum non ignobilis pagi Angariensis civitas. 12. Minda altera ejusdem pagi civitas unde dicta? 13. VVitikindi temporibus an urbes mœnibus cinctæ in Saxoniâ fuerint? 14. Eginharti encomium. 15. Recensentur urbes antiqvissimæ in Saxoniâ tum temporis extantes. 16. Minda an inter dubiæ antiqvitatis castella referenda 17. Carolus M. Mindam venit. 18. Conradus II. cognomento Salicus per biennium cum aulâ suâ, commoratus Mindæ fuit. 19. An Conradi Imp. Filius Mindæ in Regem electus? 20. Adolphus nobilis à Santesleve primus Schavvenburgensis Comes Mindæ à Conrado Imp. factus fuit. 21. Carolus IV. Imp. cum conjuge Augusta Mindam venit. 22. Minda insignia clavium á Witikindo accepit. 23. Monumenta circa Mindam à Witikindo appellata adducuntur. 23. Beneficia Witikindi Mindæ exhibita. 24. Hervordia itidem ad pagum Angariæ spectans, an floruerit tempore Caroli M.? 25. Fundatio cœnobii Hervordiensis ejusdemqve dotatio, â qvibus facta? 26. Hamela civitas pagi Angariensis, qvod ex veteri inscriptione probatur. 27. Recensentur castra Witikindi in diœcesi Osnabrugensi. 28. Vicus Engern qvibus mutationibus iisqve variis subjectus fuerit? 29. Principis Henrici Leonis encomium, ibiqve notatus Gotfridus monachus. 30. Recensentur termini & limites Angrivariæ tam superioris, qvàm inferioris.

POsteaqvam de dignitate, qvam inter suos obtinuit Witikindus, capite præcedenti dictum, consequens est, ut de ditionibus & pagis ad Witikindum spectantibus paucis dicamus, qva in re præmonendum ducimus, ut Romanos suum Orbem in provincias, & has in præfecturas, colonias, ac municipia distributas habuisse: ita Germaniam veterem

1 pro simplicitate gentis in pagos divisam fuisse, testes ejusce rei locupletissimi Julius Cæsar & Cornelius Tacitus. Ille *lib. 1. Comment de bello*
2 *Gallico*, ubi scribit, totam Helvetiam in qvatuor pagos esse distinctam. Hic *in elegantissimo libello de morib. German.* Eliguntur, inqvit, in iisdem conciliis & Principes, qvi jura per vicos pagosqve reddunt. Ammianus Marcellinus *lib.* 13. & 18. mentionem itidem facit pagorum Alamannicorum; qvo spectant versus Poëtæ
3 *Anonymi*, qvi historiam Caroli M. tempore Arnolfi Imp. carmine heroico perscripsit, editus à Reinero Reineccio.

Sed variis diversa modis plebs omnis, habebat
Qvod pagos, tot pene Duces, velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi:
Sed generalis habet populos divisio ternos
Insignita qvibus Saxonia floruit olim:
Nomina nunc remanent, virtus antiqva recessit.

Per pagum verò non vicum, qvæ hodie est pagi
4 significatio, sed tractum sive districtum unius ditionis, vel regionem, provinciam, & populi alicujus partem intelligebant Germani, ita Imperator Henricus II. In literis Anno MXIII. Werlæ datis ejusmodi pagos vocavit territoria: ibi. In pagis qvibuscunqve vel territoriis Germanis veteribus dicebatur ein Gow/ qvæ vox aliqvo-
5 ties occurrit in sanctionibus Imperii pragmaticis, qvas Recessus Imperii vocamus, unde Hennegow/ Brißgaw/ &c. hinc etiam Gowgraf præses pagi vel regionis alicujus erat. Sane ejusmodi pagos & qvidem Svevorum descripsit Henricus Bebelius, Superioris Germaniæ pagos verò collegit Vir de rebus Germanicis & jure publico præclarè meritus nobilissimus Marqvardus Freherus, Patricius Augustanus & Consiliarius, Palatinus, cujus exemplo septentrionalis nostræ Germaniæ pagos, improbo labore, judicio Andreæ Knichen *de jur. territ. c. 4. n.* 191. collegit, & peculiari Commentariolo posteritati exhibuit clarissimus & qvo ad insignem Germanicarum rerum peritiam Vir summus Henricus Meibomius.

Ad Witikindum ut redeamus, constat eundem Ducem Angriæ fuisse, ad eundemqve spe-
6 ctasse Pagum Angeri. Christophorus Browerus *in Antiqvit. Fuldens. lib.* 3. *c.* 11. appellat An-
7 gergoviam, cujus pagi incolas Tacitus *l.* 2. *Annal.* Angrivarios, Witichindus Monachus Corbejensis vero, Auctor vitæ Caroli M. à Pithœo editus, necnon Beda *Hist. Eccles. l.* 5. *c.* 11. An-
8 garios vocant, in *Chronico Mindensi* vocantur Angiri. Etymologia est à campestri planitie vondenen Angeren/ ac si dicas campanos seu Pratenses. Habitaverunt primùm hi Angarii ad confluentes Anagri & Albis, ubi Angermunda;
9 & hæc antiqvissima eorum sedes teste Reinero Reineccio, inter Ottilos & Westfalos ab Austro Francis, ex Aqvilone Oceano propinqvi. Poëta Anonymus,

Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius; horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro
Oceanoqve eadem conjungitur ex Aqvilone.

Eqidem etsi tot insignes inter Visurgim & Rhe-10 num populi, Sicambri, Bructeri, Tencteri, Dulgibini, Marsi aliiqve vel translati, vel veteri nomine amisso in unum cum Francis, deinde cum Saxonibus, coaluerint populum; mansit tamen semper Angrivariorum, ut Tacitus *lib. 2. Annal. eosdem* vocat, sive Angariorum, prout *in Annal. Francorum ad Canisium & Annal. Franc. apud Reuber. Ann.* 775. dignitas fama, nobilitas, & potentia, qvippe qvos non modo ad confluentes Anagri & Albis, sed & inter Amisiam & Visurgim, ut & ad Dimolam, ubi Helmershusa, qvæ in diplomate Chuonradi Impet. Ann. 1033. testantibus supra C. 2. laudatis Monumentis Paderbornensibus locus vocatur in Pago necnon in Comitatu Ravensbergensi, in qvo vicus Angariæ & sedes Witikindi nostri, habitasse constat. Cæterùm hujus Pagi mentionem factam esse in diplomate Henrici IV. Imp. dato Ecclesiæ Bremensi Anno MLXII. & altero dato Ecclesiæ Mindensi An. MLXIII. observat Meibomius laudato comment. De utriusqve Saxoniæ pagis. Pagus iste juxta eundem amplissimus fuit, complectens Susatum caput gentis, Mindam, Hervordiam, Hamelam, & Lemgoviam.

Susatum qvidem non ignobilis civitas Pagi 11 istius fuit, qvæ postmodum tractu temporis inter reliqvas ejusmodi incrementa sumpsit, ut Friderici Barbarossæ tempore in veteri Saxoniâ jus Susatense receptum sit, qvod Henricus Leo novæ urbi Lubecæ in suam potestatem redactæ usurpandum tradidit, qvinimo exauctorato Leone & Lubecensibus ad deditionem coactis, cives ab eodem Imperatore jura Sosatiæ sibi relinqvi humiliter contenderunt, teste Arnoldo Lubecensi *l.* 2. *c.* 2.

Cæterum Mindam Witikindo subjectam fuisse, eundemqve arcem ibidem habuisse præter constantem famam & traditionem veterum testantur Chronica Mindensia tam edita, qvam penes me extantia MSta. in medio interim relinqvimus conjecturam plurimorum probatam qvoqve Sebastiano Munstero *in Cosmograph. L.* 5. *c.* 405. *p. m.* 1220. qvi Mindam à Mindin, qvibus verbis Witikindum, Episcopum Mindensem à Carolo Magno Ecclesiæ Mindensi datum allocutum fuisse, hisqve verbis sibi & Episcopo arcem tum temporis heic sitam ex æqvis partibus attribuisse tradunt, dictam, & tractu temporis in Minden immutatam scribunt, alioqvin olim civitatem hanc non Minden sed Mindin 12 dictam fuisse ex MSstis. à me perlustratis diplomatibus & monumentis percepi, præprimis verò

verò idipsum luculentissimè probat privilegium Ottonis Imperatoris datum Ecclesiæ Mindensi *Anno dominicæ incarnationis* 961. *Inditt.* 4. *anno Regni Ottonis* 22.

Eqvidem Caroli Magni & Witikindi temporibus: qvibus frustra dissentiente Petro Lam-
13becio *Orig. Hamburg. lib.* 1. *p.* 8. jam tum urbes mœnibus cinctas in Saxonia fuisse præter Eginhartum Caroli Magni Cancellarium, post Mo-
14nachum Benedictinum, atqve Abbatem primum cœnobii Salingenstadensis, Virum inter primos ejus seculi annumeratum, ut ait Cardi-
15nalis Baronius *tom.* 9. *ad Ann.* 926. *invit. Caroli M. C.* 8. *p.* 34. testantur notoriæ urbes antiqvissimæ Bardevicum seu Bardengaw, ut appellat Adelmus *ad Ann.* 785. Ochsenburg apud Regionem *lib.* 11. Nigberg seu Wichteberg, ut vocat Ado Viennensis *Chron. ætat.* 6. *p.* 204. castrum nominatissimum, in qvo sub initium Reginimis Pipini patris Caroli, Hildegarium Episcopum à Saxonibus occisum scribit Regino *ad Ann.* 751. & paulò post sepultum in monte Ovesberg tradit Henricus de Hervordia *lib.* 2. *c.* 69. qvamvis pro Viberg apud Adonem & Regionem rectè substituat Viberg ut intelligatur mons Vegedonis non procul, a Rema, seu Rimia pago, clarissimus Fridericus Besselius *in Animadvers. ad Eginhart. laudato loco pag. m.* 36. ut nunc de munientis Sigisburgo ac Eresburgo, qvæ utram qve in historia Saxonum ferè faciunt
16paginam nihil dixerim: jam tum Mindam civitatem non incelebrem fuisse, qvam clarissimus Besselius *d. l.* tamen inter dubiæ antiqvitatis castella cum Magdeburgo, Salingstedę, pluribusqve aliis refert, negari non poterit. Sane Carolum M. & Mindam venisse testatur Author
17*Vita Caroli Magni apud Pithæum.* ibi; *Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli ad locum, qui dicitur Minda perrexit, & contra desertores inter Albim & Wisoram peragravit totam Saxoniam*, Qvinimo, postmodum Conradum secundum Imperatorem cognomento Saliqvum sive Salicum Mindæ perbiennium cum aula sua com-
18moratum fuisse, testatur Hermannus de Lerbeke Monachus Dominicanus domus S. Pauli Mindensis *in Chronico Comitum Schawvenburgensium pag. m.* 8. Chronicon Mindense hanc rem expositit seqventibus verbis. *Sigebertus qvintus decimus Episcopus: Iste à Conrado Secundo Imp. qvi annis duobus Minda curiam solemnem in platea, qva* Ramp *dicitur, tenuisse perhibetur, foresta* in Hersterberg / *& plura alia diœcesi sua utilia anno Christi* 1029. *impetravit.*
19Meminit ejusdem Curiæ Gobelinus *Ætat.* 6. *c.* 53. & addit Imp. Conradum Mindæ procurasse eligi filium suum in Regem: cui tamen adversari videtur Wippo collocans electionem Henrici tertii in Annum 1026. Idem Hermannus de Lerbeke necnon Ertwinus Ertmannus *in Chronico Osnabrugensi*, & ante utrumqve Henricus Hervordiensis monachus Dominicanus domus S. Pauli in urbe Minda rerum Saxonicarum scriptor diligentissimus memorant Anno 1030. Adolphum nobilem à Santersleve (malè Salingsleve, ut Crantzius, & eum secutus Spangenberg aliqve) ex diœcesi Magdeburg. oriundum, primum Schawenburgensem Comitem Mindæ à Conrado Imperatore factum. Agebat tunc temporis Mindæ Episcopum Sigebertus ordine 15. qvi Adolpho in consequenda hac nova dignitate plurimum profuit. Idem ex recentioribus tradit Cyriacus Spangenberg *in Chron. Schawvenburg lib.* 1. *c.* 4. *p.* 12. & 13. De Carolo IV. Imperatore, qvi cum conjuge Augusta Ann. 1377. 15. Novembr. Mindam venit, & postmodum inspiciendi monumen-21
ti V Witikindi nostri ad causa sanum Angariense profectus fuit, infra suo loco pluribus dicturus sum. Eqvidem Mindam sedem fuisse Witichindi, a qvo, ut fama est, Minda insignia clavium accepit, qvia de re clarissimus Henricus[22] Meibomius seqventes versiculos posteritati reliqvit.

Aspice florentis geminata insignia Mindæ
Tradita Regali Cæsareaqve manu.
Saxo Wedechindus claves dedit: Arbiter Orbis
Alitis apposuit signa verenda nigræ.

testatur præter constantem traditionem veterum, Auctor incertus Chronici Mindensis versibus capite præcedenti laudatis ibi.

Locus iste nominatus.
Mindin qvondam incastratus
Aqvopiam Regulo
Wedekindo:

Consentiunt MSti. Annales & Chronica, & cùm Seneca teste argomentum veritatis sit aliqvid omnibus videri, unde & Princeps Philosophorum id ἐνδοξον dixit, qvod placet aut omnibus aut pluribus, eo minus heic dubium remanere poterit, adde qvod & loca qvamplurima etiamnum à Witikindo appellata idem haud obscurè probent, qvò referendo propemindam ad nobilem amnem Visurgim situs locus Wedgenstein sive Witikindi lapis dictus, qvem ad Witikindum spectasse, eundemqve ibidem interdum commoratum fuisse constans fama est, ipsaqve, qvæ supersunt, rudera, ni fallimur, arguere videntur, idemqve dicendum, si conjecturis locus, de vicino in eodem tractu prope Mindam & V Vedgenstein, sito monte excelso, nemini hoc loco non notissimo, & amœnitate sua nulli cedente, in cujus cacumine è saxo scaturientem fontem, & montem ascendentibus æstivo tempore aqvam frigidam & gratissimam præbentem, nec non ædem sacram olim in uium monialium, ac in honorem S. Margarethæ extructam, Saxonibus nostris Magareten Cluß dictam videre licet, ut de jucundo ex alto prospectu in subjectos pagos, adiacentia prædia ac pascua, deniqve urbem Mindensem ipsam, fluviumqve Visurgim, nec non insigni & mirum in modum afficiente repercussione vocis, qvam vulgò Echo dicimus, nunc nihil dixerim. Fuit eqvidem Witichindus evecta in Episcopalem sedem Civitate Mindensi & ædificato templo[23]
majori qvod factum An. Christi DCCLXXX.

de

de templo isto majori oblatis donariis & ornamentis testante *Chronico Mindensi* præclarè meritus, qvæ ipsa tamen ornamenta sub Engelberto Brunonis Principis eruditissimi, primò omnium Cancellarii Imperatoris Conradi II. deinde Episcopi Mindensis decimi sexti successore, Engelberto 17. Episc. Mind. qvem Lambertus Schafenburgensis Monachus *in Chronico p. m.* 489. Eilbertum vocat, una cùm majori templo. Anno Dom. MLXII. ipso die Vincentii martyris incendio adsumpta.

Qvod Hervordiam qvæ ossa Witikindi
24 asservata advenis qvondam inspicienda exhibuit, attinet, eam ad pagum Angariæ itidem spectasse supra diximus. Floruit sane Hervordia sub Carolo M. & ita qvidem, ut Comitem habuisse legatur. Ultimus familiæ, cum ἄπαις esset, hortatore eodem Carolo, nobilium puellarum cœnobium Hervordiæ instituit, amplissimeqve dotavit. Fundatio hæc incidit in An-
25 num Christi 790. Postmodum Ludovicus Pius Imp. anno Regni sui sexto cœnobium hoc manumisit (sic enim loqvuntur Veteres libri) & in defensionem suscepit, deinde anno 12. Imper. sui Ludovicus secundus qvasdam decimales Ecclesias in diœcesi Osnabrugensi, consentiente Episcopo & omni clero, cœnobio Hervordiensi tradidit, non dixerim qvomodo Cobbo Comes Teckelburgius, hoc monasterium ditarit, qvâ de re lectu digna extant in Chronico Osnabrugensi Ertwini Ertmanni, neqve de eversione Cœnobii per Hungaros facta: & secuta ejusdem instauratione de qva Gobelinus *in Cosmodr. Æt.* 6. *c.* 52, cum hæc ab instituto nostro paulo aliena videri possint. Eqvidem Hamelam urbem Ducatus Brunsvicensis notissimam (qvam Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 43. vocat villam publicam: Auctor vitæ Vicelini vicum ibi. *Saxo-*
26 *nia vicus Qvernhamele sit benedictus:* (itidem ad pagum Angariæ spectasse supra observavimus, ac præterea probat seqvens, qvæ ibidem extat, de Comitibus Angariæ cippi inscriptio à me adducta in tractatu de præeminentia, sessione, præcedentia, & universo jure προεδρίας Magnatum in Europa *lib.* 4. *c.* 20. *n.* 6. *p.* 750. ibi.

ANN. DOMINI D. C. C. XII. BERNHARDUS COMES, CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIÆ DE OSTEN, FUNDARUNT HANC ECCLESIAM.

Sane cum Crantzio teste Widekindus ejusqve posteri usqve ad Ludolphum (Sigebert. *ad Ann.* 860. Leucolphum Ducem Saxon. appellat) domicilii seu aulæ sedem fixam & immutatam in Westphaliâ habuerint, eo minus de præ-
27 dictis civitatibus ad Pagum Angariæ spectantibus, ut & Lemgovia, dubitandum, qvin imo Witikindum præterea Principem Regiæ, ac Dyna-
28 stam Iburgi fuisse constat, traditqve ex recentioribus Elias Reusnerus in *præclaro opere Genealogico in Stemmate primo Stirpis inclytæ Witikindeæ p. m.* 260. Gobelinus Persona *in Cosmodromio Ætat.* 6. *c.* 38. *p. m.* 189. Witikindum & castrum in diœcesi Osnabrugensi habuisse, posteritati reliqvit. *Unde in diœcesi Osnabrugensi*, ait, *ab ipsa civitate per dimidium milliare patria ruinata stri Witikindi adhuc demonstrantur. Ubi collis qvidam fossatis altis intercisus murorum fragmenta demonstrat.* Hæc Gobelinus *d. l.* Digna ut heic qvoqve legantur verba clarissimi Hermanni Hamelmanni *in delineatione urbium & oppidorum Westphalicæ. In vicinia urbis Osnabrugensis, ait ad dimidium milliare prope Rullam monasterium Monialium non procul à villa rustici de Oste ringe, extant vestigia veteris arcis Widekindi dictæ adhuc die Wiedekesburg apud stagnum miraculosum, fundo & altitudine, ut ajunt, circes, à qvo non procul est alius puteus ei similis,* der grundlose Kolck. *Scribit autem Rolevingius qvod conversus Widekindus & jam recepta suâ arce prope Osnabrugum curaverit adificari Ecclesiam nomine Bethlehem.* Hæc Hamelmannus *d. l.*

Porro ad pagum Angariæ spectavit vicus Engern/ oppidum olim non incelebre, qvod tempore belli Saxonici, cujus adversus Francos auctor & Dux fuit Witikindus noster in potestatem Caroli M. devenit. Sed cum Christianam religionem amplexus Witikindus cum Carolo pacem fecit, Angaria ad ipsum rediit. Qvæ cum deinde cum reliqvo Saxoniæ & westphaliæ Ducatu aliqvoties Dominos mutasset tandem post calamitatem fortissimi Principis Henrici Leonis, qvem Annales Rithmici den grossen Löwen von Braunschweig vocant, ac de qvo haud verosimilia memorat paulòqve incivilius loqvitur Gotfridus monachus *ad Annum* 1189. cessisse Comitibus Lippiensibus perhibetur. Ex his Simon Bernardi Filius acerrimas cum Osnabrugensibus simultates habuit, & An. 1299. ex arcibus Angaria & Rheda magnis eos cladibus affecit. Qvas injurias Ludovicus Osnabrugensis Episcopus è Comitibus de Ravensberg vindicaturus, Simonem prælio victor cepit, Osnabrugamqve deduxit, necnon durâ in custodiâ ferè per sexennium detinuit, donec Anno 1305. die S. Kiliani in Scottmar, ea inter alias, conditione liberatus ut An-29 gariæ arcem & mœnia solo æqvaret, prout testantur Chron. Osnabrug. Hermannus Hamelmannus *in Genealogia Comitum Lippiens.* & Rein. Reineccius *in comment. de Angaria* seqventia subjicit: *Interea tamen jus, nomen & magistratus civitatis Angariæ retinet, cum alioqvin plane vicum referat, mansit & colli, in qvo arx sita fuit, nomen: appellatur enim* die Burgstede *Collis autem, in qvo positum est fanum S. Dionysii, qvod unà cum Collegio Canonicorum Witichindus illic condidit eo, qvi artem habet, editior est.* Illo in fano mausolæum habere Widikindum nostrum constat. Porro & ad Witikindum ca-30 strum Iborch, qvod inter eminentiora castella Saxoniæ refert ex recentioribus sæpius laudatus Ertwinus Ertmannus Consul Osnabrugensis *in Chron. Osnabrug. MS.* spectasse tradunt scriptores; Hoc castrum à Carolo M. anno regni sui VII. occupatum fuisse, memorat Gobelinus Persona Ertwino antiqvior. *in Cosmod. ætat.* 6. *cap.* 38. Conf. Theodoricum

ricum Engelhusium *in Chron.* Crantzium *lib.* 1. *Metrop. cap.* 11. *pag.* 24. Hermannum Hamelmannum *de antiqvâ Westphaliâ*, aliosqve. Qvibus subscribit Gerhardus Cleinsorgius *in Annal. MS. Westphal. ad annum* 776. *Carolus M. ex Italiâ redux, exercitu in Saxoniam rebellum ducto, Iburgum seu Driburgum, aliaqve Saxonum munimenta & castella expugnavit, & prope Luppiæ fontes castra habuit.* Hæc Cleinsorgius *d. l.* Colophonis loco non prætereundum hoc loco Angrivariam olim in superiorem & inferiorem divisam fuisse, qvoad terminos & limites verò discrepantes scriptorum extant sententiæ, qvas inter tamen non rejicienda illa eruditissimi multæqve lectionis Viri Johannis Justi Winkelmanni *in Notitiâ Veteris Saxo-Westphaliæ l.* 1. *c.* 6. *n.* 63. cujus verba non indigna, ut subjiciantur, *In Angrivariâ Superiori fuit Metropolis Susatum, & commplexa est in se Surlandiam, versus Tencteros, circa Comitatum Nassoviensem: item sub se continet Comitatus & Baronatus Arnsberg, Waldeck, Limborch, Altena, Werle, Aren, Bilstein, Itter, Büren & Borck. Item partem diœcesios Paderbornensis, ut Fürstenberg Warburg, Dringenberg. & similes Præfecturas, & extendit se usqve ad Hassiæ terminos. Ducales olim ibi sedes erant Susatum, Morsburgum, (aliàs Eresburgum) Arensburgum, Berga, Isenberg, prope oppidum Corbachium, Altena, Warburg, Fürstenberg, Dringenberg, &c.*

Angrivaria Inferior habebat primarium locum Ochsenburg, hodie Osnabrugam, tempore Julii Cæsaris à Brucheris ædificatam. Hæc Regio extendebatur ad Visurgim usqve ad Visulam Orientalem, & sub se comprehendebat Episcopatus Osnabrugensem & Mindensem. Item Comitatus & Dominia ab hac parte Visurgis, videlicet partem Diœceseos Paderbornensis, ut Beveren & similia, qvæ circa Visurgim situ sunt, Abbatiam in Corbeja; Item Comitatus totos: ut Oldenburgicum, Delmenhorstensem, Vechtensem, Wildeshusensem: Burgraviatum Strombergicum, Ravensburgicum, Svvalenburgicum, Sternebergicum, Hervordianum; Item Dominia Holte, Dissen, Dipholticum, Vlote, & partem Comitatus de Lippia, ubi nunc est Detmoldia, Lemgovia, & Præfectura sive Satrapia Furnholte. Et qvæ ab altera parte Visurgis sunt, cum prioribus contigua, & pertinent modo sive subsint Comitatibus Schaumburgico & Hoyensi. Erant in ea Ducales sedes Engern (olim urbs & arx, jam verò pagus) Wildeshusen, Iborch, Minden, Stromborch, Vlote, Ravensburgum, Deipholte, Ditmoldia, Sternebergum, Schvvallenborch & Holte, &c.

Caput V.

De Witikindi rebus adversus Carolum M. Imperatorem diuturno bello germanico preclarè gestis.

SUMMARIA.

1. Varia Francorum Reges ante Caroli M. tempora bella cum Saxonibus gesserunt. 2. Crudeles expeditiones Dagoberti Regis Francorum contra Saxones referuntur. 3. Bellum à Pipino contra eosdem gestum. 4. Nullum bello Saxonico sub Carolo M. neqve prolixius, neqve atrocius, Francorumqve populo laboriosius. 5. Causæ belli suscepti qvænam? 6. Belli Saxonici contra Carolum M. Dux Witikindus. 7. An Witikindus primus belli Saxonici Dux? 8. Notatus Fabricius totum belli Saxonici tempus Witikindo tribuens. 9. Witikindi res gestæ bello Saxonico in genere laudantur. 10. De Carolo M. fugam arripiente adducta verba Gobelini. 11. De Præliis Caroli M. cum Saxonibus. 12. Prior pugna commissa

ad Dietmelle oppidum Westphaliæ. 13. Qvod olim Teutoburgum dictum cladeqve Variana nobilitatum. 14. Emendatus locus in Annal. Fuldensibus Pithœi ac Freheri. 15. Qvo anno finis diuturno bello Saxonico impositus? discrepantes extant scriptorum sententiæ. 16. Danubius limes Romani Imperii ad septentrionem, terminusqve fatalis victoriarum Romanis. 17. Witikindus Francos in prælio ad montem Sunthal commisso magnâ clade prostravit.

CEterum ad rerum belli præsertim tempore pro libertate Saxonum & Westphalorum à Magno VVitikindo nostro præclarè gestarum momenta transeuntes, præmittendum ducimus, varia Francorum Reges ante Caroli M. tempora bella cum Saxonibus, diversis temporibus gessisse, in qvibus licet sæpius victores extiterint, nunqvam tamen plane fortissimam gentem subjugare potuerunt, unde ipse Carolus Magnus *in*
1 *diplomate ad Trutmannum Westvaliæ Comitem; notis historicis à me in Opusculis Variis illustrato*, fatetur Progenitorum suorum temporibus Saxones semper indomabiles fuisse. Ut non commemorem modo tot bella inter utramqve gentem gesta, tot clades; potissimum relatu dignæ expeditiones, qvibus Dagobertus Rex
2 Francorum Saxones infestavit. Prima istarum pertinet ad Annum Christi 630. qvo tempore, cum Dagobertus victor extitisset, etin Saxones crudelitate bacchatus est, ut omnes, qvi istàturâ ensem ipsius superarent, interfici jusserit testibus Aimonio *lib.* 4. & Sigeberto *in Chronic.* Altera secuta est anno duodecimo post, nec meliore fortunâ â Saxonibus certatum. Itaqve Dagobertus certi pecoris annuum vectigal genti indixit. Sub Pipino patre Caroli Magni iterum
3 novi motus, novaqve bella inter utramqve gentem orta, inqvibus itidem Saxones adverso Marte pugnarunt, pacem petere coacti hisce conditionibus ut in anniversario Francorum conventu 300. eqvos tributi nomine adducerent. Hoc jugum cum Saxonibus genti triumphatæ magis qvàm victæ vel Tacito teste in libello de moribus Germanorum intolerabile esset, gravissimum sub Carolo Magno bellum exortum, qvod tantâ pertinaciâ, tantâ animorum contentione gestum, ut demum Anno 33. eidem finis impositus fuerit.

Qvæ omnia satis fideliter posteritati narra-
4 vit Eginhartus *de vit. Caroli Magni cap. 7. per tot.* ubi tradit, nullum hoc bello Saxonico, neqve prolixius, neqve atrocius, Francorumqve po-
5 pulo laboriosius susceptum esse. Causas belli susceptibus Idem *d. l.* seqventibus verbis exposuit. *Suberant, ait & causæ, qvæ qvotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri & illorum pene ubiqve in plano contigui, præter pauca loca, in qvibus vel silvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumqve agros certo limite disterminant, in qvibus cædes & rapinæ & incendia vicissim fieri non cessabant. Qvibus adeo Franci sunt irritati, ut jam non vices reddere sed apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Susceptum est igitur contra eos bellum, qvod magnâ utrinqve animositate, tamen majore Saxonum, qvam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur.* Hactenus Eginhartus laudato loco, ex cujus verbis colligere licebit, bellum qvidem à Carolo M. & Francis potissimum ab initio regionis causâ susceptum, deinde 6
verò ultimum telum, Religionem rem imperiosissimam adhibitam, à Saxonibus verò bellum istud magna fortitudine gestum fuisse. In Bello tam diuturno ac gravissimo qvin prima fuerit apud Saxones persona, Witikindus, non est qvod dubitemus, cum eundem Ducem belli agnoscant fidelissimi rerum Germanicarum scriptores, licet veteres, qvos inter Eginhartus, ab initio belli truculentissimi non statim ejus meminerint. Sane Boiorum Salustius Aventinus non uno in loco primum conciserem belli Saxo- 7
nici Witikindum facit. Fabricius *orig. Saxon. lib.* 4. *pag.* 425. totum belli tempus eidem tribuit, parùm accuratè, cum ipsemet teste post Annum 786. impermixtus bello in fide manse- 8
rit Witikindus, qvod & Erpoldo Lindenbrogio *in Chron. Caroli M.* placuit. Cæterum Imperterrita virtus Witikindi, Principis fortitudine admiranda, constantia invicta, & amore erga patriam præstantissimi, indomitum ejusdem robur, omniqve clade supereminens animus majores ejusdem omnes, ac Duces gentis Saxonicæ belli hujus gloria vicit & si non semper de hostibus, de fortunâ triumphavit. Et 9
qvamvis scriptores rerum Germanicarũ fortia Witikindi Magni facta supprimere, è contra Caroli Magni res gestas mirum in modum extollere, omniaqve ad gloriam & laudem ejusdem referre, nullum non moverint lapidem, fateri tamẽ demum vi veritatis coacti fuere, Witikindum & patriæ libertatem, ad qvam propugnandam qvasi natus videbatur, strenuè defendisse, & Francorum ditiones profligato eorundem exercitu igne ferroq; devastasse, Testatur hoc ipsum laudatus Eginhartus qvi licet *d. c.* 7. nullam Witikindi faciat mentionem, negare tamen non potuit, magna fortitudine à Saxonibus bellum tam diuturnum gestum fuisse, Duce verò Magno Witekindo id ipsum factum, tradunt Witikindus Monachus, Corbeiensis, Regino Abbas Prumiensis, Gobelinus, alii, omitto recentiores, qvos in re adeo nota provocataqve adducere opus non erit. Sane de Carolo

10 Magno fugam arripiente seqventia posteritati reliqvit Gobelinus Persona in Cosmodromio *Ætat. 6. c. 38. p. m. 188. Carolus qvàdam vice*, inqvit, *à Saxonibus usqve ad flumen Magonum fugatus, dum qvà parte aqvæ vadum posset habere, plurimum hæsitaret, statim qvædam Cerva apparuit, & flumen coram eo pertransiit, qvam Carolus cum exercitu seqvens flumen transiit, & inimicos evasit: Et fertur Carolus dixisse: Melius est dicere: Carolus fugit coram inimicis, qvàm Carolus interfectus est ab inimicis. Et ex illo transitu locus ille dictus est vulgariter Franckenvord, ideſt vadum Francorum.* Hactenus Gobelinus *d. l.* qvam relationem tamen scriptoris, & historici non coætanei in medio relinqvimus, præsertim cum Eginhartus de
11 vitâ Caroli M. *C.* 8. tradat Carolum M. non amplius cum Saxonibus, qvàm bis acie conflixisse. Hoc bello, licet per multum temporis spacium traheretur, inqvit, ipse non amplius cum hoste, qvàm bis acie conflixit, semel juxta montem, qvi Osneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato; & iterum apud Asam fluvium, & hoc uno mense, paucis qvoqve interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neqve provocare, neqve venienti resistere, nisi aliqvâ loci munitione defensi, auderent. Hæc Eginhartus *d. l.* Sane utriusqve pugnæ meminere Aimonius
12 *lib.* 4. *c.* 75. ac Regino *lib.* 2. Anno 783. Locus prior Thietmalli seu Dietmelle oppidum Westvaliæ, hodie etiam non ignotum, qvod
13 olim Teutoburgum dictum, cladeqve Varianâ nobilitatum evidentissimis argumentis demonstrat eruditissimus Philippus Cluverius *lib.* 3. *Germ. Antiqvo. c.* 19. Posterior prope Asam seu Hasam (si enim observante M. Friderico
14 Besselio *in annotat. ad d. l.* Eginharti rescribendum erit in Annal. Fuldensibus Pithoei ac Freheri, ubi vulgò legitur Basa) fluvium, ad Meppen oppidum Westvaliæ in Amasin se exonerantem.

Cæterum bello truculentissimo Duce præ-
15 primis Witikindo contra Carolum Magnum gesto Anno demum trigesimo tertio finem impositum fuisse testatur Eginhartus, ac licet Adamus Bremensis *lib.* 1. *c.* 7. ex annis 33. annos 30. referat, attamen alibi *lib.* 1. *c.* 12. triginta tres annos, disertè memorat, cui suffragantur Poëta Saxonicus *de vit. Caroli M. ad Ann.* 803. *Indict* 10. Marian. Scot. *l.* 3. *Ann.* 775. Incertus Auctor *vitæ Ludovici Pii p.* 346. & Helmold. *Chron. Sclav. l.* 1. *c.* 3. In hoc bello diuturno à Witikindo nostro vario Marte cum Carolo M. pugnatum, eandemqve modo victum, modo victorem, ut anceps esse solet fortuna belli recessisse, vetant nos dubitare rerum Germanicarum scriptores, qvinimo Witikindum cum exercitu suo & selectissimâ Saxonum
16 manu â Sala ad Rhenum usqve (qvi olim cum Danubio limes Romani Imperii ad septentrionem, terminusqve fatalis victoriarum Romanis erat, qvem excedere non magis qvàm Parthicum Persicumve possent, testibus Appiano, Claudiano, aliisqve à me *in commentario meo historico philologico-juridico ad l.* Ἀξιώσις D. *de L. Rhodiâ de jactu c.* 10. *n.* 22. *p.* 173. & 174. adductis) omnia, qvæ Franci possidebant igne ferroqve vastasse: à Turcio usqve ad Confluentiam omnia diripuisse incensis domiciliis & trucidatis hominibus: Francos deniqve in prælio ad
17 montem Sunthal commisso, magna clade prostravisse, in subseqventibus pluribus exposituri sumus.

Caput VI.

De Expeditionibus bellicis Witikindi ab Anno Christi 772. usqve ad Annum 777.

SUMMARIA.

1. Eresburgum oppidum à Carolo M. primò omnium expugnatum. 2. Qvæ nam tum temporis in tractu Westphalico præcipua fuerint castella? 3. Demolitioni famosi idoli Saxonum, Irminsul dicti totum triduum impensum. 4. Adducta hâc de re testimonia Henrici de Hervordia Annalium Fuldensium, aliorumqve scriptorum Germanicorum. 5. Variæ appellationes idoli Irmensul. 6. An fuerit statua Mercurii vel Martis? 7. Laudatur conjectura Gerardi Johannis Vossii hâc de re. 8. Locus cladis Varianæ. 8. Qvale fuerit idolum Irmensul?

sul ? 10. Saxonum bella adversus Carolum M. Anno 774. & seqventibus gesta. 11. Adducta eâ de re testimonia Reginonis Prumiensis Abbatis, Annalium Fuldensium, Sigeberti, Magni Chronici Belgici, & Fabricii. 12. Caroli M. ultricia arma é contra arrepta. 13. Expeditiones Caroli M. adversus Saxones ab Anno Christi 775. 14. Caroli M. nova irruptio in Saxoniam. 15. Saxones Duce Witikindo Eresburgum obsidione cingentes prodigio duorum clypeorum sanguineo colore flammantium consternati discedere coacti fuere. 16. Qvo anno idipsum factum, laudataqvè Reginonis hâc de re verba. 17. Saxones baptizati excepto Witikindo. 18. Saxonum promissa circa servandam fidelitatem.

PRæcedenti capite de rebus à Witikindo durante bello illo diuturno contra Carolum Magnum gesto prætlarè gestis in genere diximus, restat, ut in specie de expeditionibus Caroli M. contra Saxones & qvantâ fortitudine Witikindus libertatem patriæ propugnarit pauris pro instituti ratione agamus. 1 Et verò primò omnium constat Carolum M. bellum Saxonicum aggredientem Eresburgum oppidum, in qvo ad bellū feliciter gerendum multum erat momenti, sibi delegisse expugnandum. Erant tum temporis, ut Ertwinus Ertmannus Consul Osnabrugensis (qvi teste solertissimo rerum Westphalicarum indagatore Hermanno Hamelmanno *in delineatione Urbium & oppidorum Westphaliæ* aliqvot Episcoporum Westphalicorum nomine legatum egit ad Concilium Basiliense, ubi sua latinis verbis solenniter expedivit, sunt verba Hamelmanni) *in Chronico suæ diœcesis* scribit, tria præcipua & eminentiora castella, videlicet Herisburg in Saxoniæ Hassonumqve situm confinio: Sigisburg superRuram fluvium positum, & Iburg: qvod ex jucundo situ terrarū egregium fuisse nemo dubitet. Hæc propugnacula Carolus per intervalla sui juris fecit. Ad Eresburgum igitur, ut ad priora revertamur, Carolus M. ex animi sententia egit, qvod voluit, expugnato enim primo impetu firmissimo hoc propugnaculo Eresburgo, sive ut cum aspiratione scribunt Widechindus Corbeiensis *lib.* 2. Sigebertus Gemblacensis *ad* 2 *An.* 772. & 941. aliiqve Heresburgo, destruxit famosum illum idolum Saxonum Irminsul dictum, cui demolitioni totum triduū impensum fuerunt, parte exercitū alia laborem urgente, aliâ contra hostilem vim & impetū in armis stante. Rem totam ita narrat Henric. de Hervordia. 3 *Carulus Rex*, ait, *congregato Wormatiæ exercitu Eresberg castrum, qvod nunt Mersberg dicitur, cepit, & ipsum fanum destruxit, & omne argentum, qvod ibi reperit, abstulit, idolum vix per triduum everit. In cujus destructione, tum in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut propter continuam tàli serenitatem desiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus* 4 *aqvæ ad bibendum inveniri non possent, sed subitò divinitus, ut traditur, in rajusdam torrentis concavo tanta vis aqvæ erupetat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo arbitratus se Saxoniam domuisse, Wyseram fl. accessit, ibiqve acceptis à Saxonibus XII. obsidibus recessit.* Hactenus verba Henrici de Hervordia. Haud verò Henricum Hervordiensem comitari dedignentur tradita Annalium Fuldensium *ad Annum DCCLXXII.* ibi. *Carolus Saxoniam bello aggressus, Eresburgum capit, & idolum Saxonum, qvod votabatur Irminsul destruit.* Conf. Ehinhardum *ad Ann. DCCLXXII.* Sigebertus & ex eo Auctor Magni *Chronici Belgici* referunt, siti laborante exercitu Caroli subito in torrente largissimas aqvas divino nutu effusas esse, sane de destructo adduntqve idolo Irminsul (ut vocant Ditmarus Mersburgensis, Hermannus Contractus aliiqve vel Irmensul ut Albertus Stadensis 5 *in histor. Ecclesiast. lib.* 1. *c.* 6. & Caspar Barthius *lib.* 4. *Adversar. cap.* 7. aut Hermansaul, vel Hermensul, qvomodo hoc idolum appellatur à Sigeberto Gemblacensi) videantur præter Annales Francicos Fuldenses modo laudatos Ditmarus *l.* 2. Aimonius *de gestis Francorum l.* 4. *c.* 69. Lambertus Schafnaburgensis Monachus, Hermannus Contractus, Conradus à Lichtenaw Abbas Urspergensis, omnes *ad Annum* 772. Irminsul pleriqve, qvi proximis seculis vixerunt, interpretantur Mercurii statuam: ut sit ex Irmen/ & Suyle/ id est columna. Alii qvasi idem magis Suyl/ hoc est cujusvis columna, sive universalis, omniaqve sustinens columna: Posterius est in Chronico Conradi à Lichtenaw p. 6 103. Sed Albertus Crantzius *Saxoniæ suæ lib.* 11. *cap.* 9. eò magis inclinat, ut Mars fuerit: eoqve interpretatur, Ioermañs-Seyl/ hoc est Mars communis: non qvasi Seyl/ proprie esset Mars; sed qvia propriè esset asylum, unde κατ' ἀφαιρ-

10 Magno fugam arripiente seqventia posteritati reliqvit Gobelinus Persona in Cosmodromio *Ætat. 6. c. 38. p. m. 188. Carolus qvàdam vice*, inqvit, *à Saxonibus usqve ad flumen Magonum fugatus, dum qvà parte aqva vadum posset habere, plurimum hæsitaret, statim qvædam Cerva apparuit, & flumen coram eo pertransiit, qvam Carolus cum exercitu sequens flumen transiit, & inimicos evasit: Et fertur Carolus dixisse: Melius est dicere: Carolus fugit coram inimicis, qvàm Carolus interfectus est ab inimicis.* Et *ex illo transitu locus ille dictus est vulgariter Franckenvord, idest vadum Francorum.* Hactenus Gobelinus *d. l.* qvam relationem tamen scriptoris, & historici non coætanei in medio relinqvimus, præsertim cum Eginhartus de
11 vitâ Caroli M. *C.* 8. tradat Carolum M. non amplius cum Saxonibus, qvàm bis acie confligisse. Hoc bello, licet per multum temporis spacium traheretur, inqvit, ipse non amplius cum hoste, qvàm bis acie conflixit, semel juxta montem, qvi Osneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato; & iterum apud Asam fluvium, & hoc uno mense, paucis qvoqve interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neqve provocare, neqve venienti resistere, nisi aliqvâ loci
12 munitione defensi, auderent. Hæc Eginhartus *d. l.* Sane utriusqve pugnæ meminere Aimonius *lib. 4. c. 75.* ac Regino *lib. 2.* Anno 783. Locus prior Thietmalli seu Dietmelle oppidum
13 Westvaliæ, hodie etiam non ignotum, qvod olim Teutoburgum dictum, cladeqve Varianâ nobilitatum evidentissimis argumentis demonstrat eruditissimus Philippus Cluverius *lib. 3. Germ. Antiqvo. c.* 19. Posterior prope Asam seu Hasam (si enim observante M. Fridericoi4 Besselio *in annotat. ad d. l.* Eginharti rescribendum erit in Annal. Fuldensibus Pithoei ac Freheri, ubi vulgò legitur Basa) fluvium, ad Meppen oppidum Westvaliæ in Amasin se exonerantem.

Cæterum bello truculentissimo Duce præ-15 primis Witikindo contra Carolum Magnum gesto Anno demum trigesimo tertio finem impositum fuisse restatur Eginhartus, ac licet Adamus Bremensis *lib. 1. c. 7.* ex annis 33. annos 30. referat, attamen alibi *lib. 1. c. 12.* triginta tres annos, disertè memorat, cui suffragantur Poëta Saxonicus *de vit. Caroli M. ad Ann.* 803. *Indict* 10. Marian. Scot. *l. 3. Ann.* 775. Incertus Auctor *vita Ludovici Pii p.* 346. & Helmold. *Chron. Sclav. l. 1. c. 3.* In hoc bello diuturno à Witikindo nostro vario Marte cum Carolo M. pugnatum, eandemqve modo victum, modo victorem, ut anceps esse solet fortuna belli recessisse, vetant nos dubitare rerum Germanicarum scriptores, qvinimo Witikindum cum exercitu suo & selectissimâ Saxonum manu â Sâla ad Rhenum usqve (qvi olim cum16 Danubio limes Romani Imperii ad septentrionem, terminusqve fatalis victoriarum Romanis erat, qvem excedere non magis qvàm Parthicum Persicumve possent, testibus Appiano, Claudiano, aliisqve à me *in commentario meo historico philologico-juridico ad l.* Ἀξιώσις D. *de L. Rhodiâ de jactu c.* 10. *n.* 22. *p.* 173. & 174. adductis) omnia, qvæ Franci possidebant igne ferroqve vastasse: à Turcio usqve ad Confluentiam omnia diripuisse incensis domiciliis & trucidatis hominibus: Francos deniqve in prælio ad17 montem Sunthal commisso, magna clade prostravisse, in subseqventibus pluribus exposituri sumus.

Caput VI.

De Expeditionibus bellicis Witikindi ab Anno Christi 772. usqve ad Annum 777.

SUMMARIA.

1. Eresburgum oppidum à Carolo M. primò omnium expugnatum. 2. Qvæ nam tum temporis in tractu Westphalico præcipua fuerint castella? 3. Demolitioni famosi idoli Saxonum, Irminsul dicti totum triduum impensum. 4. Adducta hâc de re testimonia Henrici de Hervordia Annalium Fuldensium, aliorumqve scriptorum Germanicorum. 5. Variæ appellationes idoli Irmensul. 6. An fuerit statua Mercurii vel Martis? 7. Laudatur conjectura Gerardi Johannis Vossii hâc de re. 8. Locus cladis Varianæ. 8. Qvale fuerit idolum Irmensul?

sul ? 10. Saxonum bella adversus Carolum M. Anno 774. & seqventibus gesta. 11. Adducta eâ de re testimonia Reginonis Prumiensis Abbatis, Annalium Fuldensium, Sigeberti, Magni Chronici Belgici, & Fabricii. 12. Caroli M. ultricia arma é contra arrepta. 13. Expeditiones Caroli M. adversus Saxones ab Anno Christi 775. 14. Caroli M. nova irruptio in Saxoniam. 15. Saxones Duce Witikindo Eresburgum obsidione cingentes prodigio duorum clypeorum sanguineo colore flammantium consternati discedere coacti fuere. 16. Qvo anno idipsum factum, laudataqvè Reginonis hâc de re verba. 17. Saxones baptizati excepto Witikindo. 18. Saxonum promissa circa servandam fidelitatem.

PRæcedentì capite de rebus à Witikindo durante bello illo diuturno contra Carolum Magnum gesto præclarè gestis in genere diximus, restat, ut in specie de expeditionibus Caroli M. contra Saxones, & qvantâ fortitudine Witikindus libertatem patriæ propugnarit pauris pro instituti ratione agamus. 1 Et verò primò omnium constat Carolum M. bellum Saxonicum aggredientem Eresburgum oppidum, in qvo ad bellú feliciter gerendum multum erat momenti, sibi delegisse expugnandum. Erant tum temporis, ut Ertwinus Ertmannus Consul Osnabrugensis (qvi teste solertissimo rerum Westphalicarum indagatore Hermanno Hamelmanno *in delineatione Urbium & oppidorum Westphaliæ* aliqvot Episcoporum Westphalicorum nomine legatum egit ad Concilium Basiliense, ubi sua latinis verbis solenniter expedivit, sunt verba Hamelmanni) *in Chronico suæ diœcesis* scribit, tria præcipua & eminentiora castella, videlicet Herisburg in Saxoniæ Hassionumqve situm confinio: Sigisburg super Ruram fluvium positum, & Iburg: qvod ex jucundo situ terrarú egregium fuisse nemo dubitet. Hæc propugnacula Carolus per intervalla sui juris fecit. Ad Eresburgum igitur, ut ad priora revertamur, Carolus M. ex animi sententia egit, qvod voluit, expugnato enim primo impetu firmissimo hoc propugnaculo Eresburgo, sive ut cum aspiratione scribunt Widechindus Corbeiensis *lib.* 2. Sigebertus Gemblacensis *ad* 2 *An.* 772. & 941. aliiqve Heresburgo, destruxit famosum illum idolum Saxonum Irminsul dictum, cui demolitioni totum triduũ impensum fuerunt, parte exercitu alia laborem urgente, aliâ contra hostilem vim & impetũ in armis stante. Rem totam ita narrat Henric. de Hervordia. 3 *Carulus Rex*, ait, *congregato Wormaciæ exercitu Eresberg castrum, qvod nunc Mersberg dicitur, cepit, & ipsum fanum destruxit, & omne argentum, qvod ibi reperit, abstulit, idolum vix per triduum everit. In cujus destructione, tum in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut propter continuam cœli serenitatem desiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus* 4 *aqvæ ad bibendum inveniri non possent, sed subitò divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aqvæ eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo arbitratus se Saxoniam domuisse, Wyseram fl. accessit, ibiqvè acceptis à Saxonibus XII. obsidibus recessit.* Hactenus verba Henrici de Hervordia. Haud verò Henricum Hervordiensem comitari dedignentur tradita Annalium Fuldensium *ad Annum DCCLXXII.* ibi. *Carolus Saxoniam bello aggressus, Eresburgum capit, & idolam Saxonum, qvod vocabatur Irminsul destruit.* Conf. Ehinhardum *ad Ann. DCCLXXII.* Sigebertus & ex eo Auctor Magni *Chronici Belgici* referunt, siti laborante exercitu Caroli subito in torrente largissimas aqvas divino nutu effusas esse, sane de destructo adduntqve idolo Irminsul (ut vocant Ditmarus Mersburgensis, Hermannus Contractus aliiqve vel Irmensul ut Albertus Stadensis 5 *in histor. Ecclesiast. lib.* 1. *c.* 6. & Caspar Barthius *lib.* 4. *Adversar. cap.* 7. aut Hermansaul, vel Hermensul, qvomodo hoc idolum appellatur à Sigeberto Gemblacensi) videantur præter Annales Francicos Fuldenses modo laudatos Ditmarus *l.* 2. Aimonius *de gestis Francorum l.* 4. *c.* 69. Lambertus Schafnaburgensis Monachus, Hermannus Contractus, Conradus à Lichtenaw Abbas Urspergensis, omnes *ad Annum* 772. Irminsul pleriqve, qvi proximis seculis vixerunt, interpretantur Mercurii statuam: ut sit ex Irmen/ & Suyle/ id est columna. Alii qvasi Irermans Suyl/ hoc est cujusvis columna, sive universalis, omniaqve sustinens columna: Posterius est in Chronico Conradi à Lichtenaw *p.* 6 103. Sed Albertus Crantzius *Saxoniæ suæ lib.* 11. *cap.* 9. eò magis inclinat, ut Mars fuerit: eoqve interpretatur, Iermañs: Seyl/ hoc est Mars communis: non qvasi Seyl/ proprie esset Mars; sed qvia propriè esset asylum, unde κατ' ἀφαιρε-

an Suyl; pro asylo autem esset statua non Mercurius, sed Martis: pro qvâ sententiâ facit, qvod statua illa esset DEI toto corpore armati. Gregorius Fabricius *in Saxonia sua*, cûm antea dixisset, Irmin Suyl Mercurium esse *p.* 93. postea *p.* 426. ambigit, sitne Mars, an Mercu-
7 rius. Interim ne hæc qvidem opinio caret controversia. Gerardo Johanni Vossio *lib.* 2. *de origine Idololatr. c.* 32. arridet Georgii Spalatini conjectura, statuam hanc fuisse constitutam Hermanno, sive ut Romani vocitabant, Arminio, inclyto ac fortissimo Germaniæ heroi, qvem sempiternam apud posteros constat sibi parasse gloriam clade Varianâ, in qva periit Qvintilius Varus magnæ Germaniæ præfectus cum tribus legionibus Romanis, Tacito teste *l. d. marib. Germ.* qvæ sunt 20. millia militum juxta Chytræum, qvibus Vellejus *lib.* 2. tres alas
8 & sex cohortes addit, summam qvinqvaginta millia virorum statuunt recentiores, locum cladis inter Amisiam & Lupinam, haud procul à Teutoburgensi saltu fuisse, eundemqve Germanicum Cæsarem in peregrinatione & expeditione suâ spectasse tradit Tacitus. Amisiam Joann. Freinsheim. capit non pro flumine, sed uti approbat. Joh. Schild. *l.* 1. *de Caucis c.* 10. pro vico & castello. Ph. Cluverius *l.* 3. *ant. Germ. c.* 3. Amisiam & Lupiam amneis vocat, & addit: Qvintilius Varus cum tribus legionibus cæsus ab Arminio Cheruscorum duce, inter oppida Diethmelle & Horn. Porro Idoli Irmensul templum sive basilica (Græci εἰδώλειον vocant, videatur Caspar Barthius *lib.* 4. *Adversar. c.* 7.) fuit in veteri Saxonia, loco prælaudato
9 Eresburg dicto. Hoc simulachrum sive idolum qvale fuerit, describunt Crantius *lib.* 2. *Saxon. c.* 9. Georgius Fabricius *lib.* 6. *Originum Saxon.* adde Martinum Crusium *part.* 1. *Annalium Suevic. l.* 12. & Casp. Barth. *d. l.* 4. *Adversar. c.* 7. qvi tradunt Irminsulam idem esse, qvod statuam Hermis, idest Mercurii, de qvâ Irminsulâ Saxonicâ peculiare scriptum lectu dignum posteritati reliqvit clarissimus Henricus Meibomius. Sane hujus idoli partem aliqvam hodienum videre licet Hildesiis in templo Cathedrali asservatam.

Cæterum ut ad priora revertamur, licet Saxones ad inopinatum infortunium perculsi cum victore datis obsidibus pacem fecerant, tamen cum periclitari libertatem viderent, per absen-
10 tiam Regis Karoli præsidiarios in arce relictos, tamdiu oppugnando fatigarunt, donec se dederent: qvo facto muri à Carolo Magno circumducti à Saxonibus diruti soloqve æqvati fuere, neqve his contenti Saxones Duce Witikindo Francos ipsos oppugnare non dubitarunt, arre-
11 ptis contra Carolum M. ultricibus armis. Factum id Anno Christi 774. duobus annis post subversionem Idoli Irminsul, cujus destructio in Annum Christi 772. qvi est primis belli Saxonici in Comitiis Wormaciensibus decreti, & Carolo M. feliciter auspicatoqve suscepti. Oppugnationem hanc & irruptionem Saxonum Witikindo Duce in Francorum ditiones seqventibus verbis posteritati reliqvit Regino Prumiensis Abbas l. 2. Chron. Anno Domin. incar. 774. *Rex* (Carolus Magnus scilicet) *dum in illis partibus pro hujusmodi negocio moram faceret, Saxones occasione acceptâ, postpositis Sacramentis, in finibus, Francorum impetum fecerunt, & usq; ad castrum, qvod nominatur Buriaburgh venerunt, qvorum adventum incolæ loci persentientes, in jam dictam munitionem se receperunt. Igitur cum præfata gens sæviens cœpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad qvandam basilicam in loco, qvi dicitur Friedislar, qvam sanctæ memoriæ Bonifacius martyr consecravit, atqve per prophetiæ spiritum prædixit qvod nunqvam incendio cremaretur. Cœperunt autem præfati Saxones omni intentione certare adversus eandem basilicam, qvemadmodum eam per qvodlibet ingenium igne cremare potuissent. Et dum hæc agerent, apparuere qvibusdam Christianis, qvi erant in castello, simul qvibusdam paganis, qvi in eodem erant exercitu duo juvenes in albis vestimentis, qvi ipsam basilicam ab igne protegebant, & propterea non potuerunt neqve interius ignem accendere. Interea divinæ majestatis pavore perterriti in fugam conversi sunt, nemine persequente.* Hæc Regino *d. l.* Conf. Annales Fuldenses ad Ann. DC. CLXXIV. ibi. *Saxones in Hessis Francorum terminos populantur. Erat autem ibi in loco, qvi vocatur Fritislar basilica, qvam S. Bonifacius martyr olim dedicans, prophetico spiritu nunqvam igne cremandam esse prædixit. Cui cum pagani toto nisu ignem supponere conarentur, divino pavore perterriti fugæ præsidium sumunt.* Videatur Sigebertus ad hunc Annum, cujus verba repetit Magnum Chron. Belgicum. Non nulli ad Mænum penetrasse Saxones, & Saxenhusam oppidum è regione Francofurti condidisse scribunt. Vid. Fabricium *originum Saxonicarum lib.* 4. & Spangenbergium *Chron. Saxon. cap.* 73. Cæterum Carolus ex Italia redux, cum in Franciam rediisset, auditis novis Saxonum motibus,
12 misit, ut Regino *d. l.* loqvitur qvatuor scaras in Saxoniam, qvæ tres pugnas cum Saxonibus inierunt, & DEO auxiliante victores extiterunt. Qvarta verò scara non habuit pugnam, sed captâ præda magnâ reversi sunt in Franciam. Hactenus Regino laudato loco.

Seqventi Anno Christi 775. renovatum
13 bellum inter Carolum Magnum & Saxones. Carolus M. enim Saxones ulturus, vastatis eorundem pagis, captoqve Sigisburgo, nec non, cæsis Saxonibus, Orientales Saxones, Duce Hassione ad Ocram fluvium supplices, datis obsidibus in gratiam recepit: qvod exemplum Angrivarii una cum Brunone Duce suo Witikindi fratre

14tre secuti sunt. Lubet heic audire Reginonem. *Anno dominicæ incarnationis 775. ait Regino, Rex habuit Synodum in villa, quæ dicitur Duria, & inde Saxoniam pergens* Digiburgh *castrum cepit, Heresburch reædificavit, super Vuisaram fluvium venit in loco, qui dicitur Brunisberg, ubi occurrerunt ei Saxones volentes ripam supradicti fluminis defendere, auxiliante DEO, & Francis decertantibus, fugatis Saxonibus, Franci ambas ripas occupaverunt, & multi Saxones occisi sunt.* Hæc Regino *d. l.* qvi ibidem narrat, Saxones tum Orientales tum Angrivarios postmodum ad Carolum M. venisse, & datis obsidibus juramento præstito fidelitatem promisisse. Eodem anno Saxones cum Francis, qvi, ut Regino loqvitur, super fluvium Uvisara remanserant, prælium commiserunt, ast eventu parum prospero, qvo facto iterum exercitus Caroli Magni in Saxoniam irruens, factâ ingenti strage Saxones ita contrivit, ut datis obsidibus fidelitatem promittere coacti fuerint. Carolus Magnus hisce peractis Italiam ingressus erat ad reprimendos motus Rotgandi Longobardi, qvam occasionem cognitâ absentiâ Imperatoris arripientes Saxones, Duce Witikindo in pristinam libertatem se vindicare vo-
15luere, arreptis armis castrum Eresburgum obsidione cingentes, idqve summis viribus oppugnantes, eodem iterum potiti fuere, qvamvis Regino aliiqve oppugnatum qvidem, sed non expugnatum Eresburgum scribant, qvod prodigio duorum clypeorum sanguineo colore flammantium conterniti Saxones, re infecta abierint, cujus prodigii mentionem etiam faciunt versiculi de Carolo scripti.

Divino clypei super urbem sole rubentes
Absterrent hostes conversa cade furentes.

16Facta hæc Anno Christi 776. Carolus M. eodem anno compositis motibus in Italia obortis, in Saxoniam habito prius Wormatiæ conventu publico tendens, velut ingens tempestas, ut iterum utar verbis Reginonis, *omnia prosternit, munitiones irrumpit, Saxones perterriti ad locum ubi Lippia oritur, venerunt, ibi se suamq; patriam Regi tradiderũt; & spospondерunt se Christianos esse debere. Tunc Rex una cum Francis restauravit Heresburgh castrum, & aliud castrum super Lippiam, ubi venientes Saxones unà cum uxoribus, & parvulis innumerabilis multitudo baptisati sunt in nomine sanctæ Trinitatis. Post hæc obsides, qvantos Rex expetiit, dederunt, reformatis autem castellis custodiisqve dispositis, Carolus in Franciam revertitur.* Hæc Regino *lib.* 2. *Chron. ad Annum Christi* 776. Idem de Eresburgo munito, ac in ripa Lippiæ contra excursiones hostium novo extructo propugnaculo tradunt reliqvi scriptores rerum Germanicarum, nomen tamen posterioris propugnaculi non exprimentes. Henricus tamen de Heryordia supra aliqvoties laudatus, qvem seqvitur Rolevincius Vechtelaer appellatum scribit, & prius Witikindi Regis nostri fuisse, nomen id interpretatur clarissimus Meibomius in Irminsula Saxonum castra pugnæ. Nam Vechten priscis Germanis & hodienum est prælio decertare. Ler verò vel Lar sedes vel castrum significat, voce Leger vel Lager dissyllaba more Germanico in monosyllabam contracta, sic Goßlar castra sive habitationem ad Gosam fluvium, Frißlar, cujus meminere Annales Francici *ad Ann.* 774. castra pacis significant.

Qvæ seqventi Anno 777. Carolus M. devi-17
ctis Saxonibus in Saxonia gessit, exponit sæpe laudatus Regino seqventibus verbis. *Ann. Dom. incarn. 777. Rex Saxoniam ingressus, placitum tenuit in loco, qui dicitur Padresbrunna, ubi omnes Saxones convenerunt, excepto* WIDICHINDO, *qui cum paucis Saxonibus in partibus Nortmanniæ confugit. In eodem etiam loco venerunt Paraceni de partibus Hispaniæ, qvorum hæc sunt nomina, Ibinæ, Iurabi, & filius* Denizesi, *qui Lammie Ioseph nominabatur, & gener ejus, ubi etiam multi Saxonum baptisati sunt, & sacramenta secundum consuetudinem dederunt, ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem, nisi conservarent susceptam Christianitatem, & promissam fidelitatem Regem & filiorum ejus nec non etiam & Francorum.* Hæc Regino *d. l.* Conf. Annales Fuldenses. Saxones post multas18
cædes & varia bella afflicti tandem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur, & conventus in Saxonia habitus, in loco, qvi vocatur Padabrunno. Ibi Saxones baptisati ingenuitatem & omnem proprietatem suam secuudum morem gentis abdicantes, Regi tradiderunt, si à die iliâ & deinceps Christianitatem, & Regis ac filiis ejus fidelitatem abnegassent. Sigebertus idem tradit. *Wintichindus Dux Saxonum,* inqvit *in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, ut ingenuitatem suam & omnia sua perdant, si unqvam à fidelitate Christi & Regis desistant.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Bello Witikindi adversus Carolum M. ab Anno 778. usqve ad Annum 780, gesto.

SUMMARIA.

1. Witikindi & Saxonum omnia cædibus & incendiis devastantium irruptio & adventus ad Duriam castrum. 2. Witikindus prælio commisso devictus. 3. Qvo anno hoc ipsum factum? 4. Laudata hâc de re verba Abbatis Ursspergensis, & Sigeberti. 5. Caroli M. adventus ad Lippiam. 6. Ejusdem prælium cum Saxonibus in loco Bucholtz commissum, præliiqve eventus. 7. Witikindi virtutes insignes.

SUbjugata jam prorsus videbatur Saxonia, ideoqve Carolus Magnus Hispaniam ad reprimendos Saracenos relicta Saxonia Anno seqventi 778. ingressus fuerat, ast qvia nondum devictus magnus Witikindus Dux Saxonum, princeps invicti animi, & propugnator patriæ libertatis incomparabilis, qvi rebus in angustis animosus atqve fortis, tamdiu in partibus Nortmanniæ commorabatur, donec Carolus Magnus Saxoniam relinqveret, non prorsus conclamata videbatur libertas Saxonica. Witikindus igitur arreptis armis, profligatis copiis Caroli M. omnia devastans usqve ad Duriam castrum pro libertate Saxonum defendenda nihil intactum reliqvit. Lubet heic audire Reginonis Abbatis Prumiensis verba. *Interea Saxones*, ait, *svadente WITICHINDO, secundum consvetudinem iterum rebellati sunt, & ad Duriam castrum (qvod Colonia Civitati contiguum est; usqve venerunt, cædibus, rapinis & incendiis omnia devastantes.* Carolus M. cladem suorum, eversionemqve tot ditionum ac pagorum audiens, ad reprimendas Saxones misérat exercitũ, cujus adventu non perterritus magnanimus Princeps Witikindus prælio commisso nullum non movebat lapidem, ut hostis irruptionem in Saxoniam impediret, cum verò ex voto pugnatum non esset, compos voti haud fieri potuit, interim nihilominus, utut qvam versabilis fortuna sit, documentum vel ipse esse poterat, non omittebat suos per decora majorum, perq; Deos gentis suæ obtestari, ut eadem constantia animi, qva præterita tollerassent, & deinceps experiri vellent, qvicqvid fors tulerit, cum liceat expertis belli fortunam, aut reparare qvæ amissa, aut honesta morte defungi. Omnis multitudo & maximè militaris, uti mobili impetu fertur, ita ad reparandas vires bellumqve impigrè renovandum Witikindus cum suis intendit. Carolus Magnus interim qva armis qva conventibꝰ habitis Saxones in ordinem redigere tentabat, ast irrito prorsus conatu, nondum devicto Witikindo Duce Saxonum incomparabili. Facta hæc Anno 778. juxta Lam- 3
bertum Schafnaburgensem Monachum, qvi floruit, circa Annum Christi 1058. in Annal. ad Annum 778. qvo anno Saxones, ut modo diximus, Francorum ditiones Duce Witikindo devastarunt, qva de re seqventia posteritati reliqvit Conradus à Liechtenaw Abbas Ursspergensis *in Chronico ad Annum Christi* 778. Interea Saxones, ait, sumptis armis, Rhenum usqve profecti sint: sed cum omnem transire non pos- 4
sent, qvicqvid à Tuicio civitate usqve ad fluvium Salam, vicorum villarumqve fuit, ferro & igni populati sunt, nullum discrimen sexus aut ætatis ira hostis fecerat, ut liqvidò appareret, eos non prædandi sed ulciscendi se gratia terminos Francorum introiisse. Hæc Abbas Ursspergensis laudato loco. Conf. Annal. Fuldenses & Sigebertum ibi *Saxones svasu Wintichindi Franciam atterunt.* Ex recentioribus Vid. Ro- 5
levinckium *lib. 2. cap. 5.*

Seqventi Anno 779. restauratum truculentissimum bellum inter Carolum Magnum & Saxones. Carolus enim synodo habitâ in Duria hostili animo Saxoniam ingressus usqve ad Lippiam venit, pugnatum deinde magna utriusqve gentis fortitudine & viribus in loco Bucholtz dicto, ita tamen, ut cedere Saxones coacti fuere. Rem totam paucis exposuere ver- 6
bis Regino & Abbas Ursspergensis. Illi *lib. 2. Chronic.* ibi. *Conati sunt Saxones resistere in loco, qvi dicitur Bucholtz, sed nihil prævaluerunt. Aperta autem via Westfalos subjugaverunt, & omnes Saxones, qvi ultra Wisaram commorabantur. Veniens autem Rex in loco qvi dicitur Medosulli, accepit obsides & sacramenta à Saxonibus, qvi ab eodem defecerant, & reversus est in Franciam.* Hic *in Chronico suo p. 133. ad Annum 779.* ibi. *Cui cum Saxones in eo loco, qvi Bucholtz dicitur, resistere tentarent, victi fugatiqve sunt, & Rex Westfalorum*

falorum regionem ingressus, eas omnes ditionem accepit: indeque ad VVisuram veniens castra posuit: ibi Angrarii & Ostfali obsides dederunt, & sacramenta juraverunt. Hæc Abbas Urspergensis laudato loco.

7 Cæterum non obstante ingenti Saxonum consternatione, & servitutis, quæ morte durior est, imagine oculis obversante, supra fidem est Witikindum non modo de patriâ suâ non desperasse, sed inaudito animi vigore ad extremum à patriâ discrimen propulsandum insurrexisse. Equidem justè æstimantibus Witikindum, liquet fortissimum eundem libertatis Saxonicæ propugnatorem fuisse. Erat quippe in eodem incredibilis libertatis defendendæ ardor, laboris & molestiarum patientia propemodũ nimia, fortitudo nõ inter principes modo excellens, sed inter illos quoq;, quorũ hæc sola virtus fuit, mortis, cujus metu cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudisque veræ cupido, jam pietas erga patriam, ejusque amor, jam erga Saxones suos benevolentia: consilium par magnitudini animi, & quantam poterat ætas ejus capere solertia: in adversis animus infractus auctoritasque inter suos, quâ nutantes eorum animos & à libertatis propugnandæ studio non parum remittentes, toties erexit, qua de re testantur scriptores rerum Germanicarum antiquissimi, iique fidelissimi, capite sequenti adducendi; ingentes profecto dotes erant. Ex quibus hunc fructum tulit, ut quod ab obitu demum alii Principes decus sibi audent sperare, id vivus abstulerit; & nihilo secius nunc quoque à gratâ posteritate reportet.

CAPUT VIII.

De Expeditionibus bellicis VVitikindi adversus Carolum Magnum ab Anno 780. usque ad Annum 783.

SUMMARIA.

1. Anno Christi 780. Carolo M. in Saxoniam venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerunt, multique Christianismum receperunt. 2. Eodem anno Carolus M. Eresburgum venit. 3. In illud jussu Caroli concessit Sturmio prius Abbas Fuldensis, Caroli *M.* adventus ad fontes Lippiæ, hodie **Lipspringe.** 4. Rediit Eresburgum Carolus M., quinquennio elapso cum Fastarda conjuge. 5. Hiems *E*resburgi transacta peperisse Saxonibus dicitur jus Westphalicum. 6. Quare fuerit occultum jus Westphalicum? 7. Mentionem crudelissimæ legis Saxonum fecit Wippo Capellanus Conradi II. Imperatoris. 8. Restauratio belli Saxonici contra Carolum M. anno Christi 782. facta. 9. Clades Caroli M. exercitus ad montem Suntal, victoriaque insignis Witikindi. 10. Adducta hâc de re verba Abbatis Urspergensis, Lamberti Schafnaburgensis, & ex recentioribus Joannis de Bussieres. 11. Carolus M. ulturus infamiam cladis quatuor millia quingentos è gente Saxonicâ truncari capitibus jussit.

PAcata jam omnia in Saxoniâ esse videbantur, postquam subsequenti Anno
1 Christi 780. Carolo M. in Saxoniam venienti omnes Orientalium partium Saxones occurrerent, multique de populo baptisati Christianismum reciperent, testibus historicis Germanicis, quos inter Abbas Urspergensis, unde compositis rebus tam Saxonum, quàm Danorum Carolus M. Franciam repetebat, deinde Romam cum conjugo Hildegarda profectus. Regino Prumiensis Abbas eodem *Anno* 780. Carolum Eresburgum venisse memorat, multosque de Nortlindis baptisatos fuisse in loco, qui dicitur Horheym ultra Obaccrum fluvium. Sane

Eresburgum à postremâ occupatione, Saxonibus Occidentalibus in Caroli potestatem paulatim concedentibus, ab omni præterea rebellione & injuria se abstinentibus ampliari, publicisque ædificiis & privatis exornari
3 cœpit. In illud jussu Caroli jam ante aliquot annos concessit Sturmio, aliis Sturmus, Noricâ provinciâ oriundus, primus Abbas Fuldensis, qui Anno 779. obdormivit, observante Christophoro Brovvero *Annal. Fuldens. lib.* 3. *c.* 5. Rediit Eresburgum Carolus M. anno sequenti commoratusque ibidem diebus aliquot, accessit ad fontes Lippiæ, hodie
4 Lipspringe. Rediit postmodum quinquennio elapso Eresburgum Carolus M. cum Frastrada conjuge Rudolfi Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium Wormatiæ ducta, cum primogenito Ludovico, cæterisque filiis & filiatus, per totam hyemem solito asperiorem
5 ibidem commoratus. Hiems ista Eresburgi transacta peperisse Saxonibus dicitur jus Westphalicum, quod alii Vemum sive Vemium vocant; Crancius *Saxon. lib.* 2. *c.* 21. appel-
6 lat occultum, quem sequitur Munsterus *Cosmogr. lib.* 3. *c.* 456. de quo vide Wernerum Rolevincium *part.* 2. *Antiq. Saxon. c.* 6. Henricum de Hervordia, qui sub Carolo IV. vixit, & Æneam Sylvium Cardinalem Senensem, postea Pontificem Pium II. dictum *lib. de Statu Europæ sub Frid. III. Imp. c.* 29. alioquin Judicti hujus vetiti apud scriptores istius seculi altum silentium, nisi quod elapsis seculis duobus cum dimidio legis crudelissimæ Saxonum
7 mentionem fecerit Wippo Capellanus Conradi II. Imp. cognomento Saliqui *in vita ejusdem c.* 6.

Cæterum ut ad Witikindum nostrum redeamus, constat eundem pro libertate Gentis suæ intra tot fortunæ minas arma iterum arri-
8 puisse, & Anno Christi 782. restaurasse bellum contra Carolum M. testantur id ipsum tum Regino cum Abbas Urspergensis. Ille *in Chronico ad d. Ann.* 782. *Saxones*, ait, *iterum fidem violant, arma corripiunt, suadente VVitichindo.* Hic *in Chronico p.* 134. *VVitikindus*, inquit, *in patriam reversus, Saxones rebellare persuasit.* Hoc vero Anno 782. Witikindum exercitum Caroli Magni ingenti prælio deviciisse, Ducibus belli & proceribus aliisque è nobilitate præcipuâ pene omnibus occisis, vetant nos dubitare rerum Germanicarum scriptores antiquissimi iique fi-
9 delissimi. Cladem hanc sequentibus verbis exposuit prælaudatus Abbas Urspergensis *d. l. Nunciatum est Regi* [Carolo M.] *quod Sorabi Sclavi qui campos inter Albiam & Salam jacentes incolunt, in fines Thuringorum & Saxonum sibi confines depræda ndi caussa fuissent ingressi. Contra quos cum tres ministros suos cum Orientalibus Francis direxisset, illi Saxonum audientes motum ad illas diverterunt; sed incaute agentes à Saxonibus circumventi, & pene omnes occisi sunt.* Lambertus Schafnaburgensis Monachus *ad eundem Annum* locum montem Suntdal appellans. Rem totam ex veterum monumentis eleganter exposuit florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Bussieres Societatis JEsu presbyter *in hist. Francia lib.* 4. *p.* 284. *&* 255. cujus verba digna ut heic legantur, *Tenuit pax, unum annum aut alterum*, ait, *donec VVidichindus priorum motuum fax & tuba, ab suo illo Normannico recessu, in quem Francis urgentibus confugiebat, ad suos egressus, disturbata pace mariem inspirat. Ad hunc compescendum Theodericus Comes in Saxoniam mittitur; adsuntque paulò post in supplementum virium Geilo stabuli Comes Vucoradus Comes palatii, Adalgisus cubiculo Regis præfectus, ab ipso Rege cum copiis ad comprimendos Sclavos præmissi. Is viâ per Saxoniam captâ, defectione audità Saxonum, & imminere Theodericum ut dimicaret, Francorum more spe pugnæ allecti, omissâ provinciâ, cui delecti erant, Theoderico cum suis copiis pugna & victoriæ certi se adjungunt. Nec mora, communi suffragio, quærendos hostes, profligandos, panamque scelerum repetendam. Ita ad hostem accedunt. Ad montem Santalium stativa collocant, quà in Austrum obvertitur, cum borealem partem Saxonum castra occuparent; ad montis ortum interfluebat Visurgis. Geilo & socii specii explorandi, Visurgi clam trajecto, quâ erant aviditate pugnandi stetim ubi in conspectum hostium venium, ruunt in prælium. Scilicet inter eos antè convenerat, absente Theodorico pugnam conserendam; rapturo scilicet gloriam, nullâ ipsis parte obtingente præter periculum. Quare præfestinanter nullóque ordine, ac fallendo socio, quam hoste vincendo magis solliciti, acti in pugnam, ut quisque equum insecuderat, pro temeritate excepti sunt. Nam Saxones pro castrorum vallo stantes inacie, cæco rapto impetu & incompositos interficiunt. Proceres quidem omnes aliosque è nobilitate præcipuâ, quibus fuit satius pugnâ occumbere, quam servari fugâ; militum pauci ad Theodoricum effugientibus: ita arrogantia vergit ad casum, & infortunii prodromus confidentia est. At Carolus ulturus infamiam cladis, cum exercitu in Saxoniam penetrans, demissos omnes & noxam excusantes comperit, cujus invidiam in VVidichindum unum rejiciunt; cumque is dedi nequiret, Normannorum rectus profugio, selecti è facinorosis rei supra quatuor millia quingenti, ques ad alterum terrorem victa jam clementiâ, Rex eodem, quo traditi sunt die, ad amnem Alarum truncari capitibus jussit; ne forte venia scelerum pluri-

plurimum materia foret. Hæc Joannes de Bussieres laudato loco. Equidem tantâ alacritate utrinque, quasi singuli dimicarent, pugnatum fuisse, in eodemque vestigio quemque stetisse, donec vincendo locum sibi faceret, & hoste prostrato gradum promoveret, Witikindo non Ducis magis, quàm militis munera exequente, non obscurè infaustissimus eventus & exitiabilis clades Francorum testatur, cum juxta Abbatem Urspergensem pene omnes occisi sint, quem secutus ex recentioribus laudatus Joannes de Bussieres proceres omnes aliosque è nobilitate præcipuâ, paucis militum ad Theodoricum effugientibus, interfectos in eodem prælio â Saxonibus fuisse commemorans, *Annales* Fuldenses paucis hanc cladem exponunt. *Saxones* ajunt, *svadente VVitikindo, iterum rebelles effecti, legatos Regis Adalgisum & Geilonem in Sclavos cum exercitu missos, conserto cum eis prælio in loco, qui dicitur Sunidal, non sine grandi clade suorum occiderunt.* Rolvinkius *lib. 2. cap. 5.* locum prælii vocat *Sonnendal, id est Vallem solis*, quod verò Carolus ulturus infamiam cladis quatuor millia quingentos è gente Saxonicâ truncari capitibus jusserit, id Joann. de Bussieres hausit ex Reginone Abbate Prumiensi, qui ibidem addit Witikindum tum relictum à suis partes Nortmanniæ adiisse, Poëta Anonymus Saxo:

Tradita sunt sanè reliquorum bis duo lustro
Millia, quingentique viri, qui tam grave bellum
Illius (VVitikindi) contra Francos gessere suasu.
Hosque die cunctos Rex decollaverat una
Juxta Alaram fluvium locus idem Ferdi vocatur.

Annales incerti Auctoris ex Bibl. Pithœi. *Quorum mors*, (intelligit legatos & Duces Caroli M. cæsos.) *quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est.* Hæc illi satis clarè. Conf. ex recentioribus Spangenb. *Chron. Sax. c. 75. p. 108.*

CAPUT IX.

De Reliquis Expeditionibus bellicis VVitikindi adversus Carolum Magnum ab Anno Christi 783 usque ad ejusdem conversionem ad Christianismum.

SUMMARIA.

1. Victores victique nunquam solidâ fide coalescunt. 2. Prælium inter Carolum Magnum & Saxones in loco Thietmelle commissum. 3. Thietmelle olim Theutoburgum dictum. 4. Victoria insignis Caroli Magni adversus Saxones in loco Thietmelle. 5. In cujus memoriam sacellum in monte Osnegg. extructum. 6. Mons hic sancti adjutorii appellatus. 7. De Thitmellensi pugna adducta verba ex Chron. Tremon. 8. Alterum prælium Caroli Magni ad Hasam fluvium commissum. 9. Locus Annalium Fuldensium emendatus. 10. Locus Annalium Francorum ex Codice MSto augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ itidem correctus. 11. Laudatur Anonymus vitæ Carolinæ scriptor, qui sub Friderico I. floruit. 12. Emendatus locus Anonymi scriptoris, qui sub Ludovico Pio vixit. 13. Notata imperitia descriptorum antiquissimorum Codicum. 14. Bellum VVitikindi ANNO 784. contra Carolum Magnum gestum, ac de eodem laudata verba Reginonis. 15. Encomium VVitikindi. 16. Conciliatæ contrariæ scriptorum Germanicorum sententiæ circa numerum annorum, quibus

Witikindus bella cum Carolo *Mag.* gessit, occurrens. 17. Translatio Saxonum transalbianorum cur facta à Carolo M? 18. Laudata eâ de re verba Eginharti, Reginonis, adductaque testimonia *Annalium* Fuldensium, Sigeberti, Mariani, Lamberti Schafnaburgensis. 19. Secutus fuit Carolus M. hâc in re exemplum veterum Romanorum præprimis Impp. Tiberii ac Probi. 20. Remotum dubium circa annum translationis Saxonum occurrens. 21. Adductus eâ de re locus illustris Annalium Fuldensium. 22. A Carolo *Magno* bis ejusmodi translatio Saxonum facta fuit, posteriorque ad transalbianos spectavit. 23. Laudata hâc de re testimonia Eginharti, Reginonis Lamberti Schafnaburgensis, & Sigeberti Gemblacensis. 24. A quibus non dissentire Hermannum Contractum observatur.

SAxones etsi jam tot præliis tot cladibus fracti identidem tamen Francorum jugum excussere, quemadmodum victores victique nunquam solidâ fide coalescunt, teste Tacito *lib.* 2. *hist.* Anno enim subsequenti. 783. cum iterum Witikindus bellum contra Carolum Magnum moveret, Saxonesque arma arriperent, geminâ expeditione Carolus Mag. geminavit & stragem duobus præliis, quibus Eginharto teste, ipse interfuit, tanto numero hostium cæso, ut nemo Saxonum reliquo tempore in acie præsente Carolo M. stare ausus fuerit; tantum terroris fortitudo visa intulerat. Equidem Ano 783. in loco Thietmelle ob antiquitatem maximè claro, utpote cui nomen Teutoburgium olim fuit. Vid. Tacit. *lib.* 1. *Annal.* Conf. Cluver. *lib.* 3. *Germ. antiq. c.* 15. celebrem triumphum Carolus M. egit; bellum illud non Ducum operâ, ut pleraque alia, sed auspiciis & ductu suo gerens, aciem componendo, versandoque inter medios pugnantium conflictus, inde mox ingentem illam victoriam innumerabili hostium multitudine interfecta reportavit, qua de re Eginhartus *in vit. Caroli Magni.* Annales Francici incerti sed vetusti scriptoris apud Pithœum, Poëta Anonym. *ad Ann.* 783. Adelmus Benedictinus *in Annal. Reg. Franc. Ann.* 783. Annales Francorum *apud Canisium.* Et quia in Thietmellensi pugna singularem Carolus Magnus DEI opem expertus fuerat, in ejus memoriam sacellum in monte Osnegg. condidit, & utique à divino auxilio nomen indidit Pideritius *in Chron. Lippiens.* Crantzius *lib.* 2. *Saxon. c.* 4. Sanè in eo monte à memoria Caroli M. erectam capellam esse, divini auxilii nominatam, referentem posteris, quod propter cœleste præsidium in eo missum, memoria ibidem magni miraculi consecrata sit, plurimorum sententia est. Montem sancti Adjutorii appellant alii, Saxones nostri Sant-Hülffe/ quod nomen diutissimè mansit, senum sermonibus, teste Reineccio *in not. ad Poët. Anonym.* hactenus conservatum. De hâc Thietmellensi pugnâ sequentia extant *in Chron. Tremon.* apud Stangevol. *lib.* 2. *Annal. Carolus* Rex inquit, *in monte ab antiquo Asneggi dicto, milliare à Lemgaun civitate distante, Saxones usquequo rebelles iterato aggressus, illos ad internecionem occidit, & transfugas dissipat: quâ in pugna, manifestum ei divinum adfuit auxilium, ea propter religione tactus ne ingratus erga Deum reperiretur, montem hunc divino cultui consecravit, montem sancti adjutorii eum baptizando, atq; ecclesiam ibidem fundando, ubi posteri multis seculis piâ, & ab antiquo usitata devotione, illuc peregrinantes divinum auxilium non raro senserunt.*

Alterum prælium, cui Carolus, Eginharto teste, interfuit, commissum fuit ad Asam fluvium, seu Hasam, uti pro Basa rescribendũ esse *in Annal. Fuldensibus Pithoei ac Freheri* rectè monuit clarissimus Besselius *ad c.* 8. *Eginharti de vita Caroli M.* De utraque pugna Regino Abbas Prumiensis sequentia posteritati reliquit. *Anno Dominicæ incarnationis 783. Rex iterum Saxoniam ingressus est, eo quod Saxones rursum rebellassent, & cum paucis, Francis ad Thietmalli venit, ibi Saxones paraverunt pugnam in campo viriliter. Tunc Rex cum Francis super eos irruit & magnam stragem ex eis fecit, ita ut perpauci fuga elaberentur. Post peractam victoriam venit Rex ad Paderbrunna, ubi coadunato exercitu, denuo super Saxones irruit, qui se sociaverunt super fluvium, cujus vocabulum est Asa. Ibi iterum pugna inita non minor numerus Saxonum cecidit, quàm in superiori prælio ceciderat. Tunc Rex Wisaram transiit, & ad Albiam usque pervenit, posthac in Franciam revertitur.* Hæc Regino *d. l.*

Equidem licet præter modo laudata prælia quib9 ipse glorioſissimus Imperator Carolus Magnus interfuit, Annales Francorum incerti sed vetusti scriptoris Germanici à Petro Pithœo primùm in lucem editi mentionem injiciant prælii in loco, ubi Lippia oritur, commissi ad Annum DCCLXXXII. ibi.

Caro-

Carolus habuit CONFLICTUM in loco, ubi Lippia oritur cum omnibus Primatibus Saxonum, excepto VVitichindo rebelle & eis, qui cum eo erant. Ubi ad eum venerunt missi GODEFRIDI, attamen rectius, observante eminentissimæ eruditionis Viro Petro Lambecio *in præclaro opere Commentariorum de Augustissimâ Bibliothecâ Cesareâ Vindobonensi lib. 2. cap. 5. pag. m.* 347. in Codice MSto d. augustissimæ Bibliothecæ legitur, Carolus habuit CONVENTUM, &c. & pro Godefridi Sigifridi ibidem. De cætero non dubitamus plurima ad illustrationem rerum à Carolo M. adversus Saxones præclarè gestarum vitæque Witikindi extare in Codicibus manuscriptis, in Bibliotheca Cæsareâ asservatis, præsertim in libello Annonymi cujusdam, qui sub Imp. Friderico I. cognomine Ænobarbo sive Barbarossâ circa Annum MCLXV. de vitâ Caroli M. conscriptus, & hactenus nondum in lucem editus fuit, in quo libro tertio duorum scutorum sanguineorum in expugnatione Eresburgi visorum, de quibus capite præcedenti 6. n. 15. diximus, aliarumque rerum memorabilium mentionem factam esse constat. In Anonymi cujusdam libro gesta Imperatoris Caroli Magni continente, quem Petrus Pithæus inter antiquos Rerum Franciarum scriptores, tanquam à Cœnobii Egolismensis S. Eparchii anonymo quodam Monacho, qui sub Ludovico Pio vixit, conscriptum, primus in lucem edidit, habetur, tum temporis in expugnatione Eresburgi gladium supra Ecclesiam visum fuisse. *Quadam autem die*, inquit, *cum bellum prapararent (pagani) adversum Francos, qui ipsum castrum (Eresburg) custodiebant, apparuit manifestè GLADIVS supra Ecclesiam, quæ est infra ipsum castrum, videntibus cunctis tàm à foris, quam de intus. Ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium & agitantium supra ipsam Ecclesiam. Cum hoc signum vidissent pagani, qui à foris erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti, fugere cæperunt ad castra.* Quem locum ideo potissimum adduxi, ut cuilibet constare possit de imperitiâ descriptorum antiquissimorum ejusmodi Codicum, locum enim hunc mendosum esse, & ex Codice MSto Cæsareæ Bibliothecæ, emendandum ac pro apparuit manifestè GLADIUS, legendum esse apparuit manifestè GLORIA DEI, rectè monuit Lambecius *d. lib. 2. cap. 5. p. m.* 343. Scilicet cum in antiquo illo Codice abbreviatè scriptum esset, glã dĩ; imperitus descriptor duas hasce voces abbreviatas perperam mutavit in unam vocem gladius, Gloria autem DEI observante Lambecio hic eâdem ratione quâ passim in sacro Codice, miraculosa majestatis divinæ apparitione per signum aliquod extraordinarium; cujusmodi fuere scuta illa duo rubei colo-

ris, quæ tanquam divinæ protectionis indicium super Ecclesiam à paganis oppugnatam apparuerunt, accipienda. Accedit quod ita quoque legatur apud prælaudatum Anonymum Autorem, qui sub Friderico I. de Sanctitate Caroli Magni libros tres hactenus ineditos composuit.

Porro Anno sequenti 784. iterum Duce Witikindo Saxonibus rebellantibus, & cum eis aliquâ parte Frisonum, jam nova belli truculentissimi materia oblata. Carolus M. igitur diviso exercitu victis Westphalis populationibus vastis & continuis, ne dato quidem per sævitiam hiemis otio, à Visurgi 14
ad Albim gentem Saxonicam attrivit penitus, adegitque miseriis sapere. Hanc ultimam expeditionem præreliquis satis accuratè descripsit iterum Regino. *Anno Dominicæ incarnationis 784. ait, Carolus ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellasset, & cum eis aliqua pars Frisonum, & pervenit usque ad Huculin, circumeundo & vastando omnia. Erat autem nimia inundatio aquarum. Ipse igitur per Thuringiam ab Orientali parte intravit super Hostfalos. Perrexit Carolus dimisit cum validâ manu contra VVestphalos. Itaque Rex Thuringiam ingressus, pervenit usque ad fluvium Albia, & inde ad Tagniofurt, deinde ad Scanmirge, ex quo loco reversus est in Franciam. VVestphali verò congregaverunt se juxta Lippiam, quibus occurrit filius Regis in pago, qui dicitur Dragim, & inierunt pugnam, quibus viriliter superatis reversus est VVormatiam ad genitorem suum.* Hæc 15
Regino d. l.

Saxones jam tot cladibus fracti ac calamitosissimi tum quidem cœperunt detestari bellum, apprecari pacem quibusvis conditionibus, execrari rebellionis auctores, præcipue verò in Witikindum Principem & libertatis patriæ propugnatorum incomparabilem, in quem ut meritorum facilis oblivio, mala omnia tum quæ patraverant, tum quæ passi erant, ut in causam atque artificem conferebant. Carolus Magnus interea, admiratus fortitudinem, animumque in rebus adversis infractum, cæterasque virtutes Witikindi, nullum non movit lapidem, ut quem armis subjugare non poterat, humanitate & beneficiis sibi devinctum redderet, & ipse Witikindus noster sive tædio belli truculentissimi, sive quod se desertum à suis videret, emolliri inceperat; Carolus Magnus igitur generosum heroem arcessere, impunitate promissâ datisque obsidibus non dubitavit. Witikindus igitur ex transalbianâ regione adducente Amalvvino aulicorum uno, testantibus historicis rerum Germanicarum, ad Carolum Magnum venit, ut ut Albertus Crantzius aliique paulò aliter, quâ de re infra pluribus idicturi. Cæterum Witi-

kindus non modo humaniter in gratiam à Carolo Magno receptus fuit, sed & baptismo inauguratur, quo ipso plus tamdiu generosè repugnando, quàm amisit, consecutus est. Æternum constantiæ famam, immortale decus, in patriam dulcissimam meritum incomparabile, & denique per conversionem ad Christianismum vitam cœlestem, ut de restitutione ditionum præsertim ad pagum Angariæ spectantium à Carolo M. Imp. postmodum facta nunc nihil dixerim.

16 Cæterum dubium heic occurrit non exiguum circa numerum annorum, quibus Witikindus bella cum Carolo M. gessit, si enim Anno post Christum natum 772. inchoatum est bellum Saxonicum, ut Annales Francici, item Auctor *Vitæ Caroli M. a Reineccio editus*, aliique supralaudati testantur: Witikindus autem baptismum accepit Anno 785. ut iidem scribunt, traditque Gobelinus *in Cosmodromio*, quomodo constabit, quod est apud Witichindum Monachum Corbejensem, cum Carolo Magno triginta fermè annis Witikindum nostrum bella gessisse? Rectius Eginhartus in præclaro scripto de Vit. Caroli M. jam olim Sigeberto *in Chronicis ad Ann.* 714 & Adamo Bremensi *l.* 2. *c.* 9. laudato & ab Alberto Stadensi & Conrado Urspergensi fere exscripto, ut & Helmoldus Burovensis *lib.* 1. *c.* 3. adductus clarissimo Meibomio in Appendice ad Gobelini Cosmodromium, qui triginta tribus annis cum universis Saxonibus pugnatum scribunt.

Cæterum Witikindo ad Christianismum converso Saxoniam quidem aliquot annos pax tenuit, attamen quasi Saxones fidei & observantiæ pœniteret, rebellio instaurata, & à Carolo M. Imp. direptiones atque incendia instaurata similiter, morbo veteri remedium vetus arcessente. Nec tamen debellare penitusq; pervicaciam Saxonum infringere multis gravissimisq; implicatus bellis potuit; donec tandem anno post cœptum bellum tricesimo tertio, conficeret industriâ, quod vis & arma nequiverant. Cum enim Saxones citra Albim habitantes rebellandi animum deposuissent, transalbiani verò atrociore ferocia in impietate & libertate perstantes, tam fallendæ fidei quàm dandæ faciles, ad minimam rebellionis auram moverentur. Carolus M. Imp. metu percitos ubi evocavit, & solita facilitate ad jurandam fidelitatem adegit, persuasit
17 iisdem, ut terras incultas & opportunas furori hostium mutarent melioribus & tutioribus, & confestim selectas eorum familias, qui auctoritate pollerent cum liberis atque conjugibus, quà donis quà metu abduxit à laribus procul que à patria Francis immistas, in novas terras novosque mores induxit, sublata mali opportunitate, postmodum Abodritas proximam gentem sibique fidissimam, in
18 abeuntium locum substituit, coloniarum more, Factum id An. Christi 804. juxta Reginonem *in Chronico lib.* 2. ibi. *Anno dom. incarnationis* 804. *Imperator Aquis hiemavit, æstate vero in Saxoniam cum exercitu perrexit, omnesque qui trans Albiam in Vuimodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos trans-Albianos Abodritis dedit.* Hæc Regino *d. l.* quæ totidem ferè verbis extant apud Adelmum & Auctorem *Annal. Fuldenſium ad* Ann. 804. Idem cum his Lambertus Schafnaburgensis, & Sigebertus *ad Ann.* 803. Ante Reginonem idem paulò tamen aliter tradit Eginhartus *in vita Caroli M. c.* 7. ibi. *donec omnibus qui resistere solebant, profligatis & in suam potestatem dactires, decem h. minum millia ex iis qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & liberis transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam omnimoda divisione distribuit.* Eginhartum sequitur Marianus *lib* 3. *ann.* 775. Cæterum septimo circiter anno post facta in patriam est exulibus redeundi licentia. Signatè Privilegium à Ludovico Pio Ecclesiæ Hamburgensi concessum, quod Syntagmati Rerum Germanicarum Septentrionalium inseruit Erpoldus Lindenbrogius, quodque inde repetit Petrus Lambecius *Orig. Hamburg. lib.* 1. *pag.* 10. ibi. *laxata captivitate, quam ad multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam, per septennium passi sunt, &c* Secutus nimirum hâc in re Carolus M. fuit exemplum veterum Romanorum. Tiberius namque ex iis locis, ubi Drusus adversus Sicambros castellum Alsonem posuerat Sicambros traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Svet. *in Aug. c.* 13. Quantus autem eorum, quos
19 in Gallias Tiberius trajecit, numerus fuerit? Eutropius, quem sequitur Lipsius *l.* 1. *de magnit Rom* & clarissimus Cluverius memoriæ prodidit *lib.* 7. Tiberius quadringenta millia captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Eodem usus consilio Probus Imp. teste Vopisco, accepit sedecim millia tyronum (è Germanis nostris) quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris vel limitaneis militibus quinquagenos vel sexagenos interseret, dicens: sentiendum esse, non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus juvatur. De Vandalis & Burgundionibus à Probo devictis, & in Britanniam deportatis Zosimus *lib.* 1. Conf. Reverendissimi & Celsissimi Principis Dn. Ferdinandi Episcopi Paderbornensis & Coadjutoris Monasterienſis *Monumenta Paderbornensia pag.* 210. Colophonis loco denique removendũ heic occurrit dubium circa annũ translationis Saxonum occurrens, aliis ab Eginhardo dissentientibus, & translationẽ Saxonum in
20 Annum DCCCIV. collocantibus, ad conciliationem hujusce rei spectare videtur illustris locus Annalium Fuldensium: ibi. *Saxones in Sinisfeld* (Regino *ad Annum XCIV* vocat Finisfeldt, Eginhartus verò Sinotfeldt) congregati à Carolo subacti sunt, & tertius ex eis homo
21 translatus. Quibus verbis Annales designare voluerunt: Carolum toties iteratarum defectionum novum quæsiviſſe remediũ, nempe Saxones ex Saxonia alio transferendo & passim per Germaniam Galliamq; dispergendo. Conf. Adamum Bremensem *Hist. Eccl. lib.* 1 ibi.

Tan-

Tandem Saxones ita profligati leguntur, ut ex his, qui incolunt utrasque ripas Albis fluminis X. millia hominum cum parvulis in Franciam translati sint. Sane Carolum Regem bis hoc consilio usum fuisse rectè observat Vir clarissimus Caspar Sagittarius *in Histor. Antiquissimæ Urbis Bardevvici cap.* 3. §. 59. De
22 priori loquitur Eginhartus & Adamus supra laudatis locis; quò etiam sequentia Mariani Scoti referenda sunt, quamvis annum, is designet septimum & septuagesimum: ibi. *Saxonum Carolus decem millia hominum captivorum cum uxoribus & parvulis per Galliam ac Germaniam dispersit.* Posteriorem translationem Saxonum verò ad Transalbianos spectasse factamque anno DCCCIV. constat. Quò pertinent ista annalium Eginharti: *Imperator Aquisgrani hyemavit: æstate autem in Saxoniam dutto exercitu, omnes, qui trans*
23 *Albiam & in VVimodi habitabant Saxones cum mulieribus transtulit in Franciam; & pagos Transalbianos Abodritis dedit.* Eginhartum pro more exscripsit Regino Prumiensis Abbas. Eodem modo Annales Fuldenses: ibi: *Carolus Saxones Transalbianos cum mulieribus & natis transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abodritis dedit.* Lambertus Schafnaburgensis *ad Annum* DCCCII. *Saxones Transalbiani translati sunt in Franciam.* Sigebertus Gemblacensis *ad Annum* DCCCIII. ibi: *Carolus Imperator omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit, pagosque eorum Abotridis dedit*, & quamvis Her-24 mannus Contractus simpliciter Saxones translatos tradat verbis sequentibus: *Carolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam transfert*, attamen non alios, quam Transalbianos eundem intelligere, neque à reliquis, qui omnes Saxonum tantum Transalbianorum mentionem injiciunt, dissentire existimamus.

CAPUT X.

De NÆVIS Vitiisque VVitikindo à scriptoribus Germanicis objectis.

SUMMARIA.

1. Laudatum divini Platonis dictum. 2. Quomodo perstringenda vitia Magnatum? 3. De perfidiâ Saxonum adducta verba *E*ginharti. 4. Examinatur vitium rebellionis & perfidiæ Witikindo à scriptoribus Germanicis objectum. 5. Laudata eâ de re testimonia Reginonis, Abbatis Urspergensis, Aventini, Naucleri, aliorumque. 6. Francorum perfidia scriptoribus observata. 7. Invidia assidua eminentis fortunæ comes. 8. Vindicatus Witikindus ab objecto perfidiæ & rebellionis crimine. 9. *E*ncomium Saxonum. 10. Ob fidelitatem Saxonum Impp. ab usque Augusto Cæsare corporum suorum custodiam iisdem præ aliis commiserunt. 11. Laudata eâ de re verba Aventini. 12. Clementis VIII. Pontif. Max. encomium Germanis tributum. 13. An illud cum Hortledero tantum ad Suevos restringendum? 14. Suevis peculiari privilegio datum, ut ipsi primâ acie confligerent. 15. Nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.

1 WItikindi res præclarè gestas virtutesque enarrantes, præterire omnino nævos ejusdem vitiaque à scriptoribus rerum Germanicarum objecta nec possumus, nec debemus. Neque enim hæc in Principibus dissimulanda Viris sunt, & sanè notissimum est divini Platonis effatum, αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι τὰς κακίας. Quâ ratione verò id ipsum in universum fieri debeat eleganter docuit Plutarchus *in Cimon. & Lucull. Nam ut pictores*, inquit, *qui decoras & eximie venustas pingunt imagines: si quid insit ils levis vitii, nolunt, neque ut præterant id prorsus, neque ut undique ea exprimant: quippe*

quippe hoc defermem, illud discrepantem reddet effigiem. Ita quando arduum est, vel fieri non potest potius, ut hominis ostendatur ullius vita; quæ omni vacet macula & pura sit: veritas sicut simulacrum in honestis complenda est. Illas verò, quæ ex metu animi aliquo, vel ex Reip. temporibus intercurrunt actionibus, offensas & vitia, quia claudicationes potius virtutis alicujus, quàm improbitatis ea fraudes existimamus, non debemus nimium diligenter & ad amussim in scribendo explicare. Hæc optimè Plutarchus. Verum lustrabimus ea, quæ Witikindo objecta fuere. In iis verò potissimum se offert rebellionis & perfidiæ crimen.

2 Neque enim Eginhartus tantummodo Saxones in universũ omnes, ut perfidos descripsit *in vitâ Caroli Magni. c. 7.* sequentibus verbis.

3 *Susceptum est, igitur, contra eos bellum, quod magnâ utrinque animositate, tamen majore Saxonum quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citiùs finiri, si Saxonum perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati ac supplices Regi se dederint, imperata facturos polliciti sint, obsides, qui imperabantur absque dilatione dederint, legatos, qui mittebantur susceperint. Aliquoties ita domiti & emolliti, ut & cultum dæmonum dimittere, & Christiana religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere præcipites.* Hæc Eginhartus *d. l.*

4 Sed & Witikindum rebellionis & perfidiæ commissæ reum facere non pauci dubitarunt, scilicet cum neque quoad natales & majores serenissimos, neque quoad fortitudinem insignem, incomparabile propugnandæ libertatis patriæ studium & ardorem, res bello præclarè gestas aliasque virtutes quicquam reprehensione dignum iidem afferre possent, perfidiam vocarunt, quam rectius magnanimitatem servitutis impatientem dixissent. Equidem Annales Fuldenses Witikindum tyrannum appellant, Regino Abbas Prumiensis verò *in Chronico* passim Witikindum autorem rebellionis Saxonum fecit, quem sequuntur recentiores rerum Germanicarum scriptores, quos inter florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Bussieres Societatis Jesu presbyter *in histor. Franc. lib. 4.* ante eundem Abbas Urspergensis *in Chronico p. m.* 134. quinimo primum belli concitorem facit Aventibus *lib. 4. pag.* 239. Idemque posteritati reliquit Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis *in Chronic. p. m.* 725. *Witikind queque*, inquit, *qui inter eos & claritate generis & opum magnitudine eminebat author perfidiæ & rebellionis, ad fidem Caroli sponte veniens baptizatus est.* Verùm enim verò,

6 ut non dixerim, perfidiam, quam Saxonibus Eginhartus loco laudato, Witikindo verò præducti aliique impingere conantur, eàdem Francos in universum notasse Salvianum Massilienſem Presbyterum *lib. 4.* ibi. *Si pejoret Francus, quid novi faceret, qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse non criminis:* & ante eundem Claud. *de laudibus Stilic. lib. 1. v.* 237.

Provincia missos
Expellet citius, fallax quàm Francia Reges.

Nemo scriptorum hactenus Witikindum perfidiæ alicujus commissæ convincere potuit. Habuit sane maximus Germanicæ libertatis propugnator causas non leves, ut patriam dulcissimam adversus Francorum arma defenderet; in recentissimâ enim memoriâ etiamnum erat, quanto molimine quibusve infestis armis à Caroli M. Avo & Parente libertas Saxonum impuguata, quanta isto in bello edita strages fuerit, quantum sanguinis humani effusum.

Et quæ animus meminisse horret, luctuque refugit.

Accedebat virtus bellicosæ gentis infracta, ac jugi Francici impatiens, nec non quod Carolum M. circa tot populos & imperia distractum, aliisque bellis gerendis deditum videret, quin quod errore communi illustrium nationum quiescere, partem ignaviæ, suas alienasque fortunas ipe metuque versare, virtutis opus existimaret, quod si inter alias causas Witikindi odium Christianæ religionis superstitionibus paganis adversæ retuleris, nihil equidem à vero alienum dixeris. Quæ cum ita sint objectum rebellionis crimen ex invidiâ, quæ & crimina in eum, cui invidet, sive nulla sint, sive modica, fingere & invenire solet plurima, natum putarim. *Legimus* inquit Ammianus *in veteres quoque magnificos Duces vitia criminaque, etiamsi invenire non poterant, finxisse malignitatem, spectatissimis eorum actibus offensam.* Sane omne id, *quod communem sortem excellit, invidiæ emulationique aliorum est obnoxium*, inquit Dion. *lib. 38. Hæc assidua eminentis fortunæ est comes, altissimisque adhæret*, ait Vellejus *lib. 1.* ut merito exclames cum Papinio *Thebaid. lib. 5.*

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam invidiamque Deus? quis justit iniquas
Æternum bellare Deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinùs, & sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares, inconcussiq; penates.
Nil mœstum. Quid enim, quamvis infida levisque,
Cæsare tam dextro potuit Fortuna timeri? 7

Inve-

Invenere viam liventia fata, piumque
Intravit vis sæva larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio; rapidæ sic obvia puppi
Invidet & velis adnubilat aura secundis.

Sane ista antiqua fides, inconcussa illa in ser-
8 vando fœdere constantia, & post suscepta sacra Christiana usque ad beatum obitum erga Carolum Magnum & religionem Christianam religiosè servata fidelitas, amor, & benevolentia, à crimine perfidiæ Witikindum satis absolvunt, neque illa in favorem Caroli Magni à scriptoribus objecta perfidiæ crimina vel Saxones in universum omnes multo minus Witikindum reos faciunt, cum juxta Tacitum antiquissimum patriæ
9 nostræ scriptorem, ante Germanos nobilior gens nulla sit, *in libell. de morib. German.* hinc ob varias & complurimas virtutes, maximè verò fidelitatem, plerique Imperatorum Romanorum, ab usque Augusto Cæsare, corporum suorum custodiam Germanis, præ omnibus populis aliis commiserunt;
10 quod hodieque ab omnibus ferè Europæ Regibns fieri videmus. Vid. Cluver. *de Germania lib.* 1. *cap.* 19. Eleganter Annalium scriptor Aventinus *Annal. Bojarie lib.* 11.
11 *in præfat. p.* 39. *Quod tamen mirêre*, inquit, *Roma gentium Domina, haut aliis, quàm Germanis hostibus suis, Imperatorum suorum salutem ac vitam credere ausa est.* Constat enim consensu Scriptorum, Germanorum cohortes à Cæsaribus ad custodias corporis institutas, multis experimentis fidelissimas fuisse. Hinc Clemens VIII. P. Max. vocat Ger-12 manos die streitbahre Nation, die des heiligen Reichs Grundfest / der Christenheit Stärcke und Zierde sey / *in Brevi ad Circulis Suevici membra* apud Hortlederum *lib.* 1. *de caus. bell. Germ. cap.* 14. *p.* 74. quod licet in marginalibus ibidem Hortlederus exau- 13 diat de Suevis dictum, quibus peculiari privilegio datum, ut ipsi prima acie confligerent, testibus Lamberto Schaffnaburgensi *in Anno MLXXV.* & Alberto Argentinensi *in* 14 *Chronico.* Conf. Casp. Barthium *in Animadvers. ad Claudian. Panegyr. in III. Consulat. Honorii Augusti p. m.* 490. ubi scribit Suevos eò militaris gloriæ perveniisse, ut in conflictibus sociarum gentium ipsis primus cederetur congressus, attamen ratione commoda verba Pontificis Maximi generalitatem non respuere alibi monuimus.

Cæterum demus Witikindum quando- 15 que humani aliquid passum fuisse, commune sane hoc habuit, cum omnibus, quos solo-lim vidit, videtque, aut visurus est. Nemo extitit cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur, inquit Plinius *Panegyrico Trajani.* Et fieri non potest; ut omnes virtutes in humana sint natura, nec ullus unquam è mortali ac caduco semine, vir absolutè bonus nascetur, ut de M. Coriliano loquitur Dionys. Halicarnass. *lib. IIX.* Erunt vitia donec homines, sed neque continua, & meliorum interventu pensantur. dicebat Petilius Cerealis apud Tacitum. *Hist. l. IV. c.* 74.

CAPUT XI.

DE VVITIKINDI CONJVGIO, LIBERIS, NECNON FAMILIIS ILLVSTRIBVS ORBIS CHRISTIANI, PRÆSERTIM S. R. IMPERII, EX FAMILIA VVITIKINDEA DESCENDENTIBVS.

SVMMARIA.

1. Witikindus uxores duas habuit. 2. Joh. Isaaci Pontani error notatus. 3. Rejecta sententia Theodorici Niemii asserentis Witikindum non habuisse legitimam sobolem, sed unicum tantum filium spurium. 4. Adducta ad refutationem erroneæ sententiæ Niemii testimonia Witichindi Monachi Corbejensis, Gobelini, Dithmari Merseburgensis Episcopi & Crantzii. 5. Witikindus ob amplissimas & potentissimas ab eo conditas familias Hercules Germanicus, dictus. 6. Witikindus duos habuit filios alterum Wigbertum Ducem Saxoniæ, alterum Witikindum II. conditorem Comitum Wethi-

Wethini. 7. De familiis illustrissimis ex Familiâ Witikindi obortis adducti versus Albini Nevemontii. 8. *E*xhibetur Schema potiores familias illustres ex Witikindo ejusque posteris descendentes comprehendens. 9. Ad illustrationem genealogiæ Witikindeæ laudatus locus lectu dignus Abbatis Ursspergensis. 10. Necnon Joannis Naucleri Præpositi Tubingensis. 11. Adducti versus de Wigberto filio Witikindi. 12. Qui in monasterio Wigbertshusano cum uzore Sindacilla sepultus. 13. *E*x Wigberti stemmate Duces & *E*lectores Saxoniæ originem derivant. 14. Idem Wigbertus Comitum Oldenburgicorum propagator. 15. Pater Mathildis augustæ Henrici Aucupis Cæsaris conjugis Theodoricus Comes de Ringelheim & Aldenborg. 16. Ex familiâ Witikindea Comitum Ringelheimensium origo derivata. 17. Comitatus Oldenburgicus unde nomen acceperit? 18. Comites Oldenburgenses in variis antiquis monumentis Archi-Comites Oldenburgici dicti ex familia Witikindi originem ducunt. 19. Dubium, cur hi ipsi Comites dignitate & titulo Comitum abstinuerint Comitum ordine contenti? 20. A VVitikindo II. filio VVitikindi M. derivanda origo Comitum VVethini Marchionum Misniæ, Lusatiæ, aliorumque. 21. Exhibetur tertium stemma stirpis VVitikindeæ Regum scilicet Galliæ Capetorum. 22. Recensentur aliæ illustres familiæ ex stirpe VVitikindea descendentes.

Vidimus hactenus ea, quæ Witekindus publicè præstitit, videbimus porro interiorem & familiarem ejus vitam, ut cum Suetonio loquar *in oct.* 1. *c.* 70. quibusque moribus domi & inter suos egerit? quæve itidem illustres familiæ ex stirpe Witikindeâ obortæ? Et ut
1 de conjugio Witikindi primò omnium dicamus, uxores Witikindus duas habuit, quarum altera observante post veteres ex recentioribus Elia Reusnero *in Oper. Genealog. in Stirp. VVitikindea pag. m.* 261, fuit filia Gotrici Daniæ Regis, quem exreri Gothofridum
2 aut Sigfridum appellarunt, Joh. Isaacus Pontanus *Hist. Dan. lib.* 4. malè duos ex uno redegit; notante errorem Stephano Johannis Stephanio *in Notis ad Saxonis Grammatici lib.* 8. Ex quâ priore conjuge tulit Wigbertum Ducem Saxoniæ, stemmatis propagatorem, & Hasalam uxorem Bernonis, dynastæ Cassilienfis, altera Suatana seu Suaterna filia Zechii Izitzeschorum in Bohemia Principis filia fuit, quæ dedit Witikindum II. conditorem Comitum Wethini. Quæ cum ita sint explodendus Theodoricus Niemius qui *lib. de privilegiis & juribus Imperii*, nullo auctore, imò contra omnes, non erubuit affirmare, Witikindum
3 nostrum non habuisse legitimam sobolem, sed unicum tantum filium spurium, qui cùm per leges patri in hereditate perampla succedere non posset, Saxoniam à Carolo M. victore in Comitatus, Baronias, & dominia divisam, atque ex Galliâ, Franconiâ, superiori Germaniâ, aliisque Orbis terrarum partibus evocatos, proceres, Dynastias istas possidendas accepisse. Quam narrationem prorsus fabulosam esse, fidelissimi & antiquissimi historici Germanici testantur, quod ut uno ac altero testimonio scriptorum Germanicorum adducto probatum demus, primò omnium in medium producimus Witichindum Monachum Corbejensem Familiæ Benedictinæ, antiquissimum historiæ Saxoniæ scriptorem, qui *lib.* 1. Annalium expressè tradit Theodoricum patrem Mathildis 4
Augustæ Henrici Aucupis conjugis de stirpe Witichindi Magni descendisse. *Erat*, inquit Witichindus *d. lib.* 1. *Annal. pag. m.* 20. *ipsa Domina regina filia Thiaderici, cujus fratres erant VVitichind, Immet, Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis VVidekindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta fermè annos.* Hæc Witichindus *laudato loco.* Post Witichindum adduci meretur Gobelinus Persona Decanus Bilfeldensis & Officialis Paderbornensis *in Cosmodromio*, qui eadem non tam repetit verba, quàm illustrat *Ætatis* 6. *cap.* 47. ubi Theodoricum Comitem Aldenburgensem vocat, verba ejusdem Gobelini *pag. m.* 200. extantia digna equidem sunt, ut heic legantur. *Henricus Rex habuit uxorem, quæ Mechtildis dicta fuit, & ipsa erat filia Thiderici Comitis de Aldenburg, qui Thidericus habuit tres filios VVitikind,*

tikind, *Immed, & Reinbern: & erat de stirpe VVitekindi Ducis Saxoniæ & VVestphaliæ, quem Karolus M. fecerat Christianum.* Albertus Crantzius Theodoricum hunc Comitem Ringelheimensem vocat *Saxon. lib.* 3. *c.* 25. Sane de Mathilda Augusta eadem cùm Witichindo scribit Dithmarus Mersburgensis Episcopus *lib.* 1. Atqui hæc de conjugio Witikindi dicta sufficiant, consequens est, ut summo digito & quali per indicem de illustribus familiis serenissimorum ac potentissimorum Regum Orbis Christiani, necnon
5 Electorum, Ducum, & Comitum S. R. Imperii ex inclytâ stirpe Witikindeâ descendentium agamus. Et verò Witikindum nostrum ob ampliſſimas & potentissimas ab eo conditas familias non immeritò HERCULEM GERMANICUM (namà Græco Hercule, in cujus claritatem illustri Annalium conditore Tacito aliisque testantibus, quicquid ubique magnificum fuit, olim relatum, potissimas & nobilissimas Græcæ gentis familias oriundas fuisse constat) cum clarissimo
6 Reinero Reineccio dixerim. Equidem supra observatum, Witikindum nostrum duos habuisse filios, alterum Wigbertum Ducem Saxoniæ stemmatis propagatorem ex Gevâ filiâ Siffridi sive Gotrici Regis Daniæ priori conjuge procreatum, alterum Witikindum II. conditorem Comitum Wethini, ex posteriore uxore Suatana sive Suaterna, filiâ Zechii Itzitzeschorum in Bohemiâ Principis. Sane ex Wigberto originem derivare constat Duces & Electores Saxoniæ, & ex his quinque potentissimos Imperatores Germanicos, Henricum scilicet ab aucupii studo Aucupem cognominatum, Otthonem I. magnum Ducem Saxoniæ ob rerum gestarum amplitudinem Magnum dictum, Otthonem II. itemque III. Impp. necnon Henricum II. Imp. sanctum à vitæ integritate & pietate, claudum verò à luxato & fracto crure cognominatum. Vide Chytræum *Chron. Saxon. lib.* 2. *p.* 48. Lazium *de migrat. gent. lib.* 9. *p.* 526. ut de Blondello, Spangenbergio aliisque nihil dixerim. Conf. Petrum Albinum Nevemontium, qui *in Aulæo Regum & Ducum Saxoniæ* plerasque ex stirpe Witikindeâ descendentes illustres familias sequentibus exhibuit versiculis dignis equidem, ut heic legantur, ibi.

Eloquar an taceam VVitikindi stemmata primi?
Forte tacere potius fuerit, quàm dicere paucis.
Henrici illustres: & clarum nomen Otbonum 7
Hinc venit: hinc antiqua tui Brunsuiga Dynastæ
Sumsere egregium genus à Brunone secundo:
Hinc venit Immedi Soboles in gente Sabanda:
Et pace egregia & bello: Altramique nepotes
Ferrati montis domini: proceresque potentes
Danica Marca tui, Regiberti Regia proles.

Porro uti Witekindum M. latam reliquisse sobolem constat, ita potissimum sex illustria stemmata ex ejusdem familiâ oborta esse, veterum monumenta excutientibus obscurum esse non poterit. Sane cum hâc de re post prælaudatum Petrum Albinum Nivemontium ac Georgium Fabricium Chemnicensem absolutâ cum laude satisque prolixè egerit Vir eruditissimus Elias Reusnerus in præclaro opere Genealogico *à pag. m.* 269. *usque ad pag.* 288. inclusivè, ad eosdem quidem lectores remittimus, exhibentes interim nihilominus, ne intactum & hoc argumentum relinquamus, potiores familias illustres ex Witikindo ejusque posteris descen- 8
dentes sequenti schemate comprehensas.

Ex VVitichindo M. Rege ultimo sive Duce Saxoniæ & VVestphaliæ igitur utpote radice, ejusque filiis descendunt stirpes sex.

I.

SAxonica per Brunonem Wigberti filium Witikindi Magni Nepotem, à quâ prælaudati quinque Imperatores oborti. Vid. Chytræ. Reusnerum, aliosque. Hujus stirpis Ramus duplex, scilicet.

1. Ducum Bavariæ & Marchionum Saxoniæ. Vid. Gobelin. in Cosmodromio Ætat. 6. c. 38. p. m. 189.
2. Ducum Sueviæ & Carinthiæ. Vid. Reisner. in oper. Genealog. d. l.

II.

VVEthinensis Marchionum scilicet Misniæ per Witikindum II. Witikindi M. filium, unde originem trahiunt.

1. Marchiones Misniæ.
2. Brandenburgi Veteres
3. Lusatiæ
4. Palatini Saxoniæ
5. Comites Wethini
6. Comites Rochlici
   Comites Brenæ

Vid. Petr. Alb. apud Reusnerum.

Et illustris ramus Rutæ Saxonicæ serenissimorum Electorum & Ducum Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium, Landgraviorum Thuringiæ, Comitum de Marca & Ravensberg, Dynastarum in Ravenstein &c. Vid. Reusn. d. l. in specie illustrissimam Saxoniæ Ducum familiam à Witikindo exactè deducentem Wolffgangum Crausen in edito cum præfatione Philippi Melanchtonis Anno 1555. libello, cui titulus Stamm und Ankunfft dero Hochlöblichen Häuser zu Sachsen/ ejusque continuatorem Johannem Francken Magdeburgensem, nec non qui hunc excepit Laurentium Perckensteinium.

III.

CApetina Regum Galliæ: Per Witikindum III. Secundi filium, Witikindi Magni Nepotem: cujus Rami comprehendunt prosapiam.

1. Ducum Borbonii veterum. 2. Ducum Burgundiæ tum veterum cum recentiorum. 3. Ducum Monpenseriorum. 4. Ducum Andegavensium & Lotharingiæ. 5. Ducum Nivernensium. 6. Regum Neapolis & Siciliæ: à quibus tum Reges aliquot Ungariæ & Poloniæ, cum Principes Turentini & Durrachii orti. 7. Comitum & Ducum Vendemiorum, ad quos hodie Galliæ & Navarræ Regna pervenerunt. 8. Comitum Claremontiorum. 9. Comitum Montfortiorum. 10. Comitum Veromanduorum. 11. Comitum Antissiodorensium. 12. Comitum Druidensium. 13. Principum Britanniæ. 14. Comitum Arteſiæ, 15. Comitum Eboracensium. 16. Comitum Alenconii.

IV.

RIngelheimia per Walbertum Wigberti Filium, Witikindi Magni Nepotem. Vid. Crantz lib. 3. Saxon. c. 11. Conf. Reiner. Reineccium in elegantissimo libello de Saxon. Origin. inde Comites Oldenburgenses & Delmenhorstii, cujus ramus floridissimus Regum Daniæ & Norvegiæ, Ducum Holsatiæ, &c. quos Ducum titulo ab Imperatore Friderico III. amicitiæ & meritorum Christiani I. Daniæ Regis ergò ornatus fuisse constat. Vid. Hœping. de jur. insign. c. 6. part. 5. §. 12.

V.

ALlobrogica: per Amadeum Witikindi IV. fratrem, Witikindi Magni Abnepotem Ducum & Principum Sabaudiæ, &c.

VI.

MOntisferatensis per Witikindum IV. Theodorici Comitis Ringelheimii filium, Walberti Nepotem, Wigberti pronepotem, & Witikindi Magni Abnepotem.

Inde Marchiones Montisferati, à quibus descendunt Marchiones Salutzzii, Finarii, &c.

Cæterum

CÆterum ut ea, quæ de familiis regiis illustribusque ex familiâ Witikindeâ descendentibus diximus, testimoniis vetustiorum rerum Germanicarum scriptorum firmemus, vel maximè ad illustrationem prædictorum spectare putamus tradita Conradi à Lichtenavv Abbatis Urspergensis, digna proinde ut 9 ejusdem verba huc spectantia subjiciantur. *Hujus Witikindi filius Wigbertus*, inquit, Urspergensis, *in Chronico pag. m.* 149. *Christianæ religionis cultor devotus filium procreavit, quem Walberum vocavit, qui & ipse abinfantiâ religiosus, cum factus esset Vir, Romam causâ orationis & reliquiarum acquirendarum petendi, corpusque Sancti Alexandri integrum accipiens à Papâ tunc temporis Leone, in Saxoniam detulit, & in loco, qui dicitur* Unigalzingobusen *locavit. Ex ejusdem Saxoniæ gentis stirpe vir nobilis & permagnificus est egressus nomine Luitoldus, qui & ipse religionis gratiâ Romam profectus beati Papæ Innocentii reliquias inde abduxit. Hic habuit duos filios, Brunonem & Ottonem: quorum Major Bruno, cum totius Saxoniæ ducatum administrasset, exercitum contra Danos duxit, ibique occisus, Ducatum Ottoni fratri reliquit. His erat soror nomine Luitgart, quam Ludovicus Rex filius Arnolfi Imperatoris uxorem duxit, sed non diu postea vixit. Quo sine filiis mortuo, omnis Francorum Saxonumque populus voluit Ottoni Duci diadema imponere regni. Quod cum ille quasi jam senio gravior recusaret, ejus consultu* Cbunradus *Francorum Dux ungitur in Regem, summa tamen imperii semper ubique fuit penes Ottonem, Natus est eidem Ottoni filius nomine Heinricus, qui primus liberâ potestate regnavit.* Hæc præclarè & eleganter Abbas Urspergensis de Wigberti Witikindi nostri filii familia, liberis, eorumque dignitate *laudato loco.* Nec minus digna, ut heic de familiis illustribus ex Witikindo M. ejusque liberis descendentibus legantur verba diligentissimi Germanicarum rerum scriptoris Joannis Nauclerи Præpositi Tubingensis *in Chronico vel.* 10 2 *Chronographiæ generat. 31. p. m. 725.* Witikind *quoque*, inquit, *qui inter eos & claritate generis & opum altitudine eminebat, author perfidiæ & rebellionis, ad fidem Caroli sponte veniens baptizatus & à Rege de fonte susceptus est. Hujus* Witikind *filius Wigbertus, devotus Christianus filium procreavit Walberum, qui Romam devotionis caussa venit, corpusque sancti Alexandri filii sanctæ Felicitatis à papa tum Leone impetravit, ac in loco, qui dicitur* Magalthusen/ *locavit. Ex ejusdem Saxoniæ gentis stirpe vir permagnificus egressus est Luitboldus, qui & ipse religionis gratia Romam proficiscens, beati Innocentii reliquias inde abduxit. Hic habuit duos filios Brunonem & Ottonem, quorum major Bruno, cum totius Saxoniæ ducatum administrasset, in Danos duxit, ibique occisus, fratri Ottoni ducatum reliquit. His erat soror nomine* Luitgart/ *quam Ludovicus Rex filius Arnulphi Imperatoris, uxorem duxit, sed non diu vixit, qui Ludovicus cum sine filiis moreretur, factum est, ut omnis Francorum & Saxonum populus Ottoni vellet diadema imponere regni, quod ille recusavit, & Conrado, de quo supra dictum est, Duci Francorum id jussit deferri. Otho verò generavit Henricum primum de sorore Ludovici, ut aliqui scribunt tertium. Hic Henricus duxit Mechtildam filiam Theodorici sororem Witikind Saxonis, sunt qui filiam fuisse Comitis Franci putent. Genuit Henrico Mechtilda ante regni susceptionem filiam Gerburgam, quam Gisilberto Duci Lotharingiæ dederat, quo mortuo ipsa Ludovicum filium Caroli Regis Galliæ conjugem uacta est. Habuit Henricus ex Mechtilde Ottbonem Magnum, mundi delitias, post regiam verò dignitatem genuit secundum, quem suo nomine vocavit Henricum, tertium quoque filium genuit Brunonem, qui factus est, Episcopus Colonienſis. Duxit autem Otho filius adhuc vivente patre, uxorem Editham filiam Regis Anglorum, hæc peperit ei filium, quem vocavit Luitolphum, quem ille nimium dilexit, sed ipse postea patri rebellavit, genuit ei quoque Reginafiliam, vocant hanc Luitgardam, quæ postea nupsit Cunrado Duci. Deinde mortuâ Reginâ Editha, eo anno, quo Ludovicus Rex Galliæ ab Hugone est captus, Otho in Italiam ducens, Berengarium vicit circa Annum* 951. *Adelheidam relictam Lotharii quondam, liberat, ac uxorem ducit, quæ sibi Othonem filium, generavit. Et res Saxonum his ferè incrementis, post quam Christianam disciplinam accepit natio, summam Germanicæ gloriæ tenuere.* Hactenus Nauclerus *d. l.* cujus verba vel maximè ad illustrationem hujus rei spectare quis non videt?

Equidem ex præmissis primò omni- 11
um de Wigberto filio Witikindi Magni, de quo sequentes leguntur versiculi.

Saxonicæ Gentes postquam simulacra Deorum
Vana reliquissent, sacro baptismate tinctæ,

Progenuit Widekind Wigbertum, sed
Wigeberto
Nascitur egregiâ Walbere virtute politus;
Hos trinos pietas decoravit casta Dynastas.

12 quemve in Monasterio Wigbertshusano cum uxore Sindacilla, Chytræus. *Saxon. lib. 3. p. 80. & lib. 12. p. 315.* nec non Walberto filio sepultum esse, nemini non notissimum, nec non familiis illustribus ex eodem descendentibus constare poterit. Ex sane ex ejusdem stemmate Duces & Electores Saxoniæ originem derivare, vel ex Gobelino *in Cosmodromio Ætat. 6. c. 38. p. m.* 189. 13 constare poterit. Idem Wigbertus Witikindi M. Filius ejusdemque Nepos Walbertus Comitum Oldenburgicorum propagatores. Al- 14 bert. Crantz. *lib. 2. Metrop. cap.* 30. quinimo patrem Mathildis augustæ Heinrici Aucupis Cæsaris conjugis Theodoricum, quem Comitem de Ringelheim appellat 15 Crantzius, Comitem de Aldenborg nominat Ertvvinus, cui adstipulatur pervetustum MSC. Chronicon Winckelmanno laudatum, in quo Mathildis Greven Diederickes Dochter von Oldenborgh vocatur Chytræus *lib. 3. Saxon. in fin.* Comitum Aldenburgensium stirpem nobilissimam & vetustissimam vocat, quam ex Witikindi familiâ ortam uno quasi ore tradunt tum veteres cum recentiores scriptores, quos inter Hieron. Henninges, qui hanc Genealogiæ suæ partem *Luneburgi Anno* 1586. edidit, Elias Reusnerus, cujus *opus Genealogicum Jenæ Anno* 1592. publici juris factum, necnon Reinerus Reineccius, à quibus non dissentire constat Hermannum Hamelmannum *in Chronico Oldenburgensi* demum post mortem ipsius anno 1559. edito. Sane ex Domo Oldenburgicâ deinde tum potentissimi Daniæ Reges tum illustrissimi Holsatiæ Principes, prodierunt. Porro ex 16 inclytâ familiâ VVitikindea Comitum Ringelheimensium (quomodo eos appellat Crantzius *lib. 3. Saxon. c.* 11. quamvis VVitichindus & Albertus Stadensis tantum prosapiam illorum à VVitikindo Magno, sine Comitum titulo indicarint) originem rectè derivat historicus eximius Reinerus Reineccius in elegantissimo libello de Saxon. origin. Primus Comes Ringelheimius fuit VValpertus VVigberti prælaudati filius VVitikindi Magni verò nepos, Dux Saxoniæ, Angriæ, VVestphaliæ, & Nordalbingiæ: qui Cœnobium VVildeshusium à patre inchoatum absolvit: & Romam profectus *A. C.* 846, reliquias S. Alexandri, teste Abbate Urspergensi *in Chronico*, cujus verba supra adduximus, à Leone Pontifice acceptas, in illud transtulit, sepultus ibidem in VVildeshusensi Cœnobio juxta patrem A. C. 856. Uxor ejusdem fuit Altburga sive Adelburga filia unica Comitis de Lesmona: in cujus memoriam de nomine ejus Aldenburgum infra VVilshusiam & Bremam extruxit: unde Comitatus Alteburgensis sive Olden- 17 burgicus nomen accepit, cujus Comes postmodum factus Theodoricus I. Comes Ringelheimensis & Alteburgius, cujus uxor Reinhildis Comitissa Mersburgensis & Alteburgensis, quem secuti Theodoricus II. qui circa Annum Christi 910. floruit. Otho Comes Alteburgius Dynasta Ammerlandiæ & Broicmariæ: qui vixit in castris Othonum primi & secundi Impp. Joannes 18 Comes Alteburgius, qui Henrico II. Imperatori contra Saracenos & Græcos in Italia A. C. 1007. & decennio post contra Polones militavit, ut nunc de Hunone cognomento Glorioso, ejusque rebus gestis, necnon subsequentibus Comitibus Oldenburgicis laudatis Genealogicis scriptoribus nihil dixerim. Sane Comites Oldenburgenses quos in variis antiquis monumentis & Manuscriptis vetustioribus Comitatus Oldenburgici Archi-Comites dictos fuisse, observat VVinckelmannus ex antiqua VVitikindi M. prosapia ortos esse, tam certum est, quàm quod certissimum. Et quamvis negari non possit posteriores scriptores in quibusdam circumstantiis variare, attamen in summa Genealogiæ à VVitikindo Duce deductæ conveniunt cum Crantzio, *lib. 2. Metrop.* 30. *& lib. 3. c.* 25. quem probant Henninges, Albinus, Hamelmannus, ipseque Reineccius *in Appendice Geneal. ad Albertum Abbatem Stadensem pag.* 4. *& segq.*

Dubium hoc loco occurrit, cur hi ipsi 19 Comites ex stirpe Ducali VVitikindea prognati, cum illorum agnati VVestvaliæ Duces vocarentur, ejusmodi titulo & dignitate abstinuerint. Comitumque ordine contenti fuerint? Remittimus lectorem ad prælaudatum Reinerum Reineccium *de Saxon. Origin.* Sane olim Principes eâdem familia editi titulis iisdem non utebantur, documenta insignia de Ducibus Alemanniæ, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Vogburgensibus subministrant Onomasticon Pyrn. *ad Annum Christi* 1228. & Lazius *lib. 7. de migrat. gent.* quinimo idem illud de Otthonis Magni imperio explicans: Tempore illo, inquit, tantum filius natu MAXIMUS DUCIS NOMEN RETINUIT, RELIQUI COMITES APPELLATI SUNT. Vid. ea, quæ diximus *in tract. nostro Politico-Juridico-Historico de jure Præcedentiæ Magnatum in Europa l. 4. c. 20. in fin.*

Cæterum quod alterum VVitikindi nostri ex posteriore conjugio natum filium VVitikindum II. (qui quoad titulum ac possessiones paternas, veteri more cessit fratri natu majori, Saxoniæ Orientalis parte quadam con- 20 tentus; nempe tractu illo ad VVethinum inter Salam & Albim fluvios, à quo Comitis quoque nomen usurpavit, ac uxorem habuit Julianam sive Niladam Theodorici Comitis Rochlicensis ad Muldam filiam) attinet, constat ab eodem originem suam derivare Comites VVethini, & ab his ortos Marchiones Missiæ, Landsbergæ, & Lusatiæ

satiæ, qui post varias fortunæ vices primò Comitatum Provincialem Thuringiæ acquisiverunt: exinde etiam avitum Ducum Saxoniæ titulum, unà cum septemviratu ad legitimos heredes revocarunt. Sane stemmatis hujus stirpis Witikindeæ Duces & Comites, eorumque res præclarè gestas cum pluribus exhibuerint clarissimi Viri Petrus Albinus Nivemontius, Georgius Fabricius Chemnicensis, ac Elias Reuinerus *in supra laudato opere Genealogico à pag. 269. usque ad pag. 288. inclusive*, ad eos lectores, necnon in specie segregatis aliis stirpibus Witikindæis illustrissimam Saxoniæ Ducum familiam ex Witikindi M. prosapiâ deducentem supra laudatum Wolfgangum Crausen ejusdemque Continuatorem Johannem Francken Magdeburgensem remittimus.

Porro cum in præcedentibus dictum sit tertium stemma stirpis VVitikindeæ esse Regum Galliæ Capetorum, observari meretur, originem eorundem à Witikindo III. Witikindi II. filio, Witikindi M. verò nepote deducendam esse. Hic enim quum domo suâ extorris in Galliam Lugdunensem militiæ exercendæ gratiâ profectus esset; auspiciis Caroli Calvi Imp. in Normannos movit feliciter, à quo deinceps in præmium navatæ operæ præfectus sive Comes Andium constitutus fuit, quem secuti deinceps Rupertus 1. & 2. ejusdem nominis, necnon Hugo Magnus ab Arnulpho Imp. Forchemii Regni Arelatensis, constitutus Gubernator, quem excepit Hugo Capetus Regum Galliæ nostra ætate progenitor Anno Christi 988. fato functus. Hunc secuti, Robertus Pius, Henricus I. Philippus I. Ludovicus VI. Ludovicus VII. Philippus IV. Ludovicus X. Reges Galliæ. Ex qua Regum Galliæ Capetorum familia deinceps prodierunt veteres Duces Burgundiæ, Comites & Duces Britanniæ, Comites Artesiæ, Comites Andium, Duces Lotharingiæ, Duces Borbonii, Comites Eboracenses, Comites Montfortii & Bigorenses alique.

Neque prætereundi ex stirpe Witikindeâ descendentes Marchiones Montisferrati, & Principes Allobrogum, Sabaudiæ, Reuss-22
nero aliisque scriptoribus Genealogicis laudati, præprimis verò ex prætalta Witikindi familiâ fenerissimos Duces Brunsuicenses & Luneburgenses originem suam derivare tam notum esse putamus omnibus quàm quod notissimum, quâ de re nunc colophonis loco elegantissimos versus Viri nobilissimi & paternarum & Avi virtutum ex asse heredis Domini Henrici Meibomii Philologi & Medici celeberrimi, necnon Professoris Medicinæ in illustri Juliâ, Adfinis & amici mei fraterni necnon quondam studiorum in eâdem Juliâ commilitonis in Panegyrico de Brunsvicensi obsidione subjicere placuit. ibi.

Quid verò Guelphos, fatalia nomina dicam?
Et VVitichindeâ natos de stirpe nepotes?
Francia (quis nescit?) ter denos arma per annos
Invictâ belli potuit virtute morari.
Regibus ortus avis VVitichindus conditor idem
Augustæ stirpis. Non illum terruit hostis
Celtarum effusus campis, quà limes ad Austrum
Pyrene Saxosa caput conjungit olympo,
Quaque recurrentes perfundit gurgite lætus
Armoricum Nereus & quâ te munit Alphe
Objectu Latium. Spatii tam grandis alumnos
Libertatis amans patriæ fideique tot annos
Sustinuit Saxo & victor dare terga coëgit
Multoties, damnumque datum majore rependit.

CAPUT XII.

In quo variæ variorum scriptorum Germanicorum sententiæ eæque discrepantes, de loco baptismi VVitikindi adducuntur, ac rejiciuntur.

SUMMARIA.

1. Witikindus quos Deastros Saxonicos habuerit? 2. Irmensula Saxonum quale idolum, ac quomodo à Carolo M. destructum? 3. Arminii Ducis Westphalorum laus. 4. Ostera Dea Saxonum. 5. An ab eâdem mensis Aprilis **Ostermonat** dictus sit? 6. Adducta eâ de

de re verba Bedæ. 7. Radegaſtum quale idolum fuerit? 8. Unde dictum? 9. Celebris ſtatua Jodutte qualis fuerit. 10. De Diis Saxonum remiſſivè. 11. Baptiſmi elogia ex Patribus. 12. Witikindus an in civitate Wormatienſi? 13. An verò Paderbornenſi baptizatus fuerit? 14. Paderbornenſis civitas illuſtris baptiſmo Saxonum, & adventu Pontificis Leonis. 15. Recenſentur ſcriptores aſſerentes Witikindum Mindæ baptizatum fuiſſe. 16. Adducuntur rationes pro hâc ſententiâ militantes. 17. Quibus non obſtantibus rejicitur. 18. Rejicitur itidem ſententia Fabricii. 19. An Witikindus Bardevvici baptiſmi lavacro ablutus? 20. An Mittelbachii id factum. 21. An in baptiſmo VVitikindi mutata ejusdem inſignia fuerint? 22. An Civitas Oſnabrugenſis locus baptiſmi fuerit, ac quid de templo Beelheim in quo baptizatum VVitikindum plurimi voluerunt, ſtatuendum? 23. Adducta hâc de re verba Hermanni Hamelmanni Theologi eximii.

HActenus de magni Witikindi Ducis Saxonum fortiſſimi familiâ illuſtri, dignitate, rebus in bello contra Carolum M. præclarè geſtis, necnon conjugio, familiisque illuſtribus ex ſtemmate Witikindeo deſcendentibus diximus, conſequens eſt, ut de alterâ VVitikindi eâque ſpirituali nativitate ac converſione ad Chriſtianiſmum in ſubſequentibus agamus. Equidem VVitikindum jamante more gentis Saxonicæ in colendis idolis ſuperſtitioſiſſimum fuiſſe extra omne dubium eſt. Quinam verò Dii à VVitikindo aliisque Saxonibus præcipuè culti ſint, non adeò in vulgus notum eſt. Veroſimile verò eſt VVitikindum communes cum cæteris
2 Germanis adoraſſe Deaſtros, Thoronem, Vodanum, & Friggam ſeu Fream Vodani uxorem, ut eſt apud Paulum Diaconum *Hiſt. Longobard. lib.* 1. *c.* 8. nominibus tantum aliquantiſper immutatis, Thoronem namque in Krodonem convertentes, coluerunt ſub figura ſenis in piſce ſtantis, qui rotam teneret & urnam. Friggam autem ſub imagine nudæ feminæ ardentem faculam in pectore: In dextrâ mundi figuram, in ſiniſtra mala aurea tria præferentis: quæ duo idola à Carolo M. ſubverſa ſcribit Cran-
3 tzius *Saxon. lib.* 11. *c.* 12. Sane Vodan tanquam rei bellicæ præpoſitus Herman dictus eſt à Saxonibus, cui ſummum cultum exhi-
4 buere usque ad Caroli M. tempora, qui ſtatuam ejus Irmenſulam vulgò dictam Anno 772. demolitus eſt teſtibus *Annalibus Francorum Fuldenſibus ad Annum DCCLXXII.* cui demolitioni à Carolo M. totum triduum impenſum, juxta Henricum de Hervordiâ. Vid. Caſp. Barth. *lib.* 4. *Adverſar. c.* 7. ſtatua hæc in memoriam Arminii ſeu Hermanni celeberrimi illius Cheruſcorum Ducis, cujus fa-
5 to & vi Varus cecidit, ut loquitur Tacitus *lib.* 1. *Ann.* quive ne vivus in Saxonum poteſtatem veniret, ſibi ipſi manus intulit, teſte Dione *lib.* 56. Cenſ. Zonar. *Annal. tom.* 2. erecta, repræſentans effigiem viri armis terribilis obſervantibus Georgio Fabricio *Originum Saxon. lib.* 6. & Crantzio *lib.* 2. *Saxon. c.* 9. qui memorat conſervatum ſimulachrum & poſt viſum in monaſterio Corbejenſi, cum tali inſcriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor me venerantibus.* Ad claſſem idolorum Saxonicorum referenda quoque Dea Oſtera, à quâ menſem *Aprilem* Carolo M. Germanisque adeo omnibus Ooſter-Monat dictum, & ipſum feſtum Paſchatos Ooſtern appellatum fuiſſe auctor eſt venerabilis Beda. Juvat ipſa venerabilis Bedæ verba è libro *de Temporum ratione cap.* 13. deprompta heic ſubjicere. *Aprilis Eoſtur-monath, inquit, nunc Paſchalis menſis interpretatur, quondam à Dea illorum, quæ Eoſtre vocabatur, & cui in illo feſta celebrant, nomen habuit; à cujus nomine nunc Paſchale tempus cognominatur, conſueto antiquæ obſervationis vocabulo gaudia novæ ſolennitatis vocantes.*

Non prætereundum quoque heic ido- 6
lum Radegaſtum, quod & Obotritorum juxta Helmoldum *Chronici Slavorum lib.* 1. *cap.* 52. & Pomeranorum teſte Adamo Bremenſi 7
lib. 11. *Hiſtor. Eccleſ Cap. XI.* idolum fuiſſe conſtat, cujus ſimulacrum ex antiquo Chronico Saxonico exhibet clariſſimus Henricus Bangertus *in Commentar. ad Helmoldi lib.* 1. *cap. LII.* nomen idolo à Radegaſto, quem Latini Radagaiſium, Græci Ῥαδογαϊσον appellant, Rege quondam Obotritorum bellicoſiſſimo, de cujus geſtis Oroſius *lib. VII.* Jornandes *de rebus Geticis*, Paulus Dia- 8
conus *lib. XIII.* Ut de celebri ſtatuâ, corruptè Jodutte dicta, in memoriam victoriæ, quam Saxones ſub Lothario Saxoniæ Duce obtinuerunt, & occiſorum, Zedut ſive Tiodut clamantium collocatâ, deinde pro Deâ Saxonum adjutrice habitâ, de quâ Crantzius *lib. V. c.* 36. *Sax.* item *Metrop. lib.* 7. *c.* 7. Lindebr. *in Chron. Caroli M. pag.* 79. & El. Sched. *Syntagm.* 3. *de Dis Germ. cap.* 6. *p.* 485.

nunc

nunc nihil dixerim. Equidem de cæteris Saxonum Diis, lectu jucunda extant, apud Philippum Cluverium *lib.* 1. *G. A. c.* 27. laudatum Eliam Schedium *de Diis Germanis* H. Grotium *in Proleg. in Procopii Gothica* & Olaum VVormium *lib.* 1. *Monument. Dan. cap.* 4.

Cæterum ut ad VVitikindum nostrum sacro ablutum baptismi lavacro (per quod medium anima reformata detracto corruptionis pristinæ aulæo totam lucem suam conspicit. Tertull. *de anim. c.* 41. per quod
11 cœli nobis aperiuntur, & DEUS nos ad supernam vocat patriam. Chrysost. *in Matth. Homil.* 15. unde Augustinus januam Ecclesiæ, portam gratiæ, Optutus Milevitanus verò vitam virtutum, criminum mortem, nativitatem immortalem, & peccatorum naufragium appellat,) redeamus, de loco baptismi VVitikindi discrepantes extan scri-
12 ptorum Germanicorum sententiæ, aliis id VVormatiæ factum asserentibus, aliis locum baptismi ad civitatem Paderbornensem referentibus, & verò posteriori in loco sæpius Carolum re pariter & nomine magnum commoratum fuisse, ac de rebus gravissimis deliberasse testatur Regino Prü-
13 miensis Abbas *lib.* 2. *Chron. ad Ann. Dom. incar.* 777. quo in loco & ipsum VVitikindum sacris Christianorum interfuisse, & ob incurvum dextræ digitum agnitum ad Carolum M. perductum, tradit Albertus Crantzius *lib.* 1. *hist. Sax. c.* 23. ex Cranzio idem posteritati reliquerunt tum eruditissimus Petrus Cutsemius *in Saxoniâ Catholicâ pag. m.* 14 20. & 21. tum florentissimus rerum Gallicarum scriptor Joannes de Bussieres Bellijocensis *lib.* 4. *pag. m.* 286. Adde quod Paderborna conventu & baptismo Saxonum non modo sed & adventu Pontificis Leonis satis fuerit illustris, de priori Author Vitæ Caroli M. *apud Pithæum. ad Ann.* 777. *Dominus Rex Carolus publicam Synodum habuit ad Paderbrunnen, ibi convenerunt omnes Franci & omnes Saxones, excepto, quod VVidochindus rebellis exstitit, & cum paucis aliis sociis suis in Normandiam confugit.* Annal. Fuldens. *apud* Freher. *Ibi Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam, secundum morem gentis, abdicantes Regi tradiderunt, si à die illâ, & deinceps Christianitatem, & regi ac filiis fidelitatem abnegassent*, de posteriori itidem testantur Annal. Fuldens. *apud Freherum*, Sigonius *lib.* 4. *hist. de Regno Italiæ*, necnon vetus Poëta editus à Reineccio, qui Judicio Henrici Canisii putatur esse Alcuinus Flaccus, Caroli M. & S. Ludgeri præceptor, cujus carmen pompam, quâ Paderbornæ exceptus est Leo Pontifex à Carolo M. exhibens extat *in Monumentis Paderbornensibus pag. m.* 174. 175. 176. 177. & 178. Quæ cum ita sint, verosimile videri posset & VVitichindum ibidem sacro baptismi lavacro ablutum fuisse. Cæterum cum hâc de re altum sit silentium apud vetustiores Rerum Germanicarum scriptores merito eandem rejicimus.

Quibusdam placuit heic Mindæ ad Visurgim magnum VVitikindum baptizatum fuisse, observatum id ipsum ex recentioribus à Viro clarissimo & Germanicarum rerum indagatore solertissimo Johanne Justo VVinckelmanno Consiliario & Historico Hassiaco & Oldenburgico *in Notitia Historico-Politica Veteris Saxo-VVestphaliæ, finitimarumque regionum lib.* 4. *c.* 3 *n.* 52. *p. m.* 388. 15
Ante eundem hæc ipsa sententia probata fidelissimo necnon diligentissimo rerum Holsaticarum scriptori Johanni Petersen *in Chronico Holsatico Anno Christi* 1557. *publici juris facto* in quo *pag. m.* 5. sequentia legimus. Im Jahr 700. hat Carolus der Groß / inquit, in freyem Geleidt für sich gefoderet in Minden (die andere wollen in Bardewick) VVedekendum und Albionem, sie dahin beredet / daß sie den Christlichen Glauben angenommen / sich tauffen liessen / der Keyser ward selbst VVedekindi Gevatter. Hæc Johan. Petersen laudato loco. Pro quâ equidem sententia plurimæ exque speciosæ adduci possent rationes, quem enim præterit, VVitikindi sedem Mindam fuisse, à quo ut fama est, insignia clavium accepit, quem itidem templo majori ANNO CHRISTI DCCLXXX. extructo varia donaria or-16
namentaque obtulisse tum Chronica Mindensia manuscripta tum edita testantur. Sane in Civitate Ducatuque Mindensi VVitikindum quid est quod non loquatur, sonet, celebret? Heic arcem suam habuisse VVitikindum constans per aliquot secula fama fuit, quinimo à verbis VVitikindi Mindin, quibus sibi ac Episcopo loci arcem hoc loco sitam ex æquis partibus attribuisse, tradunt plurimi, quos inter Sebastianus Munsterus *lib.* 5. *Cosmograph. c.* 405. *p. m.* 1220. civitatem hanc primò Mindin, ut in privilegio Ottonis Imperatoris dato Ecclesiæ Mindensi Anno Dominicæ incarnationis 961. tractu temporis verò Minden dictam fuisse, recepta ab antiquissimis temporibus omnium sententia fuit. Locus quoque ille notissimus haud procul ab urbe Mindensi prope Visurgim situs, vulgò Witikindi lapis, VVestphalis VVedgenstein dictus, VVitikindi titulo etiamnnm immortalis satis arguit, tractum hunc tum temporis Episcopatus nunc Ducatus Mindensis ad VVitikindum spectasse. Adde quod fons ille extra portam S. Mariæ hunc usque in diem fons Regis, VVestphalis der Königsbrunn dicatur, mitto quæ ad illustrationem hujus rei spectantia ex Chronico Mindensi incerti Authoris à Meibomio edito adduci possent. Verum enim verò quò minus huic sententiæ calcu-17
lum adjicimus, movet me tum silentium vetustiorum rerum Germanicarum scriptorum apud quos me nuspiam tale quid legisse memini, tum quod testimonia præadductorum

scriptorum, utpote recentiora, suspecta videantur, adde quod & hujus sententiæ authores ipsimet dubitantes rem totam in medio relinquant, prout vel prælaudata verba ex Chronico Holsatiæ Johannis Petersen non obscurè probant. Reliqua argumenta ut ut speciosa, itidem contrarium haud evincere ex infra dicendis constabit. Cæterum inter probabiliores sententias adduci quoq;
18 meretur illa Fabricii *Or. Sax. p.* 433. asserentis VVitikindum Saxonem venisse per Ocram fluvium Volmerstadium ad Carolum M. ibique baptizatum fuisse Conf. Crantz. *lib. 2. Saxon. cap.* 12.

Quidam quos inter Auctor incertus de fundatione quarundam Germaniæ Ecclesiarum in Sylloge Maderi *Antiquitatum Brunsvicentium* scriptores aliquot complexa, putarunt VVormatiæ uti supra hoc capite observatum baptizatum esse VVitikindum. Verum enim verò cum præcedentes sententiæ à vetustioribus rerum Germanicarum scriptoribus non sint approbatæ, ut suspectas in medio relinquimus.

Aliis placuit Bardevvici baptizatum esse VVitikindum, itidem contra tradita antiquissimorum scriptorum Germanicorum, eorumque fidelissimorum, quibus major fi-
19 des tribuenda. Ingenuè hoc ipsum agnovit eminentis eruditionis Vir Casp. Sagittarius *in Historia Antiquissimæ Urbis Bauevvici cap.* 3. §. 27. *Quam vellem verum esset.* inquit, *quod non nulli putant Bardevvici baptizatum esse VVitikindum. Haberem enim, de quo singulariter Bardevvicensibus gratularer.* Krantzius *Saxon. lib. II. cap. XXIII. hâc de re ita scribit: Tradunt nonnulli Regem rum in Bardevvico consedisse, cum ad eum VVedekindus perveniret. Sed quia hæc Annalium fide destituuntur, nolim per commentitia gloriam fœnerari Bardevvicensibus. Nam iis satis exinde gloriæ quod aliquando hospitium præbuerint tanto Regi.* Hæc Sagittarius *d. l.*

Recentiores scriptores Germanici tradunt factum id fuisse Mittelbachii à Bonifacio Præsule Vid. post Crantzium Münster.
20 *l.* 3. *Cosmograph. cap.* 435. Herm. Hamelmann. *part.* 1. Dero Oldenburg. Chronicke *c.* 1. Spangenberg *part.* 1. Mannßfeldischer Chronick. *c.* 79. adduntque tum temporis à Carolo M. mutata Witikindi insignia fuisse, & pro atro equo album in campo rubro absque frenis, & ephippio saltantem concessum, nec amplius Carolum Magnum prisco nomine Ludgerum, sed Witikindum appellari voluisse, ut ex Sacro renatus fonte omni ex parte candidus esset. Vid. Suffrid. Petr. *l.* 3. *de Orig. Fris. c.* 5. *p.* 321. Conf. ex recentioribus Gryphiand. *de Weichbild Saxon. c.* 27. *n.* 17. præprimis vero Theodorum Hœpingium *in præclaro opere de jure insignium, c.* 6. *part.* 5. *membr.* 2. *n.* 698. *p.* 342. Verum enim verò & hæc sententia haud probata antiquioribus rerum Germanicarum scriptoribus meritò inspecta itidem videtur, suspectum itidem quod de Bonifacio Præsule, memorant recentiores. Quod verò mutata insignia attinet, videntur de veritate hujus rei testari Serenissimorum Ducum Brunsuico-Luneburgensium insignia, isti avo suam originem transcribentia, quamvis me nihil hac de re apud vetustiores rerum Germanicarum scriptores legisse meminerim. Krantzius, qui mallem Auctores suos laudasset *Saxon. lib. II. Cap. XXIV.* rem adeo 21
memorabilem sequentibus verbis posteritati reliquit. *Armorum insignia*, inquit, *quæ militaribus (ut fit) signis præferebat, pullum equinum habebat atrum: Sed placuit Regi postquam de tenebris gentilium errorum pervenit in lucem veritatis, ut candidum acciperet. Ea verò sunt vetustissima Saxoniæ arma.* Meminit ibidem Martinus Hamconius *in Frisia sua de Hengisto canens.*

Sed Equus datus ater & huic est,
Nomen avi, seriemque notans: quem Carolus album
Fecit; ut & sacro VVitikindum fonte levasset.

Quod verò porro immutatum nomen Witikindi concernit, ac quod ante baptismum Ludgerus vocatus fuerit, nihil itidem eade re extat apud vetustiores, neque vero simile est Annales Francorum, Witichindum Monachum Corbejensem antiquissimum historiæ Saxonicæ scriptorem, eumque fidelissimum, qui sub Henrico Aucupe & Othone Magno floruit, & Othonis Magni res gestas descripsit, Ditmarum Merseburgensem in Misnia Episcopum, qui libris VII. gesta quinque Imperatorum Henrici I. Ottonum I. II. III. & Henrici II. cujus temporibus vixit, descripsit, sinceriss imum scriptorem eundem appellat Possevinus laudatus Gerardo Joanni Vossio *in tr. de historicis Latinis lib.* 3. *part.* 4. in qua de historicis prætermissis agit, *cap.* 5. *p.* 706. necnon Reginonem Abbatem Prumiensem, qui circa Annum Christi 900. floruit, aliosque posteriorum seculorum historicos, ut de recentioribus nihil dixerim, rem adeo memorabilem omissuros fuisse. Sane iidem uno quasi ore, non aliud, quam Witikindi nomen incomparabili nostro Principi, & defensori libertatis Germanicæ etiam ante baptismum tribuerunt.

Porro aliis placuit Osnabrugi Witikindum baptizatum fuisse. Wernerus Rolevinc *de sit.* 22
& morib. VVestphal. c. 7. tentata conciliatione scriptorum à se invicem dissentientium, putat venisse quidem VVitikindum cum Albione ad Carolum in Bardevvick juxta Crantzium *lib.* 2. *c.* 13. *&* 14. *Saxon.* ibique factum Catechumenum, sed postea in Beelheim, tunc dicto Bethlehem templo, jam recepta sua arce Widekesburg propeOsna-

Osnabrugum à Wedekindo extructo baptizatum fuisse, addens in hujus pagi templo pretiosum baptisterium, tanquam ejus rei antiquum monumentum hodienum ibidem extare. Hæc sententia ex recentioribus placuit Johanni Justo Winckelmanno Consiliario & Historico Hassiaco & Oldenburgico in Notitiâ historico-politicâ Veteris Saxo. VVestphaliæ finitimarumque regionum l. 4. c. 3. n. 52. Digna quoque, ut heic legantur, Theologi eximii Hermanni Hamelmanni verba, quæ in ejusdem in paucorum, ut puto, manibus extante *delineatione urbium & oppidorum VVestphaliæ posteritati relicta. Scribit Relevingius*, inquit, *quod conversus VVedekindus & jam receptâ suâ arce prope Osnabrugum curaverit adificari Ecclesiam nomine Bethlehem, in quâ veluti Christus natus est in Bethlehem, ille voluit per baptismum renasci, ideoque tale nomen Ecclesiæ indidisse VVidekindum: hanc hodie contracte Belheim pro Bethlehem vocant, & de hâc re hodie etiam extat cantio apud rusticos: Et quanquam Krantzius neget in Saxoniâ libro 2. capite 13. & 14. hoc docens in Barderwico VVidekindum & Albionem venisse ad Carolum, & ibidem initiatos esse, imo contra asserat capite 23. quosdam esse, qui tradant VVedekindum salutis initium Mindæ suscepisse: Annales quoque cujusdam Monachi Benedictini referant venisse utrumque ad Carolum in pagum nomine Bardengavv, & tandem datis obsidibus per Amalvvinum ad conspectum Caroli venisse in Attiniaco villa & ibi baptizatos esse: Imo Krantzius in Metropoli lib. 1. cap. 4. scribat, quod prope Hasam flumen magno prælio victus, se tandem subdiderit Carolo, & factus Catechumenus institutus sit in fide, & deinde susceperit baptisma &c. Has tamen scriptorum pugnas sic conciliat, puto ex Joannis de Essendia & Hermanni ac Henrici de Hervordia scriptis (quos dicit se sequi) Relevingius, quod quidem venerit cum Albione ad Carolum in Bardevvick ibique sit factus Catechumenus, sed postea in Beelheim, nunc dicto Bethlehem, sit baptizatus, in cujus pagi templo egregium baptisterium, tanquam ejus rei antiquum monumentum extat adhuc hodie*: Hactenus Hermannus Hamelmannus *d. loc.*

23

CAPUT XIII.

In quo probabilior de loco baptismi VVitikindi exhibetur firmarurque vetustiorum Germanicarum rerum scriptorum testimoniis sententia.

SUMMARIA.

1. Carolus M. aliquoties Bardevvicum venit. 2. Antiquitas urbis Bardevvicensis expositа. 3. VVitikindus quomodo â Carolo *M.* ad suscipienda sacra invitatus? 4. VVitikindus & Albio belli Saxonici Duces Attiniacum in Franciam evocati ibidem baptizati fuere. 5. Attiniacum locus baptismi VVitikindi. 6. Id quod adductis testimoniis Annalium Fuldensium, Reginonis, Abbatis Urspergensis, & Gobelini probatur. 7. Laudata hac de re ex recentioribus verba Joannis de Bussieres, 8. Necnon Crantzii. 9. De miraculosa visione VVitikindi adducuntur aliorum scriptorum testimonia. 10. An Carolus M. sacrâ cœnâ sub utrâque specie usus fuerit? 11. Verosimile hoc esse probatur rationibus. 12. An libri de imaginibus sub nomine Caroli *M.* publicati ab Alcuino scripti? 13. Locus insignis pro asserendâ communione sub utrâque, quoad Carolum M. ex Thegano Chor-Episcopo Trevirensi laudatus. 14. Apud Reges Francorum cur communio sub utrâque specie usque ad hunc diem juxta scriptores obtinuerit, ac recepta fuerit?

REjectis capite præcedenti variorum scriptorum circa locum baptismi Witikindi sententiis, nunc nostra eaque verisimilior sententia exhibenda, testimoniisque vetustiorum scriptorum rerum Germanicarum corroboranda. Et verò veterum monumenta evolventibus
1 obscurum esse non poterit, Carolum Magnum aliquoties Bardevicum sive Bardorum vicum, *Annalibus Francicis* Bardenvvig, Povicum, *Annalibus Francicis* Bardenvvig, Povicum, ætæ Anonymo *in vita Caroli M.* & Anlegiso *in Constitut. Caroli Magni l. 3. c. 6.* verò Bardonvvich dictum, (quam urbem, si vera est fama antiquissimam totius septentrionalis
2 Germaniæ ac Româ vetustiorem centum & duobus annis fuisse putat Buntingus *prima parte Chronici Brunsuicensis*, ac denique Anno DCCLXXV. stipatum non paucis primoribus Regni venisse. Hi Witikindo nostro & Albioni (quem Poëta Anonymus Saxo Abbonem vocat) belli Saxonici Ducibus spem fecere veniæ, modo unicum illud, quòd Carolus M. Princeps natura mitis ac moderatus ab iisdem postulasset hactenus, neque etiamnum denegari sibi vellet, obsequenter præstarent, nempe ut nefandam majorum religionem abjicerent, siquidem hoc
3 ad salutem eorum æternam pertineat, utrique vero genti tam Francicæ, quàm Saxonicæ pacis & tranquillitatis optatissimæ spem ostendat indubitatam. Idem proceres Carolo hortatores fuere, mitteret ex proceribus aliquem ad Witikindum nec non Saxones, indicatum: non heic periclitari libertatem, cujus vindices se profiteantur: quæri ipsis summum bonum, quod mortalibus evenire possit, nempe ut veri DEI agnitione imbuti, de æterna beatitudine acquirenda certi reddantur: deinde pace, quæ teste Silio Italico. *l.* 11.

——— *unaque triumphis*
Innumeris potior

Perfruantur secura ac inviolata. Placuit optimo Imperatori Carolo Magno consilium, misso igitur Amalpvino aulico, cum obsidi-
4 bus magnum Witikindum heröem fortissimum, & Albionem Duces belli Saxonici Attiniacum in Franciam evocavit. Quo in loco abjecto idolorum Saxonicorum cultu baptizati, & in religione Christiana fideliter instituti fuere, Vid. Henric. Meibom. *in Histor. Bardevici.*

Cæterùm ut præmissa testimonis antiquissimorum Germaniæ scriptorum firmemq producimus primò omnium in medium Auctorem antiquissimum *Annalium* Fuldensium, qui Attiniaci Witikindum esse baptizatum confirmat his verbis: *VVitikind Saxo Attiniaci ad fidem Caroli venit, & baptizatus est:* quibus addimus Reginonem Abbatem Prumiensem, fidelissimum rerum Germanicarum historicum, & Chronologum satis accuratum. Is igitur *lib.* 2. *Chronici sui p. m.* 402. cum narrasset Carolum Magnum Anno dominicæ incarnationis 785. Hereso
5 burgum venisse, ibique cum coniuge suâ cum filiis & filiabus totâ hieme commoratum fuisse, & Synodum, ut Reginonis verbis utar, ad Paderbrunnam habuisse, & inde totam Saxoniam circuivisse, subjungit sequentia. *Venit autem in Bardenguni* [Bardevicum, de quo supra diximus] *& inde misit post Vuidichindum & Abbionem, & utrosq; ad se fecit venire, quos sacramento firmavit, ut in Francia ad eum venirent. Qui acceptis obsidibq, ad Attiniacum ad Regem venerunt, ibique baptisati sunt, & tunc tota Saxonia subjugata est Francis, & in eadem villa celebravit Rex Natalem Domini & Pascha similiter.* Hæc Regino laudato loco. Idem taadit Conradus à Lichtenavv Urspergensis Cœnobii, Ordinis Præmonstratens. ad Mindulam, in Augustana Diœcesi Abbas, qui circa annum Christi MCCXXX. floruit, & judicio Viri summi Gerardi Joannis Vossii *de histor. latin. lib. 2. c.* 57. in rebus Germanicis sui ævi, & seculorum, quæ proxime antecedunt, habet, quæ magno cum fructu legantur. Verba ejusdem itidem digna esse existimamus, ut heic legantur. *Tractum per tot annos bellum*, inquit, *ea conditione constat esse finitum, ut abjecto demonum cultu, Christianæ religionis sacramenta susciperent. Quod & factum est. VVitikind quoque, qui inter eos & claritate generis & opum magnitudine eminebat, ad fidem Caroli sponte veniens, apud Tiniacum baptizatus, & a Rege de fonte susceptus est: sicque Saxonia tota superata & subjecta est.* Gobelinus Personæ Decanus Bilfeldensis *in Cosmodromio Ætat 6. c.* 38. *p.* 190. de conversione Witikindi ad Christianissimum sequentia posteritati reliquit. *Anno DCCLXXXV VVitikindus Dux Saxonum & Albio Saxo, ex Transalbiana regione Caroelum pro Gratia impetranda adeunt, quam consequuti baptizati sunt. Et deinde tota Saxonia subacta est.* Hæc Gobelinus laudato loco, quem sequitur Crantzius, qui in more positum habet priorum historicorum Germanicorum præprimis Gobelini, nullâ authorum factâ mentione, scripta compilare, prout ex collatione eorum, quæ *lib.* 10. *Metrop. Crantzii c.* 12. *ab undecimo ad* 22. habentur cum illis, quæ *Ætatis sextæ capitibus* 74. *& sequentibus octo à* Gobelino *in Cosmodromio* exponuntur, nemini non constare putamus, quippe ubi non res tantum, sed & verba in Crantzio continuantur eadem. Rolvinckius laudat pro hâc sententia Gregorium Turonensem, sed neque is, neque Fredegarius Scholasticus Gregorii continuator mi ævum Caroli M. attigerunt. Non omiserim heic ea, quæ disertissimus Joannes de Bussieres Belliocensis inter recentiores diligentissimus Historiæ Francicæ usque ad modernum Chri- 7
stianissimum Galliæ Regem scriptor de conversione Witikindi nostri ex antiquis monumentis tradit *lib.* 4. *p. m.* 286. *Nec dubitavit Carolus*, inquit, *de VVitikindo, virum arcessere, impunitate promissâ, datisq; obsidibus. At is prudentiæ supra barbarum magna, ut quæ de Carolo eximia acceperat, spectaret oculis, in mendici modum pannosus Paderbornam*

nam se confert, eo tempore, quo Christiani luctuosissimam Domini mortem mœrore animis corporisque pœnis concelebrant; attentè & considerate omnia perspicit; videq; sub proximam Resurrectionis faustissimæ diem, in summam hilaritatem vertit luctum atq; tristitiam: quâ die, cum ad Carolum accedens propius, & mendicorum turba immistus, quibus Rex optimus suâ stipem manu largiebatur, fortè ab Aulico ob incurvum dextræ digitum agnitus, Carolo sistitur, fassusque se Vitichindum, perbenignè excipitur; inde abominatus idola, baptismo inauguratur; gratulante Carolo cœlo & sibi, quod inuitumque per duellis obstinatissimus, divinæ & humanæ clementiæ apex foret; moxque ipsi Ducatum Angrianum dedit, futura merita beneficiis occupans. Hæc Joannes de Bussieres d. Eadem de Witikindi conversione jam antea Albertus Crantzius in Metrop. Sax. l. 1. c. 9. & hist. Saxon. l. 2. c. 23, sequentia posteritati reliquit. *Erat tum,* inquit Crantzius, *sanctissimus Paschæ dies, Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet, indignus*
8 *principe habitus. Ille sub hæc: Volui, Serenissime Rex, hoc habitu incognitus ut sperabam, lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter aspicerem. Curiositas induxit, ut latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam potero percontari, quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? ille ut erat adhuc rerum Christianarum rudis, subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum te dimisso vultu tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret: (Commemoratio fuit Dominicæ passionis, quâ die Parasceves regium vultum obscuraſſet) rursum, inquit, vidi hodierna re die primum sollicitum, & ad rem attentissimum: Postquam verò mensam adieras in templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentina in te mutationis me caperet miraculum. Super autem erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, ultro properare, alios vero abhorrentem avertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit nec dum accipio. Tum Rex, benè, inquit, profecisti, plus tibi aliquid quàm cunctis sacerdotibus & omnibus nobis est ostensum, Inde mutata veste manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in Altaris sacramento. Quâ re cognitâ exhilaratum Ducem orasse, ut proprium illi sacerdotem permitteret, qui divina rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret Altaris sacratum mysterium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modò illi habitationem Episcopo dignam provideri. Ducem verò arcem suam ad Wiseram utriusque capacem ostendisse: dedisque in ejusdem arcis non ex suo circo locum ædificandæ ecclesiæ. Ferunt proinde nomen Ecclesiæ provenisse, quod meum & tuum, quasi communis duorum possessio sonat in linguâ Saxonum vernaculâ* Min. din. *Erat vir præcipuâ religione Herimbertus, qui cum Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem primum præficeret eidem Ecclesiæ Mindensi Episcopum.* Ex Crantzio eadem repetit Petrus Cūtsemius S. S. Theol. D. celeberrimus *in Saxonia Catholica p. m.* 20. & 21. Meminitque præ- 9
terea miraculosæ hujus visionis Chronicon Magdeburgense, è quo deinde hausit Laurentius Faustus, inseruitque *Genealogiæ Saxonicæ Anno* 1588 *publici juris factæ,* quam quidē relationem, ne aliquid intactum relinquam9, omittere quidē notuim9, cum verò eâ de re, apud antiquiores rerum Germanicarum scriptores altum sit silentium, in medio relinquere cogimur, interim id unicum etiamnum monentes, verosimile omnino esse non obstantibus laudatis Crantzii verbis à quibusdā pro firmanda communione sub unâ adductis, Carolum M. Imperatorem sanctâ Eucharistiâ sub utraque specie usum fuisse, ut enim nunc non adduxerim vetustiorum Ec- 10
clesiasticorum aliorumque ævi Carolini & sequentis scriptorum testimonia, quibus utriusque speciei usum jam isto tempore probare plurimi voluerunt, quo spectant tradita Gregorii M. *in Homil. in Evang.* 22. *ut & in Psalm. 6. pœnit. necnon in Dialog. l. 4. c. 5. & l. 3. c. 36.* Bedæ *in homilia ad hæc verba, Vidit Johannes Jesum ad se venientem inter homilias hyemales de sanctis tom* 7. *pag* 446. Isidori *de Divin. off. l.* 1. *c.* 15. Gregorii 3. *in Epist. ad Bonifac. Moguntin. in* 2. *tom. Concil. p.* 441. Rabani Mogunt. Episcopi *de inst. Clericor. l. 1. c.* 33. Reginonis *de disciplin. Eccles. cap.* 119. Ruperti Abbatis Tuitiensis *de divinis offic. l.* 2. *c.* 9. & *lib.* 6. *c.* 3. Anselmi Archi- 11
Episcopi Cantuariensis *in* 1. *ad Corinth. c.* 10. Conf. Cassandr. *in consultat. de commun. sub utraque specie*, qui tum ad libellum ordinis Romani, tum ad historiam Martini V. Papæ, qui universum Populum Romanum corpore & sanguine Domini communicasse legitur, tùm ad Gregorium P. scribentem Christi sanguinem in ora communicantum infundi, tum denique ad inveteratam à multis seculis consuetudinem Ecclesiæ Romanæ provocavit, videtur hæc nostra sententia, ut non dixerim jam eandem aliquo modo probari posse testimoniis ipsius Caroli M. *in lib. de Imagin. l.* 2. *c.* 17. *l.* 3. *c.* 6. *ac l.* 4. *c.* 14. quibus nunc tamen, utpote reste Rogero ab Hoveden Britanno *in Annalibus* 12
ad Ann. 792. potiùs ab Alcuino scriptis, &

sub nomine Caroli M. publicatis non rejiciendis interim, non utimur; non parum firmari loco insigni extante apud Theganum Chor-Episcopum Trevirensem de gestis Domini Ludovici Imperatoris, quod scriptum inter alia monumenta germanica editum à Viro summo Petro Pithœo. Is igitur *p. m.* 299. de beato obitu Caroli M. verba faciens, inter alia sequentia posteritati reliquit. *Se-*
13 *quenti verò anno, qui est annus Regni ejus XLVI mense Januario accepit Dominum Imperatorem febris post balneum, cumque per singulos dies laboribus ingravesceret, nihil comedens neque bibens, nisi modicum aquæ ad recreationem corporis, septimo die postquam laborare cœpit jussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei sacramenta Dominici corporis & sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret. Quo facto laboravit in infirmitate diem integrum illum & noctem sequentem In crastinum verò lucis adveniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera virtute qua poterat signum sanctæ crucis fronti imprimens & super pectus & omne corpus consignavit. Novissime autem collis gens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus, clausit oculos psallens hunc versum leniter: In manus tuas commendabo spiritum meum. Statim posthæc in senectute bona plenus dierum perrexit in pace, ipsoque die humatum est corpus ejus in Ecclesia quam ipse construxerat Aquisgrani palatio anno ætatis suæ* LXXXII. *Indict. VII.* Hæc Theganus d. l. possent pro hac sententia etiam quædam ex Capitulari Caroli M. adduci, sed præter illa, de Carolo M. enim nunc tantum loquimur, vel maximè pro stabilienda hâc sententia facit, quod non modo antiquissimis sed & nostris temporibus usus utriusq; speciei tam apud veteres quam modernos Christianissimos Francorum Reges receptus fuerit, scilicet eà ut ex re in Regibus Franciæ sanctius aliquid, quàm in cæteris hominibus inesse intelligatur, ut putat Cormerius laudatus Limnæo *in Notit. Regni Franciæ lib.* 2. *c.* 6. *Rer. gestarum Henrici lib.* 1. *p.* 19. vel ut Theologi Regi Franciæ responderunt. quod uncti sint Reges Galliæ æque ac sacerdotes. Sleidan. *Comment.* 14
lib. 9. *p.* 151. Vid. Limn. *d. l.*

CAPUT XIV.

De Ritibus aliisque lectu ac observatione dignis circa baptismum VVitikindi occurrentibus.

SUMMARIA.

1. Cum Witikindo simul & Albio Dux Saxoniæ, aliique proceres baptismi lavacro tincti, 2. Carolus M. manus admovit baptizando Witikindo. 3. Id quod probatur plurimis scriptorum vetustiorum testimoniis. 4. Notatus annus baptismi Witikindi. 5. An baptismus Witikindi factus solemni Paschali die? 6. Quod ut verosimile propugnatur rationibus adductis. 7. In primitivâ ecclesiâ baptismi duo solemnia tempora fuisse Pacha & Pentecosten testimoniis scriptorum *Ecclesiasticorum* evincitur. 8. An idem hic mos obtinuerit tempore Caroli M? 9. Baptisteriorum usus antiquissimus. 10. Witikindus an in flumine baptizatus? 11. Adducta eâ de re testimonia Chronici Misnici Fabritii, & verba Brotuffii ex Chronico Ducum Anhaltinorum. 12. Versus elegantes Paulini de baptismo adducti. 13. Catechumenis in primitivâ ecclesiâ per totam quadragesimam præcipua fidei Christianæ capita exposita? 14. Quænam abrenunciationis diaboli operumque ejus formula linguâ Saxonica in baptismo Witikindi adhibita? 15. An tempore Caroli M. characteres jam suos habuerit lingua Saxonica? 16. Carolus M. Imperator eruditissimus auctor Grammaticæ patrii sermonis. 17. Referuntur hac de re verba lectu digna Joannis Trithemii. 18. Observatus locus illustris ejusdem Trithemii de origine Westphalorum & translatione Saxonum à Carolo M. facta. 19 De antiqua lingua Saxo-

Saxonica agitur remissivè. 20. An Witikindus cum Albione albis vestimentis induti ad baptismum accesserit? 21. An Witikindi nomen in baptismo immutatum? 22. Adultis vel mutare vel retinere antiquum nomen fas erat.

CÆterum ne aliquid, quod ad illustrationem historiæ Witikindeæ spectare videatur, intactum relinquatur, pretium operæ me facturum putavi, si & alia circa baptismum Witikindi observatione digna cum lectu haud injucunda occurrentia, summo quasi digito attigerim, circa quæ si fortèan non omnibus satisfecero, tamen nec conatum meum circa indagationem rerum vetustissimarum occupatum prorsus displiciturum confido.

Quod igitur Witikindum nostrum attinet, non solum eundem baptismo tinctum fuisse, sed insuper Abbionem testantur antiquissimi Rerum germanicarum scriptores. Regino *lib. 2. chronici sui p. m.* 402. Conradus à Lichtenàvv Urspergensis Abbas *in chronico* & Gobelinus Persona Decanus Bilefeldensis *in Cosmodromio ætat. 6. c. 38. p. m.* 190. qui pro Abbione Albionem Saxonem substituit, quinimo præter Witikindi totam familiam & plurimos Gentis germanicæ Proceres simul baptizatos fuisse putarim, nec dubitandum ipsum Imperatorem augustissimum Carolum Magnum manus admovisse baptizando Witikindo, & pro eodem spospondisse, nec minus Reginam Frastardam pro Gevâ Witikindi conjuge, quod ipsum non obscurè vel ex eo colligere licebit, quod ad instantiam Caroli M. Witikindus & Abbio ad villam Attiniacum, ubi tunc Carolus M. commorabatur, pervenerint, ibique baptizati fuerint, cui tam solemni ram illustri actui, quò & desiderio magni Caroli Imper. satisfactum, majorique ex parte bello diuturno finis impositus, ipsam prælaudatum glorioßimum Imperatorem non interfuisse, quis negabit? præsertim cum hæc sententia antiquissimorum scriptorum Germanicorum testimoniis sit comprobata. Vid. Conradum à Lichtenavv Abbatem Urspergensem *in Chronico* ibi: *VVitikint quoque ad fidem Caroli sponte veniens apud Tiniacum baptizatus, & à Rege de fonte susceptus est.* Ioannes Nauclerus Præpositus Tubingensis *in Chronico pag. m.* 725. sequentia hâc de re posteritati reliquit. *Witikint quoque ait, qui inter eos & claritate generis & opum amplitudine eminebat, author perfidiæ & rebellionis, ad fidem Caroli sponte veniens baptizatus & à Rege de fonte susceptus est.*

Quod si quispiam heic, nec immerito testimonia vetustiorum scriptorum requirat, subjicimus verba antiquissimi Karoli M. vitæ scriptoris, qui ex bibliothecâ Viri de editis scriptoribus Francicis præclarè meriti P. Pithæi prodiit, quemque ipse putat fuisse monachum cœnobii Egilismensis S. Eparchium *p. m.* 248. *Inde iter peragens*, inquit *de Carolo M. verba faciens vix apertis, nemine contradicente, per totam Saxoniam, quocunque voluit ambulavit, venitque in Bardinganin. Et misit post Witichindum & Albionem & utrosque ad se conduxit, & firmavit ut non se subtraxissent nisi in Franciam ad eum pervenissent petentibus illis securitatem, si venissent, quod & factum est. Inde reversus in Franciam misit illis obsides per missum suum Amaluonem. Quos cum recepissent, cum ipsis adjunxerunt se ad Dominum Regem Carolum ad villam Attiniacum, ibi baptizati sunt Vindochindus & Abio una cum sociis eorum, & tunc tota Saxonia subjugata est.* Hactenus author vitæ Caroli M. ex cujus verbis prædicta à nobis de plurimis cum Witikindo baptizatis necnon præsentia Caroli M. satis ni fallimur, firmantur, quam sententiam placuisse itidem video Johanni Petersen *in Chronico Holsatico part. 1. p. m.* 5. ibi: der Keyser ward selbst Wedekindi Gefatter. Incidit verò baptismus Witikindi non in *Annum* 700. ut Petersen d. l. Sed juxta Annales sive gesta Francorum ab anno incarnationis Domini DCCXIV. ad Annum DCCCLXXXIII. incerti & vetusti scriptoris, cujus editionem itidem debemus eminentissimæ eruditionis Viro Pithæo in *Annum* Christi DCCLXXXV. Verba Annalium *p. m.* 11. sequentia sunt. *DCCLXXXV. VVitikind Saxo Attiniaci ad fidem Caroli venit, & baptizatus est, & Saxonia tota subacta est.* Conf. Gobelinum in Cosmodromio, aliosque vetustiores rerum Germanicarum scriptores. Quod si conjecturis iis tamen à vero non abhorrentibus locus, putarim id ipsum eodem anno, solemni Paschali die festo omnium Christianæ religionis celeberrimo augustissimoque habito, quod præcipuâ quâdam veneratione in memoriam Dominicæ resurrectionis veteres primitivæ Ecclesiæ Christiani semper prosecuti fuere, vel sancto Chrysostomo *homil. VII. de resurrectione Domini*, necnon Gregorio Nazianzeno *in sermone de hac festivitate* testibus, factum fuisse, quæ conjectura mea ni fallor aliquo modo firmatur ex prælaudato antiquissimo scriptore Caroli M. qui cum in præcedentibus exposuisset venisse Vindochindum & Abionem ad Carolum M. & ad villam Attiniacum una cum sociis eorum baptizatum fuisse, statim subjicit celebrasse eodem anno Carolum M. in prædicta villa Natale & Pascha, quod si hæc curioso Lectori nondum satisfecerit conjectura, addo aliam eamque ni fallor, prægnantiorem, notissimum quippe est, in primitivâ Ecclesiâ administrandi olim baptismi duo stata, ac solemnia tempora fuisse, Pascha & Pentecosten: extrà quæ nonnisi ægrotantes, vel infirmi, & qui mortis

ts, ægritudinis, obsidionis, naufragii necessitate periculoque urgebantur, tingi consueverant, præclarè Tertullianus *in lib. de baptismo*: *Diem*, ait, *solemniorem baptismo Pascha præstat cum & passio Domini, quâ tingimur, adimpleta est.* B. Ambrosius *in libello de mysteriis Paschæ*: *Hæc est*, inquit, *illa cœlestium mysteriorum gratia. Hoc Paschæ donum: hæc optabilis anni festivitas: hæc exordia gignentium: hinc vitalis lavacri sacra Ecclesiæ editi puerperio infantes parvulorum simplicitate renati, barathro innocentiæ perstrepunt innocentiæ.* Ejusdem observationis Ecclesiasticæ meminit Nicephorus *hist. Ecclesiast. l.* 13. *cap.* 19. quinimo reliquis omnibus festivitatibus baptismi celebrationem interdictam fuisse ex Gerundensis Concilii *cap.* 4. & Wormatiensis *cap.* 10. Burchardus *lib.* 4. *Decret. cap.* 6. & 7. Yvo Carnutensis *prima partis Decretorum cap.* 60. & Gratianus *in can. de Catechumenis de consecrat. distinct.* 4. docent. In Thessalia planè Paschæ duntaxat diebus baptismata fieri consveviſſe, eoque evenisse, ut plurimi absque baptismo morerentur Socrates *lib.* 5. *hist. Ecclesiast. cap.* 19. auctor est. Quis vero existimabit Carolum M. Imperatorem ecclesiasticarum Constitutionum alioquin observantissimum, nullâ plane apparente necessitate, non exigente vel morbo & adversâ valetudine Witikindi, non motibus bellicis efflagitantibus, tam solemnem piumque actum potius alio quam celeberrimo Paschali die celebrare voluisse? non sane hoc ipsum asseruerim, præsertim cum
8 in omnibus penè orbis Christiani partibus baptismi prærogativam Paschæ & Pentecostes celebritates, specialiter ac proprio jure sibi vindicasse, in Ecclesiaque longâ sæculorum successione morem hunc constanter retentum legerim, adde quod tam augustissimo paschali festo, ad quod magna confluere solebat hominum multitudo. Vid. Socrat. *histor. Eccles. lib.* 7. *cap.* 5. hic actus magis illustrior fuit. Equidem ne quis dubitet an hic ipse mos tempore Caroli M. ac prædecessorum ejusdem in Ecclesiâ servatus fuerit, provocamus tum ad Gregorium Turonensem, qui *libro* 5. *histor. cap.* 11. de usu sui temporis testatur, *conf. eundem lib.* 6. *cap.* 27. tum præsertim Annonium Monachum, aut ut quibusdam placet Aymonium, qui *lib.* 3. *de gestis Francorum cap.* 49. de Chilperico verba faciens. Chilperico, ait, filius nascitur, quem sequenti anno Parisiis in Paschali festo baptizari fecit. Otto Frisingensis *lib.* 6. *histor. cap.* 1. morem generalem appellat. Conf. Rupertum Tuicensem *lib.* 4. *de divinis officiis c.* 18.

9 Porrò licet baptisteriorum usus antiquissimus docente adductis testimoniis, Dionysii Areopagitæ *lib. de Eccles. Hier. c.* 4. Ambrosii *Epist.* 53. & S. Augustini *lib.* 22. *de C. D. cap.* 8 Viro lectionis infinitæ Josepho Vice-Comite *in observat. Ecclesiast. de Antiquis baptismi ritibus ac ceremoniis lib.* 1. *cap.* 4. attamen non rejiciendam putarim quorundam scriptorum Germanicorum sententiam, Witikindum in flumine aut fonte baptizatum fuisse, hunc enim morem etiam in antiquâ ac primitivâ ecclesiâ obtinuisse novimus, pluribusque probavit laudatus Vicecomes *lib.* 1. *cap.* 4. memoratque Tertullianus *lib. de baptismo cap.* 1. Petrum in Tyberi baptizasse. Walafridus Strabo verò *in lib. de rebus Eccle-* 10 *siast. cap.* 26. scribit, olim simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos fuisse credentes. Sane de Witikindo in flumine baptisato testatur tum Chronicon Misnicum, tum Crantzius aliique Conf. Fabrit. *Or. Sax. p.* 433. Eadem sententia itidem probata Ernesto Brotuffio *in Chronico Ducum Anhaltinorum cum præfatione Philippi Melanchthonis anno* 1556. *edito pag.* 20. cujus verba in gratiam lectorum subjicimus. Darnach ist Witikindus/ inquit, durch S. Bonifacium, Ertzbischoffen zu Meintz im Stifft Fulda/ im Dorffe Misthenbach/ in einer schönen fliessenden Bach/ nach Einhalt der Meißnischen Chronica/ im 11 Jahre Christi 785. getaufft/ und von Keyser Carolo aus der Tauffe gehoben worden. Albert. Crantz. lib. 2. cap. 23. schreibet/ er solle in selbigem Jahr nach Christi Geburt 785. bey der Weser zu Minden getaufft seyn/ da denn Witikindus alsbald nach seiner Tauffe dem Keyser Carolo sein Schloß Visurgum, das ist Minden auff der Weser/ die Witikindus-Burgk genannt/ gelegen/ die Helffte zu einem Bischofflichen Sitz und Thumbkirchen gegeben/ denn es war Raum gnug da. Hactenus Brotuffius d. l. Sane quæ Paulinus sequentibus elegantissimis versiculis in genere de efficaciâ baptismi disseruit, ibi 12

Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem
Cœlestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit unda Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei, pietas, peccator mergitur undis
Mox eadem emergit justificatus aquâ.

eâ merito ad Witikindum nostrum referimus quem ante Paschalem diem in Christiana religione probe informatum fuisse quis dubitabit? Solebant enim in primitivâ ecclesia Catechumenis per totam quadragesimam præcipua fidei Christianæ capita exponi, ut 13 ita lavacro futuro, cujus præstatio in Paschales ferias differebatur, præpararentur, de hac consuetudine testatur B. Hieronymus *ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani. Consuetudo apud nos hujusmodi est*, ait, *ut iis qui baptizandi sunt per* 40. *dies publice tradamus sanctam & adorandam trinitatem.* Conf. Bedam *in Comment. Esdræ Lib.* 2. *Novæ*, ait, *vitæ auditoribus symbolum fidei tradimus, quod per duodecim Apostolos ordinatum est, & totidem sententiis comprehensum.*

Sane

14 Sane & alios potioresque Josepho Vice-Comiti supra laudato tractatu observatos ritus & ceremonias baptismales quin & heic adhibitas esse statuamus, non est, quod obstet, sane quod renunciationem diaboli ejusque operum, quæ à stantibus versus occidentem protensis manibus, quasi præsenti Satanæ renunciarent, teste Cyrillo Hierosolymitano fiebat, in baptismo semper receptam attinet, eam non alio quam Germanico idiomate à Viro illustri Romanæ pariter ac Gallicæ linguæ ignaro factam fuisse, tam certum esse putamus, quam quod certissimum, qualis verò renunciationis formula circa baptismum Witikindi adhibita fuerit? eâ de re neque apud veterem neque recentiorem scriptorem me quicquam legisse memini, putarim tamen infra subjectam formulam abrenunciationis diaboli operumque ejus brevemque professionem fidei, veteri lingua Theotiscâ, quæ in vetusto M. S. Palat. bibliothecæ Vaticanæ subjungitur concilio Liftinensi An. DCCXLIII, quo nullum antiquitatis Germanicæ monumentum vetustius, annos quippe superat DCCCC. extare, tradit serenissimus ac Germaniæ nostræ Procerum eruditissimus magnique ingenii ac judicii Princeps Paderbornensis *in appendice Monumentorum Paderbornensium pag. m.* 336. adhibitam fuisse, sequitur igitur.

Abrenuntiatio.

FORSACHJSTU diabolae? Et resp. Ec forsacho diabolae. End allum diabol gelde? Resp. End ec forsacho allum diabol gelde. End allum diaboles wercum? R. End ec forsacho allum diaboles wercum und wordum: thuna eren de vouden end saxnote; ende allem them unholdum / the hira genotas sint.

Professio Fidei.

Gelobistu in Got almehtigan fadaer? Resp. Ec gelobo in Got almehtigan fadaer. Gelobistu in Christ godes suno? Resp. Ec gelobo in Christ gotes suno. Gelobistu in halgan gast? Resp. Ec gelobo in haligan gast.

Atqui hanc abrenuntiationis formulam professionemque fidei à Witikindo factam fuisse nobis eousque per videtur verosimile, donec quispiam meliora nos edocuerit.

15 Cæterum occasione præmissæ abrenunciationis à Witikindo linguâ Saxonicâ factæ dubitari posset, an tempore Caroli M. characteres jam suos habuerit lingua Saxonica? Sane si tradita Gregorii Turonensis *Lib.* 5. *cap* 44. *pag.* 270. ponderentur, verosimile videtur, jam tum sub Chilperico doctissimo Francorum Rege multis retro seculis characteres linguæ suæ agnovisse Germaniam, quinimo ipsum Carolum M. Imperatorem eruditissimum & eloquentissimum teste Eginharto *cap.* 25. *de vita Caroli M.* de quo idem Poetaster Saxo *lib.* 5. *v.* 245. 16

Sed solitus linguâ sæpe est orare Latina!
Nec Græca prorsus nescius exstiterat.

inchoasse Grammaticam patrii sermonis, tradit Idem Eginhartus *cap.* 29. Eleganter hanc rem exposuit Joannes Trithemius *in elegantissimo Polygraphiæ Codice, qui MSus propria Trithemii manu Anno* 1508. *exaratus & Imp. Maximiliano I. oblatus in augustissima Bibliotheca Cesarea Vindobonensi extat*, in quo de Grammaticâ Theotiscâ Imper. Caroli M. ab Otfrido absolutâ & auctâ agens, sequentia lectu sane digna posteritati reliquit. *Carolus Rex Magnus*, inquit, *natione Theotisco, gentis suæ miserius barbariem, Annone Theobaldo & Berengero præceptoribus, sicuti OTFRIDVS & Turpinus fecerunt, cum esset Vir animo cælestis, & literarum tam Græcarum quam Latinarum longè doctissimus, linguam tentavit regulare Theotonicam, mensibus & ventis, quæ hodie apud nos retinent, nomina dedit, & præcepta Grammatices linguæ Theotonicæ pulcra composuit. Sed illo mortuo res imperfecta remansit, usque adeo ab hominum notitiâ hodie jacens abscondita, ut satis admirari nequeam. Nisi enim fuisset unus ille Monachus Wissenburgensis quondam OTFRIDVS, nulla hujus facti memoria haberetur. Is enim sub Ludovico Pio, ipsius Caroli filio Grammatica, quæ inchoaverat ille assecutus, multa scripsit in linguâ Theotonicâ nostrâ versibus in parte regulatâ metro heroico elegiacoque simul & prosâ tam ad ipsum Ludovicum Imperatorem & alios, quam ad Moguntinum Archi-Episcopum Otgarium.* Hæc Trithemius *d. l.* ubi cum Lambecio *in Comment. de Biblioth. Cæsar. lib.* 2. *c.* 5. monendum Otfridum scripsisse ad Ludovicum Franciæ orientalis Regem Imper. Ludovici Pii filium, neque ad Otgarium quintum Archi-Episcopum Moguntinum sed Lieutbertum octavum Præsulem Moguntinum. Dignus quoque ut heic legatur ejusdem hâc de re locus ex capite 3. depromptus tum ad illustrationem translationis Saxonum à Carolo M. factæ quâ supra *c.* 9. *n.* 19. *& seqq.* diximus, spectans, tum præsertim quoad nomen & originem Westphalorũ insignis ac notabilis. *Memoratus Otfriedus*, inquit, *in suâ Grammaticâ Arte linguæ nostræ Theotonicæ, quam, sicut diximus, ex Caroli Regis Magni institutionibus collegerat, & alios characteres quosdam interseruit, quibus ipsum in arcanis usum fuisse dicit. Ex quibus & nos subjectum pro nobis Alphabetum assumpsimus. Datum fuit hoc ipsum Alphabetum hominibus* 17 18

illis, quos Carolus in locum triginta millium ex Saxonia transtulerat in Galliam, postea videlicet quam annos triginta pugnans contra Saxones, ipsos gladio tandem Christi convertit ad fidem. Veritus enim, ne denuo deficerent, sicuti frequenter antea fecerant, eorum triginta millia trans Rhenum locavit in Galliam cum filiis & uxoribus; quos ferociores animis fuerat expertus. In quorum locum ex Gallis triginta millia similiter in Saxoniam transtulit, quos ad aliorum differentiam West-Gallos, vulgariter autem VVest-VValen nuncupavit; qui hodie corrupto vocabulo, sed mendosè VVestphali vocantur. His quosdam præposuit Duces non exercitus, sed morum, quibus commisit, quatenus per totam Saxoniam, quæ tunc erat amplissima manifestè discurrerent, & occultè, & quoscunque reperissent contra fidem & mores enormiter deliquisse Christianos, mox sine judicium strepitu laqueo necarent; ipsi autem ab omni hominum impetitione permanerent immunes. Hæc Trithemius *laudato loco.* Cæterum de lingua antiquâ Saxonicâ lectu haud injucunda extant apud Wolffgangum Lazium *lib. 3. de migrat. gentium* Bonaventuram Vulcanium *in lib. de Literis in lingua Getharum sive Gothorum*, Paulum Merulam *in Notis ad VVillerami Abbatis Mersburgensis antiquam Theotiscam Paraphrasin in Canticum canticorum*, Christophorum Brovverum *in dissertatione de veteri Trevirorum lingua*, Martinum Opitium *in Animadversionibus ad incerti Poëtæ Theotiscum Poëma rhythmicum de S. Annone Archi-Episcopo Coloniensi* & Justum Schottelium *in præclaro opere germanico de lingua Germanica* quo lectores remittimus, redeuntes ad reliquos ritus circa baptismum Witikindi observatos. Equidem & ipsum Witikindum cum Albione aliisque proceribus gentis Westphalicæ ad baptismi locum splendidis albisq; vestimentis ornatos adveniſſe verosimile videtur, moris enim passim recepti in Ecclesia tum temporis erat, ut vestimentis candidis indu-ti Baptizandi procederent, testibus B. Ambrosio *lib. singulari de his, qui mysteriis initiantur*, Gregorio Turonensi *lib. 5. c. 11. ibi. Flagrabant cerei lampades: albicabat tota civitas de grege candido*, Nicephoro *lib. 7 histor. Eccl. cap. 33.* Conf. Paulum Diaconum *lib. 7. histor. Longobard. cap. 15.* de Codrate Rege Anglo-Saxonum. *Is*, ait, *cum Romam perveniſſet à Sergio Papa baptizatus, Petrusque appellatus, & adhuc in albis constitutus ad regna cælestia migravit*

Cæterum quod impositionem nominis, quæ in Ecclesiæ Christianæ primordiis, cum baptismi ceremoniæ simul omnes eodem die fiebant, nonnisi in ipsa ablutione, postmodum ad maturitatem suam perveniente Ecclesia inter certum præfinitum tempus. Vid. Augustin. *lib. 9. Confess.* fieri solebat, attinet, in præcedentibus observavimus, recentiores scriptores in ea opinione esse Witikin- 21
dum id nomen, cum prisco nomine Ludgerus appellaretur in baptismo accepisse Vid. Gryphiand. *de Weihbild. Saxon. c. 27. n. 17. ast* cum eâ de re altum sit apud vetustiores rerum Germanicarum Scriptores silentium, calculum huic sententiæ adjicere non possumus, & verò quem præterit, Witikindo jam ante baptismum nomen hocce ab antiquissimis quibusque historicis, iisque quos ego legerim, omnibus uno ore tributum fuisse. Sane quamvis infantibus baptizandis novum indebatur nomen, quia antea nullo vocabantur, adultis tamen vel mutare vel etiam 22
retinere fas fuisse novimus, neque est, ut hoc ipsum pluribus firmemus testimoniis, cum jam antea id pluribus factum sit à laudato Josepho Vice-Comite *d. erall. lib. 2. cap. 13.*

CAPUT XV.

DE REBUS PRÆCLARE GESTIS VVITIKINDI POST SUSCEPTA SACRA CHRISTIANA.

SUMMARIA

1. Witikindo conversio ad Sacra Christiana & pacem Saxoniæ peperit, & ad propagandam Christianam religionem maxima incrementa dedit. 2. Quod adductis testimoniis scriptorum Germanicorum probatur. 3. De numero Episcopatuum à Carolo M. in Saxonia constitutorum discrepantes Germanicorum historicorum sententiæ adducuntur. 4. Notatus error Joh. Gryphiandri existimantis ne unum quidem

quidem *E*piscopatum à Carolo M. in Saxoniâ constitutum esse, 5. Mindæ castrum Witikindi fuit. 6. Templum Mindense plurimis donariis à Witikindo ornatum. 7. Pagus Angariæ à Carolo M. Witikindo post susceptа sacra Christiana restitutus fuit. 8. Encomia Witikindo à scriptoribus tributa. 9. An Dux totius Westphaliæ constitutus fuerit? 10. Witikindus multis donis ditavit Ecclesias præsertim Osnabrugensem & Mindensem, fundavitque Collegium in Engern. 11. Witikindus ultimis temporibus vivo adhuc Imperatore Carolo M. in conflictu cum Geroldo Duce commisso occubuit. 12. Adducta eâ de re verba Crantzii & Fabricii. 13. Quo anno Witikindus fato functus? 14. Carolus M. in numerum sanctorum relatus. 15. Laudata ea de re verba Diplomatis Friderici I. quo Caroli M. privilegium Ecclesiæ & Urbi Aquisgranensi concessum confirmatum.

1 Witikindi conversio ad sacra Christiana & pacem Saxoniæ peperit, & ad propagandam Christianam religionem maxima incrementa dedit. De priori Auctor, *Compilat. Chronol.* à Madero editus. *Wedekindus Dux Saxonum baptizatur Wormatiæ* (hanc sententiam supra cap. 12. rejecimus.) *à Karolo patrino cum omnibus suis & sic pax fit in terra,* nec non Auctor *vitæ Caroli* à Pithœo editus ibi.

2 *Tunc tota Saxonia subjugata est, quievitque illa Saxonicæ perfidiæ pervicacitas per annos aliquot,* octo scilicet. Conf. Poëtam Anonymum ibi:

Hic iidem proceres sacri Baptismatis unda
Perfusi, tandem Regi manserе fideles
Ipsaque gens aliquot requieverat inde per annos.

De posteriori, propagatione Christianismi, prælaudatus Auctor *Compilat. Chronolog. Tunc Saxones,* ait, *Francis adunati efficiuntur populus unus, & divisa est Saxonia in octo Episcopatus,* idem tradit *A*damus Bremensis, quem more suo sequitur Albertus Stadensis, de eodem numero Episcopatuum à Carolo M. in Saxoniâ constitutorum testantur Helmoldus, Ditmarus, & ex recentioribus Lupoldus

3 à Babenberg *de Zelo Veterum Principum, Germaniæ in religione cap.* 9. & Paulus Langius *in præfat. Chronici Citizensis,* aliis tamen septenarium cum Gobelino *Ætat. 6. cap.* 38. ejusque ex scriptore Crantzio *lib. 2. Saxon. cap.* 23. enumerantibus, quibus nonum adjecit Petrus Beck. *in Aquisgrano cap.* 5. denarium alii, secuti Wernerum Rolvinckium de *Laudibus Westphaliæ lib. 2. cap.* 8. quem numerum quoque præter Chronicon Mindense à Meibomio editum exhibent duo, quæ possideo, chron. MSta Mindensia hactenus inedita. Parùm verò versatus videtur in perlectione diplomatum Caroli M. de fundatione Episcopatuum Saxoniæ Joh. Gryphiander *præclaro alioquin opere de Weichbildis Saxonicis cap.* 29. cùm verosimile sibi videri asserit, à Carolo M. ne unum quidem Episcopatum in Saxoniâ constitutum fuisse, quæ sententia & nova & singularis omnibus melioribus istius ævi monumentis & diplomatibus repugnat. Sane ipse Witikindus ad meliorem mentem per novum Christianismum conversus nil quicquam omisit, quod ad propagationem Christianismi spectare videbatur, hinc ipse Witikindus, si fides habenda non paucis scriptoribus Germanicis, permisit Carolo Magno, ut in arce suâ Mindâ ad Visurgim Episcopo locum daret, amborum enim capacem esse, hincque derivandam Urbis Mindensis à Min & Din etymologiam in præcedentibus monuimus. Crantzius *lib. 2. Saxon.* 16. Porro erectâ Epi-

5 scopali sede in civitate Mindensi in eo loco, ubi testante Chronico à Meibomio edito prius fuit castrum Wedekindi Regis Angarorum, Witikindum plurimis templum

6 Anno Redemtoris unici JESU CHristi DCCLXXX. in urbe extructum ornasse donariis, sub Engelberto Episcopo cum templo incendio absumptis tradit Author incertus Chronici Mindensis ibi.

Quicquid Cæsar pro ornatu
Et Rex Wedekind pro affatu
Spiritus donaverat:
Hoc in totum ex afflatu
Diri ignis & cum flatu
Horrido perierat.
Sed hoc statim Engelbertus
Præsul prudens & disertus
Sicuti optaverat,
Reformavit:

Hic verò erga Christiana sacra cultus Witikindi insignis, hæc in servandâ Carolo M. fide constantia, movit Augustissimum Impe-

ratorem, ut Pagum Angariæ jure belli Wi-
7 tikindo ademtum eidem restitueret. Re-
centiores Scriptores Witikindum ad obse-
quium fidele redactum, & Regio quidem
titulo exutum, Ducali autem iterum exor-
natum in Saxoniâ constituisse, ipsiq; Saxoni-
8 am administrandâ constituisse tradunt, hinc
Witikindus magnus Dux Saxoniæ Alb. Abb.
Stad. *ad Ann.* 920. Princeps Imperii, Andr.
Witich. *in Geneal. Duc. Saxon. p.* 1. robustus
gigas. Rolevvinck *lib.* 2. *de Laud. Westphal.*
dicitur, aliisque titulis à Fabricio Reineccio
9 aliisq; ornatur, quinimo Ducem totius West-
phaliæ constitutum fuisse, eidemque tractum
Magdeburgicũ nec non Wittebergensem, ac
Wethinensem ad Salam concessum fuisse me-
morant. Sane Witikindus postquam Christo
nomen dederat, quod reliquum erat, Chri-
stiano more transegit, variisque pietatis o-
peribus ad fidem in posteros propagandam
se commendavit, non tamen illustrior, quam
ex prælaudata dotatione Episcopatus Min-
densis. Lubet heic audire Wernerum Ro-
levinckium *de laud. VVestphal. lib.* 2. *cap.* 7.
pag. 89. *Multis donis ditavit Ecclesias, præser-*
10 *tim Osnabrugensem & Mindensem, Collegium*
in Engeren fundavit, ubi olim erat principale cas
strum totius VVestphaliæ.

11 Porrò Witikindum ultimis temporibus
vivo adhuc Imperatore Carolo Magno, in
conflictu cum Geroldo Suevorum Duce oc-
cubuisse tradit Krantzius, quo vetustiorem
ad confirmationem hujus rei, nunc non ad-
ducere possum. Is igitur *Saxon. lib.* 11. *cap.*
25. *VVedekindus*, inquit, *cum Rex illum Ca-*
rolus baptizatum suâ provinciâ gubernare per-
mitteret ædificato in Anglaria (*nunc Angriam*
12 *vocant*) *insigni templo, instituto Collegio sine*
fine Deo servientium, (*quod nunc in Hervordi-*
am ferunt esse translatum, ibique Dominabus
imperitantibus servit) *plurimum ipse in CHRI-*
STO devotus religione profecit. Sederat illi ex
magnis causis cum Geroldo Suevorum Duce a-
trox bellum, quod varia diu fortuna protrahe-
batur. Mirum quomodo tam longinquum: ex
Suevia in Saxoniam. Sed erant Saxonibus præ-
dia (*quod supra ostendimus*) *in Hercynia, &*
Suevis in Thuringia: unde facilè potuit conflari
de terminis bellum. Sed eo consumptus periit
VVedekindus Christiano ritu sepultus in Eccle-
sia ejus, quod fundaverat Collegii: ibique aliquam-
diu quievit, donec in Paderbrunnam à filiis
transferretur; Idem memorat Gregorius Fa-
bricius *lib.* 4. *Originum Saxonicarum. In ex-*
trema senectute, inquit, *bellum gessit, nescio,*
qua causa excitus, cum Notbardo Duce Suevo-
rum: quod prælium cum durasset satis diu, fa-
tigatus gravitate armorum, & contentione pu-
gnæ oppetit: & in templo à se structo sepultus fu-
it, quod cum Henricus I. Imp. destrueret, &
Vallersleben non procul à Brema transferret, et-
iam cineres ejus loco moti sunt, & Paderborne
repositi, in quâ urbe Divi honore colitus est.
Hæc Fabricius *d. l.* Cæterum si Witikindo
vivo adhuc Carolo Magno in conflictu cum
Geroldo Suevorum Duce Anno DCCCVII.
juxta Wittium & Cleinsorgium fato functo, 13
ejusmodi post obitum cultus exhibitus fuit,
sane non mirum est majorem Carolo Magno
qui paulò post Anno DCCCXIV. V. Kal. Fe-
bruarii relicto in regno Francorum ac digni-
tate *Imperatoriâ* Successore Ludovico à mo-
rum probitate, & in clericorum ordinem
singulari benevolentia ac liberalitate Pii no-
mine ornato, decessit Aquisgrani, à poste-
ris delatum fuisse, quinimo constat eundem
curâ & studio Imp. Friderici I. cognomie Æ- 14
nobarbi sive Barbarossæ, qui corpus ipsius
singulari revelatione manifestatum Aquis-
grani solenniter elevavit, ab Antipapa Gui-
done Cremensi sive Paschale III. *in nume-*
rum Sanctorum relatum esse. Quam cano-
nizationem Papæ *Alexander III.* postquam
anno MCLXXVII. cum jam memorato Im-
per. Friderico rediit in gratiam, approbavit
& confirmavit. Extat etiam nunc ipsius
Imp. Friderici I. de hâc Caroli M. elevatione
& relatione in numerum Sanctorum insigne
testimonium in eo Diplomate, quo Anno
MCLXVI. sexto Idus Januarii Privilegium,
à Carolo Magno Ecclesiæ & Urbi Aquis-
granensi concessum, confirmavit, quod
integrum extat in Petri Bekæ *Aquisgrano* &
Auberti Miræi *Fastis Belgicis*, non possum
quin in gratiam Lectorum vel principium
tantum Diplomatis prælaudati ad rem præ-
sentem pertinens subjiciam, ibi. *In nomine*
sanctæ & individuæ Trinitatis: Fridericus
divinâ favente clementia, Romanorum Im-
perator semper Augustus. Ex quo primum
divinâ ordinante clementiâ, Imperii Roma-
ni fastigia gubernanda suscepimus, volun-
tatis nostræ atque propositi summum deside-
rium fuit, ut Reges & Imperatores, quinos
præcesserunt, præcipuè maximum & glorio-
sum Imperatorem Carolum, quasi formulam
vivendi atque subditos regendi sequeremur,
& sequendo pre oculis semper haberemus; ad
cujus imitationem jus Ecclesiarum, statum
Reipublicæ incolumem & legum integritatem
per totum Imperium vostrum servaremus.
Ipse enim totâ cordis intentione ad æternæ
vitæ præmia anhelans, ad dilatandam glo-
riam Christiani nominis & cultum divinæ Re-
ligionis propagandum, quot Episcopatus con-
stituerit, quot Abbatias, quot Ecclesias à
fundamento erexerit, quantis prædiis ac be-
neficiis illas ditaverit, quantarum largitate
eleemosinarum non solum in cismarinis parti-
bus resplenduerit ipsa ejus opera & gestorum
volumina, quæ plurima & maxima sunt,
fide oculatâ plenius declarant. In fide quoque
Christi dilatandâ, & in conversione gentis
barbaricæ fortis Athleta fuit, & verus A-
postolus, sicut Saxonia & Fresonia atque
VVestphalia, Hispani quoque testantur, &
VVandali, quos ad fidem Catholicam verbo
converti & gladio. Licet etiam ipsius a-
nimam

nimam non pertransierit gladius, diversarum tamen passionum tribulatio & periculosa certamina, & voluntas moriendi quotidiana pro convertendis incredulis, cum Martyrem fecit! Nunc verò electum & sanctissimum Confessorem eum fatemur & veneramur in terris, quem in sanctâ conversatione vixisse & primâ confessione & verâ pœnitentiâ ad Deum migrasse, & inter sanctos Confessores, sanctum & verum Confessorem credimus coronatum in cœlis. Inde est quod nos gloriosis factis & meritis sanctissimi Imperatoris Caroli confidenter animati & sedulâ petitione carissimi amici nostri Henrici Regis Angliæ (is est, Henricus ejus nominis secundus, sub quo sanctus Thomas Cantuariensis Episcopus occisus est) inducti, assensu & authoritate Domini Paschalis & ex consilio universorum Principum, tàm secularium quàm Ecclesiasticorum, pro elevatione & exaltatione sanctissimi Corporis ejus atque canonizatione, solemnem curiam in natale Domini apud Aquisgranum celebravimus; ubi corpus ejus sanctissimum, pra timore hostis exteri vel inimici familiaris, cautè reconditum, sed divinâ revelatione manifestatum ad laudem & gloriam nominis Christi, & corroborationem Romani Imperii & salutem dilectæ Consortis nostræ Beatricis Imperatricis, & filiorum nostrorum Friderici & Henrici, cum magnâ frequentiâ Principum & copiosâ multitudine Cleri & Populi, in hymnis & canticis spiritualibus cum timore & reverentiâ elevavimus & exaltavimus IV. Kal. Januarii. His autem omnibus gloriosè peractis cum in prædicto loco cujus ipse fundator extiterat, de ipsius loci liberalitate, institutis legum & pacis atque justitiæ, quibus totum orbem rexerat, diligenter inquiremus ecce Fratres ejusdem Ecclesiæ Privilegium S. Caroli de fundatione & dedicatione ipsius nobilissimæ Ecclesiæ, & de institutionibus legum humanarum, & civilis Iuris ejusdem Civitatis, nobis in medium protulerunt, quod ne vetustas aboleret, vel ne per oblivionem deperiret, nostrâ Imperiali authoritate renovavimus. Ejusdem verò Privilegii tenor & institutio talis est: *Ego Carolus &c.* Hucusque prior illa pars Diplomatis Imp. Friderici I. in quo elavationis & canonizationis Caroli Magni fit mentio.

CAPUT XVI.

IN QVO RELIQVA AD ILLVSTRATIONEM VITÆ VVITIKINDI SPECTANTIA EXHIBENTVR.

SVMMARIA.

1. Witikindus incidit in tempora Annalibus scribendis iniqua. 2. An circa historiam vitæ VVitikindi recentiorum scriptorum testimoniis fides habenda? 3. Locus cladis Saxonum post octo annorum quietem rebellantium notatus. 4. Witikindus ab omnibus ejusmodi turbis & novis motibus belli excusatur. 5. An Witikindi filii honorum & possessionum paternarum heredes fuerint? 6. Adducta hâc de re sententia Crantzii. 7. Eaque rejecta. 8. Laudata conjectura Sagittarii. 8. An *E*piscopis â Carolo M. cum sacrorum curâ etiam Reipublicæ administratio commissa? 10. An Bruno Archi-Episcopus Colonienſis primò omnium jurisdictionem in secularibus obtinuerit? 11. Quomodo Ducum dignitas & potentia aucta ac demum hereditaria facta fuerit? 12. Ex Adelingis hoc est Nobilibus Saxonicis à Carolo M. Comites constituti. 13. Probatur hoc ipsum ex Diplomate Caroli M. 14. Ex ipso Crantzio evincitur

Wigbertum fuisse Ducem Angriæ, 15. Episcoporum Germanicorum officium tempore Caroli Magni quale fuerit? 16. Laudata hâc de re verba Caroli M, ex Diplomate quodam.

WItikindum incidisse in tempora Annalibus scribendis iniqua vel ex eo nemini non constare putamus, quod non modo apud scri-
1 ptores coætaneos, sed & eos, qui aliquot post sæculis Carolina tempora attigerunt levis Witikindi nec non rerum præclarè ab eodem gestarum quasi in transcursu facta mentio, recentioribus verò historicis non usquequaque fides tribuenda sit. Quæ cum ita sint, præter capite præcedenti adducta
2 nihil notatu dignum de gestis Witikindi post suscepta sacra Christiana apud vetustiores scriptores, nec enim nunc tangenda, quæ inter recentiores Spangenbergius, Fabricius, Erpoldus Lindenbrogius, aliique non laudatis fontibus, unde hauserunt, posteritati reliquerunt, occurrit, quamvis enim post octo annorum quietem Saxones Anno Christi 793. Hunnicam militiam detrectantes,
3 interfecto etiam Caroli in Daniam legato rebellarint, testibus Annalibus Fuldensibus in Sinitfeldt, sive ut Poëta Anonym. Sinothfeldt, quem campum Diploma Ottonis III.
4 Imp. Soretfeldt & Sorethfeldt nuncupavit, devicti fuerint, quamvis itidem insequenti anno ob interfectum insidiis Saxonum Wilzan (Wisislaum appellat Latomus *in MS. Chronico Mechlenburgensi*:] Abotritorum Regem, qui ad Carolum iter habebat, novi motus bellici exorti, ab omnibus tamen turbis Witikindum purgant Crantzius & Fabricius, quinimo veteres Witikindum per hæc tempora in fide Caroli Magni permansisse negare non possunt, quod ipsum non parum magni Principis (qui si facundos & diligentes rerum gestarum conditores nactus fuisset, nullo maximorum Ducum & Imperatorum minor habendus esset) gloriam & famam apud posteros auxit, accedentibus insuper præter fortitudinem, indefessum libertatis Saxonicæ propugnandæ studiũ, perseverantiam in laboribus, necnon animum infractum in adversis, reliquis laudibus, quæ summam fortunam vel mereri vel ornare possunt, hinc ex merito tum à veteribus cum recentioribus scriptoribus tot egregiis titulis & elogiis Witikindus ornatus legitur.

Cæterum dispiciendum heic an VVitikindi filii honorum & possessionum paternarum heredes fuerint? Dubitat Crantzius
5 *lib. 2. Saxon. c. 25.* motus silentio Scriptorum, qui eâ ætate de rebus Saxonicis pauciss*i*ma tetigerunt, *VVigbertus Wedekindi filius*, in-
6 quit, Crantzius: *d. l. erat ab adolescentia Christo devotus, inter Saxones Vir primarius: sed an Principatum in gentem egerit, mirum est silentium: quod Saxones ea tempestate, regnante post patrem Pio Ludovico Imperatore, sub CHRISTI religione mansuefacti, quiescerent, & omnis provintia Episcopis dispertita religioni serviret.* Quam Crantzii de Episcoporum regimine sententiam semper suspectam mihi 7
fuisse ingenuè fateor, non præterit quidem me, Ducum dignitatem ab initio prout alibi in disquisitione de variis potestatibus ostensum. Conf. Vadian. *de Colleg. & Monast. Germ.* apud Lehmannum *Chronic. Spirens. lib. 2.* hereditariam non fuisse, interim per est verosimile filios Witikindi, cujus fama maxima, post conversionem verò fides & merita luculenta fuerunt, vestigia tanti Patris prementes, eâdem dignitate auctos fuisse, donec successio sub ipsâ adhuc Carolingicâ familiâ in propria ruente viscera, magis verò sub ipsis Imperatoribus Saxonicis invaluerit. Sagittarius in Historiâ *Antiquissimæ* Urbis Bardevzici cap. 3. putat ad exemplum Boioariæ, 8
ubi ex Adelolfingia familiâ, Francorum permissu, Duces assumti, idem privilegium Witikindeæ familiæ in parte inferioris Saxoniæ ab ipso Carolo datum esse; quam quidem conjecturam in medio relinquo, certos interim, post devictos à Carolo Saxones, Francorum & postea Germaniæ Reges, quique primo horum vice cum imperio fuerunt, procedente tempore verò auctoritate propriâ imperarunt in Saxonia, non desiisse in civilibus suo jure uti, nec Episco- 9
pis à Carolo cum sacrorum cura etiam Reipublicæ administrationem commissam esse, quinimo *Auctor* Chronici Belgici de Brunone Archi-Episcopo Coloniensi fratre Ottonis Magni tanquam insolitum quid observat, eundem primo omnium jurisdictionem in secularibus obtinuisse. *Ante hæc sua* (Brunonis scilicet) *tempora Archi-Episcopi Colonienses non judiciis gladii temporalis, sed tantummodo jurisdictione usi fuerunt baculi pastoralis.* Witikindus Monachus Corbejensis *lib. 1.* eandem rem ut insolitam exponens, Samuelis exemplo, qui Sacerdos juxta ac judex erat, excusat. In Chron. Erfurt. leguntur eâ de re sequentia. Da begunten zu erst die Bischoffe weltliche Rechte zu haben. Cæterum sive ad Ottonis, sive cum quibusdam ad 10
Ludovici Pii tempora hanc Episcopis in temporalibus concessam potestatem retuleris, mansisse tamen nihilominus, Comitibus & Ducibus suam digitatem, nemo in rebus & monumentis germanicis versatus negabit, aucta verò adeo tractu temporis ista dignitas ac potentia fuit, ut teste Sigeberto sub Conrado Rege de provinciis proprio jure sibi attribuendis cogitarint. Habebat verò Germania circa ista tempora quinq; præprimis Ducatus, Bojaricum, Suevicum, Franticum, Lotharicum, & Saxonicum, sane quod Carolum Magnum attinet, eundum Comites plurimos in Germaniâ ordinasse,

nemini

nemini non notissimum est, ex Adelingis verò hoc est nobilibus Saxonicis, quos Beda Satrapas, Annales Francici Primores,
12 Gobelinus Principes, ipse Carolus M. in Diplomate quodam Potentes Regionis vocat, itidem Comites à Carolo Magno assumtos fuisse, nemo nisi horum temporum ignarus negabit, plurimisque exemplis heic comprobari posset, nisi jam antea absoluta cum laude idipsum fecisset Vir de rebus Germanicis præclarè meritus Henricus Meibomius *in*
13 *Vindiciis Billingianis*, quò spectant verba Diplomatis Carolini *Anno* DCCLXXXVIII. in villa Trutmanni, quam Gobelinus *etat.* 6. *cap.* 48. Trotmundam, Continuator Reginonis *ad Annum* 953. vicum Droomanni, Ditmarus vicum Trotmanni vocat, dati, & à me *inter opuscula var. Politico-Juridico-Historica notis historicis illustrati*, in quo Trutmannus Comes in Westphalia ordinatur. Cæterum ut ad Witikindi filios & posteros redeamus, ipse Crantzius negare non po-
14 tuit gessisse Wigbertum Principatum, quippe cap. seq. disertè eundem Ducem Angriæ vocans. Sane cum tractu temporis Ducum Saxoniæ potentia in dies accresceret, Comi-
15 tes aut sponte se Ducibus submiseruns, quinimo posterioribus temporibus primogenito ducalem potestatem & prærogativam cessisse, cæterosque liberos Comitum titulo dignitateque contentos vixisse certum, alibique à me pluribus ostensum fuit. Hinc non malè in veteri Chronico Saxonico scriptum legimus, Do waß dat ene Wise / de oldeste Broder blev en Hertog / de jüngste en Grave. Equidem Episcopis non secularium negotiorum curam, non gladii terreni jura, sed gentium conversionem, rudiorum institutionem, & indefessum scrutandi scripturas studium à Carolo M. commendata fuisse, præter alia vel ex Diplomate Caroli Magni de fundatione Episcopatus Verdensis constare poterit, ex quo sequentia huc spectantia exhibemus. ibi. *Ut autem confirmationis sententia, oblationisque donatio rata & inconvulsa, & omni evo intransibilis permaneat, ex præcepto summi Pontificis & universalis Papæ Adriani, necnon Moguntiensis Archi-Episcopi Lullonis, & omnium qui inibi aderant, Sanctorum Pontificum & Catholicorum Sacerdotum, & Alquini insignis predicatoris, rationis consilio, supra memoratum sanctæ DEI genitricis Ecclesiam, cum omnibus appendiciis, & donativis Suitberto sanctæ conversationis viro, & immortalis memoriæ, coram Deo & apud homines commisimus. Quem quidem in agro DEI laborantem, primum eidem Ecclesiæ bonum militem IESU CHRISTI præfecimus, ut populo adhuc rudi, verbi DEI semina messem deinceps latura, secundum dispensatam sibi sapientiam, tanquam fidelis servus & prudens, in domo DEI administraret, & canonica ordinatione & competenti, & ecclesiastica institutione, ecclesiam sibi delegatam tam novellam plantaret atque rigaret, donec orationibus servorum suorum interpellatus omnipotens Deus incrementum daret.* Hactenus verba Diplomatis Carolini dati Moguntiæ III. Kalend. Julii, Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVI. Indictione XII. anno autem regni Domini Karoli XIIX.

CAPUT XVII.

ET ULTIMUM,

DE OBITV, MONVMENTOQVE VVITIKINDI IN VICO ANGARIENSI COMITATVS RAVENSBERGICI.

SVMMARIA.

1. In viris ingentibus post ortum finem quoque ac obitum merito considerabamus. 2. Quo anno Witikindus fato functus? 3. Witikindus occubuit in prælio cum Geroldo sive Nothardo Suevorum Duce commisso. 4. Annus natalis Witikindi ignoratur. 5. Witikindus an ad minimum sexagenario major rebus humanis exemptus fuerit? 6. Locus sepulturæ magni Witikindi. 7. An imperator Henricus Auceps corpus Witikindi cum tumbâ Paderbornam transtulerit? 9. Carolus IV. Anno 1377. cum Augustâ conjuge ad inspiciendum Witikindi antiqui operis sepulchrum profectus. 10. Idem glorioſiſſimus

mus Imperator tumbam vetuſtate nonnihil deformatam renovari mandavit, additis, inſignibus, nempe Leone flavo cum caudâ bifurcatâ in puniceo campo. 11. Deſcriptio monumenti Witikindi laudatis Reineccii verbis exhibetur. 12. Epitaphium Witikindi, quod margines ſepulcri continent, adducitur. 13. Religio & cultus ſuperioribus ac recentioribus temporibas Witikindi monumento habitus, exhibetur. 14. Encomium Witikindi cum operis Epilogo.

1 EVecti hactenus per omnem vitam Witikindi ſumus: non ut in minutiſſimis occuparemur; ſed ne quid tranſiremus ejus, quod relatione dignum præcipuè eſſet. Suprema reſtant: quæ ipſa quoque juvabit exponere. Sicut fluminum non capita tantum decurſusque, ſed exitus quoque inquirimus; ita in Viris ingentibus poſt ortum, & quæ cum eo connexa hærent, finem quoque ac obitum merito conſideramus. Occubuiſſe magnum heroem noſtrum, & cœleſtem animam cœ-
2 lo reddidiſſe Anno vigeſimo ſecundo, poſtquam ſacro baptiſmi lavacro ablutus fuit in prælio cum Geroldo ſive, ut Fabricius *Orig. Saxon. lib.* 4. *p.* 439. & 440. Nothardo Suevorum Duce commiſſo, tradit Crantzius *lib.* 2. *Saxon. c.* 24. quorum verba ſupra cap. 15. adduximus, juxta ſupputationem Lezneri, Reineccii ac Eliæ Reuſneri in Oper. Genealog. in *Stirp.* Witikind. A. C. 807. vel ut aliis placuit Anno 805. aut denique juxta Wittium & Cleinſorgium Anno 812. Quod ſi juxta effatum ſacratiſſimi Imperatoris Juſtiniani, hi qui ita ceciderunt, in æternum vivere per gloriam intelliguntur: Vivit ſane etiamnum magnus Witikindus, quam vitam illi nec caſus ullus, nec ulla calamitas adimet, & ſola convertet æternitas. Quod ætatem Magni Witikindi noſtri attinet, quanquam ea de re merito dubitari queat, quum annus natalis ignoretur, atque idcirco anno-
3 rum ætatis ratio exacta iniri nequeat? tamen ſi conjecturis locus, veriſimile videtur Witikindum Ducem belli contra Carolum Magnum gerendi electum non minorem 25. aut 30. annis fuiſſe, quod res ipſius tanta prudentia præclarè geſtæ ſatis arguunt. Quum vero bellum iſtud Saxonicum Duce
4 Witikindo contra Carolum Magnum ſatis diuturnum, ac teſte Eginharto per 33. annos geſtum, ac bello compoſito & ad Chriſtianam religionem Witikindo converſo, eundem per plurimos annos etiamnum ſuperſtitem fuiſſe rerum Germanicarum ſcriptores atteſtentur, adde quod Fabricius laudato loco tradat Witikindum præductum bellum in extrema ſenectute geſſiſſe, utique ad minimum Witikindus ſexagenario major rebus humanis exemptus fuit. Non contemnendum ætatis ſpatium; ni multò amplius ſibi aperuiſſet magni Principis & fortiſſimi herois gloria; cui nec meta poſita eſt & finis haud alius erit, niſi qui virtuti & præclaris actionibus.

5 Ad locum ſepulturæ magni Witikindi, ut progrediamur, ſepultum Angriæ baſilica à ſemet extructa Witikindum fuiſſe conſtat, cujus effigiem, ut ibidem eſt, affabrè deſignatam in monumentis Paderbornenſibus pag. 146. heic ut curioſo Lectori ſatisfiat, exhibemus, cum inſcriptione ſepulcri in diſ- 6
crepante paululum ab antiqua illa adducta VVittio & Cleinſorgio.

7 Cæterum Imperatorem Henricum Aucupem corpus VVitikindi cum tumbâ Paderbornam tranſtuliſſe, tradunt Crantzius, Bernhardus VVittius, alii. Extruxit VVitikindus, inquit hâc de re Petrus Cutſemius SS. Theol. D. *in Saxoniâ Catholicâ p.* 22. Angriæ Baſilicam, in qua ſepultus, ſed inde ab Henrico Romanorum Rege Paderbornam translatus, lætam ibi cum univerſis Chriſti fidelibus ſui reſuſcitationem exſpectat. Reliquit duos poſt ſe filios VVigbertum & VVitikindum II. fæcundiſſimos ſtemmatis ſui 8
propagatores. Hactenus Cutſemius d. l. Rectius in laudatis Monumentis Paderbornenſibus traditum Angarienſi Collegio auctoritate Pontificia Anno 1414. 16. Januarii inde translato & Hervordiam migrante cineres VVitikindi ciſtæ ligneæ parum reverenter incluſos, una cum aliis quibusdam cimeliis ex Angario aſportatos.

9 Equidem glorioſiſſimus Imperator Carolus quartus cum anno 1377. ſub finem anni cum Auguſta conjuge Weſtphaliam luſtrans Mindam 15. Novembris ingreſſus, ibique hoſpitium ſumens apud Monachos Dominicanos, quibus cum vixit totum triduum, deinde Bilfeldium 18. Novembris veniſſet, ibique inaudiviſſet in vicinia in vico Angaria veteri Saxoniæ Regum Auguſtali, ſupereſſe VVitikindi Magni, Saxonum Principis quondam celeberrimi, antiqui operis ſepulchrum, viſendi gratia eo divertit. Erat tum temporis, juxta Henricum Meibomium in Notis ad Hermanni de Lerbeke Monachi Dominicani domus S. Pauli Min-10
denſis Chronicon Comitum Schavvenburgenſium pag. 80. tumba venuſtate nonnihil

deformata

deformata, quod non ferens Cæsar interpolari renovarique eam mandavit, additis insignibus, nempe Leone flavo cum caudâ bifurcata in puniceo campo.

Porro quod monumentum ipsum Witikindi, etiamnum hoc Anno, cum ex clementissimâ commissione Serenissimi ac Potentissimi Principis Dn. Dn. FRIEDERICI WILHELMI Maximi Electoris Brandenburgici Dni mei clementissimi in Comitatu Ravensbergico versarer, diligentissimè inspectum attinet, non meis verbis, sed clarissimi Viri & de historia rerum Germanicarum præclarè meriti Reineri Reinecciiin discursu de Angrivaria edito inter opuscula Varia de Westphaliâ ejusque doctis aliquot Viris a Johanne Goes VVestphalo, structuram ejusdem exponendam heic duco. *Representat id fanum Witikindi*, *formam crucis*, inquit Reineccius, *ac ita representat, ut quatuor hemicyclia exprimat. Collis, in quo situm est, eo, qui aream habuit aliquanto editior est. Primum versus Orientem hemicyclion includit altaria duo, alterum in ipso diametro, seu aditu, angustius, alterum humilius. Medium ferè inter hæc interstitium Widechindi monumentum intercipit. Cujus longitudo est circiter*
11 *pedum* $7\frac{1}{2}$ *latitudo duorum, altitudo* $2\frac{1}{2}$ *Basis & tumba Lignea sunt, cui tumbæ cippus impositus imaginem Widechindi insculptam habet. Ea talis est. Longitudo haud minor IIX. palmorum esse videtur. Facies admodum decora sed longiuscula, cum mento raso & naso plano, regiam quandam gravitatem, nec solum animi magnitudinem, sed ingenii quoque sagacitatem atq; acumen præfert. Coma capitis prominentior ad nigrum colorem accedit, ipsum caput pileus cæruleus tegit, cui gemmis radians diadema implicatum, tametsi hodie gemmis evulsis, tantum pale ostendantur. Vestis interior est talaris puniceæ, quam excipit trabea coccinea, margaritis refertissima. In eâdem limbus aureus, qui gemmarum veluti emblemata interexta habuit, conspicitur. Nunc enim pale solummodò reliquæ sunt. Tertia vestis est toga cærulea, pretiosis pellibus subducta. Eadem exterius asteriscis quibusdam aureis coruscat: & prætextam auream gemmæ ornant, licet & hæ amissæ sint. Manum dextram erectam tenet, sed ut medius digitus indicem ex transverso premat. Nam eam quasi naturalem notam VVidechindum habuisse incolæ affirmant. Læva manus sub exteriore toga latet, sed ut easinum faciat, itaque sceptrum gestet. Calcei qui deaurati talos attingunt, ad digitos pedis in formam acutam desinunt. In medio sectura excipit margaritarum ordo. Ipsam imaginem tegunt valvæ duæ; quas sustinent totidem triangulares tabulæ. Ea quæ ad caput cernitur, quasi dissecta insignia habet: nam dextrum latus est nigra dimidiata aquila in puniceo, sinistrum septem aurea lilia in cæruleo campo. in altera ad pedes flavus leo visitur in puniceo campo. Margines sepulcri continent epitaphium.*

OSSA VIRI FORTIS, CVIVS SORS NE- 12
SCIA MORTIS.
ISTE LOCVS MVNIT, EVGE BONE SPI-
RITVS AVDIT.
OMNIS MVNDATVR HVNC REGEM
QVI VENERATVR.
ÆGROS HIC MORBIS COELI REX SAL-
VAT ET ORBIS.

Cæterum qua religione & veneratione superiorum temporum superstitio hoc VVitechindi monumentum coluerit, ut alia reticeam, de eodem Epitaphio planum fit. Hac nostra tempestate in E- 13
vangelica luce. solennes quædam exequiæ retinentur, quas incolæ ad IIX. Id. Ianuarii, quæ sunt τὰ Widechindo faciunt. Etenim ita consuetudo obtinuit, ut è pagis finitimis agrestes tanquam strenas quasdam conferant quæ deinde à Magistratu instar Sportularum in egenos distribuuntur. Hæc Reinerus Reineccius *laudato loco.*

Atque hæc ea sunt, quæ de vitâ & rebus præclarè gestis Witikindi ob rerum gestarum celebritatem Magni cognominati, Ducis Saxonum, Principis Angriæ, Rugiæ, Dynastæ Iburgi, Herois, & Germanicæ libertatis propugnatoris fortissimi ac incomparabilis, ex rerum Germa- 14
nicarum scriptoribus & antiquis monumentis in medium adducere volui. Vivit interim ille, vivetque, quod de eloquentiæ parente dicebat Velleius lib. 2. per omnem seculorum memoriam, dumque hoc rerum naturæ corpus manebit incolume, comitem ævi sui laudem Widekindi traher, citiusque in mundo genus hominum, quam ea cadet. Salve interim Witikinde; iterum dico Witikinde salve, & hoc, quod in præsenti officium solvo, hanc pietatem gratam jucundamque habe. Non æra aut marmor in tuos formamus vultus: non cœlo educimus superbas moles, quæ simul honorem nominis tui & admirationem oculis injiciant. Parabili materia, & facili artificio memoriæ tuæ consulimus: complexi scripto, quod sumtuosâ industriâ alii & magno opere vix exprimant, nam fortitudo, scientia artis militaris, amor erga patriam dulcissimam, ejusdemque defendendæ ac propugnandæ libertatis ardor

& ſtudium indefeſſum, res denique præclarè geſtæ nec manu pictoris, nec ſtatuarii artificio oſtendi potuerunt, & ſolâ oratione figurantur. Quicquid ſane in Witikindo noſtro amavit antiquitas, quicquid & nos mirati ſumus, manet (ut heic utamur verbis illuſtris Annalium conditoris Taciti in vita Julii Agricolæ) manſurumque eſt in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios & ignobiles fama obruet, Witikindus poſteritati narratus & traditus, ſuperſtes erit.

FINIS.

VITA

VITA ET GESTA KAROLI MAGNI IMPERATORIS INVICTISSIMI PER EGINHARTUM

Ejus Secretarium descripta cum brevi narratione de Origine & Sedibus ipsorum Francorum &c.

ET

ANNALIBUS PIPINI KAROLI ET LUDOVICI REGUM FRANCORUM

Ab Anno 742. usque ad 98. per quendam Monachum Benedictinæ Religionis collectis.



FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA GENSCHIANA.

Invictiss. & Clementiss. Roman.
Imperatori.

KAROLO
AUSTRICO, EJUS NOMINIS V. HISPANIARUM, PANNONIÆ, DALMATIÆ,

Siciliæque regi longè potentissimo, HERMANNUS à Nuenare sacri Imperii Germanici Comes, perpetuam felicitatem,

QUum nostro ævo rei literariæ studiosi homines ingenii felicitate & dicendi copia pollentes, quicquid ad Philosophiæ cumulum sive divinæ sive humanæ facere potuit, abundè persecuti fuerint, visum est mihi aliquando prudentissimum illud Pythagoræ consilium amplectendum esse, quo suis discipulis silentii septennalis rationem proponebat: Idque adeò semper apud me obtinuit, ut per annos aliquot in angulum abditissimum recipere me statuerim, ubi cum Abderita Democrito; quantum mihi per fortunam liceret, incognitus delitescerem, sic futurum ratus, ut vel ipsa diuturna meditatio vitæ moderationi conjuncta, fructum aliquem mihi reponeret: Quid enim in tàm celebri hominum frequentia, quibus hæc ætas & hæc natio nunc referta cernitur, nostræ industriæ relictum putabimus. Omnia sunt jam dicta (ut poëta ait) nihilque prætermissum, unde vel augeri vel ornari respublica possit: Jamdudum siquidem per Germaniam pullulantibus passim ingeniis, mira hubertate res literaria propagari cœpit, ita ut non absurde Horatianum illud Germani de se jactare possint: Virgilius. Germania nostro tempore ingeniis viget.

Venimus ad summum fortunæ: pingimus, atque
Psallimus, & luctamur Achivis doctiùs unctis. Horatius.

Hæc mihi subinde animo versanti, non potuit non placere taciturnitatis ratio, præsertim quæ hoc tempore non modò non conducens, sed propè necessaria videtur: Quippe cum multos ob loquendi libertatem sæviens vindictæ procella perdere conetur, & quod magis dolendum sit, in libera Germania liberas esse linguas non permittitur, quod in qualibet libera civitate permittendum M. Cicero judicabat. M. Cicero. Verùm ex altera parte mecum dissidens, cogitavi nec sic quidem decorem me servaturum. Nam faustum illud Imperii tui exordium, quo totus ad alacritatem mundus exercitatur. omnem socordiam metumque reprimit, ac veluti reluctantem cogit in tâm publico orbis spectaculo frontem deponere, in-

Dolium Diogenis.

ſtitutoque Ariſtippi blandum quoddam & civile vivendi genus amplecti: Repente igitur exemplo Cynici illius Diogenis dolium meum volvere aggrediar, ne in communi omnium occupatione intempeſtivius otiari videar: Ut tamen aliquam audaciæ meæ apologiam prætexam, duo ſunt, invictiſſime Cæſar, quæ mihi fiduciam ſuggerunt tecum per literas loquendi, amor tui, & patriæ gloria, quorum alterum mihi cum optimo quoque commune judico, ita ut id veniam mereri ab omnibus putem, quod nemo non ſtudet facere niſi peſſimus: alterum ut excuſatione non egeat, tua innata clementia facilè præſtabit, quæ proculdubio tanto vincit cæteras virtutes, quanto tu omnibus major es. Habes itaque ſummam excuſationis meæ, qua fretus hoc rude & incultum hiſtoriarum opus, tibi qua poſſum honoris tui præfatione nuncupo, quod quidem non quaſi noſtro ingenio partum ſit æſtimare debes, cum idipſum è Germanicæ vetuſtatis penu deprompſerim, quale quiddam ante nos ornatiſſimus vir Conradus Peutinger approbantibus doctiſſimis hominibus præſtitit: Quare mihi Francorum regum PIPINI videlicet, KAROLI MAGNI atque LUDOVICI res geſtas velut poſtliminio revertentes in Germaniam reducere ſub tui nominis auſpicio liceat: quorum potiſſimum ope ultra omnes totius Europæ provincias noſtra Germania & aucta & ornata legitur, ut non minus Francis debeat ipſa, quàm Romanis olim Italia, & ſuis docta Græcia Athenis: Hæc eſt enim illa inter omnes Germaniæ gentes clariſſima, meritoque nominis immortalitate celebranda, quæ Germaniam Germaniæ reſtituit, cum illa priùs tot inteſtinis cladibus dilaniata, vix ſibiipſi conſtaret, hinc Gothis, Wandalis, Hunis, Langobardis, illinc Herulis, Thurcilingis, Saxonibus, Anglis, Nordmannis, Quadis, Burgundionibus, Alemannis, in ſuam parentem ſævientibus: Hæc Galliam tripartitam toties à noſtris majoribus oppugnatam, tandem omni ex parte perdomuit, ipſiusque non modicam partem in hanc nationem transplantavit, ut ab alpibus unde Rhenus effunditur usque ad Occiduum oceanum Germanici juris ſit, quod Gallia priùs Belgica dicebatur: Reliquum autem Galliæ de ſuo nomine Franciam appellari etiam hoc tempore videmus, unde conſtat Gallorum non tàm victores quàm extinctores fuiſſe. Hæc denique Rom. Imperium tanto tempore toti terrarum orbi non formidabile ſolùm ſed etiam oneroſum, brevi tempore contrivit, ipſumque Italiam victorem quondam gentium victoris ferre jugum compulit: Sic Germanorum virtuti cedere coacti ſunt Romani, quos neque ferocia Annibalis cum tota Africa, neque potentia Antiochi cum ſua Aſia, nec Pyrrhus quamvis Græciæ eſſet imperator frangere potuerunt: Quæ res fortiſſimum virum non latuit, Friderichum I. cognomento Barbaroſſam (quemadmodum de illo memoriæ tradiderunt Otho Friſingennenſis epiſcopus & Guntherus Ligurinus Poëta) Nam hunc ad legatos Rom. ſibi in aditu urbis obviam factos verè Germanico quodam vultu dixiſſe ferunt, Roman. Imperium majorum meorum Francorum ſanguine emptum, eisdem quibus accepi manibus tueri conabor: quo ſuo eulogio vanam Italorum contudit arrogantiam, qui ad Germanos veniſſe Imperium Stephani papæ donatione aſſerunt, ut precario nos accepiſſe fingant, quod belli jure poſſidemus: Qui ſi verum dicere vellent, faterentur utique KAROLUM MAGNUM Italiæ à qua per longobardos ejectus erat reſtituiſſe Stephanum papam, nec agnoſcere donum, quo carebat is quem fingunt donatorem: Faterentur per hunc in Italia regnare Pont. Romanum, non Conſtantinum, cujus ſucceſſores usque ad Thederichi regis Gothorum tempora & ipſam Romam & Italiam totam tenuerunt: Faterentur hexarchatum Ravennæ cum Piceno non fuiſſe unquam ſub poteſtate Rom. eccleſiæ, niſi poſtquam Stephano papæ fuit per PIPINUM collatus. Sed Italorum hæc commenta relinquamus & ad Francos revertamur: Hi ſunt enim qui Saxonum gentem bellicoſiſſimam, & Romam viribus inſuperabilem, diuturno bello domuerunt, victamque CHRISTI ſacratiſſimam religionem profiteri compulerunt: Hi Hiſpaniam priùs occupatam Saracenis, Pannonias Hunis, Sarmatiam Sclavis, totum Balearicum mare vexatum Mauris, tàm brevi tempore ſubegerunt, ut neſcire poſſis, majorne felicitas eorum in conſequendis ac retinendis, quàm fortitudo in expugnandis provinciis fuerit. Ex hac nimirum gente tanquam ex equo Trojano totius Germaniæ nobilitas proſiliit: neque enim altiùs ſuos avos numerat

Conradus Peutinger.

Franci Gallia tripartitam ſubegerunt

Gallia Celtica mutato nomine Francia appellata.

Franci Rom. Imperium expugnarunt

Friderich: Barbaroſſæ teſtimonium.

Italorum commentum de translato Imperio.

Franci Saxones ad religionem Chriſtianam converterunt.

Franci Hiſpaniam, Pannoniam, & Sarmatiam debellarunt.

Omnis totius Germaniæ nobilitas à Francis.

rat ulla insignis familia, cum primùm ad Ansgisum majorem domus ventum est, ibi velut ad anchoram sacram hæretur : Nec nos movet quorundam stultitia suam originem ad Romanos referentium : qui si scirent nullam in Italia nobilitatem esse quam non Germani eo advexerint, non haurirent aquam è rivulis ipso fonte contempto. Jam satis constat; majores tuos Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ Hollandiæque principes, è Francorum sanguine fuisse propagatos, neque hoc augustum nomen tuum fortuito obvenisse tibi putaveris', quandoquidem hæreditaria quadam successione id in te derivatum scire debes. Sed ne multis te detineam Invictiss. Cæsar, hoc breviter dixisse sat sit, vix ullum reperiri tàm in Germania quàm Gallia cœnobium, quod illorum munificentia non fuerit vel extructum vel ornatum. Hujus itaque gentis in nostram nationem præclara & immortalia beneficia si per oblivionem premi patiamur, quis ab ingratitudinis crimine nos absolvere poterit. Dicere solebat magnus vir Eumenes, satius esse perire quàm ingratum vivere, & nos profecto ingratitudinis nota non carebimus, si quod in privatos homines admittere nefas putatur, in patriam commiserimus. Accipe igitur jucunda fronte munus exiguum tuo dedicatum nomini, quod etiamsi te dignum minimè sciam, non ideò tamen à nobis offerendum non fuit: nam si ad materiam spectes, vix ulla gaza, vix regum atque tyrannorum opes satisfuerint : rectè enim magnus Aristoteles diffinivit amicitiam id exposcere quod quis præstare possit, non quod pro dignitate sit: Et te quidem inter omnes virtutes quibus præditum esse cognovimus, nulla æque decet ac illa admirabilis animi tui lenitas, quæ potest vel graviter delinquenti ignoscere, oportet enim te non minus boni parentis quàm optimi principis specimen exhibere quemadmodum apud Xenophontem Chrisanta quidam testatur, ὅτι ἀρχων αγαθὸς οὐδὲν διαφέρει τῦ πατρὸς ἀγαθῦ, hoc est, quod bonus princeps nihil differt à bono parente : Hæc enim una est in principe laus, qua non potest ulla dari præstantior, ideoque veniæ locum apud te mihi certò polliceor, quam si ego non mereor, ille tamen facilè impetrabit KAR. MAG. cujus in gratiam hoc qualecunq; studium nostrum defudat, dignus ille qui pro me intercedat, dignus cujus tu vitam & mores imiteris, quod si feceris nunquam sanè te facti pœnituerit: Nam illud præclarum exemplar tuum si non vinces, saltem æquaveris, longè felicior futurus C. Cæs. Roman. potentissimo, qui sibi velut scopum quendam Alexandri Magni gesta ante oculos constituisse fertur, flagitiosus homo dignum suis actibus exemplar consecutus. Tu verò hujus viri sanctimoniam imitatus, jure optimo KAROLUS MAXIMUS appellaberis, ut te omnes per orbem terrarum & colant & admirentur. Interim te mente & corpore valere opto, Deumque maximum precor, ut Imperium tuum fausto omine inchoatum, optimo felicissimoque fine concludat. VALE glorioss̃ime & clementiss̃ime Imperator. Ex Colonia CAL. FEB.

Stultitia Germ. qui à Roma suam nobilitatem metiuntur.

Austriæ, Burgundiæ Brabantiæ, Hollandiæque principes à Francis.

Æmilius Probus.

Aristoteles VIII. Ethicorum.

Chrisanta.

Ejusdem

Ejusdem Hermanni Comitis Nuenarii Brevis narratio de origine & sedibus priscorum Francorum.

DE origine & sedibus Francorum priusquam *in Gallias eruperiit, eorum qui hactenus ejus gentis historiam scripserunt nemo satis fideliter accuratèq; tractasse mihi videtur: Quidam enim antiquiores, quod seculum illud infelicissimum esset ad fabulas plerumq; prolapsi sunt, quoniam delectum non habebant, nec sine bonarum literarum cognitione de rebus historiæ exactum poterant proferre judicium: Fuerunt enim inter eos qui à Trojano excidio Francorum deducerent gentem, idq; tàm apertè astruentes, ut etiam regum nomina ascriberent, nescio quid Græcanicæ proprietatis subolentia: His omnibus prior ansam dedit Humibaldus, quem vixisse putant non multo post Theodosii imperatoris tempora, licet mihi non multum fidei faciat author tàm fabulosus & barbarus, quem cum multis ex causis tùm vel maximè ob id supposititicium putaverim, quoà Theodosii vel Gratiani temporibus nondum adeò degeneraverat in extremam barbariem Latinus sermo, ut tàm abjecto stylo scribere potuisset: præterea çum (sicut ipse testatur) tàm vehemens tunc Francorum in Romanos odium vigeret, ut multis in locis ne vestigia quidem Romana relinquenda putaverint, quo illorum memoriam extirpare è Germania atq; Gallia possent, mihi virisimile non videtur, Humibaldum ea ipsa lingua gentis suæ historiam tradere voluisse, quam tàm acriter insectabantur omnes, sed opinor studiosum aliquem nonnulla ex Humibaldo collegisse, eaq; suo more, sinè ordine, sine judicio sic in volumen redegisse, quemadmodum nunc apud quosdam habentur. Quod si quis omninò contendat, hunc ipsum esse Humibaldum non fictitium sed verum, huic libens concedam, modò neme cogat illi fidem facere in iis rebus, quæ solent spectatæ eruditionis & doctrinæ virum expostulare: Non magnopere enim me illi opponerem, nisi Trojanos meliores putasset Germanis, & quos Cor. Tacitus atq; Strabo homines Romani indigenas semper fuisse pronuntiant, eos ipse Asiaticos origine faceret, sed quàm hoc sine omni judicio facere aggressus sit, alii mecum judicent: Nam si Trojanum bellum fuisse aliquando (quod pulcherrimis rationibus negat Dion Prusensis, sacra Ægyptiorum fultus historia) putandum est, certè non facile persuadebit mihi Humibaldus, tantum hominum numerum sub tàm famoso duce furtim abscedere potuisse, cujus rei nullus Græcorum scriptor mentionem faciendam censuisset: Neq; enim tanto hominum numero in Italiam Æneas & Antenor profugisse leguntur, quanto Priamum Iunioren Humibaldus ad Scythiam venisse contendit: Tamen horum fugam Dares non tacuit, quem nonnulli militasse eo bello putant, & omnes Græcorum historiæ testantur hos solos expugnatæ urbis reliquias fuisse, qui in ipso Græcorum

rum insultu fuga salutem quæsiverint, postmodumq; alter Venetiam, alter Latium invaserint. At Priami illius Innioris nullus unquam veterum meminit, eoq; magis admirari cogor eos quibus pro miraculo est Hunibaldus iste, quasi confingere regum nomina opus sit laboriosum, præsertim ubi earum rerum quas scribit præter ipsum nemo meminerit historicus. Iam vide quam fidem mereatur, quòd ait Francorum populum profugum veniſſe ad Scythiam ibique civitatem constructisse nomine Sicambriam, Quis hujus unquam civitatis author meminit, An non tàm facile novam urbem confingere sola sua authoritate potuit, quàm ridicule novam gentem à Trojano deduxit excidio? Nam eos parum admodum curo qui ipsum secuti sunt, nempe Gregorium Turonensem episcopum, & Rheginomen atq; Sigibertum Gallum. Mihi non probatur aliam esse Sicambriam, quàm illam celebrem Germaniæ provinciam inter Busacteros parvos & Bructeros Longobardosque, authoribus Ptolomæo Cornelioq; Tacito constitutam, ubi etiam abbas Spanheimensis putat habitasse Francos, & idipsum mihi à ratione non videtur alienum, primò quòd vicini fuerint Gallis, cum illis enim perpetuo bella gessisse traduntur, quemadmodum & ipsorum testantur annales: At qui poterant semper bella gerere nisi cum vicinis, utpote quos tantum Rhenus fluvius separaret, ab altera enim parte vel Butavi, vel Eburones, vel Menapij, vel Vbij erant, quos omnes vicisse Francos constat prius quàm in Celticam & Lugdunensem moverent. Iam de Sicambris constat, quanto in Gallos odio flagraverit semper ea gens, adeò ut Octavianus claudere Iani portas non posset, nisi prius traductis in citeriorem Rheni ripam aliquot Sicambrorum millibus, autor est Sueton. Tranquillus. Taceo nunc quod de Francis Hunibaldus scripsit, comâ usos, capillitijque magnam habuisse curam, ideoq; devictis Gallis in signum servitutis comam totondisse, ut victores à victis eo facilius dignoscerentur. Hæc etiam Sicambris optimè quadrant, de quibus initio Epigrammatum Martialis, Crinibus in nodum tortis venere Sicambri: & calamistro ad ornandam comam usos nunnulli Rom. *scriptores tradiderunt: nullæ enim aliæ Germ. gentes sic à coma prædicantur ut* Suevi & Sicambri. *Porro quod postea nomen mutaverint id aliquo eventu factum esse potest, ut quotidie fieri videmus. Qui enim nunc Leodienses, olim Eburones fuerunt, Colonienses Vbij. Sic Austria nunc appellatur quæ olim Pannoniæ pars erat, sic Alsatia dicitur quæ olim Alemannia, sic occidentale vulgo Lotharijq; regnum dicitur nobilis illa Belgicæ pars ab Argentorato usq; ad Treviros protensa, idque tantummodò ob partitum Francorum in tres partes regnum, quarum postrema atq; minor Lothario Cæsari obvenerat, VVestfalia nunc dicitur quæ Saxonia olim fuit: quæ breviter in medium attulisse sufficiat, ut nulli mirum videatur, si mutato nomine qui antè Sicambri dicebantur, postea Franci appellari potuerint. Sive enim Franci à rege eorum Francone (ut author est Hunibaldus) sive à libertate, quod Gregorius* Turonensis *& Sigibertus putant, non multum ad rem nostram facit. Ex historiis hot nomen sub Antonini & Probi Impp. tempora agnitum reperio. Trebellius Pollio in vita Probi Cæsaris, testes, inquit, sunt Franci in inviis siti paludibus: & sæpe cum Germanorum enumerat gentes, interserit & Francos. Paludes autem esse nemini ambiguum est ea in parte Germaniæ quam nos Sicambriam olim dictam credimus, videlicet ubi nunc Zutphania urbs sita est, & non longe ab Asciburgo quam Embricam quidam vocari putant, ingens & famosa palus*

palus versus VVestfalos protenditur. Præterea ubi Frisii occidentales, hodie Monasterienses & Trajectenses Gelrensibus & Hollandis conterminisunt, solum ipsum natura paludosum cernitur. Sic etiam intelligi poterit quod de Francorum sedibus 1. *libro Gothicorum bellorum Procopius scribit, cujus verba quia planè in Germania Francos ponunt eo libentius subscribam, quod sciam quosdam hoc pessime habiturum, qui nostræ gloriæ semper invideruntː De scribens enim verò situm locorum ubi Rhenus in Oceanum Germanicum præcipitatur, Hisce, inquit, locis paludes sunt non modicæ, ubi primitus Germani habitabant, gens barbara, nec magni tunc momenti viri qui nunc appellantur Franci, iis finitimi Arborichi erant, hæc Procopius. Sed quantum ad loci descriptionem, quæ χωρογραφία dicitur, attinet, condonandum aliquid est illis qui de rebus incognitis atq; remotissimis scripserunt: Fuit enim Procopius vir equestris ordinis, qui apud Iustinianum Cæsarem in Græcia militabat. Verissimum est illud Plinii II. Naturalis historiæ libro dictum, locorum situs diligentissime explanari ab iis qui inde prodissent. Porro non multum distant Sicambri ab ostiis Rheni, ut homo Græcus facile hallucinari potuerit: vel certe præter Sicambriam Batavіam atq; Hollandiam quoq; inhabitaverunt. De Arborichis autem quid sibi velit non satis intelligo, nisi quod Insulæ Arborichæ adjacere dicuntur illi provinciæ quæ nunc Hollandia vocatur. Idem author libro III. scribit Germanos Galliam debellasse permisquе Iustiniani Cæsaris possidendam accepisse, unde inquit & Arelatæ nunc habitant. Sed de alia Germanorum gente credi hoc non potest, cum Francos eo tempore tota Gallia potitos constet. Primus enim Francorum Clodoveus universam Galliam ejectis Romanis obtinuisse traditur. Is verò Martiani imperatoris temporibus regnavit, post quem Iustinianus imperavit C. amplius annorum intervallo, & à Clodoveo usq; ad KAR. M. res Francorum incrementa semper accepit, donec totius ferè Europæ tenerent imperium. Hos igitur inclytos Germanos Procopius notavit, à quibus etiam hoc tempore Imperator Arelatensis regni titulum retinet. Quos in Sicambria olim sedes habuisse, & vera origine Germanos fuisse indigenas, non Trojanos (ut fabulantur quidam) mea fert opinio, quàm non parum promovet quod abbas Spanheimensis ait haberi apud Remos insculpta hæc verba, quibus beatus Remigius Clodoveum baptisandum allocutus fuerit, Mitis depone colla Sicamber. Neq; Hunibaldus inficiatur hanc Francos inhabitasse provinciam, postquam è Scythia digressi sunt, annis ante Christum natum non minus C.C.C.C. Quare minor magis eorum regum nomina quæ recensет, post adventum eorum in Germaniam non reperiri apud Rom. scriptores, inter quos Strabo Augusti tempore tres nominat Sicambrorum reges quorum nullus est in catalogo Hunibaldi. Si quis aliter sentiat illi non obnitar, liberum cuiq; suum esto judicium. Hoc tamen pro mea interim sententia adducam, Gloriæ cupiditate multos olim fuisse inductos, ut antiquissimam originem suam facere conarentur. Qui enim aliis meliores videri volunt, hoc potissimum student, ut cum aliis nihil habeant commune. Hinc etiam Saxones qui semper inter Germanos præcipuum locum habuerunt, origine se Macedonas gloriabantur, hac in re non minus ridiculi quàm Franci: Eamq; ob causam res strenuè gestas nequaquam communi vocabulo Germaniæ tribuebant, sic suam gloriam vilescere rati: hoc enim & Gothi & VVandali facitarunt, unde paulatim à vulgo creditum est eos extra Germaniam fuisse. Sed hæc breviter attigisse sufficiat.*

Restat

REstat aliqua ex ipsorum Francorum monumentis afferre testimonia, idque tantâ brevitate aggrediemur, ut tædium legentibus nullum afferamus, diligentioribus reliqua committentes. Duas Francos habuisse leges ipsorum authores testantur, Salicam atque Ripuariam, quibus nullus regum ante KAROLUM MAGNUM adjicere quicquam tentavit: Ex eum apud ipsos plurimi semper momenti habitæ sint, ac in Latinam linguam posterioribus seculis translatæ reperiantur, eò majorem adversariis authoritatem præstabunt: Ipsarum quoque penes me exemplar fuit ipsius KAROLI MAGNI temporibus conscriptum, in quo passim gentis vocabula, quæ Latinis verbis reddi non potuerunt, vernacula Germanorum lingua exprimuntur, quam rem ex ipsarum legum capitulis probaturi sumus, ut liquidò appareat nostræ Germaniæ non parvam infligi contumeliam, cum illi sua eripitur gloria, Francorum olim egregiis virtutibus parta.

Legis Ripuariæ capitulo XV. ubi loquitur de iis qui interfectùm hominem celant vel in puteum dejiciunt, exponit sese hoc modo, quod dicitur ermordet, ermorden enim interficere hominem sonat eo modo quo solent latrones, & est convitii verbum.

Item passim pro pecunia qua quis multam soluit aut redimit Wergelta ponitur., gelt enim pecunia est Germanis, & vveren defendere.

Cap. XXXVIII. ubi enumerat quædam instrumenta armorum, Spatham inquit cum cogilo, pro capulo, & Helmum pro galea, & Beinbergas pro armis quibus teguntur crura, Bein enim crus appellamus.

Item Fredum appellat compositionem qua quis pacem à principe impetrat, Frid pax.

Cap. LXXXIX. hominem forbannitum, id est, exilio damnatum.

Cap. XC. Gravionem comitem, qui etiam hodie graven dicuntur.

Multa insuper quæ enumerare opus non puto, de reliquis lector conjecturam faciat. Quod si quis dicere velit Ripuariam legem solis Ripuariis fuisse promulgatam, qui Francorum quidem socii, non de eadem gente erant, opponam illi Salicam, quæ procul dubio antiquissima fuit, secundum quam judicare solebant Franci.

Cap. I. docet quomodo quis sit maniendus, ubi manire pro citare.

Cap. VI. canem Seusium, I. porcarium, vel doctum ad investigandos apros, quod nos ein Seushundt, vel Schvvynhundt.

Cap. VII. Sparvvarium pro ave quem hodie quoque Spervver dicimus,

Scuriam pro horreo.

Cap. XXVIII. Sckellam de caballo, pro instrumento quqd vulgo campanellam vocant sive tintinnabulum, quo utuntur equi onerarii.

Reffare segetem, pro vellere.

Cap. LII'. Rachinburgii dicuntur commissarii ad componendas lites instituti, Rachten enim componere, Burgen fidejussores.

Cap. LXI. Durpilum exponit liminare domus.

Item ex constitutionibus KAROLI MAGNI ad Salicam legem adjectis, teste quoque EGINHARTO.

Cap. IV Faidosum appellat qui hostis est publicus, Feed enim bellum significat.

Herbannus multa quæ domino, hoc est, principi debetur,

Scaram pro turma.

Herbergam pro hospitio.

Cap LXX. sic scribitur, Quicunque absque licentia principis de hoste reversus fuerit, quod factum Franci Herescilt dicunt, volumus ut antiqua constitutio, d est, capitalis sententia erga illum puniendum custodiatur, ab exercitu quem Here vocamus.

Cætera (quæ multa sunt) partim jam usu abolita, sed adhuc Germanicam originem testantia, quædam etiam adhuc vulgari consuetudine recepta, consulto præterire statui, ne lectorem ad alia jam properantem detinuisse videar.

VITA ET GESTA KAROLI COGNOMENTO MAGNI, FRANCORUM REGIS FORTISS. & GERMANIÆ SUÆ ILLUSTRATORIS, authorisque optimè meriti, per EGINHARTUM illius quandoque alumnum, atque scribam adjuratum, Germanum, incipiunt feliciter.

Vltam & conversationem, & ex parte non modica res gestas, domini & nutritoris mei KAROLI, excellentissimi et meritò famosissimi regis postquam animus scribere tulit, quanta potui brevitate complexus sum, operam impendens, ut de iis, quæ ad meam notitiam pervenire potuerunt, nihil omitterem, neque prolixitate narrandi nova quæq; fastidientium animos offenderem: si tamen ullo modo vitari potest, ut nova scriptione non offendantur, qui vetera, & à viris doctissimis atque disertissimis confecta monumenta fastidiunt: Et quamvis plures esse non ambigam, qui otio ac literis dediti, statum ævi præsentis non arbitrentur ita negligendum, ut omnia quæ nunc fiunt, velut nulla memoria digna, silentio atque oblivioni tradantur: potiusque velint, amore diuturnitatis allecti, aliorum præclara facta qualibuscunque scriptis inserere, quàm sui nominis famam posteritatis memoriæ nihil scribendo subtrahere. Tamen ab hujusmodi descriptione non existimavi temperandum, quando mihi conscius eram, nullum ea veracius quam me scribere posse, quibus ipse interfui, quæque præsens oculata, ut dicitur, fide cognovi, & utrum ab alio scriberentur nec ne, liquido scire non potui: Satiusq; judicavi eadem cum aliis velut communiter literis mandata memoriæ posterorum tradere, quàm regis excellentissimi, & omnium sua ætate maximi, clarissimam vitam, et egregios, atque nostri temporis hominibus vix imitabiles

biles actus, pati oblivionis tenebris aboleri. Suberat & alia non irrationabilis causa, quæ vel sola sufficere posset, ut me ad hæc scribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me impensum, & perpetua, postquam in aula ejus conversari cœpi, cum ipso & libris ejus amicitia, qua me ita sibi devinxit debitorem- que tàm vivo quàm mortuo constituit, ut merito ingratus videri et judicari possem, si tot beneficiorum in me collatorum immemor, clarissima & illustrissima hominis optimè de me meriti gesta silentio præterirem: patererq; vitam ejus quasi qui nunquam vixerit, sine literis ac debita laude manere: Cui scribendæ atque explicandæ non meum ingeniolum, quod exile & parvum, imò nullum penè est, sed Tullianam par erat desudare facundiam. En tibi librum præclarissimi & maximi viri memoriam continentem, in quo præter illius facta, non est quod admireris, nisi forte quòd homo barbarus in Romana locutione perparum exercitatus, aliquid decenter aut commodè Latinè scribere posse putaverim, ut illud Ciceronis putarem contemnendum, quod in primo Tusculanarum libro, cum de Latinis scriptoribus loqueretur, ita dixisse legitur: Mandare quenquam, inquit, literis cogitationes suas, quas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. Poterat quidem hæc oratoris egregii sententia me à scribendo deterrere, nisi animo præmeditatum esset, hominum judicia potius experiri, et scribendo ingenioli mei periculum facere, quàm tanti viri memoriam mihi parcendo, præterire.

GEns merovingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usq; in Hildericum regem, qui jussu Stephani Rom. pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane regis vocabulum præferebat: Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: neque regi aliud relinquebatur, quàm ut regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barbâ submissâ, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus. vel etiam jussus, ex suâ velut potestate redderet: cum præter inutile regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat: nihil aliud proprii possideret, quàm unam præparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulæ procurabat. Quo officio tum cum Hildericus deponebatur, Pipinus pater Karoli regis jam velut hæreditario jure fungebatur: Nam pater ejus Karolus, qui tyrannos per totam Franciam dominatum sibi vendicantes oppressit, & Saracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis præliis, uno in Aquitania apud Pictavium civitatem, altero juxta Norbonam apud Byrram fluvium ita divicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret. Eundem magistratum à patre Pipino sibi dimissum egregiè administravit: Qui honor non aliis à populo dari consueverat, quàm iis, qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris eminebant. Hunc cum Pipinus pater Karoli regis ab avo & patre sibi & fratri Karolomanno relictum, summa cum eo concordia divisum, aliquot annis velut sub rege memorato tenuisset, frater ejus Karolomannus, incertum quibus de causis, tamen videtur, quòd amore conversationis contemplativæ succensus operosa temporalis regni administratione relicta, Romam se contulit in otium, ibique habitu permutato, monachus factus, in monte Soracte apud ecclesiam beati Sylvestri constructo monasterio cum fratribus secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota solvenda Romam solenniter commearent & eum velut dominum quondam suum præterire nollent, otium quo maximè delectabatur crebra salutatione interrumpentes locũ mutare compellunt: Nam cum hujuscemodi frequentiam suo proposito officere vidisset, relicto monte, in Samnium provinciam ad monasterium S. Benedicti, situm in arce Cassina secessit, & ibi quod reliquum erat temporalis vitæ, religiosè conservando complevit. Pipinus autem per auctoritatem Rom. Pontificis ex præfecto palatii rex constitutus, cum per XV. annos aut eo amplius Francis imperaret, finito Aquitanico bello, quod contra Waifarium ducem Aquitaniæ ab eo susceptum per continuos IX. annos gerebatur, apud Parisios morbo aquæ intercutis diem obiit: superstitibus liberis Karolo, & Karolomanno, ad quos successio regni divino nutu pervenerat. Franci siquidem facto solenniter generali conventu, ambos sibi reges constituunt, ea conditione præmissa ut totum regni corpus ex æquo partirentur: & Karolus eam partem, quam pater eorum Pipinus tenuerat, Karolomannus verò eam cui patruus eorum Karolomannus præerat, regendum gratia suspiceret. Susceptæ sunt utrinque conditiones, & pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est: mansitque ista quamvis cum summa difficultate concordia; multis ex parte Karolomanni societatem separare molientibus, adeò ut quidam etiam eos bello committere sint meditati. Sed in eo plus suspicionis quàm periculi fuisse interitus approbavit, cum defuncto Karolomanno uxor ejus cum filiis, & quibusdam qui ex optimatum ejus numero primores

erant,

erant, Italiam fuga peteret: & nullis existentibus causis spe tormariti fratre, sub Desiderii regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis offerret. Karolomannus quidem post administratum communiter biennio regnum morbo decessit. KAROLUS autem fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur. De cujus nativitate atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis usquam aliquando declaratum est, nec quisquam modo supersesse invenitur qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum judicans ad actus & mores cæterasque vitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis transire disposui: ita tamen ut primores gestas & domi & foris, deinde mores & studia ejus tum de regni administratione & fine narrando, nihil de iis quæ cognitu vel digna vel necessaria sunt, prætermittam. Omnium bellorum quæ gessit primò Aquitanicum à patre inchoatum sed nondum finitum, quia cito peragi posse putabatur fratre adhuc vivo & auxilium ferre rogato, suscepit: & licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strenuissimè executus, non priùs incepto desistere, aut suscepto labori cedere voluit, quàm hoc, quod efficere moliebatur, perseverantia quadam perfecto fine concluderet. Nam & Hunoldum, qui post Waifarii mortem Aquitaniam occupare, bellumque jam penè peractum reparare tentaverat, Aquitaniam relinquere, & Vasconiam petere coëgit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna Lupo Vasconum duci per legatos mandat, ut perfugam reddat: quod ni festinè faciat, bello cum se expostulaturum. Sed Lupus saniori usus consilio, non solùm Hunoldum reddidit, sed etiam seipsum cum provincia, cui præerat, ejus potestati submisit. Compositis in Aquitania rebus, eoque bello finito, regni quoque socio jam rebus humanis exempto, rogatu & precibus Adriani Rom. urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit: quod prius quidem & à patre ejus, Stephano papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est: quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeò voluntati ejus reniti sunt, ut se regem deserturos, domumque redituros libera voce proclamarent. Susceptum tamen bellum est contra Haistolfum regem, & celeberrimè completum. Sed licet sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen & labore certatum, & fine constat esse completum. Pipinus siquidem Haistolfum paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit, & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque ut reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. KAROLUS verò post inchoatum à se bellum non priùs destitit, quàm & Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat in deditionem susciperet, & filium ejus Adalgisum, in quem spes omnium inclinatæ videbantur, non solum regno, sed etiam Italia decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgaudum Forojuliani ducatus præfectum res novas molientem opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subjugaret, subactæque filium Pipinum regem imponeret. Italiam intranti, quàm difficilis alpium transitus fuerit, quantoque Francorum labore invia montium juga, & eminentes in cœlum scopuli, atque asperæ cautes superatæ sint, hoc loco describerem, nisi vitæ illius modum, potius quàm bellorum, quæ gessit, eventus memoriæ mandare, præsenti opere animo esset propositum. Finis tamen hujus belli fuit subacta Italia, & rex Desiderius perpetuo exilio deportatus, & filius ejus Adalgisus Italia pulsus, & res à Langobardorum regibus ereptæ, Hadriano Romanæ ecclesiæ rectori restitutæ. Post ejus finem Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius neque atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum est: Quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonũ diditi, nostræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere, vel transgredi, inhonestum arbitrantur. Suberant & causæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri & illorum penè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel sylvæ majores vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite disterminant: in quibus cædes & rapinæ & incendia vicissim fieri non cessabant: Quibus adeò Franci sunt irritati, ut jam non vices reddere, sed apertum contra eos bellũ susciperе dignũ judicarunt. Susceptũ est igitur contra eos bellum, quod magna utrinq; animositate, tamẽ majore Saxonũ quàm Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati, ac supplices regi se dediderint, imperata facturos polliciti sint, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederint, legatos qui mittebantur susceperint: Aliquoties ita domiti & emolliti, ut & cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere præcipites: Ut non facile æstimare possis, ad utrum horum faciliores veriùs dici possint: quippe cum post inchoatum cum eis bellum, vix annus unus exactus sit, quo non ab eis hujuscemodi facta sit permutatio. Sed magnanimitas regis, ac perpetua tàm in adversis quàm prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab iis quæ agere cœperat, defatigari: Nam nun-

nunquam eos hujuscemodi aliquid perpetrantes impunè terre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per comites suos misso exercitu, perfidiam ulciscceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret: donec omnibus qui resistere solebant profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominum millia ex iis qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit: Eaque conditione à rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei atque religionis sacramenta perciperent: & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur. Hoc bello, licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius cum hoste quàm bis acie conflixit: semel juxta montem qui Osneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato: & iterum apud Hasam fluvium, & hoc uno mense paucis quoque interpositis diebus. His duobus præliis hostes adeò profligati ac devicti sunt, ut ulterius regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent. Plures tamen eo bello tàm ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandemque anno tricesimotertio finitum est: Cum interim tot ac tanta in diversis terrarum partibus bella contra Francos & exorta sint, & solertia regis administrata, ut meritò intuentibus in dubium venire possit, utrum in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potiùs mirari conveniat: Nam biennio tante Italicum hoc bellum sumpsit exordium: & cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex iis quæ alicubi erant gerenda dimissum, aut ulla in parte ab æquè operoso certamine cessatum est. Nam rex omnium qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in iis, quæ vel suscipienda erant vel exequenda, aut propter laboram detrectavit, aut propter periculum exhorruit: Verùm unumquodque secundum suam qualitatem, & subire & ferre doctus, nec in adversis cedere, nec in prosperis falsò blandienti fortunæ assentire solebat: Cum enim assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca præsidiis, Hispaniam quàm maximo poterat belli apparatu aggreditur: saltuque Pyrenei superato, omnibus quæ adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, salvo atque incolumi exercitu revertitur: Præterquod in ipso Pyrenei jugo Vasconiam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri: Nam cum agmine longo, ut loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate sylvarum, quarum maxima est ibi copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui novissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subjectam vallem dejiciunt: confertoque cum eis prælio, usque ad unum omnes interficiunt: ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam instabat, protecti, summa cum celeritate in diversa dispergunt. Adjuvabat in hoc facto Vasconas & levitas armorum, & loci in quo res gerebatur situs. Econtra Francos & armorum gravitas, & loci iniquitas per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prælio Eghartus regiæ mensæ præpositus, Anshelmus comes palatii, & Rutlandus Britanici littoris præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens vindicari poterat: quia hostis re perpetrata ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret, utinam gentium quæri potuisset. Domuit & Brittones, qui ac occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus oceani residentes, dicto audientes non erant: missa in eos expeditione, qua & obsides dare & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ urbem accessit: atque ibi positis castris, bellum Beneventanis, ni sese dederent, comminatus est. Prævenit hoc dux gentis Aragisus, filios suos Rumoldum & Grimoaldum cum magna pecunia obviam regi mittens, rogat ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur. Rex utilitate gentis magis quàm animi ejus obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eique ut ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit unoque ex filiis, qui minor natu erat, pro obside retento, majorem patri remisit: legatisque ob sacramenta fidelitatis à Beneventanis exigenda atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam redit: consumptisque ibi sanctorum in veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam revertitur. Bajoaricum deinde bellum & repente ortum & celeri fine completum est: quod superbia simul ac socordia Tassilonis ducis excitavit: Qui hortatu uxoris, quæ filia Desiderii regis erat, ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat, juncto fœdere cum Hunis qui Bajoariis sunt ab oriente conterminis, non solùm imperata non facere, sed bello regem provocare tentabat. Quorum contumaciam, quia nimia videbatur, animositas regis ferre nequiverat, ac perinde copiis undique contractis, Bajoariam petiturus ipse ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Is fluvius Bajoarios ab Alemannis dividit: Cujus in ripa castris collocatis, priùs quàm provinciam intraret, animum ducis per legatos statuit experiri: Sed ille pertinaciter agere nec sibi nec genti utile ratus, supplex se regi subjecit: obsides qui impe-

imperabantur dedit : inter quos & filium suum Theodonem : data insuper fide cum juramento, quod abillius potestate nemini defectionem suadenti assentire deberet. Sicque bello quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis impositus. Tassilo tamen postmodum ad regem evocatus, neque redire permissus, neque provinciæ quam tenebat ulterius præesse, sed comitibus ad regendum commissa est. His motibus ita compositis, Sclavis, qui nostra consuetudine Wilsi, propriè verò, hoc est sua lingua Welatabi dicuntur, illatum est bellum : in quo & Saxones velut auxiliares inter cæteras nationes, quæ regis signa jussæ sequebantur, quanquam ficta & minus devota obedientia militabant. Causa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessebant, nec jussionibus coërceri poterant. Sinus quidam ab oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur; Hunc multæ circumsedent nationes, Dani siquidem & Sueones ; quos Nordmannos vocamus, & septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus australe Sclavi & Aisti, & aliæ diversæ incolunt nationes : inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc à rege bellum inferebatur, Welatabi : quos ille una tantùm, & quam per se gesserat expeditione ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minimè renuendum judicarent. Maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum huic bello successit, illud videlicet, quod contra Avares sive Hunos susceptum est : quod ille & animosius quàm cætera, & longè majori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam, nam hanc provinciam ea gens tum incolebat, expeditionem fecit : cæteras filio suo Pipino ac præfectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis perficiendas commisit. Quod cum ab iis strenuissimè fuisset administratum, octavo, tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in quo regia Cagani erat, ita desertus ut ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit : omnis pecunia, & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt : Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint : quippe cum usque in id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia compertum, tot spolia pretiosa in præliis sublata, ut meritò credi posset, hoc Francos Hunis justè eripuisse, quod Huni priùs aliis gentibus injustè eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt, Ericus dux Forojulianus, in Liburnia juxta Tarsaticam maritimam civitatem insidiis oppidanorum interceptus, & Gerholtus Bajoariæ præfectus in Pannonia, cum contra Hunos præliaturus aciem instrueret, incertum à quo, cum duobus tantùm, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Cæterùm incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sua magnitudine traheretur : Post quod & Saxonicum suæ prolixitati convenientem finem accepit. Boëmanicum quoque & Hilinonicum, quæ postea exorta sunt, diu durare non potuerunt : quorum utrumque ductu Karoli junioris celeri fine compietum est. Ultimum quoque contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godefridus adeò vana spe inflatus erat, ut totius sibi Germaniæ promitteret potestatem. Frisiam quoque & Saxoniam haut aliter atque suas provincias æstimabat : Jam Abotritos vicinos suos in suam ditionem redegerat, jam eos sibi vectigales fecerat : Jactabat etiam se brevi Aquasgrani ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus quamvis vanissimis omninò fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte præventus : Nam à proprio satellite interfectus, & suæ vitæ ; & belli à se inchoati finem acceleravit. Hæc sunt bella quæ rex potentissimus per annos XLVII. tot enim annis regnaverat, in diversis terrarum partibus, summa prudentia atque felicitate gessit : Quibus regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut penè duplum illi adjecerit. Nam cum priùs non amplius quàm ea pars Galliæ quæ intra Rhenum & Ligerim, oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit, postea à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur : & præter hæc Alemanni atque Bajoarii ad regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella memorata, primò Aquitaniam & Vasconiam, totumque Pyrenei montis jugum, & usque ad Hiberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Dertusæ civitatis mœnia Balearico mari miscetur, deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia, decies centum & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, & ad eam quæ à Francis incolitur, latitudine dupla putatur, cum longitudine possit esse consimilis : Post quam utramque Pannoniam,

& oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum imperatorem habere permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, oceanumque & Danubium positæ, lingua quidem penè similes, moribus verò atque habitu valdè dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit: Inter quas ferè præcipui sunt Welatabi, Sorabi, Abotrici, Boëmanni, cum iis namque conflixit, cæteras quarum multo major est numerus, in deditionem suscepit. Auxit etiam gloriam regni sui, quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis: Adeò namque Adelfonsum Galetiæ atque Austricæ regem sibi societate devinxit, ut is cum ad eum vel literas vel legatos mitteret, non aliter se apud illum quàm proprium suum appellari juberet. Scotorum quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, ut cum nunquam aliter quàm dominum, seque subditos ac servos ejus pronunciarent. Extant Epistolæ ab eis ad eum missæ, quibus hujusmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron rege Persarum, qui, excepta India, totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium qui in toto orbe terrarum erant regum ac principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum judicaret: ac proinde, cum legati ejus, quos cum donariis ad sacratissimum domini ac Salvatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum veniissent, & ei domini sui voluntatem indicassent, non solùm quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, ut illius potestati asscriberetur, concessit: & revertentibus legatis suos adjungens, inter vestes & aromata, & cæteras orientalium terrarum opes, ingentia illi dona transmisit, cùm ei paucos ante annos eum quem tunc solùm habebat rogandi mitteret elephantem. Imperatores etiam Constantinopolitani Nicephorus, Michael & Leo, ultrò amicitiam & societatem ejus expetentes, complures ad eum misêre legatos: cum quibus tamen propter susceptum à se imperatoris nomen, & ob hoc ei quasi qui imperium eis eripere vellet, valdè suspectum, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio. Erat enim semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia: Unde & illud Græcum extat proverbium Τὸν φρανκὸν φίλον ἔχε σείτονα δὺκ ἐχθρόν. Qui cum tantus in ampliando regno & subigendis exteris nationibus existeret, & in hujusmodi occupationibus quotidie versaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & utilitatem pertinentia, diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit: Inter quæ præcipua ferè non immeritò videri possunt, basilica sanctæ DEI Genitricis Aquisgrani opere mirabili constructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum passuum longitudinis (nam tanta est ibi fluminis latitudo) qui tamen uno ante quàm decederet anno, incendio conflagravit: nec refici potuit propter festinatum ejus decessum: quanquàm in ea meditatione esset, ut pro ligneo lapideum restitueret. Inchoavit & palatia operis egregii, unum haud longè à Moguntiaco, juxta villam cui nomen est Ingelheim: alterum Noviomagi super VVahalem fluvium, qui Batavorum insulam à parte meridiana præterfluit. Præcipuè tamen ædes sacras ubicunque in toto regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam, ut imperata perficerent. Molitus est & classem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ & de Gallia & Germania septentrionalem infestant oceanum: & quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum, qua naves recipi posse videbantur, stationibus & excubiis dispositis, ne qua hostis exire posset, tali munitione prohibuit. Fecit idem à parte meridiana in littore provinciæ Narbonensis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore usque Romam, contra Mauros nùper piraticam exercere aggressos: ac per hoc nullo gravi damno vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis diebus suis affecta est: præter quod Centumcellæ civitas Hetruriæ per proditionem à Mauris capta atque vastata est. Et in Frisia quædam insulæ Germanico littori contiguæ, à Nordmannis deprædatæ sunt. Talem eum in tuendo & ampliando simulque ornando regno fuisse constat: Cujus animi dotes, & summam in qualicunque, & prospero & adverso eventu constantiam, cæteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia, hinc dicere exordiar.

Post mortem patris cum fratre regnum partitus tanta patientia simultates & invidiam ejus tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuisset. Deinde cum matris hortatu filiam Desiderii regis Langobardorum duxisset uxorem, incertum qua de causa post annum repudiavit, & Hildegardim de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis feminam, in matrimonium accepit: de qua tres filios KAROLUM, videlicet Pipinum & Ludovicum, totidemque filias, Rotdrudim, Bertam & Gissam genuit. Habuit & filias tres, Thedradam, Hildrudim & Rothaidem: duas de Fastrada uxore, quæ de orientalium

entalium Francorum Germanorum videlicet gente erat: tertiam de concubina quadam cujus nomen modo memoriæ non occurrit. Defuncta Fastrada, Luidgardim Alemannam duxit, de qua nihil liberorum tulit. Post cujus mortem quatuor habuit concubinas Mathalgardim scilicet, quæ peperit ei filiam nomine Rothildim: Gersuindam Saxonicigeneris, de qua ei filia nomine Adeldrudis nata est: & Reginam quæ ei Drogonem & Hugum genuit, & Adelluidam, ex qua Thederichum procreavit. Mater quoque ejus Bertrada in magno apud eum honore consenuit: Colebat enim eam cum summa reverentia, ita ut nulla unquam inter eos sit exorta discordia, præter in divortio filiæ Desiderii regis, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem Hildegardis, cum jam tres nepotes suos, totidemque neptes in filii domo vidisset: quam ille in eadem basilica qua pater situs est apud sanctum Dionysium, magno fecit honore humari. Erat ei unica soror nomine Gissa à puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo quo conversata est monasterio decessit. Liberos suos ita censuit instituendos, ut tam filii quàm nepotes primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios quam primùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: Filias verò lanificio assuescere colo que ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit. Ex iis omnibus duos tantùm filios & unam filiam priùs quàm moreretur amisit; KAROLUM qui major natu erat, & Pipinum, quem regem Italiæ præfecerat, Rotdrudim quæ filiarum ejus primogenita, & Constantino Græcorum imperatori desponsata erat: Quorum Pipinus unum filium suum Bernhardum, filias autem quinque, Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertaidem ac Thedradam superstites reliquit: In quibus rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari feciset. Mortes filiorum ac filiæ pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lacrymas. Nunciato etiam sibi Adriani pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic flevit, ac si fratrem aut charissimum filium amisisset: Erat enim in amicitiis optimè temperatus, ut eas facile admitteret, & constantissimè retineret: colebatque sanctissimè quoscunque hac affinitate sibi conjunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, ut nunquam domi positus sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret: Adequitabant ei filii, filiæ verò ponè sequebantur; quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ essent, & ab eo plurimùm diligerentur, mirum quòd nullam earum cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluit: sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit: dicens se earum contubernio carere non posse: ac propter hoc licet aliàs felix, adversæ fortunæ malignitatem expertus est: quòd tamen ita dissimulavit, ac si de eis nunquam alicujus probri suspicio orta vel dispersa fuisset. Erat ei filius nomine Pipinus, ex concubina editus, cujus inter cæteros mentionem nullam fecimus, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis: is cum pater bello contra Hunos suscepto in Bajoaria hyemaret, ægritudine simulata, cum quibusdam è primoribus Francorum, qui sibi nova promissione regni illuserant, adversus patrem conjuravit: quem post fraudem detectam, & damnationem conjuratorum, detonsum in cœnobio Prumia religiosæ vitæ jamque volentem vacare permisit. Facta est alia priùs contra eum in Germania valida conjuratio: cujus authores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt: neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui cum se ne comprehenderentur strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen conjurationum Fastradæ reginæ crudelitas causa & origo extitisse creditur: Et idcirco in ambamus contra regem conspiratum est: quia uxoris crudelitati consentiens, à suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur. Cæterùm per omne vitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore atque favore & domi & foris conversatus est, ut nunquam ei vel minima in justæ crudelitatis nota à quoquā fuisset objecta. Amabat peregrinos, & eorum suscipiendorum magnam habebat curam: adeò, ut eorum multitudo non solùm palatio, verùm etiam regno non immeritò videretur onerosa: Ipse tamen pro magnitudine animi hujuscemodi pondere minimè gravabatur: cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compensaret. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet: nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse figuram: Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie læta & hilari: unde formæ authoritas ac dignitas tàm stanti quàm sedenti plurima inerat: Quanquam cervix obesa & brevior, ventreque projectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas: Incessu firmo, totaque corporis habitudine virili: Voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conveniret; Valetudine prospera præ-

præter quod antequam decederet, per quatuor annos crebrò febribus corripiebatur : ad extremum uno etiam pede claudicaret: & tunc quidem plura arbitratu suo quam medicorum consilio faciebat: quos penè exosos habebat, quòd ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis assuescere suadebant. Exercebatur assiduè equitando ac venando, quod illi gentilitium erat : quia vix ulla in terris natio invenitur, quæ in hac re Francis possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens : cujus adeò peritus fuit, ut nullus ei justè potuerit præferri: ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis usquè ad obitum continuè habitavit: & non solùm filios ad balneum, verùm optimates & amicos, aliquando etiam satellitum & custodum turbam invitavit, ita ut nonnunquam centum vel eo ampliùs homines unà lavarentur. Vestitu patrio, hoc est, Francico utebatur: ad corpus camisiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur : deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tum fasciolis crura, & pedes calceamentis constringebat; & expellibus lutrinis thorace confecto humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cujus capulus ac baltheus aut aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense utebatur: quod tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel siquando exterarum gentium legati venissent faciebat, Peregrina verò indumenta quàmvis pulcherrima respuebat, nec unquam eis indui patiebatur: excepto quæ Romæ semel Adriano pontifice petente, & iterum Leone successore ejus supplicante, longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur. In solennitatibus veste auro texta, & calceamentis gematis, & fibula aurea sagum astringente: diademate quoque ex auro & gemmis ornatus, incedebat: aliis autem diebus habitus ejus parum à communi ac plebejo abhorrebat. In potu & cibo temperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicunque homine, nedum in se ac suis plurimum abominabatur: Cibo enim non adeò abstinere poterat, ut sæpe quereretur noxia esse suo corpori jejunia. Convivabatur rarissimè, & hoc præcipuis tantùm solennitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter assam, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius quàm nullo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum regum gesta. Delectabatur & libris sancti Augustini, præcipuè iis quos de Civitate DEI inscripsit. Vini & omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut sub cœnam rarò plus ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens ac semel bibens, depositis vestibus ac calceamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, ut somnum quater aut quinquies, non solùm expergiscendo, sed etiam desurgendo interrumperet. Cum calcearetur aut amiciretur non tantum amicos admittebat, verùm etiam si comes palatii litem aliquam diceret, quæ sine ejus jussu definiri non posset, statim litigantes introduci jussit, & velut pro tribunali sederet, lite cognitâ sententiam dixit. Nec hoc tantùm eo tempore, sed etiam quicquid ea die cuilibet officii agendum, aut cuiquam ministrorum injungendum erat, expediebat. Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque quicquid vellet apertissimè exprimere. Nec patrio tantùm sermone contentus, sed & peregrinis linguis edisc endis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æquè illa ac patria lingua orare sit solitus: Græcam verò melius intelligere quàm pronunciare poterat: Adeò quidem facundus erat, ut etiam didascali munus subiisse appareret. Artes liberales studiosissimè coluit, earumque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum diaconum senem audivit, in cæteris disciplinis Albinum cognomento Alcuvinum, item diaconum, de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctissimum præceptorem habuit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impertit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci syderum cursum curiosissimè rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset, manum effigiendis literis assuefaceret: sed parùm prosperè successit labor præposterus, ac serò inchoatus. Religionem Christianam qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit, auroque & argento & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & januis ornavit. Ad cujus structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Romam atque Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam manè & vesperi, nocturnis item horis & sacrificii tempore, quando ei valetudo permiserat, impigrè frequentabat: curabatque, ut omnia quæ in ea gerebantur, cum quàm maximâ fierent honestate, ædituos commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex argento & auro, vestimentorumque sacerdotalium tantam in eo copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendavit:

erat

erat enim utriusque admodum eruditus: quanquàm ipse nec publicè legeret, nec nisi submissim & in commune cantaret. Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitem, quam Græci eleemosynam vocant, devotissimus, ut qui non in patria sua solùm & in suo regno eam facere curaverit, verum trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam, Jerosolymas, Alexandriam atque Carthaginem, ubi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat: ob hoc maximè transmarinorum regum amicitiam expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat præ cæteris sacris & venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tàm auri quàm argenti nec non & gemmarum ab illo congesta est: multa & innumera pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma sua opera suoque labore veteri polleret authoritate: & ecclesia sancti Petri non solùm per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus ecclesiis esset ornata ac ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum quibus regnaverat spatium quater tantùm illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est. Ultimi adventus sui non solùm hæ fuere causæ, verùm etiam quod Romani Leonem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcircò Romam veniens propter reparandum qui nimis conturbatus erat ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit. Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit: quod primò tantum aversatus est, ut affirmaret se eo die quamvis præcipua solennitas esset, ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium præscire potuisset. Constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Post susceptum imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valdè diversas) cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere: Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quòd pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum quæ sub ejus ditione erant, jura, quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam juxta patriam linguam nomina impositi: cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis insignivit, cum priùs non amplius quàm vix quatuor ventorum vocabula inveniri possent. Mensium quidem Januarium appellavit Winterhermonet, Februarium Hornung. Martium Lentzmonet, Aprilem Ostermonet, Majum Wunnemonet, Junium Brachmonet, Julium Heumonet, Augustum Arnmonet, Septembrem Herbstmonet, Octobrem Wynmonet, Novembrem Wyndtmonet, Decembrem Heiligmonet appellavit. Ventis verò hoc modo nomina imposuit, ut Subsolanum vocaret Ostrenwyndt, Eurum Ostsundren, Euroaustrum Sundostren, Austrum Sundren, Austroafricum Sundwestren, Africum Westsundren, Zephyrum Westren, Corum Westnorden, Circium Nordwestren, Septentrionem Nordren, Aquilonem Nordostren, Vulturnum Ostnordren. Extremo vitæ tempore cum jam & morbo & senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem constituit: impositoque capiti ejus diademate, Imperatorem & Augustum jussit appellari. Susceptum est hoc ejus consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore: nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum: Auxitque majestatem ejus hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniam filio, ipse more solito quanquam senectute confectus, non longè à regia Aquensi venatum proficiscitur: Exactoque in hujuscemodi negotio quod reliquum erat Autumni, circa Cal. Novemb. Aquasgrani revertitur: Cumque ibi hyemaret, mense Januario, febre valida correptus, decubuit: Qui statim ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certè mitigari: Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleuresim vocant, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die sacra communione percepta, decessit. Anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVII. V. Cal. Feb. hora diei tertia. Corpus more solenni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu ecclesiæ illatum atque humatum est. Dubitatum est primò ubi reponi deberet, eò quod ipse vivus de hoc nihil præcepisset: Tandem omnium animis sedit nusquam eum honestiùs tumulari posse, quàm in ea basilica quam ipse propter amorem Dei Domini nostri JEsu Christi, & ob honorem sanctæ & æternæ virginis genitricis ejus proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac sepultus est eadem qua defun-

defunctus die: arcusque super tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus, cujus hæc ferè sunt verba: SUB HOC CONDITORIO SITUM EST CORPUS KAROLI, MAGNI ATQUE ORTHODOXI IMPERATORIS, QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FOELICITER TENUIT, DECESSIT SEPTUAGENARIUS, ANNO DOMINI DCCCXIV. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRUARII. Appropinquantis finis complura fuere præsagia, ut non solum alii, sed & ipse hoc minitari sentiret. Per tres continuos vitæque termino proximos annos & solis & lunæ creberrima defectio, ac in sole macula quædam atri coloris septem dierum spacio visa. Porticus quam inter basilicam & regiam operosa mole construxerat, die Ascensionis domini subita ruina usque ad fundamenta collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore, & opere mirabili è ligno ita construxit, ut perenniter durare posse videretur, ita tribus horis fortuito incendio conflagravit, ut præter quod aqua tegebatur, ne una quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cum ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum regem Danorum ageret, quadam die cum ante exortum solis castra egressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitus cum ingenti lumine facem à dextra in sinistram per serenum aëra incurrere: cunctisque hoc signum quid portenderet mirantibus, subito equus cui insidebat deorsum capite merso decidit, eumque tam graviter ad terram elisit, ut fibula sagi rupta baltheoque gladii dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo levaretur: Jaculum quoque quod tunc fortè manu tenebat, ita elapsum est, ut viginti vel eo amplius pedum spatio procul jaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis palatii tremor, & in domibus ubi conversabatur assiduus laqueariorum crepitus: Tecta etiam de cœlo in qua postea sepultus est basilica, malumque aureum quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum & supra domum pontificis quæ basilicæ contigua erat projectum est. Erat in eadem basilica in margine coronæ, quæ inter superiores & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, synopside scriptum, continens quis auctor esset ejusdem templi, cujus in extremo versu legebatur princeps KAROLUS: notatum à quibusdam eodem quo decessit anno paucis ante mortem mensibus, eas quæ princeps exprimebant literas ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia sic aut dissimulavit aut sprevit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret. Testamenta instituit, quibus filias, & ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi hæredes faceret: sed tardè inchoata perfici non poterant. Divisionem thesaurorum pecuniæ ac vestium, aliæque supellectilis coram amicis & ministris suis, annis tribus antequam decederet fecit: contestatus eos, ut post obitum suum à se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quidque ex iis quæ divisérat fieri vellet, breviario comprehendit, cujus ratio ac textus talis est.

IN NOMINE DOMINI DEI OMNIPOTENTIS Patris, Filii & Spiritus sancti. Incipit descriptio atque divisio quæ facta est à glorioſissimo atque piissimo domino KAROLO Imperatore Augusto, Anno ab incarnatione domini nostri JEsu Christi DCCCXI, anni verò regni ejus in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. Imperii autem XI, Indictione IV. quam pia consideratione facere decrevit, & domino annuente perfecit, de thesauris suis atque pecunia quæ in illa die in camera ejus inventa est: in qua illud præcipuè præcavere voluit, ut non solùm eleemosinarum largitio, quæ solenniter apud Christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur: sed etiam ut hæredes sui omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet liquidò cognoscerent, & sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere possent. Hac igitur intentione atque proposito omnem supellectilem atque substantiam suam tàm in auro quàm in argento gemmisque & ornatu regio, quæ ut dictum est illa die in camera ejus inveniri poterat, primò quidem trina divisione partitus est: Deinde easdem partes subdividendo, de duabus partibus XXI. partes fecit, & tertiam integram reservavit. Et duarum quidem partium in XXI. partes facta divisio tali ratione consistit, ut quia in regno illius Metropolitanæ civitates XXI. esse noscuntur; unaquæque illarum partium ad unamquamque Motropolim per manus hæredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perveniat, & archiepiscopus qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem quæ ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suæ ecclesiæ sit, duæ verò partes inter suffraganeos dividantur. Harum divisionum quæ ex duabus primis partibus factæ sunt & juxta Metropolitanarum civitatum numerum XXI. esse noscuntur, unaquæque ab altera sequestrata, semotim in suo repositorio cum superscriptione civitatum ad quas eadem eleemosyna vel largitio data est, hæc sunt. Roma, Ravenna, Mediolanum, Forumjulii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Vivanum, quæ & Saltzburgum, Rotomagus, Treveri, Senones, Vesontium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Unius autem partis, quam integram reservari voluit, talis est ratio, ut illis duabus insuprædictas divisiones distributis & sub sigillo reconditis, hæc tertia in usu quotidiano versaretur, velut res quam nulla voti obligatione

gatione à domino possidentis alienatam esse constaret: & hoc tàm diu, quoad usque vel ipse superstes esset, vel usum ejus sibi necessarium judicaret: post obitum verò sûum aut voluntariam secularium rerum abdicationem eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur: & una quidem earum suprà dictis XXI. partibus adderetur, altera à filiis ac filiabus, nepotibusque ac neptibus suis assumpta, & justa ac rationabili inter eos partitione dividerctur: Tertia verò consueto Christianitatis more, in usum pauperum erogaretur: Quarta simili modo nomine eleemosynæ in servorum & ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem quæ similiter ut cæteræ ex auro & argento constat, adjungi voluit omnia ex ære & ferro, aliisque metallis, vasa atque utensilia, cum armis & vestibus, aliaque pretiosa aut vili ad varios usus facta supellectile, ut sunt cortinæ, & stragula, tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quicquid in camera atque vestiario ejus eo die fuisset inventum, ut ex hoc majores illius partis divisiones fierent, & erogatio eleemosynæ ad plures pervenire posset. Capellam, id est, ecclesiasticum ministerium, tàm id quod ipse fecit atque congregavit, quàm quod ei ex paterna hæreditate provenit, ut integrum esset, neque ulla divisione scinderetur ordinavit: Si qua autem invenirentur aut alia ornamenta, quæ liquidò constaret eidem capellæ eo collata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato justæ æstimationis pretio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit ut ab iis qui eos habere vellent, justo pretio redimerentur, pretium in pauperes erogaretur. Inter cæteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat: de quibus statuit atque decrevit, ut una ex iis quæ forma quadrangula, descriptionem urbis Constantinopolitanæ continet, inter cætera donaria quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati PETRI apostoli deferatur: & altera quæ forma rotundâ, Romanæ urbis effigie insignita est, episcopo Ravennatis ecclesiæ conferatur. Tertiam quæ cæteris & operis pulchritudine & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus conflexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur, & auream illam quæ quarta esse dicta est, in tertiæ illius, & inter hæredes suos atque in eleemosynam dividendæ partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis, abbatibus, comitibusque, qui tunc præsentes esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi Hildeboldus, Richolfus, Arn, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Joannes, Theodulfus, Jesse, Hetto, Waltgaudus. Abbates, Fridogisus, Adalungus, Engilbertus, Irminio. Comites. Walach, Meginher, Othulfus, Stephanus, Unruchus, Burchartus, Meginhartus, Hatto, Richwingus, Eddo, Erchangarius, Gerholtus, Bero, Hildegerin, Rhoculfus. Hæc omnia filius ejus Ludovicus, qui divina ei jussione successit, inspecto eodem Breviario, quàm celerrimè poterat, post ejus obitum summa devotione adimplere curavit.

Vitæ Karoli Magni per Eginhartum descriptæ

F I N I S.

Anna-

ANNALES REGUM FRANCORUM PIPINI, KAROLI, LUDOVICI, AB ANNO POST CHRISTUM NATUM DCCXLI. USQUE AD LXXXVIII. COLLECTI PER QUENDAM BENEDICTINÆ RELIgionis monachum, qui ipsas res gestas diligenter accuratcque scriptis commendavit. At illius nomen quia hactenus nobis exploratum non fuit, Lectorem ad Historiæ veritatem remittendum duximus, quæ authori vel incognito fidem facile impetrabit.

DCCXLI.

HOc anno KAROLUS Major-domus diem obiit, tres filios hæredes relinquens, Karolomannum scilicet, Pipinum, atque Grifonem: quorum Grifo qui cæteris minor natu erat, matrem habuit nomine Suanihildæ, neptim Odilonis ducis Bajoariorum: Hæc illum ad spem totius regni concitavit in tantum, ut sine dilatione Landunum civitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret: Qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque ea quæ post mortem patris à Francorum societate desciverant recipienda, animos intendunt: & ut in externa profecturi omnia domi tuta dimitterent, Karolomannus Grifonem sumens, in novo castello quod juxta Arduennam situm est, custodiri fecit: in qua custodia usque ad tempus quo idem Karolomannus profectus est, dicitur permansisse.

DCCXLII.

CArolomannus & Pipinus regno Francorum potiti, primò Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum ipsius provinciæ ducem cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam castello cui Lucas nomen est prius quàm ex provincia secederent, regnum quod communiter administrabant, in loco qui Vetus Pictavium dicitur inter se diviserunt: eodemque anno postquam domum regressi sunt, Karolomannus Alemanniam, quæ ipsa à Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro & igne vastavit.

DCCXLIII.

KArolomannus & Pipinus junctis copiis contra Odilonem ducem Bajoariorum profecti sunt: prælioque commisso, exercitum ejus fuderunt: Et postquam inde reversi sunt, Karolomannus solus in Saxoniam profectus est: & castrum quod dicitur Hochsigburg, & in eo Thederichum Saxonem illius loci primarium in deditionem accepit.

DCCXLIV.

IIdem fratres Karolomannus & Pipinus juncta manu Saxoniam ingressi sunt: prædictumque Thederichum in deditionem acceperunt.

DCCXLV.

HOC anno Karolomannus id quod dudum secum præmeditatus est, patefecit fratri suo Pipino, secularem conversationem se velle dimittere, & habitu monachico Deo servire: Propter hoc dimisit ex-

sit expeditionem anni præsentis, ad vota Karolomanni pericienda, & iter illius disponendum: nam Romam proficisci statuerat: & Pipinus vacabat, dans operam ut frater suus honorificè ac decenter illo quo desiderabat perveniret.

DCC XLVI.

KArolomannus Romam profectus, dimissa seculari gloria habitum mutavit, & in monte Soracte monasterium in honorem sancti Sylvestri ædificavit: ubi quondam tempore persecutionis quæ sub Constantino facta est, sanctus Sylvester latuisse fertur: ibique aliquandiu commoratus, meliori consilio hoc loco dimisso, ad monasterium S. Benedicti in Samnio provincia juxta Cassinam arcem constitutum DEO servituris venit, ibique monachicum habitum suscepit.

DCC XLVII.

FRater Karolomanni & Pipini nomine, Grifo, Pipino fratri suo subjectus esse nolens, quanquam sub illo honorificè viveret, collecta manu in Saxoniam profugit, collectoque Saxonum exercitu super fluvio Obacro in loco qui dicitur Horheim consedit. Pipinus autem cum exercitu Francorum per Thuringiam profectus, contra fratris dolos Saxoniam ingressus est, consedit-que super fluvium Missaham in loco qui vocatur Schaninge: prælium tamen inter eos non est commissum, sed ex placito discesserunt.

DCC XLVIII.

GRifo Saxonum fidei diffidens, Bajoariam petiit, & copiis quæ ad eum de Francia confluebant, ipsum ducatum in suam redegit potestatem, Tassilonem & Hilthtrudim in deditionem accepit, SWithgerum sibi in auxilium venientem suscepit. Hæc cum ad Pipinum perlata fuissent, cum maximo exercitu in Bajoariam profectus est, fratremque suum Grifonem cum omnibus qui cum eo vel ad ipsum eo venerant, cepit, Tassilonem in ducatum restituit: domumque reversus, Grifonem more ducum XII. comitatibus donavit. Sed ille tali beneficio contentus non erat: nam eodem anno ad Waifarium ducem Aquitaniæ profugit.

DCC XLIX.

BUrchartus Wirtziburgensis episcopus, & Folradus presbyter capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent pontificem de causa regum qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm regis sed nullam potestatem regiam habuerunt. Per quos prædictus pontifex mandavit, melius esse illum regem apud quem summa potestatis consisteret: data-que auctoritate sua, jussit Pipinum regum constitui.

DCC L.

HOc anno secundum Romani pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est: & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii archiepiscopi & martyris, & more Francorum elevatus in solium regni in civitate Suessiona. Hilderichus verò qui falsò regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.

DCC LIII.

HOc anno Pipinus rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est: & quamvis Saxones ei obstinatissimè resisterent, pulsi tamen cesserunt: & ipse usque ad locum qui dicitur Rimi, qui est super fluvium Wiseram accessit. In qua expeditione Hildigarius archiepiscopus interfectus est in monte qui dicitur Viburg. Reverteuti verò regi de Saxonia nuncium accepit de morte fratris sui Grifonis, & à quo vel quoliter fuisset interfectus. Eodem anno Stephanus papa venit ad Pipinum regem in villa quæ vocatur Carisiacus, suggerens ei ut se & Romanam ecclesiam ab infestationibus Langobardorum defenderet. Venit & Karolomannus frater regis jam monachus factus, jussu abbatis sui, ut apud fratrem precibus Romani pontificis obsisteret: Invitus tamen hoc feciisse putatur: quia nec ille abbatis sui jussa contemnere, nec abbas illius præceptis regis Longobardorum, qui ei hoc imperaverat, audebat resistere.

DCC LIV.

STephanus papa postquàm à rege Pipino Ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem accepit, ipsum sacra unctione ad regiæ dignitatis honorem consecravit, & cum eo duos filios ejus KAROLUM & Karolomannum: mansitque hyberno tempore in Francia. Eodem anno Bonifacius archiepiscopus Moguntiacensis in Frisia verbum DEI prædicans, à paganis interfectus, martyrio coronatus est.

DCC LV.

PIpinus rex invitante atque suggerente prædicto Roman. pontifice propter erepta Rom. ecclesiæ per regem Langobardorum dominia Italiam manu valida ingreditur: resistentibus Langobardis & claustra Italiæ tuentibus, ad ipsas montium angustias, quas Clusas vocant, acerrimè pugnatum est: Cedentibusque Langobardis, omnes copiæ Francorum viam quamvis difficilem

cilem non magno labore superarunt. Haistolfus verò rex Langobardorum manum conferere non ausus, in civitate Papia à rege Pipino obsessus est: qui ante obsidionem non solvit, quàm firmitatis causa pro restituendis quæ Rom. ecclesiæ ablata fuerant, obsides XL. recepisset. Datis verò XL. obsidibus, promissisque jurejurando firmatis, ipse quidem in regnum suum regressus est: & Stephanum papam cum Folrado presbytero capellano, & non minima Francorum manu Romam remisit. Karolomannus monachus frater regis qui cum Betrada regina in Vienna civitate remansit, priusquam rex de Italia reverteretur, febre correptus diem obiit: Cujus corpus jussu regis ad monasterium S. Benedicti, in quo monachicum habitum susceperat, relatum est.

DCC LVI.

HAistolfus rex Langobardorum quanquam anno superiore obsides dedisset, & ad reddendum ea quæ Rom. ecclesiæ abstulerat, tàm se quàm optimates suos jurejurando obstrinxisset, nihil promissorum opere complevit: Propter hoc Pipinus rex iterum cum exercitu Italiam intravit, & Haistolfum in Papia civitate se includentem obsedit, & obsidione ad impletionem promissorum suorum compulit: redditamque sibi Ravennam & Pentapolim & omnem hexarchatum ad Ravennam pertinentem, ad sanctum Petrum tradidit: atque iis peractis, in Galliam reversus est. Haistolfus autem post abscessum ejus cum meditaretur quomodo sua promissa non tàm impleret, quàm dolosè ea quæ impleta fuerant commutaret, in venatione de equo suo casu prolapsus est: atque ex hoc ægritudine contracta, intra paucos dies vivendi finem fecit: Cui Desiderius qui comes stabuli ejus erat, successit in regnum.

DCC LVII.

COnstantinus Imperator Pipino regi multa misit munera, inter quæ & organa, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit. Illuc & Tassilo dux Bajoariorum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus regis invassati cum manibus suis, semetipsum commendavit: fidelitatemque tàm ipsi regi Pipino quàm filiis ejus KAROLO & Karolomanno jurejurando super corpus sancti Dionysii promisit: Sed non solum ibi, verum etiam super corpus sancti Martini & sancti Germani, simili sacramento fidem se prædictis dominis suis, diebus vitæ suæ servaturum est pollicitus. Similiter omnes primores ac majores natu Bojoarii, qui cum eo in præsentiam regis pervenerant, fidem se regi & filiis ejus servaturos in prædictis venerabilibus locis promiserunt.

DCC LVIII.

PIpinus rex cum exercitu Saxoniam egressus est: & quamvis Saxonibus validissimè resistentibus & munitiones suas tuentibus, pulsis prælio propugnatoribus, per ipsum quo patriam defendere conabantur vallum, intravit: commissisque passim prœliis, plurimam ex ipsis multitudinem cecidit: coëgitque ut promitterent se omnem voluntatem ejus facturos: & singulis annis honoris causa ad generalem conventum equos CCC. pro munere daturos. His ita compositis, & more Saxonico ut rata esse deberent, confirmatis, in Galliam sese cum exercitu suo recepit.

DCC LIX.

NAtus est Pipino regi filius, quem suo nomine Pipinum vocari voluit. Sed puer immatura morte præventus, tertio post nativitatem suam anno decessit. Hoc anno celebravit rex Natalem domini in Longlare, & Pascha in Jopia: neque extra regni sui terminos aliquid iter fecit.

DCC LX.

VVaifarius dux Aquitaniæ cum res quæ in sua potestate erant, & ad ecclesias submanu Pipini regis constitutas pertinebant, rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere noluisset, ipsumque regem de hisce per legatos suos commemorantem audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitavit: Nam rex contractis undique copiis Aquitaniam ingressus, se res ecclesiarum bello exacturum pronunciavit: Cumque in loco qui Thedo-ad vocatur positis castris consedisset, Waifarius bello certare non ausus, missa ad regem legatione, spondet se imperata facturum, ecclesiis sua jura redditurum, obsides qui imperarentur daturum. Dedit etiam duos de primoribus gentis, Adalgarium & Itherium: Et hoc facto ita contra se commotum regis animum mitigavit, ut statim bello desisteret. Nam acceptis obsidibus qui ad fidem promissionibus faciendam dati sunt, rex bello abstinuit: domumque reversus, dimisso exercitu, in villa Carisiaco hyemavit, in qua & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCC LXI.

VVAifarius dux quanquam obsides dedisset sacramentaque jurasset, satius tàmen ratus de illato sibi anno superiore bello ultionem exigere, exercitum suum qui Francorum possessiones popularetur, usque

usque ad Cabillonem civitatem fecit accedere. Quod cum Pipino regi generalem conventum agenti in villa Duria fuisset nuntiatum, coactis undique auxiliis, cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quædam oppida atque castella manu cepit: in quibus præcipua fuere Burbonis, Cantilla, Clarmontis: quædam se victori ultrò dederunt: maximeque Avernorum castella, quæ tunc bello premebantur. Rex tamen cuncta quæ extrà munitiones invenit ferro & igne devastans, postquam ad Limovicas oppidum venit, reversus est, & in villa Carisiaco hybernis habitis, Natalem domini ac Pascha celebravit. In hac expeditione fuit cum rege filius ejus primogenitus KAROLUS, ad quem post patris obitum totius imperii summa pervenit.

DCCLXII.

Pipinus rex suscepto à se bello finem imponere cupiens, iterum Aquitanicam provinciam cum magnis copiis intrat: captisque Biturica civitate & castello Toarcis revertitur: hyemavitque in villa Gentiliaco: atque in ea Natalem domini, ac Paschalis festi solennitatem celebravit.

DCC LXIII.

Redeunte anni congruo tempore, conventu in Nivernis habita, & contractis undique copiis rex Pipinus Aquitaniam repetit, & omnia quæ extra munitiones erant ferro & igne de populatus, usque ad Cadurciam oppidum accessit: Inde cum exercitu integro in Franciam se recepturus, per Limovicam regreditur. De qua expeditione Tassilo Bajoariæ dux ægritudine per dolum simulata, in patriam reversus est: firmatoque ad defectionem animo ad regis aspectum se ulteriùs venturum abjuravit. Rex dimisso exercitu in hyberna ad hyemandum in villa Longlare consedit: atque ibi Natalem domini ac Pascha celebravit. Facta est autem hoc tempore tàm valida atque aspera hyems, ut immanitate frigoris nulli præteritorum annorum hyemi videretur posse conferri.

DCC LXIV.

Rex Pipinus distracto in diversa animo propter duo bella, Aquitanicum scilicet jam olim susceptum, & Bajoaricum propter Tassilonis ducis defectionem suscipiendum, populi sui generalem conventum habuit in Wormatia civitate: dilataque in futurum expeditione illo anno domi se continuit: hyemavitque in villa Garisiaco, atque in ea Natalem domini & sanctum Pascha celebravit. Eodem anno eclipsis solis facta est PRIMO DIE NON. JUN. hora VI.

DCC LXV.

HOC anno rex Pipinus domi se continuit, neque propter Aquitanicum bellum, quamvis nondum finitum, regni sui terminos egressus est, sed generalem populi sui conventum in Attiniaco villa, hyberna Aquisgrani habuit: ubi & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCC LXVI.

Pipinus rex propter conficiendum Aquitanicum bellum conventu in Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, destructum à Waifario Argentomagũ castrum reparat: dispositoque & ibi & in Biturica civitate Francorum præsidio regreditur: Natalemque domini Salmoniaci, Pascha verò Gentiliaci celebravit.

DCC LXVII.

ORta quæstione de sancta Trinitate & de sanctorum imaginibus, inter Orientalem & Occidentalem ecclesiam, id est, Romanos & Græcos, rex Pipinus conventu in Gentiliaco villa congregato, synodum de ipsa quæstione habuit: eoque peracto, ad bellum prædictum conficiendum post Natalem Domini in Aquitaniam proficiscitur: & per Narbonam iter agens, Tolosam aggressus cepit: Albiensem & Ganuldensem pagos in deditionem accepit: & Viennam reversus, postquam ibi & Paschalis festi sacra peregit, & exercitum à labore refecit, jam propè æstate confecta, mense Augusto ad reliquias belli profectus est: & Bituricam veniens, conventum more Francico in campo egit: indeque ad Garonnam fluvium accedens, castella multa & petras atque speluncas, in quibus se hostium manus plurima defendebat cepit: Inter quæ præcipua fuere Scoralia, Torinna, Petrocia. Reversusque Bituricam, exercitum in hyberna dimisit: ipse ibi moratus Natalem Domini celebravit. Eo anno Paulus papa Romanus defunctus est: cujus rei nuncius ibi ad regem pervenit.

DCC LXVIII.

Rex Pipinus cum primùm ad bellũ gerendum tempus congruum esse videret, evocato, undiq; exercitu, ad Satonicam civitatem contendit: captoque in itinere Rimistaino, cum ad urbem prædictam venisset, mater & soror, neptesque Waifarii ducis ad conspectum ejus adductæ sunt: Quas cum pie susceptas servari jussisset, ad Garoñam fluvium proficiscitur: ubi ei Eberwicus cum alia prædicti ducis sorore occurrit in loco qui Montes vocatur: seque & illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot prospere gestis, rex revertitur, & in castello quod dicitur Sels Pascha celebravit. Assumptaque secum uxore atque familia sua, iterum ad urbem Santonicum venit: dimissaq;

ibi uxore ac familia, cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium ducem animum intendit, neque prius destitit, quàm & caperet, & rebellantem quoque interficeret. Interfecto igitur Waifario duce in territorio Petragorico, confectoque ut sibi videbatur Aquitanico bello, Santonas reversus est: Cumque ibi aliquantum temporis moraretur, ægritudine decubuit: in ipsa tamen valetudine Turonas delatus, apud sancti Martini memoriam oravit: Inde cum ad Parisios venisset, VIII. Cal. Octob. diem obiit; cujus corpus in basilica beati Dionysii martyris humatum est. Filii verò ejus KAROLUS & Karolomannus consensu omnium Francorum reges creati: & KAROLUS in Noviomago civitate, Karolomannus in Suessiona insignia regni susceperunt: KAROLUS Aquasgrani profectus, ibi Natalem domini, & in Rotomago civitate Pascha celebravit.

D CC LXIX.

POstquam hi duo fratres patri succedentes regnum inter se partiti sunt, Aquitania provincia quæ in sortem majoris natu Karoli regis cesserat, remanentibus in ea transacti belli reliquiis, conquiescere non potuit: Nam Hunholtus quidam regnum affectans, provincialium animos ad nova molienda concitavit: Contra quem ipse cui eadem provincia forte obvenerat rex KAROLUS cum exercitu profectus est: Sed cum fratris auxilium habere non posset, qui procerum suorum pravo consilio ne id faceret impediebatur, colloquio tantum cum eo habito, in loco qui Duasdives vocatur, fratre in regnum suum remeante, ille Egolisenam Aquitaniæ civitatem proficiscitur: & inde undique contractis copiis, fugientem Hunholtum prosequitur, paululumque abfuit quin caperet: sed ille notitia locorum, in quibus regis exercitum latere poterat, liberatus est: dimissaque Aquitania Vasconiam petiit, tutum se ibi fore arbitratus. Erat tunc Vasconum dux Lupus nomine, cujus fidei se Hunholtus committere non dubitavit. Ad quem rex missa ocyus legatione, jubet sibi perfugam reddi: idque ea conditione, ut nisi dicto obediens esset, sciret se bello Vasconiam ingressurum, neque inde prius digressurum quàm illius inobedientiæ finem imponeret. Lupus minis regis perterritus, Hunholtum & uxorem ejus sine cunctatione reddidit, se quoque quæcunque imperarentur facturum spopondit. At rex donec legati quos miserat reverterentur, castellum juxta Dornoniam fluvium nomine Francicum ædificat. Reversis igitur legatis, reducto perfuga, ædificato castello, in regnum suum regreditur: celebravitque Natalem domini in villa Duria, & Pascha apud sanctum Lantbertum in vico Leodico.

D CC LXX.

DOminus KAROLUS rex habuit populi sui generalem conventum in Wormatia civitate. Betrada verò mater regum cum Karolomanno minore filio apud Salusiam locuta pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque propter quod illò profecta erat negotio, adoratis etiam Romæ sanctorum apostolorum liminibus, ad filios in Galliam revertitur. Karolus autem rex Natalem domini in Moguntiaco, sanctumque Pascha in villa Haristallio celebravit.

D CC LXXI.

PEracto secundum morem generali conventu super fluvium Scaldam in villa Valentiana, rex Karolus ad hyemandum proficiscitur: Cumque ibi aliquandiu moraretur, Karolomannus frater ejus Pridie Non. Dec. decessit in villa Salmoniaco. Et rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, Carbonacum villam venit: Ibi Wilharium episcopum Sedunensem, & Folradum presbyterum, & alios plures sacerdotes, comites etiam atque primates fratris sui, inter quos vel præcipui fuere Warinus & Adelhartus, ad se venientes suscepit. Nam uxor ejus & filii cum parte optimatum in Italiam profecti sunt: Rex autem hanc eorum profectionem quasi supervacuam impatienter tulit: Celebravitque Natalem domini in Attiniaco, & Pascha in Haristallio.

D CC LXXII.

ROmæ Stephano papa defuncto, Adrianus in pontificatum successit. Rex verò Karolus congregato apud Wormatiam generali conventu, Saxoniam bello aggredi statuit: eamque sine mora ingressus, ferro & igne cuncta depopulatus, Eresburgum castrum cepit, idolumque quod Irminsul à Saxonibus vocabatur evertit. In cujus destructione cum in eodem loco per triduum moraretur contigit ut propter continuam cœli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus, aqua ad bibendum inveniri non posset: Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die cum juxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem qui castris erat contiguus tanta vis aquarum in concavitate cujusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto sufficeret. Tunc rex idolo destructo ad Uviseram fluvium accessit, ibique à Saxonibus XII. obsides accepit: Inde in Franciam reversus, in villa Haristallio & Natalem domini & sanctum Pascha celebravit.

D CC LXXII.

ADrianus papa cum insolentiam Desiderii regis & Langobardorum ferre non posset, decrevit legationem ad Karolum regem

regem Francorum mittere, eumque ut sibi atque Romanis adversus Langobardos opem ferret rogare. Et quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, eum quem miserat legatum nomine Petrum, Romæ navim conscendere, & Massiliam usque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit pervenire. Qui cum ad regem in Theodonis villa, ubi tunc hyemaverat pervenisset, & ei legationis suæ causam aperuisset, eadem, qua venerat via Romam regressus est. Rex rebus quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur diligenti cura pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Rom. suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Gebennam Burgundiæ civitatem juxta Rhodanum sitam venit: ibique de bello suscipiendo deliberans, copias quas secum adduxerat divisit, & unam partem cum Bernharto patruo suo per montem Jovis ire jussit: alteram ipse ducens, per montem Cinisium Italiam contendit: superatoque alpium jugo, Desiderium regem frustra sibi resistere conantem citra congressum fugavit, Ticinoque inclusum obsedit, & in oppugnatione civitatis, quia difficilis erat, totum hyberni temporis spatium multa moliendo consumpsit.

DCC LXXIV.

DUm hæc in Italia geruntur, Saxones velut opportunam de absentia regis nacti occasionem, contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne populantur: Cumque in eo loco qui nunc Frideslar ab incolis nominatur, basilicam à beato Bonifacio Martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi divinitus pavore subitaneo, turpi trepidatione confusi domum fugiendo revertuntur. At rex dimisso ad obsidionem atque expugnationem Ticini exercitu, orandi gratia Romam profiscitur. Et cum peractis votis inde ad exercitum fuisset reversus fatigatam longa obsidione civitatem in deditionem compulit: quam cæteræ civitates secutæ, omnes se regis ac Francorum potestati subdiderunt. At rex subacta, & pro tempore ordinata Italia, in Franciam revertitur, captivum ducens Desiderium regem: Nam Adalgisus filius ejus in quo Langobardi multum spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relicta Italia in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit: ibique in patritiatus ordine atque honore consenuit. Rex autem domum regressus, priusquam eum Saxones venisse sentirent, tripartitum in eorum regiones misit exercitum: qui incendiis ac direptionibus cuncta devastans compluribus etiam Saxonum qui resistere conati sunt interfectis, cum ingenti præda regressus est.

KArolus ab Italia regrediens, dedicationem ecclesiæ sancti Nazarii martyris, & translationem corporis ipsius in monasterio nostro Lauresheim celebravit. Anno incarnationis domini DCC LXXIV. CAL. SEP.

DCC LXXV.

CUm rex in villa Carisiaco hyemaret, consilium iniit, ut perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eo usque perseveraret, dum aut victi Christianæ religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur: Habitoque apud Duriam villam generali conventu, Rheno quoque transmisso, cum totis regni viribus Saxoniam petiit: & primo statim impetu Sigiburgum arcem, in quo Saxonum præsidium erat, pugnando cepit: Eresburgum aliud castrum à Saxonibus destructum munivit, & in eo Francorum præsidium posuit: Inde ad Wisiram fluvium veniens, in eo loco qui Brunnesberg vocatur congregatam Saxonum multitudinem offendit, quæ eum à transitu fluminis arcere conabatur, sed frustra: nam in prima congressione pulsi fugatique sunt, & magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Et rex amne trajecto cum parte exercitus ad Obacrum fluvium contendit, ubi ei Hesso unus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalis occurrens, & obsides quos rex imperaverat dedit, & sacramentum fidelitatis juravit. Inde reversus cum in pagum qui Buchi vocatur perveniisset, Angrarii cum suis primoribus ei occurrerunt, & sicut Ostfali juxta quod rex imperaverat obsides dederunt, & sacramenta juraverunt. Interea pars exercitus quam ad Wisiram dimisit in loco qui Hudbeki vocatur castris positis incaute agens, Saxonum fraude circumventa atque decepta est. Nam cum pabulatores Francorum circa nonam diei horam reverterentur in castra, Saxones eis, quasi & ipsi socii essent eorum, sese miscuerunt, ac sic Francorum castra ingressi sunt: dormientesque aggressi, non modicam incautæ multitudinis cædem fecisse dicuntur: Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute compulsi, castris excesserunt, & ex pacto quod inter eos ex tali necessitate fieri poterat discesserunt. Quod cum regi fuisset allatum, quanta potuit celeritate occurrens, fugientium terga insecutus, magnam ex eis multitudinem prostravit: & tum demum Westfalorum obsidibus acceptis, ad hyemandum in Franciam revertitur.

DCC LXXVI.

REgi domum revertenti nunciatur Rotgaudum Longobardum, quem Forojulienlibus ducem dederat, in Italia res novas moliri, & jam complures ad eum civitates defeciisse. Ad quos motus comprimendos cum sibi festinandum judicaret, strenuissimum quemque

quemque suorum secum ducens raptim in Italiam proficiscitur: Rotgaudoque qui regnum affectabat interfecto, civitatibus quoque quæ ad eum defecerant sine dilatione receptis, & in eis Francorum comitibus constitutis, eadem qua venerat velocitate reversus est. Cui vix alpes transgresso, occurrerunt qui nunciarent Eresburgum arcem à Saxonibus expugnatam, ac præsidium Francorum quod in ea posuerat expulsum: Sigiburgum oppugnatum quidem sed non captum: eo quod ii qui in ea præsidii causa fuerant, facta eruptione, incautos atque oppugnationi intentos Saxones à tergo invaserunt: & plurimis interfectis, reliquos non solum oppugnationem dimittere, sed etiam fugere compulerunt: palantesque ac dispersos ad Lippiam usque persecuti sunt. Hæc cum regi nunciarentur, conventu apud Wormatiam habito, Saxoniam petere statuit: contractisque copiis tanta celeritate ad destinatum à se in Saxonia locum pervenit, ut omnes hostium conatus quibus ei resistere conabantur, illa festinatione perverteret. Nam ad fontem Lippiæ veniens, immensam illius perfidi populi multitudinem velut devotam & supplicem, ac quasi erroris sui veniam poscentem invenit. Cui cum & misericorditer ignovisset, & eos qui se Christianos fieri velle affirmabant, baptizari fecisset, datis & acceptis pro fide servanda fraudulentis eorundem promissionibus, obsidibus quoque quos imperaverat receptis, Eresburgo castro quod dirutum erat restaurato, alioque castello super Lippiam extructo, & in utroque non modico præsidio relicto, ipse in Galliam reversus, in villa Haristallio hyemaverat.

D CC LXXVII.

REx prima veris aspirante temperie, Novimagum profectus, & post celebratam ibidem paschalis festi solemnitatem, propter fraudulentas Saxonum promissiones quibus fidem habere non poterat, ad locum qui Padrabrunna vocatur, generalem populi sui conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Eò cum venisset, totum perfidæ gentis senatum ac populum quem ad se venire jusserat, morigeram ac fallaciter sibi devotum invenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter Witikindum unum è primoribus Westfalorum, qui multorum sibi facinorum conscius & ob id regem veritus, ad Sigifridum Danorum regem profugerat. Cæteri qui venerant ita se regis potestati submisêre, ut ea conditione tunc veniam percipere mererentur: si ulterius sua statuta violarent, patria & libertate privarentur. Baptisata est ex eis ibidem maxima multitudo, quæ se quamvis falsò Christianam fieri velle promiserat. Venit iisdem & loco & tempore ad regis præsentiam de Hispania Saracenus quidam nomine Abenalarabi, cum aliis Saracenis sociis suis, dedens se ac civitates quibus eum rex Saracenorum præfecerat. Idcircò rex peracto memorato conventu in Franciam reversus, Natalem Domini in Duciaco villa, Pascha verò in Aquitania apud Cassinogilum celebravit.

D CC LXXVIII.

TUnc rex persuasione prædicti Saraceni spem capiendarum quarundam in Hispania civitatum haud frustra concipiens, congregato exercitu profectus est: superatoque in regione Vasconum Pyrenei jugo, primò Pompelonem Navarrorum oppidum agressus, in deditionem accepit: Inde Iberum amnem vado trajiciens, Cæsaraugustam præcipuam illarum partium civitatem accessit: acceptisque quos Ibinalarabi & Abithaur, quosque alii quidam Saraceni obtulerunt obsidibus Pompelonem revertitur: Cujus murum ne rebellare posset, ad solum usque destruxit: ac regredi statuens, Pyrenei saltum ingressus est: In cujus summitate Vascones insidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum perturbabant magno tumultu: Et licet Franci Vasconibus tàm armis quàm animis præstare viderentur, tamen & iniquitate locorum & genere imparis pugnæ inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique aulicorum quos rex copiis præfecerat, interfecti sunt: directa impedimenta: & hostis, propter notitiam locorum in diversa dilapsus est. Cujus vulneris accepti recordatio, magnam partem rerum feliciter in Hispania gestarum in corde regis obnubilavit. Interea Saxones velut occasionem nacti, sumptis armis ad Rhenum usque profecti sunt: Sed cum amnem trajicere non possent, quicquid à Duicia civitate usque ad fluenta Mosellæ vicorum villarumque fuit, ferro & igne depopulati sunt: pari modo sacra profanaque pessundata, nullum ætatis aut sexus discrimen ira hostis fecerat: ut liquido appareret, eos non prædandi, sed ultionis exercendæ gratia Francorum terminos introisse. Cujus rei nuncium cum rex apud Anteslodorum civitatem accepisset, extemplò Francos Orientales atque Alemannos ad propulsandum hostem festinare jussit: ipse cæteris copiis dimissis, Haristallium villam in qua hyemaret venit. At Franci atque Alemanni qui contra Saxones missi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, si fortè in finibus suis eos invenire possent: Sed illi jam re peracta revertebantur ad sua. Quorum vestigia secuti qui à rege missi fuerunt, in pago Hassiorum super fluvium Adernam iter agentes repererunt: eosque statim in ipso fluminis vado adorti, tanta strage cecederunt, ut ex ingenti multitudine ipsorum vix pauci domum, fugiendo pervenisse dicantur.

D CC LXXIX.

DCC LXXIX.

AT rex de Haristallio ubi hyemaverat, & ubi Natalem domini ac sanctum Pascha celebraverat, prima veris temperie movens, Compendium venit: & cum inde peracto propter quod venerat negotio reverteretur, occurrit ei Hildebrandus dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa Wirciniaco: quem benignissimè recepit, & muneribus donatum in ducatum suum remisit. Ipse animo ad Saxonicam expeditionem intento, Duriam venit: habitoque juxta morem generali conventu, Rhenum trajecit, & usque ad Lippiam cum exercitu pervenit: Cui cum Saxones in quodam loco qui Bucholt vocatur, vana spe ducti, resistere tentarent, pulsi fugatique sunt. Rex Westfalorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit. Inde ad Wiseram veniens, castris positis in loco nomine Medufulli, stativa per aliquot dies habuit: ibi Angeri & Ostfali venientes & obsides dederunt & sacramenta juraverunt: Quibus peractis rex trans Rhenum ad Wormatiam civitatem in hyberna se recepit.

DCC LXXX.

INde cum primùm temporis opportunitas adesse visa est, iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus est: transiensq; per arcem Eresburgum ad fontem Lippiæ venit, ubi castrametatus, per aliquot dies moratus est. Inde ad orientem itinero converso, ad Obacrum fluvium accessit. Cui cum ibi omnium orientalium partium Saxones ut jusserat occurrissent, maxima eorum multitudo in loco qui Horheim appellatur, solita simulatione baptizata est. Profectus inde ad Albiam, castrisque in eo loco ubi Hora & Albia confluunt, ad habenda stativa collocatis, tàm ad res Saxonum qui exteriorem, quàm & Sclavorum qui ulteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Quibus tunc pro tempore, ordinatis atque dispositis, in Franciam revertus est. Initoque consilio orandi ac vota solvendi causa, Rom. statuit proficisci. Sumptisque secum uxore ac liberis sine mora in Italiam profectus est. Celebravitque Natalem domini Ticini, atque ibi residuum hyemis mansit.

DCC LXXXI.

INde Romam veniens, honorificè ab Adriano Papa susceptus est. Et cum ibi sanctum Pascha celebraret, baptizavit idem pontifex filium ejus Pipinum, unxitque in regem. Unxit etiam & Ludovicum fratrem ejus, quibus & coronam imposuit. Quorum major, id est, Pipinus in Langobardia minor verò in Aquitania rex constitutus est. Rege verò Roma digresso, ac Mediolanum veniente, Thomas ejusdem urbis episcopus baptizavit ibi filiam ejus, nomine Gissam, & de sacro fonte suscepit: quibus gestis in Franciam reversus est. Sed cum Romæ esset, convenit inter ipsum atque Adrianum pontificem, ut simul legatos mitterent ad Tassilonem ducem Bajoariæ, qui eum commonerent de sacramento quod Pipino regi & filiis ejus ac Francis juraverat: scilicet ut subjectus esset ac obediens. Electi ac directi sunt in hanc legationem de parte pontificis Formosus ac Damasus episcopi, & de parte regis Richolfus diaconus, atque Eberhartus magister pincernarum. Qui cum, ut jussi erant, commemorato duci locuti fuissent, in tantum cor ejus emollitum est, ut diceret se, statim velle ad regis properare præsentiam, si sibi tales dentur obsides, sub quibus de sua salute dubitare nulla sit necessitas. Quibus datis sine cunctatione apud Wormatiam ad regem venit, sacramentum quod jubebatur juravit, obsides XII. qui imperabantur sine mora dedit: quos Sindbertus Reginensis episcopus de Bajoaria in Carisiaco ad conspectum regis adduxit. Sed idem dux domum reversus, non diu in ea quam promiserat fide permansit. Rex autem in eadem villa hyemem transigens, & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCC LXXXII.

ÆStatis initio cum jam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in Saxoniam eundum, & ibi, ut in Francia quotannis solebat, generalem conventum habendum censuit: trajectoque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ venit: & castris ibi positis, per dies non paucos ibidem moratus est. Ubi inter cætera negotia & legatos Sigefridi regis Danorum, & quos ad se Caganus & Jugurrus principes Hunorum velut pacis causa miserunt, & audivit, & solvit. Cumque conventu completo trans Rhenum in Galliam se recepisset, Widikindus qui ad Nordmannos profugerat in patriam reversus, vanis spebus animos Saxonum ad defectionem concitavit. Interea regi allatum est, quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim & Salam interjacentes incolunt, in fines Turingorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi causa fuissent, ingressi, & direptionibus atque incendiis quædam loca vastassent. Qui statim accitis ad se tribus ministris suis, Adalgiso cubiculario, Geilone comite stabuli, & Uvorado comite palatii, præcepit ut sumptis secum orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclavorum audaciam quam celerrimè comprimerent. Qui cum jussa facturi Saxoniæ fines ingressi fuissent, compererunt Saxones ex consilio Witikindi ad bellum Francis inferendum esse paratos: omissoque itinere quo ad Sclavos ituri erant cum Orientalium

lium Francorum copiis, ad locum in quo audierant Saxones congregatos ire contendunt: quibus in ipsa Saxonia obviavit Thederichus comes propinquus regis, cum iis copiis quas audita Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit. Is festinantibus legatis consilium dedit, ut primò per exploratores ubi Saxones essent, vel quid apud eos ageretur, quanta possent celeritate cognoscerent: tum si loci qualitas pateretur, simul eos adorirentur. Cujus consilio collaudato, unà cum illo usque ad montem qui Sontal appellatur, in cujus septentrionali latere Saxonum castra erant posita pervenerunt. In quo loco cum Thederichus castra posuisset, ipsi sicut cum eo convenerant, quo facilius montem circuire possent, transgressi Wisiram, in ipsa fluminis ripa castra posuerunt: habitoque inter se colloquio, veriti sunt ne ad nomen Thederichi victoriæ fama transiret, si eum in eodem prælio secum haberent: ideoque sine eo cum Saxonibus congredi decernunt: sumptisque armis, non quasi ad hostem in acie stantem, sed quasi ad fugientem contendunt: terga insequi soliaque diripere, prout quemquam velocitas equi sui tulerat, qua Saxones in acie pro castris stabant, unusquisque eorum summa festinatione adoriuntur. Quò cum esset perventum malè etiam pugnatum est: nam commisso prælio, circumventi à Saxonibus, penè omnes interfecti sunt: qui tamen evadere potuerunt non in sua unde profecti sed in Thederichi castra, que trans montem erant, fugiendo pervenerunt. Sed major Francis quàm pro numero jactura fuit: quia legatorum duo, Adalgisus & Geilo, comitum quatuor, aliorumque clarorum atque nobilium usque ad XX. interfecti, præter cæteros qui hos secuti potiùs cum eis perire quàm post eos vivere maluerunt. Cujus rei nuncium cum rex suscepisset, nihil sibi cunctandum arbitratus, collecto festinanter exercitu in Saxoniam proficiscitur: accitisque ad se cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquisivit: Et cum omnes Witikindum hujus sceleris auctorem proclamarent, ipsum tamen tradere nequirent, eò quòd re perpetrata ad Nordmannos se contulerat, cæterorum qui persuasioni ejus morem gerentes tantum facinus peregerunt, usque ad MM MMD, traditi, & super Alaram fluvium in loco qui Ferdi vocatur, jussu regis omnes una die decollati sunt. Hujusmodi vindicta perpetrata, rex Theodonis villam in hyberna concessit: ibique & Natalem domini & Pascha more solito celebravit.

D CC LXXXIII.

ARridente veris temperie, cum ad expeditionem Saxonicam se præparasset, nam de omnimoda eorum defectione perlatum fuerat, priusquam de memorata villa se moveret, Hildigardis regina uxor ejus decessit PRIDIE CAL. MAJI. Cujus funeri cum more solenni justa persolveret, in Saxoniam sicut disposuerat duxit exercitum. Cumque Saxones in eo loco qui Thietmelle vocatur ad pugnam se præparare cognovisset, ad eos summa celeritate contendit: commissoque cum eis prælio, tanta eos cæde postravit, ut de innumerabili eorum multitudine perpauci evasisse dicantur. Cumque de loco prælii ad Padrabrunnam secum exercitu recepisset, atque ibi castris positis partem exercitus quæ adhuc de Francia venire debuerat operiretur, audivit Saxones in finibus Westfalorum super fluvium Hasam ad hoc congregari, ut ibi cum eo si venisset, acre confligerent. Quo nuncio commotus, adunatis quæ cum ad se venerant, quasque ante secum habebat Francorum copiis, ad locum ubi congregati erant sine dilatione profectus est: congressusque cum eis, eadem qua & priùs felicitate dimicavit. Cæsa est eorum infinita multitudo, spoliaque direpta: captivorum quoque magnus abductus est numerus. Inde victor ad orientem convertit, primoque usque ad Wisiram, deinde usque ad Albiam cuncta devastando peragravit. Inde reversus in Franciam, duxit uxorem filiam Radolfi comitis, natione Francam, nomine Fastradam: Ex qua duas filias procreavit. Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ mater regis Berthrada, IIII. ID. JUL. Ipse in Haristallio villa ibidem hyematurus consedit, ibique Natalem domini ac sanctum Pascha celebravit.

D CC LXXXIV.

CUm primùm opportunitas temporis advenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas rex animo intento, cum exercitu in loco qui Lippeheim vocatur Rhenum trajecit, & vastatis Westfalorum pagis, venit ad Wisiram. Cumque in eo loco qui Huculbi dicitur castris super fluvium positis consedisset, vidit se in aquilonares Saxoniæ partes sicut statuerat, propter nimias aquarum inundationes quæ tàm subito ex jugitate pluviarum exciderant, transire non posse: idcirco iter in Thuringiam convertit, & filium suum KAROLUM cum parte exercitus in Westfalorum finibus subsistere jussit: Ipse per Thuringiam iter faciens, venit in campestria Saxoniæ quæ Albi atque Salæ fluminibus adjacent: depopulatisque orientalium Saxonum agris, ac villis incensis, de Schaninge in Franciam regressus est. KAROLUS verò filius ejus, cum ei iter agenti in pago Draigni juxta Lippiam fluvium occurrisset exercitus, commisso cum eis equestri prælio, felici ac prospero dimicavit eventu. Nam magno eorum numero interfecto, exteris in diversa fugatis, victor ad patrem Wormatiam reversus est. Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus

fectus est: celeqratoque in castris Natalitio domini die, super Ambram fluvium in pago Huettagoe, juxta castrum Saxonum, quod Dekidroburg ad locum nomine Rimi, in qua Wisira & Vagarna confluunt, populabundus accessit. Cumque eum ulterius progredi, tàm hyemalis temporis asperitas, quàm aquarum inundatio prohiberet, Eresburgum arcem in hyberna concessit.

D CC LXXXV.

CUm ibi hyemare decrevisset, accitis atque adductis ad se uxore & liberis, reductoque cum eis in eadem arce satis fido ac firmo præsidio, ipse cum expedita manu ad Saxonum pagos vastandos, ac villas diripiendas egressus, inquietam satis hyemem ubique discurrendo, & cuncta cædibus atque incendiis permiscendo, tàm per seipsum, quàm per duces quos miserat, Saxonibus reddidit. Cumque hujusmodi vastationibus per totum hyberni temporis spatium omnes ferè Saxonum regiones ingenti clade affecisset, transacta tandem hyeme, & advectis ex Francia commeatibus, publicum populi sui couventum in loco qui Padrabrunna vocatur more solenni habuit. Ac peractis iis quæ ad illius conventus rationem pertinebant, in pagum nomine Bardengau proficiscitur: ibique audiens Widikindum & Albionem esse in Transalbiana Saxonum regione, primò eis per Saxones ut omissa perfidia, ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cumque ipsi facinorum suorum sibi conscii, regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo quam optabant impunitatis sponsione, atque impetratis quos sibi dari precabantur, suæ salutis obsidibus, quos eis Amaluvinus unus aulicorum à rege missus adduxerat, cum eodem ad ejus præsentiam in Attiniaco villa venerunt, atque ibi baptisati sunt. Nam, Rex postquam ad eos accersendos memoratum Amaluvinum direxit, in Franciam reversus est: quievitque illa Saxonicæ perfidiæ pervicacitas, per annos aliquot. Ob hoc maximè, quoniam occasiones deficiendi ad rem pertinentes invenire non potuerunt. Facta est eodem anno trans Rhenum apud Orientales Francos adversus regem, immodica conjuratio, cujus auctorem Hartradum comitem fuisse constabat: Sed hujus indicium cito ad regem delatum est, ejusque solertia tàm valida conspiratio citra ullum grande periculum in brevi conquievit: auctoribus ejus partim privatione luminum, partim exilii pœna condemnatis.

D CC LXXXVI.

CUm & hyemis tempus expletum, & sanctum Pascha in Attiniaco villa fuisset à rege celebratum, exercitum in Britaniam Cismarinam mittere constituit. Nam, cum ab Anglis ac Saxonibus Britania insula fuisset inversa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosolitarum regiones occupavit. Is populus à regibus Francorum subactus ac tributarius factus impositum sibi vectigal, licet invitus, solvere solebat. Cumque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiæ mensæ præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mira celeritate compressit: regique apud Wormatiam & obsides quos acceperat, & complures ex populi primoribus adduxit. Rex pace, undique parta, statuit Romam proficisci, & partem Italiæ, in qua Beneventum situm est, aggredi conveniens esse arbitratus, ut illius regni residuam portionem suæ potestati subjiceret, cujus caput capto Desiderio rege, majoremque partem in Langobardia jam subacta tenebat: nec diu moratus, sed contractis celeriter Francorum copiis, in ipsa hyemalis temporis asperitate, Italiam ingreditur. Cumque in Florentia Tuscorum civitate, Natalem Domini celebrasset, cum maxima celeritate Romam ire contendit. Quò cum venisset, ac de profectione sua in Beneventum, tàm cum Adriano Pontifice, quàm cum suis optimatibus deliberasset, Aragisus dux Beneventanorum audito ejus adventu, compertaque in terram suam intrandi voluntate, propositum ejus avertere conatus est. Misso enim Rumoaldo majore filio suo cum muneribus ad regem, rogare cœpit, ne terram Beneventanorum intraret. Sed ille longè aliter de rebus inchoatis faciendum sibi judicans, retento secum Rumoaldo cum omni exercitu suo Capuam civitatem Campaniæ accessit: inde bellum aggressurus ni memoratus dux propositum regis, salubri consilio prævenisset. Nam relicta Benevento quæ caput illius terræ habetur, in Salernum maritimam civitatem velut munitiorem se cum suis contulit: missaque legatione, utrosque filios suos regi obtulit, promittens se ad omnia quæ imperarentur libenter obediturum. Cujus precibus rex annuens, divini etiam timoris respectu bello abstinuit: & minore ducis filio nomine Grimoaldo obsidis loco suscepto, majorem patri remisit. Accepti insuper à populo obsides undecim: misitque legatos qui & ipsum ducem & omnem Beneventanum populum per sacramenta obstringerent. Ipse post hæc cum legatis Constantini imperatoris qui ad petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est: atque illis dimissis Romam reversus, sanctum Pascha magna cum hilaritate celebravit.

D CC LXXXVII.

CUm adhuc rex Romæ esset, Tassilo dux Bajoariorum misit legatos suos Arnum videlicet episcopum, & Hunrichum abbatem ad Adrianum papam, petens ut inter regem & illum mediator pacis fieri digna-

dignaretur. Nec pontifex precibus ejus censuit abnuendum, sed sedula admodum instantia apud regem intercedere curavit, ut inter eos pax & concordia ex suæ apostolicæ auctoritatis admonitione atque intervention proveniret. Cui cum rex idem le magnoperè velle respondisset, simulque à legatis memorati ducis inquireret, quando hujus pacis firmitatem facere deberent, responderunt sibi de hac re nihil esse commissum, nec se de hoc negotio aliud facturos, quàm ut responsa regis atque pontificis domino suo reportarent. Quorum verbis papa commotus, velut fallaces ac fraudulentos anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim regi promissa fide discederent: atque ita infecto pacis negotio reversi sunt. Rex autem adoratis sanctorum liminibus votisque solutis apostolica benedictione percepta, in Franciam reversus est. Et cum uxorem suam Fastradam, filiosque ac filias & omnem comitatum quem apud eos dimiserat Wormatiæ invenisset, generalem populi sui conventum ibi habere statuit. In qua cum omnia quæ in Italia gesserat coram optimatibus suis narrando commemorasset, & ad extremum de legatis Tassilonis qui ad se Romæ venerant mentio facta fuisset, inivit consilium, ut experiretur quid Tassilo de promissa fide præstare vellet: congregatoque ingenti exercitu, atque in tres partes diviso, Bajoariam atque ipsum Tassilonem petere constituit. Cumque Pipinum filium cum Italicis copiis in Tridentiam vallem venire jussisset, Orientales quoque Franci ac Saxones ut jussi fuerant, ad Danubium in loco qui Pferinga vocatur accessissent, ipse cum exercitu quem secum duxerat super Lechnum fluvium, qui Alemannos, & Bajoarios dividit, in Augustæ civitatis suburbano consedit. Inde Bajoariam cum tam valida manu procul dubio petiturus, nisi Tassilo sibi ac populo suo, ad regem veniendo consuleret. Nam videns se undique circumsessum, venit supplex, ac veniam de ante gestis sibi dari precatus est. Sed & rex sicut erat natura mitissimus, supplici ac deprecanti pepercit, acceptisq; ab eo, præter filium ejus Theodonem aliis XII. obsidibus, & populo terræ per sacramenta firmato, in Franciam reversus est: & in suburbano Moguntiacensi in villa quæ vocatur Ingelheim, quia ibi hyemaverat, & Natalem domini & Pascha celebravit.

dederat, suadente conjuge sua Luitburga, quæ filia Desiderii regis Langobardorum fuit, & post patris exilium Francis inimicissima semper extitit, in adversitatem regis; & ut bellum contrà Francos susciperent, Hunorum gentem concitaret: quod verum fuisse rerum in eodem anno gestarum probavit eventus. Objiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ non nisi animico & irato vel fieri vel proferri poterant, quorum ne unum quidem inficiari cœpit: sed noxæ convictus, uno omnium assensu ut læsæ majestatis reus, capitali sententia damnatus est. Sed clementia regis, licet morti addictum, liberare curavit: Nam mutato habitu in monasterium missus est: ubi tàm religiosè vixit, quàm libens intravit. Similitèr & Theodo filius ejus tonsus, & monasticæ conversationi mancipatus est. Bajoarii quoque qui perfidiæ ac fraudis eorum conscii, & consentanei fuisse perhibebantur, exilio per diversa loca relegabantur. Huni verò sicut Tassiloni promiserant duobus exercitibus comparatis, uno marchiam Forojulienſem, altero Bajoariam aggressi sunt, sed frustrà: Nam in utroq; loco victi fugatiq; sunt; & multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam injuriam velut vindicaturi Bajoariam iterum majoribus copiis petierunt: Sed in primo congressu pulsi à Bajoariis, & innumera multitudo eorum cæsa, multi etiam ex iis, qui per fugam evadere conati, Danubium tranare noluerunt, gurgitibus fluminis absorpti sunt. Interea Constantinus imperator propter negatam sibi regis filiam iratus Theodorum patritium Siciliæ præfectum cum aliis ducibus suis fines Beneventanorum vastare jussit. Qui cum imperata exequerentur, Grimoaldus qui eodem anno post mortem patris dux Beneventanis à rege datus est, & Hildebrandus dux Spoletanorum cum copiis quas congregare potuerunt in Calabria eis occurrerunt, habentes secum legatum regis Winigisum, qui postea in ducatu Spoletano Hildebrando successit: Commissoque prælio immodicam ex eis multitudinem ceciderunt, ac sine suo suorumque gravi dispendio victores facti, magnum captivorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Rex autem in Bajoariam profectus, eandem provinciam cum suis terminis ordinavit atque disposuit: atque inde regressus in Aquisgrano palatio suo, ubi hyemaverat & diem domini Natalitium, sanctumque Pascha more solenni celebravit.

DCC LXXXVIII.

CUm in eadem villa generalem populi sui rex fieri decrevisset conventum, ac Tassilonem ducem sicut & cæteros vasallos suos in eodem adesse jussisset, atque ille ut ei fuerat imperatum, ad regis præsentiam perveniſſet, crimine læsæ majestatis à Bajoariis accusatus est. Objiciebant ei quòd postquam filium suum obsidem regi

DCC LXXXIX.

NAtio quædem Sclavonorum est in Germania, sedens super littus Oceani, qui propria lingua Welatabi, Francica autem Wilsi vocantur: ea Francis semper inimica, & vicinos suos, qui Francis vel subjecti, vel fœderati erant, odiis insectari,

stari, belloque premere ac lacessere solebat. Cujus insolentiam rex longius sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit: comparatoque ingenti exercitu, Rhenum apud Coloniam trajecit: inde per Saxoniam iter agens, cum ad Albiam perveniisset, castris in ripa positis amnem duobus pontibus junxit: quorum unum ex utroque capite vallo munivit, & impositio præsidio firmavit: Ipse fluvio transito, quo constituerat exercitum duxit: Ingressusque Wilsorum terram, cuncta ferro & igne vastari jussit. Sed gens illa quamvis bellicosa, in sua numerositate confidens, impetum exercitus regii diu sustinere non valuit: ac proinde cum primùm in civitatem Dragawiti ventum est, Wiltzam, nam is cæteris Wilsorum regulis & nobilitate generis, & auctoritate senectutis præminebat, extemplo cum omnibus suis ad regem de civitate processit: obsides qui imperabantur dedit: fidem se regi ac Francis servaturum jurejurando promisit: quem cæteri Sclavorum primores ac reguli secuti, omnes se regis ditioni subdiderunt. Tum ille subacto illo populo, & obsidibus quos dare jusserat acceptis, eadem via qua venerat ad Albiam regressus est: & exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus secundum tempus dispositis, in Franciam reversus est. Et in Wormatia civitate & Natalem domini & Pascha celebravit.

D CC XC.

HOc anno, nulla expeditio à rege facta est, sed in Wormatia residens legatos Hunorum & audivit, & suos vicissim ad eorum principes misit. Agebatur de confiniis inter eos regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Hæc contentio, atque altercatio belli quod postea cum Hunis gestum est, seminarium & origo fuit. Rex autem ne quasi per otium torpere ac tempus terere videretur, per Mœnum fluvium ad Salæ palatium suum in Germania juxta Salam fluvium constructum navigavit; atque inde iterum per eundem amnem, secunda aqua in Wormatiam reversus est. Cumque ibi hyemaret, ipsum palatium in quo conversabatur casu accidente nocturno incendio concrematum est. Ibi tamen permanens, & Natalem domini & sanctum Pascha celebravit.

D CC XCI.

TRansacto vere circa æstatis initium rex de Wormatia movens Bajoariam profectus est, ea meditatione, ut Hunis factorum suorum vicem redderet, & eis quàm primum posset, bellum inferret. Compertis igitur ad hoc ex omni regno suo quàm validissimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cæpit. Cujus partem Thedericho comiti & Meginfrido cubiculario suo committens, eos per aquilonarem Danubii ripam iter agere jussit: ipse cum parte quam secum retinuit, australem ejusdem fluminis ripam Pannoniam petiturus occupavit: Bajoariis cum commeatibus exercitus, qui navibus devehebantur per Danubium secunda aqua descendere jussis: ac sic inchoato itinere, prima castra super Anesum posita sunt: Nam is fluvius inter Bajoariorum atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur: Ibi supplicatio per triduum facta, ut id bellum prosperos ac felices haberet eventus. Tum demum castra mota, & bellum genti Hunorum à Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum præsidiis, ac destructis munitionibus, quarum una super Cambum fluvium, altera juxta Comagenos civitatem in montem Cumeberg, vallo firmissimo erat extructa, ferro & igne cuncta vastantur, Cumque rex cum eo quem ducebat exercitu usq; Arrabonis fluëta veniisset, transmisso eodem fluvio per ripam ejus usq; ad locum quo is Danubio miscetur accessit: ibiq; stativis per aliquot dies habitis, per Bajoariam reverti statuit: alias verò copias, quibus Thederichum & Meginfridum præfecerat, per Behemanos via qua venerant reverti præcepit. Sic peragrata ac devastata magna parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Francorum in Bajoariam se recepit. Saxones autem & Frisones cum Thedericho & Meginfrido per Behemannos, ut jussum erat, domum regressi sunt. Facta est autem hæc expeditio sine omni rerum incommodo, præter quod illo quem rex ducebat exercitu tanta equorum lues exorta est, ut vix decima pars de tot millibus equorum remansisse dicatur. Ipse autem cum dimissis copiis Reginum civitatem quæ nunc Reganesburg vocatur, venisset, & in ea hyematurus consedisset, ibi Natalem domini & Pascha celebravit.

D CC XCII.

ORgellis est civitas in Pyrenei montis jugo sita, cujus Episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti episcopo per literas consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, propriùs an adoptivus DEI filius credendus esset ac dicendus: valdè incautè atque inconsideratè, & contra antiquam catholicæ ecclesiæ doctrinam adoptivum non solùm pronunciavit, sed etiam scriptis ad memoratum exemplum libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad palatium regis: qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in qua & hyemaverat, residebat: Ubi congregato episcoporum concilio auditus est: & errasse convictus, ad præsentiam Adriani pontificis Romam missus: ubi etiam coram ipso in basilica beati Petri Apostoli hæresim confessus est atque ab

que abdicavit: quo facto ad civitatem suam reversus est. Rege verò ibidem æstatem agente, facta est contra eum conjuratio à fratre suo majore nomine Pipino & quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastradæ reginæ ferre non posse asseverabant: atque ideo in necem regis conspiraverant. Quæ cum per Ardulfum Langobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei servatæ monasterio S. Dionysii donatus est: Auctores verò conjurationis ut rei læsæ majestatis partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt. Rex autem propter bellum cum Hunis susceptum in Bajoaria sedens, pontem navalem quo in Danubio ad id bellum uteretur ædificavit, ibique Natalem domini & sanctum Pascha celebravit.

DCCXCIII.

CUm rex bellum à se inchoatum confi-cere cuperet, & Pannoniam iterum petere decrevisset, nunciatum est copias quas Thederichus comes per Frisiam ducebat, in pago Rhiustri juxta Wisiram à Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cujus rei nuncio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter Pannoniam intermisit. Persuasum tunc regi erat si inter Radantiam & Almonum fluvios fossa navium capax duceretur, posse commodè è Danubio in Rhenum navigari, quod alter Danubio alter Mœno miscetur: confestim cum omni comitatu suo eò venit, congregataque hominum multitudine totum autumni tempus in eo opere consumpsit. Ducta est fossa inter prædictos fluvios duum millium passuum longitudine, latitudine CCC. pedum, sed in cassum: nam propter juges pluvias, & terram quæ palustris erat nimio humore suapte natura imbutam, cœptum opus consistere non potuit: sed quantum interdiu terræ à fossoribus fuerat egestum, tantum noctibus humo iterum in locum suum relabente subsidebat. In hoc opere occupato dùo valdè displicentia de diversis terrarum partibus allata sunt: Unum erat Saxonum omnimoda defectio; alterum quod Saraceni Septimaniam ingressi, prælioque cum illius limitis custodibus atque comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt. Quibus rebus commotus, in Franciam reversus est: celebravitque Natalem domini apud sanctum Kilianum in Wirtziburgo juxta Mœnum fluvium: Paschalis verò festi solennitatem super eundem fluvium in villa Francofurt, in qua & hyemaverat.

DCCXCIV.

REx ad condemnandam hæresim Fœlicianam æstatis initio, quando & generalem populi sui conventum habuit, concilium episcoporum ex omnibus regni sui provinciis in eadem villa congregavit. Affuerunt etiam in eadem synodo legati Romani pontificis Theophilactus ac Stephanus episcopi, vicem tenentes ejus à quo missi fuerant Adriani papæ. In quo concilio & hæresis memorata condemnata est, & liber contra eam communi episcoporum auctoritate compositus: in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam quæ ante pauces annos in Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam universalis erat appellata, ut nec septima nec universalis haberetur diceretutvè quasi supervacua in totum ab omnibus abdicata est. Mortua est ibi Fastrada regina, & Moguntiaci apud S. Albanum sepulta. Quibus peractis, rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidia parte copiarũ ab australi intraret, Kar. verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, & in eandem regionem ab occidente veniret: quo facto licet Saxones in campo qui Sintfelt vocatur, quasi prælium cum rege commissuri consedissent, ibique adventum ejus operirentur, amissa victoriæ spe quam sibi paulo antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes conversi sunt: victique sine prælio regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur obsides, & jurejurando fidem se regi velle servare promiserunt. Sic omisso prælio & Saxones domum reversi sunt, & rex transmisso Rheno in Galliam se recepit: Et cum Aquasgrani venisset, ibidem hybernis habitis, & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCCXCV.

QUamquam Saxones æstate præterita & obsides dedissent, & secundum quod jussi erant, sacramenta jurassent, rex tamen illorum perfidiæ non immemor conventum generalem trans Rhenum in villa Cuffenstein, quæ super Mœnum contra Moguntiacum urbem sita est, more solenni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, penè totam populando peragravit. Cumque in pagum Bardengau pervenisset, & juxta locum qui Bardenwig vocatur, positis castris, Sclavorum ques ad se venire jusserat expectaret adventum: subitò ei nunciatum est, Wiltzam regem Abotritorum cum Albim trajiceret, in dispositas à Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, & ab eis esse interfectum. Quod factum animo regis ad Saxones citius debellandos, velut quosdam stimulos addidit, & in odium perfidæ gentis amplius excitavit. Terra igitur magna parte vastata & obsidibus quos dare jusserat acceptis, in Franciam reversus est. In hac expeditione dum castra super Albim haberet, venerunt ad eum legati de Pannonia, unus ex primoribus Hunorum qui apud suos vocabatur Thudun: is & suum

is & suum adventum, & se Christianum fieri velle promisit. Rex autem Aquasgrani veniens, sicut & anno priori ibi temporibus suis & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCC XCVI.

ROmæ Adriano defuncto, Leo pontificatum suscepit: Et mox per legatos suos claves confessionis sancti Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus regi misit, rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus abbas monasterii sancti Richarii: per quem etiam tunc ad S. Petrum magnam partem thesauri, quem Erichus dux Forojulienſis spoliata Hunorum regia quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia regi detulerat, misit: reliquum verò inter optimates & aulicos cæterosque in palatio suo militantes liberali manu distribuit. Atque iis expletis, ipse cum exercitu Francorum Saxoniam petiit: Pipinum verò filium suum cum Italicis ac Bajoaricis copiis in Pannoniam ire jussit: & ipse quidem Saxonia magna ex parte vastata, ad hyemandum Aquasgrani palatium revertitur. Pipinus autem Hunis trans Tzam-Huvium fugatis, eorumque regia, quæ ut dictum est Ringus, à Langobardis autem Campus vocatur, ex toto destructa, direptis penè omnibus Hunorum opibus ad patrem, Aquisgrani hyberna habentem venit, ac spolia regni quæ secum detulit, eidem præsentavit. Thudun etiam de quo superiùs mentio facta est, fidem dictis suis adhibens, ibidem ad regem venit, ibique cum omnibus qui secum venerant baptisatus ac remuneratus est. Post datum fidei servandæ sacramentum domum rediit, sed in promissa fide diu manere noluit: nec multo post perfidiæ suæ pœnas dedit. Rex ut dictum est Aquisgrani in hybernis considens, ibi & Natalem domini & Pascha celebravit.

DCC XCVII.

BArcinona civitas in limite Hispanico sita quæ alternante rerum eventu, nunc Francorum, nunc Saracenorum ditioni subjiciebatur tandem per Zatum Saracenorum qui tunc eam invaserat regi reddita est: Nam is æstatis initio Aquasgrani ad regem venit, seque cum memorata civitate, spontanea deditione illius potestati submisit. Qua recepta rex filium suum Ludovicum ad obsidionem Oscæ cum exercitu in Hispaniam misit, & ipse more solito, ad contundendam perfidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intravit. Nec prius destitit, quàm omnes terminos ejus peragrasset: nam usque ad ultimos fines ejus qua inter Albim & Wisiram Oceano abluitur accessit: Inde regressus cum Aquasgrani venisset, ibique Abdellam Saracenum filium Ibinmauge regis de Mauritania ad se venientem suscepisset, legatumque Nicetæ Patritii, qui tunc Siciliam procurabat, nomine Theoctistum literas imperatoris de Canstantinopoli missas deferentem audisset, consilium iniit, ut ad conficiendum Saxonicum bellum, in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super Wisiram positis consedit, & locum castrorum Heristelli vocari jussit. Qui locus ab incolis usque in præsens ita nominatur. Exercitum verò quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna divisit. Illuc Pipinum de Italica & Ludovicum de Hispanica expeditione regressos, ad se venire jussit: Ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se missos audivit & abegnis muneribus ad se missos audivit & absolvit. Ibi legatum Adelfonsi regis Asturiæ atque Galetiæ sibi dona deferentem suscepit. Inde iterum Bipinum ad Italiam, Ludovicum ad Aquitaniam misit: cum quo & Abdellam Saracenum ire jussit: qui postea ut ipse voluit in Hispaniam ductus, & illorum fidei quibus se credere non dubitavit, commissus est. Rex autem in Saxonia residens, ibi & Natalem domini, & Pascha celebravit.

DCC XCVIII.

CUm jam ver accederet, nondum tamen propter pabuli inopiam exercitus de hybernis produci potuisset, Saxones Transalbiani occasionem nacti, legatos regis, qui ad eos ob justitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt paucis eorum quasi ad nunciandum reservatis: trucidantes cum cæteris & Godeschalcum regis legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigifridum regem Danorum miserat. Is cum legatione functus reverteretur, ab hujus seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis rex graviter commotus, congregato exercitu in loco cui Munda nomen, super Wisiram castra posuit, atque in fœdifragos ac desertores arma corripuit, & ultor necis legatorum suorum, quicquid Saxoniæ inter Albiam ac Wisiram interjacet, totum ferro & igne vastavit. Transalbiani autem qui Nordmanni vocantur, superbia elati, eò quod legatos regis impunè occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos proficiscuntur. Quorum dux Thrasico cognito Transalbianorum motu eis cum omnibus copiis suis in loco qui Suentana vocatur, occurrit: commissoque prælio, ingenti eos cæde prostravit. Nam in prima congressione quatuor millia eorum cecidisse narrávit legatus regis Eberwinus nomine, qui in eodem prælio fuit, & in Abtritorum acie dextrum

dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, & multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reversi sunt. At rex in Franciam regressus, cum Aquasgrani veniſſet, primò legatos Irenes imperatricis ad se de Constantinopoli missos audivit, nam Constantinus filius ejus propter morum insolentiam à suis comprehensus, & excœcatus est: quibus petentibus Sisimium fratrem Tarasii Constantinopolitani episcopi olim in prælio captum domum redire permisit. Legati fuere Michaël cognomento Gangli-anos, & Theophilus prebyter de Blacher-nis. Post quorum absolutionem venére de Hispania legati Adelfonsi regis, Basiliscus & Froja, munera deferentes, quæ ille de manubiis quas victor apud Olisipponam civitatem à se expugnatam ceperat, regi mittere curavit. Mauros videlicet septem cum totidem mulis atque loricis: quæ licet pro dono mitterentur, magis tamen insignia victoriæ videbantur: quos & benigne susce-pit, & remuneratos honorificè dimisit. Insulæ Baleares, quæ nunc ab incolis earum Majorica & Minorica vocitantur, à Mauris piraticam exercentibus deprædatæ sunt. Rex verò Aquisgrani hyemavit, & ibi Natalem domini & Pascha more solito celebravit.

D CC XCIX.

ROmæ Leo papa cum litania processurus de Lateranis ad ecclesiam beati Laurentii, quæ ad Craticulam vocatur, equo sedens pergeret in insidias à Romanis positas juxta eandem basilicam incidit: ubi equo dejectus & erutis oculis, ut aliquibus visum est, lingua quoque amputata, nudus ac semivivus in platea relictus est. Deinde jussu eorum qui hujus facti auctores fuere, in monasterium sancti Erasmi martyris velut ad curandum missus, Albini cujusdam cubicularii sui cura nocte per murum demissus à Winigiso duce Spoletano, qui audito hujusmodi facinore, Romam festinus advenerat, susceptus ac Spoletum deductus est. Cujus rei nuncium cum rex accepisset, ipsum quidem ut vicarium sancti Petri & Romanum pontificem cum summo honore ad se præcepit adduci: iter tamen suum quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit. Habito itaq; generali conventu super Rhenum in loco qui Lippenheim vocatur, ibique eodem amne transmisso cum toto exercitu suo ad Padrabrunnam accessit, ibique in castris considens pontificis ad se properantis præstolatur adventum. Misit interea filium suum KAROLUM ad Albim cum parte exercitus, propter quædam negotia cum Wilsis & Abotritis disponenda; & quosdam Saxones de Nordluidis recipiendos; Cujus reversionem cum expectat, venit pontifex & valdè honorificè ab illo susceptus est: mansitque apud eum dies aliquot: & cum ei cuncta propter quæ venerat intimasset, iterum Romam cum magno honore per legatos regis qui cum eo missi sunt reductus, atq; in locum suum restitutus est. Quo dimisso rex paucos dies ibidem moratus legatum Michaëlis patritii de Sicilia nomine Danielem, ad se missum absolvit. Accepit etiam triste nuntium de Gerholti & Erichi interitu, quorum alter Gerholtus videlicet Bajoariæ præfectus, commisso cum Hunis prælio cecidit. Alter verò, id est Erichus post multa prælia & insignes victorias apud Tarsaticam Liburniæ civitatem insidiis oppidanorum interceptus atque interfectus est. Rebus itaque Saxonum pro rerum opportunitate dispositis, rex in Franciam revertitur: & cum Aquisgrani hyemaret, Wido comes ac præfectus Britanici limitis, qui eodem anno cum sociis comitibus totam Britonum provinciam perlustraverat, arma ducum qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus detulit, Videbatur enim ea provincia tum ex toto subacta, fuisseque nisi perfidæ gentis instabilitas cito id aliorsum more solito commutasset. Allata sunt & signa quæ occisis in Majorica Mauris prædonibus erepta fuerunt: & Azan Saracenus præfectus Oscæ claves urbis cum aliis donis regi misit, promittens eam se traditurum si opportunitas eveniret. Sed & monachus quidam de Jerosolymis veniens: benedictionem & reliquias de loco resurrectionis dominicæ quæ patriarcha regi miserat detulit. Et rex Natalem domini in eodem palatio residens celebravit: ac monachum reverti volentem absolvens, Zachariam quendam bresbyterum de palatio suo cum eodem ire jussit: cui & donaria sua ad illa venerandа loca deferenda commisit.

D CCC.

REdeunte verna temperie medio ferè Martio rex Aquisgrani digressus, littus oceani Gallici perlustravit: & in ipso mari, ubi tunc piraticam Nordmanni exercebant, classem instituit præsidia disposuit, sanctum Pascha apud sanctum Richarium celebravit. Inde iterum per littus maris agens, Rotomagum civitatem venit: ibique Sequana amne transmisso, Turonos ad sanctum Martinum, orationis causa profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter adversam Luitgardæ conjugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem Prid. Non. Jun. Inde per Aurelianos ac Parisios Aquasgrani reversus est: Et mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens, generalem conventum ibidem habuit, & iter in Italiam indixit: atque inde profectus cum exercitu Ravennam venit, ibique septem non amplius dies moratus, Pipinum filium suum cum eodem exercitu interram Beneventanorum ire jussit, movensque de Ravenna cum filio Anconam usque pervenit: quod ibi dimisso Romam perficiscitur

pervenit : quod ibi dimiſſo Romam proficiſcitur. Cui pridie quàm illo veniret Leo papa apud Numentum occurrit, & cum magna veneratione ibidem ſuſcepit : poſt cœnam qua ſimul refecti ſunt, illo ibi manente pontifex ad urbem proceſſit, poſteroque die in gradibus baſilicæ beati Petri apoſtoli cum epiſcopis & univerſo clero conſiſtens advenientem regem equoque deſcendentem DEO laudes dicendo & gratias agendo ſuſcepit, & cunctis pſallentibus in eccleſiam ejusdem beatiſſimi apoſtoli DEum glorificans atque magnificans introduxit. Facta ſunt hæc VIII. Cal. Decemb. Poſt ſeptem verò dies rex concione vocata, cur Romam veniſſet omnibus patefecit, & exinde quotidie iis propter quæ venerat facienda operam impendit: in quibus ut maximum ita difficilimum erat quod primò inchoatum eſt, de inveſtigandis videlicet, quæ pontifici objiciebantur criminibus. Qui tamen poſtquam nullus eorundem criminum probator eſſe voluit, coram omni populo in baſilica beati Petri apoſtoli evangelium ferens, ambonem conſcendit, invocatoque Trinitatis nomine, de objectis ſe criminibus jurejurando purgavit. Eadem die Zacharias presbyter quem rex Jeroſolymas miſerat, cum duobus monachis quos patriarcha cum eo ad regem miſit Romam venit: ii benedictionis gratia claves ſepulchri dominici ac loci Calvariæ cum vexillo detulerunt: quos rex benignè ſuſceptos per aliquot dies ſecum detinuit: & redire volentes, remuneratos abſolvit.

DCCCI.

IPſe autem cum die ſacratiſſima Natalis domini ad miſſarum ſolennia baſilicam beati Petri apoſtoli fuiſſet ingreſſus & coram altari ubi ad orationem ſe inclinaverat aſſiſteret, Leo papa coronam capiti ejus impoſuit, cuncto Romanorum populo acclamante, KAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA. Poſt quas laudes à pontifice more antiquorum principum adoratus eſt: ac deinde omiſſo patritii nomine, IMPERATOR & AUGUSTUS appellatus. Poſt paucos autem dies jubente ipſo ii qui eundem pontificem anno ſuperiore depoſuerant, in judicium adducti, & habita de eis quæſtione, ſecundum legem Romanorum ut crimine læſæ majeſtatis rei, capite damnati ſunt: Pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem interceſſit : nam & vita & membrorum integritas eis conceſſa eſt: Cæterum pro ſui facinoris magnitudine exilio damnati ſunt. Hujus factionis fuere principes Paſchalis nomenclator, & Campulus Sacellarius, & multi alii Romanæ urbis habitatores nobiles, qui ſimul omnes eadem ſententia damnati ſunt. Ordinatis deinde Romanæ urbis, & pontificis, totiusque Italiæ, non tantùm publicis ſed etiam eccleſiaſticis, & privatis rebus (nam tota hyeme non aliud fecit imperator) miſſaque in Beneventanos iterum expeditione, cum Pipino filio ſuo poſt Paſcha VII. Kalend. Maji. Roma profectus Spoletum venit: ubi dum eſſet. Prid. Kal. Maji. hora noctis ſecunda terræmotus maximus factus eſt, quo tota Italia graviter concutiebatur: Nam & tectum baſilicæ divi Pauli apoſtoli magna ex parte cum ſuis trabibus decidit, & in quibusdam locis urbes montesque ruerunt: Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluvium, & in Gallia & in Germania tremuerunt. Peſtilentia propter mollitiem hyberni temporis facta eſt. Imperator de Spoleto Ravennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nunciatum eſt ei legatos Aaron regis Perſarum portum Piſas intraſſe, quibus obviam mittens inter Vercellas & Hipporhediam eos ſibi fecit præſentari : unus eorum erat Perſa de oriente legatus prædicti regis: Nam duo fuerant, alter Saracenus de Africa legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in foſſato præſidebat, hic Iſaac judæum, quem imperator ante quadriennium ad memoratum regem Perſarum cum Lantfrido & Sigimundo legatis ſuis miſerat, reverſum cum magnis muneribus nunciaverunt: nam Lantfridus & Sigimundus ambo in eodem itinere defuncti ſunt. Tum ille miſit Erchenbaldum notarium in Liguriam, ad claſſem parandum qua elephas & ea quæ cum eo afferebantur ſubvehi poſſent. Ipſe autem celebrato die Natalis ſancti Joannis apud Hipporediam, alpes transgreſſus in Galliam reverſus eſt. Ipſa æſtate capta eſt Barcinona civitas in Hiſpania jam biennio obſeſſa: Zatus præfectus ejus & alii complures Saraceni comprehenſi: & in Italia Reate civitas ſimiliter capta & incenſa eſt, ejusque præfectus Roshelmus comprehenſus, caſtella quæ ad ipſam civitatem pertinebant in deditionem accepta ſunt: Zatus & Roshelmus una die ad præſentiam imperatoris deducti & exilio damnati ſunt. Ipſius anni menſe Octobri Iſaac judæus de Africa cum elephanto regreſſus, portum Veneris intravit: & quia propter nives alpinas illas tranſitum habere non poterat, in vercellis hyemavit: Imperator Aquasgrani palatio Natalem domini celebravit.

DCCCII.

IRene imperatrix è Conſtantinopoli miſit legatum nomine Leonem Spatharium pacis confirmandæ gratia inter Francos & Græcos: & imperator viciſſim abſoluto illo miſit Ieſſe epiſcopum Ambianenſem & Helmgaudum comitem Conſtantinopolim, ut pacem cum ea ſtatuerent. Celebratum eſt Paſcha Aquisgrani. Hujus anni menſe Jul. XIII. Cal. Aug. venit Iſaac cum elephante & cæteris muneribus quæ à rege Perſarum miſſa

missa fuerunt, & Aquisgrani omnia imperatori detulit: nomen elephanti erat Abulabaz. Orthona civitas Italiæ in deditionem accepta. Nuceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit præsidiumque nostrorum in ea positum Imperator æstatis tempore in Arduenna venationi indulgens, misso exercitu Transalbianos Saxones vastavit. Grimoaldus Beneventanorum dux in Nuceria Winigisum comitem Spoleti, qui præsidio præerat, adversa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captumque honorificè habuit. Imperator Aquisgrani Natalem domini celebravit.

D CCC III.

Hac hyeme circa ipsum palatium & finitimas regiones terræmotus factus & pestilitas subsecuta est. Winigisus à Grimoaldo redditus est: & legati imperatoris de Constantinopoli reversi sunt: & venerunt cum eis legati Nicephori imperatoris, qui tunc rempublicam regebat (nam Irenen post adventum legationis Francicæ deposuerant] quorum nomina fuerunt Michaël episcopus, Petrus abbas. Calistus & Candidatus: qui veneruntad imperatorem in Germania super fluvium Salam in loco qui dicitur Sels, & conditionem faciendæ pacis in scripto susceperunt: & inde dimissi cum epistola imperatoris Romam regressi, atque Constantinopolim reversi sunt. Imperator autem in Bajoariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembri mense Aquasgrani reversus est, ibique Natalem domini celebravit.

D CCC IV.

Imperator Aquisgrani hyemavit, æstate autem in Saxoniam ducto exercitu omnes qui trans Albim & in Wihmuodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abotritis dedit. Eodem tempore Godefridus rex Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Sliestorff, in confinio regni sui & Saxoniæ: promisit enim se ad colloquium imperatoris venturum: sed consilio suorum inhibitus propius non accessit. Imperator autem super Albim fluvium sedebat in loco qui dicitur Holdunstetin, & missa ad Godefridum legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri Coloniam venit: dimissoque exercitu primò Aquasgrani, deinde Arduennam venit: & venationi cum indulsisset Aquasgrani reversus est. Medio Novembri nunciatum est ei Leonem papam Natalem domini secum celebrare velle, ubicunque hoc contingere potuisset: quem statim misso ad sanctum Mauritium Karolo filio suo, honorificè suscipere jussit, ipse ad Remorum civitatem obviam illi profectus est: ibique susceptum, primò Carisiacum villam, ubi Natalem domini celebravit, deinde Aquasgrani perduxit: & donatum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem deduci fecit usque Ravennam. Causa adventus ejus hæc erat. Perlatum fuerat ad imperatorem æstate præterita Christi sanguinem in Mantua fuisse repertum: Propter hoc misit ad papam, petens ut hujus rei veritatem inquireret: Qui accepta occasione exeundi primò in Langobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est, indeque arrepto itinere subitò ad imperatorem usque pervenit, mansitque apud illum dies octo, & sicut dictum est, Romam repedavit.

D CCC V.

NOn multo post Cacanus princeps Hunorum propter calamitatem populi sui imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infestationem Sclavorum qui Behemanni vocantur, in pristinis sedibus esse non poterant: illi enim omnem terram Hunorum depopulantes, Lechonem tunc ducem habuerunt. Hunc imperator benignè (erat enim Cacanus Christianus nomine Theodorus) suscepit, & precibus ejus annuens, muneribus donatum redire permisit: qui rediens ad populum suum pauco tempore transacto diem suum obiit. Et misit Cacanus unum de optimatibus suis petens sibi honorem antiquum quem Cacanus apud Hunos habere solebat: Cujus precibus imperator assensum præbuit, & summam totius regni juxta priscum eorum ritum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo KAROLO in terram Sclavorum qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, ducem eorum nomine Lechonem occidit: & inde regressus in Vogesum sylvam ad patrem venit in loco qui dicitur Camp. Nam imperator Julio mense de Aquisgrani profectus, per Theodonis villam atque Metis transiens, Vogesum petiit ibique venationi vacans post reversionem exercitus ad Rumrichi castellum profectus, ibique aliquantum temporis moratus ad hyemandum in Theodonis villa palatio suo consedit: Ibi ambo ad eum filii sui Pipinus & Ludovicus venerunt, celebravitque ibi Natalem domini.

D CCC VI.

STatim post Natalem domini venerunt Wilharius & Beatus duces Venetiæ, nec non & Paulus dux Iaderæ, atque Donatus ejusdem civitatis episcopus legati Dalmatarum ad præsentiam imperatoris cum magnis donis: & facta est ibi ordinatio ab imperatore de ducibus & populis tàm Venetiæ quàm Dalmatiæ: Illisque absolutis conventum habuit imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda &

da & observanda inter filios suos, & divisione facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione & testamentum factum, & jurejurando ab optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conservandæ causa factæ: atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni papæ ut ipse sua manu subscriberet per Eginhartum missa. Quibus pontifex lectis & assensum præbuit & propria manu subscripsit. Imperator dimisso utroque filio in regnum sibi deputatum, Pipino scilicet & Ludovico de villa Theodonis per Mosellam & Rhenum secunda aqua Noviomagum navigavit: ibique Quadragesimale jejunium & sacratiss. Paschæ solennitatem celebravit: Et inde post non multos dies Aquasgrani veniens, KAROLUM filium suum in terram Sclavorum qui dicuntur Sorabi, & sedent super Albim fluvium, cum exercitu misit: in qua expeditione Miliduoch Sclavorum dux interfectus est; duoque castella ab exercitu ædificata: Unum super ripam fluminis Salæ, alterum juxta fluvium Albim; Sclavisq; pacatio Karolus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Sili super ripam Mosæ fluminis ad imperatorem venit. Missa est manus de Bajoaria & Alemannia atque Burgundia sicut anno superiore in terram Behemannorum, vastataque terræ non minima portione, absque ullo gravi incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam Insulam contra Mauros qui eam vastabant, classis de Italia à Pipino missa est: Cujus adventum Mauri non expectantes abscesserunt: unus tamen nostrorum Hadumarus comes civitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Navarri & Pompolonenses qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à Nicephoro imperatore, cui Niceta patritius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur: Et legati qui ante quatuor ferè annos ad regem Persarum missi erant, per ipsas Græcarum navium stationes transvecti: ad Tarvisiani portus receptaculum nullo adversariorum sæviente regressi sunt. Imperator celebravit Natalem domini Aquisgrani.

DCCC VII.

ANno superiore IV. Non. Septemb. fuit eclipsis Lunæ: Tunc stabat Sol in XVI. parte Piscium. Hoc autem II. Cal. Feb. fuit Luna XVII. quando stella Jovis quasi per eam transire visa est. Et III. ID. Feb. fuit eclipsis Solis media die, stante utroque sidere in XXV. parte Aquarii. Iterum IV. Cal. Mart. fuit eclypsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol stetit in XI. parte Virginis: nam & stella Mercurii XVI. Cal. Apr. visa est in Sole quasi parva macula nigra paululum superius medio centro ejusdem syderis: quæ à nobis octo dies conspicata est, sed quando primùm intravit vel exivit, nubibus impedientibus, minimè notare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Cal. Sep. eclipsis Lunæ facta est, hora noctis III. Sole posito in V. parte Virginis, & Luna in V. parte Piscium: Sicque abanni superioris Septembri usque ad anni præsentis Septembrem ter Luna obscurata est, & Sol semel. Ratbertus missus imperatoris qui de Oriente revertebatur defunctus est: Et legatus regis Persarum nomine Abdella, cum monachis de Jerusalem, qui legatione Thomæ patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius & Fœlix, ad imperatorem pervenerunt, munera deferentes quæ prædictus rex imperatori miserat: id est Papilionem & tentoria atrii miræ & magnitudinis & pulchritudinis: Erant omnia byssina, tàm tentoria quam & funes eorum, diversis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati regis pallia serica multa & pretiosa, & odores, & unguenta; & balsamum; nec non & horologium ex orichalco, arte mechanica mirificè compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis Pilul,s, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem ejusdem numeri equitibus qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ priùs erant apertæ claudebant: nec non & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuere præterea inter prædicta munera candelabra duo ex orichalco miræ magnitudinis & proceritatis: quæ omnia in Aquensi palatio ad imperatorem delata sunt. Imperator legatum & monachos per aliquantum tempus secum retinens in Italiam direxit, atque ibi eos tempus navigationis expectare jussit. Eodemque anno Burchartum comitem stabuli sui cum classe misit Corsicam, ut eam à Mauris qui superioribus annis illuc venire constituerant defenderet: hi juxta consuetudinem suam de Hispania egressi primò Sardiniam appulsi sunt: ibique cum Sardis prælio commisso, & multis suorum cæsis, nam III. ibi cecidisse perhibentur, in Corsicam recto cursu pervenerunt. Iterum ibi in quodam portu ejusdem Insulæ cum classe cui Burchartus præerat prælio decertavere, victique ac fugati sunt, amissis XIII. navibus, & plurimis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis adversa fortuna fatigati sunt, eo quod anno superiore contra omnem justitiam de Fatelaria insula LX. monachos asportatos in Hispania vendiderunt: quorum aliqui per liberalitatem imperatoris iterum ad sua loca reversi sunt. Niceta patritius qui cum classe Constantinopolitana in Venetia se continebat, pace facta cum Pipino rege, & induciis usque ad

menſem Auguſtum conſtitutis ſtatione ſoluta Conſtantinopolim egreſſus eſt. Hoc anno imperator Paſcha Aquis celebravit, necnon & Natalem domini.

D. CCC. VIII.

HYems molliſſima ac peſtilens fuit illo tempore, vereque inchoante imperator Noviomagum profectus, ibi Quadrageſimali jejunio celebrato ac ſancto Paſchate, iterum Aquas regreſſus eſt. Et quia nunciabatur Godefridum regem Danorum in Abotritos cum exercitu trajeciſſe, KAROLUM filium ſuum ad Albim cum valida Francorum & Saxonum manu miſit, jubens ut veſano regi reſiſterent, ſi Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille ſtativis per aliquot dies in littore habitis expugnatis etiam & captis aliquot Sclavorum caſtellis, cum magno copiarum ſuarum detrimento reverſus eſt. Nam licet Thraſiconem ducem Abrotritorum populariũ fidei diffidentem loco pepuliſſet, Godolaibum alium ducem dolo captum patibulo ſuſpendiſſet, Abotritorum duas partes vectigales ſibi feciſſet, optimos tamen militũ ſuorum & manu promptiſſimos amiſit: & cum eis filium fratris ſui nomine Reginholtum, qui oppugnatione cujusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus eſt. Filius autem imperatoris Karolus Albim ponte junxit, exercitum cui præerat in Hilinones & Smeldingos, qui & ipſi ad Godefridum defecerant, celerrimè transpoſuit: populatisque circumquaque eorum agris, tranſitoque iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam ſe recepit. Erant cum Godefrido in expeditione prædicta Sclavi qui dicuntur Wilſi, qui propter antiquas inimicitias quas cum Abotritis habere ſolebant ſponte ſe copiis ejus conjunxerunt: ipſoque domum revertente cum præda quam in Abotritis capere potuerunt, & ipſi domum regreſſi ſunt. Godefridus vero priùs quam domum reverteretur, deſtructo emporio quod in oceani littore conſtitutum, lingua Danorum Rerich dicebatur, & magnam regno illius commoditatem vectigalium perſolutione præſtabat, translatisque inde negotiatoribus, ſoluta claſſe ad portum qui Slieſtorff dicitur cum univerſo exercitu venit; ibi per aliquot dies moratus, limitem regni ſui qui Saxoniam reſpicit vallo munire conſtituit, eo modo, ut ab orientali maris ſinu quem illi Oſterſalt dicunt, uſque ad occidentalem Oceanum totam Egidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: una tantum porta dimiſſa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuiſſent. Diviſo itaque opere inter duces copiarum, domum reverſus eſt. Interea rex Nordhumbrorum de Britannia Inſula nomine Ardulf, regno & patria pulſus, ad imperatorem dum adhuc Noviomagi moraretur venit, & patefacto adventus ſui negotio Romam proficiſcitur: Romaque rediens, per legatos Romani pontificis & domini imperatoris in regnum ſuum reducitur. Præerat ea tempeſtate eccleſiæ Rom. Leo III. cujus legatus ad Britania directus & Adolphus diaconus de ipſa Britaniam Saxo, & cum ipſo ad imperatorem miſſi duo abbates, Rutfridus notarius, & Nantharius abbas de ſancto Othmaro. Imperator verò ædificatis per legatos ſuos ſuper Albim fluvium duobus caſtellis, præſidioque in eis contra Sclavorum incurſiones diſpoſito, Aquisgrani hyemavit, Natalemque domini & Paſcha celebravit.

D CCC IX.

CLaſſis de Conſtantinopoli miſſa, primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit: cumque ibi hyemaret pars ejus Comiaclum inſulam acceſſit, commiſſoque prælio contra præſidium quod in ea diſpoſitum erat, victa atque fugata Venetiam receſſit. Dux autem qui claſſi præerat nomine Paulus, cum de pace inter Francos & Græcos conſtituenda, quaſi ſibi hoc eſſet injunctum, apud Pipinum Italiæ regem agere moliretur, Wilhario & Beato Venetiæ ducibus omnes conatus ejus impedientibus, atque ipſi etiam inſidias parantibus, cognitis illorum fraude diſceſſit. At in occiduis regionibus dominus Ludovicus rex cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus, Dertuſam civitatem in ripa Iberi fluminis ſitam obſedit: conſumptoque in oppugnatione illius aliquanto tempore, ubi eam tàm cito capi non poſſe vidit, dimiſſa obſidione, cum incolumi exercitu in Aquitaniam ſe recepit. Poſtquam Ardulfua rex Nordhumbrorum reductus eſt in regnum ſuum, & legati imperatoris atque pontificis reverſi ſunt: unus ex is Adolphus videlicet diaconus à piratis captus eſt, cæteris ſine periculo trajicientibus, ductusque ab eis in Britaniam, à quodam Cœnulphi regis homine redemptus eſt, Romamque reverſus. In Tuſcia Populonium civitas magna à Græcis qui Orientales vocantur, deprædata eſt. Mauri quoque de Hiſpania Corſicam ingreſſi, in ipſo ſancto Paſchali Sabbatho civitatem quandam diripuerant, & præter epiſcopum ac paucos ſenes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus rex Danorum per negotiatores quosdam ſignificavit, ſe audiſſe imperatorem ſibi infenſum, obid quòd in Abotritos duxiſſet exercitum, & ſuas ultus eſſet injurias: addens velle ſe purgare apud eo quòd ei objiciebatur, fœderis irruptionem ab illis prius fuiſſe inchoatam. Petebat etiam ut conventus comitum imperatoris atque ſuorum juxta terminos regni ſui trans Albim fieret, in quo res invicem geſtæ proferri, & emendatione dignæ inter partes enumerari potuiſſent. Non abnuit imperator, colloquiumque trans Albim habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur

tur Badenfliet, multisque hinc & inde prolatis ac enumeratis rebus, negotio penitus infecto discessum est. Thrasico verò dux Abotritorum postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos Wilsos aggressus, agros eorum ferro & igne vastavit: regressusque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio Smeldingorum maximam civitatem expugnat: atque iis prosperis successibus omnes qui ab eo defecerant ad suam societatem redire coëgit. Iis ita gestis imperator de Arduenna Aquas reversus, mense Novembri concilium habuit de processione Spiritus sancti: Quam quæstionem Joannes quidam monachus Jerosolymis primò concitavit: Cujus definiendæ causa Bernhartus episcopus Wormatiensis, & Adelhartus abbas monasterii Corbejæ Romam ad Leonem papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem concilio de statu ecclesiarum, & conversione eorum qui in eis Deo servire dicuntur: nec aliquid tamen definitum est, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. Imperator autem cum ei multa de jactantia & superbia regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albim civitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præsidium: Cumque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, armisque ac cæteris ad usum necessariis rebus instructos per Frisiam ad locum destinatum ducere jussisset, Thrasico dux Abotritorum in emporio Rerich ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed imperator postquam locus civitati construendæ fuerat exploratus, Egbertum comitem huic negotio exequendo præficiens, Albim trajicere & locum jussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis nomine Esfesfelt, & occupatus est ab Egberto comite & Saxonibus circa Id. Mart. & muniri cæptus. Aureolus comes qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est: & Amaroz præfectus Cæsaraugustæ locum ejus invasit, & in castellis illius præsidia disposuit: missaque ad imperatorem legatione, se cum omnibus suis ejus obsequio traditurum promisit. Eclypsis Lunæ facta est VII. Cal. Jan.

D CCC X.

AMaroz Cæsaraugustæ præfectus postquam imperatoris legati ad eum venerunt, petiit ut colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis custodes, promittens se in eodem colloquio cum omnibus in imperatoris ditionem esse venturum. Quod licet imperator ut fieret annuisset, multis intervenientibus causis mansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata, primo Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt, nulloque præsidio in ea invento Insulam penè totam subegerunt. Interea Pipinus rex perfidia ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello marique statuit appetere: subactaque Venetia, ac ducibus ejus in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit: Sed cum Paulus Cephalaniæ præfectus cum orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, regia classis ad propria regreditur. Rotrudis filia imperatoris quæ natu major erat VIII. Id. Jun. diem obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godefridum regem expeditionem meditans, nuntium accepit, classem ducentarum navium de Nordmannia Frisiam appulisse, cunctasque Frisiaco littori adjacentes Insulas esse vastatas: jamque exercitum illum in continente esse, terrenaque prælia cum Frisonibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, ac vectigalis nomine centum libras argenti à Frisonibus jam esse solutas: regem verò domi esse: quod & revera ita erat. Qui nuncius adeò imperatorem concitavit, ut missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora palatio exiens, primò classi occurrere, deinde transmisso Rheno in loco qui Lippenheim vocatur copias quæ nondum convenerant, statuit operiri: Ubi dum aliquot dies moraretur elephas ille quem ei Aaron rex Persarum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, celerrimè ad Araram fluvium contendit: castrisque juxta confluentem ejus quo Wisiræ flumine conjungitur positis, minarum Godefridi regis præstolatur eventum: Nam rex ille vanissima spe victoriæ influatus, acie se cum imperatore confligere velle jactabat. Sed dum imperator in memorato loco stativa haberet, diversarum rerum nuncii ad eum perferuntur: nam & classem quæ Frisiam vastabat domum regressam, & Godefridum regem à quodam suo satellite interfectum: Castellum nomine Hohbuchi Albi flumini contiguum, in quo Odo legatus imperatoris, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à Wilsis captum: Et Pipinum regem Italiæ VIII. Id. Jul. de corpore migrasse: Duasque legationes de diversis orbis partibus, unam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causa adventare nunciantur. Quibus ille acceptis disposita pro temporis conditione Saxonia, domum revertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, ut penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes usque ad unum interirent: Et non solùm ibi, sed etiam per omnes imperatori subjectas provincias in illius generis animalia mortalitas immanissimè grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobri, memoratas legationes audivit, pacemque

cemque cum Nicephoro imperatore, & cum Abulaz rege Saracenorum fecit: Nam Nicephoro Venetiam reddidit: Et Heimrichum comitem olim à Saracenis captum Abulaz remittente recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt: Sol VIII. Id. Jun. & II. Cal. Dec. Luna autem XI. Cal. Jul. & XVIII. Cal. Jan. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amaroz ab Abdiraman filio Abulaz de Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godefrido Danorum rege mortuo, Hemmingus filius fratris ejus in regnum successit, ac pacem cum imperatore fecit.

D CCC XI.

ABsoluto atque dimisso Arsaphio Spathario, hoc erat nomen legato Nicephori imperatoris, ejusdem pacis confirmandæ gratia legati Constantinopolim ad imperatorem mittuntur Hatto episcopus Basiliensis, & Hugo comes Turonicus, & Ajo Langobardus de Forojulii, & cum eis Leo quidam Spatharius natione Siculus, & Wilharius dux Venetorum: quorum alter ante annos decem Romam ad imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit: & redire volens ad patriam remittitur: Alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci jubetur. Indicta inter imperatorem & Hemmingum Danorum regem pax propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis jurata servatur, donec redeunte veris temperie, & viis apertis quæ immanitate frigoris clausæ fuerunt, congredientibus ex utraque parte utriusque gentis, Francorum scilicet & Danorum XII. primoribus super fluvium Egidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax firmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuere; Walach filius Bernharti, Burchartus, Unrochus, Vodo, Egbertus, Thederichus, Abbo, Ostdach, Wigman, omnes comites: De parte Danorum in primis fratres Hemmingi Hancwinc & Angandeo, deinde cæteri honorabiles inter suos viri, Osfred cognomento Turdimulo, & Warsten, & Swomi, & Urin, & alius Osfredi filius Heiligon, Osfred de Sconowe, & Hebbi, & Awin. Imperator verò cum Hemmingo pace firmata, & placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes regni totidem exercitus misit: Unum trans Albim in Hilinones, qui & ipsos vastavit, & castellum Hohbuochi superiore anno à Wilsis destructum in ripa Albis fluminis restauravit: Alterum in Pannonias, ad controversias Hunorum & Sclavorum finiendas: Tertium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam: qui omnes rebus prosperè gestis incolumes regressi sunt. Ipse autem propter classem quam anno superiore fieri imperaverat videndam, ad Bononiam Gallicam, civitatem maritimam, ubi eædem naves congregatæ erant accessit: fanumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restauravit, & in summitate ejus nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldim fluvium veniens in loco qui Ganda vocatur naves ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa medium Novembrem Aquas venit. Obviarunt ei venienti legati Hemmingi regis Awin & Hebbi, munera regis & verba pacifica deferentes. Fuere etiam Aquis adventum ejus expectantes qui de Pannonia venerunt, Cani, Zauzi, principes Avarum, & Thudum & alii primores Sclavorum circa Danubium habitantium, qui à ducibus copiarum quæ in Pannoniam missæ fuerunt ad præsentiam principis venire jussi erant. Interea Karolus filius imperatoris qui major natu erat, II. Non. Decemb. diem obiit, Imperator Aquis hyemavit.

D CCC XII.

NEc multo post Hemmingus Danorum rex defunctus nunciatur: cui cum Sigifridus nepos Godefridi regis, & Amilo nepes Herioldi quondam regis succedere voluissent, neque uterque regnare potuisset, comparatis copiis, & commisso prælio ambo moriuntur: Pars tamen Amilonis adepta victoria fratres ejus Herioldum & Reginfridum reges sibi constituerunt: quam necessario pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio XDCCCCXL. viri cecidisse narrantur. Nicephorus imperator post multas & insignes victorias in Mœsia provincia commisso cum Bulgaris prælio moritur: & Michaël gener ejus imperator factus, legatos imperatoris Karoli qui ad Nicephorum missi fuerunt, in Constantinopoli suscepit, & absolvit: Cum quibus & suos legatos direxit Michaëlem episcopum & Arsapiũ atq; Theognistum Prorospatharios, & per eos pacem à Nicephoro inceptam confirmavit: Nam Aquisgrani ubi ad imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in epistola suscipientes, more suo, id est Græca lingua laudes ei dixerunt, & imperatorem & Βασιλέα eum appellantes: & inde reversi Romam, in basilica sancti Petri eundem pacti seu fœderis libellum à Leone papa denuò susceperunt. Quibus dimissis, imperator generali conventu Aquis solenniter habito, Bernhartum filium, Pipini nepotem in Italiam misit propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam venit: Wallonem filium Bernharti patruelis sui secum esse jussit, quousque rerum eventus securitatem nostris afferret: Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit: Ea quidem pars quæ in Sardiniam venerat penè tota deleta est. Classis etiam Nordmannorum Hiberniam Scotorum Insulam aggressa, commissoque cum Scotis prælio, parte non modica

modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est. Pax cum Abulaz rege Saracenorum facta. Item cum duce Beneventanorum Grimoaldo, & tributi nomine XXV. solidorum auri à Beneventanis soluta. Expeditio facta in Wilsos, & ab eis obsides accepti. Heriholdus & Reginfridus reges Danorum missa ad imperatorem legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Id. Maji post meridiem solis eclypsis fuit.

D CCC XIII.

IMperator Aquisgrani hyemavit, & incipiente verno tempore Amalharium Treverensis episcopum, & Petrum abbatem monasterii Nonantulæ propter pacem cum Michaële imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Pons apud Moguntiacum mense Majo incendio conflagravit. Post quod imperator cum in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit: & convalescens Aquisgrani reversus est: ac deinde habito generali conventu, evocatum ad se apud Aquisgrani filium suum Ludovicum Aquitaniæ regem excipiens, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit: Bernhartumque nepotem suum ex Pipino filio, Italiæ præfecit, & regem appellari jussit. Concilia quoque jussu ejus super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt: Quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilloni, quintum Arelati congregatum est: Et constitutionum quæ in singulis factæ sunt collatio coram imperatore in illo conventu habita: Quas qui nosse voluerit, in suprà dictis civitatibus invenire poterit: quanquam & in archivo palatii exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc conventu quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluvium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem regum illorum facerent, & fratrem eis redderent. Qui cum pari numero, nam XVI. erant, de primatibus Danorum occurrissent, juramentis utrinque factis pax confirmata, & regum frater eis redditus. Qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad Westerfœldam cum exercitu profecti: Quæ regio ultima regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita, contra aquilonarem Britaniæ summitatem respicit: cujus princeps ac pupulus ejus subjici recusabant. Quibus perdomitis cum revertissent, & fratrem ab imperatore missum recepissent, filii Godefridi regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui jamdudum relicta patria apud Sueones exulabant, comparatis undique copiis bellum intulerunt: Et confluentibus passim ex omni Danorum terra popularium turbis, commisso prælio, etiam regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corsica Hispaniam cum multa præda redeuntibus Irmingarius comes Emporitanus in Majorica insidias posuit, octo naves eorum cepit: in quibus quingentos & eò ampliùs captivos invenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ civitatem, & Niceam provinciæ Narbonensis vastaverunt. Sardiniam quoque aggressi, commissoque bello cum eis, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt. At Michaël imperator Bulgaros appetens bello, haud prosperis successibus utitur: ac proinde domum reversus, deposito diademate monachus efficitur: In cujus locum Leo Papdæ patritii filius imperator constituitur. Crumas rex Bulgarorum qui Nicephorum imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaëlem de Mœsia fugaverat, secundis rebus elatus, cum exercitu usque ad ipsam Constantinopolim accessit: Quem mœnibus urbis obequitantem Leo imperator eruptione facta incautum excepit, ac graviter vulneratum fugiendo sibi consulere, ac in patriam turpiter redire coegit.

D CCC XIV.

DOminus Karolus imperator dum Aquisgrani hyemaret anno ætatis circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLIII. ex quo verò imperator & Augustus appellatus est XIV. V. Cal. Feb. rebus humanis excessit, Cujus rei nuntium cum Ludovicus filius ejus in Aquitania apud Theodoadum villam, ubi & ipse tunc hybernabat plurimis deferentibus accepisset, tricesimo postquam id acciderat die Aquasgrani venit: summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit: & ad suscepti regni administrationem cura conversa, primò legationes gentium quæ ad patrem venerunt auditas absolvit: alias simili modo ad patrem ante quidem missas, ad se verò venientes suscepit: inter quas præcipua fuit legatio de Constantinopoli missa: Nam Leo imperator qui Michaëli successerat, dimisso Amalhario episcopo & Petro abbate, qui ad Michaëlem quidem missi, ad se tamen venerunt, legatos suos Christophorum Spatharium, & Gregorium diaconum cum eis ad dominum Karolum, & per eos descriptionem ac confirmationem pacti ac fœderis misit: Quibus susceptis atque dimissis, dominus Ludovicus legatos suos Nordbertum Rhegienses episcopum & Richwinum Patavinum comitem ad Leonem imperatorem ob renovandam secum amicitiam, & prædictum pactum confirmandum misit: Habitoque Aquisgrani generali populi sui conventu, ad justitiam faciendam, & oppressiones popularium relevandas legatos in omnes regni sui fines misit: Bernhartum regem Italiæ nepotem suum ad se evocatum, muneribus donavit & in regnum remisit: Cum Grimoaldo Beneventanorum duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo & pater, scilicet ut

cet ut Beneventani tributum annis singulis VII. millia solidorum darent. Tunc duos ex filiis suis, Lotharium in Bajoariam, Pipinum in Aquitaniam misit. Heriholtus & Reginfridus reges Danorum qui anno superiore à filiis Godefridi victi & regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt: in quo conflicto & Reginfridus, & unus de filiis Godefridi qui major natu erat interfectus est. Quo facto Heriholtus rebus suis diffidens ad imperatorem venit, & se in manus illius commendavit: quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare jussit, quo ei quemadmodum petierat auxilium ferre, posset.

DCCCXV.

IUssum est ab Imperatore ut Saxones & Abotriti ad hanc expeditionem præpararentur: Tentatumque in illa hyeme duabus vicibus si Albis transire posset: sed mutatione subitâ aëris emolliti, ac glacie fluminis resoluta, negotium remansit infectum: donec tandem hyeme transacta circa medium Majum mensem opportunum proficiscendi tempus arrisit: Tuncomnes Saxonici comites, omnesque Abotritorum copiæ cum legato imperatoris Baldericho sicut jussum erat, ad auxilium Heriholto ferendum trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum nomine Sinlendi perveniunt: Et inde profecti VII. tandem die in loco qui dicitur Littus oceani castra ponunt: ibique stativis triduo habitis, cum filii Godefridi contra eos magnis copiis & ducentarum navium classe comparata, in Insula quadam tribus millibus à continenti separata residerent, ipsique cum eis congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus XL. ad imperatorem in Saxoniam reversi sunt: ipse enim tunc temporis in loco qui dicitur Padrabrunna generalem populi sui conventum habebat. Ibi ad eum omnes Orientalium Sclavorum primores & legati venerunt: Priusquam tamen illuc veniret, sed domi adhuc esset, allatum est ei quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem papam in ipsa urbe Roma conspirasse: ac deinde cum hujus causæ indicium ad pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores ipsius jussu fuisse trucidatos: Quod cum molestè ferret, ordinatis tunc Sclavorum & Heriholti rebus, ipsoque in Saxonia dimisso, cum ad Franconofurt palatium venisset, Bernhartum regem Italiæ nepotem suum qui & ipse secum in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nunciabatur Romam mittit. Is cum eò veniisset ægritudine decubuit: res tamen quas compererat per Gerholtum comitem qui ad hoc legatus erat datus, imperatori nunciavit: quem legati pontificis Joannes Sylvæ candidæ, Theodorus Nomenclator & Sergius dux subsecuti, de iis quæ domino objiciebantur per omnia imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali civitate venerunt dona ferentes. Pax quæ cum Abulaz rege Saracenorum facta est & per triennium servata, velut inutilis rupta, & contra eum iterum susceptum est bellum. Nordbertus episcopus & Richvvinus comes de Constantinopoli, regressi, descriptionem pacti quam Leo imperator eis dederat detulerunt: qui inter cætera terræmotum gravissimum mense Augusto per continuos V. dies ibi contigisse retulerunt, quo & ipsius ædificia urbis complura cecidisse, & aliarum civitatum populos ruinis oppressos esse restati sunt. Sed & in Gallia Santones civitas Aquitaniæ mense Septembri dicitur tremuisse. Rhenus fluvius alpinis imbribus auctus, ultra solitum exundavit. Cum Romani Leonem papam ægritudine decubuisse viderent, collectâ manu omnia prædia quæ in singularum civitatum ditionibus novitèr extruxerat, primò diripiunt, deinde immisso igne cremant: tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur violenter auferre: Quo comperto Bernhartus rex missa manu per Winigisum ducem Spoletanum & seditionem illam sedavit, & eos à cœpto desistere fecit: quæque erant gesta per legatos imperatori nunciavit.

DCCCXIV.

HYeme transacta Saxones & Orientales Franci expeditione in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant facere jussi, imperata strenuè compleverunt, & contumaciam audaciam non magno labore compresserunt: nam unâ civitate expugnata, quicquid in ea gente rebelle videbatur, subjugatione promissa quievit. Vascones qui trans Garonnam & circa Pyreneum habitant, propter sublatum ducem suum nomine Sigvvinum, quem imperator ob nimiam ejus insolentiam ac morum pravitatem inde sustulerat, solita levitate commoti, conjuratione facta omnimoda defectione defecerunt: Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, ut tarda eis deditio & impetratio videretur. Interea dominus Leo papa anno pontificatus sui XXI. circiter VIII. Cal. Jun. de corpore migravit, Stephanusque diaconus in locum ejus electus atque ordinatus est: Nondumque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quàm maximis potuit itineribus ad imperatorem venire contendit: missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione imperatori suggererent. Quod ubi imperator audivit, Remis ei occurrere statuit: misso obviam iis qui eum illò deducerent: & adventum ejus præveniens magno eum honore suscepit. Qui statim imperatori adventus sui causam insinuans, celebratis ex more missarum solenniis, eum diadematis impositione coronavit. Multis deinde inter eos muneribus datis & acceptis, conviviisque optimè celebratis, & amicitia vicissim fortissimo robore

bore constituta, aliisque utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis pontifex Romam, imperator Compendium palatium petiit. Ibi cum moraretur legatos Abotritorum, & de Hispania legatos ab Abdirachmam filii Abulaz regis ad se missos suscepit: completisque ibi XX. vel eò amplius diebus, Aquisgrani ad hyemandum profectus est.

DCCC XVII.

LEgati Abdirachmam filii Abulaz regis Saracenorum de Cæsarauguſta missi, pacis petendæ gratia venerunt & Compendio ab imperatore auditi, Aquisgrani eum præcedere jussi sunt: Quò cum perveniſſet, legatum Leonis imperatoris de Constantinopoli, pro Dalmatarum causa missum, Nicephorum nomine suscepit: quem etiam, Cadolach ad quem illorum confinium cura pertinebat non aderat, & tamen brevi venturus putabatur, adventum illius jussit operiri: Quo veniente, ratio inter eum & legatum imperatoris de quæstionibus quas idem detulit habita est: Et quia res ad plurimos & Romanos & Sclavos pertinebat, neque sine illorum præsentia finiri posse videbatur, illo decernenda differtur: missusque ad hoc cum Cadolach & prædicto legato in Dalmatiam Albigarius Unrochi Nepos. Legati etiam Abdirachman cum tribus mensibus detenti essent, & jam de reditu desperare cœpissent, remissi sunt. Filii quoque Godefridi regis Danorum propter assiduam Heriholdi infestationem missa ad imperatorem legatione, pacem petunt, eamque à se servandam pollicentur: Sed cum hæc simulata magis quàm veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, & auxilium contra eos Heriholdo datum. Luna Non. Feb. hora noctis II. defecit: & cometes in signo Sagittarii apparuit. Interea Stephanus papa tertio postquam Rom. venerat mense, sed nondum exacto, circiter VIII. Kal. Feb. diem obiit: Cui Paschalis successor electus, post completam solenniter ordinationem suam & munera, & excusatoriam imperatori misit epistolam in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimùm renitenti, pontificatus honorem velut in pactum asseverat. Missa tamen alia legatione quod præcessoribus suis factum erat, etiam secum fieri ac firmari rogavit. Hanc legationem Theodorus Nomenclator & detulit, & ea quæ petierat impetravit. Feria quinta qua Cœna domini celebratur, cum imperator ab ecclesia peracto sacro officio remearet, lignea porticus per quam incedebat, cum fragili materia esset ædificata, & jam marcida & putrefacta quæ contignationem & tabulatum sustinebant transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper imperatorem subita ruina cum XX. & eo amplius hominibus qui una ibant ad terram usque depressit. Qui casus cum plerosque ex iis qui simul deciderant graviter affecisset, illi nihil aliud læsionis intulit, quam quod capulo gladii quo accinctus erat imi pectoris, pars sinistra contusa est: & auris dextera in parte vulnerata, femur quoque dextrum cujusdam ligni pondere juxta inguina collisum: sed opera medicorum qui ei curam adhibebant, summa celeritate convaluit: nam vicesimo postquam id acciderat die Noviomagum profectus, venatu sese exercebat. Unde reversus generalem populi sui conventum Aquisgrani more solito habuit: in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque imperii sui socium sibi constituit: cæteros reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit. Conventu peracto cum Vogesi saltum venandi gratiâ peteret, obvios habuit legatos Leonis imperatoris: quos cum in Ingelheim palatio juxta Moguntiacum civitatem audisset ac legationem eorum non aliam esse nisi quam Nicephorus ejusdem imperatoris legatus proximè attulerat comperisset, celeriter absolutos dimisit, & quo tendebat proficiscitur: Nunciataque defectione Abotritorum & Sclaomiri, comitibus tantùm qui juxta Albim in præsidio residere solebant, ut terminos sibi commissos tuerentur, per legatum mandavit. Causa defectionis erat, quòd regiam potestatem quam Sclaomir eatenus post mortem Thrasiconis solus per Abotritos tenebat, cum Ceadrago filio Thrasiconis partiri videbatur. Quæ res illum tàm graviter exacerbavit, ut affirmaret se nunquã Albim fluvium transirum, neque ad palatium venturum. Statim missa trans mare legatione, junxit amicitiã cum filiis Godefridi, & ut exercitus trans Albim mitteretur imperavit: nam & classis eorum per Asbim usque ad Essesfeld castellum venit, quæ totam Sturiæ fluminis ripam devastavit: & Gluomi Nordmannici limitis custos pedestres copias ducens, simul cum Abotritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit: Quibus cum nostri fortiter restitissent, omissa castelli oppugnatione discesserunt. Interea dum imperator venatione peracta de Vogeso Aquisgrani reverteretur, nunciatum est ei Barnhartum nepotem suum Italiæ regem quorundam pravorum hominum consilio tyrannidem meditatum, jam omnes aditus, id est Clusas, quibus in Italiam intratur, impositis firmasse præsidiis, atque omnes aditus Italiæ in illis verba jurasse: quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos cum ex tota Gallia atque Germania congregato cum summa celeritate magno exercitu imperator ad Italiam festinasset, Bernhartus rebus suis diffidens, maximè quod se à suis quotidie deseri videbat, armis depositis apud Cabillonem imperatori se tradidit: quem secuti sunt alii; & non solùm armis depositis se dediderunt, verùm ultro & ad primam interrogationem omnia ut gesta erant aperuerunt. Hujus conjurationis principes fuere Eggideo inter omnes amicos regis primus, & Reginhartus cubicularius ejus, & Reginharius Meginharii comitis filius, cujus maternus avus

avus Hartradus olim in Germania cum multis ex ea provincia nobilis contra Karolum imperatorem conjuravit. Erant præterea alii multi præclari & nobiles viri qui in eodem scelere deprehensi sunt: inter quos & aliqui episcopi, Anshelmus Mediolanensis, & Wolfoldus Cremonensis, & Theodolphus Aurelianensis,

DCCC XVIII.

DEtecta fraude ac conjuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, imperator Aquisgrani revertitur: transactoque Quadragesimali jejunio, paucis post Pascha diebus, conjurationis auctores qui superiùs nominati sunt, & Bernhartum regem judicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminibus tantum jussit orbari: episcopos synodali decreto depositos, monasteriis mancipari: cæteros prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat vel exilio proscribi vel detondi atque in monasteriis conversari. Atque iis ita dispositis ipse cum maximo exercitu Britaniam aggressus, generalem conventum Venedis habuit: inde memoratam provinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, brevi totam in suam potestatem non magno labore redegit. Nam postquam Mormanus qui in ea præter solitum Brittonibus morem, regiam sibi vendicaverat potestatem, ab exercitu occisus est, nullus Britto inveniebatur qui resisteretur aut qui imperata facere, aut qui obsides qui jubebantur dare renueret. Qua expeditione completa cum imperator dimisso exercitu Andegavos civitatem esset reversus, Irmingardis regina conjunx ejus quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus postquam ipse ad eam venit morbo invalescente V. Non. Oct. decessit. Eclipsis Solis contigit VIII. Id. Jul. Imperator per Rotomagum & per Ambianos & Cameracum Aquasgrani ad hybernandum reversus cum Haristallium venisset, obvios habuit legatos Sigonis ducis Beneventanorum dona deferentes, eumque de nece Grimoaldi ducis antecessoris sui accusantes. Erant ibi & aliarum nationum legati Abotritorum videlicet ac Bornæ ducis Guduscanorum & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum societate desciverant, & ad fines nostros se contulerant: simul & Liudewiti ducis Pannoniæ inferioris, qui res novas moliens, Cadolaum comitem & Marcæ Forojulienfis præfectum, crudelitatis & insolentiæ accusare conabatur. Quibus ibi auditis atque dimissis, imperator Aquisgrani ad hyemandum profectus est.

DCCC XIX.

SClaomir Abotritorum rex ob cujus perfidiam ulciscendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodem anno trans Albim missus fuerat, per præfectos Saxonici limitis & legatos imperatoris qui exercitui præerant Aquisgrani adductus est: Quem cum primores populi sui qui simul jussi venerant, multis criminibus accusarent, & ille rationabili defensione objecta sibi refellere non valeret, exilio condemnatus est, & regnum Ceadrago Thrasiconis filio datum. Simili modo & Luppus Centuli Vasco qui cum Berngario Tolosæ, & Warino Averni comite eodem anno prælio conflixit, in quo & fratrem Garuhandum singularis amentiæ hominem perdidit: & ipse nisi fugiendo sibi consuluisset, prope interitum fuit, cum in conspectum imperatoris veniisset, ac de perfidia, cujus à memoratis comitibus accusabatur, se purgare non potuisset, & ipse est temporali exilio damnatus. Conventus Aquisgrani post Natalem domini habitus, in quo multa de statu ecclesiarum & monasteriorum tractata atque ordinata sunt: Legibus etiam capitula quædam necessaria quia deerant conscripta atque addita sunt. Quo peracto imperator inspectis plerisque nobilium filiabus, Welpi comitis filiam nomine Judith duxit uxorem. Iterumque conventus mense Julio apud Ingelheim palatium habitus & exercitus de Italia in Pannoniam propter Liudewiti rebellionem missus: qui rebus parum prosperè gestis, infecto penè negotio regressus est: & Liudewitus superbia elatus, legatos quasi pacem petendo ad imperatorem misit, conditiones quasdam proponens, ad quarum concessionem ea quæ juberentur se facturum pollicebatur: Quas cum imperator non reciperet, aliasque ei per suos legatos proponeret, permanendum sibi in inchoata perfidia velut optimum judicans, missis circumquaque legatis, vicinas gentes ad bellum sollicitare curavit: Timotianorum quoque populum qui dimissa Bulgarorum societate ad imperatorem venire ac ditioni ejus se permittere gestiebat, ne hoc fieret ita intercepit, ac fallis persuasionibus illexit, ut omisso quod facere cogitabat, perfidiæ illius socius & adjutor existeret. Exercitu verò de Pannonia reverso Cadolach dux Forojulienfis febre correptus in ipsa Marchia decessit: Cui cum Baldrichus esset surrogatus, & in Carantanorum regionem quæ ad ipsius curam pertinebat fuisset ingressus, obvium ibi habuit Liudewiti exercitum, quem juxta Dravum fluvium iter agentem parva manu aggressus, pluribus interfectis & avertit, & de illa provincia fugavit. Borna verò dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Colapium fluvium Liudewito ad se venienti occurrens, in prima congressione à Guduscanis deseritur: auxilio tamen Prætorianorum suorum protectus evasit. Periit in eo prælio Dragomosus socer Liudewiti, qui in exordio defectionis relicto genero Bornæ se conjunxerat. Guduscani domum regressi, iterum à Borna subiguntur. At Liudewitus occasionem nactus cum valida manu mense Decembri Dalmatiam ingressus, ferro & igne

& igne devastat. Cui cum Borna se penitus imparem respiceret, omnia sua castellis inclusit, & ipse cum delecta manu nunc à tergo nunc à latere insistens, Liudevviti copias & interdiu ubicunque poterat laceravit, neque eum in sua provincia impunè versari permisit: ad extremum gravi damno affectum regione coëgit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis & CCC. vel eo ampliùs caballis captis, præter sarcinas & spolia diversi generis direpta; quæ qualiter gesta fuerint per legatos suos imperatori nunciare curavit. At in partibus occiduis Pipinus imperatoris filius jussu patris Vasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis totam eam provinciam ita pacavit, ut nullus in ea rebellis aut inobediens remansisse videretur. Heriholdus quoque jussu imperatoris ad naves suas per Abotritos reductus, in patriam quasi regnum ibi accepturus navigavit: cui se duo ex filiis Godefridi quasi una cum eo regnum habituri sociasse dicuntur, aliis duobus patria expulsis: sed hoc dolo factum putatur. Imperator conventu dimisso primò Cruciniacum deinde Bingiam veniens, secunda aqua Confluentem usque per Rhenum navigavit: Inde Arduennam venandi gratia proficiscitur: Venatorio quoque exercitio more solenni ibidem exacto, Aquisgrani ad hyemandum revertitur.

DCCC XX.

MEnse Januario conventus ibidem habitus, in quo de Liudevviti defectione deliberatum est, ut tres exercitus simul ex tribus partibus ad devastandam ejus regionem atque ipsius audaciam coërcendam mitterentur. Borna quoque primò per legatos deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur suggessit. In eo conventu Bero comes Barcinonæ, qui jam diu fraudis & infidelitatis à vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus vincitur: Cumque ut reus majestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia imperatoris, & Rotomagum exilio proscriptus est. Transacta hyeme ut primùm herba pabulum jumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudevvitum mittuntur: quorum unus de italia per alpes Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tertius per Bajoariam & Pannoniam superiorem intravit: Et duo quidem, id est, dexter ac sinister tardius ingressi sunt, eo quòd unus alpium transitu, hostium manu resistente prohibebatur: alter & longitudine itineris, & Dravo flumine quod trajiciendum erat impediebatur: melius autem qui per Carantanos intrabat, quanquam tribus in locis ei resisteretur, feliciore usus fortuna, ter hoste superato, Dravo etiam transmisso, celerius ad destinata loca pervenit; Contra hæc Liudevvitus nihil molitus, munitione tantùm castelli quod in arduo monte construxerat se suosq continuit: & nec belli nec pacis, vel per semetipsum vel per legatos ullum sermonem habuisse dicitur. Exercitus verò postquam in unum convenerunt totam penè regionem ferro & igne vastantes, haud ullo gravi damno accepto domum reversi sunt. Is tamen qui per Pannoniam superiorem iter fecerat, in transitu Dravi fluminis ex locorum & aquarum insalubritate soluti ventris incommodo graviter affectus est, & pars ejus non modica hoc morbo consumpta est: hi tres exercitus de Saxonia & Orientali Francia & Alemannia, Bajoaria quoque atque Italia congregati sunt. Quibus domum reversis, Carniolenses qui Carcasavum fluvium habitant, & Forojulienfibus penè contigui sunt, Baldricho se dediderunt. Idem & pars Carantanorum, quæ ad Liudevviti partes à nobis defecerat, facere curavit. Fœdus inter nos & Abulaz regem Saracenorum constitutum: & neutri parti satis proficuum, consulto ruptum, bellumque adversus eum susceptum est. In Italico mari octo naves negotiatorum de Sardinia ad Italiam revertentium à piratis captæ ac dimersæ sunt. De Nordmannia verò XIII. piraticæ naves egressæ, primò in Flandrensi littore prædari molientes, ab iis qui in præsidio erant repulsæ sunt: ubi tamen ab eis propter incuriam aliquot casæ viles incensæ, & parvus numerus pecoris est abactus. In ostio Sequanæ similia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus, quinque suorum interfectis irritæ discesserunt: Tandem in Aquitanico littore prosperis usæ successibus, vico quodam qui vocatur Bundium ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reversæ sunt. Hoc anno propter juges pluvias & aërem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt: nam & hominum & boum pestilentia tàm immane longe lateque grassata est, ut vix ulla pars totius regni Francorum ab hac peste immunis & intacta posset inveniri. Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant; vel collecta computrescebant. Vinum etiam cujus parvus proventus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & insuave fiebat. In quibusdam verò locis ex inundatione fluminum aquis in plano stagnantibus autumnalis satio ita impedita est, ut penitus nil frugum ante vernum tempus seminaretur. Luna defecit VIII. Cal. Decemb. hora noctis II. Imperator post actum Carisiaci conventum, autumnalemque venationem ex more completam Aquas reversus est.

DCCC XXI.

COnventus mense Septembri Aquisgrani habitus, & in eo de bello Liudevvitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æstate perfidorum agros per vices vastarent. Simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius

limitis præfectis imperatum est. Iterumque conventus mense Majo Noviomagi habendus indictus est, comitesque qui illuc venirent deputati. Eo anno dominus imperator post festi Paschalis expletionem per Mosam navigavit, ibique constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos regni partitionem recensuit, ac juramentis optimatum qui tunc adesse potuerant confirmavit: Susceptisque ibidem Paschalis Romani pontificis legatis, Petro videlicet Centumcellensi episcopo, & Leone Nomenclatore, eisdemque celeriter absolutis, comitibus etiam qui aderant ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus, Aquisgrani reversus est: Et post paucos dies per Arduennam iter faciens, Treveros ac Metis venit: indeque Rumrichi castellum petens, reliquum æstivi caloris & autumni dimidium exercitatione venatoria in Vogesi saltu atque secretis exegit. Interea Borna dux Dalmatiæ atque Lyburniæ defunctus est: & petente populo atque imperatore consentiente, nepos illius nomine Ladáslavus successor ei constitutus est. Allatum est & de morte Leonis Constantinopolitani imperatoris, quòd conspiratione quorundam optimatum suorum, & præcipuè Michaëlis comitis, domesticorum insidiis in ipso palatio sit interemptus: qui suffragio civium & prætorianorum militum studio insulas imperii suscepisse dicebatur. Fortunatus patriarcha Gradensis cum à quodam presbytero suo nomine Tyberio apud imperatorem fuisset accusatus, quod Liudevvitum ad perseverandam in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad castella sua munienda, artifices & murarios mittendo juvaret, & ob hoc ad palatium ire juberetur, primò velut jussionem impleturus in Histriam profectus est: inde simulato reditu ad Gradum civitatem nullo suorum, præter eos cum quibus hoc tractaverat suspicante, nactus occasionem clam navigavit: veniensque Jaderam Dalmatiæ civitatem Joanni præfecto provinciæ illius fugæ suæ causas aperuit: qui eum statim navi impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobri conventus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebratur: in quo Lotharius primogenitus imperatoris Ludovici Irmingardim Hugonis comitis filiam solenni more duxit uxorem: Illuc etiam legati Romani pontificis Theodorus primicerius ac Florus cum magnis venére muneribus: Affuêre & comites in eodem conventu jam de Pannonia regressi, qui depopulata desertorum & Liudevvito adhærentium universa regione, cum nullus eis ibidem copiam pugnandi fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc placito piissimi imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos qui cum Bernharto nepote suo in Italia contra caput ac regnum suum conjuraverunt: quibus sibi ad præsentiam venire jussis, non solùm vitam & membra concessit, verùm etiam possessiones judicio legis in fiscum redactas, magna liberalitate restituit: Adelhardum quoque de Aquitania ubi exulabat evocatum, Corbejæ monasterio, ut prius fuerat, abbatem ac rectorem esse jussit: & Bernarium fratrem ejus reconciliatum eidem monasterio reddidit: Completisque iisquæ ad regni utilitatem inchoaverat, & sacramento quod apud Noviomagum pars optimatum juraverat generaliter consummato, ipse Aquasgrani revertitur: Filium autem Lotharium post nuptias ritu solenni celebratas, ad hyemandum Wormatiam misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt: & Heriholdus à filiis Godefridi in societatem regni receptus: quæ res tranquillum inter eos hujus temporis statum fecisse putatur. Sed quia Ceadragus Abotritorum princeps perfidiæ & cujusdam cum filiis Godefridi factæ societatis notabatur, Sclaomir æmulus ejus in patriam remittitur: qui cum in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit: perceptoque baptismatis sacramento defunctus est. Autumnalis satio jugitate pluviarum in quibusdam locis impedita est: cui hyems in tantum prolixa successit & aspera, ut non solùm minores rivi ac mediocres fluvii, verùm ipsi maximi amnes Rhenus videlicet ac famosissimi Danubius Albisque ac Sequana cæteraque per Galliam atque Germaniam in Oceanum petentia flumina adeò solida glacie stringerentur ut XXX. vel eo amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus vincta sustinerent: cujus resolutio non modicum ullis juxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit.

D CCC XXII.

IN regione Turingorum quodam in loco juxta fluvium cespis longitudine pedum L. latitudine XIV. altitudine sesquipedali de terra sine manibus & præcisus & sublatus est, & ab eo loco in quo sumptus est XXV. pedum spatio distans inventus est. Item in parte Orientali Saxoniæ quæ Sorabo-rum finibus contigua est, in quodam deserto loco juxta lacum qui dicitur Arnseo in modum aggeris terra intumuit, & limitem unius leucæ longitudine porrectum, sub unius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar valli sustulit. Winigisus dux Spoletanus jam senio confectus, habitu seculari deposito monasticæ se mancipavit conversationi: ac non multo post tactus corporis infirmitate decessit: in cujus locum Suppo Brixiæ comes substitutus est. Dominus imperator consilio cũ episcopis & optimatibus suis habito fratribus suis quos invitos tonderi jussit reconciliatus est: & tàm de hoc facto quã & de iis quæ erga Bernhartum filium fratris sui Pipini, nec non & iis quæ circa Adelhartum abbatem & fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitenti-

nitentiam egit: quod tamen in eo conventu quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi sui peregit: in quo quicquid similium rerum vel à se vel à patre factum invenire potuit, summa devotione emendare curavit. Exercitus de Italia propter Liudevviticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cujus adventum Liudevvitus Siscia civitate relicta ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit, & uno ex ducibus eorum à quo receptus est per dolum interfecto, civitatem ejus in suam redegit ditionem: missis tamen ad exercitum imperatoris legatis suis, ad ejus præsentiam se velle venire promisit. Saxones interea jussu imperatoris castellum quoddam trans Albim in loco cui Delbende nomen ædificant, depulsis ex eo Sclavis qui illum prius occupaverant; præsidiumque Saxonum in eo oppositum contra incursiones illorum Comites marcæ Hispanicæ trans Sicorim fluvium in Hispania profecti, vastatis agris & incensis compluribus villis, & capta non modica præda regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale à comitibus marcæ Britanicæ in possessionem cujusdam Britonis qui rebellis tunc extiterat nomine Wihormachus expeditione facta, & omnia ferro & igne vastata sunt. Peracto conventu qui Attiniaci habebatur imperator venandi gratia Arduennam petiit, Lotharium verò filium suum in Italiam misit: cum quo Walachum monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelharti abbatis, & Gerungum ostiariorum magistrum unà misit: quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad regni commoda pertinentibus uteretur. Pipinum autem in Aquitaniam ire præcepit: cum tamen priùs filiam Thietberti comitis Matricensis in conjugium fecit accipere: & post nuptias celebratas ad occiduas regiones proficisci. Ipse verò peracta autumnali venatione trans Rhenum hyematum ad Franconofurt profectus est: ibique generali conventu congregato, necessaria quæque & ad utilitatem orientalium regni sui finium pertinentia, more solenni cum optimatibus quos ad hoc evocari jusserat, tractare curavit: In quo conventu omnium orientalium Sclavorum, hoc est Abotritorum, Soraborum, Wilsorum, Behemannorum, Marvanorum, Predecentorum & in Pannonia residentium Avarum legationes cum muneribus ad se missis excepit: Fuere in eodem conventu & legationes de Nordmannia tàm de parte Heriholti quàm filiorum Godefridi: quibus omnibus auditis atque dimissis, ipse in eodem loco constructis ad hoc necessariis ædificiis novis, quemadmodum secum statuerat, hyemavit.

D CCC XXIII.

MEnse Majo conventus ibidem habitus est, in quo non universæ Franciæ primores, sed de orientali Francia, Bajoaria, Alemannia, atque Alemanniæ confinia, Burgundia, & regionibus Rheno adjacentibus adesse jussi sunt: in quo inter cæteras barbarorum legationes quæ vel sua sponte venerunt, duo fratres reges videlicet Wilsorum controversiam inter se de regno habentes, ad imperatoris præsentiam venerunt: quorum nomina sunt Meligastus & Celeadragus: erant enim filii Liubi regis Wilsorum qui licet cum fratribus suis regnum suum divisum teneret, tamen propterea quòd natu major esset ad eum totius regni summa pertinebat: qui ubi commisso cum orientalibus Abotritis prælio cecidisset, Wilsi filium ejus Meligastrum qui major erat regem sibi constituunt. Sed cum is secundum ritum gentis commissum sibi regnum parum dignè administraret illo abjecto juniori fratri regium honorem detulerunt: quam ob causam ambo ad præsentiam imperatoris venerunt: Quos cum audisset, gentis voluntatem proniorem in junioris fratris honore agnovisset, statuit ut is delatam sibi à populo suo potestatem haberet: ambos tamen muneribus donatos & sacramento firmatos in Patriam remisit. Accusatus est in eodem placito apud imperatorem Ceadragus Abotritorum princeps, quod se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad imperatoris præsentiam jam diu venire dissimulasset: propter quod ad eum legati directi sunt: cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus gentis suæ ad imperatorem misit, perque illorum verba promisit se ad proximum hyemis tempus ad illius præsentiam esse venturum. Lotharius verò cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paschale papa Romam venit: & honorificè ab illo susceptus in sancto Paschali die apud sanctum Petrum regni coronam, & imperatoris & Augusti nomen accepit: inde Papiam regressus mense Junio ad imperatorem venit: Qui cum imperatori de justitia in Italia à se partim facta, partim inchoata feciset indicium, missus est Adelhardus comes palatii, jussumque est ut Mauringum Brixiæ comitem secum assumeret, & inchoatas justitias perficere curaret: Drogonem fratrem ejus sub canonica vita degentem, Metensi ecclesiæ, clero ejusdem urbis consentiente atque eligente rectorem constituit, eumque ad pontificatus gradum censuit promovendum. In eodem conventu locus & tempus alterius conventus habendi indicta sunt, Novembris videlicet mensis, & Compendium palatium. Peracto itaque placito & dimissis proceribus cum imperator jam inde digredi statuisset, allatum est ei de interitu Liudevviti, quod relictis Sorabis cum in Dalmatiam ad Liudemussum avunculum Bornæ ducis pervenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius fuisse interfectum. Nunciatum est etiam Theodorum Romanæ ecclesiæ primicerium & Leonem Nomenclatorem gene-

rum ejus in patriarchio Lateranensi primò excæcatos, ac deinde fuisse decollatos: & hoc ideò eis contigisse, quòd se in omnibus fideliter erga partes Lotharii juvenis imperatoris agerent: Erant & qui dicerent, vel jussu, vel consilio Paschalis pontificis rem fuisse perpetratam: Ad quod explorandum ac diligenter investigandum missi sunt Adalungus abbas monasterii sancti Vedasti, & Hunfridus comes Curiensis: sed antequam illi fuissent profecti venerunt legati Paschalis Joannes episcopus Sylvæcandidæ, & Benedictus archidianus sanctæ sedis apostolicæ, rogantes imperatorem ut illam infamiam à pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur: Quibus cum ille juxta quod ratio postulabat respondisset, eosque dimisisset, prædictos legatos suos ad investigandam rei veritatem sicut priùs disposuit, Romam ire præcepit: ipse reliquum æstatis tempus in pago Wormatiensi ac deinde in Arduenna transigens, peracta autumnali venatione ad Cal. Nov. sicut condixerat Compendium venit. Legati Romam venientes rei certitudinem assequi non potuere: quia Paschalis pontifex se ab hujus facti communione cum magno episcoporum numero jurejurando purgavit: & interfectores prædictorum quia de familia sancti Petri erant summopere defendens, mortuos velut majestatis reos condemnabat, jureque cæsos pronunciabat: atque ob hoc cum prædictis qui ad eum missi fuerant legatis, Joannem Sylvæcandidæ episcopum, & Sergium bibliothecarium, Quirinum quoque subdiaconum ac Leonem magistrum militum ad imperatorem misit: qui cum tàm per illos quàm per suos legatos de sacramento pontificis & excusatione reorum comperisset, nihil ultra in hoc negotio sibi faciendum ratus, memoratum Joannem episcopum & socios ejus ad pontificem dato convenienti responso remisit. Ceadragus Abotritorum princeps pollicitationibus suis fidem adhibens, cum quibusdam primoribus populi sui Compendium venit: dilatique per tot annos adventus sui rationem coram imperatore non improbabiliter reddidit: qui licet in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum non solùm impunitus, verùm muneribus donatus ad regnum ire permissus est. Venerat & Heriholdus de Nordmannia auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur: Ob cujus causam diligentius explorandam ad eosdem filios Godefridi Theotharius & Rodtmundus comites missi fuerunt: Qui causam filiorum Godefridi, & statum totius regni Nordmannorum diligenter explorantes, adventum Heriholdi præcesserunt, & imperatori omnia quæ in illis regionibus comperire potuere patefecerunt: cum quibus Ebo Remorum archiepiscopus, qui consilio imperatoris & Romani pontificis auctoritate prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat, & æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptisaverat regressus est.

HOc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt in Aquensi palatio terræmotus, & in territorio Tullensi juxta villam Commerciarum puella quædam annorum ferè XXII. ab omni cibo per X. menses abstinens. Et in Saxonia in pago qui vocatur Frihsazi XXIII. villæ cœlesti igne concrematæ: & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia & in multis regionibus fruges grandinis vastatione deleræ: atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides iique ingentis ponderis decidere visi: Domus quoque de cœlo tactæ, hominesque ac cætera animalia passim fulminum ictu præter solitum crebro exanimata dicuntur, Secuta est ingens pestilentia atque hominum mortalitas; quæ per totam Franciam immaniter usque quaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diversi sexus & ætatis gravissimè sæviendo consumpsit.

DCCC XXIV.

REx Bulgarorum Omortag velut pacis faciendæ gratiâ legatos cum literis ad imperatorem misit: Quod ille cum audisset, ac literas quæ allatæ fuerant legisset, rei novitate non immeritò permotus, ad explorandum diligentius insolitæ & nunquam priùs in Franciam venientis legationis causam, Michelinum quendam de Bajoaria cum ipsis legatis ad memoratum regem Bulgarorum direxit. Interea hyems aspera valdeque prolixa est facta, quæ non solùm cætera animalia, verùm etiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Luna defecit III. Non. Mart. hora noctis secunda. Suppo dux Spoletanus decessisse nunciatur. Legati Romani pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum & morti jam proximum invenerunt: qui etiam paucis post adventum eorum diebus vita decessit. In cujus locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius tum archipresbyter TT. SS. Sabinæ, vincente nobilium parte surrogatus atque ordinatus est. Cujus rei nuncium cum Quirinus subdiaconus, unus ex iis qui priori legatione fungebantur, ad imperatorem detulisset conventu circiter VIII. Cal. Jul. pronunciato atque Compendii habito, ipse ad Britanicam expeditionem per se faciendam animo intento, Lotharium filium imperii socium Romam mittere decrevit, ut vice sua functus ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur cum novo pontifice atque Romano populo statueret ac firmaret. Ille ad hæc exequenda post medium Augustum in Italiam profectus est: Imperator verò iter quod in Britaniam facere instituerat propter famem, quæ adhuc prævalida erat usque ad initium

ad initium autumni aggredi distulit: tum demum adunatis undique omnibus copiis, Redonas civitatem terminis Britaniæ contiguam venit: & inde diviso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pipino & Ludovico traditis, tertiaque secum retenta Britaniam ingressus, totam ferro & igne vastavit: consumptisque in hac expeditione XL. vel eo amplius diebus, acceptis quos perfido Brittonum populo imperaverat obsidibus, Rotomagum civitatem ubi conjugem se operiri jusserat ad XV. Cal. Decemb. reversus est: nam & illuc legatos Michaëlis imperatoris sibi occurrere jussit: cum quibus & Fortunatus petriarcha Gradensis regressus ad ejus præsentiam venit: sed legati imperatoris literas & munera deferentes, pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt: inter cætera tamen ad legationem suam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire, atque apostolicæ sedis præsulem consulere debere dixerunt: Quos cum legatione eorum audita ac responso reddito, absolveret, ut se velle dicebant Romam ducere jussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percunctatus Romam ire jussit ut à pontifice examinaretur: ipse verò Aquasgrani ubi hyemare statuerat profectus est. Quò cum venisset & ibi Natalem domini celebrasset, allatum est ei quod legati Bulgarorum regis essent in Bajoaria: quibus obviam mittens, ipsos usque ad tempus congruum ibidem manere præcepit: Cæterùm legatos Abotritorum qui vulgo Prædenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipsi adventare nunciabantur, illico venire permisit: Qui cum à Bulgaris iniquè infestari se quererentur, & contra eos auxilium sibi fieri deposcerent domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum legatis constitutum redire jussi sunt. Suppone apud Spoletum sicut dictum erat defuncto, eundem ducatum Adelhartus comes palatii qui minor vocabatur accepit: qui cum vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit: cui cum Moringus Brixiæ comes successor esset electus, nuncio honoris sibi deputati accepto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finivit. Æblus & Asinarius comites cum copiis Vasconum ad Pompelonem missi, cum peracto jam sibi injuncto negotio reverterentur, in ipso Pyreneo perfidia montanorum in insidias deducti ac circumventi, capti sunt: & copiæ quas secum habuere penè usque ad internecionem deletæ: & Æblus quidem Cordubam missus, Asinarius verò misericordia eorum qui eum ceperant, quasi consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. Lotharius verò juxta patris præceptum Romam profectus, ab Eugenio pontifice honorificè suscipitur: Cui cum injuncta sibi patefaceret, statum populi Romani jamdudum quorundam præsulum perversitate depravatum, memorati pontificis benevola assensione ita correxit, ut omnes qui rerum suarum direptione graviter fuerant desolati, de restitutione bonorum suorum, quæ per illius adventum Deo donante provenerat magnificè essent consolati.

HOc anno paucis ante solstitium æstivale diebus in territorio Augustudunensi aëre in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur: cujus longitudo XV. latitudo VII. crassitudo II. pedes habuisse dicitur.

DCCC XXV.

SAcro Paschali festo solenniter Aquisgrani celebrato, arridente jam verno tempore imperator venandi gratia Noviomagum profectus, legatos Bulgarorum circa medium Majum Aquasgrani venire præcepit: nam tunc illo reverti statuit, habiturus ibidem conventum quem de Britania regressus eo se tempore ibidem habiturum optimatibus indicaverat: Quo cum peracta venatione fuisset reversus, Bulgaricam legationem audivit: erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis. Affuerunt in eo conventu penè omnes Britaniæ primores, inter quos & Wihormachus, qui perfidia sua & totam Britaniam conturbaverat, & obstinatione stultissima ad memoratam expeditionem illo faciendam imperatoris animum provocaverat: tandem saniori usus consilio, ad fidem imperatoris, ut ipse dicebat, venire non dubitavit. Cui cum imperator & ignosceret, & muneribus donatum cum cæteris gentis suæ primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem ut priùs consueverat gentilitia perfidia commutavit: vicinos suos incendiis & direptionibus in quantum potuit non cessans infestare: donec ab hominibus Lantberti comitis in domo propria circumventus atque interfectus est. Imperator vero audita Bulgarorum legatione per eosdem qui ad eum missi fuerant legatos regi eorum missis literis prout videbatur respondit: dimissoque conventu in Vogesum ad Rumrichi arcem venandi gratia profectus, filium suum Lotharium ex Italia regressum ibique ad se venientem suscepit: ac peracta venatione Aquasgrani rediens generalem populi sui conventum more solenni mense Augusto habuit: In quo conventu inter cæteras legationes quæ de diversis regionibus venerunt, etiam filiorum Godefridi de Nordmannia legatos audivit, ac pacem quam iidem sibi petebant, cum eis in Marca eorum mense Octobri confirmari fecit. Completis itaque omnibus negotiis quæ ad illius conventus rationem pertinere videbantur, Noviomagum cum filio majore secessit, minorem verò Ludovicum in Bajoariam

ariam direxit : ipse autumnali venatione completa circa hyemis initium Aquasgrani reversus est.

IN territorio Tullensi juxta Commerciacum villã puella annorum circiter XII. post sacram communionem quam in Paschate de sacerdotis manu Christiano more susceperat, primò pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abstinens in tantum jejunasse perhibetur, ut nulla penitus corporis alimenta percipiens, sine omni victus desiderio integrum triennium compleverit. Cœpit autem jejunare anno incarnationis dominicæ DCCC XXIII. sicut in ipsius anni descriptione superiùs annotatum est : & hoc anno id est DCCCXXV. circa Novembris mensis initium peracto jejunio escam sumere, ac more cæterorum mortalium manducando vivere cœpit.

DCCC XXVI.

CUm regi Bulgarorum legati sui quid egissent renunciarent, iterum eum quem primò miserat ad imperatorem cum literis remisit, rogans ut sine mora terminorum definitio fieret : vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tuerentur. Cui imperator, quia fama erat Bulgarorum regem à suo quodam optimate aut regno pulsum aut interfectum, respondere distulit : illoque expectare jusso propter famæ certitudinem comperiendam, Bertrichum palatii comitem ad Balderichum & Gerholtum comites & Avarici limitis custodes in Carantanorum provinciam misit : qui cum reversus nihil certi super iis quæ fama vulgaverat reportasset, imperator legatum ad se vocatum sine literis remare fecit. Interea Pipinus rex filius imperatoris ut jussus erat cum suis optimatibus & Hispanici limitis custodibus circa Cal. Feb. Aquasgrani, nam ibi tunc imperator hyemaverat, venit : cum quibus ubi de tuendis contra Saracenos occidentalium partium finibus esset tractatum & conclusum Pipinus in Aquitaniam regressus, ibidem totam sequentem æstatem transegit. Imperator verò medio Majo Aquis egressus, circa Cal. Jun. ad Ingelheim venit : habitoque ibi conventu non modico, multas & ex diversis terrarum partibus missas legationes & audivit & absolvit : inter quas præcipua cæterisque præeminens erat legatio Romani pontificis, qua fungebantur Leo Centumcellensis episcopus, & Theophilactus Nomenclator : & de regionibus transmarinis Dominicus abbas de monte Oliveti : legati quoque filiorum Godefridi regis Danorum pacis ac fœderis causa missi : & de Sclavorum regionibus quidam Abotritorum princeps Ceadragum ducem suum accusantes. Accusabatur & Tunglo unus de Soraborum primoribus quod & ipse dicto audiens non esset : quorum utrique de nunciatum est, quod si medio Octobri ad imperatoris generalem conventum venire distulerint, condignas perfidiæ suæ pœnas esse daturos. Venerunt & ex Brittonum primoribus quos illius limitis custodes adducere voluerunt. Eodem tempore Heriholdus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguntiaci apud sanctum Albanum cum iis quos secum adduxit baptisatus est, multisque muneribus ab imperatore donatus, per Frisiam qua venerat via reversus est : in qua provincia comitatus qui Rhiustri vocatur eidem datus est, ut in eum se cum rebus suis si necessitas exigeret recipere potuisset. Affuerunt & in eodem conventu Balderichus & Gerholtus comites ac Pannonici limitis præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum adversum nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum Baldericho presbyter quidam de Venetia nomine Georgius, qui se organum posse facere asserebat : quem imperator Aquasgrani cum Thancolfo sacellario misit, & ut ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur imperavit : in dictoque ac pronunciato ad medium Octobris generali conventu, cæteris omnibus more solenni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ Sels vocatur, cum comitatu suo profectus est. Ibi ad eum legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto responso ad sua regressi sunt. Ibi ad ejus noti iam perlatum est de fuga ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Ausonam ingressus, & à populo illo quem dolo deceperat receptus, totam civitatem destruxisset : castella ejusdem regionis quæ firmiora videbantur munivisset : missoque ad Abdirachmam regem Saracenorum fratre suo, auxilium quod petebat contra nostros accepisset. Sed imperator licet hujus rei nuncium graviter ferret, nihil tamen inconsultè gerendum judicans, consiliariorum suorum adventum statuit operiri : transactaque autumnali venatione circa Cal. Octob. per Mœnum fluvium usque ad Franconofurt secunda aqua navigavit : Inde ad Ingelheim medio Octobri veniens, generalem ibi ut indictum erat populi sui conventum habuit : in quo & Ceadragum Abotritorum ducem, nec non & Tunglonem, qui apud eum perfidiæ accusabantur audivit : Et Tunglonem quidem accepto ab eo filio ejus obside domum redire permisit, Ceadragum verò cæteris Abotritis dimissis secum retinuit, missisque ad populum Abotritorum legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere jussit : ipse autem Aquisgrani ubi hyemare constituerat profectus est : Cumque legati quos ad Abotritos miserat reversi nunciassent variam gentis illius super rege suo recipiendo sententiam, optimos tamen ac præstantissimos quosq; de illius receptione concordare, acceptis ab eo quos imperaverat obsidibus, in regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, Ludovicus abbas S. Dionysii martyris Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio sanctæ sedis apostolicæ tunc præsule, ossa beatissimi

tissimi martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessionam civitatem in basilica sancti Medardi collocavit: Ubi dum adhuc inhumata in loculo in quo allata fuerunt juxta tumulum S. Medardi jacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomine ejusdem beatissimi martyris emicuit, ut à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari: quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset dominum nostrum Jesum Christum, pro quo idem passus est, omnia quæ vult per divinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cœlo & in terra subjecta est.

D CCC XXVII.

IMperator Helisachar presbyterum & abbatem & cum eo Hildibrandum atque Donatum comites ad motus Hispanicæ marcæ componendos misit, ante quorum adventum Aizo Saracenorum auxilio fretus, multa ejusdem limitis custodibus adversa intulit, eosque assiduis incursionibus adeò fatigavit, ut quidam illorum relictis quæ tueri debebant castellis recederent: Defecit ad eum filius Beronis nomine Willemundus, & alii complures novarum rerum gentilitia levitate cupidi junctique Saracenis Ceritaniam & Vallensem rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cumque ad sedandos ac mitigandos Cothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos, Helisachar abbas cum aliis ab imperatore missis multa & propria industria & sociorum consilio prudenter administraret, Bernhartus quoque Barcinonæ comes Aizonis infidiis, & eorum qui ad eum defecerant callidi tati ac fraudulentis machinationibus pertinacissimè resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à Rege Saracenorum Abdirachman ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nunciatur: Super quem Abumaruan regis propinquus dux constitutus, ex persuasione Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem imperator filium suum Pipinum Aquitaniæ regem cum immodicis Francorum copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit: quod ita factum esset, ni ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quàm rerum necessitas postulabat is quem ducebat ad Marcam venisset exercitus: Quæ tarditas in tantum noxia fuit, ut Abumaruan vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris villisque incensis, cunctis etiam quæ extra urbes invenerat direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet, priusquam à nostro exercitu vel videri potuisset. Hujus cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Imperator autem duobus conventibus habitis, uno apud Noviomagum propter falsas Hohrici filii Godefridi regis Danorum pollicitationes, quibus se illo ad imperatoris præsentiam venturum promiserat: Altero apud Compendium, in quo & annualia dona suscepit: & iis qui ad marcam Hispanicam mittendi erant qui vel qualiter agere deberent imperavit ipse inter Compendium & Carisiacum, cæteraque iis vicina palatia usque ad hyberni temporis initium conversatus est. Interea reges Danorum, filii scilicet Godefridi Heriholtum de consortio regio ejicientes Nordmanhorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclavos in Pannonia sedentes misso per Dravum navali exercitu, ferro & igne vastaverunt: & expulsis eorum ducibus, Bulgaricos eis rectores constituerunt. Eugenius papa mense Aug. decessit, in cujus locum Valentinus diaconus à Rom. electus & ordinatus, vix mensem in pontificatu complevit: quo defuncto Gregorius presbyter S. Marci electus, sed non prius ordinatus est quàm legatus imperatoris Romam veniret & electionem populi examinaret. Legati imperatoris Michaëlis de Constantinopoli quasi propter fœdus confirmandum missi Sept. mense Compendium venerunt: quos imperator benignè receptos ibi audivit & absolvit. Corpora beatiss. martyrum Marcellini & Petri de Roma sublata, & Octobri mense in Franciam translata, ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt.

D CCC XXVIII.

COnventus Aquisgrani mense Feb. factus est, in quo cum de multis aliis causis tum præcipuè de iis quæ in marca Hispanica contigerunt ratio esset habita, & legati qui exercitui præerant culpabiles fuissent inventi, juxta merita honorum amissione multati sunt. Balderichus etiam dux Forojulienſis cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ superioris impunè vastassent, honoribus privatus, & marca inter IV. comites divisa est. Halidgarius Cameracensis episcopus, & Ansfridus abbas monasterii Nunantulæ Constantinopolim missi, & à Michaële imperatore honorificè suscepti sunt. Imperator Junio mense ad Ingelheim venit, ibique per aliquot dies placitum habuit: in quo cum de filiis suis Lothario & Pipino cum exercitu ad marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret ordinasset, legatos etiam Romani pontificis Quirinum primicerium ac Theophilactum Nomenclatorem qui ad eum illo venerant, audita eorum legatione dimisisset, ad villam Franconofurt profectus est: ibique aliquamdiu moratus Wormatiam venit, & inde Theodonis villam perrexit; qui cum

Lugdu-

Lugdunum veniſſet, conſedit nuncium operiens qui ſe de Saracenorum adventu faceret certiorem: In qua expectatione cum Pipino fratre colloquitur: & comperto quod Saraceni ad marcam venire aut timerent aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipſe ad patrem Aquasgrani revertitur. Interea cum in confinibus Nordmannorum tàm de fœdere inter illos & Francos confirmando quàm de Heriholti rebus tractandum eſſet, & ad hoc penè totiùs Saxoniæ comites ſimul cum marchionibus illo conveniſſent, Heriholtus rerum gerendarum nimis cupidus, conditam & per obſides firmatam pacem rupit, incenſis ac direptis aliquot Nordmannorum villis. Quod audientes filii Godefridi contractis ſubitò copiis ad marcam veniunt, & noſtros in ripa Egidoræ fluminis ſedentes ac nihil tale opinantes tranſito flumine adorti, caſtris exuunt, eisque in fugam actis cuncta diripiunt, ac ſe cum omnibus copiis ſuis in ſua caſtra recipiunt: Deinde inito conſilio ut ultionem hujus facti prævenirent, miſſa legatione ad imperatorem quàm inviti & quanta neceſſitate coacti id facerent expoſuerunt, ſe tamen ad ſatisfactionem eſſe paratos, & hoc imperatoris eſſe arbitrio quatenus ita fieret emendatum, ut de reliquo inter partes pax firma maneret. Bonifacius comes cui tutela Corſicæ Inſulæ tunc erat commiſſa, aſſumpto ſecum fratre Berethario & aliis quibusdam comitibus, de Tuſcia Corſicam atque Sardiniam parva claſſe circumvectus, cum nullum in mari piratam inveniſſet, in Africam trajecit, & inter Uticam & Carthaginem egreſſus, innumeram incolarum multitudinem ſubitò congregatam offendit, cum qua & prælium conſeruit, & quinquies vel eo amplius fuſam fugatamque profligavit: magnaque Afrorum multitudine proſtrata, aliquot etiam ſociorum ſuorum per temeritatem amiſſis, in naves ſuas ſe recepit: atque hoc facto ingentem Afris timorem incuſſit. Luna Cal Jul. primo diluculo in occaſu ſuo defecit. Similiter & VIII. Cal. Januar. id eſt in Natali domini media nocte obſcurata eſt. Imperator circa ſolennitatem S. Martini Aquasgrani ad hyemandum venit, ibique totum hyberni temporis ſpacium diverſis conventibus ob neceſſaria regni negotia congregatis impendit.

POſt exactum hyemem in ipſo Quadrageſimali jejunio paucis ante ſanctum Paſcha diebus Aquis terræmotus noctu factus, ventusque tàm vehemens coortus eſt, ut non ſolum humiliores domus verùm etiam ipſam ſanctæ Dei Genitricis baſilicam, quam cappellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret. Imperator diverſis occupationibus usque ad Cal. Jul. Aquis moratus tandem ad conventum Wormatiæ habendum cum comitatu ſuo menſe Aug. ſtatuit proficiſci: Sed priusquam inde moveret nuncium accepit Nordmannos velle Transalbinam Saxoniæ regionem invadere, atque exercitum qui hoc facturus eſſet noſtris finibus appropinquare: Quo nuncio commotus, milit in omnes Franciæ regiones, & juſſit ut ſumma feſtinatione tota populi ſui multitudo in Saxoniam veniret, indicans ſimul velle ſe apud Noveſium medio Julio Rhenum tranſire. Sed ubi vanam eſſe compererat quæ de Nordmañis fama diſperſa erat, ſicut conſtituerat medio Auguſto Wormatiam venit, ibique habito generali conventu, & oblata ſibi annua dona ſuſcepit, & legationes plurimas quæ tàm de Roma & Benevento, quam de aliis longinquis regionibus venerant & audivit & abſolvit. Lotharium quoque filium finito conventu in Italiam miſit: ac Bernhartum comitem Barcinonæ qui eatenus in marca Hiſpaniæ præſidebat, camerarium in palatio ſuo conſtituit. Aliis etiam cauſis quæ ad illius placiti completionem pertinere videbantur congruo modo diſpoſitis atque completis, populoque ad ſua ire dimiſſo, ipſe ad autumnale venationis exercitium ad Francono-furt villam profectus eſt: qua tranſacta ad hyemandum Aquasgrani reverſus ibidem ſancti Martini atque Andreæ apoſtoli, nec non ipſum ſacroſanctæ dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebravit.

Hactenus Monachus ille quisquis fuit Ludovici regis geſta ſtylo deduxit; Ejus porro principis Vitam alius quiſpiam accuratius abſolvit, qui & ſeipſum in aula regis verſatum teſtatur: Quare ſi priora iſtæc non penitus vel improbari vel contemni videro, & eam aliquando in lucem ſum editurus: Ipſamque Francorum Hiſtoriam à Karolo Magno, usque ad Arnulfi ultimi de Karolina ſtirpe Rom. Imper. tempora, per Rheginonem Prumienſem Abbatem diligenter atque ſuccinctè traditam, continuabo.

THANA-

Monasterium Imperiale Divi Johannis Baptistæ in Monte ad Albim
propè Magdeburgum

Autoritate Serenissimorum et Potentissimorum Electorum Saxon. et Brandenburgens. Ducum Brunswic. et Lüneburgens. Megapolitan et Würtenbergens. celebratus Conventus â 1 D. Nicolao Selneccero, Theolog. Saxon 2 D. Christophoro Cornero et 3 D. Andrea Musculo, Theologis Brandenburgens 4 D. Martino Chemnitio, Theolog. Brunsuric 5 D. Davide Chytræo Theol Megapolit. et 6 D. Jacobo Andreæ, Theolog. Würtenbergens. propter concordiam Ecclesiam Confess. Augustanæ in Monasterio Bergensi ad Albim prope Magdeburgum, tempore Reverendiss. Abbatis Domini P. Ulneri. Mens. Majo Anno 1577.

THANATO-LOGIA SUCCINCTE COMPRE-HENDENS

Plerosque cum hujus Seculi dynastas, eorundemque si quas habuerunt, conjuges & maturæ ætatis liberos, tum etiam literis præclaros atque excellentes viros, qui quidem proxime elapsis centum annis, vere isthoc aureo seculo, per Germaniam, Galliam, Italiam, Angliam &c. in vita esse desierunt, ita tamen dispositis singulis & universis, ut nihilominus annorum series, secundum quam unumquemlibet, urgente dira atque ineluctabili fati necessitate, de hac vitæ statione migra e contigit, ritè observetur,

recensente

GVILLIELMO BUDÆO DOCTORE MEDICO.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA GENSCHIANA.

Plin. lib. 7. cap. 7. histor. natur.

Is demùm profectò vitam æquâ lance pensitabit, qui semper humanæ fragilitatis memor erit.

Seneca Epist. 115.

Nihil tàm æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm cogitatio brevis ævi & hujus incerti.

Quid tàm circumcisum, tàm breve, quàm hominis vita longissima? Plin. Sec. lib. 3. Epist.

Pausan. in Arcad.

τὰ ἀνθρώπινα πρόσκαιρα, καὶ ὀδαμῶς ἐξὶν ὀχυρὰ.

Viris ampliſſimis, multoque rerum uſu Conſultiſſimis, clariſſimisque,

Dn. Andreæ Müllero,
Dn. Adriano Droſohnio, I. U. D.

ET

Dn. Valentino Hervvigio,
COSS.

Cæterisque Aſcanienſis Reipubl. Senatoribus digniſſ.
S. P.

Eadem penè fortunæ aleam cum aulicis ſubire eos haud diffi-
culter aſſequor, viri conſulares eidemque prudentiſſimi, qui utilitati ſe
publicæ in totum devovenies; ſcripta ſua quoquo modo divulgare, adeoq;
fœcundo quodam argumento commendatum nomen ad poſteros usque trans-
mittere conantur. Nam quemadmodum ille apud Senecam rogatus, quo
pacto in regum cultu conſenuiſſet, ingenuè profitetur, ſe injurias accipiendo
gratiasque frequenter agendo rem in aula omnium rariſſimam conſequu-
tum fuiſſe ſenectutem: ita mehercle niſi quis publicæ litterariæ rei pro-
deſſe volens, paullatim aſſuefcat vulgi contumelias perpeti ac ex alto quaſi
deſpicere, tantum abeſt, ut laude aliquid dignum perficiat in lucemque proferat, ut vel mox
laboris ſtudiique pertæſus, primis, nedum mediis conatibus ægrè concidat, vel ut ſunt id genus he-
teroclita ingenia, indignationis vela laxans, adeoque ſe indignum reprehenſione ratus, deteſtetur in
poſterum ſe quidquam ex abundantiſſimo ſuo ingenio de prompturum. Quæ quidem cauſa, ſi quid in
me eſt judicii, tanta & tàm momentanea ad infringendos enervandosque virium lacertos eſſe non-
debet, quo minus pro ſe quisque inſtitutum acriter urgeat, ſummumque operi tam honeſto, quàm
utili faſtigium imponere feſtinet. Neque verò ego propterea à ſcribendo deterreor, qui meæ mihi-
met ipſi tenuitatis ſat benè conſcius ſum; nec illos blateronos malè ſanos tantopere moror, ut non-
pro eo potiùs habeam, ſi quando me laudant, ac ſi vituperent. Quin imò ut diſint amici, qui teme-
peſtive monendo ſalubria ſuggerant conſilia, hoc ſanè emolumenti ex amaris illis ſugillationibus non
raro me percipere ſentio, ut conſideratius aliquanto in rerum contemplatione verſari ſtudeam nuſ-
quam non attendens, quid cum ratione conſentiat pugnetve, quid porrò juventutem noſſe expedi-
at, quas contra quisquilias volantes & venti ſpolia, ut cum Cæcilio loquar, minus tetigiſſe præ-
ſtet; adeòut ſi in his quoque dignoſcendis ſegregandisque me ceſpitare ſorte fortuna contigerit (quo-
rum enim quisque obſecro, noſtrûm eſt, qui in tantâ rerum varietate, quibus equidem ſum implici-
tus, non aliquando labatur & impingat?] haud agre admodum laturus ſim, nævos mihi meos vel
ad oculum, quod dicitur, commonſtrari; immo gratias eo nomine agam me erudientibus. Quod
ſi enim dignum auribus, dignum chartis aliquid elaborem, haud defuturos arbitror, qui audiant,
legant, intelligant, judicent: judicent inquam, à certo & vero ſenſu, depoſito omni ſupercilio, quod illi tàm
terones ventoſiſſimi ne faciant, affectibus impediuntur. Taceo in præſentia lubens, quod ſæpenu-
mero demuſſitanda nobis eſt injuria, quam utique nullam prorſus, ſi forte talionis ſervata lege ver-
tenda foret pagina, facturi videremur iis, qui dum emiſſitiis oculis aliorum nævos accurate obſer-
vant facundiſſimeque accuſant, ipſimet non minus intercutibus vitiis ulceribusque ſordidiſſimis, huc
quam fœdè ſcatent. Verum enimvero recordatus ego τὸ σεμνὸν ἐνδυ τὸ σκώπτειν ζηλωτότερον εἶναι,
illos halophantas ad comminiſcendum ingenioſiſſimos & tantùm non profligatiſſimos hæreticos ex Arene-
demi ſcholâ progreſſos nunc tandem miſſos facio; quis enim unus omnium improbitati ſuffecerit? Pro-
inde & fatum hunc nimis crudum, mancum & magna ſui parte mutilum in lucem prodire jubeo,
non titillatione inanis cujusdam hinc conſequendæ gloriæ, multoque minus turpi lucriſtudio à quo
animus meus ſemper abhorruit, ſed multis aſſiduisque amicorum precibus laceſſitus. & demum, quod
videre eſt, evictus. Quippe ut iis honeſta petentibus quidquam denegare nefas duxerim, ita & ipſi
non minus ad ſepertinere arbitrabantur, ſi quid ex hoc abortivo fœtu ignominiæ collegero, adeoque
una mecum paullus quaſi auribus invitis audient objectum iri, quod auguror,

Αἶξ ὅπω τέτοκεν· ἤδη δ' ὀπ'ἀύλοισι παίζει.
Nondum enixa capra: ac jam ludit in ædibus hœdus.

Quam-

Quanquam & hoc omnino necessum habeo dicere, in cogendis nimirum statuendisque brevi hac tabella nominatissimis quibusque cum heroinis, tum viris, qui intra proximos centum annos è medio excesserunt, non tam voluntatem ac studium mihi, quam facultatem defuisse. Nam ut singulorum horas tardas properas, multo jam tempore, nec sine sumptuum dispendio diligentissimè inquisierim, per illos tamen ipsos, qui editionem hanc maturari postulabant, per paucos excipio, usque adeo non stetit, ut votis compos facilus plures huc concludere potuerim, quam vel authores fide digni, vel monumentorum inscriptiones olim à me nonnullis in locis observatæ suppeditarunt. Dicam enim quod res est, nec cancellabo, complures Germaniæ aliarumque nationum præsules, qui quidem & ipsi cum virtute vixerunt, non minus atque τὰς ἐν Μούσαις famaque commendatione homines à memetipso hoc desiderari: ut ne quis interim cavilletur, optimis juxta ac longe meritissimis viris temerario à me consilio injuriam fieri, dum nimirum è bonorum numero & consortio excluso vel saltem prætermissi videntur: ad quam detergendam calumniam continuo mihi parata est responsio, qui non solùm optimos quosque, sed inter hos etiam longe pessimos & impurissimos Commodos atque Heliogabalos; crudeles teterrimosque Nerones, Maximinos atque Decios, hostes veræ DEI Ecclesiæ; severos item & omnis tam humani, quam divini juris oblitos Manlios atque Brutos; perfidos Marios; infelices Dionysios & Polycrates; blasphemos Nestorios; fastuosos Eutychetes; adulteras Julias; veneficas Marcias; ἐκτεθρυλλημένους Sardanapalos; χιλιοδαίμονας Epicuros; sceleratissimos denique Bessos atque Metios, qui quidem omnes per Pythagoream quasi μετεμψύχωσιν quandam videntur in hoc seculo revixisse, mutatis duntaxat nominibus enumeravi. Neque enim principem esse vel nasci, id demùm est omnibus æquum & bonum se exhibere. Neque ut quis eminentissima litterarum cognitione nobilis sit, proinde & moribus erit undequaque integris ac incontaminatis; quanquàm non nego τὸ μαθεῖν ὡς οἷόν τε πολὺ πρεῖττον τὰ νῦν, & quod Poëta ait, ἐκ μαθὼν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι.

Quæ cùm ita sint, viri consulares prudentissimique, ut ne plura de usu hujus tenelli ægerrimèque habiti embryonis verba facere cogar, vos ipsi patronos multis modis maximos in præsens adscisco, quò & felicissimis vestris auspiciis lucem alacriùs intueatur; & de vita & salute in posterum minùs periclitetur. Neque enim meam solummodò erga vos observantiam hac in parte probo, ac quasi hoc teste firmo, qui omni humanitatis officio me hactenus prosequuti estis, sed potiùs optimo jure vobis hunc meum laborem offerre & consecrare videor, ut quorum prudentia nihil consultius, nihil perspicacius quidquam. Quid enim tuo judicio MILLERE, acrius ac solertius, qui græcis pariter atque latinis literis doctissimè eruditus, tùm omnibus vere sapientiæ dotibus cumulatissimus, velut alter Epaminondas patriam consilio regis, judicioque emendas? Quid te DROSOHINIO dicam gravius, sanctius; doctius, quem illustrissimus Brunosvicensium Dux Gualfgangus Transfluanus olim in consilio sibi esse voluit, quique nunc ad extremum τῇ μὲν τῆς πατρίου εὐνοίᾳ πολιτευόμενος: σαυτῷ δ' τὴν πολιτείαν γυμνάσιον φιλοσοφίας ἀφθέμενος, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refers, rectèque facis non ex populi sermone mercedem, sed ex ipso facto petis? Quis denique HERWIGI, te facundior, jurisve disciplina eruditior, qui ut clarior in dies significatio tuæ virtutis eluceat, justitiam civibus multa humanitate commendas, cujus præcipua pars est, ut cum Plinio loquar, honestissimum quemque complecti, atque ita à minoribus amari, ut simul à principibus diligare? In summa non facilè reperio civitatem vel longiùs hinc digressus, quæ præclaram illam ac solemnem cum Ascanienſi observet teneatque consuetudinem, ut potissimum si ad Reipubl. gubernacula adhibeantur, qui ex Philosophiæ adytis τῇ πόλει πρὸς τὸ παρὸν τὰ βέλτιστα συμβουλεύωσιν, id quod Æschines in probis egregiisque senatoribus requirit, quique adeò rationum diversitates, pro eo ac par est, acri magnoque judicio ab origine causisque primis repetere, discernere, expendere norint: ita ut nullus, unquàm dubitem, quin longè verius de hac Ascaniensium urbe cani possit, quàm quod olim μεγαλοφωνότατος ille Thebanorum Lyricus de Corintho scriptum reliquit.

ἐν τᾷδε εὐνομίᾳ ναίει κασίγνη-
ταί τε, βάθρον πολίων,
ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὑβρό-
πτοπος ἴράνα; τᾶμίαι
ἀνδράσι πλοῦτοι; χρύσειαι
παῖδες εὐθύλου θέμιτος.

Quocirca denuò vos obsecro, viri gravissimi prudentissimique, ne graveminì huic qualicunque fœtui meo patrocinatum venire, præsertim ubi vestro judicio vitam inter sui similes diuturniorem, adeoque locum quempiam in doctorum bibliothecis merebitur. Hac nempe ratione animum mihi unà addideritis, ut non solùm de persanando expediendoque hoc ægro, rudi ac deformi fœtu, in quod per πρόθεσιν, opinor, quàm commodissimè fiet, deinceps magis atque magis sim futurus sollicitus, verùm etiam per reliquas XV. Centurias missâ

missâ lineâ effectum daturus, ut nec hujus vos patrocinii, nec adeò me laboris suscepti pœniteat: quando aliàs mihi in animo est, quorquot ἀγήρατο Christo cum laude vel in excelso auricalco aratis fabulam egerunt, εἰς μίαν συνόψιν ἄγειν, καὶ εἰκονὶ σωματοποιεῖν, ut Polybii verbis utar. Benè valete, viri amplissimi omnibusque rebus clarissimi & quæ quidem vestra semper fuit atque est singularis humanitas conjuncta summa prudentia, literatis perinde ac ipsis literis deinceps favere ne desinite.

Guill. Budæus D. Quedelburgensis
cùm principis tùm Reipubl.
Med. ordinarius.

BENEVOLO LECTORI

S. P.

EN habes tandem, Lector humanissime, Prodromi loco Thanatologia mea Centuriam XVI. in quâ non tàm praestiti, quàm quid praestare voluerim aut potiùs debuerim, breviter strictimque ostendi. Ac ut veritate quidem cùm aliàs tum maximè inscribenda historia nihil duco habendum esse prius & antiquius; est enim & hoc quasi minutal quoddam historicum: ita econverso nihil est mehercle obscurius, nihil operosius, nihil denique quod visu inventuque rarius sit quidquam, quàm vel acerrima animi ingentique intentione accommodatâ ubilibi non veriorem sententiam ex autborum scriptis, posse elicere, elicitam probè stabilire firmissimisque argumentis adversus sycophantarum morsus tutam statuere. Quæ rursus obscura difficultas, quæ difficilis adeò obscuritas non aliunde provenit atque dimanat, nisi quod magna scriptorum pars vanâ persuasione ductum obvia quæque & minùs comperta nectuarum more subinde ruunt, adeoque aniles fabulas seu potiùs ἐνίοις φαντάσμασι pro veris narrationibus ut plurimùm scriptis suis intertexunt inque Commentaries referunt: tùm etiam quia plerique alii privatis affectibus certatim indulgentes, veritati manus dare recusant, atq; exinde stilum pro arbitrio temperant. Num igitur mihi succensebis, num me vituperabis amabo, si ubi forte in hoc scripti genere praeter voluntatem lapsus & hallucinatus sum? Cave hoc admiseris, ut à me inhumaniùs exigas, quod praestare meum non est, nec facile cujusvis alterius. Qui enim egerem dissidentibus autborum opinionibus circa unius ejusdemque obitum & tempus ipsum assignandum, petero veritatem ubi is esset? Sapenumero fit, ut dum errorem effugere studeamus, nulli nos aliorum fraude circumventos arbitremur, & nihilominus densissimis & Cimmeriis planè tenebris ejusdò involuti, à veritatis tramite horrendum in modum deflectamus. Neque interea tamen ego sum, qui incerta pro certis, falsa pro veris tibi, Lector, obtrusurus, errorem meum pertinacius tueri, vel ut is demùm infamiæ metu lateat, complures alios in errorem impellere velim; quasi verò pluris apud me sit mea ipsius existimatio, quàm veritatis omnibus exhibendæ ratio, cujus equidem me profiteor in hoc opere non minùs fuisse studiosum, quàm qui potuit esse studiosissimus. Quod quò certiùs atq; liquidiùs tibi unà mecum constet, atq; adeò ut longæ inquisitionis labore te in præsentiarum sublevem, non solùm Indicem hunc per certas classes Alphabetarium subjungo: plurimorum quippe excessus & interitus pluriformi videre est & animadvertere aliis annis ab autboribus digeri distribuiq; fuisse solitos: verùm etiam lapsus meos nuperâ recognitione deprehensos, quo nimirum merito suopte ocyus in spongiam incumbant, ultro in crimen adduco omniumque quasi oculis propalam subjicio, pari deinceps fide, pari studio & industriâ minima quæque, si quæ ejusgeneris plura meo alteriusve vitio clanculum subrepsere, vitia emendaturus.

Et initio quidem cimbalum aureum Deum (Aureolum Theophrastum intellige, ne quid gravius dicam ex aureo aridum fortasse facturus) permotus perissimum authoritate Epitaphij, quod Dn. Neander, Præceptor meus nunquam satis laudatus in Geographicis suis ponit, A. C. 1551. de medio abisse retuli. Quamvis enim David Chytræus, Buchholzerus aliique permulti ipsum A. C. 1541. & rectè quidem decessisse memorent, quia tamen in utraque editione tàm Islebianâ quàm Lipsicâ libelli, quem dixi, Geographici, Epitaphium illud nullatenus vidi immutatum retineri, non putabam protinus ab eo recedendum, nisi certiore forsan argumento erroris convincerer. Accedebat, quod & ætatis ratio à Neandro ibidem adducta perpulchrè sibi constare & cum obitus anno ad amussim congruere videretur, cum dicat ipsum Theophrastum A. C. 1493. natum, & anno ætatis 58. mortuum fuisse. Postea verò quàm in id ipsum Epitaphium incidi, quod Nathan Chytræus in Delicijs variorum in Europâ itinerum iisdem planè verbis, nisi mutato duntaxat obitus anno LI. in XLI. descriptum

scriptum proponit, cepi nonnihil fluctuare animo, & fieri potuisse arbitratus sum, ut & ipse Neander depravata quadam Epitaphii descriptione alicunde usus sit: absit enim, longè absit à me, ut sanctissimam viri existimationem violentiùs oppugnem. Quocircà non solùm veritatis eruendæ gratiâ, verùm etiam ut cuidam ωρ:σὸΦῳ eidemque insigniter impudenti istud τὸ μέγα πνέειν per tempus eximerem [quippe qui vixdum in consistentis ſeu mediæ ætatis limine subsistens nihilominùs vota majoris sibi comparandæ authoritatis cum ipso Paracelso, tamerſi longè quàm is ipse nugator nascereturˌ antè defuncto multam ſe notitiam habuisse audacter & splendidè mentiebatur) dum ipsius Theophrasti Paracelsi opera anxius evolvo, en occurrit alia ejusdem Epitaphij descriptio, quæ obitus annum similiter cum Chytræo, sed diverso charactere hunc in modum XXXXI. legendum exhibet. Eaverò sicuti aberroneâ & præconceptâ me sententiâ ilicò detrusit, ita & animadvertendum illius Suffeni mendacium evidentiùs detexit.

Ex quo aliquatenùs porrò intelligere est, quorsum valeat exacta ista annorum observatio & certitudo, ne nimirùm tàm facilè nos in tantâ opinionum perversitate à quovis huc illuc impelli ſinamus, ſed potiùs ut ex ipsa temporum discretione aliorum sententias vel veras approbare vel falsas refellere, adeoque judicium nostrum veluti ad Polycleti regulam dirigere possimus. Quos ſi quis interim plura nosse velet de obscurâ & incerta Paracelsi origine, deque moribus ipsius improbis & plus quàm beluinis, legat Epilogum partis 1. Disputationum Theo. Erasti, ubi monstrum illud hominisque flagitium vivis coloribus egregiè depingitur.

Alter error est in Beato Rhenano, quem A. C. 1547. vitam cum morte commutasse dixi, ſequutus in hoc & Bucholzerum & Gilbertum Genebrardum aliosque non contemnenda authoritatis Scriptores. Sed Epitaphium, quod Seleſtadii in templo cathedrali cernitur, quodque item à Nathane Chytræo & nuper à Pantaleone Candido typis descriptum habetur me & authores hoſce manifeſti erroris insimulat, cum Rhenanum A. C. 1542. mortuum & Seleſtadii in patriâ, quò Argentinâ translatus sit, ſepultum fuisse haud obscurè teſtetur.

Tertium mendum in Ambroſii Blaureri obitu aſsignando à me commiſſum fuit, ſiquidem authore Bucholzero eoque ſolo, quod sciam, ipsum A. C. 1560. de medio receſsisse ſcripſi. Sed quia inter Epiſtolas & Reſponſa Calvini exstat adhuc Epiſtola numero 338. quam ipse Blaurerus ſeptuagenarius, A. C. 1562. Vitoduri ad Calvinum perſcripſit, quæſumus te, an non hinc abundè pateat, quòd cæcus cæco dux fuerit? Hæc itaque breviter & in transcurſu, quibus haud dubiè, Lector, pro humanitate tuâ veniam tribues, & de me omninò sic statues, me nec ingenium ubivis in numerato habuisse, nec de induſtriâ hoc alibivè quenquam fefelliſse: Quâ in re ut ne etiam de te habeam quod conquerar, Fac fidelis ſis fideli, cave ſidem fluxam geras.

ANNO

ANNO CHRISTI 1500.

I. PRÆSULES.

II. IMPERATORES, REGES.

III. PRINCIPES, COMITES.

ALBERTUS, Dux Saxoniæ, Friderici II. El. Sax. F. ERNESTI El. Fr. Georgii & Henrici parens: Germanorum Rolandus, & dextra manus Imperii nuncupatus, ad Groningam Frisiæ in castris occumbit 12. Sept. æt. 56. (al. 51.) sepultus Misenæ.

Wilhelmus III. Landgravius Hassiæ, Henrici F. Marpurgi 17. Febr.

Gerhardus bellicosus, Co. Altenburgensis, Theodorici F. Christiani I. regis Daniæ Fr. obiit in Galliis.

Adolphus, Com. Altenburgensis, Gerhardi F. & hujus Fr. Ottho, Canonicus Bremensis, in Dithmarsiâ perierunt.

Ioannes, Co. Lindaviensis, Ruperti in monasterio sepultus.

IV. LITERARIIS QVIQ.

Michael Marullus, Tarchaniota, eques Græcus & Poeta clarus cæco Cæcinæ amnis vado unà cum equo abreptus in Volaterano miser periit IV. Idus Aprilis.

ANNO CHRISTI 1501.

I. PRÆSULES.

Ottho, von Königsmarck/ Episcopus Havelbergensis.

Henricus Magnus von Drockau / Episcopus Bambergensis.

II. IMPERATOR. REGES.

Ioannes Albertus, Casimiri F. rex Poloniæ.

III. PRINCIPES, COMITES.

Arthurus, Henrici VII. Angliæ regis F. Henrici VIII. Fr. XIV. annorum princeps lentâ febre correptus decedit simulatque Catharinam, Ferdinandi Arragoniæ regis Catholici F. (quam deinceps prius Fr. Henricus ductam repudiavit V. Menses in uxorem habuisset.

Amelia, Friderici El. Saxon. F. Ernesti, El. Sax. Soror Ludovici Bavariæ Ducis Landeshutensis vidua, Rochlitii æt. 66.

IV. LITERARIIS QVIQVE.

Cunradus Summerhard Calvensis Swevus, Theol. D. & Academiæ Tübingensis primarius fundator & author, in Schutterano cœnobio sepultus.

Anno

ANNO CHRISTI 1502.

I. PRÆSULES.

Bertholdus, von Landsberg/ Episcopus Hildesiensis & Verdensis obiit Rotenburgi, sepultus Verdæ.

II. IMPERATORES, REGES.

Elizabetha, Angliæ regum Edouardi IV. F. Edouardi V. soror, Henrici VII. Conjunx, Henrici VIII. mater, Londini III. Id. Febr. æt. 35. puerpera decedit, Polyd. Virgilius obitum ejus in seq. annum rejicit.

III. PRINCIPES, COMITES.

❀ ❀ ❀

IV. LITERAT. QVIQ;.

Luchinus Curtius I. C. 3. Novemb.

ANNO CHRISTI 1503.

I. PRÆSULES.

Alexander VI. ex Episcopo Portuensi, Cardinali & Vicecancellario Romano PP. Ro. natione Hispanus ex Valentiâ nobilis, Rodericus de Borgiâ in præteritum dictus, *magni vir animi & prudentiæ* recolendæ & avunculi sui Calixti 3. Ro. PP. assiduus æmulator, si Taraphæ credimus, (neque enim probra illa, quæ à Guicciardino aliisque benè multa & tantum non ἀμαξιαῖα in ipsum ingeruntur, in præsentiâ vel affirmare vel refellere est in animo.) 18. Augusti, Pontificat. XII. anno, hausto veneno exstinguitur; quippe quod Senatoribus quibusdam ditissimis ad convivium vocatis, à Cæsare filio eodemque principe Valentino vino commixtum, fallente lagenâ minister quispiam incautius porrexerat. Unde tale distichon:

Mirum, si vomuit nigrum post fata cruorem
Borgia? quem biberat, concoquere haud potuit.

Bembus tamen in histor. Venet. in Jovius lib. 2. de vitâ Magni Consalui ipsum pontificem tàm nefarii sceleris reum agere videntur, ut qui Adrianum Cardinalem sibi alioquin familiarissimum, hac arte dudùm decreviſſet è medio tollere. Atqui verè nimis Plutarchus; Εἰμαρμένων κακῶν βουλεύματων, κακὰς ἀμοιβὰς ἔχει κατηφὲς βροτοῖς: adeò ut non minùs falsè huic, quàm Callidemidi illud ex Luciano objici possit: οὐ σε τὸν Πάτροκλον ἐχρῆν τεθνάναι, ἦκε γὰρ αὖ σοι Δια τῆς λεωφόρου ἀσφαλέστερον. Addunt nonnulli, quod nec ipsum in odium Ro. Pontificis adstruxero, eundem hunc Alexandrum præ veneno intumescentem ex intimis misisse Modenam in proximum conclave, allatum sibi artis nigromanticæ, (si modò ars est, non vanissimi cujusque ludibrium, ut cum Curtio loquar) librum deauratum, cui semel atque iterum ingrediunti non modò Cacodæmon habitu pontificali indutus sub specie heri apparuerit, horrendum in modum vociferatus, semetipsum esse Papam, verùm etiam, quòd idem more cursoris pegasarii amictus Pontificem jamjam moriturum homonymiam ex synecdoche ortam edocuerit, nempe decretos honori numeros, undecim & octo, non novendecim annos, ceu ipsemet perperam collegerat, sed undecim duntaxat annos & octo menses constituere.

Pius III. 17. (al. 26.) dierum PP. Ro. antea Franciscus Picolhomineus dictus. Æneæ Sylvii seu Pii 2. ex fratre nepos.

Ioannes, Elector & Archiepiscopus Trevirensis, Marchio Badensis, Caroli Fr. æt. 79. Episcopæ 57.

Ioannes Dalburgius, Episcopus Borbetomagensis litteratissimus, Heidelbergæ ὑπὸ πυρετοῦ ἐχόμενος fato fungitur 28. Julii Episcop. 21. (al. 12.) æt. 51. [al. 50.]

Vitus Truchsesius von Bomersfelden/ Episcopus Bambergensis.

Caſparus zu Steyn/ Episcopus Basilienſis, Episcopæ 23.

Conradus Lostius Wismarienſis J. U. D. & Episcopus Suerinensis.

II. IMPERATORES, REGES.

Steno, Sueciæ rex seu gubernator.

III. PRINCIPES, COMITES.

Georgius cognomento dives, Dux Bavar. Landshutensis, Ludovici F. Otthonis Henrici, El. Palatini avus maternus.

Sophia, Joannis Electoris & Ducis Saxoniæ prima conjunx: partus doloribus ob exclusum Ioannem Fridericum superata, 12. Julii & ipsius parens.

Magnus: Dux Megapolitanus: Henrici F. 22. IXbr.

Wilhelmus Junior, Henrici senioris parens, Dux Brunoswicens. & Lunæburg. obiit Hardesiii, sepultus Mundæ.

Conradus, dux Masoviæ Warsaviensis.

Petrus Medices, Laurentii F Cosmi nepos, Leonis X. Ro. PP. Fr. Laurentii pater, Catharinæ, reginæ Galliæ avus, Gallicis copiis in Neapolitano bello profligatis, navi fugiens in Lyris ostio submergitur.

Gumbertus Marchio Brandenburgicus: Joannis El. F. Joachimi I. El. Fr. Neapoli, ut refert Entzelius, obiit. Alii tamen hunc dicunt Friderici V. fuisse filium & Canonicum Herbipolitanum hoc anno Romæ exstinctum.

IV. Litteratiss. Qvinq;.

Ioannes Iovianus Pontanus: Alphonsi Junioris regis Neapolitani præceptor, Μετὰ ἄξια μεγαλαυνθ, decedit Neapoli æt. 77. quamlibet Jo. Funccius in suâ Chronologiâ, nescio quo authore, ipsum A. C. 1505. naturæ concessisse referat.

ANNO CHR. 1504.

I. Præsules.

Ludovicus ab Helmstadt, Episcopus Spirensis, Episcopæ 27.

Henricus Co. Schawenburgicus, Episcopus Mindensis.

II. Imp. Reges.

Isabella, regina Castellæ, Henrici ultimi regis Hispaniæ soror: Ferdinandi, regis Arragoniæ Catholici conjunx: Philippi, Archiducis Austriæ socrus 26. Novembris mortua, & post aliquot demùm annos Granatæ unà cum marito defuncto sepulturæ tradita.

III. Princ. Com.

Rupertus, Co. Palatinus ad Rhenum, Philippi El. F. æt. 23. Landshuti veneno sublatus à soceri Medico. Nec ita multo post maritum sequitur,

Elizabetha conjunx: Georgii divitis Bavariæ Ducis F.

Eberhardus II. Dux Wirtembergicus; Ulrici, Co. Mompelgardensis F, Ulrici 3. successoris sui patruus. Eberhardi I. patruelis: apud Co. Palatinum profugus καὶ ἄπαις moritur.

Philipertus, pulcher, Dux Sabaudiæ, B. Philippi F. Caroli Fr. Maximiliani I. Imp. Ro. gener obiit in flore juventutis, sepultus in Bronzeo cœnobio,

Stephanus, Walachiæ & Moldaviæ princeps.

Sophia: Erici II. Pomeraniæ Ducis F. Bogislai Magni, Ducis Megapolitani uxor.

IV. Litteratiss. Qvinq;.

Philippus Beroaldus Senior: civis Bononiensis, & inter eruditos seculi sui non postremus. æt. 52. Thritheimius obidum in 1510. annum rejicit.

ANNO CHR. 1505.

I. Præsules.

Bartholdus, El. & Archiepiscopus Moguntinus, Comes Hennebergicus, Episcopæ 21. (al. priore anno.)

Fridericus II. Co. ab Hohenzollern / Episcopus Augustanus, Ep. 20.

Georgius, Marschalck von Ebnuß/ Episcopus Bambergensis.

II. Imp. Reges.

Elizabetha: Alberti, Ro. Imp. F. Casimiri, Poloniæ regis, vidua & IV. regum mater.

III. Princ. Com.

Hercules Estensis, primus Dux Ferrariæ, Alfonsi I. parens.

Ioannes, Dux Moscoviæ magnus, Basilii cœci F. qui primus se Monarcham totius Russiæ appellari voluit.

IV. Litteratiss. Qvinq;.

Erdvvinus Erdmann Osnabrugensis: patriæ suæ Chronographus 30. Maji.

ANNO CHR. 1506.

I. Præsules.

Alber-

Albertus, Co. Palatinus ad Rhenum Othonis zum Neuenmarckt/ F. Episcopus Argentinensis. Episcopæ. 28.

Ioannes ab Hern/ Leodiensis Episcopus (al. priore anno.)

Ioachimus à Bredaw/ Episcopus Brandenburgensis Ep. 20.

Theodoricus Arndes/ Episcopus Lubecensis.

II. Impp. Reges.

Philippus cognomento formosus, ex Archiduce Austriæ primus rex Castiliæ & Legionis. Maximiliani I. Ro. Imp. F. Caroli V. & Ferdinandi Rom. Impp. parens, acutissimâ febre, quam ex indulgentiore victu sub novi cœli insuetâ temperie contraxerat, prostratus vitâ fungitur 27. (al. 25. al. 17.) Septembr. æt. 28. (al. 25. at perperam, siquidem natus est 1478.) Burgis in Hispaniâ [al. Neapoli] ubi interanea, quemadmodum & cor Bruxellæ & reliquum cadaver Granatæ de ipsius voluntate ultimâ terræ commissa fuerunt. Alii tamen seq. anno ipsum exspirasse, & Tordesillis in Hispan. sepultum ferunt.

Alexander: rex Poloniæ, Casimiri F. Paralyticus Vilnæ obiit.

Anna: Vladislai, Ungariæ & Bohemiæ regis conjunx: Joannis Chandalle, Comitis Gallici F. puerpera decedit.

III. Principes, Comites. &c.

Ioannes Zabrozinius Palatinus Trocensis, Lithuaniæ Marschallus à Michaële Glinskio, Duce Russo, Grodni trucidatur.

Sigismundus: princeps Anhaltinus, Georgii F. bellicâ virtute insignis obiit Florentiæ.

Burchardus: Comes à Barby/ Wolfgangi parens, Wolfgangi præsentis avus: qui cum Christiano I. Danorum rege voti religione obstricto, annos octo per Italiam & præcipuè Romæ transegisse scribitur.

IV. Literatiss. Quiq;.

ANNO CHR. 1507.

I. Præsules.



II. Imperatores, Reges.



III. Princip. Comit.

Ioannes: Dux Saxoniæ Laoburgensis, Bernhardi F. Magni parens.

Balthasar: Dux Megapolitanus & olim Suerinensis Episc. Magni Fr. Wismariæ ἀπαις.

Iodocus (seu Justus) Co. Hojensis & Broickhusanus, Joannis severi seu bellicosi F. Jodoci parens: Otthonis ultimi avus: Hoyæ mortuus ibique sepultus, postquam ditionem solus 46 annos administrasset (al. 1501. moritur.)

Ioachimus, Comes Lindaviensis.

IV. Litterat. Quiq;.

M. Antonius Coccejus Sabellicus, historicus præclarissimus Venetiis, annum agens prope septuagesimum, defungitur.

ANNO CHR. 1508.

I. Præsules.

Iacobus à Lichenstein (al. liber baro à Lichtenstein) Suevus, El. & Archiepiscopus Moguntinus M. Septembri.

Hermannus, Landgravius Hassiæ, Ludoici, F. El. & Archiepiscopus Colonienſis, Administr. Padebornens. Pontif. 29.

Conradus Co. à Ritberg/ Episcopus Osnabrug. & Administr. Monasteriensis.

Georgius, Com. Hennebergensis, Ord. Teutonici Magister.

Georgius Lusitanus, Episcop. Portuensis & Cardinalis Vlixbonensis.

Bon Franciscus Arlottus, Theol. ac Philos. eminentiss. Regiensis Episcopus æt. 86.

Ioan Columna Diaconus, Cardinalis primarius Ro. 26. Sept. æt. 52.

II. Imperatores, Reges.



III. Principes, Comites.

Philippus, El. & Co. Palatinus ad Rhenum, Ludoici & Friderici Ell. parens, post diutinos renum artuumque dolores exanimatus 27. (al. 28.) Februarii æt. 59.

Albertus IV. cognomento sapiens, Dux Bavariæ, Maximiliani I. Imp. Ro. sororius (al. seq. anno obit) Sepultus Monaci in æde B. Mariæ virginis parochiali.

Woldemarus 4. Princeps Anhaltinus, Georgii F. Wolfgangi parens, Ernesti Fr. sepultus Munchnewburgi.

Ericus, Dux Megapolitanus, Magni F. Henrici pacifici Fr. & Academiæ Rostochiensis Rector.

Henricus, Com. Stolbergicus & Wernigerodanus, Wolfgangi Ernesti præsentis proavus. æt. 72.

IV. Literatiss. Qviq:.

Herculès Strozza, Ferrariensis Poeta nobilis.

Conradus Celtes, Schweinfortensis Francus, Ingolstadii aliquandiu bonas litteras professus, & primus Germaniæ L. P. 4. Febr. diem obit Viennæ æt. 47. (al. 49. siquidem natus sit 1. Febr. 1459. A. Ro. PP. excommunicatus fuisse scribitur, quòd Sanctorum invocationem improbarit, quòdque item à Missæ sacrificio abhorruerit.

Ludovicus Bologninus I. C. & eques, olim Bononiæ & dein Ferrariæ profess. obit Florentiæ æt. 61.

ANNO CHRISTI 1509.

I. Præsules.

Wilhelmus Westphalus, Lubecensis Episcopus.

Michael Hildebrandus, Rigensis Archiepiscopus, perpetuis ferè bellis ad summam egestatem redactus.

II. Imperator. Reges.

Henricus VII. Angliæ Rex, Edmundi, Co. Richemontis F. Henrici VIII. Angliæ regis parens obiit Richemodiæ IX. Cal. Maji, æt. 52. regni 23. (cœpit enim regnare A. C. 1486. ex Gallico exsilio in Angliam reversus, cæso Richardo 3. tyranno) translatus Westmonasterium & unà cum reginâ conjuge, quæ fuit Elizabetha, Edouardi IV. Angliæ regis F. 1502. demortua, in sepulchrum, quod modò omnium speciosissimum visitur, illatus ibidem.

III. Princip. Comit.

Margareta; Joannis, Ducis Somersetti F. Edmundi, Co. Richemontis conjunx, singulari prudentiâ & virtute, Henrici VII. Angliæ regis mater, paucis interjectis mensibus post filium regem defunctum & ipsa moritur.

Wilhelmus II. seu medius, Landgravius Hassiæ: Philippi parens Spangenbergæ ex Erysipelate τῆς ὑπὸ γῆν ἀνέχεται σμέως.

Ludovicus Sfortia, Franciſci F. Maximiliani & Franciſci parens, Loſciæ, quæ munitiſſima Galliæ arx eſt, non procul à Lugduno diſſita, miſerrimè vitam finiit. Nempe Ludoicus XII. Galliæ rex, qui ducatum Mediolanenſem ob Valentinam aviam jure ſibi vendicabat, pſum A. C. 1500. [al. priore: al. ſeq.] ad Novariam proditione captum hucuſque præduro carceri incluſum detinuerat, legendi ſcribendique facultate ipſi penitus ademptâ. Uſque adò fortunæ rebusque ad tempus proſperè ſuccedentibus parum credendum eſt: id quod etiam ſuo nos exemplo tum edocuit Cæſar Borgias: Dux Valentinus: Alexandri VI. Ro. PP. F. licet namque ampliſſimis honoribus auctus, & regium thalamum conſcendiſſet, & inſuper Valentiæ Ducatum in Delphinatu dotis loco obtinuiſſet, [habuit autem in uxorem Carolottam Foſſejam, regis Alibriti Navarræi filiam] tamen cùm his minimè contentus ad altiora ſubindè aſpiraret, concepto voto ſe aut Julium Cæſarem aut nihil prorſus futurum, non ſolùm Ducatum è manibus amiſit, verùm etiam ſemel atque iterum captus adverſam fortunam eamque ſic ſatis duram ſuſtinuit; donec tandem A. C. 1506. ſubtili artificio è Medicinæ Campeſtris arce fune delapſus, ad Joannem, Navarræ regem conjugis ſuæ fratrem confugiens, in prælio quodam ad Vianam, ignobile Navarræ caſtellum, ignobilis & ipſe cecidit, & quidem haſtæ ictu occiſus ab hoſtibus ex inſidiis prorumpentibus, ut refert Guicciardinus lib. 6. & 7. licet Garimbertus lib. 5. de vitis PP. ictu bombardæ ipſum periiſſe ſcribat. Addit Jovius lib. 8. Hiſtor. nudum Pampelonem, cui urbi vivus Epiſcopi munere præeſſe dedignatus ſit, deportatum & ſepultum fuiſſe. Atque in hoc quidem hi tres graviſſimi auctores conſentiunt, quòd videlicet, dùm Navarræi caſtra ſequitur, cum hoſtibus pugnans, interemptus ſit.

Verùm

Verùm præter hos est quispiam alius, cujus nomen mihi nunc memoriæ non est, qui ipsum Cæsarem à Germanis militibus, nocte quadam impetu in illum facto, unà cum sociis suis trucidatum & in Tyberim abjectum fuisse adstruit. Hos etenim milites ægrè tulisse ait, quòd juvenem è Basilæâ oriundum facie insignem, non aliam ob caussam, nisi quòd ipsum prætereuntem concubina sua præter Romanorum morem toto pectore per fenestram procumbens libidinosioribus oculis observârat, adeoque insontem antè ædes concubinæ è vestigio suspendi jussisset. Utut autem hæc sibi constet narratio, tamen cùm certum sit, ipsum Cæsarem fato cessisse neutiquam αὐτοχειρίᾳ seu naturali, recordemur illius apud Æschylum dicentis:

——κακῶς θρασεῖς οὐκ ἐλάσεινε πάχεσι.

Georgius Junior princeps Anhaltinus: Georgii F. Ernesti Fr. Friderici, March. Brandenburg. gener sepultus Ballenstedi.

IV. Literatiss. Quique.

Angelus Politianus, omni liberali doctrinâ politissimus, Florentiæ obiit 24. Septembr. æt. 56 (al. 52. al. 44.) In continuatione histor. Matthiæ Palmerii Pisani legitur, quòd eodem ad plures penetraverit anno, nempe 1494. quo & Hermolaus Barbarus, Patriarcha Aquilejensis & Joannes Picus Mirandulæ Comes: cui sententiæ & Bucholzerus accedere videtur. Cæterùm fides penes authores esto. Neque enim desunt, qui ipsum Angelum *A. C.* 1498. obiisse memorent. Tanta est authorum varietas, ne dicam, hallucinatio in temporibus assignandis distinguendisve. quos utique sibi invicem conciliare mei non fuerit ingenii, cùm sat habeam in præsenti negotio, si veritatem duntaxat assequar, quod equidem sentio quàm sit difficile.

Philippus Cominæus, Eques Argentonius Flandriæ & prudentissimus Galliæ regum historiographus 17. Oct. in Pictonibus obiit æt. 63. De hoc scriptore legatur judicium Justi Lipsii in Notis ad Politica, & inde Principibus adeoque quibusvis aliis ad Reipubl. gubernacula sedentibus, quos scilicet juvat assiduè συγχωτίζεσθαι τῇ νεκρᾷ, καὶ τῆς ἐπὶ τῶν μελλόντων εὐδοξίας ἀπόδειγμα consequi, indies commendatior evadat. Quinetiam & Joh. Bodini Methodus hist. cap. 4. legatur, quo hunc virum & ab infamiæ labe ipsi olim à Meiero aspersâ, & à Lud. Vivis iniquâ reprehensione vindicare videtur, eumque tandem in utraque tàm in urbanâ quàm militari disciplinâ laudari testatum reliquit.

ANNO CHR. 1510.

I. Præsules.

Ioannes ab Egloffheym / LV. Episcopus Herbipolitanus & Academiæ illius author & instaurator, quæ est Herbipoli.

Fridericus, Dux Saxoniæ, Alberti F. Georgii & Henrici DD. Fr. Ord. Teutonici in Borussiâ Magister & dein Coadjutor Magdeburgensis, Rochlitii aquâ intercute ἐξ ἀνθρώπων οἴχεται. æt. 38. licet ista annorum ratio haudquaquam videatur constare posse.

Ioannes Parkentin, Episcopus Raceburgensis. Ep. 34.

II. Impp. Reges.

Catharina Cornelia: Jacobi, postremi regis Cypri vidua, obiit Venetiis, quo eam Senatus Venetus defuncto marito, filioque posthumo abduxerat.

III. Princip. Comit.

Aco Ioannis, Suecorum Dux, Westgothiæ gubernator, vir acris & bellicosus, denuò in Hollandiam impressione factâ, Tordonis speculatoris fraude circumventus & proditus, ad Fantehûle, auspiciis Tychonis Grabbe, Danici Ducis interficitur: exercitu illius toto dissipato, & signis aliquot amissis, quæ ad Joannem Daniæ regem Hafniam cum captivis delata sunt. Chytr.

Zedena: Georgii Pogiebradi, Boemiæ regis F. Alberti, Ducis Saxoniæ (cui A. C. 1475. nupserat) vidua: Georgii & Henrici DD. mater.

Ludovicus, Mirandulæ Comes: Galeotti parens, in bello Veneto ad Polisellam abrupto, per bombardæ globum unà cum galeâ capite, loricati corporis truncum in equo benè longum tempus subsilientem reliquit.

IV. Litt. Qvic.

Ioannes Geiler, Keisersperg. qui Concionator in templo Argentinensi 1478. factus, & Imp. Maximiliano I. percharus fuit, moritur 10. Martii, æt. 65. Dicitur autem & is errores quosdam Pontificios reprehendisse, & de futurâ religionis mutatione nonnihil præmonuisse.

ANNO CHR. 1511.

I. Præsules.

Ioannes Rhodius, Archiepiscopus Brehmensis.

Hedvvigis, Abbatissa Quedelburgensis, Friderici II. El. Saxon. F. Ernesti El. Sax. soror 14. Jul.

Alidosius, Cardinalis, & Julii II. Ro. PP. F. manu Ducis Feltrii occisus Ravennæ.

II. Impp. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Princip. Comit.

Wilhelmus VI. Dux Juliacensis & Bergensis postremus, ut qui masculam prolem nullus reliquit.

Bernhardus, Comes Lippiensis, vulgò bellicosus dictus, Simonis F. Simonis parens, æt. 82. sepultus in cœnobio Præmonstratensium, quod ipse in oppido Blombergo condidit.

Henricus, Comes Stolbergicus & Wernigerodanus, Henrici F. Bothonis Fr. ex vulnere, quod in Brabantiâ acceperat, Coloniæ interiit.

Edo Wimmeke, princeps Jeveræ in Frisiâ, Thannonis F. Christophori ultimi parens.

Carolus: Comes Amboisiæ, prætorii Gallici præfectus & Mediolanensium prorex, Corregii.

Andreas, Comes Sonnebergensis à Felice Com. Werdenbergense occisus 4. Maij.

Ursula, Joannis El. & Marchionis Brandeburgici F. Henrici, Ducis Megapolitani prima conjunx, Magni mater.

Barbara Quernfurtensis, Ernesti Co. Mansfeldici uxor.

IV. Literatiss. Quique.

ANNO CHRISTI 1512.

I. Præsules.

Iacobus, Marchio Badensis, Christophori F. El. & Archiepiscopus Trevirensis litterarum ad elegantiam prudens.

II. Imperator. Reges.

Bajazetes, II. Mahumetis F. IX. [al. IIX.] Turcarum Tyrannus, à filio Selymo per milites prætorianos, quos Janizaros vocant, regno exutus, ac ob id monasterium ingressus (al. in fugâ) ope cujusdam perfidi Judæi, Medici vice podagram curaturi, veneno tollitur XI. April. æt. 61. (al. 74.) regni 22. Selymus porrò satis ipso crudelissimo facto ostendens, se tyrannorũ more κατὰ ἔξοχὴν δεσπόζοντας, καὶ δι' ὀργῆς ἰσχύοντας, majorem in modum metuere, non solum fratres Corcutum uterinum, hoc anno in Smyrnâ insulâ, uti & Acomathem seq. anno confectâ pugnâ ad civitatem Burliam captos, sed etiam septem ex fratribus nepotes, & præter hos Mustapham Bassam, cujus ope ad imperium conscenderat, strangulari jussit. Scribitur quinetiam inter cætera de Corcuto, quòd tres filios præmiserit, ut orationibus elegantiss. patruum placarent, offerentes sua patrisque officia, qui eum ut Imperatorem adoraret; sed cum Selymus egregiâ pietate motus, [quâ scilicet indignum rentur Turci, Cæsarcum sanguinem attingere terram,] nepotes coram se chordis ex arcubus strangulari jussisset, Corcutum in montes fugâ elapsum, fame & inediâ confectum, à familiari suo proditum, captum, strangulatum, mortuumque Imperatori allatum fuisse. Acomathes verò major natu frater, patris fratrisque morte audita, incertus quid ageret, matrem prudentissimam fœminam consuluisse fertur; quæ filio suaserit, rem ense transigendam esse. Is ergò exercitu XV. M. conscripto, Amurathe quoque filio X. M. Persarum adducente, in Bithyniâ contra LXX. M. fratris 24. April. 1513. pugnaturus, animo concidit, & militibus suo exemplo fugam arripere suasit. Equum itaque ascendens, ut fugam arriperet, procidit, in alium repositus equum, parvo decurso spatio, iterùm decidit; erat enim corpore obeso. Noluit inde tertiùm, quanquàm rogatus, ascendere equum, cùm jam fatum sibi imminere clarè perspexisset, sed in lapide consedit moribundus & exsanguis, omnibusque aliis fugâ abeuntibus, quos Selymi milites insequebantur. Et cùm jam senior militum præfectus in lapide sedentem videret Acomathem Sulthanum, honoris causâ equo descendit, ac more patrio ut Cæsarem salutavit. Cui Acomathes: Non ut principem sed ut miserum mortalem me agnosce. Accipe igitur à me hos annulos, & à fratre faciliorem mihi mortem impetra, ut incisis venis in balneo mori liceat. Selymus jamdudùm de omnibus factus certior, Carnificem submisit,

submisit, qui ligatis in dorso manibus, Acomathem in dorsum prostravêre, ac ver chordis arcuum mox strangulati cadaver currui, nigris velis ornato imposuere. Concitatior demum fuit, at æquè inanis & irritus animi impetus in Mahometo, quem fratris natu maximum fuisse filium ferunt, & ingressos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum esse denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterum calamario cultello confeciisse: jam vulneratum interfecturum fuisse, nisi alii satellites irrupissent, qui frustrà reluctantem strangularunt.

Suanto Stur, Stenonis parens, Sueciæ per octo annos gubernator, Arosiæ.

III. PRINCIP. COMIT.

Gasto, [al. Vasto seu Arbogastus] Comes Foixius, Dux Nemorensis & Prorex Italiæ, cum in bello quod ad Ravennam inter avunculum ejus Ludoicum 12. Galliæ regem & Julium 2. Ro. PP. ipso Paschatos die gestum est, hostium copias fudisset, & nihilominus Hispanorum reliquias in cuneum coactas, quæ fugâ sibi salutem quærebant, persequeretur, viginti vulneribus confossus, ea, quæ clarissimis victoriis adeptus fuerat, unà cum vitâ ὡς ἐυρώπη χρόνῳ amisit æt. 30. Ceciderunt in eo bello, ut refert Jovius in Leone X. li. 2. utrinque ferè æquatâ clade cum calonibus & lixis ad viginti millia, sed inprimis flos militum & ducum fermè omnium interiit. Non desunt tamen, qui XVI. M. duntaxat cæsorum numerent. At Bembus li. 10. hist. Ven. scribit horis plus sex incredibili virtute pugnatum fuisse, quà in pugna militum & equitum millia supra decem & octo interfecta fuerint pari ferè utrorumque numero, fortuna dispari, cum Julii & Hispanorum copiæ fusæ fugatæque sint, Gallis locum tenentibus &c.

Edmundus Pola, Dux Suffolciæ, Edoardi IV. Angliæ regis ex sorore nepos capite damnatus.

Ottho IV. Comes Schownburgensis, qui sedem in Pinnenbergo habuit, Otthonis 3. F. Joannis Fr.

IV. LITERATISS. QVIQVE.

ANNO CHR. 1513.

I. PRÆSULES.

Iulius II. Rom. PP. Sixti IV. nepos dictus anteà Julianus Ruerius, è familia Ciborum, patria Savona Genuensis territorii oriundus, miles ὁ ἐρινύων ἀτρόμητος verius quàm Sacerdos, quique Jubilæum ad decimum quemque annum quæstus gratia revocasse scribitur. 22. (al. 21.) Febr. in Orci peculio adnumeratur æt. 70. Pontif. 10. In eum dicteria multa passim Erasmus conjecit. Quòd si verò nullus ante ipsum alius, certè hic bellator Julius satis manifestum fecit, quantum valeat Romanorum PP. authoritas, eo ipso, quòd Joannem Albretium, Navarræ regem ob schismaticum favorem regno privavit, idque dominationi Castellæ regni hoc anno eodem à Ferdinando Arragoniæ rege uniri permisit, ut refert Franc. Tarapha. Ex illo namque tempore Hispaniæ rex majorem ejus regni partem per vim ereptã in hunc usq; diem δικαίως καὶ ἀδίκως tuetur ac possidet, regem Navarræ sese nuncupans, non minùs, atque ipse Navarræus. Et quamvis eadem quoque Gallo retia tetenderat, orbemque Christianum propè universum armis miscuerat sanguinarius ille Pontifex, attamen ἐξόμβρημα καὶ ἀνάθημα, ut habet illud Theocriti, tulit, cùm nulla Tyrannorum vis diuturna sit, punctoque temporis maximarum rerum momenta vertantur: ceu ipsius ruina liquidiùs id nobis patefecit. Plura de hoc PP. leges ap. Jovium in vita Alfonsi Atestini.

Ernestus, Ernesti El. Saxon. Fr. Archiepiscopus Magdeburgensis & Administrator Halberstadensis, Halæ Saxon. 3. Augusti τὴν ψυχὴν εἰς τ' οἰκεῖον ἀφροδίτην τόπον ἐξεκένωσε æt. 50. Pontif. Magdeb. 37. Halberstad. 33. sepultus Magdeburgi in sacello sub turribus (al. 1511. quod falsum est) vehementer hic ingemuisse fertur sub vitæ exitum, eò quòd Episcopalibus suis civitatibus & Halberstadio & Halæ Saxon. jura & privilegia ipsis olim à Cæsaribus tributa, contrà quàm jus ac fas sit, per ætatis imprudentiam ademerit, restituturus eadem, ni acerba mors ipsum antevertisset.

Philippus, à Rosenbergk: Episcopus Spirensis. Ep. 10.

Alexander, Archiepiscopus S. Andreæ Erasmi discipulus cum fratre Jacobo IV. Scotorum rege in acie cæsus.

II. IMPERATOR. REGES.

Iacobus IV. Scotiæ rex, Jacobi III. F. Christiani I. Daniæ regis ex filiâ nepos, in prælio ab Anglis trucidatur ad Floddum vicum Northumbriæ, relicto unico filiolo Jacobo V. impubere (qui postmodum avus maternus Jacobi VI. præsentis evasit) ex Margaritâ conjuge, quæ Archibaldo Duglassio rursus nuptâ & paterna maternaque proavia Jacobi VI. facta est. Caussam verò interitus his verbis assignat Chytræus: Interea Jacobus IV. Scotorum rex, à Gallis incitatus

incitatus, bellum Anglo, uxoris suæ fratri, denunciat, in quo, violatæ fidei, & impietatis in patrem, ipsius & seditiosorum principum armis olim regno privatum, pœnas luit, &c.

Ioannes, rex Daniæ, Christiani I. F. Friderici I. Fr. Christierni II. parens, Jacobi IV. Scotorum regis avunculus, Alburgæ in Jutiâ æt. 58. regni 32. decedit.

Anna, Francisci ultimi Britoniæ Ducis F. & hæres unica (quam Maximiliano I. Imp. desponsatam, Carolus VIII. Galliæ rex, 1485. repudiatâ Imp. ejusdem F. Margaretâ, vi præreptam, atque hoc demùm rege defuncto, Ludovicus XII. itidem Galliæ rex, 1498. dimissa per Ro. PP. Alexandri VI. consensum priore conjuge Joanna, Caroli VIII. antecessoris sui sorore, in uxorem duxere) moritur Blæsis circa natalia, relictis ex Ludoico filiabus & Claudia, Francisco I. Galliæ regi & Renata Herculi Ferrariensium Duci postmodum nuptis.

Helena, Basilii magni Moschoviæ Ducis soror, Alexandri, Poloniæ regis vidua 29. Jan.

III. Princip. Comit.

Sophia, Casimiri, Poloniæ regis F. Friderici V. Marchionis Brandeburgici conjunx, 12. filiolorum & 7. natarum principibus ferè elocatarum parens.

IV. Litt. Qviq;

Martinus Pollichius, Mellerstadius, Theol. Med. & Philos. Doctor, & primus Acad. Witebergensis Rector. 27. Xbr.

Iulius Æmilius, Ferrarius, Mediolani professor. æt. 61.

Caspinus Lanceus, Canonicus Regiensis & JCtus gravissimus. æt. 69. Regio Lepidi.

Alexander Veteranus, Physicus Urbini. æt. 54.

ANNO CHR. 1514.

I. Præsules.

Uriel, (seu Uradiel) à Gemingen/ El. & Archiepiscopus Moguntinus 3. Febr. al. priore anno.

Ioannes, à Schonberg/ Naoburgensis Episcopus.

II. Impp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princip. Comit.

Henricus, Senior, Dux Brunsuicens. & Lunæb. Henrici Junioris parens, Iulii avus; maximi animi altissimique consilii princeps, cæterùm Pontificiæ religionis usque adeò observans, ut per quadragesimam habitu Franciscano indutus Gandersheimiæ quotannis apud Fr. Minoritas subsistere consueverit, dum Ordum, arcem Ezoardi, Com. Frisiæ ad Amasin oppugnat, tormenti ex castris hostilibus trans Amasin vibrati ictu avulsum humeris caput unà cum vitâ amisit, sepultus postèà Brunswigæ in æde D. Blasii. Alii tamen non nisi summo capite ipsum læsum fuisse asserunt, seu, ut habet Epitaphium: Per caput auricomum trajectus glande volucri Flammigeri saxi, Phrysiis occumbit in agris. Plura de hoc principe leges ap. Crantz. lib. 12. cap. 36. & 38. item li. 13. cap. 5. Saxon. & lib. 12. cap. 17. Metropoleos.

IV. Litterat. Quiq;

ANNO CHR. 1515.

I. Præsules.

Philippus, Co. ab Eberstein/ El. & Archiepiscopus Coloniensis.

II. Impp. Reges.

Ludovicus XII. ex Duce Aurelianense Galliarum rex, Ludovici F. citra masculam prolem è vita defecit Lutetiæ in ædibus Turnellanis Cal. Ianuar. circiter mediam noctem æt. 53. regni 17. cùm nondum elapso trimestri spatio juvenculam 18. annorum, Mariam, Angliæ regis sororem, tertiam conjugem duxisset. Funus ad ædem virginis matris, inde Sandionysium elatum est, ubi regia illi justa more majorum persoluta sunt. Adversis rebus, scribit Bellajus valdè ab ipsa adolescentia jactatus fuerat. Quùm Dux Aurelius esset, prælio victus est ad Santalbinum in Britonia, & captivus magna turri Biturigum diu [nempe biennium] inclusus. (in eandem & Cardinalem Ascanium, Ludoici Sfortiæ fratrem rex ipse postea detrusit.) Deinde Carolo 8. Neapolim profecto, obsessus Novariæ eò venit omnium rerum penuriæ, ut canibus & soricibus vescendum illi esset: sicque multos ex suis inedia ac egestate amisit: donec eum

eum Carolus Neapoli rediens liberavit. Postquam regnum iniisset, qui rebus adversis cum illo steterant, suadere conabantur, ut eos ulciscereturqui regnantis Caroli nomine & jussu illum bello afflixerant, maximè Ludovicum Trimollium, qui illum prorex ad Saintalbinum prælio vicerat & ceperat. Verùm negavit ille Regis Galliæ esse, injurias vindicare, quas Dux Aurelius accepisset: qui enim integra contra se erga Regem fide fuerant, eos non minori in se uunc Regem fore. Vide plura de hoc principe in Arnoldi Ferroni lib. 3. de rebus gestis Francor.

Barbara, Stephani, Comitis Zepusiensis F. Joannis Vaiuodæ, postea Hungariæ regis soror; Sigismundi I. Poloniæ regis prima conjunx, ex puerperio alterius filiæ, Annæ languorem & ultimò mortem contraxit 2. Octobr.

Aladulus, rex Cappadociæ, jussu Selymi, Turcarum Imp. ad quem captivus fuerat adductus, neci traditur.

III. Principes, Comites. &c.

Wilhelmus I. seu senior, Landgravius Hassiæ Cassellanus, Ludoici F. Wolfgangi Co. Palatini Bipontini avus maternus. 8. Februar.

Magnus Consalvus, Dux Cordubæ, Petri F. M. Xbri.

Franciscus, Gilberti Co. Montpenserii F. Caroli, Ducis Bourbonii & Conestablii Gallici Fr. Antonii, regis Navarræi avus, ex Co. Vindocino Castelli Heraldini dux, in prælio S. Brigidæ dicto die S. Crucis qui 13. Sept. fuit, cum Imbercurio, Comite Sancerrano aliisque multis egregiis viris cecidit. Altero die instauratâ pugnâ interfectus est Franciscus Trimollius, princeps Talemondius, Trimollii unigenitus, Bussius Amboisius, Royus aliique complures.

Iustus, Burchardi F. Co. Barbejensis. æt. 31.

Ioannes Paulus de Lechâ, Comes Cinararchæ, Insulæ Corsicæ domicellus, Romæ.

IV. Literatis, Quoq;.

Lancellottus Decius, Juris consultiss. & in Ticinensi gymnasio interpres gratiss. 4. Febr. (al. 1500.) obiit: sepultus in monasterio S. Pauli extra urbem.

Petrus Pascalius, Venetus D. Eques & Orator. æt. 43.

Ioannes Augustinus, Turrianus Medicus, Bergomæ, æt. 81.

ANNO CHR. 1516.

I. Præsules.

Magdalena, Alberti principis Anhaltini F. cùm triennium ferè Antistitem Quedelburgensem egisset, de retinendo collegii jure & libertate aliquanto sollicitior, & iræ Georgii Ducis Saxoniæ cedere cogitur, & hinc Gandersheimiæ in exsilio præ animi mœrore exstinguitur.

Fridericus, Marchio Badensis, Caroli F. Christophori Fr. Episcopus Ultrajectensis [al. seq. anno.]

II. Imperatores, Reges.

Ferdinandus V. cognomento Magnus, (quem etiam vulgò Joannem Cipponem cognominatum fuisse scribunt.] Catholicus Arragoniæ & Siciliæ rex: Joannis unicus F. Carol. V. Imp. Ro. & hæredis avus maternus: qui primus Hispaniam 1477. & Beticam 1492. reliquis duobus regnis adjunxit, 22. (al. 16. al. 19.) Januarii exspirat. Cadaver ejus uti & uxoris Isabellæ jam ante aliquot annos defunctæ ad Granatam civitatem usque dalatum & more regio recondisum est ibidem.

Vladislaus, rex Hungariæ ac Bohemiæ piissimus juxta ac pinguissimus, Casimiri, Poloniæ regis F. Sigismundi Fr. Ludovici, regis Hungariæ parens, 13. Martii [al. 1520.) æt. 61. sub hoc bellum illud cruciferorum, quod obiter addo, intestinum pariter atque atrociss imum 1513. Duce Georgio Sechel, præacutam sudem nobilibus captis per vim in podicem intrudente, exarsit: de cujus exitu & exquisito supplicii genere, quo Dux ille affectus fuit, legantur Annales Silesiæ & Comment. L. Surii Carthusiani.

Campson Gaurius, Sulthanus Ægypti, è prælio, quod cum Selymo, Turcarum Imp. in agro Alepo Syriæ ad Singam fl. infelix subierat, profugiens fabulo obruitur, 26. Augusti æt. 77.

III. Principes, Comites.

Ernestus, princeps Anhaltinus, Joannis parens, Joachimi Ernesti avus. 15. Iunii.

Henricus, Co. Wirtembergicus, Ulrici F. Eberhardi II. Ducis Wirtembergici Fr. Ulrici III. parens Friderici præsentis avus.

Iulianus Medices, dictus Magni-

Magnificus, Leonis X. Ro. PP. Fr. Laurentii F.

IV. LITERATISS. QVIQ.

ANNO CHR. 1517.

I. PRÆSULES.

Sixtus, Iulii II. Rom. PP. nepos, Presbyter Cardinalis. R. E. Vicecancellarius æt. 44.

Marcus Musurus Cretensis, Græcus, sed latinæ linguæ usque ad miraculum doctus, cùm paulò ante Monemvasiénsis Archiepiscopus, & Cardinalis insuper à Leone X. designatus esset, hujus anni autumno Romæ in Libtinæ rationem venit. Videatur de hoc Germanograecia Crusii pag. 156.

Henricus, à Lichtenau, I. U. D. & Episcopus Augustanus 56. Dillingæ 12. April. Episc. 13.

II. IMPER. REGES.

Tomumbejus. Sultanus Ægypti, Alcairi, quæ veterum Memphis est, ad portam Bassuellam suspensus, vitam cum regno deseruit 13. April. Cæso priùs fugatoque Mamaluccorum exercitu ad Mattareiam vicum propè hortum Balsami, ipsoque Tomumbejo variis modis ludificato & ignominiosè habito: quâ de re Iovius in hunc modum scribit; Captâ urbe Tomumbejus Sultanus fugam arripiens, cùm se in palude quadam inter juncos & arundines occultasset, immersus aquis usque ad summum pectus, captus & ad Selymum perductus est. Qui jussit primùm tradi eum tortoribus, ut de Campsonis thesauris quærerent: sed ille nihil præter suspiria & horribiles gemitus in summis cruciatibus protulit. Posteà mense fermè Aprili mulæ impositus cum laqueo de collo pendente, revinctisque à tergo manibus per totam urbem Alcairum circumductus, juxta portam urbis suspensus & strangulatus periit, omnibus nimirum, ut idem Jovius refert in vitâ Selymi, crudele hoc spectaculum deplorantibus atque iniquam fortunam accusantibus, quæ ipsum Tomumbejum ob singularem virtutem ad imperium vocaverat, ac mox Regum omnium, qui unquam miseri exstitissent, miseriorem effecerat.

III. PRINCIPES, COMITES,

Elisabetha, Casimiri, Poloniæ regis F. Sigismundi soror; Friderici II. Ducis Lignicensis prima conjunx. 17. Februar. puerpera ex his terris emigravit.

Christophorus, Edonis F. unicus, princeps Jeveræ in Frisiâ postremus, sub tutore & avunculo Joanne Co. Altenburgense, defecit.

IV. LITERAT. QVIQ.

Albertus Crantzius, Hamburgensis, S. Theologiæ & juris Canonici Doctor, nec contemnendus planè historicus, & olim Hamburgensis Ecclesiæ Decanus, qui Lectoris Theologiæ officio functus, & sacras litteras professus est, & publicis concionibus populum docuit, moritur 7. Xbr. & sepultus est in cœmiterio summi templi Hamburgens.

Petrucius Minadous JCtus, & professor Pisis celeberrimus, 8. Martii Neapoli.

Ioannes Murmelius, Ruræmundensis, Erasmi olim condiscipulus, & Monasterienfis gymnasii Rector, de literis renascentibus suo seculo præclarè meritus.

ANNO CHR. 1518.

I. PRÆSULES.

Iohannes Salhusius, Episcopus Misnensis.

II. IMPP. REGES.

❁ ❁ ❁

III. PRINCIP. COMIT.

Guilielmus VII. Marchio Montisferrati, Bonifacii F. Bonifacii parens: in ludis equestribus perpetuò victor.

Ottho, Comes Tecklenburgensis, Nicolai F. Conradi postremi ex hac familiâ parens.

IV. LITTERAT. QUIQ.

Alvarottus, Patavinus, JCtus Romæ.

Hieronymus Buslidius; Francisci, Archiepiscopi Vesontini frater & hæres, Lovanii obiit, ubi eodem anno Colle-

Collegium trilingue toties ab Erasmo celebratum instituerat. Chytr.

ANNO CHR. 1519.

I. Præsules.

Leonhardus, à Keutschach / Archiepiscopus Salisburgensis. Ep. 25.

Laurentius, à Bibrâ / Episcopus Herbipolitanus, Imp. Maximiliano I. inprimis charus. 6. Febr.

Melchior, Comes Barbejensis, Canonicus Argentinensis, æt. 29.

II. Imperatores, Reges.

Maximilianus I. Ro. Imp. Friderici III. F. Caroli V. avus; magnus bello princeps & pace præclarus; cujus eximia bonitas, liberalitas summa, & Christianæ pietatis cultus præcipue commendantur, (quid enim ni Baptistæ Egnatii scriptoris gravissimi verbis credemus?) obiit Velsii in Austriâ ventris profluvio correptus (vel ut in Append. Sex. Aurel. Victoris refertur, mœrore animi) 12. Jan. æt. 60. (al. 63. at perperam: natus est enim 22. Martii 1459.) regn. 33. [rex enim Romanorum eligitur 16. Febr. Francofurti ad Mœnum; consecraturque 10. Apri. Aquisgrani 1486.] Imp. 26. (quippe patri successit 1493.] Cadaver postmodum ex testamento in novâ civitate loco natali reconditum fuit. Cæterùm Cuspinianus de obitu Imp. hæc memorat: A. C. 1518. M. Junii horrenda solis eclipsis, genesin Maximiliani Imp. vehementer offuscans, eique lethalis, in cœlo Viennæ apparuit, & eâ ipsâ horâ horrendum excitavit incendium, quâ platea amœnissima urbis, quæ Cantorum dicitur vulgò, magnâ parte exusta est. Maximilianus autem in Oeniponte cum suis agens, in iram commotus, febrim incidit occultam, quam animi angustiæ auxerunt, adeò ut cum Welsam superioris Austriæ oppidum attingeret, aperte languescere cœperit, & tandem obierit. &c. Nec possum equidem facere, quin & illud in præsens obiter adjiciam, principem hunc laudatissimum in contrahendo matrimonio minus prosperos vel saltem difficiles habuisse successus, ut ne quis arbitretur, conjugia non esse fatalia, sed potius extra rationem naturæ fortuita. Nam ut Maximilianus 18. annos natus A. C. 1478. magnis copiis *Burgundiam* ingressus, referente Volaterrano lib. 23. Mariam, Caroli Ducis jam defuncti filiam & hæredem in matrimonium una cum regno acceperit, tamen quia ea res Galliæ regem Ludoicum XI. ceu rivalem malè habuit, non potuit non aperti causa belli, adeoque tot in Arthesiâ perditarum civitatum extrema calamitas existere. Deinde non solum Carolus VIII. Galliæ rex, Ludoici hujus XI. F. Annam *Britanniæ* hæredem, quod paulo antè monui, dum secundas Imperator meditatur nuptias, ei præripuit, hoc ipso gravius patris ignominiam, si quæ ulla fuit, ultus, quod unà Imperatoris filiam Margaritam aliquot ante annis pactam & in Galliâ educatam, rerum potitus abdicavit: Unde rursus & bella & cædes tàm in Flandriâ quàm Picardiâ ortæ; licet eas Crantzius ignorare videatur: verùm etiam Vladislaus, *Boemiæ* rex, Casimiri Poloniæ regis F. dum Imperator segnius amat, ipsum amore prævenit, *Beatricem*, Philippi Siciliæ regis F. & Matthiæ Corvini, Hunniadis F. regisque Hungariæ viduam, sibi in matrimonium copulans, adeoque Hungariæ regnum cum eâ occupans.

Selymus, Turcarum Imp. Solymanni parens, cancroso renis ulcere [Buchol zero peste) consumptus defungitur in Thraciâ juxta pagum Ciurlium, quo in loco ante paucos annos cum patre Bajazete conflixerat. æt. 47. Imp. 9. Obitum hujus nonnulli ad sequentem, uti & Maximiliani Imp. Ro. ad præcedentem annum referunt. De *Selymi* verò tyrannide superiùs sub A. C. 1512. nonnulla dixi, quò lectorem iterùm ablego.

Franciscus Gonzaga, Marchio Mantuæ; Friderici I. Ducis Mantuani parens. 4. Cal. *Apr.*

III. Principes, Comites.

Laurentius Medices, Petri F. & patrui Leonis X. Ro. PP. beneficio Dux Urbini, decimo mense matrimonii cum Magdalenâ, Joannis Comitis *Boloniæ* & Auerniæ Filiâ & hærede unicâ: Francisci, Galliarum regis consanguineâ: à quo 1517. ad arctius vinculum cum Papâ ineundum desponsata fuerat Laurentio, exspirat. Quin & ipsa conjunx Catharinam posteà Galliæ reginam enixa in primo puerperio periit.

Piennius, cognomento Halluinus prorex Picardiæ: in cujus locum suffectus est Carolus, Dux Vindocinus.

Arturus Gouherius, præfectus prætorio, cum Francisci Galliæ regis nomine in Germaniâ legatus Imperii dignitatem obiisset, re non expeditâ in itinere magno sui regis desiderio obiit.

IV. Litt. Qviq;

Ioannes Coletus, Anglus, Doctor Theol. & utriusque Juris, & Decanus sancti Pauli apud Londinum, cui Erasmus

ſmus de copiâ verborum & rerum commentarios inſcripſit, eum vel hoc nomine prædicans, quòd non ſolùm aſſiduis concionibus ſacraque doctrinâ, Chriſtum complures annos populariumſuorum animis inſeverit, verùm etiam ludum literarium longè pulcherrimum ac magnificentiſſimum inſtituerit. &c. Fertur præterea hic vir cuncta, quæ legit, quæque audivit, memoriâ tenuiſſe, raro admodum exemplo & planè admirabili, de quo ſi plura noſſe deſideras, lege Epiſt. 4. lib. 13. & Epiſt. 14. lib. 15. Epiſtolar. Eraſmi.

Ioannes Tezelius, Dominicanus Francofurti ad Viadrum, primus Lutheri antagoniſta & Indulgentiarum præco, Lipſiæ in Monaſterio Dominicanorum, cùm Lutherus & Eccius de Indulgentiis diſputarent, primus Indulgentiarum fructum tulit, iisque largiſſimis communitus rectà in cœlum evolavit. Quis enim hoc non crediderit?

Iaſon Maynus, JCtus celeberr. Orator diſertiſſ. Co. atque Eques: civis Mediolanenſis primarius & ducalis Senator, Ticini, ubi tùm poſt Piſanam profeſſionem docuit, mortuus eſt 12. Cal. Maji. vitam ejus eleganti oratione deſcripſit quidam Genuenſis. Et refert de ipſo Jovius, quòd tametſi diſſolutus juvenis vixiſſet, adeò ut cùm Juris civilis libros eleganter in pergamenâ deſcriptos cum nondum ratio excudendi libros eſſet reperta, haberet, aleâ in taberná vinariá perdiderit, tamen ad frugem meliorem cùm ſe recepiſſet, ſtudio & labore non modò id perfecerit, ut coætaneos ſuos omnes ſuperaret, ſed etiam ad eam juriſperitiam pervenerit, quò cæteri ejusdem ſtudii æmuli aſcendere non potuerunt. Dicere namque ſolitus eſt, ut retulit ipſius diſcipulus Lud. Beber, calamum eſſe, qui faceret Juriſconſultum, teſtabaturque ipſe quamvis octogenarius, & quadraginta annis publicè docuiſſet, quòd nullam fineret præterire diem, quin adhuc aliquid ſuis locis obſervaret & adſcriberet. Exſtat porrò judicium Stephani Forcatuli Bliterenſis, J.C. in Necyomantiâ Juriſperiti, Dialogo 62. de Jaſone, Bartolum ſemper excipio nullum auſim præferre, plurimum eruditionis habuit, inventionis parum, ſed ita copioſus eſt, ut eò plerisque indoctior videatur, quòd ſit doctiſſimus atque facillimus. Varias opiniones interpretum contulit: ordo in eo non morosè exigendus eſt, in re præſertim usque adeò confuſa. Ego hujus viri niſi maximis laudibus meminiſſe nequeo, nam nec videtur contentus fuiſſe ſuorum temporum eloquentiâ.

Rodolphus Longius, Weſtphalus, Monaſterii.

ANNO CHR. 1520.

I. Præsules.

Claudius Seyſellus, Ludovici XII. Franciæ regis Arequeſt. Magiſt. & pro eodem Orator eloquentiſſ. Laudenſis Adminiſtrator, Maſſiliæ præſul, Taurinorum Archiepiſcopus.

Hippolytus Ateſtinus, Alfonſi I. Ducis Ferrarienſis Fr. Herculis F. Cardinalis &c. ex febri decedit Ferrariæ. æt. 40. de eo legantur Jovius in vit. illuſtr. vir. & Guicciardinus lib. 6. hiſtor.

Ioannes de Schlabrendorff, Epiſcopus Havetbergenſis.

Martinus Carith, patritius Colbergenſis, Theol. D. & Epiſcopus Camininenſis.

II. Impp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princip. Comit.

Steno Stur, Junior, regni Sueciæ gubernator, ictu bombardæ ſecundum crus tactus in prælio perit: cujus deinde cadaver juſſu Chriſtierni II. Daniæ regis non ſolùm è ſepulchro protractum, verùm etiam igne abſumptum fuit & in cineres converſum.

Ericus Sparre, Procancellarius Sueciæ, Guſtavi Sueciæ regis parens, Joannis III. avus, à Chriſtierno Daniæ rege trucidatus Holmiæ.

IV. Literatiss. Quique.

ANNO CHR. 1521.

I. Præsules.

Leo X. Ro. PP. ex vero nomine Joannes Medices Florentinus vocatus, Laurentii F. Coſmi nepos veneno necatus fertur, teſte Laur. Surio Cal. Xbr. æt. 46. ſcilicet ſcribit alius quiſpiam, inter pocula ſupra modum lætus ac ridens, efflavit ſpiritum ſubitò corruens, cùm nec cœlum nec infernum poſt hanc vitam eſſe crederet. Eandem propè mortis cauſſam, ſed longè aliter & Bellajus affert hunc in modum ſcribens: Eodem tempore Papa Leo quùm reſciviſſet noſtros

VI ET VIRTVTE.

Nat. 9 Dec. 1475

Obiit 1 Dec 1521.

SVAVE.

nostros (Gallos) Mediolano expulsos esse, tantam ex eo nuntio lætitiam cepit, ut rheumate & febri continenti triduo absumptus sit. Benè sanè cum illo actum, qui præ gaudio obierit. Hæc quidem ille: Utri igitur adhærescendum sit quis dixerit? Neque enim qui lætitiam mortis caussam adstruunt, sibi invicem consentiunt.

Hojerus, Burchard Fr. Comes Barbejensis, & Decanus Argentinensis, æt. 70. decedit, visu per ætatem anteà deperdito.

II. Imperatores, Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princ. Com.

Ioannes II, Dux Clivensis, qui ducatum 40. annos rexit, Ioannis III. parens, Guilhelmi avus, Clivæ sepultus.

Anna, Joannis III. El. Brandeburgici B. Joachimi I. soror, Friderici Ducis Holsati & postmodum primi ejus nominis Daniæ regis conjunx, obiit in Monasterio Borsholmiæ. Hieron. Henninges 1514. obitus annum ponit.

Elisabetha, Philippi El. & Com. Palatini F. Henrici, Landgravii Hassici vidua; Philippi Marchionis Badensis uxor.

Edouardus, Dux Buchyngamiæ in Anglia ad capitis supplicium rapitur XI. Cal. Maji.

Ioachimus, Comes Oetingensis, ex lethali vulnere, à Francis quibusdam insidiosis ad Werdam illato, has terras deseruit.

Manfredus Palvesinus, nobilis Mediolanensis, ad lacum Comensem summæ inter suos authoritatis ac potentiæ, ut qui annuo reditu XXV. M. ducatorum in agro Placentino & Parmesano habuit, & Leoni Papæ necessitudine conjunctus fuit, ob conjurationes adversus regem Galliæ initas, maximè Hieronymo Morono authore, crudelissimo & inaudito mortis genere afficitur.

Alexander Trivulsius, Eques torquatus, dum Mareschallus Foxius cum Comite Guido Rangone ad portam Rhegii colloquuturus erat, medius ex muro sclopi ictu trajicitur, ita ut sexto post die Parmæ ex vulnere interierit M. Jun.

Sulanna Borbonia, Petri Ducis Borbonii, ex Annâ Francicâ, Ludoici XI. regis Gal. filiâ & Car. VIII. sorore F. Car. Borbonii, Co. Mompenserii & Connestablii Gallici conjunx: licet ante Carolo Valesio, Duci Alenconio desponsa fuisset, moritur.

IV. Litteratiss. Quiq;.

Henningus Goden, Havelbergensis Jurisc. & præpositus templi Canonicorum, Witebergæ moritur 21. Jan. Hujus Apophthegma vulgò jactatur, Lex sine exsecutione est velut campana sine pistillo. *Bucholz.*

ANNO CHR. 1522.

I. Præsules.

Ericus, Dux Saxoniæ Laoburgensis, Episcopus Monasterienſis & Hildesiensis.

Hieronymus Schultetus, Brandeburgensis & Havelbergensis Episcopus 29. Octobr. obit, Witstochii sepultus.

Hieronymus Soledus, Episcopus Vasienensis, æt. 53. non. Januar. moritur. al. 1533.

Georgius Schenck / von Lübweg / Episcopus Bambergensis.

Petrus Bononius, Episcopus Viennensis.

II. Imp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princ. Com.

Ottho, Comes Salmensis, Friderici Magni parens, Joannis Georgii Laubacensis avus.

M. Antonius Columna, Prosperi nepos in re militari exercitatissimus, & Camillus, Ioannis Iacobi F. Trivulsius uno eodemque ictu miserè interficiuntur. Dum enim Lautrecus Gallos in arce Mediolanensi inclusos subsidio levare studet, convocatisque in domo quâdam ad deliberandum reliquis belli ducibus, hostes Colubrinam extremo aggeri versus portam Vercellensem impositam incendunt, unde missa pila in Domum ruens M. Antonio Columnæ alterum crus aufert, ex quo vulnere paucis interjectis diebus moritur. &c. Bellajus lib. 2. comment.

Ioannes Hieronymus, Castillionæus Mareschallus regis Galliæ, ubi Daxam cum exercitu venit, millia passuum duodecim citra Bayonnam, opem laturus Fontirabiæ obsessis, in morbum incidit,

dit, quo etiam acriter jactatus obiit. Idem ibid.

Telinnius, Senefchallus Ruthenorum cum ſuis equitibus Montrolio profectus (ubi præſidio erat) ut ad Vindocinum veniret, caſu dum ad Hedinum iter facit, in pedites Burgundiones numero ferè trecentos incidit, è Galliâ cum prædâ redeuntes, quos tantâ vi adoritur, ut omnes vel capti vel interfecti ſint. In eo conflictu Telinnius glande ſcopo miſſa ad humerum ictus paucis diebus Hedini moritur: neque ex toto comitatu quiſpiam vel vulneratus vel interfectus eſt. Id. ibid.

Walpurgis, Giſelberti, Com. Bronchorſtiani F. Simonis, Co. Lippienſis 21. annorum conjunx.

Hero Omke, Eſenæ Dominus in Oriental. Friſia Balthaſari poſtmodum ditione patria ejecti parens.

IV. Litteratiss. Qvioꝫ.

Antonius Ianuarius, patritius Neapolitanus, I.Ctus æt. 72.

Ioannes Reuchlinus, Capnio Phorcenſis, Eberhardi I. Wirtembergici Ducis conſiliarius, & egregius trilinguis eruditionis Phœnix, 30. Junii æt. 68. [al. 67.] Stutgardiæ lethero exſtinctus. Hedio tamen ipſum priore anno deceſſiſſe narrat.

Christophorus Longolius, Mechlinienſis *Belga*, civis Romanus XI. (al. 3.) Septembr. Patavii, æt. 34. mortuus & in ord. Franciſcani, ſeu ut ajunt, Seraphici veſte ſepultus.

ANNO CHR. 1525.

I. Præsules.

Adrianus VI. Ro. PP. cognomento Florentius, nomen quippe proprium retinuit, Ultrajecti, in finibus veteris Saxoniæ, non procul à Rheni oſtiis, humili loco natus,) *Bellajo* Lovanienſis eſt patria) ſed ingenio, doctrina, integritate vitæ, morum ſanctitate & induſtria usque adeo excellens, quod de ipſo Chytræus ſcriptum reliquit, ut & Cancellarium Academiæ Lovanienſis, & Caroli V. præceptorem & Conſiliarium egerit, poſtmodùm etiam abſentis Caroli nomine Hiſpaniam gubernarit, & tùm ex Epiſcopo Derruſenſi & Cardinali, videlicet 9. Januar. præcedentis anni præter ſuam aliorumque omnium exſpectationem in Leonis X. locum ſuffectus ſit, 13. (al. 14.) Septembr. non ſine veneni ſuſpicione ex his terris emigrâvit.

Iohannes Grimoldus, ex I. U. L. & Collegii Decano Epiſcopus Lubecenſis.

Christophorus, ab Utenheym, Epiſcopus *Baſilienſis*. Ep. 20.

Theodorus, à Bülauw, Epiſcopus Lebuſienſis, & primus Cancellarius Acad. Francofordienſis ad Viadrum.

II. Imperator. Reges.

Emanuel, Portugalliæ rex, Joannis III. parens, Caroli V. Imp. Ro. cùm Socer, tùm affinis & Sororius. Nempe binas ſorores & Iſabellam & Mariam, Ferdinandi Catholici Hiſpaniæ regis FF. Caroli V. materteras, atque his defunctis, tertiæ ſororis F. Leonoram, Caroli V. ſororem, pereunte nihil non *Ro.* PP. in uxores habuit.

III. Princip. Comit.

Bogislaus X. cognomento Magnus, Dux Pomeraniæ, qui annos 50. Pomeraniam ſolus gubernavit.

Prosper Columna, Patritius Romanus, Veſpaſiani parens & Mediolani præfectus virtute militari & belli gloria clariſſimus, 30. Xbr. exſpirat, ſimulatque accepto philtro XV. menſes decubuiſſet, ut refert Guicciardinus lib. 15. hiſtor. & ex morbo ante obitum deliraſſet, quod Bellajus ſcribit.

Lucretia Borgia, Alfonſi I. Ducis Ferrarienſis ſecunda conjunx, Herculis II. mater: Alexandri VI. Ro. PP. F. tribus viris antea deſponſata, & Giſmundi *Biſeliorum* principis vidua &c.

Franciscus, à Sickingen, eques Germanus, Caroli V. conſiliarius & militiæ præfectus, Lutheri, Buceri & Oecolampadii præcipuus amicus & fautor, cum priore anno adverſus Archiepiſcopum Trevirenſem inconſideratius arma ſumpſiſſet, à quibuſdam principibus in arce Nandſtal obſidetur, ſub cujus expugnationem decuſſa ex bombardarum ictu trabe læſus, intra biduum miſerè periit 2. Maji.

IV. Litteratiss. Qvioꝫ.

Franciscus Maciola, Ictus Aſtæ.

Ulricus, ab Hutten, nobilis Francus, Poeta & Orator inſignis in inſula lacus Tigurini Ufnouw, dicta 31. (al. 3. al. 20.) Auguſti decedit, æt. 36. Totam hiſtoriam obitus

obitus Hutteni latissime describit Camerarius in vitâ Philippi pag. 92. & 93. Exstant etiam ejus quædam opuscula, quæ magnam ingenii libertatem & acrimoniam ostendunt; inter cætera verò expostulatio ipsius habetur cum Erasmo Roterodamo, cui Erasmus spongiam opposuit: cùm ipsemet certamini occasionem præbuisset Epistolâ ad Marcum Laurinum scriptâ, quæ exstat lib. 23. Ep. 6.

ANNO CHR. 1524.

I. Præsules.

Laurentius Puvius, Presbyter Cardinal. & Episcopus æt. 72.

Henricus Berckmayer, Hamburgensis, Episcopus Raceburgensis, Lubecæ Paralyticus obiit 2. Octob.

Magnus, ex Co. Ascaniense Magdeburgensis præpositus, Alberti F.

Philippus à Burgundia, Episcopus ultrajectinus.

II. Imperator. Reges.

Claudia, Franciæ regum Ludoici XII. F. Francisci I. Valesii uxor & Henrici II. mater, 26. Julii (al. Octobr.) in arce Blæsianâ obiit, relictis quinque liberis.

III. Princip. Comit.

Isabella, Joannis Galeazii Ducis Mediolanensis vidua, Neapoli.

Æmylia, Philippi El. Palatini F. Georgii, Pomeraniæ Ducis conjunx religiosa & prudens.

Ioannes, Marchio Brandeburg. Friderici V. F. gubernator Valentiæ in Hispaniâ.

Claudius, Dux Longouillanus, excelsi animi princeps, quùm ad aggeres esset, quos Rex Galliæ propter Ticinum exstruxerat, ex fossâ egressus est, ut aliquid in mœnibus specularetur: qui simulatque conspectus est, campestri tormento in adversum humerum ex muro ictus ipso in loco obiit.

Wichmannus, Wichmanni F. ex Comitum Lindoviensium & Rupinensium familiâ ultimus, 19. annorum adolescens, Comitatum Joachimo I. El. & Marchioni Brandeburgico jure feudali in hæreditatem reliquit, sepultusque est in Monasterio novi Rupini.

IV. Litteratiss. Quiq;.

Baptista Spagnolus, Carmelita, Poeta & Theol. æt. 80. Mantuæ.

Henricus Zutphaniensis, Prior Augustinianorum Antuerpiæ & Lutheri auditor, cum Evangelium apud Brehmenses per biennium circiter docuisset, ab Officiali Brehmensi interceptus, in Dietmarsiâ propter Lutheranam religionem flammis exustus est XI. [al. 10.] Decembr. Vide Martyrologium Foxi part. 2. lib. 1.

Nicolaus Leonicenus Vicentinus, inter primos & præcipuos purioris elegantiorisque Medicinæ asserrores & Galeni interpretes præclarus eruditione Medicus, qui annis 60. ampliùs Ferrariæ docuit, unde & Erasmo demiranti, cur artem medicandi, quam profitebatur, ipse non exerceret, respondisse fertur, se plus agere docentem omnes Medicos, obiit 8. Junii æt. 96.

Thomas Linacer, Anglus, cultissimus Galeni interpres & Medicus Londini gratiosiss. aliquot ante obitum annis Sacerdotibus quoque annumeratus, tandem herniæ laboribus confectus 20. Octobr. exspirat. æt. 64. Orationem de hujus viri laudibus habuit Michael Barth. Annæbergensis, quæ Lipsiæ excusa est.

Petrus Moiellanus, patriâ Protegensis Trevirorum, utriusque linguæ in Acad. Lipsensi instaurator, cum annos novem publicè docuisset, 19. April. exstatione hujus vitæ evocatus est æt. 31. Monumento, in æde Nicolai, versus incisus est: Μικρὸς ἦν ῥώμην ἀτ◎· : Γνώμην ὁ μέγι◎.

ANNO CHR. 1525.

I. Præsules.

Paulus Zabarella, Episcopus Argolicensis. 23. Julii.

II. Imperatores, Reges.

Isabella, (nobis Elizabetha: aliis quibusdam & Catharina perperàm dicitur) Philippi. regis Castellæ Austriaci F. Caroli V. Imp. Ro. soror; Christierni II. Daniæ regis X. annorum (ei quippe Hafniæ nupsit 1515.) conjunx fidissima, dum regnum, quàm maritum deserere mavult (neque enim è regno

gno 1523. aufugientem ſolummodò comitata fuit, verùm etiam ab omnibus Daniæ ordinibus, obedientiam ipſi tanquam Reginæ deferentibus, in regnum revocatâ redire noluit) Gandavi λιμῷ θανάτου παραγρῷ comprehenſa vinctaque utrumque deſeruit. Bucholzero ſeq. anno.

III. PRINC. COM.

Fridericus III. cognomento ſapiens, El. & Dux Saxoniæ, El'. Erneſti F. & Joannis, ſui ſucceſſoris Fr. ἀγαπήσας τοὺς γάμους, ceterùm Vitebergenſis Academiæ 1502. conditor, & pietatis pacisque ſtudioſiſſ. diuturnis calculi doloribus excruciatus vitâ excedit Lochaviæ 5. Martii (al. Maji) æt. 63. [al. 72. ſed perperam: cùm 17. Januar. 1463. natus ſit.]

Franciſcus, Dux Lotharingus, Renati F. Antonii Fr & Richardus (al. Reinhardus) Dux Sothfolciæ Alboroſanus ex regiâ Angliæ proſapia natus (Bellajus videtur ipſum eundem facere cum Carolo Brandonio, cùm dicat, ipſum Ludoici XII. Galliæ regis viduam duxiſſe] tribus peditum Germanorum millibus quiſque præfecti, ſed duobus magnis Germanorum hoſtium cuneis circumventi, & cum his deinde Galeacius Co. Sanſeverinus ſummus Galliæ armiger, Sanſeverinus alius primus regius œconomus, Marephinus primus Hippocomiæ præfectus Renatus nothus Sabaudus, præfectq prætorio, Mareſchallus Chabannius, Ludovicus Trimollius, æt. 75. Gulielmus Goffierius, Bonivetus. Galliæ Amiralius, cujus præcipuè conſilio rex utebatur, Mareſchallus Foxius, Comes Tonerranus, Caldomontius, Buſſius Amboſius Baro Buzancæus, Bellopratenſis: uti & ex adverſâ parte Marchio Santangelicus, Theodoricus à Cheenberg Archiepiſcopus, Everhardus Stuardus Scotus, Comites Ortenbergicus & Lupfenſis, præter complures alios illuſtri familiâ ortos, 24. Februarii, qui fuit Imp. Carolo V. victori natalis, in bello Ticinenſi interierunt. Neque verò de captis eodem bello regibus duobus, Franciſco Gallo, (qui vulnere priùs in altero crure accepto, equoque cui inſidebat, interfecto, quàm ſeſe dederet, poſteà apud Mantuam Carpentanorum in Hiſpaniâ (ut habet Bucholzerus: ſed Bellajus caſtrum Madrilium ponit) 600. ferè ſclopetariorum cuſtodiæ traditus eſt, eò ex Italiâ per Carolum Lanojum (al. de la Noy. al. Lannoſium) Belgam & proregem Neapolitanum triremibus transvectus.) & Henrico Navarræo (qui per ſummam induſtriam & ſolertiam è manibus Hiſpanorum iterùm erupit) XVI. itidem Principibus ac Comitibus, permultis in præſentiâ plura ſubjecero, cùm ne trucidatorum militum, quorum 8000. fuiſſe conſtat, mentionem ulteriùs facturus ſim Qui interim plura noſſe deſiderat, poterit Jovium lib. 6. de vitâ Ferdinandi Davali legere, ubi 10000. occiſorum numerat.

Ferdinandus Davalus, (al. Avaloſius] Alfonſi F. Marchio Piſcarius, præcipuusque Dux & author memorabilis illius ad Papiam de Gallis partæ victoriæ M. IXbri Mediolani mortuus, æt. 34. (natus eſt enim 1491.) & Neapoli ſepultus.

Carolus Valeſius, Dux Alenconius & Franciſci I. Galliæ regis ſororius Lugduni à pugnâ Papienſi reverſus moritur.

Titel-Friderich/ Comes ab Hohenzollern/ æt. 51. Papiæ.

Anna, Magni Ducis Megapolitani F. Wilhelmi II. Landgravii Haſſiæ vidua, 6. Maji.

Bernhardus, Com. Reinſteinenſis & Blanckenburg. Ulrici F. Ulrici Fr. Erneſti patruus.

Ludoicus, Com. ab Helfenſteyn/ à ſeditioſis ruſticis militari quidem ſed crudeliſſimo ſupplicii genere necatus, & haſtis utrinque projectis eſt confoſſus 6. April. quâ quidem in re, ſcribit porrò Sleidan. li. 4. Co. tantò plus erat ſceleris & inhumanitatis, quòd illius quoque conjugem, Maximiliani Cæſaris filiam notham, cum injuriâ, rejicerent, quæ parvulum infantem ulnis geſtabat, & ad ipſorum projecta pedes, lachrymarum vi maximâ profuſâ, totiusque corporis habitu miſerabili, maritum ſibi, ac filiolo parentem dõnari petebat.

IV. LITTERATISS. QVIQ;.

Ioannes Caſtellanus, Tornavienſis Brabantus, Theol. D. & ex Auguſtiniano Monacho reformatæ, quam vocant, ſeu purioris religionis aſſertor per Epiſcopatum Metenſem acerrimus, ex mediis ardentis rogi flammis ad cœleſtis vitæ præmia evocatur.

Iacobus Ceporinus, cujus exſtat græca Grammatica, æt. 26. Tiguri.

ANNO CHR. 1526.

I. PRÆSULES.

Adolphus, princeps Anhaltinus, Alberti F. Alberti claudi nepos; Epiſcopus Mersburgenſis ſummæ cùm authoritatis, tùm pietatis recolendæ, 13. Martii ex ſtatione hujus vitæ evocatus eſt. Ep. 12.

II. Imp.

II. Imperatores, Reges.

Ludoicus, rex Hungariæ, Vladislai F. Casimiri, Poloniæ regis nepos; Caroli V. Imp. Ro. sororius, paludosis undis (al. in rivulo) prope Mohazam suffocatur, 29. Sextilis, posteaquàm ipse impar hosti & quidem eques Cataphractus præ metu tyrannidis Turcicæ ex acie jam dissipatâ fugam arripuerat, æt. 20. regn. 10. γλυκὺ μὲν πόλεμος ἀπείροισιν, inquit meus Pindarus. Verùm quod cavere potes, stultum est admittere, cùm sæpè in bello parvis momentis magni casus intercedant, planeque ἄδηλα sint τὰ τῶν πολέμων. Quo nomine & ipse Solymannus Turca militiæ duces ad sese in tentoria evocatos, admodùm severè & acriter dicitur objurgasse, quòd regi juveni, cui non tàm ereptum venerit regnum, quam traditum, istud temerario prorsus consilio initum bellum minùs dissuaserint, &c. Tria autem peculiaria in hoc Ludovico fuisse adnotata: cuncta nimis præcocia, scribit Joan. Dubravius in histor. Bohem. prope finem; & vix annum 18. ingressus, canos ostenderit. Quibus insuper præcox ejus nativitas addi potest. Nullâ enim cute vel pelle tectus in lucem editus est, quam tamen posteà, Medicis arte naturam juvantibus, est consequutus. Quin & de eodem rumor est, scribit alius quispiam, patrem Ladislaum cùm nomen indere filio Julii vellet, matrem propter gentis suæ nobilitatem (erat enim Galla, Co. Joannis Ghandalle F.) adversatam fuisse, ita ut Ludovicus potiùs appellaretur. Quæ animadvertentibus ominosa statim visa sunt. Nam & nudum pelle corpus, nudationem & amissionem; nomen fundatoris maximi imperii, diminutionem regni portendere crediderunt.

III. Princ. Com.

Ioannes & Stanislaus, Fratres Ducesque Masoviæ, brevibus intervallis ἐκλελοιπότε ἐκ τοῦ βίου, κακῶν ἰλιάδα.

Guntherus, Comes Mansfeldicus, Ernesti Sen. F. 5. (al. 16.) Julii.

Ioannes, Comes Aldenburgensis, Gerhardi bellicosi F. Antonii parens.

Antonius, Comes Schovvnburgicus, Otthonis III. F. 22 Xbr. ἄπαις.

Stephanus, slico Comes, idemque author argentifodinarum in valle Joachimicâ perquirendarum primus, ex bello Hungarico desideratur, æt. 39.

Anna, Co. Stolbergica; Jacobi, Comitis Lindaviensis vidua Rupini sepulta.

Eberhardus, Co. Stolbergicus & Wernigerodanus, Bothonis F. Koningsteinii ex lapsu periit, æt. 14.

Ioannes Medices, Joannis F. Cosmi, magni Hetruriæ Ducis parens bellicosiss. Mediolanensi obsidione sublatâ, dum auxiliaribus copiis Georgii Fronspergi noviter adductis occurrere statuit, in velitatione quâdam, quæ ad transitum exigui fluminis commissa fuit, 25. Ixbr. sclopetariâ pilâ ad tibiam ictus, tertio pòst die Mantuæ decedit. In Saxon. Chytræi mendum videtur esse typographicum, ubi 1516. obitus annus adducitur.

IV. Literatiss. Quique.

Hieronymus Moronus, Mediolanensis Cancellarius, in cujus demortui locum à Bourbonio constituitur Episcopus Augustodunensis Generalis Huraldi F. Fertur hic Moronus consuluisse quondam Diabolum, deberetne legatus ire in castra Cæsariana: à quo tale acceperit responsum, Ibis redibis non eris captivus. Sed hac ipsum amphibolià ex dubià convenientià ortâ deceptum fuisse eventus ostendit, quando post profectionem in castra Cæsariana, captus & crudeliter habitus fuit: quâ de re aliàs plura.

Ioannes Staupitius, Augustinianæ familiæ per Germaniam vicarius, & Lutheri patronus in Episcopatu Saltzburgensi mortuus, al. priore anno.

ANNO CHR. 1527.

I. Præsules.

Bernhardus Rubeus, Comes Berceti, Episcopus Tarvisinus, æt. 58.

Ioannes Blanckefeld, Berlinensis Marchicus, ex Francofordensi ad Viadrum professore multorum annorum & ICto celebri & in pontificis præcipuorumque Germaniæ principum aulis noto, Revaliensis ac Derbatensis in Livoniâ Episcopus, & dehinc Rigensis Archiepiscopus, cùm ad Carolum V. Imp. in Hispaniam concessurus esset, impetrandæ restitutionis in integrum ergò adversùs magistri ordinis Waltheri Plettenbergii & civitatis Rigensis injurias, in itinere morbo & mœrore animi Polotiæ exstinguitur. Plura vide apud Chytræum libr. XI. Saxon. pag. 277. & 278.

Theodoricus, ab Hardenbergk/ Episcopus Brandeburgensis. Ep. 5.

II. Impp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princip. Comit.

Casimirus, Marchio Brandeburgicus, Friderici V. F. 27. Septembr. qui dies erat natalis, Budæ in Hungariâ ex Dysenteriâ obit, æt. 46. sepultus Heilsbrunnæ. Philippus Melanchthon in lib. de animâ ex aliorum relatu scribit, huic mortuo cor exemptum simile fuisse pyro tosto, quòd tale ex mœstitiâ contraxerit.

Carolus, Gilberti Mompensierii F. ex dotalibus pactis ob ductam conjugem, quæ fuit Caroli VIII. regis Galliæ ex sorore neptis, nomine Susanna, Petri Bellojocensis Domini & Ducis *Borbonii* filia, octavus Dux Bourbonius, & tandem ex Connestablio seu magistro equitum Gallico Caroli V. Imp. Ro. σφαγὴς (de cujus fœdâ transitione leges Comm. Bellajii lib. 2. pag. 55. ad 59. usque) in oppugnatione urbis Romæ, dum ipse primus scalis arreptis ed murum accedit, per dextrum inguen glande ex urbe missâ trajectus 6. Maji ocyùs occumbit, & dein Cajetæ sepultus est; *Atque adeò totum Bourboniorum stemma hac ipsius* ἄτης ruinâ ad Vindocinenses translatum est. Proximus ei tùm aderat, quùm decideret, princeps Aurangius, qui eum pallio injecto contegi jussit, ne milites cognitâ ducis morte animum desponderent. &c. Interim studiosus lector consulet *Sleidan.* lib. 6. Com. Jovium lib. 3. de vitâ Ferdinand. Daval. & *Bellajum* lib. 3. Com. ubi scribit, id genus mortis divina ultione ex plurimorum sententia accidisse, quòd fidem Mediolanensibus datam solvisset. Optaverat enim & à Deo immortali precatus fuerat, si fortè illis ulla deinceps fieret injuria, solùtis nimirum priùs in militum stipendia triginta coronatorum millibus, ut ubi primùm inter hostes versaretur, sive in prælio sive in oppidi oppugnatione, plumbea pila necaretur. &c.

Christophorus, Caroli F. Marchio Badensis & gubernator Lutzelburgii.

Ioannes, Comes Schawnburgensis cognomento der Stiefe/ quòd in quinque præliis victor exstitisset, Otthonis III. F. Jodoci parens, Otthonis V. avus, Adolphi proavus. 30. Martii.

IV. Litteratiss. Quiq;

Iacobus, à Nigris Bononiensis, I. U. D. celeb. & Rotæ auditor, in urbis excidio cùm se ab hoste magno redemisset, paulo pòst peste obiit.

Marcus Antonius, Calanova Romanus, Poeta lepidus & urbanus & obid seculi sui Catullus dictus, Romæ eâdem lue correptus decedit.

Iacobus Hogostratus, Dominicanus, Lutheri ἀντίπαλος non nisi ferrum & ignem spirans, Coloniæ Agrippinæ 17. Maji moritur; de cujus obitu vide Erasmum lib. 19. Epist. 13. Quas verò turbas Reuchlino moverit ob libros Thalmudicos non comburendos, Sleidanus lib. 2. Com. refert: quò lectorem remitto hominis litigiosi ingenium facilè deprehensurum.

ANNO CHR. 1528.

I. Præsules.

Scipio Columna, Marcelli F. Episcopus Reatensis in prælio ad Marsorum confinia trucidatus.

II. Imp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Principes, Comites.

Casimirus, Dux Teschinensis, & totius Silesiæ præfectus.

Alexander, Burggrafius Leisnicensis.

Ezardus I. Comes Frisiæ & per novem annos urbis Groningæ & Butiadarum dominus, Ulrici F. Ennonis parens 14. Februarii.

Ludoicus, Comes Vaudemontius, Antonii Lotharingi & Claudii Guisii DD. Fr. in Neapolitana expeditione peste sublatus (militabat enim regi, spe consequendi regni Neapolitani, quod Andegavensis familia, unde genus & origtnem habent Lotharingi, sibi deberi confirmat) & paulò pòst eadem lue exstinguitur.

Odettus Fóixius, Lautrechus olim Aquitaniæ prorex, nunc Gallici exercitus imperator postridie Idus Augusti de quâ lue ejusque sævitiâ sic scribit Bellajus Co. 3. Extremo Julio anno 1528. pestilentia etiam in castris Neapolitanis acriùs sævire cœpit, ut triginta dierum spatio ex quinque & viginti peditum millibus non supereſſent quatuor millia qui bello essent utiles, neque centum equites ex octingentorum numero-

numero. Illic ipse Lautrecus interiit, Comes Valdomontius, princeps Navarrenus, qui nuper advenerat, Turnonius cum fratre, Claudius Stampæus Fertæ Nabertanæ dominus, Vallensis Delphinas, baro Cramontius, Gruffius, Moriacus, Mondrago rei machinariæ ductor, Croquius, Castaneræus, Candalla, Lùppius, Cornelio, Grutturius, Malnurius baro Buzancæus, major natu Jarnacus, Bonivetus, Comes (Bononiensis,) Hugo Pepolius, baro Contius, Comes Wolfius & innumeri præterea alii illustres viri, &c.

Michael Antonius, Marchio Salutiarum ex antiquâ Impp. Saxonum familiâ, maximi vir animi & ob integritatem & præstantiam singularem omnibus viris militaribus tàm charus quàm quisquam alius; mortuo nempe Lautreco laceri illius ad Neapolim exercitus Gallici curam idcircò susceperat; post acrem & diurnam Aversæ, quò sese receperat, oppugnationem assulâ tormento iginario in genu impactâ vulneratus, genuq; dehinc fracto cùm vulnus ingravescere animadverteret, sese cum oppido &c. in manus Aurangii tradidit reliquorum, scilicet saluti quos secum habebat, consulendum esse judicans: cæterùm arcerâ Neapolim vectus, & ibidem paullò pòst mortuus est. æt. 40.

Pomperantius, vir militari laude clariss. morbo periit Aversæ.

Georgius Fronlbergius, Caroli V. Imp. exercitus Germanici dux πολεμικώτατος & 20. Augusti ex Apoplexiâ interit, æt. 55. (al. 54.)

Patricius Hammiltonius, regis Scotiæ consanguineus, ob confessionem sincerioris doctrinæ Evangelicæ, quam ex publicis disputationibus Marpurgi habitis verissimam esse cognoverat, in urbe S. Andreæ 28. Febr. combustus est. æt. 24. vid. Lud. Rabum lib. 4. de Martyr.

Florentius Egmondanus, Co. Buranus &c. Friderici F. Maximiliani parens: & hujus patruelis.

Ioannes II. Egmondæ Co. Ioannis F. Lamorali parens. 29. April. Mediolani.

IV. LITTERATISS. QVIQ;.

Ludoicus Leo, Medicus Bononiensis. æt. 73.

Franciscus Marianus, Professor Ticinensis in Histriâ moritur.

ANNO CHR. 1529.

I. PRÆSULES.

Georgius, Co. Palatinus Rheni, Philippi El. F. Episcopus Spirensis, hidropyreto seu sudore Anglico dicto 27. Sept. dissolvitur in arce Kißlow.

Franciscus, Dux Brunosvvicensis. Episcopus Mindensis, apud fratrem Henricum in arce, Lycaoniâ extremum vitæ spiritum edidit.

Cardonius, Cardinalis & Archiepiscopus Monreal.

II. IMPERATORES, REGES.

❀ ❀ ❀

III. PRINCIPES, COMITES.

Margarita, Ernesti El. & Ducis Saxoniæ F. Henrici Ducis Lunæburgensis uxor, Torgaviæ.

Ioannes, Ioannis F. Comes Aldenburgensis.

Henricus, Co. Holsatiæ, Schownburgensis & Sternbergensis, Jodoci F. cum Henrico Juniore Duce Brunsvicens. Italiam ingressus, obiit dominicâ Vocem Jucunditatis, sepultus in cœnobio Mollenbeccensi, ut refert Hieronym. Henninges. Sed mihi videtur rectius priore anno collocandus.

Philippus, Barræ dominus, Joannis Egmondæ Com. F. ἄπαις in Italiâ.

Magdalena, Ernesti, Co. Mansfeldici F. Ulrici, Comitis Reinsteinensis prima conjunx; Ernesti mater; Martini postremi, uti & Com. Stolbergensis Wolfgangi Ernesti avia.

IV. LITERATISS. QVIQ;.

Conradus Wimpina, ex Fagis opp. Franconiæ oriundus, ætate suâ magni nominis Theologus, & primus Academiæ Francofordiensis ad Viadrum Rector.

Paulus Æmylius, Veronensis, Galliæ historicus facundiss. 3. Non. Julii.

Petrus Salamanca, Hispanus Pisis, æt. 53.

Adolphus Clarenbach / Lenepensis, olim Scholæ Osnabrugensis Rector, ob confessionem fidei Coloniæ, combustus 28. Sept.

ANNO CHR. 1530.

I. Præsules.

Mercurinus Catinarius Cardinalis & Caroli V. Imp. Cancellarius Oeniponte pridie Pentecostes decessit: in cujus locum successit Nicolaus Granvellanus Vesontinus.

Thomas Vellæus, Cardinalis & Archiepiscopus Eboracensis, perpetuus Pontificis per Angliam legatus, & regni Anglici Cancellarius, cui ad conscendendum hujuscemodi dignitatis summæ fastigium nihil obstitit, quòd patre lanione prognatus fuit: cæterùm ut eunt aulicorum fata, κατὰ τὸ τῦ βασιλέως νεῦμα μαχαίρα, καὶ ὦδαπόδας ἐλεινὸς ἐγένετο: de quo non absurdum fuerit Chytræum audiamus hunc in modum scribentem: Eboracensis, cùm regem puellæ nobili in Gynæceo oculum adjecisse sagaciter animadvertisset, occultè literis & nuntiis Clementem PP. monet, ut divortii judicium extrahat. Henricus, cognito Pontificis de bullâ decretali cremandâ mandato; & clandestinis Eboracensis molitionibus, ex legato, quem Romæ habebat, perspectis; conceptâ indignatione ex summo dignitatis & opum fastigio illum dejectum, Eboraci vivere, (non in carcere scribit Erasmus, sed in quodam ipsius prædio, adhibitis triginta duntaxat seu famulis seu custodibus) ac posteà inde captivum duci Londinum jubet. Ubi in itinere, animi mœrore & supplicii imminentis metu, vel hausto sponte veneno exstinctus est, (al. seq. anno) exemplo illustri confirmans, aulicos regum ministros calculis arithmeticis similes esse, qui pro collocantis principis arbitrio, aliàs centum millia, aliàs vix teruncium valeant. Proferuntur autem in illum querelæ innumeræ, scribit porrò Erasmus, ut vix existimem effugere posse capitis supplicium. Hic est fortunæ ludus, ex ludimagistro subvectus ad regnum. Nam plane regnabat veriùs quàm ipse Rex, metuebatur ab omnibus, amabatur à paucis, ne dicam à nemine. Paucis ante diebus quàm caperetur, curaverat Richardum Pacæum conjiciendum in carcerem, ac minitabatur etiam meo Archiepiscopo Cantuariensi. Ante ruinam exaltatur spiritus, ait Salomon. Archiepiscopus Cantuariensis vocatus, imò revocatus est ad Cancellarii munus, quo non aliud in Angliâ majus: sedis excusavit ætatem, jam imparem tanto negotio. Itaque provincia delegata est Thomæ Moro, magno omnium applausu, nec minore bonorum omnium lætitiâ subvectus, quàm dejectus Cardinalis.

Pompejus Columna, Cardinalis, qui Clementem VII. PP. 1526. exagitavit, Hieronymi F. Octaviani Fr. 28. Junii ex malignâ febri decedit.

II. Impp. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Principes, Comites. &c.

Philibertus Catalaunus, princeps Aurangius; Henrici, Co. Nassoviensis socer & Caroli V. Imp. in bello Florentino ἀξιάστρατος. in conflictu, dum eos, qui Florentiæ obsessis subsidio veniebant, delere conatur, duabus glandibus trajicitur.

Margareta, Maximiliani I. Imp. Ro. F. Caroli V. amita; Joannis, principis futurique regis Hispaniæ, & deinde Philiberti, Sabaudiæ Ducis vidua, Belgii gubernatrix 1. Xbr. Mechliniæ, æt. 51.

Margareta, Henrici, Ducis Munsterbergensis F. Ernesti, principis Anhaltini vidua, æt. 57. sepulta Deslaviæ.

Anna, Conradi Co. à Bickenbach / F. Alberti, Com. Mansfeldensis, & deinde Henrici, Co. Hohensteinensis vidua, in Paschæ feriis mortua.

Maximilianus Sfortia, dux anteà Mediolanensis, Ludovici F. Francisci Fr. Lutetiæ diem suum obiit. Post pugnam enim Marinianensem, quæ in annum 1515. incidit, cum vix ante triennium ope & auxilio Imp. Ro. Maximiliani I. in ducatum Mediol. restitutus fuisset, in arce Mediolanensi, quam id temporis cum quatuor Helvetiorum millibus tenebat, à rege Galliæ Francisco I. obsessus, non solùm hanc, uti & Cremonensem & cæteras, quas occupabat, regi in manus tradere. eidemque jure suo, quod sibi in ducatu vindicabat, planè decedere, verùm etiam in Galliam eâ se conditione propositâ conferre coactus est, ut reliquum vitæ in eâ loco, quem commodissimum judicaret, transigeret, & illi vivo Rex vicissim sexagena ducatorum millia annuâ pensione suppeditaret. Bellajus lib. 1, & 2. Comm. de reb. Gall.

Felix, Comes Werdenburgicus, 11. Julii in Comitiis Augustanis subitaneâ morte exstinctus, alazoniæ suæ & in Deum petulantissimè effusæ blasphemiæ pœnas dedisse scribitur (al. 1536.) Cùm enim fortè audiret nonnullos psalmum 46. vernaculâ linguâ decantantes, cujus initium est, Eine feste Burg ist unser GOtt / temerario prorsus au-

sus ausu & dementatâ malitiâ fascinatus velut alter Hannibal, statim subjecerat homo profligatissimus, se propugnaculum illud seu ἀκρόπολιν demoliturum. Quæ res, quæ spes, ut diris omnibus devovenda, ita ipsum haud dubiè fefellit, quando proximâ nocte in lecto repertus fuit τὼ ἀΐδαο πύλα, καὶ μιῆφι ἀρᾴξαι. Nempe sic humana consilia castigantur, ubi se cœlestibus præferunt: sic etiam divini spreti prænonitus excandescunt, ut scitum illud Val. Maximi epiphonema huc usurpem.

IV. LITTERAT. QUIQ;.

Franciscus Lambertus, Avenionensis Gallus, ex Minoritâ Theologiæ Professor Marpurgi 18. April.

Carolus Ruinus, Regiensis I.C. & olim Patavii, tùm etiam Bononiæ professor.

Iacobus Sanazarius, Neapolitanus, equestris ordinis Poeta, repudiato avito gentilitioque nomine Actius Sincerus appellatus Neapoli, æt. 72.

Ioannes Marius, Catanæus Novariensis, Poeta Romæ.

ANNO CHR. 1531.

I. PRÆSULES.

Richardus à Greiffenklaw/ El. & Archiepiscopus Trevirensis, cujus magna inter electores fuit authoritas propter usum rerum & studium libertatis, M. Martio è vitâ decessit; nec abfuit suspicio, quin propinato veneno perierit, tametsi ex domesticis quidam tormentis ideò subjectus, fortitudine & constantiâ suâ periculum evasit, Sleid. lib. 8. Comm.

Balthasar Merclin / D. Episcopus Hildesiensis & Constantiensis, Caroli V. Imp. per Germaniam Vicecancellarius, Augustæ Trevirorum postridiè Pentecostes mane equum conscensurus Apoplexiâ feritur, quâ statim exstinctus est. Chytr. (al. 1529. at imperitè.)

Ioannes Revellis, Episcopus Viennensis. Ep. 9.

II. IMPP. REGES.

❀ ❀ ❀

III. PRINCIP. COMIT.

Ludoica, (seu Aloisia) Philippi ex Com. Bressano Ducis Sabaudiæ F. Caroli, Ducis Aurelienses vidua, Francisci I. Galliarum regis mater M. Octobri [al. Augusto.)

Georgius, Dux Pomeraniæ, Bogeslai X. F. 9. Maji.

Constantinus Commenus, Macedoniæ princeps. æt. 74.

Gabriel Medices, Bernhardini F. Pii IV. Ro. PP. Fr. in obsidione Leucensi ad lacum Comensem sclopeti ictu perit.

Albertus II. Pius, dynasta Carpensis, qui adversus Erasmum scripsit, imò & Imp. Carolo V. sese opposuit sequutus parteis Clementis VII. Ro. PP. unde ditione pulsus in Galliam concessit; & Lutetiæ Paris. Mens. Januar. mortuus & Monachali habitu, prout moriturus jusserat, sepultus est.

IV. LITERATISS. QVIQ;.

Ulricus Zvvinglius, ex Canonico Constantiense primarius Ecclesiæ Tigurinæ per 12. annos minister, singulari magnitudine animi, secundum patrios ritus in aciem progressus primo conflictu, XI. nimirùm Octobris occubuit, & unà cum ipso Guolphgangus Reiplinus, Abbas Monasterii Capellæ, Conradus Fabri, Commendator Rusnacensis, & præterea XVI. (al. XIV.) alii Ecclesiæ ministri. Desideratorum eo die 500. duntaxat ponit Lutherus in tract. de cœnâ, quanquam non desit, qui 1500. dinumeret. In universum autem [quater namque eodem propè mense cæsi sunt Tigurini à Quinquepagicis) 6000. fuisse referunt Wolfg. Kyriander in lib. de persecut. Eccl. circa finem. Prateol. lib. 10. Cap. 15. & Christ. Wurstis. lib. 8. cap. XI. quâ de re aliàs plura, neque cùm hîc sibi satis constent authores. Natus tum erat Zwinglius annos 44. minor Luthero quatuor annis, quod Sleidanus scribit; licet aliorum sententiâ 48. attigisse videatur: in cujus exanime corpus valdè sævitum fuit, & vix etiam illius morte potuit odii acerbitas exsaturari. Repertum namque in quatuor partes discerptum, flammaque in cineres redactum fuisse Chron. Basiliense refert fol. 602. Ετσιχον tale est:

HeLVetIæ ZIngLI DoCtor, pastorqVe CeLebrIs
VnDenâ OCtobrIs passVs In astra VoLas.

Aliud.

OCCVbVIt patrIo beLLator CIngLIVs enſe,
Et preſſa eſt arMIs gens popVLoſa ſVIs.

Ioannes Oecolampadius,

(germ. Hausſcheyn) Winsbergio Francorum oppido oriundus [al. Heydelbergenſis) ingreſſus Monaſterium ſervatoris [al. *S. Altonis*) juxta Auguſtam Ord. S. Brigidæ 23. April. 1520. Baſilienſis Eccleſiæ inſtaurator 12. Febr. 1529. trium linguarum peritiſſimus & ἰθλόπονος prophetarum interpres, 21. Novembr. (al. Cal. Xbr.) ex morbo periit, quem animi dolor ex Zvinglii interitu perceptus, cum eſſent conjunctiſſimi, haud parùm auxiſſe creditur, æt. 49. [al. 94.) Petrus Michael, Colonienſis Jeſuita lib. de Controverſ. cœnæ ipſum à propriâ conjuge ſtrangulatum fuiſſe memorat, parùm ſanè in hoc pietatis jura reſpexiſſe viſus, dum mortuum multò majore injuriâ onerare pergit.

Ioannes Manardus,

Ferrarienſis, Vladislai regis Hungariæ & poſtmodùm in patriâ Medicus & profeſſ. πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων M. Martio (al. 8. Martii 1536.] articulorum dolore diſtortus è vitâ exceſſit: cujus ſanè doloris προκαταρκτικὴ cauſſa, dummodò vera fuit, à nonnullis perhibetur, quòd ἀμειρότερον ἐλάχυσόσε, ἓ τέκ]ων ὧν σὺκ ἔπραξε ξυλεγικά, quomodo id ex ſeq. diſticho patet:

In foveâ qui te periturum dixit haruſpex,
Non eſt mentitus, conjugis illa fuit.

Marſilius Ficinus,

Philoſoph9 acutiſſ. Florentiæ. æt. 97.

Ioannes Stoſſerus,

Juſtingenſis, Mathematicus excellens Tybingæ 16. Februar. æt. 79.

ANNO CHR. 1532.

I. PRÆSULES.

Ericus,

Dux Brunoſwicenſis de Grubenhagen. Alberti F. Philippi Fr. Epiſcopus Oſnabrugenſis & Monaſterienſis.

Wilhelmus Waramus,

Archiepiſcopus Cantuarienſis in Angliâ: cujus encomia lege ap. Eraſmum in Adagiis Chiliad. 4. cent. 7. adagio 78. & in Epiſtol. lib. 27. Ep. 7. & 17.

II. IMPER. REGES.

III. PRINCIPES, COMITES.

Ioannes,

El. & Dux Saxoniæ, Erneſti El. F. Friderici III. El. Fr. & ſucceſſor. Joannis Friderici El. parens ex Apoplexiâ Suidnitii 15. (al. 13. al. 16.) Auguſti, æt. 63. decedit, ſepultus poſtmodùm Vitebergæ in templo arcis.

Ioannes,

Chriſtierni II. Daniæ regis F. Ratisbonæ in Comitiis æt. 16. adeoq; immaturâ morte Imp. Carolo V. avunculo præripitur.

Henricus,

Dux Brunoſwicenſ. & Lunæburgenſ. Erneſti parens.

Erneſtus,

Co. Mansfeldicus, 22. liberorum, & inter hos Petri Erneſti gubernatoris Lutzelburgenſis parens, M. Majo (al. 1530.) Heldrungæ exſtinguitur.

Iodocus,

Co. Schavvenburgicus, Adolphi avus.

Margarita,

Vaſcon. Aloiſii, Marchionis Saluzziarum conjunx in Galliâ obiit.

Chriſtophorus,

à Schidlovvitz: regni Polonici ſupremus Cancellarius.

IV. LITERAT. QVIQ.

Bilibaldus Pirckhaimerus,

civis Noribergenſis præcipuus & apprimè doctus: Maximiliani I. Imp. Ro. conſiliarius, idemque eximius rerum antiquarum ſcrutator & judex, 11. Januarii, æt. 61. (Bucholzero priore anno) Encomium ejus exſtat in Epiſtol. Eraſmi lib. 26. Ep. 33.

Nicolaus Everhardus,

Middelburgenſis I. Ctus & præſes cùm regii in Hollandia δικασηρίου, tùm etiam ſupremæ illius & provincialis curiæ Mechlinienſis, obiit Mechliniæ, relictis filiis aliquot egregiis paternæ virtutis & doctrinæ æmulatoribus.

Ioannes Harius,

Goricenſis. Canonicus, ob inſtructiſſ. bibliothecam, quam Carolo V. Imp. Teſtamento legavit, Ioannes mit den Büchern vulgò cognominatus, Hagæ in Hollandiæ pago mortuus eſt, ubi tùm

bi tùm ad ſacellani munus fuerat prove-ctus.

ANNO CHR. 1533.

I. Præsules.

Antonius Fabianus, de Monte, Julii III. Ro. PP. patruus; Ro. E Cardinalis & Portuenſis Epiſcopus. æt. 72.

Reinhardus, à Repar/ Epiſcopus Borbetomagenſis. Ep. 30.

II. Imperator. Reges.

Fridericus I. ex Duce Holſato rex Daniæ: regum Chriſtiani I. F. Joannis Fr. Chriſtierni II. patruus, Chriſtiani III. parens, Friderici II. avus &c. [al. ſeq. anno,) cujus à morte memoratu dignum eſt, quod accidiſſe refert Herm. Bonnus lib. 3. Chron. Lubecenſ. Corpus nempe cùm balſamo unctum, ac cereis linteis involutum, picatoque ſarcophago incluſum eſſet, nihilo tamen minùs ſanguinem fudiſſe adeò, ut eum vaſis excipere neceſſum fuerit; Quæ utique res ut naturæ modum exceſſit, vel ipſo Fincelio teſte ita etiam ſubſequutas calamitates ac cædes haud dubie prænunciavit.

Hiſmael Sophi, cognomento Magnus, rex Perſarum.

III. Princip. Comit.

Magdalena, Georgii, Ducis Saxoniæ F. Joachimi II. El. Brandeburgici prima conjunx puerpera unà cum F. paullo exſtinguitur 28. Xbr.

Magdalena, Henrici (al. Ulrici] Ducis Megapolitani F. Wartislavi X. Ducis Pomeraniæ, uti & Burchardi, Co. Barbejenſis vidua, atque ex hoc poſtremo X. filiorum atque trium gnatarum mater; Magdeburgi in Paſchæ feriis (al. ſeq. anno) obiit.

Ludoicus, Co. Palat. Rheni, Alexandri F. Ludoici nepos, Ruperti Fr. Wolfgangi parens, adeoque propagator principum Palatinorum Neoburgicorum, & Marte togaque inſignis princeps.

Ioannes Franciſcus, Picus Mirandulanus & Concordiæ Comes litteratiſſ. Galeotti F. Galeotti patruus, à quo XL. armatis militibus ſtipato, ac per dolum noctu arcem ejus ingreſſo, cùm ad Chriſti crucifixi imaginem provolutus, nihil niſi divinum auxilium imploraret, crudeliſſimè trucidatus eſt unà cum F. Alberto: de quo plura ap. Leandrum leges.

IV. Litteratiss. Quiq;.

Franciſchinus Curtius, Papienſis I. C tus 10. Junii.

Ludoicus Areoſtus, patritiꝰ Ferrarienſis: Poeta ſuaviſſ. cum diu pectoris anguſtiâ ex pituitæ ſtillicidio laboraſſet, æt. 59. (al. 63.) Ferrariæ ex hac vitâ migrat.

ANNO CHR. 1534.

I. Præsules.

Clemens VII. Ro. PP. anteà Julius Medicus nominatus, Juliani ex connubinâ poſthumus IX. April. (al. 25. al. 26. Septembr.) veneno necatus ſcribitur à Medico Curtio, æt. 56. Pontif. XI. Inaudito veneficio, ſcribit alius quiſpiam, nempe funalis fumo, cum aliquot Cardinalibus & amicis familiaribus in acerbæ necis retia incidit.

Wilhelmus Enckevvortius Brabantinus, Presbyter Cardinalis. æt. 70.

Thomas Cajetanus, Cardin. 9. Septembr. (al. 10. Auguſti.) æt. 66.

Alanus, Dublienſis Archiepiſcopus in tumultu ab Hibernicis trucidatur.

Americus Cibatherus, Epiſcopus Varadinus in Hungariâ & Tranſſylvaniæ ſatrapa, dolo cujusdam Capitanei Pannonici illaqueatus capite diminuitur.

II. Imper. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Principes, Comites.

Alfonſus I. Dux Ferrariæ, Herculis I. F. Herculis II. parens pridiè Cal. Novembr. ex febre obiit, æt. 59. gubernat. 29. ſepultus in Cœnobio virg. corporis Chriſti.

Barbara, Caſimiri, Poloniæ regis F. Georgii, Saxoniæ Ducis conjux; Philippi Landgravii Haſſiæ ſocrus.

Anaſtaſia, Alberti, Marchionis Brandeb. F. Wilhelmi IV. principis Hennebergenſis uxor. Aloi-

Aloisius, seu Ludoicus, Andreæ Gritti, Venetorum Ducis nothus F. à conjuratis præcilo collo, temeritatis suæ pœnas luit.

Ioannes Georgius, Marchio Montisferrati, Bonifacii VI. F.

Nicolaus, Co. Tecklenburgicus Otthonis F. Conradi ultimi Fr. militans Christophoro Altenburgico Com. pro restitutione Christiani II. Daniæ regis captivi, periit in pugnâ commissâ in Fioniâ auff den Odysenfurt / (al. Odysenbring.) in qua eâdem.

Ioannes, Co. Hojensis, Jodoci F. Jodoci F. à nobili Detlevo de Ratenou interfectus est, cùm esset deditirius, XI. Junii.

IV. Literatiss. Qvinq;.

Ioannes Aventinus Bavarq probatiss. scriptor & historiæ antiquioris indagator accuratiss. Ratisbonæ 9. Jan.

Ottho Brunfelsius, Moguntinus Theol. & Med. Bernæ 23 Nov.

Ioannes Velcurio, Physices professor Vitebergæ 6. Febr.

ANNO CHR. 1535.

I. Præsules.

Ioannes Fischerius, Cardinalis & Episcopus Roffensis capite plectitur in Angliâ 21. (al. 22.) Junii, regis Henrici VIII. jussu, siquidem unà cum Moro, ut refert Nicol. Sanderus Comm. de visibili Monarchiá Eccl. Catharinæ reginæ repudium authoritate suâ approbare recusaverat, regique supremi capitis authoritatem in Ecclesiâ assumenti assentiri nollet, &c. Περὶ δ' ἐλεγχῷ ἐμφανὴς τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ inquit τῶν πάλαι σοφῶν τις.

Henricus Bocholtus, Episcopus Lubecensis, præpositus Hamburgensis, Hamburgæ die lunæ post Judica.

Detlevvs Revendous, Holsatus, *I. U. D.* Friderici, regis Daniæ Cancellarius, & tandem Lubecensis Episcopus, Sleswici.

Christophorus, Marschalck von Rappechen / Episcopus Aisletensis.

II. Imperatores, Reges.

Catharina, Magni, Ducis Saxoniæ Laoburgensis F. Gustavi, Sueciæ regis conjunx: Erici XIV. regis mater.

III. Principes, Comites.

Ioachimus, I. El. & Marchio Brandeburgicus, Joannis El. F. Joachimi II. El. parens Joannis Georgii El. avus. XI. Iulii (al. seq. anno.] æt. 51. regim. 36. Berlini; & ipsius patruus.

Fridericus, Marchio Brandeburgicus, Alberti F. Onolzbachii in Franconiâ 2. Maji. (al. seq. anno.] æt. 76. reg. 50.

Beatrix, Christophori Marchionis Badensis F. Ioannis II. Com. Palatini Spanheimensis conjunx; Friderici III. El. Pal. mater. 14. Apr.

Franciscus Sfortia II. Dux Mediolanensis ultimus, Ludoici F. Francisci nepos, Christierni II. Daniæ regis gener, sed nullâ post se relictâ sobole masculâ, 24. Octobr. vitâ excessit, cum vix ante sex annos, nempe 1529. ducatum Mediolanensem, intercedente Clemente VII. PP. recuperasset ab Imp. Carolo V. soluturus ei hoc nomine IX. tonnas auri, ut refert Sleidan. lib. 6. Comm.

Basilius, Dux Moscoviæ magnus.

Robertus, Dux Bullionis, Marcæ & Arenbergi Comes, qui Carolo V. Imp. Ro. 1521. bellum indixit (al. seq. anno)

Catharina; Ernesti Co. Mansfeldensis F. Philippi, Ducis Brunoswicensis in Grubenhagen senioris conjux, Osterodæ sepulta.

Hermannus, Comes Hennebergensis.

Habraymus Bassa, patre quidem pecorario Ragusino natus, summaque Solymmanni Imp. Turcici gratiâ potitus cærerùm conceptæ perfidiæ reus factus, in cubiculo per Eunuchum carnificis munus obire solitum, in pulvino dormitans, culrro adunco, quem de manu Imperator viventi aliàs nunquàm nociturus tradiderat, jugulatus est.

Margareta, Co. Schonbergica, Philippi, Co. Gleichensis conjunx, Georgii mater.

Budæi Thanatolæ. Tab. 22 a.

IOHANNES LINTHOLTZ
MUNCHEBERGEN=SIS MARCHICUS
U.I.D.PRIMUS IN ACA=DEMIA FRANCOFUR=
TANA PHILOSOPHIÆ. DECANUS DECRETORUM
PROF.PUBL.ET ANTISTES PRIMARIUS PHILOSO=
PHUS ACUTISSIMUS. FLORUIT 1502 OBIIT 1535.

IV. Litteratiss. Quiq;

Ioannes Lindholtz, de Monchberg oppido Marchiæ oriundus, primus artium Decanus in Acad. Francoford. ad Viadrum, dein I. V. D. & tandem Parochus Francoford.

Thomas Morus, Anglus ex Londinense cive & Vicecomite, regii scrinii magister seu Cancellarius summâ cum fide, tùm integritate: nec ex hoc solùm munere præclarè gesto, verùm etiam ex ingenii monumentis posteritati relictis sempiternam laudem consequutus, id quod vel sola ipsius Utopia ad Platonicæ Reipubl. imitationem composita testabitur, postquàm 1532. ob gravissimas caussas sponte suâ se magistratu abdicaverat, jubente demùm sic Henrico rege ejus nominis octavo decollatur 2. Julii Londini: de quo lege Erasmi Ep. lib. 27. Ep. 8. 9. 10. 26. Exitium sibi præsagiens hoc distichon fecisse fertur.

Infremit incertâ crebra indignatio caussâ,
Et subitò mors est, qui modò ludus erat.

Ad supplicium verò productus sic amicum collachrymantem ob fortunæ vitæque fragilitatem, alloquutus est;

Vita quid est hominis? nisi luctus; plena malorum est,
Dicatur nitido pulchra colore licet.

Ulricus Zasius, Constantiensis, vir in disciplinâ juris & cognoscendis interpretandisque legibus scientiâ illustri, Friburgi Brisgoiæ 8. Cal. Decemb. æt. 74.

Philippus Decius, sive de Dexio Mediolanensis ICtus celebri famâ notissimus, Lancellotti Fr. Jasonis auditor, posteaquam professionem juris utriusque ad 65. annos diversis in locis sustinuisset, (Doctoratus autem insignia anno ætatis 22. accepit & inter alia postmodùm edito scripto Cardinalium caussam adversus Julium II. Ro. PP. defendit) Florentiæ, ubi stipendium mille quingentorum aureorum in auro pro lectura consequutus fuerat, 12. Octobris obiit; & Pisas mortuus ad monumentum, quod sibi vivus ad solatium utriusque fortunæ exstruxerat translatus est.

Guilielmus Tyndale, Lovanii combustus.

Euritius Cordus, Simeshusius Hessus, Valerii parens Poeta & Medicus insignis, Erphordiæ per 8. annos, & deinde Marpurgi aliquandiu Medicinam professus, Brehmæ decedit ex phthisi. 28. Decembr.

Hermannus Buschius Westphalus nobili genere natus, Marpurgensis olim aliarumque Academ. professor, ἵνα μὴ σοὶ ὀφθαλμὸς κεφαλὴ simulatque se Anabaptistis strenuè opposuisset, Dulmariæ in VVestphalia vitâ excessit. (al. 1533.)

ANNO CHR. 1536.

I. Præsules.

Hippolytus Medices, Florentinus, Juliani magnifici F. Cardinalis & Ro. PP. in Hungariâ legatus, febre pestilentiali absumptus.

Fridericus, Friderici F. Marchio Brandeburgicus, Herbipolitanus præpositus & Moguntinus Canonicus; Genevæ obiit, æt. 40.

Sigismundus Papacoda, Francisci F. ICtus & Tropiensium Episcopus, æt. 80.

II. Impp. Reges.

Catharina, (Funccio Maria, sed perperàm.] Ferdinandi regis Arragoniæ Catholici F. Caroli V. Imp. Ro. matertera, Henrici VIII. Angliæ regis ante triennium repudiata conjunx, non sine veneni suspicione moritur M. Januar. Quamvis enim per 20. annos φιλοτιμαδὸν susceptaque etiam prole Mariâ, in matrimonio ambo vixissent, non tamen aliâ de caussâ aliove potiùs sub prætextu illud diremptum fuit, nisi incestus vitandi gratiâ, cùm antea Arthuro principi Henrici Fr. 18. Cal. Decembr. 1500. eoque, quinto post mense exstincto, rursus leviro Henrico 1502. scilicet præter jus fasque ex Ro. PP. authoritate abrogatâ prioris conjugii relligione, nupsisset. Obitum autem ejus in præcedentem annum incidisse L. Surius imperitè asserit.

Anna Bolenia, Thomæ [Bulleyne] equitis Angli (al. Vicecomitis Richefordiæ] F. Henrici VIII. Angliæ regis ex gynæceo producta altera conjux, decernente nimirùm sic Clemente VII. Ro. PP. cùm vix ante biennium, nempe 29. Maji 1534. coronam accepisset regiam, incestus atque adulterii primò cum fratre Georgio, dein cum equitibus Norresio, Vestemio & Breertono, uti & Marco quodam Musico commissi, ab ancillâ, quam cum amatore suo collu-

colludentem severiùs castigaverat, insimulata & ob id capitis condemnata, vel ipso pátre ferente suffragium, in vestibulo turris Londinianæ, pedissequas circa se plorantes servandi pudoris odmonuit, recollectaque subter reticulum comâ, lacteam cervicem, quæ regi Henrico tantoperè placuerat, carnifici latum stringenti gladium intrepida porrexit, ut refert Jovius lib. 35. Historiar. cùm tamen idem in Britannia sua testetur reginam vel objecta negantem, adulterii crimine damnatam fuisse, 18. Maji al. Mens. Junio.

III. Principes, Comites. &c.

Franciscus Delphinus,

Francisci I. Galliarum regis F. dum instructum exercitum in Carolum V. Imp. ducit, propinato apud Avenionem veneno proditoriè sublatus 10. Augusti æt. 19. [al. 18.) à Sebastiano Comite Moncucullano Italo, quem 7. Octobr. ob hoc perpetratum facinus Lugduni præpotentium quatuor equorum in contrarias partes horam propè distrahentium nisus discerpere dilacerareque non potuit, nedum sua compage dissolvere, nisi cùm districti gladii in articulorum nodos infixi adactique sunt, quod Jo. Fernelius lib. 1. Physiolog. cap. 4. scriptum reliquit. Cæterùm Bellajus Langæus lib. 7. Comm. ipsum Delphinum ait Turnone ægrotantem restitisse, quùm patrem Valentiam navigantem comitaretur, & illic quarto postquam decubuerat die mortem obiisse: Neque abest suspicio (subjicit idem) imò valdè verisimilis subest opinio, cum veneno sublatum fuisse. Video tamen non deesse alios, qui ipsum Franciscum ex pilæ lusu æstuantem avidiùs justo frigidam hausisse, atque dehinc causo seu viscerum inflammatione correptum ocyus concidisse affirmant. Proinde non abs re fuerit, ex Jovio nonnulla hoc in loco subjungamus, qui sic scribit lib. 35. histor. Franciscus rex Galliæ 1536. Franciscum Delphinum hæredem regni & nominis destinatum, repentino oppressum morbo amisit. Nec defuere; qui suspicarentur eum veneno fuisse sublatum: cujus nefarii criminis repentè reus factus quidam Sebastianus Montecuculus pœnas dedit, cùm ab equis in compita in diversa currentibus discerperetur. Nonnulli præcipiti judicio eum damnatum ferebant tanquam insontem, qui dolore victus inter immania tormenta ut calamitati suæ finem imponeret, se reum miser fecisset, & authores tanti facinoris Antonium Levam & Ferdinandum Gonzagam Cæsarianos duces nominasset: Qui obruti tantæ infamiæ nomine (nam & rex datis posteà literis ad Germaniæ principes, quod Sleid. lib. 10. commemorat, inter alia gravem eâ de re querimoniam habuit, in hos duos Cæsaris ministros omnem invidiam facti conferens) calumniam à perdito impudentissimoque homine temere impositam anxiè diluere contendebant, cùm nonnulli Delphinum exnimiâ jactatione ludo parvæ pilæ æstuantem, sudoreque madentem, frigidam intemperanter hausisse prædicarent. nullis præsertim apparentibus veneni indiciis, quando præcordia visceraque eo immodico rigore correpta. exstincto penitùs innato calore mortem accersierint. Hæc quidem Jovius. Sed & ipse quin etiam Cæsar cùm hominem haberet integritate superiorem, voculas tamen malevolorum non potuit non incurrere, quasi tam nefarii sceleris veneficiique author exstitisset. Proinde lubet ex Guill. Bellaji Langæi Comment. nonnulla excerpere, ubi circa finem lib. 6. non tàm ab injuriâ Cæsarem vindicare, quàm in suspicionem denuo adducere videtur. Alii (scribit) postquam Comitis Sebastiani de Montecuculo confessionem rescivissent, suspicari cœperunt id demùm esse, quod clàm molitus fuerat, (Cæsar) in quo tantam spem collocaret, tanquam regis & liberorum proximam mortem speraret, quibus sublatis facilè se totam Galliam pervadere posse confidebat. Sed hujusmodi spes cum tàm immani scelere conjuncta est, ut animum meum subire non possit, tantum principem facinorosâ istâ & turpissimâ proditione uti voluisse. Qui tamen in ea sunt sententia, suspicionis suæ materiem nacti ex eo videntur, quòd Sebastianus confessus est Cæsarem ex se quæsiviisse, num sciret, quam rationem in cibo & potu Rex sequeretur. Præterea quùm Ferrandus Gonzaga istum Sebastianum Cæsari sisteret, quem paratum esse ad ea perficienda affirmabat, quæ sibi & Antonio Levæ, atque adeò ipsi Cæsari se facturum receperat, Cæsarem, si eorum mentem de urbe tantùm aliqua aut arce per proditionem occupandâ esse putasset (quod afferunt, qui tanto furori & sceleris atrocitati locum in Cæsaris animo fuisse non audent pronuntiare) caussam nullam habuisse, cur de Regii victus ratione quicquam ab eo sciscitaretur. Hanc etiam suspicionem in nonnullis auxit, quòd Loppius Soria Cæsaris apud Venetos Orator quo tempore ista acciderunt, percontabatur quisnam Rege cum liberis mortuo esset, ad quem regnum rediret, ut Cæsari cum eo bellum esset gerendum. Id verò quæri omninò absurdum esset & alienum, nisi quadam suspicione moveretur, quâ regem brevi cum liberis moriturum esse appareret. In summa, quisquis tandem hujus teterrimi veneficii author fuerit, (me quidem clam est, Deus novit, neque quenquam immeritò velim insimulare.) Cæsar in certissimam secundi eventus spem efferri cœpit, quâ fretus in provinciam exercitum ducere statuit: quod etiam statim aggressus est. &c.

Ioannes,

Dux Albaniæ, Eques torquatus & turmæ equestris præfectus, Eorbonii, Arverniæ, Forestæ & Bellijoci prætor; cui

tor; cui in prætura successit Ioannes Britannus, dux Stampensis, & una

Ludovicus Aurelius, dux Longovillanus, Comes Dunensis, Eques Torquatus, Joannis Aurelii, Marchionis Rotelini Fr. bello Pedemontano absumpti.

Bernhardus, Christophori F. Marchio Badensis & gubernator Lutzelburgicus.

Carolus, dux Munsterbergensis, Silesiæ & Bohemiæ præses. æt. 60.

Philippus Bolinvilerius, Comes Dammartinus fortitudine militari clarissimus, turris ruinâ opprimitur Peronæ in Veromanduis.

Simon, Comes Lippiensis, Bernhardi F. Bernhardi parens, Simonis avus [al. seq. anno] obiit, sepultusque est Blombergæ juxta patrem.

Henricus, Co. Nassoviensis, Joannis F. Wilhelmi Fr. Caroli V. Imp. Ro. cubicularius.

Antonius Læva, Caroli V. Imp. στρατηγὸς, rei bellicæ gloriâ maximè strenuus, dum Imperator Galliam Narbonensem vastat & diripit, una cum Marco Bustino, Comite Hornio, Baptistâ Castaldo aliisque maximè honoratis viris. & præter hos viginti hominum millia in exercitu Cæsariano ad Aquas Sextias desiderantur.

IV. LITERAT. QVIQ;.

Desiderius Erasmus Roterodamus Belga; Theol. D. absolutissimi ingenii, & politioris litteraturæ vindex constantissimus IV. Idibus Jul. jam septuagenarius (natus est enim 28. Octobr. 1466. al. priore al. seq.) & quidem cœlebs, postquam integrum pænè mensem dysenteriâ laborasset, in fata concessit Basileæ, ubi & in primariâ æde sacrâ juxta aram sepulto erectum est ad latus monumentum marmoreum. Moriturus sæpè hanc vocem ingeminasse scribitur, Domine fac finem, fac finẽ qua quid voluerit, etiam literatus quidam scriptor ignorat. Exstat verò in ejus obitum funebris oratio Guilhelmi Insulani Aquensis: & Joannis Heroldi Acropolitæ Germani Philopseudes seu Declamatio pro Des. Erasmo Roterod. contra Dialogum famosum anonymi cujusdam Medici, in quâ omnem vitam Erasmi absolutissimè descripsit, nec non Friderici Nauseæ Theol. & I. C. Monodia in Des. Erasmum una cum Erasmi lucubrationum omnium Catalogo, atque ejus vitâ & morte, quò & lectorem in præsens remitto. Symboli denique sui, quod fuit, Terminus, Concedo nulli; rationem & sensum in Epistolâ quadam ipse Erasmus expressit: quamquam ne sic quidem Theoninos dentes effugere potuit, quin ipsius ἀκαταστασία καὶ ποικιλότης in relligionis negotio multâ vafritie tecta, olim hoc versu notaretur: Bis pica, bis corvus, bis fune ligatus Erasmus: quam ignominiam nec ipse ignoravit, quando in Colloq. Dialogo, Adolescens & Scortum, profitetur, se à quibusdam plus quàm sesqui hæreticum appellari, unicus alioqui & incomparabilis literarum antistes, & immortáli laude dignissimus senex.

Ottho Paccius, seu à Pack/ Juris Doctor nobili genere natus, & Georgii Saxoniæ Ducis olim Cancellarius, cum superioribus annis nempe 1528. Philippum, Hassiæ Landgravium admonitione suâ exhibitoque commentitiis cujusdam fœderis exemplo, quod ipsius, Electoris Saxoniæ, opprimendæque caussâ religionis Vratislaviæ initum dicebatur, ad arma non solùm adversus socerum Georgium Saxonem, sed & aliquot vicinos Episcopos reliquosque fœderis socios sumenda instigasset; nec tamen archetypum, quémadmodum pollicitus fuerat, proferre aliisve idoneis argumentis indicium à se factum probare posset; ideò quippe sistebatur missis in Hassiam legatis principum, ad quos ea criminatio pertinebat, urgente imprimis Georgio Saxone; tum falli tantoperè convictus, & à Landgravio demùm dimissus, annis aliquot apud exteros oberravit, donec Coloniæ [Sleidano Antwerpiæ] hoc anno capitis supplicio affectus, & truncus in quatuor partes dissectus fuit: Qua quidem de re utpote dudum controversa si quis plura nosse volet, poterit Sleidan. lib. 6. Comm. & Chytræum præcipuè lib. 12. Saxon. Chron. consulere, & unâ secum incerta casuum reputando firmiter ex Platone concludere, quòd ἡδὺ μὲν ἐστι ἐν τῷ βίῳ. [addo καὶ ἀσφαλέστατον.] τὸ τὰ αὐτὸς πράττειν· κρεῖττον γοῦν ἡ πρέπεια τῆς μεταμελείας κατὰ τὸ παλαιὸν εἰρημένον, πλὴν δηλαδὴ καὶ τῆς πανωρίας Inconsideratissima namque & dementissima plane fuerit temeritas, sibi malum ultro accersere, & in sui ipsius perniciem aliquid comminisci velle, cujus nulla inprimis urget necessitas: cùm aliàs periculosa satis sit potentum offensio, nec tàm facilè eorum animi odio exsatientur, quàm stimulis invidiæ exacerbari solent.

ANNO CHR. 1537.

I. PRÆSULES.

II. Imperatores, Reges.

Iana, seu Ioanna Semeria: Edoardi; Ducis Sommerseti & Amiralii utriusque decollati soror; Henrici VIII. Angliæ regis tertia conjux, ut cui altero statim die ab Annæ Boleniæ supplicio nupserat, sed nunc XI. Octob. Edouardum VI. ad Vindesorium castrum enixa duodecimo pòst die decedit. Bucholzerus tamen Edoardum παρεφθιμενον 12. Octobr. Londini in lucem prodiisse memorat: unde consentaneum foret, ipsam matrem partui vicinam doloribusque superatam, aliisque de causis alibi prius interiisse: cui tamen sententiæ Chytræus reclamare videtur.

Magdalena, Francisci I. Galliæ regis F. Henrici II. soror, cùm vix Calendis Januarii ejusdem anni Jacobo V. Scotorum regi Lutetiæ in matrimonium elocata fuisset, & ad initium Maji cum marito in Scotiam concessisset, circa solstitium æstivum tabe consumpta vitam ibi finiit (al. priore anno.)

III. Princip. Comit.

Ioannes, Dux Saxoniæ. Georgii F. XI. Ian. æt. 39, Dresdæ.

Wolfgangus, Com. & princeps Hennebergensis, Wilhelmi VII. F. ad Cherascam, Pedemontanæ regionis oppidum globi ictu interimitur 8. Septembr. æt. 31.

Carolus, Dux Vindocinus excelsi animi princeps de Gallica Rep. optimè meritus, Antonii Bourbonii, primi ex ea familia regis Navarræi parens, dum Galliæ Rex exercitum Hedinum ducit, ardenti febre moritur Ambiani M. Martio.

Sophia, Friderici V. Marchionis Brandeburgici F. Friderici II. Ducis Lignicensis uxor. 16. Maji.

Franciscus, Marchio Saluzziarum, Aloysii F. Michaelis Fr. in oppugnatione urbis Carmaniolæ globo trajectus statim occumbit: De cujus fœda ad Cæsarem transitione & impia in fratrem Ioannem Ludovicum è carcere protractum & Marchionatu Salussio Valentiæ denuò à Rege donatum admissa fraude, leges Bellaji Com. lib. 6. & 8. Miles qui ipsius corpus ex fenestrá supra portam glande trajecerat, deditione urbis Carmaniolæ facta, Marchionis Vastii jussu comprehensus, & ex eadem suspensus fuit.

Alexander Medices, Laurentii Medicis, Ducis Urbinatis nothus F. si Sleidano aliisque credimus: nam Chytræus ipsum modo hujus, ut lib. 15. Sax. modo Clementis VII. Ro. PP. ut lib. 10. Sax. filium facit; Dux Florentinus à Carolo V. Imp. Ro. 1531. creatus. cujus & gener ob ductam 1536. Neapoli notham F. Margaritam. postmodum Belgii gubernatricem factus est: Cæterùm ut erat homo incontinentissimæ libidinis, cùm ab agnato suo Laurentio Medices sibi verba dari, adeoque frustraneá se τῆς μοιχοπιπίης spe cum honestá nobilique matroná, quam ob eximiam pulchritudinem satis jam diu deperibat, proximá nocte habendæ perpulchrè pássus fuisset irretiri, non solùm in ædes agnati abductus & in lectum compositus, verùm etiam ne morabilem in nares homini conciret, uti est alioquin omnis moræ impatiens amor, ab eodem agnato suo ope famuli multis vulneribus, quæ erant amasiæ loco, confossus ante palæstræ ingressum ocyùs occumbit, & sic miles ille venereus omnium infelicissimus, ipsa tandem morte vagis fœdisque libidinibus suis modum statuit æt. 26. Rectè autem Tibullus, Persequitur pœnis tristia facta Venus, quæ idcircò δόλιος & πολύκτονος ab Euripide appellatur, Δαναΐδαις ἄγγελα θάνατον πεμπάσαις τε, idque perquàm appositè.

IV. Literatiss. Quiq;

Galeatius Capella, historicus Mediolanensis equo lapsus obiit 11. August. æt. 51.

ANNO CHR. 1538.

I. Præsules.

Eberhardus, de Marca, Cardinalis & Episcopus Leodiensis, Roberti Ducis Bullionensis Fr. summæ authoritatis & gratiæ apud Carolum V. Imp. Vid. Sleidan. lib. 12. Comm. de hujus Episcopi χενοδοξίᾳ.

Ioannes, Comes Lupfensis, E. piscopus Constantiensis.

Ioannes à Schleinitz, Misnensis Episcopus.

II. Impp. Reges.

Isabella, Emanuelis Portugalliæ regis F. Caroli V. Imp. Ro. fidiss. pariter atque festiviss. conjunx 1. Maji in partu exstinguitur. æt. 40. conjugii 13. [al. 16. quod falsum est, cum non nisi 10. Januar. 1526. marito nupserit Hispali.] Laur. Surius & Annales

Annales Hiſpaniæ obitum huic anno attribuunt: Alii contrà ſequenti, inter quos & Fincelius eſt, qui tum temporis Cometam in ſigno Tauri per integras tres hebdomadas apparuiſſe refert.

III. Princip. Comiti.

Carolus, Egmondanus, Adolphi F. Dux Geldriæ poſtremus, & Gallicarum partium per omnem vitam ſtudioſiſſ. 25. Junii è vivis diſcedit æt. 70, nullis ex uxore relictis liberis, nothis verò utriusque ſexus quàm plurimis. Is è Francia, ubi captivus erat, A. C. 1492. à Geldris evocatus ſummaque gratulatione exceptus, poſſeſſionem Geldriæ adeptus eſt, eamque ad vitæ finem perpetuus ferè Burgundici domus hoſtis, conſervavit. Sed cum poſtremò Geldriam & Zutphaniam regiones, in quas aliqui ſolus Imp. Carolus V. actionis jure poſtremique fœderis legibus ſuccedebat, ad Gallos transferre fruſtra tentaſſet, non ſolùm totis propè finibus ſuperiore anno 1537. à tumultuante paſſim populo ejectus fuit, ſed etiam inveterati cujusdam odii erga Burgundos eorumque hæredes causá, ante mortem cùm jam ægrè decumberet, Gulielmum, Joannis Cliviæ Ducis F. & propinquum ſuum, hæredem inſtituit & introduci curavit: quæ res deinde novis ſeditionibus & bellis originem præbuit. Chytræus, & Jo. Matalius Metellus Sequanus.

Hugo, Georgii F. Otthonis nepos, Burggrafius Leiſnicenſis ultimus, æt. 80.

Botho, Comes Stolbergenſis & Wernigerodanus prudentiſſ. Henrici F. præſentium Comitum avus, qui 1493. Hieroſolymam ex voto abiit alteroque reverſus eſt anno, hoc ipſo clauſulam vitæ impoſuit. æt. 71. (al. 75. at perperàm. Dn. Neander 68. duntaxat ponit in Geograph.) Et ipſius per 38. annos lectiſſ. conjunx.

Anna, Eberhardi, Comitis Konigſteinenſis ultimi F. 7. Auguſti æt. 56.

Henricus, Comes Schwartzburgicus, Guntheri Magni F.

Henricus, Montacuti regulus & Exceſtriæ Marchio, Edoardi IV. Angliæ regis ex filia nepos, &

Edouardus Nevillius eques illuſtris in Angliâ capite damnati.

Montijanus, apud Pedemontanos prorex, cùm vix ante annum in Mommorencii, Conneſtablii Gallici creati locum & ipſe Mareſchallus à Rege deſignatus fuiſſet, graviſſimo morbo oppreſſus moritur. Succeſſorem habuit Mareſchallum Annobaldum in adminiſtratione Pedemontanæ regionis.

IV. Litteratiss. Qviq;

Ioannes Mezelerus, I. u. D. & Cos. Vratislaviæ græcè latinéque doctiſſimus. 2. Octob.

ANNO CHR. 1539.

I. Præsules.

Bernhardinus Cleſius, Cardinalis Presbyter 1529. & Epiſcopus Tridentinus: Adminiſtrator Brixienſis & Ferdinandi Bohemiæ regis ſupremus Cancellarius, gravibus ſanè ac religioſis moribus illuſtris 28. Julii æt. 54. vitæ peregit fabulam.

II. Imper. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Principes, Comites,

Fridericus, Dux Saxoniæ, γαμος 26. Februar. animam efflavit, quem &

Georgius parens, Alberti F. Lutheranorum hoſtis infenſiſſimus 17. (al. 24.) April. Iliacà ſubſequutus eſt. æt. 69.

Ioannes III. cognomento pacifico, Wilhelmi F. Dux Juliaci, Cliviæ & Bergæ M. Jan.

Philippus, Marchio Badenſis, Chriſtophori F. Bernhardi & Erneſti Fr.

Urſula, princeps Munſterbergenſis & Biberſteinenſ. 24. Feb.

Petrus Mendozza, Hiſpanici exercitus in novum orbem Dux, cùm in eâ expeditione 40000. ducatorum de ſuo inſumpſiſſet, extremorum artuum languore [neſcio an contracturâ potiùs] correptus, in itinere, quod domum verſus in Hiſpaniam inſtituerat, exſtinguitur.

IV. Litteratiss. Qviq;

Amelius ab Aquino, Eques & ICtus conſummatiſſ. & utriusque ſacræ paginæ profeſſor Vicentii.

Ludovicus Carentius, cognomento Tosetus Patavus pridie Id. Augusti. æt. 76.

ANNO CHR. 1540.

I. Præsules.

Philippus, Co. Palatinus, Philippi El. F. Episcopus Frisingensis & Administrator Naoburgensis [al. seq. anno.)

Matthæus à Wellenburgk/ Cardinalis & Archiepiscopus Salisburgensis, Episc. 21.

Conradus à Thüngen / Episcopus Herbipolitanus, non minùs sapientiæ, quàm doctrinæ nomine celebris. 17. Maji. æt. 74. Episc. 22.

II. Imperator. Reges.

Ioannes Vojevoda (id est, Palatinus seu Dux belli & copiarum, quorum duodecim sunt apud Polonos : Unde intelligere est, ipsum imperitè nimis à quibusdam Joannem von der Weda appellari.) Stephani, Zepusiensis Co. F. Sigismundi, Poloniæ regis gener & tandem ipse Hungariæ rex & Imp. Turcici vasallus. æt. 50. cùm paulò antè nuntium accepisset de nato sibi Budæ, 7. Julii filio, mortem obiit.

III. Princip. Comit.

Ericus senior, Dux Brunoswicensis & Lunæb. Wilhelmi Junioris F. Henrici senioris Fr. Erici Junioris parens, alvi profluvio vivendi finem fecit in Comitiis Haganoæ. æt. 70.

Fridericus Gonzaga, ex Marchione primus Dux Mantuæ 1530. ab Imp. Carolo V. creatus; Francisci F. Francisci & VVilhelmi parens : nec non ipsius conjunx, quomodo à nonnullis huc refertur.

Margareta, Guilielmi Palæologi, Marchionis Montisferrati F. eaque M. Iun. ex his terris migrârunt.

Balthasar, Dominus in Esens & Widmund: Ipsiusque capitalis hostis.

Enno II. Comes Frisiæ 24. Septemb.

Hoierus, Com. Mansfeldicus, Alberti F. Ernesti Fr. S. Cæs. Maj. Consiliarius, &c.

IV. Litt. Qviq;

Robertus Barnes Nardovicensis SS. Theol. D. qui 1525. carceri mancipatus, exactoque demum triennio inde dilapsus in Germaniâ exsul aliquandiu commoratus est, Antonii Bari assumpto nomine. Ceterùm fato urgente in Angliam reversus, propter veritatis Evangelicæ confessionem [scripsit autem & Ro. PP. vitas ab Oparino excusas) Londini comburitur 30. Iulii; de quo plura, si lubet, vide ap. Lud. Rabum lib. 2. de Martyribus.

Guillielmus Budæus, Parisiensis, libellorum supplicum magister, & Erasmi testimonio, vir præter absolutam eruditionem exquisitæ diligentiæ, cùm longinquum & æstuosum iter ad Armoricum Oceanum concepisset, ex febre Parisiis 16. (al. 4. al. 20.) Augusti terrenam corporis molem deposuit æt. 73. relictis XI. liberis. Sleidanus aliique huic, at Tilius Actuarius præcedenti anno mortem assignant. Testamento denique ipse Budæus omnes funeris honores abdicavit, unà cùm stesichore ἀτελέσταϛα καὶ ἀμήχανα εἶναι νομίζων, τὸν θανάτῳ κλαίειν.

Valerius Superchius Pisaurus Poëta, Orator & Medicus Venetiis.

Helius Eobanus Francobergensis Hessus ex pago Beckenderff / qui caput & vatum gloria summa fuit, cujusque prælectiones tanti habitæ sunt, ut auditores ejus aliquando mille & quingenti Erphordiæ (nam & ibi quoque docuit) in gymnasii egressu sint numerati, Marpurgi diem obiit 4. (al. 5.) Octob. æt. 53. [al. 52. al. 42. Sed falsò cùm natus sit 1488. Ian. 5. Camer. 6. Ebero.)

Ἐπίσιχον.

DVCIté ThesplaDes fLetVs, ELegIa LVge,
HoC HesIVs saXo gLorIa VestIra CVbat.

Franciscus Guicciardinus Florentinus, historiarum parens, Florentiæ decedit ex hac vitâ, de quo exactum habetur Bodini judicium & tùm ad Jovium, tùm ad Bembum instituta collatio cap. 4. Methodi histor. Ubi inter cætera sic concludit: At illud quanti est ab eo (Guicciardino) tantarum rerum veritatem intelligere, qui totius

totius Italiæ consensu summâ prudentiâ, eruditione, integritate, rerumque gerendarum usu floruisse fertur? Nam cùm alius aliter & fere suo quisque arbitratu fingeret historias, unus inventus est, qui tàm altè ædificavit, ut non modo levissimorum hominum, sed etiam Iovii ac Bembi luminibus obstruxisse videatur.

Ioannes Poliander, Borussiæ Theol. sperato conjunctiss. cùm ἀποπλαχθεὶς aliquot menses decubuisset, ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem emigravit.

ANNO CHR. 1541.

I. PRÆSULES.

Wilhelmus, Ernesti, Com. ab Hohenstein/ F. Ernesti Fr. Episcopus Argentinensis. Pontif. 36.

Paulus Zieglerus ex præposito OEttingensi Bavariæ, Episcopus Curiensis. Eurstenbergæ.

Ioannes ejus nominis III. Com. & princeps Hennebergensis, Abbas Fuldensis 4. Maji.

Philippus, Comes ab Hohenlohe/ Canonicus Herbipolitanus, sive vulnere, quod ipsi Poppo, princeps Hennebergicus districto gladio inflixerat, sive quod credibilius est, Apoplexiæ succrescentis sævitiâ exstinctus est 2. Martii. Vide Chronic. Hennebergens. Spangenbergii.

II. IMPP. REGES.

III. PRINCIPES, COMITES.

Henricus, Dux Saxoniæ, Alberti F. Georgii Fr. & hæres, Ell.^m Mauritii & Augusti parens, qui primus 1539. Lutheranismum in Ducatu Saxoniæ introduxit.

Sophia, Henrici, Megapolitani Ducis F. Ernesti, Ducis Brunosw. & Lunæburg. uxor, & 12. liberorum mater, 18. Junii partus difficultate suppressa, æt. 34.

Maria Sarisbiriensis, regiâ stirpe sata & ultra septuagesimum ætatis annum provecta capite multatur in Angliâ.

Cæsar Fregoza Genuensis, Eques torquatus, & Antonius Rinco, Galliæ Regis Francisci hic ad Turcam, ille ad Venetos legati in itinere navali perfidè interficiuntur M. Julio ad plagam Cantilupam, tribus passuum supra Ticini ostium millibus: cujus equidem enormis flagitii architectum vel ipsum Marchionem Vastium Bellajus facere nititur lib. 9. Comment.

IV. LITERATISS. QVIQVE.

Wolffgangus Capito, Theol. Argentinæ peste correptus.

Urbanus Regius, Augustæ olim Oecolampadii Symmystes haud incelebris, Cellæ Saxon. 23. (al. 13.) Maji extremum spiritum exhalavit.

Sanctes Pagninus, Theol. Ord. prædicatorum, & Latinè, Græcè, Ebraicè, Chaldaicè & Arabicè doctiss. Lugduni moritur æt. 70. Bucholzerus obitum ad 1536. annum retulit.

Cassanus, Medicus Patavinus, 20. Octobr.

M. Simon Grynæus Veringensis, omnis eruditæ litteraturæ quasi Amphitheatrum quoddam, & perfectissimum sapientiæ exemplar Cal. Augusti (al. 1541.) æt. 47. [al. 48.) Basileæ ex peste τελευτήσας τὸν βίον, μεταξὺ τῆς ἀθανασίας, τῆς τε τῷ θεῷ παῤῥησίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς ἐπιγιγνομένοις εὐκλείας διενεχθέντων, ὅπῃ ἄνι τῶν καλῶν ἔργων μνήμην ἐμποιήσῃ. Sepultus est in peristylio Basilicæ juxta Oecolampadium & Cos. Meierum: Unde sub eorum monumenta hic rythmus germanicè inscriptus legitur:

So Ehr/Gut/Kunst hülffen in Noth/
Wär keiner von diesen dreyen todt.

ANNO CHR. 1542.

I. PRÆSULES.

Hieronymus Aleander, Cardinalis & Archiepiscopus Brundusinus, qui stupendâ memoriâ præditus & trium linguarum peritissimus sub Ludoico XII. Galliarum rege græcas litteras aliquandiu Lutetiæ docuit, & Leonis X. Ro. PP. legatum in Germaniâ postmodùm egit. Tam vivaci verò memoriâ fuisse scribitur, ut nihil eum cuncta volumina avidè perlegentem vel rerum vel verborum omninò subterfugerit, quin singula memoriter vel à multis annis lon

nis longo sepulta silentio recitaret. Interiit demùm Romæ fato suo. quod Jovius prodidit, vehementer indignatus, dum se præreptum anno uno ante climactericum inter anxia supremaque suspiria quereretur.

Calpar Contarenus, patritii Ord. Venętus; Cardinalis & Paulli III. Ro. PP. priore anno in Comitiis Ratisbonensibus legatus eruditione pariter ac eloquentiâ præstans, Bononiæ nondum sexagenarius naturæ debitum persolvit.

II. Imperatores, Reges.

Iacobus V, Scotiæ rex. Jacobi IV. F. Jacobi præsentis avus maternus 12. Xbr. æt. 33. [al. 5. Septembr. prioris anni) vide supplem. Sabellici lib. 25. ex Jovio.

Catharina Havarda, Thomæ Ducis Norfolciæ ex fratre neptis, Henrici IIX. Angliæ regis IV (al. V.) conjunx, eò quòd Δολόκωρ seu puellam sese dudum mentita tegi nupsisset, capite plectitur. Addit Sleidanus constupratorem (alii Durantium & Culperium κυνηγοσίους nominant) à reginâ revocatum ex Hiberniâ & in familiam adscriptum ab ipsius reginæ internecione dignam quoque tanto crimine pœnam morte dependisse, ut & alios quosdam partim ob idem flagitium, partim ob reticentiam. Atque ut hoc modo sceleста potuerit esse fides virginaria, non desunt tamen, qui regem ἀλοπρόσαλλον laxissimas libidini suæ habenas dedisse existiment, de quâ meum non est ulterius quidquam in præsenti decernere.

III. Principes, Comites.

Maria Iacoba, Henrici Com. Wirtembergici & Mompelgardensis ex Elisabethâ Bipontinâ F. Ulrici, Ducis Wirtembergici soror; Henrici Junioris, Ducis Brunoswicensis prima conjunx; Julii mater; cancro diu excruciata terrestrem vitam reliquit.

Iodocus seu Justus, Co. Hoyensis & Broickhusanus, Jodoci F. Otthonis ultimi pareus, Neoburgi ad Veseram 25. April. mortuus ibique sepultus est: quem post septem hebdomadas, 12. nimirùm Junii fatali lege sequitur conjunx.

Anna (al. Magdalena) Wolffgangi Com. Gleichiani F. ponè maritum sepulta (al. 1545.)

Ioannes, Comes à Gleichen; Sigismundi F. Philippi Fr. post calculi sectionem mortuus æt. 43.

IV. Literatiss. Quiq;

Leo Iudæ, Eccl. Tigurinæ minister, Tiguri 19. Junii, æt. 60. [al. seq. anno.)

Calparus Güttel Theol. D. & primus reformatæ relligionis assertor inter Ecclesiæ ministros Islebii, 24. Maji.

Gerardus Noviomagus Geldrus, Marpurgi professor, 10. Januar.

Laurentius Pinus II. ICtus, æt. 49.

Angelus Beolcus Ruzantus, 17. Martii Patavii, æt. 40.

ANNO CHR. 1543.

I. Præsules.

Christophorus Stadioneus, Episcopus Augustanus, Carol. V. Imp. legatus in Comitiis Noribergæ moritur M. Januar. Episcopæ 27.

Eralmus Manduvelius, Dominus in Arnhusen/Episcopus Caminensis, 27. Januar.

II. Imp. Reges.

III. Princ. Com.

Georgius, Marchio Brandeburgicus; Friderici V. F. Georgii Friderici parens, 27. Xbr. Onoltzbachii, æt. 59. al. 60.

Magnus, Dux Saxoniæ Laoburgensis, Francisci parens, Francisci avus.

Antonius Ferrandus, è stirpe Arragoniæ regum progenitus, Neapoli.

Margareta, Wilhelmi VII. principis Hennebergensis F. Ioannis, Comitis Seinensis & Witgensteinensis uxor, Perleburgæ.

VVilhelmus Bellajus Langæus, natione Andegavus, Ioannis, Cardinalis Parisiensis & Martini, Yevetotensis principis Fr. Insubriæ prorex, cùm

natus in pago Eck. 13. Nov. 1486. Obiit 10 Febr. 1543 æt. 57.

rex, cùm Taurinis pensili vehiculo sedens (diuturnis quippe laboribus in paralysin inciderat) ad regem Galliæ proficisceretur, cui multa, quæ in rem ipsius essent, ante obitum coràm patefacienda censebat, iter per morbum conficere non potuit. Etenim 9. Januarii die ad Sansaforinum in Tararo monte rebus humanis exemptus est. (al. priore anno.] Hunc Sleidanus lib. 15. comm. & Bodinus cap. 4. Method. histor. insigni ornant elogio, prout ipsius eximiæ virtutes mereri videbantur. Nec dubium est, quin magnum bonis omnibus & eruditis viris sui desiderium reliquerit, homo cùm in scribenda historiâ facundiss. tùm morum suavitate & prudentiâ & in rebus agendis dexteritate, nulli secundus.

IV. Litt. Quiq;

Ioannes Eccius Suevus (al. Austriacus) Theol. Doct. Ingolstadii 10. Febr. (al. Martii) æt. 57. [natus est enim 13. Nov. 1486. in pago Ect ex parentibus terræ culturâ victum quærentibus) &

Albertus Pighius, exercitatissimi antagonistæ Lutheri obierunt. Vitam suam Eccius, quem aliqui seq. anno exspirasse scribunt, ipsemet descripsit in Replicâ adversus scripta secunda *Buceri* superactis Ratisbonens. & in quadam Epistolâ de ratione studiorum suorum: quò lectorem impræsens remitto, cùm mei instituti non sit, singulorum vitas hoc in loco persequi. Illud saltem addo quòd Vitus Theodoricus refert, ipsum Eccium pecudis scilicet in morem interiisse, ab Erasmo Wolfio, Eccii discipulo, ut ne cui injuriam frivole facturus videar, obstinatè negari.

Ioannes Ludovicus Vives, Valentinus, natione Hispanus, Theol. & Philosophus nominatiss. Brugis Flandror. (al. 1541.)

Gilbertus Longolius Med. D. Coloniæ. 30. Maji.

Matthæus Aurogallus, Professor sanctæ linguæ Vitebergæ. 11. Novem.

Franciscus Marius Mola, Poëta & Orator excellens.

Nicolaus Copernicus, Torunæus *Borussus*, Mathematicorum nostro seculo præceptor, 20. Januar. obiit, æt. 70. natus est enim 19. Febr. 1473.

ANNO CHR. 1544.

I. Præsules.

Antonius Puvius, Episcopus Sab. Cardinalis tit. IV. Coron. M. Pœnitent. æt. 60.

Conradus à Bibra, Episcopus Herbipolitanus.

Conradus à Bergen, Episcopus Leodiensis. Ep. VI.

Matthias de Jagow, Episcopus Brandeburgensis.

Sigismundus à Lindenaw, Episcopus Mersburgensis.

II. Imperator. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Princip. Comit.

Emanuel Ioannes, Joannis III. regis Portugalliæ F. Emanuelis nepos, Sebastiani parens, & ipse futurus rex, si diutius superstes fuisset; Philippi Hispaniæ regis cùm duplici nomine consobrinus, tùm & sororius 2. Januar. æt. 17. [al. seq. anno]

Ludovicus cognomento pacificus, Elector, Philippi F. Friderici Fr. Otthonis Henrici patruus, 15. Martii, &

Rupertus, Alexandri F. Ludovici Fr. Joannis Georgii parens, Comites Palatini ad Rhenum.

Renatus, princeps Auraniæ, Henrici ex Co. Nassovense primi principis F. Francisci, Ducis Lotharingiæ sororius, in obsidione S. Desiderii sui Landrisianâ inter vivos desideratur.

IV. Litterat. Quiq;.

Ioannes Antonius Rubeus, patritius Alexandrinus, supremi senatus Sabaudiæ senator, Eques Comesque Cæsareus, ICtus & in profitendo Jure Ticini primum, deinde Valentiæ, tùm Taurini, postremò Patavii, primum locum summâ cum gloriâ consequutus 17. Cal. April. obiit æt. 56.

Valerius Cordus, Simeshusius, Euritii F. Medicus & Botanicus exquisitissimæ doctrinæ 25. Septembr. Romæ æt. 29.

Hieronymus Gemulæus, Mulhusianus Helvetius, Medicus & Philosophus præstantiss. vir incomparabilis ingenio, judiciique dexteritate & eruditione in utraque

utraque lingua exercitatissimus, Basileæ obiit, 59.

Ioannes Pfeil, artium & Med. Doctor, & ex Lipsensi Professore, Mauritii Ducis Saxoniæ Medicus, Lipsiæ calculi doloribus confectus è vitâ discessit.

Ludovicus Buccafereus, Bononiensis Philosophus, æt. 62.

ANNO CHR. 1545.

I. PRÆSULES.

Albertus, Cardinalis tit. S. Petri ad vincula, El. & Archiepiscopus Moguntinus itemque Magdeburgicus, Administrator Halberstadens. Marchio Brandeburgicus, Joannnis El. F. Joachimi I. El. Fr. Asciburgæ (al. Moguntiæ & quidem priore anno) mortuus 24. Septembr. æt. 55. (al. 56.]

Ἐτεόστιχον.

LVget sVbLato MogVntIa præsVLe, ab Hesso
HenrICVs CapItVr, tVrba reLICta sVgIt.

Franciscus de Ruere; Julii II. Ro. PP. ex fratre nepos, Archiepiscopus Beneventanus, æt. 70.

II. IMPERATORES, REGES.

Maria, Joannis Lusitaniæ regis F. Philippi Hispaniæ regis prima conjunx: Carolum principem, qui in ætatis flore sublatus est, enixa, quatriduo post decedit.

Elizabetha, Ferdinandi regis Ro. F. Sigismundi Augusti, Poloniæ regis prima conjux, non absque suspicione veneni clàm ministrati supremum diem explevit Vilnæ in Lithuaniâ 16. [al. 15.) Iunii. æt. 19.

III. PRINC. COM.

Franciscus, Antonii F. Caroli parens, Dux Lotharingiæ, &c.

Carolus, Dux Aurelienfis, Francisci I. Galliarum regis F. futurusque Cæsaris gener, 23. [al. 9.) Sept. æt. 23. febre correptus pestiferâ, non procul à regiis castris decedit. Matalius Metellus refert ipsum putari veneno exstinctum.

Ludoicus, Dux Bavariæ ἄγαμος, Wilhelmi Fr.

Ioannes Baptista Medicinus, Pii IV. Ro. PP. Fr.

IV. LITERAT. QVIQ;.

Georgius Spalatinus, Theol. 16. Ianuar. Aldenburgi ex hac mundi instabilitate, ad immotam illam cœlestemque æternæ lucis contemplationem lubens concessit, æt. 63.

M. Petrus Brulius Burtius Lotharingus, olim Gallicæ apud Argentinenses Ecclesiæ minister Tornaci combustus, 17. Februar. Vide Lud. Rabum lib. 6. de Martyrib.

Ioannes Ruellius Suessionensis, Medicus & Botanologus præclaræ eruditionis 4. Septemb. ex Apoplexiâ decessit.

ANNO CHR. 1546.

I. PRÆSULES.

David Betum, è regiâ Scotiæ prosapiâ Cardinalis S. Andreæ, aliàs Arbrothensis dictus, in arce sua à nobili quodam, cujus fratrem Lutheranæ relligioni addictum, & ob id in carcerem conjectum inhumaniùs tractaverat, 29. Maji interemptus est.

Angelus Martius, Assisiensis Episcopus, æt. 70. Florentiæ.

II. IMPER. REGES.

❁ ❁ ❁

III. PRINCIPES, COMITES.

Albertus, Dux Brunoswicens. de Grubenhagen; Philippi F. in bello Germanico propè Werndingam hastâ per os transfixâ. quinto post die Nordlingæ inexcitabili atque postremo sopore correptus, ibidemque sepultus est M. Octobri.

Ernestus, Dux Brunosw. & Lunæburgensis, Henrici F. Wilhelmi parens. præsentium Lunæburgensium Ducum avus, postridie Cal. Jan. æt. 49.

Franciscus Bourbonius, Dux

NAT. ISLEBII
D. 10 Novembr.
Anno 1483.

MOR. ISLEBII
D. 18. Febr.
Anno 1546.

Dux Anguiennenſis, Antonii, Vendomæ principis & poſtmodum Navarræi regis Fr. Franciſci, Galliarum regis στρατοπεδάρχης adverſus Marchionem Guaſtium, de quo ante biennium inſignem in Pedemonte victoriam reportaverat, fuſis nimirum ad Ceriſolium 20000. Cæſarianorum, in ludis aulicis infeliciſſimè quidem, ſed fortuito cæſus, arculâ in caput ab æqualibus illiſâ periit.

Alphonſus Davalus, Marchio Vaſtius & Mediolanenſis Ducatus præfectus. [al. priore anno.)

Wolfgangus, Comes Mansfeldicus, Alberti F. Stutgardiæ.

Magdalena, Bothonis, Co. Stolbergenſis F. Ulrici, Co. Reinſteinenſis altera conjunx, partui vicina cum gemellis incendio arcis Blanckenburgenſis miſerè periit, 19. Novembr. æt. 35.

IV. LITERATISS. QVIQ;.

Martinus Lutherus, ex Auguſtiniano Monacho Theol. D. & Profeſſ. Witebergenſis ἀλληρόσομος καὶ ἀκινδυνόφρων. Islebiæ in patriâ (repetitâ prius pro confirmatione fidei ſententia ex Pſal. 68. Habemus Dominum, qui à morte liberat,] ἀσθενήσας εἰς τὸ ζῆν εἶεν ſub initium Concilii Tridentini, quod Pontificii annotant, 18. Feb. ipſo nimirum die Concordiæ & Conſtantiæ, ætat. 63. Unde talis paſſim querela ad hæc usque noſtra tempora dimanavit:

Cum ſancto cecidit Concordia ſancta Luthero,
Nunc igitur diſcors orbe vagatur ſuo.

Cæterùm nolim cordatus lector fidem adhibeat falſis vaniſque rumoribus, quos Cochlæus in vitâ Lutheri, Bredenbacchius Collation. ſacrar. lib. 7. cap. 39. 40. & 41. Frider. Staphylus 2. Apologiâ. Laur. Surius Com. in fol. pag. 312. & 313. Wilhelmus Lindanus Dialogo 3. cap. 1. Dubitantii aliique complures μαχοδαίμονες δαιμόνων ἀγγελεώτεροι de hoc ſanctiſſimo pectore in obitus opprobrium diſſeminarunt, cum longè veriora ſint, pluſque fidei apud æquos lectores mereantur, quæ Philippus Melancht. Matheſius, Dreſſerus & Rhodomannus noſter de ipſo ſcripta reliquerunt poſteritati. Sæpenumero, inquit Tullius, ementiuntur homines in eos, quos oderunt; & aliàs nobis religio eſſe debet τεθνηκόσι μὴ κακῶς ἀγορεύειν, ne illis ethnicis pejores videamur, quibus olim Solon leges condidiſſe ſcribitur. Nunc igitur ἑπτάστιχα quinque quæ alibi ſparſim leguntur, heîc conjungo.

Jo. Stigel.

FortIs & eXtreMæ VeraX ætatIs HeLIas
CeLſa pIVs CœLI teCta LVtherepetIs.

Io. Cella.

EXtreMæ ſanCtVs CVbat hIC ætatIs HeLIas
HIC fVaqVæ petIIt ſtrata LVtherVs habet.

Steph. S.

OCCVbVIt FebrVo fataLI Menſe LVtherVs
ALtera EVangeLII gLorIa PaVLe tVI.

Aliud.

EXorItVr bIs nona DIesVbI febrVa ChrIſtI
CœLICa preplCII regna LVtherVs aDIt.

Aliud.

Nona bIs obſcVro LVX febrVa ConſtItIt ortV:
In patrIa Vt MorerIs, CLareLVthere, ſoLo.

Fridericus Myconius, Eccleſiaſtes Gothanus, 7. April.

Franciſcus Vatablus & Iacobus Tuſanus: hic græcæ (16. Febr.) ille Hebrææ linguæ (16. Martii) regii Profeſſores Lutetiæ celeberrimi obierunt. Non deſunt tamen, qui illos ſeq. anno exſpiraſſe perhibent.

ANNO CHR. 1547.

I. PRÆSULES.

Petrus Bembus Venetus Cardinalis

nalis Romæ mortalitatis vinculis exsolutus est 17. (al. 18.) Januarii, æt. 78. (al. 67.] Ἐπτόστιχον, quod ipsius imagini adscriptum Patavii legitur :

BeMbVs obIt Venetæ LaVs VrbIs,
gLorIa, fVLgor,
ELoqVIo CLarVs, CLarVs & hIstorIIs.

Ioannes Ludovicus ab Hagen Elector & ArchiEpiscopus Trevirensium humaniss.

Ioannes, Dux Saxoniæ Laoburgensis, Episcopus Hildesiensis.

Iacobus Sadoletus, Cardinalis Romæ M. Octobri.

II. Impp. Reges.

Anna, Vladislai regis Hungariæ F. Ludoici soror, Ferdinándi ex Archiduce Austriæ regis Romani &c. conjunx 4. filiorum & II. natarum parens, 21. (al. 27.) Januarii ex laborioso & difficili partu Pragæ obdormivit, æt. 44.

Henricus VIII. Angliæ rex, Henrici VII. F. Edouardi IV. ex filiâ nepos: Elisabethæ, nuper defunctæ reginæ parens, obstructo suppurantis tibiæ meatu, seu ut Jovii verbis utar, propter sævam inflammationem in crure virulenti herpetis, febrem ardentissimam & hinc mortem contraxit 7. Cal. Febr. æt. 57. Quem interjectis 50. diebus sequitur.

Franciscus, ex Duce Engolisinense primus ejus nominis & magnus Galliæ rex, Caroli Ducis F. regum Ludovici XII. gener : Henrici II. parens; Henrici III. avus; Henrici IV. præsentis avunculus major, ex maligno podicis ulcere, quod ad vesicæ usque penetralia depascendo pertinuerat, 31. (al. 21.) Martii, æt. 54. regni 33. Laudem ejus & sepulturam fusiùs persequitur Sleidanus lib. 19. comm. Exstat præterea in ipsius obitum oratio Cynthii Joannis Baptistæ Gyraldi, ad Herculem Ferrariæ Ducem scripta, quæ lectu non minùs digna, atque Petri Gallandii esse censetur. Legantur quoque Jovius, Verronus, & imprimis Mart. Bellaji Langæi eruditiss. commentaria, in quibus regem hunc asserit A. C. 1546. æt. 53. in arce Rambollietanâ (quæ abest Lutetiâ iter diei) ex lentâ febre, quæ temporis progressu in continentem conversa sit, urgente insuper dolore ex vomicâ, quâ paullo antè laborare cœperat, quàm Cæsari iter per Gallias facienti obviam procederet, exspirasse.

Ἐπτόστιχον.

FranCIsCVs GaLLIs : HenrICVs
Verò BrItanns,
RoMano RegI Chara qVoqVe
VXor obIt.

III. Princip. Comit.

Albertus, Dux Megapolitanus, Magni F. Henrici Fr. 7. Id. Januar. Suerini mortuus & postmodùm Dobrani sepultus.

Fridericus II. & senior, Dux Linicensis, 18. Septembr. æt. 67. (al. 68.)

Dorothea, Friderici I. Daniæ regis F. Alberti, Borussiæ Ducis prima conjunx, Id. April.

Henricus, Com. Surrejus, Thomæ Havardi, Norfolciæ Ducis F. capite plectitur in Angliâ.

Petrus Aloysius Farnesius, Pauli III. Ro. PP. ex Anconitana puella nobili F. (quippe quam parens posteaquàm consuetis lenociniis & dolis rubrum galerum meruisset, & Anconæ legatum ageret, specie mercatoris deceperat & uxorem duxerat. [κακὸς ὁ κόρακος κακὸν ὠόν, ut est in proverbio] Dux Parmæ atque Placentiæ 1545. à patre factus. Ducum Octavii parens, Alexandri avus; cùm à patre nigromantico per litteras admonitus esset, ut à decimo Septembris die sibi caveret, quo astra ei insignem aliquam cladem portendere videbantur, prætorianorum tamen militum præsidio stipatus in sua ipsius arce à conjuratis aliquot n. 36. trucidatur, qui non solum interposita civium cautione & impunitate promissa, corpus exanime catenæ religatum ex muro suspendunt, & agitatum aliquandiu præcipitant in fossam, verùm etiam populus accurrens illud tùm pugionibus confodiunt, tùm pedibus conculcant, &c. Atque hanc cædis divinæque vindictæ historiam aliquanto fusiùs & accuratiùs descriptam ap. Chytræum lib. 16. Saxon. lector reperiet, quàm ap. Sleidan. lib. 19. comm. quò ipsum in præsens remitto, ut videlicet inter legendum illud Chrysostomi in memoriam revocet, ac quàm verum sit, secum perpendat, πανηρᾶς βιοτῆς πονηρὸν εἶναι καὶ τέλος.

Alfonsus, Marchio Estensis, & dominus Castelli novi, Alfonsi I. Ducis Ferrariensis, ex concubina Laura F. Junior.

Ericus, Co. Hoyensis ἄγαμος in Stoltenaw, Iodoci F. Iodoci Fr.

CHRISTIANISSIMVS · * FRANCISCVS · PRIMVS DEI
REX · GALLIARV_ ET NAVARRÆ
NVTRISCO ET EXTINGVO
VNVS NON SVFFICIT ORBIS
Obiit 1547.

IV. Litteratiss. Qvinq;.

Beatus Rhenanus, Selestadiensis, acerrimi vir in litteris judicii, ac hinc Erasmo olim familiariss. Argentinæ 13. Kal. Iunii fato concessit summâ cum laude anteactæ vitæ, æt. 62. (al. 1542.)

Ioannes Hellus, Theol. D. & Ecclesiastes Vratislaviæ 6. Januar. æt. 60.

Ioannes Schonerus, Carolostadius, Mathematicus excellentissimus publicatisque ingenii monumentis de universâ re litterariâ præclarè meritus Norimbergæ 6. Januar. [al. 16. Cal. Febr.) fatis defungitur, æt. 70.

Caspar Bornerus, Theol. D. Lipsiæ, 3. Maji.

Venceslaus Lincus, verè Theologus Luthero, & Ecclesiæ Noribergensis Pastor, 11. Martii. (al. 1537.)

Nicolaus Naves, patri ὁμώνυμος, Imp. Caroli V. Vicecancellarius.

Hartmannus Hartmanni J. U. D. & El. Palatini Cancellarius, Heydelbergæ 3. Julii spiritum fato dedit.

ANNO CHR. 1548.

I. Præsules.

Ioannes à Wetzen, olim Lundensis in Daniâ ArchiEpiscopus, nunc quidem exsul, sed Constantiensium tamen Episcopus. 13. Junii repentinâ morte exstinguitur.

Busso, ab Alvenschleben/ J. U. D. & Episcopus Havelbergensis, M. Majo, æt. 80. Ep. 26.

Iacobus Pisaurus, Paphi Episcopus.

Anna Plauensis, Henrici Burggrafii Misnensis ex Barbara Anhaltinâ F. Abbatissa Gernrodensis, dominica Judica.

II. Impp. Reges.

Sigismundus I. rex Poloniæ, Casimiri F. Sigismundi Augusti parens, Cal. April. æt. 81. regni 42. In ipsius obitum exstat oratio Stanislai Orichovii Rhuteni inter alias orationes olim Venetiis editas, quæ cum res præclarè gestas cùm hujus regis, tùm etiam ipsius parentis commemoret, visa mihi fuit lectu digniss.

III. Princ. Com.

Philippus, Comes Palatinus Rheni, Ruperti F. Otthonis Henrici El. Fr. & animo & virtute præcellens, ut qui Viennam Austriæ à Turcis 1529. obsessam fortiter tutatus est, Heidelbergæ satisfecit legi naturæ, quæ omnes citra discrimen in sepulchra conjicit, 4. Julii, æt. 44.

Christophorus, princeps Hennebergensis, Wilhelmi VII. F. ἄγαμος, 12. Martii Romhildæ, æt. 38.

Maximilianus Egmondanus, Comes Bührensis anginâ interimitur Bruxellæ, relictâ filia & hærede, principis Auraici conjuge. Lud. Guicciardinus in Belgij descriptione obitum sequenti anno attribuit.

IV. Litteratiss. Qvinq;.

Caspar Crucigerus Lipsensis, Theol. D. & Profestor Witebergens. 19. Novembr. Witebergæ, æt. 45. natus est enim 2. Jan. 1504.

Ioannes Langus, Theol. D. Erphordiæ.

Hermannus Bonnus, Osnabrugensis, Lubecæ Superintendens ejusdemque urbis Chronographus, pridiè Id. Februar. æt. 44.

M. Matthæus Zellius Cæsarisbergensis, Ecclesiæ Argentinensis pastor, 9. Januar. æt. 71. natus est enim 1477. in Alsatiâ.

Marcus Antonius Blancus Patavinus ICtus obiit in patriâ 8. Octobr. æt. 50. & apud Eremitanos sepulturæ traditus recubat.

ANNO CHR. 1549.

I. Præsules.

Paullus III. Ro. PP. ex vero nomine Alexander Farnesius vocatus, Petri Aloysii, præsentis Parmensium Ducis abavus, spe celebrandi Iubilæi lætus, letho interit pridie Martini æt. 82. (al. 86.] Pontif. 15. De hoc legatur Sleidan. lib. 21. com. & Epistola quædam, quæ exstat in Zegedini speculo RR. PP.

Bartholomæus Vidaccionus, ex ICto Cardinalis & præsul Lucensis, æt. 80.

II. Imp. Reges.

Margarita, Caroli, Ducis Aurelienſis ex Aloysiâ Sabaudicâ F. Franciſci I. Galliarum regis ſoror, Caroli, Ducis Alenconii vidua, Henrici Albreti, Navarræ regis conjunx, Henrici præſentis avia materna, pietate, virtute, & litteris laudatiſſima heroina, adeò ut etiam Muſarum Mnemoſyne appellata fuerit, 1. (al. 21. Xbr. obiit, aliis priore anno.

III. Principes, Comites.

Ottho, Dux Brunoſw. & Lunæburgenſ. Otthonis præſentis parens; Erneſti Fr. Harburgi 11. Auguſti æt. 54. (al. 53.) ſepultus ibidem & ipſius frater.

Franciſcus, qui Gifhornæ ſedem aulæ habuit, 23. IXbr. qui dies 1509. natalis fuerat, æt. 40.

Chriſtina, Georgii, Ducis Saxoniæ F. Philippi, Landgravii Haſſiæ conjunx, Wilhelmi mater, &c.

Bertholdus, &

Albertus, Comites Hennebergenſes poſtremi.

Fernandus, Dux Gravinæ Neapoli.

IV. Litteratiss. Qviq;.

M. Vitus Theodorus, Concionator Noribergenſis primarius, Cal. Apr. 7.

Paulus Fagius, linguæ Hebrææ cognitione clariſſ. Argentinâ, ubi & paſtoris ſimul & Doctoris munus aliquandiu ſuſtinuerat, Calend. April. cum Bucero diſcedens in Angliam profectus eſt: Cæterùm Cantabrigiâ vix ſalutatâ ex quartanâ febre τὰ ἀνθρώπινα ἔπαθε [alii non absque veneni ſuſpicione mortuum aſſeverant) 13. Nov. (Sleidano ſub finem Novembris hujus anni at Bucholzero & Pomario ſeq. anno] annum vitæ agens 45. natus quippe eſt 1504. Tabernis Rhenanis in Palatinatu.

Albanus Torinus, Vitoduranus Med. Baſilienſ. (al. ſeq. anno.)

Iacobus Zieglerus, qui terræ ſanctæ deſcriptionem edidit, in Bavariâ.

ANNO CHR. 1550.

I. Præsules.

Ioannes Albertus cognomento claudus, ex Marchione Brandeburgico (fuit enim Friderici V. F. Alberti, Boruſſiæ Ducis Fr. Alberti, Cardinalis & prædeceſſoris ſui patruelis) ArchiEpiſcopus Magdeburgenſis & Adminiſtrator Halberſtadenſis, 17. Maji Halæ Saxon. mortuus & ibidem ſepultus eſt, (al. 1548. ſed falsò nimis.)

Franciſcus Sfondratus, Cremonenſis, Cardinalis & Epiſcopus Cremonæ, æt. 56.

Iulius Cæſar Gonzaga, Novellariæ Comes, Patriarcha Alexandrinus, & Cam. Apoſtolicæ Decanus, æt. 48.

Iulius Pflug, Epiſcopus Curienſis, Epiſcop. IX.

Magnus, Dux Megapolitanus, Henrici F. Epiſcopus Suerinenſis Butzovii, 3. (al. 4.) Cal. Febr. mortuus ac deinde in Monaſterio Dobran ſepultus eſt, cùm adminiſtraſſet Eccleſiam annos 34.

Ioannes, Cardinalis Lotharingiæ & Epiſcopus Metenſis; antecеſſoris ſui in Epiſcopatu Nicolai patruus, Renati, Ducis Lotharingiæ F. Antonii Fr.

Georgius à Blumenthal, I.U.D. & Epiſcopus Lebuſienſis & Raceburgenſis, 14. Septembr.

II. Imperatores, Reges.

Muleaſſes, Mahometis Fil. Rex Tunetanus & Caroli V. Imp. beneficiarius à filio Amidâ excœcatus, candente ſcalpello utriusque oculi pupilla proſciſſa, dùm exſul inter copias Imp. Caroli Africam urbem Pœnis Mahomediam dictam oppugnantis hæret, moritur in ſtativis.

IV. Litteratiss. Qviq;.

Wilhelmus, Dux Bavariæ, Alberti IV. F. Alberti V. parens, 22. Martii & ipſius ſororius.

Ulricus,

Ulricus, Dux Wirtembergicus Christophori parens, Ludovici avus, M. IXbr. De hoc vid. Chytr. lib. 7. Saxon.

Magnus, Dux Megapolitanus; Henrici F. Fridericì I. Daniæ regis gener. 30. Jan.

Franciscus, (al. Fridericus) Gonzaga, Dux Mantuanus; Friderici I. F. Ferdinandi regis Bohemiæ gener, obrutus aquis in lacu Mantuano 16. (alii 17.) Febr.

Anna, Georgii III. Ducis Lignicensis uxor.

Claudius, Dux Guisius, Francisci parens, Henrici 1588. interfecti avus; Ducum Lotharingiæ Renati F. Antonii & Ioannis Cardinalis Fr. Tumulus ejus est in opp. Campaniæ Jainvilla, qui vel Matalio teste inter præcipua & præclara totius Galliæ opera recensetur.

Ioannes Caraviolus, Melpharum princeps & Dux Asculi.

Nicolaus, Comes Salmensis.

Nicolaus Granvellanus, Vesontinus; Caroli V. Imp. Consiliarius præcipuus Augustæ in Comitiis sub exitum M. Augusti.

IV. Literatiss. Quique.

Ioannes Spangenbergius, Theologus, 13. Jun. Islebiæ.

Ioannes Lersnerus, Marpurg. genf. ICtus & Professor, 19. Jan.

Iacobus Cagnacinus, ICtus Ferrariæ.

Ioh. Nicolaus Angelonius de Monte Leone ICtus, æt. 48.

Eguinarius Baro Leonensis ICtus clariss. Doctor Iuris civilis in schola Biturig. & Jurisprudentiæ veteris instaurator, linguarum totiusque Philosophiæ peritiss. II. Cal. Septemb. æt. 55. circiter exspirat Biturigibus, ubi & in æde D. Hippolyti sepultus est.

Georgius, à Schotburg / ex Secretario Christierni II. Daniæ regis Archiepiscopus quondam Lundensis, senex decessit Coloniæ, ubi apud Joannem Rincum aliquandiu substiterat & tandem Archiepiscopi Hermanni de Weda suffraganeus fuerat.

Robertus Baucop Scotus: cœcus quidem natus, sed quod mireris, Theol. D. Presbyter Ro. & Archiepiscopus Armacienſis in Hiberniá Parisiis obiit.

Georgius Martinusius Dalmatus, Cardinal. & Episcopus Varadinus, Tridenti, ubi tum Concilium agebatur, ob suspicionem, quasi cum Turcis colludetet, cujusdam Itali instinctu, qui se Joan. Baptistam Castaldum nominabat, 18. Dec. gladio nefariè occiditur.

Iodocus Montfilter / Osnabrugensis, Episcopus Lubecensis, æt. 51.

Valentinus à Thetleben / J. U. D. & Episcopus Hildesiensis: Moguntiæ in Franciscanorum monasterio sepultus.

II. Impp. Reges.

Margarita; Gustavi, Sueciæ regis altera conjunx, Erici Abrahami de Lobolm, Equitis aurati F. octo liberorum & inter hos Ioannis, Sueciæ regis mater, 26. Augusti. Τετράστιχον obitus annum comprehendens.

ReglNas Inter præCeLLens Margarls aLtas
ConIVge, progenIe, fronte, Lepore trIbV.
Vt tres GoLtaVo natos, natasq; tVLIsset
QVInq;, sVas terras LInQVIt, & astra petIt.

Barbara Radevila, Sigismundi Augusti, Poloniæ regis altera conjunx. Annus mortis hoc Pentametro continetur.

Barbara te Lætor post Data regna Morl.

III. Principes, Comites.

Philippus, Dux Brunoswicensis de Grubenhagen, Alberti F. Wolffgangi & Philippi

ANNO CHR. 1551.

I. Præsules.

Philippi parens, Hertzbergæ mortuus & Osterodæ sepultus est, (al. 1549.(

Ioannes, princeps Anhaltinus; Ernesti F. Joachimi Ernesti parens, prid. Non. Febr. obiit, æt. 47. sepultus Servestæ in templo S. Nicolai.

Ulricus, Comes Reinsteinensis & Blanckenburgens. Ulrici F. Ernesti senioris parens, dominicâ Palmarum, æt. 52.

Fridericus, Comes Waldeccensis, olim Monasterienſis Episcopus.

IV. Liter. Quiq;.

Martinus Bucerus Selestadiensis, olim Dominicani ordinis Cœnobita; (monasterium quippe ingressus est 1516. (al. 1506.) ordinemque reliquit 1521. M. Martio] dein Argentoratensium circiter 27. (al. 20.) annos Ecclesiastes Φιλαλήθης & ἀμαχὶ φιλήσυχος, καὶ ἁς εἰπεῖν, ἄκρατον θεσπέσιον ἐν θεολογίᾳ προβεβλημένος diem obiit 27. Februar. æt. 61. Cantabrigiæ in Angliâ, quò ante biennium ab Edouardo VI. Rege religiosissimo evocatus, dum Cæsar Carolus decretum de Religionis mutatione per Germaniam severissimè urget, unà cum Fagio concesserat: utriusque deinde ossa semiputrida anno nimirum 1556. (al. seq.) jussu Reginæ Mariæ terrâ rursus eruta & ignis violentia in cineres redacta sunt, &c. De Bucero vide Chytræum lib. 7. & 17. Saxon. cujus & vitæ, obitus & sepulturæ historia aliàs Argentinæ edita est.

Andreas Alciatus Mediolanensis ICtus multijugâ eruditione & utriusque linguæ cognitione apprimè celebris, cùm & Bononiæ anteà 1540. millenis ducentis ducatis docuisset, ut testatur Latomus in Epist. ad Sturmium, Ticini moritur, 12. Januar. æt. 56. (al. 57. al. 58.) Quanquàm verò Gilb. Genebrardus ipsum 1549. alii contrà 1548. Bucholzerus 1550. alii 1554. obiisse memorent, Ετεόστιχον tamen, quod monumento Bapiæ in D. Epiphanii templo adscriptum legitur, his omnibus fidem derogat; Estq; illud tale:

IVra IaCent, strepItVsqVe forI, LegesqVe saLVbres,
CVr? IaCet AnDreas DVX & ApoLLo forI.

Multum namque temporis hic vir consumpsit in referendis & refellendis doctorum opinionibus, quod Steph. Forcatulus Necyomant. Dialogo 10. testatur: adeò ut hoc loco facere nequeam, quin & exactum Val. Forsteri judicium de ipso subjungam, qui lib. 3. histor. Jur. civil. sic scribit: Andr. Alciatus Mediol. docuit primum Biturigibus, deinde Ticinum vocatus est. Hic omnium primus Iurisprudentiam, nimiis disputationibus & barbaro dicendi genere involutam pristino nitori restituere, & ad veros fontes revocare conatus est. Quod quidem facere haud difficulter potuit, cùm græci & latini sermonis ad admirationem peritissimus esset, fuit solus inter interpretes Iuris doctissimus, & inter doctissimos Iureconsultissimus.

Hieronymus Cagnolus Vercellensis, ICtus Patavii Cal. Febr. æt. 59. vita functus & in æde D. Francisci sepultus est.

Ioachimus Vadianus sangallensis, Med. Doct. Theol. & Philosophus summus in patria obiit; ubi & Cos. egit. (al. 1561.)

Ioannes Baptista Montanus Veronensis, olim Medic. Professor Patavii celeberr. 6. Maji, æt. 63.

Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus (al. ab Hohenheym) quem Chymici ineptiores tantùm non Deum faciunt ob arcana quædam cùm artis tùm naturæ, quæ tamen pleraq; in medium ita protulit, ut præter eum alius nemo, nec ipse forsan OEdipus intelligere queat; quamquam non eo plane inficias, ex probè intellectis ejus præsidiis nonnulla singulari quapiam venustate & gratia commendari, magnoque cum mortalium emolumento in usum admitti. Is porrò ut fuit δεινὸς ἄνθρωπος καὶ δύσκολος τὴν φύσιν, non solùm apertis, quod ajunt, tibiis in Galenum cùm scriptis tùm vivâ voce (docuit enim aliquandiu Basileæ vernacula linguâ) subinde invectus, artis nostræ ἰδίωμα longo temporis ambitu usuque felicissimo stabilitum, nescio quibus speciosè excogitatis, ne dicam futilibus rationibus convellere atque evertere conatus est, verùm etiam quod longe pejus atque homine prorsus indignum est, doctrinæ suæ authorem agnoscit Diabolum, non minus huic gratiæ atq; ipsi Deo habendum esse arbitratus, sicubi pari ab utrisque beneficio afficeretur, id quod abunde animadvertere est tùm aliàs, tùm ex lib. 5. de causis invisibilibus morborum. Posteà verò quàm à profitendi munere remotus fuit, nusquam, quod sciam, nisi Iuvaviæ in Rhetia (Salisburgum nobis ea urbs dicitur) certo loco substitit, ubi demùm 24. Septembr. æt. 58. (al. 47.) mortuus & in Nosocomio ap. S. Sebastianum sepultus est, cùm diu ante arthritide & contracturâ excarnificatus fuisset, haud aliter, quàm ille, cujus ex Tragico Plutarchus meminit: ἄλλοις ἰατρὸς, αὑτῷ ἕλκεσι βρύων. Non desunt tamen, qui ipsum 1541. & quidem Argenti-

Argentinæ è vivis abiisse referant; sed utrumque falsum esse Epitaphium demonstrat.

M. Petrus Plateanus Brabantinus, olim Rhetoricæ artis professor Marpurgens. obiit Aschersiebii 29. Januarii.

ANNO CHR. 1552.

I. PRÆSULES.

Hermannus à Weda, Comes olim El. & Archiepiscopus Coloniensis, Administrator Paderbornens. 13. (al. 15.) Augusti æt. 75. [al. 81, sed perperam: siquidem natus est 1477.) moritur. Wedæ, cùm puriorem antea religionem amplexus, & ideò ab officio Ecclesiastico remotus esset.

Fridericus, Marchio Brandeburg. Ioachimi II. El F. Ioannis Georgii El. & Sigismundi successori sui Fr. Archiepiscopus Magdeburgens. & Administr. Halberstad. 2. Octobr. decedit Halberstadii æt. 22. ibidemque sepulchrum in basilica obtinuit.

Paulus Iovius, Novocomensis, Episcopus Nucerinus; idemque historicorum nostri seculi haud postremus, ut qui diu multumque in principum aulis versatus, affectæque jam ætatis, historiam de suis temporibus componere aggressus, eloquentiæ laudibus reliquos omnes longè superavit, nisi quòd fidei libertatisque minus nonnullibi retinuisse videtur; 3. Id. Xbr. (al. XI. Sept.) æt. 69. (al. 70.) mortuus & Florentiæ sepultus est [al. 1548. quibus ætatis attigit annum 68, M. 7. D. 23.)

Philippus à Flersteyn [al. Flerßheym] Episcopus Spirensis, ætat. 70. reg. 23.

Mauritius ab Hutten, Episcopus Eistetensis M. Decembr.

Fridericus Naulea (germ. Grauw.) Weischenfeldensis ex diœcesi Bambergensi Francus: Viennensis Episcopus, Tridenti, durante adhuc Synodo mortem obit.

Crescentius Cardinalis, & Romani PP. nomine præses Concilii Tridentini, Veronæ obiit; de quo legatur Sleidan. lib. 23. Comm.

II. IMPP. REGES.

III. PRINCIPES, COMITES.

Henricus, Dux Megapolitanus, Magni F. Alberti Iunioris Fr. 6. Febr. æt. 72. (al. 73.) Suerini, &

Georgius, Dux Megapolitanus Alberti Iunioris F. Ioannis Alberti Fr. qui priore anno in Magdeburgensi obsidione, captus fuerat, propter lethale vulnus 13. Iulii summo pedi à globi ictu ad Francofordiam illatum [substiterat quippe tùm in vineâ retro salicem) ejusdem mensis 20. (al. 21.) naturæ cessit.

Guolffgangus, Comes Stolbergicus & Wernigerod. Guolffgangi Ernesti præsentis parens, æt. 51.

Ottho, Comes à Rittberg, in castris ad Metas vitam deserit.

Edouardus, Dux Sommersetus ex Comite Herfordensi, Edouardi IV. Angliæ regis avunculus Londini M. Januario securi percutitur.

IV. LITTERATISS. QVIQ;

Osvvaldus Myconius, Lucernas, Theol. D. Basileæ Id. Octobr. ex Hectica & Phthisi, tertianæ duplicis sobole, urgente quinetiam ad extremum tympanite defecit, æt. 64. &

Sebastianus Munsterus, Ingelheymensis, Cosmographus & professor Hebrææ linguæ ibidem anthrace correptus, ascensionis Dominicæ festo exstinguitur, æt. 61. [Bucholzero 63.) Cùm ægrotaret, scribit Manlius in coll. & ad eum accederent quidam ex ejus amicis visuri quomodo valeret, & misericordia afficerentur ob cruciatus, quos ex ulceribus sui corporis sentiret, ô, inquit, charissimi amici, & fratres dilecti in Christo, hæ sunt gemmæ & pretiosa ornamenta Dei [ostendens eis simul ulcera) quibus Deus suos amicos ornat, ut eos ad se attrahat: quæ ornamenta pretiosiora existimemus, quàm omne aurum aut opes hujus mundi. Ita paulò post piè & tranquille in Domino obdormivit.

Caspar Hedio, Theol. D. & Ecclesiastes primarius Argentinæ 17. Octob. (al. 17. al. 18. Septemb.) quo eodem etiam die decessit, bellùæ ritu planè mutus, si Palladio credimus,

Andreas Osiander, ex Theol. Lutherano hæresiarcha Regiomonti, æt. 54.

Bernhardus Zieglerus, nobilis Theol. Doct. & Hebrææ linguæ pro-

Philippi parens, Hertzbergæ mortuus & Osterodæ sepultus est, (al. 1549.(

Ioannes, princeps Anhaltinus; Ernesti F. Joachimi Ernesti parens, prid. Non. Febr. obiit, æt. 47. sepultus Servestæ in templo S. Nicolai.

Ulricus, Comes Reinsteinensis & Blanckenburgens, Ulrici F. Ernesti senioris parens, dominicâ Palmarum, æt. 52.

Fridericus, Comes Waldeccensis, olim Monasterienſis Episcopus.

IV. Liter. Quiq;

Martinus Bucerus Selestadiensis, olim Dominicani ordinis Cœnobita; (monasterium quippe ingressus est 1516. (al. 1506.) ordinemque reliquit 1521. M. Martio] dein Argentoratensium circiter 27. (al. 20.) annos Ecclesiastes Φιλαληθης & ἀμαχαὶ φιλήσυχος, καὶ ὡς εἰπεῖν, ἄκραν ἡσυχίην ἐν θεολογίᾳ προβεβλημένος diem obiit 27. Februar. æt. 61. Cantabrigiæ in Angliâ, quò ante biennium ab Edouardo VI. Rege religiosissimo evocatus, dum Cæsar Carolus decretum de Religionis mutatione per Germaniam severissimè urget, unà cum Fagio concesserat: utriusque deinde ossa semiputrida anno nimirum 1556. (al. seq.) jussu Reginæ Mariæ terrâ rursus eruta & ignis violentia in cineres redacta sunt, &c. De Bucero vide Chytræum lib. 7. & 17. Saxon. cujus & vitæ, obitus & sepulturæ historia aliàs Argentinæ edita est.

Andreas Alciatus Mediolanensis ICtus multijugâ eruditione & utriusque linguæ cognitione apprimè celebris, cùm & Bononiæ anteà 1540. millenis ducentis ducatis docuisset, ut testatur Latomus in Epist. ad Sturmium. Ticini moritur, 12. Januar. æt. 56. (al. 57. al. 58.) Quanquàm verò Gilb. Genebrardus ipsum 1549. alii contrà 1548. Bucholzerus 1550. alii 1554. obiisse memorent, Ἐτόσιχεν tamen, quod monumento Bapiæ in D. Epiphanii templo adscriptum legitur, his omnibus fidem derogat: Estq; illud tale:

IVra IaCent, strepItVsqVe forI, LegesqVe saLVbres,
CVr? IaCet AnDreas DVX & ApoLLo forI.

Multum namque temporis hic vir consumpsit in referendis & refellendis doctorum opinionibus, quod Steph. Forcatulus Necyomant. Djalogo 10. testatur: adeò ut hoc loco facere nequeam, quin & exactum Val. Forsteri judicium de ipso subjungam, qui lib. 3. histor. Jur. civil. sic scribit: Andr. Alciatus Mediol. docuit primum Biturigibus, deinde Ticinum vocatus est. Hic omnium primus Iurisprudentiam, nimiis disputationibus & barbaro dicendi genere involutam pristino nitori restituere, & ad veros fontes revocare conatus est. Quod quidem facere haud difficulter potuit, cùm græci & latini sermonis ad admirationem peritissimus esset, fuit solus inter interpretes Iuris doctissimus, & inter doctissimos Iureconsultissimus.

Hieronymus Cagnolus Vercellensis, ICtus Patavii Cal. Febr. æt. 59. vita functus & in æde D. Francisci sepultus est.

Ioachimus Vadianus Sangallensis, Med. Doct. Theol. & Philosophus summus in patria obiit; ubi & Cos. egit. (al. 1561.)

Ioannes Baptista Montanus Veronensis, olim Medic. Professor Patavii celeberr. 6. Maji, æt. 63.

Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus (al. ab Hohenheym) quem Chymici ineptiores tantùm non Deum faciunt ob arcana quædam cùm artis tùm naturæ, quæ tamen pleraq; in medium ita protulit, ut præter eum alius nemo, nec ipse forsan OEdipus intelligere queat; quaquam non eo plane inficias, ex probè intellectis ejus præsidiis nonnulla singulari quapiam venustate & gratia commendari, magnoque cum mortalium emolumento in usum admitti. Is porrò ut fuit δεινὸς ἄνθρωπος καὶ δύσκολος πρὸς φύσιν, non solùm apertis, quod ajunt, tibiis in Galenum cùm scriptis tùm vivâ voce (docuit enim aliquandiu Basileæ vernacula linguâ) subinde invectus, artis nostræ ἰδίωμα longo temporis ambitu usuque felicissimo stabilitum, nescio quibus speciosè excogitatis, ne dicam futilibus rationibus convellere atque evertere conatus est, verùm etiam quod longe pejus atque homine prorsus indignum est, doctrinæ suæ authorem agnoscit Diabolum, non minus huic gratiæ atq; ipsi Deo habendum esse arbitratus, sicubi pari ab utrisque beneficio afficeretur, id quod abunde animadvertere est tùm aliàs, tùm ex lib. 5. de causis invisibilibus morborum. Posteà verò quàm à profitendi munere remotus fuit, nusquam, quod sciam, nisi Iuvaniæ in Rhetia (Salisburgum nobis ea urbs dicitur) certo loco subsitit. ubi demùm 24. Septembr. æt. 58. (al. 47.) mortuus & in Nosocomio ap. S. Sebastianum sepultus est, cùm diu ante arthritide & contracturâ excarnificatus fuisset, haud aliter, quàm ille, cujus ex Tragico Plutarchus meminit: ἄλλους ἰατρὸς, αὑτὸς ἕλκεσι βρύων. Non desunt tamen, qui ipsum 1541. & quidem Argenti-

Argentinæ è vivis abiisse referant; sed utrumque falsum esse Epitaphium demonstrat.

M. Petrus Plateanus Brabantinus, olim Rhetoricæ artis professor Marpurgens. obiit Aschersiebii 29. Januarii.

ANNO CHR. 1552.

I. PRÆSULES.

Hermannus à VVeda, Comes olim El. & Archiepiscopus Colonien-sis, Administrator Padebornens. 13. (al. 15.) Augusti æt. 75. [al. 81, sed perperam: siquidem natus est 1477.) moritur Wedæ, cùm puriorem antea religionem amplexus, & ideò ab officio Ecclesiastico remotus esset.

Fridericus, Marchio Brandeburg. Ioachimi II. El F. Ioannis Georgii El. & Sigismundi successori sui Fr. Archiepiscopus Magdeburgens. & Administr. Halberstad. 2. Octobr. decedit Halberstadii æt. 22. ibidemque sepulchrum in basilica obtinuit.

Paulus Iovius, Novocomensis, Episcopus Nucerinus, idemque historicorum nostri seculi haud postremus, ut qui diu multumque in principum aulis versatus, affectæque jam ætatis, historiam de suis temporibus componere aggressus, eloquentiæ laudibus reliquos omnes longè superavit, nisi quòd fidei libertatisque minus nonnullibi retinuisse videtur, 3. Id. Xbr. (al. XI. Sept.) æt. 69. (al. 70.) mortuus & Florentiæ sepultus est [al. 1548. quibus ætatis attigit annum 68, M. 7. D. 23.)

Philippus à Flersteyn [al. Flersheym] Episcopus Spirensis, ætat. 70. reg. 23.

Mauritius ab Hutten, Episcopus Eistetensis M. Decembr.

Fridericus Naulea (germ. Grauw.) Weischenfeldensis ex diœcesi Bambergensi Francus: Viennensis Episcopus, Tridenti, durante adhuc Synodo mortem obit.

Crescentius Cardinalis, & Romani PP. nomine præses Concilii Tridentini, Veronæ obiit; de quo legatur Sleidan. lib. 23. Comm.

II. IMPP. REGES.

III. PRINCIPES, COMITES.

Henricus, Dux Megapolitanus, Magni F. Alberti Iunioris Fr. 6. Febr. æt. 72. (al. 73.) Suerini, &

Georgius, Dux Megapolitanus Alberti Junioris F. Ioannis Alberti Fr. qui priore anno in Magdeburgensi obsidione captus fuerat, propter lethale vulnus 13. Iulii summo pedi à globi ictu ad Francofordiam illatum [substiterat quippe tùm in vineâ retro salicem) ejusdem mensis 20. (al. 21.) naturæ cessit.

Guolffgangus, Comes Stolbergicus & Wernigerod. Guolffgangi Ernesti præsentis parens, æt. 51.

Ottho, Comes à Ritberg, in castris ad Metas vitam deserit.

Edouardus, Dux Sommersetus ex Comite Herfordensi, Edouardi IV. Angliæ regis avunculus Londini M. Januario securi percutitur.

IV. LITTERATISS. QVIQ;.

Osvvaldus Myconius, Lucernas, Theol. D. Basileæ Id. Octobr. ex Hectica & Phthisi, tertianæ duplicis sobole, urgente quinetiam ad extremum tympanite defecit, æt. 64. &

Sebastianus Munsterus, Ingelheymensis, Cosmographus & professor Hebrææ linguæ ibidem anthrace correptus, ascensionis Dominicæ festo exstinguitur, æt. 61. [Bucholzero 63.) Cùm ægrotaret, scribit Manlius in coll. & ad eum accederent quidam ex ejus amicis visuri quomodo valeret, & misericordia afficerentur ob cruciatus, quos ex ulceribus sui corporis sentiret, ô, inquit, charissimi amici, & fratres dilecti in Christo, hæ sunt gemmæ & pretiosa ornamenta Dei [ostendens eis simul ulcera) quibus Deus suos amicos ornat, ut eos ad se attrahat: quæ ornamenta pretiosiora existimemus, quàm omne aurum aut opes hujus mundi. Ita paulò post piè & tranquille in Domino obdormivit.

Caspar Hedio, Theol. D. & Ecclesiastes primarius Argentinæ 17. Octob. (al. 17. al. 18. Septemb.) quo eodem etiam die decessit, bellux ritu planè mutus, si Palladio credimus,

Andreas Osiander, ex Theol. Lutherano hæresiarcha Regiomonti, æt. 54.

Bernhardus Zieglerus, nobilis Theol. Doct. & Hebrææ linguæ pro-

profess. peritissimus 2. Ianuar. Lipsiæ. ætat. 56.

Ambrosius Catharinus, Theologus.

Ioannes Cochlæus, insignis λιθομάτιξ, 10. Januarii Vratislaviæ, æt. 73.

P. Franciscus Xaverius, qui primus ex societate Iesu fidem in Indiam invexit. M. Xbr.

Franciscus Dryander, Hispanus, 21. Xbr. Argentinæ.

Barnabas Pytheus, ICtus & eques clariss. æt. 67.

Obernburgerus, intimus Caroli V. Imp. Consiliarius Villaci ex lapsu periit.

Ioannes Sichardus ICtus obiit Tybingæ 9. Sept.

Benedictus Pauli I. u. D. Vitebergæ 3. Apr.

Bartholomæus Magius, Bononiens. Med. æt. 75.

Iodocus VVillichius Reselianus Borussus, Med. & profess. Francofurti ad Viadrum 12. Nov. æt. 51.

Theodoricus Dorstenius M. D. & olim Marpurg. Profess. Cassellis 18. Maji.

Lazarus Bonamicus, Profess. græcæ linguæ & oratoriæ facult. Patavii, æt. 70.

Petrus Appianus, Leisnicensis, Mathematicus excellentiss. Ingolstadii 12. Apr.

Ioannes Marcellus, Professor artium in Acad. Vitebergensi, die natali Domini.

ANNO CHR. 1553.

I. Præsules.

Franciscus, Comes Waldectensis. Philippi F. Episcopus Mindensis, Monasteriensis & Osnabrugensis 15. Jun.

Georgius, princeps Anhaltinus, Ernesti F. Præpositus Magdeburgensis 17. Octobr. [al. Septembr.] æt. 47. cum natus sit 1507. Dessaviæ [al. seq. anno] vide tertiam partem Declamationum Philip. Melanchth. de ipsius vitâ & obitu.

Philippus de Gundolzheym/ (al. Guldenzheym/ Episcopus Basiliensis M. Octobri [al. 1555.)

II. Imp. Reges.

Edouardus IV. Henrici VIII. F. rex Angliæ pro ætatis captu perdoctus 6. Julii veneno sublatus fuisse scribitur, æt. 17.

III. Princip. Comit.

Mauritius El. & Dux Saxoniæ, Henrici F. Augusti El. Fr. in prælio, quod cum Alberto, Marchione Brandeburgico prope Buchtorfium 9. Julii gessit, globo sclopeti tactus, triduo post ipsi tum Deo reddidit, æt. 33. Eodem bello plures quadringentis militibus absorpti sunt, una cum iis.

Carolus Victor, & Philippus Magnus, Duces Brunosw. & Lunæb. Henrici Junioris FF. nec non

Fridericus, Dux Brunsv. & Lunæburg. Ernesti F. Wilhelmi Fr. 11. Julii, &

Ottho, Comes Isenbergicus, Ioannis F. in eâdem pugna, alias Sivershusianâ dictâ occubuerunt.

Ioannes Ernestus, Dux Saxoniæ Coburgens. Ioannis El. F. 8. Februar. [al. Januar.] ἀπαγε Coburgi.

Petrus de Toledo; Friderici Ducis Alnæ F. Marchio Villæ Franchæ, regni Neapolitani prorex, æt. 73. circa bellum Senense ἀχελάμενος ἀποθνήσκει.

Horatius Farnesius, Octavii Fr. Henrici, Galliarum regis gener Dux Camerini.

Ioan. Dudlæus, ex Co. Werwicense Dux Northumbriæ, in Anglia capitis supplicium subiit.

Mustapha, Solymanni Turcici Imp. F. primogenitus, Cappadociæ præfectus cum devictis Persis, lætis at non perinde fastis populi exercitusque Byzantini acclamationibus exceptus reverteretur, solius patris indignationem incurrit, qui factum hoc minuendæ majestatis accipiens, filium ad se vocatum in remotis cubiculi strangulari jubet, & subinde cadaver in oculis exercitus abjici cum hoc superdicto præconis: Unus

Nat: 11. Martij 1521.
Mor. 11 Jul. 1553.

Nat. D. 30. Junii
Anno 1503:

Mort. VINARIÆ
D. III. MARTII
Anno 1554.
ÆT. 51. ANN.

nus in cœlis Deus, unus in terris Imp. Solymannus. Quin nec alii ipsius duo filii præ hac paterna sævitie vitam inter homines diuturniorem invenerunt. Nam Junior natu quòd in omnium attonito stupore animi motum haud comprimens, spectante insuper patre fraternæ neci illachrumasset, biduo pòst veneno pœnas dedit. Tertius qui metu patris ad Persas confugerat, per legatos dedi jussus & palàm securi percussus est. Restabat autem solus Selymus, qui & ipse homo esse desierat, nisi hominem exuisset, ut scribit I. Lipsius lib. 3. Epistolic. Quæstion. Ep. 22. ex relatione Archiepiscopi Istrigoniensis, *Byzantini* exlegati. Nonnulli ad 1552. al. ad 1555. hanc truculentiss. παιδοφονίαν referunt.

IV. Literatiss. Quique.

Ioannes Æpinus, Theol. D. & Hamburgens. Eccl. Superintendens 13. Maji æt. 54.

Caspar Huberinus Bavarus, ex Lutherano Theol. Interimista Augustanus.

Iacobus Bonacossius Ferrariensis, Pauli III. Rom. PP. Medicus, æt. 68.

Hieronymus Fracastorius Veronensis, Medicus & Poeta ἄριστος αἰῶνος τοῦ καθ' ἡμᾶς, Patavii septuagenarius obiit. *Bucholzero* 1548.

Robertus Rossanus, Med. Forolivii, æt. 55.

Ioannes Rivius, Atthendoriensis, olim Ell. Sax. Mauritii & Augusti præceptor, Misenæ 1. Jan. peste sublatus.

Eralmus Reinholdus, Salfeldensis Thuringus, Mathematicarum disciplinarum doctiss. profess. Wittenbergæ 19. Febr. æt. 42. inter parentum complexus hoc versu vitam finiit:

Vixi, & quem dederas cursum, pie Christe, peregi.

David Kyberus Argentinensis peste sublatus æt. 28.

Iohannes Mollius Mont. Ilcinust Theol. & Philos. *Brixiæ*, Mediolani & Ticini profess. Romæ ob fidei confessionem de patibulo suspensus comburitur.

Michael Servetus Hispanus, blasphemum Pauli Samosateni aliorumque plurium hæreticorum dogma adversus Christi divinitatem ab inferis revocans, tùm de baptismo & Angelis docens falsa & erronea justo & æquo judicio Genevæ crematus est 22. [al. 27.] Oct.

ANNO CHR. 1554.

I. Præsules.

Ernestus, Dux *Bavariæ*, *Alberti* IV. F. Archiepiscopus Salisburgensis.

II. Impp. Reges.

Ioanna Graja, 17. annorum adolescentula, græcè latineque pariter doctiss. quia *Angliæ* reginam se appellari passa fuerat [Henrici quippe regis erat ex sorore proneptis] brevi sanè lætata funesto honore, unà cum marito Gilberto Dudlæo, Ducis Northumbriæ F. Londini capitis supplicio afficitur 12. Febr. Quod idem deinceps pertulit Henricus, Dux Suffolciæ, hujus Joannæ parens 21. Febr. Atqui Reginæ caput abjectum fuisse scribitur in gremium principis cognati assistentis, qui itidem postmodum sit accusatus, ut alibi fusiùs exponetur. Interim consulatur Sleidan. lib. 25. comm.

III. Principes, Comites.

Ioannes Fridericus, El. & Dux Saxon. Joannis El. F. & repurgatæ doctrinæ ad mortem usque assertor inexpugnabilis, custodiâ emissus ad placidos cœli portus appulit 3. [al. 4.] Martii Vinariæ æt. 49. Quem ibidem antecesserat conjunx.

Sibylla, Joannis III. Ducis Clivensis F. Gulielmi soror, muliebris pudicitiæ ac fidei quasi speculum & hortus amœnissimus 21. Febr.

Carolus, Dux *Sabaudiæ*, Emanuelis Philiberti parens.

Henricus, *Burggrafius Misniæ*, regni Bohemici Cancellarius in castris ad Plassenburgum 19. Maji è vitâ simul & bello discedit.

M. Antonius Trivisanus, Venetorum princeps, æt. 79. [al. 1556.] In ipsius funera orationem habuit plenam luctus lectuque dignissimam *Bernardinus* Lauredanus patritius Venetus, quæ cum aliis in publicum exstat.

Maria, *Barnimi* IX. Ducis Pomera-

niæ F. Otthonis, Com. Schovvnburgensis 1544. prima conjunx, Adolphi mater.

Ioannes, Baro Heidecus.

IV. Litterat. Quiq;.

Ambrosius Moibanus, Theol. D. & Pastor Eccles. Vratislaviens. pietate, eruditione & fide multâ præstantiss. 16. Jan.

Ioannes Ferus, aliàs Wild / Franciscanus & concionator Moguntinus sedati ingenii & eruditionis eximiæ 8. Septemb.

Lyzetus Lutetiæ.

Hieronymus Schurffius, de Sancto Gallo Helvetius, ICtus famigeratiss. 6. Junii Francofurti ad Viadrum, æt. 74. annum ingressus.

Ioan. Francisc. Vegius, ICtus & patritius Ticinensis, Pisis, æt. 65.

Theobaldus Gerlachius, Billicanus Nordlingensis, I. U. D. & Rhetor. Profes. Marpurgi 9. Augusti.

Sigismundus Gelenius Boemus, vertendis in Latium interpretandisque græcis aliquot authoribus felicissimus Basileæ obiit æt. 57.

ANNO CHR. 1555.

I. Præsules.

Iulius III. Ro. PP. anteà Joannes Maria Montanus dictus, obiisse putatur ex Lethargo 23. Martii Pontif. 6. anno.

Marcellus II. cognomento Cervinus Senensis 22. dierum Ro. PP. initio Maji exstinctus.

Sebastianus, ab Hausenstevn / (al. Heissenstam) Hessus ex I. U. D. in locum Cardinalis Alberti prædecessoris sui 1547. electus El. & Archiepiscopus Moguntinus 18. (al. 15.) Martii Elfeldæ.

Ioannes, ab Hornburgk / Episcopus Lebusiensis 9. Junii.

Livius Podachatarus Cyprius, Archiepiscopus Leucosiensis, æt. 81.

Isidorus Clarius, Brixin. Fulgineæ Episcopus, æt. 60.

Ioannes Hopperus, Episcopus Gloucestrens. combustus 3. Febr. & cum ipso alii, quod PP. doctrinam improbarent, nempe Joannes Bradfort, Laurentius Sanders, Rolandus Thaile I. U. D. Ioannes Ragerus. &

Nicolaus Ridleus, Londinensis Episcopus, &

Hugo Latomerius, Vigornensis Episcopus octogenarius, (Bucholzero septuagenarius) 16. Octobr. uterque combusti Oxoniæ.

Stephanus, Wintonensis Episcopus, & supremus regni Anglici Cancellarius 13. IXbr. ex hydropisi putrefactis visceribus in suum locum abit.

II. Imperatores, Reges.

Henricus Albertus, Navarræ rex, Ioannis Alani Ducis Albretani F. Henrici III. præsentis Galliæ regis avus maternus, cui Ro. PP. ex liberalitate Apostolicâ exiguam particulam regni Navarræi restituit.

Ioanna, Ferdinandi, regis Arragon. Cathol. F. Philippi, ex Archiduce Austriaco regis Castiliæ vidua, Impp. Caroli V. & Ferdinandi mater.

III. Princ. Com.

Elisabetha, Ioannis, regis Daniæ F. Ioachimi I. El. Brandeburgici vidua: Joachimi II. El. mater. 11. (al. 10.) Junii obiit Spondavii (Bucholzero Berlini,) æt. 72.

Agnes, Philippi Landgravii Hassiæ F. Ducum Saxoniæ & Mauritii El. vidua, & Joannis Friderici medii conjux 4. Nov. ex Febri Vinariæ decedit.

Alexander Contarenus, Bailo Venetus, D. Marci procurator, æt. 67.

Ioan. Iacobus Medicinus, Marchio Marignanus ex hac familiâ primus, Bernhardini F. Pii IV. Ro. PP. Fr. Mediolani.

Albertus, Co. Schwartzburgicus in Leutenbergâ, Ioannis Henrici F. Ihenæ studiis honestis invigilans moritur.

IV. Litteratiss. Quiq;.

Iustus Ionas, Mülhusinus, (al. Northusanus) Theol. D. & Lutheri θεραπων fidiss. ex pastore Halensi Superinten-

intendens Ecclesiarum Francicarum, quæ sunt in Ducatu Coburgensi 9. Octobr. Eisfeldiæ æt. 62.

Ruardus Tapper, Theol. & inquisitor hæreticæ pravitatis Lovanii, æt. 80.

Iacobus Mandellus, Albensis, ICtus 30. Octobr. Ticini, æt. 45.

Iacobus Sylvius, Ambianus, Medicus insignis Lutetiæ Parisiorum 13. Ianuar. æt. 77. Genebrardo teste priore anno defungitur.

Gemma Frisius, Dorcensis Cornelii parens, præstantiss. cùm Medicus, tùm & Mathematicus Lovanii.

Antonius Niger Vratislaviensis Silesius, Med. D. omnibus rebus præcellentiss. Brunoswigæ 5. Iunii.

Ioannes Megabacchus, Spangebergensis Med. D. olim Marpurgens. Professor Casselli 27. Iulii.

Olympia Fulvia, Morata Itala, græcis atque latinis litteris egregiè instructa excultaque fœmina, Andreæ Grundleri Med. Trojani uxor 26. Oct. Heydelbergæ æt. 29.

ANNO CHR. 1556.

I. PRÆSULES.

Ioannes [al. Fridericus) Co. ab Eisenbergk/ El. & Archiepiscopus Trevirensis obiit 26. Febr. in arce Montaburen, & sepultus est Confluentiæ ad S. Florinum.

Adolphus, Co. à Schawenburgk/ El. & Archiepiscopus Colonienſis 22. Sept. [al. 10. Oct.)

Thomas Cramerus, Archiepiscopus Cantuariensis, Angliæ primas, triennali carcere exemptus, Oxonii comburitur 21. Martii sub verâ agnitione confessioneque fidei Christianæ, nil prorsus ad supplicii gravitatem expavefactus, ut qui dexteram manum ipsemet igni porrexit, eamque primùm omnium comburi dignissimam censuit, quippe quâ Pontificiis quibusdam impiis decretis non ita pridem inconsultò subscripsisset, [al. priore anno.)

Fridericus, ex Duce Holsatiæ Episcopus Hildesiensis, Sleswici.

Wigandus à Redewitz / Episcopus Bambergensis, Ep. 34.

II. IMPERATOR. REGES.

❁ ❁ ❁

III. PRINCIP. COMIT.

Fridericus II. El. & Co. Palatinus ad Rhenum. Ell. Philippi F. Ludoici Fr. Christierni II. Daniæ regis gener. ἄπαις decedit 26. [al. 21. al. 29.) Feb. Altheymiæ æt. 73. (al. 37. quod mendum existimo esse chalcographicum.)

Hermannus Ludoicus Comes Palatinus ad Rhenum Friderici III. Postmodùm Electoris F. in mari Adriatico non procul à Venetiis submersus æt. 15.

Robertus, Dux Bullionis, Mareschallus regni Gallici.

Franciscus Venerius, Dux Venetus 2. Iulii. In ipsius obitum orationem habuit Bernardinus Lauredanus, quæ inter alias exstat.

Sigismundus, Co. à Gleichen: Sigismundi F. Philippi Fr. æt. 68.

Walpurgis, Co. de Wedâ, Ludovici, Co. Stolbergens. uxor 26. Iun.

Elisabetha, Co. à Plesse; Georgii, Co. Gleichiani prima conjux.

IV. LITT. QVIQ;

Conradus Pellicanus, quondam Franciscani ordinis Monachus, linguarum Hebrææ, Chaldaicæ ac Thalmudicæ callentiss. Tiguri in feriis Paschatis obiit, Boissardo priore anno.

Ignatius de Loyola, primus author & fundator societatis Jesu. æt. 65.

Franciscus Picardus Theol.
&
Andreas Tiraquellus ICtus, παλαιά τι πολλά τι εἰδώς, ambo regii Profess. Lutetiæ. De posteriore tale gitur Encomium ap. Val. Forsterum lib. 3. histor. jur. civil quod huc ponendum duxi. Andr. Tiraquellus vir tantæ & tam variæ lectionis, quantæ nec superiori, nec nostra ætate ullus. Si ipsi soli multiplicem hanc variamque lectionem in omnium disciplinarum authoribus tribuas, impossibile ferè fuisse homini, tantum legisse, dixeris

Si aliorum auxilio, judicium miraberis &c. Ceterùm lubet & hos versus de Tiraquello traditos adscribere:

Facundus fœcundus aquæ Tiraquellus amator
Bis quindecim librorùm liberorumve parens:
Qui nisi restrinxisset æquis abstemius ignes,
Implesset orbem prole animi & corporis.

Stephanus Rossius, ICtus eques auratus & Comes Vercellis æt. 70.

Ioannes Sleidanus, I. U. Licentiatus & historicus elegantissimus Argentinæ ultimo (al. 13.) Oct. absumptus morbo Epidemio æt. 50.

Valentinus Friedland/ Trozendorffius, scholæ Goltpergensis per 32. annos moderator industrius 6. Cal Maji, cùm in enarratione Evangelii versaretur, Apoplexiâ intercidit æt. 67. Lignicii, quo tum dicta schola post sævum illud Goltpergensis civitatis incendium translata fuerat.

ANNO CHR. 1557.

I. Præsules.

N. Episcopus Labacensis, Donaverdæ templum egressurus, ex lapsu cervicem fregit 31. Martii. (al. seq. anno.)

II. Imp. Reges.

Ioannes III. rex Portugalliæ. Emanuelis Ioannis parens, Sebastiani penultimi, quem τριέτηρον in regno successorem reliquit, avus, æt. 50. regni 36. Vlyssibonæ. (al. 1558. al. 1559.)

Bona Sforzia, Ioannis Galeacii, Ducis Mediolanensis & Isabellæ Neapolitanæ F. Sigismundi I. Poloniæ regis vidua; Sigismundi Augusti mater, in Ducatu Barrensi regni Neapolitani mœrore consumpta exstinguitur. Stapletono seq. anno.

III. Principes, Comites.

Ioannes, Co. Palatinus ad Rhenum Simmerensis. Joannis F. Friderici III. El. parens 18. Maji.

Albertus, Marchio Brandeburgicus in Voitlandiâ, Casimiri F. Germaniæ Alcibiades dictus ab El. Saxon. Rochlicii captus & Gotham in custodiam missus 1547. Noribergam obsidione cingens 12. Maji 1552. acie adversus Mauritium El. Sax. dimicans 9. Jul. 1553. & ad ultimum à Cæsare, tum etiam τῶν δικαστηρίων τῶν τελειοτάτων ἐξωστρακισμένος patriaque ditione pulsus 1554. in Lotharingiam & inde in Galliam contendit; elapso autem biennio publicâ fide in Germaniam reversus, exsul apud Carolum March. Badensem, suum sororium vixit, donec initio hujus anni, nempe 8. Ian. Portæ Hercyniæ hujus vitæ procellis liberatus cœlestem patriam summeque tranquillam adiit. ἄγαμος καὶ ἄπαις æt. 35. Sal. seq. anno.)

Ferdinandus Gonzaga, olim Mediolanensis Ducatus gubernator & Caroli V. Imp. uti & ipsius F. Philippi regis ἀρχιστρατηγὸς Τενναῖος ἐν τοῖς κατὰ πόλεμον ἀνδραγαθήμασιν M. Novembr. Bruxellæ.

Philippus, Dux Megapolitanus, Henrici F. Magni Fr. æt. 43.

Ioannes, Dux Anguieñensis; Antonii, regis Navarræ Fr. &

Ioannes, Dux Luneburgens. Ernesti Fr. globo tormentario per genu trajectus & Cameraci sepultus, &

Franciscus de Turre, Vicecomes Turonensis, &

Philippus, Comes Spigelbergensis ultimus, &

Fridericus, Com. Waldeccensis, aliique complures claris natalibus orti, præter 2500. gregariorum militum in bello ad S. Quintinum Picardiæ cæsi & absumpti sunt, 10. [al. 9.] Augusti. Qui trucidatorum 5000. & captivorum 10000. numerant, num amabò fidei plus merebuntur?

Wolfgangus, Com. Hoiensis, Jodoci F. Otthonis ultimi Fr. equo collapsus & sic crure fracto Argentinæ obiit.

Conradus, Co. Tecklenborgensis, in quo mascula stirps desiit, 6. Martii.

Margareta, Io. Henrici Com. Schwartzburgici F. Co. de Gerâ vidua; Otthonis, Ducis Lunæburgens. prima conjux, Otthonis Henrici mater 18. Martii mortua & dein Harburgi sepulta.

Margareta, Co. Gleichens. Gebhardi,

hardi, Co. Mansfeldenſ. uxor 1. Auguſti Seeburgi.

IV. Liter. Quiq;

Ioannes Forſterus, Theol. D. & Profeſſ. Hebræus Vitebergæ 8. [al. 12.) Xbr. obiit æt. 61. cùm natus ſit Auguſtæ Vindelicor. 1495. Chytræus, Bucholzerus uti & Boiſſardus obitum priori anno largiuntur.

D. Ioannes Timannus, Amſterodamus 30. annorum Brehmenſis Eccleſiaſtes, Neoburgi ad Veſeram in Eccleſiarum viſitatione fato fungitur 17. Feb.

Hieronymus Niger, Venetus ICtus & Canonicus Patavinus æt. 65.

Ioannes Antonius Bozzavotra, Neapolitanus ICtus.

Georgius Pontanus I. u. D. & Ell. Saxon. Cancellarius 20. Febr. Ihenæ æt. 70.

Vitus Amerbachus, Wemdingenſis, Philoſophus eximius Ingolſtadii 13. Sept. æt. 54.

ANNO CHR. 1558.

I. Præsules.

Antonius, Co. Schavvenburgicus: Prædeceſſoris ſui Fr. El. & Archiepiſcopus Colonienſis.

Reginaldus Polus, Richardi F. Edouardi IV. Angliæ regis, ex fratre Gregorio, Duce Clarentiæ pronepos, Cardinalis & Archiepiſcopus Cantuarienſis impenſè doctus 18. Novembr. æt. 57.

Chriſtophorus, Dux Brunoſvvicenſ. Henrici ſenioris F. Brehmenſis Archiepiſcopus, & Verdenſis Adminiſtr. Tangermundæ faucibus Synanchâ occupatis atque præcluſis decedit æt. 73.

Philippus Achintus, Archiepiſcopus Mediolanenſis æt. 60.

Melchion Zobel, von Gutenberg/ Epiſcopus Herbipolitanus 17. (al. 16.) Aprilis per Sicarium ſclopeti ictu percuſſus, ſpiritum depoſuit. (al. ſeq. anno.)

II. Imperatores, Reges.

Carolus V. Ro. Imp. Philippi, regis Caſtellæ & Archiducis Auſtriæ F. Maximiliani I. Imp. nepos: princeps ſanè in omnibus vitæ partibus moderatiſſ. ac hinc quodammodo ſe ipſo major, poſtquàm Imperii faſces depoſuiſſet, imitatus in hoc Diocletianum & Tiberium II. nec plus centenis aureorum millibus ex omni regno ſibi reſervaſſet, unde & duodecim miniſtros aleret, & egentium neceſſitatem ſublevaret, Monaſterium S. Juſti Ordin. Hieronymitarum in Hiſpaniâ ingreſſus, ut precibus aſſiduis vacaret, ac contemplationi rerum divinarum attentiùs inſiſteret, magnum ſibi præſidium ad bene beateque moriendum comparavit: Ceterum ardentiſſimâ febre laceſſitus, naturæ ſe legibus ſummiſit, lutumque καλῶς πεφυραμένον naturæ reſtituit, à quâ mutuum acceperat 20. (al. 21.) Septembr. æt. 59. ſepultus in Monaſterio, quod Hiſpanis Eſcurial, dicitur. (al. in Vallé Doleti.

Eleonora, Caroli V. Imp. ſoror duorum regum Emanuelis Portugalliæ & Franciſci I. Galliæ vidua, Caſtiliæ 14. Apr. [al. Febr.] &

Maria, altera Caroli V. Imp. ſoror, Ludovici regis Hungariæ vidua, & dein Belgii gubernatrix 14. Octobr. Valledoliti æt. 53. nata quippe fuit 1505. Bruxellæ. &

Maria, Caroli V. Imp. nurus & conſobrina: Philippi, Hiſpaniæ regis conjunx ſecunda, Henrici IIX. Angliæ regis F. 17. Novembr. [al. ſeq. anno.)

III. Principes, Comites.

Wilhelmus, Dux Brunoſvvic. Henrici junioris Fr. exul Myrovii.

Gregorius, Co. Wirtenbergenſ. & Montisbeligardi, dominus ſupremus Hericuriæ, Henrici Co. ex Evâ Salmenſi F. natus 4. Febr. 1498. Philippi, Landgravii Haſſiæ gener ob ductam 14. Sept. 1555. ipſius F. Barbaram (Munſtero Agnetem) ex quâ præſentem Ducem Wirtembergicum Friderjcum produxit, princeps pacis & juſtitiæ amantiſſimus, vereque pater patriæ in fata conceſſit Bipontii.

Eliſabetha, Joachimi I. El. Brandeburgici F. Erici ſenioris, Ducis Brunoſvvicenſ. vidua, & Poppomis, principis Hennebergenſis uxor, 25. Maji diem obiit Ilmenæ; ſepultaque eſt Veſeræ.

Eliſabetha Haſſica; Joannis, Ducis Saxoniæ vidua. 6. Xbr.

Dorothea, Pomeraniæ Duciſſa, Joannis Co. Mansfeldenſ. prima conjux 4. Junii Rotenburgi mortua & Mansfeldæ ſepulta.

Ma thil-

Si aliorum auxilio, judicium miraberis &c. Ceterùm lubet & hos versus de Tiraquello traditos adscribere:

Facundus fœcundus aquæ Tiraquellus amator
Bis quindecim librorum liberorumve parens.
Qui nisi restrinxisset æquis abstemius ignes,
Implesset orbem prole animi & corporis.

Stephanus Rossius, ICtus eques auratus & Comes Vercellis æt. 70.

Ioannes Sleidanus, I. U. Licentiatus & historicus elegantissimus Argentinæ ultimo (al. 13.) Oct. absumptus morbo Epidemio æt. 50.

Valentinus Friedland/ Trozendorffius, scholæ Goltpergensis per 32. annos moderator industrius 6. Cal. Maji, cùm in enarratione Evangelii versaretur, Apoplexiâ intercidit æt. 67. Lignicii, quo tum dicta schola post sævum illud Goltpergensis civitatis incendium translata fuerat.

ANNO CHR. 1557.

I. Præsules.

N. Episcopus Labacensis, Donaverdæ templum egressurus, ex lapsu cervicem fregit 31. Martii. (al. seq. anno.)

II. Imp. Reges.

Ioannes III. rex Portugalliæ. Emanuelis Ioannis parens, Sebastiani penultimi, quem τριέτηρον in regno successorem reliquit, avus, æt. 50. regni 36. Vlyssibonæ. (al. 1558. al. 1559.)

Bona Sforzia, Ioannis Galeacii, Ducis Mediolanensis & Isabellæ Neapolitanæ F. Sigismundi I. Poloniæ regis vidua; Sigismundi Augusti mater, in Ducatu Barrensi regni Neapolitani mœrore consumpta extinguitur. Stapletono seq. anno.

III. Principes, Comites.

Ioannes, Co. Palatinus ad Rhenum Simmerensis. Joannis F. Friderici III. El. parens 18. Maji.

Albertus, Marchio Brandeburgicus in Voitlandiâ, Casimiri F. Germaniæ Alcibiades dictus ab El. Saxon. Rochlicii captus & Gotham in custodiam missus 1547. Noribergam obsidione cingens 12. Maji 1552. acie adversus Mauritium El. Sax. dimicans 9. Jul. 1553. & ad ultimum à Cæsare, tum etiam ὑπὸ τῆς δικαστηρίου τῆς τελειοτάτης ἐξωστρακισμένος patriaque ditione pulsus 1554. in Lotharingiam & inde in Galliam contendit; elapso autem biennio publicâ fide in Germaniam reversus exsul apud Carolum March. Badensem, suum sororium vixit, donec initio hujus anni, nempe 8. Ian. Portæ Herciniæ hujus vitæ procellis liberatus cœlestem patriam summeque tranquillam adiit. ἄγαμος καὶ ἄπαις æt. 35. [al. seq. anno.)

Ferdinandus Gonzaga, olim Mediolanensis Ducatus gubernator & Caroli V. Imp. uti & ipsius F. Philippi regis ἀρχιστρατηγὸς Τενναῖος ἐν τοῖς κατὰ πόλεμον ἀνδραγαθήμασιν M. Novembr. Bruxellæ.

Philippus, Dux Megapolitanus, Henrici F. Magni Fr. æt. 43.

Ioannes, Dux Anguieñensis, Antonii, regis Navarræ Fr. &

Ioannes, Dux Luneburgens. Ernesti Fr. globo tormentario per genu trajectus & Cameraci sepultus, &

Franciscus de Turre, Vicecomes Turonensis, &

Philippus, Comes Spigelbergensis ultimus, &

Fridericus, Com. Waldeccensis, aliique complures claris natalibus orti, præter 2500. gregariorum militum in bello ad S. Quintinum Picardiæ cæsi & absumpti sunt, 10. [al. 9.] Augusti. Qui trucidatorum 5000. & captivorum 10000. numerant, num amabò fidei plus merebuntur?

Wolfgangus, Com. Hoiensis, Jodoci F. Otthonis ultimi Fr. equo collapsus & sic crure fracto Argentinæ obiit.

Conradus, Co. Tecklenborgensis, in quo mascula stirps desiit, 6. Martii.

Margareta, Io. Henrici Com. Schwartzburgici F. Co. de Gerâ vidua; Otthonis, Ducis Lunæburgens. prima conjux, Otthonis Henrici mater 18. Martii mortua & dein Harburgi sepulta.

Margareta, Co. Gleichens. Gebhardi,

hardi, Co. Mansfeldenſ. uxor 1. Auguſti Seeburgi.

IV. Liter. Quiq;.

Ioannes Forſterus, Theol. D. & Profeſſ. Hebræus Vitebergæ 8. (al. 12.) Xbr. obiit æt. 61. cum natus ſit Auguſtæ Vindelicor. 1495. Chytræus, Bucholzerus uti & Boiſſardus obitum priori anno largiuntur.

D. Ioannes Timannus, Amſterodamus 30. annorum Brehmenſis Eccleſiaſtes, Neoburgi ad Veseram in Eccleſiarum viſitatione fato fungitur 17. Feb.

Hieronymus Niger, Venetus ICtus & Canonicus Patavinus æt. 65.

Ioannes Antonius Bozzavotra, Neapolitanus ICtus.

Georgius Pontanus I. u. D. & Ell. Saxon. Cancellarius 20. Febr. Ihenæ æt. 70.

Vitus Amerbachus, Wemdingenſis, Philoſophus eximius Ingolſtadii 13. Sept. æt. 54.

ANNO CHR. 1558.

I. Præsules.

Antonius, Co. Schavvenburgicus: Prædeceſſoris ſui Fr. El. & Archiepiſcopus Colonienſis.

Reginaldus Polus, Richardi F. Edouardi IV. Angliæ regis, ex fratre Gregorio, Duce Clarentiæ pronepos, Cardinalis & Archiepiſcopus Cantuarienſis impenſè doctus 18. Novembr. æt. 57.

Chriſtophorus, Dux Brunoſvvicenſ. Henrici ſenioris F. Brehmenſis Archiepiſcopus, & Verdenſis Adminiſtr. Tangermundæ faucibus Synanchâ occupatis atque præcluſis decedit æt. 73.

Philippus Achintus, Archiepiſcopus Mediolanenſis æt. 60.

Melchion Zobel, von Gutenberg/ Epiſcopus Herbipolitanus 17. (al. 16.) Aprilis per Sicarium ſclopeti ictu percuſſus, ſpiritum depoſuit. (al. ſeq. anno.)

II. Imperatores, Reges.

Carolus V. Ro. Imp. Philippi, regis Caſtellæ & Archiducis Auſtriæ F. Maximiliani I. Imp. nepos: princeps ſanè in omnibus vitæ partibus moderatiſſ. ac hinc quodammodo ſe ipſo major, poſtquam Imperii faſces depoſuiſſet, imitatus in hoc Diocletianum & Tiberium II. nec plus centenis aureorum millibus ex omni regno ſibi reſervaſſet, unde & duodecim miniſtros aleret, & egentium neceſſitatem ſublevaret, Monaſterium S. Juſti Ordin. Hieronymitarum in Hiſpaniâ ingreſſus, ut precibus aſſiduis vacaret, ac contemplationi rerum divinarum attentius inſiſteret, magnum ſibi præſidium ad bene beateque moriendum comparavit: Ceterum ardentiſſimâ febre laceſſitus, naturæ ſe legibus ſummiſit, lutumque καλῶς πεφυγμένον naturæ reſtituit, à quâ mutuum acceperat 20. (al. 21.) Septembr. æt. 59. ſepultus in Monaſterio, quod Hiſpanis Eſcurial, dicitur. (al. in Vallé Doleti.

Eleonora, Caroli V. Imp. ſoror duorum regum Emanuelis Portugalliæ & Franciſci I. Galliæ vidua, Caſtiliæ 14. Apr. [al. Febr.] &

Maria, altera Caroli V. Imp. ſoror, Ludovici regis Hungariæ vidua, & dein Belgii gubernatrix 14. Octobr. Valledoliti, æt. 53. nata quippe fuit 1505. Bruxellæ. &

Maria, Caroli V. Imp. nurus & conſobrina: Philippi, Hiſpaniæ regis conjunx ſecunda, Henrici IIX. Angliæ regis F. 17. Novembr. [al. ſeq. anno.)

III. Principes, Comites.

Wilhelmus, Dux Brunoſvvic. Henrici junioris Fr. exul Myrovii.

Gregorius, Co. Wirtenbergenſ. & Montisbeligardi, dominus ſupremus Hericuriæ, Henrici Co. ex Evâ Salmenſi F. natus 4. Febr. 1498. Philippi, Landgravii Haſſiæ gener ob ductam 14. Sept. 1555. ipſius F. Barbaram (Munſtero Agnetem) ex quâ præſentem Ducem Wirtembergicum Friderjcum produxit, princeps pacis & juſtitiæ amantiſſimus, vereque pater patriæ in fata conceſſit Bipontii.

Eliſabetha, Joachimi I. El. Brandeburgici F. Erici ſenioris, Ducis Brunoſvvicenſ. vidua, & Popponis, principis Hennebergenſis uxor, 25. Maji diem obiit Ilmenæ; ſepultaque eſt Veseræ.

Eliſabetha Haſſica; Joannis, Ducis Saxoniæ vidua. 6. Xbr.

Dorothea, Pomeraniæ Duciſſa, Joannis Co. Mansfeldenſ. prima conjux 4. Junii Rotenburgi mortua & Mansfeldæ ſepulta.

Mathil-

Mathildis, Wilhelmi senioris, Landgravii Hassiæ F. Conradi, Co. Tecklenborgensis vidua 16. Augusti.

Anna, *Maximiliani* Co. Egmondani F. unica, Wilhelmi principis Uraniæ conjunx, & mater *Mariæ* & Carol. Wilhelmi 24. *Martii*.

Elisabetha, Ennonis II. Co. Orientalis Frisiæ F. Ioannis Co. Schovvnburgensis in Böckenburg/ conjux: Sepulta in *Mollenbeccensi* cœnobio.

Agnes, Wolffgangi Co. Barbejensis uxor & mater 20. liberorum, 12. Septembr. æt. 47. & ipsius parens

Gebhardus, Com. *Mansfeldens.* Ernesti senioris F. 13. Sept. æt. 80.

Carolus de La Laing, Co. Hochstratensis, gubernator Hannoniæ & eques torquatus.

Petrus Strozza, in oppugnatione Theodonis villæ ad sinistram mammam globo trajectus, τὸ ζῆν ἀποδίδωσι, ὡς χρεὼν 8. Iul. Cujus Epitaphium tale circumfertur: *Heîc mortuus quiescit semel, qui vivus quievit nunquam.*

IV. Literat. Qviq;.

Ioannes Bugenhagius, Greiffenbergensis Pomeranus, ex *Monacho* excucullato Theol. D. & Episcopus Vitebergæ per 38. (al. 36.) annos vigilantiss. 20. [al. 19. al. 28.] *Aprilis* æt. 73. *Boissardus* ipsum Iulini in Pomerania 1485. natum & 1548. mortuum refert.

Erhardus Snepfius, Heilbrunnensis, Th. D. Ecclesiastes & profess. *Marpurgens.* 6. concionator Wirtenberg. 12. Professor Tybingens. 3. annorum & ultimò Ecclesiastes & profess. Iehnæ præcipuus 1. IXbr. æt. 63. Hoc loco non indigni sunt, qui ponantur leganturve versus Stigelii ob deplorandas calamitosasque recentium quorundam Theologorum factiones & dissidia turbulentissima.

Occubuit sancti CONSTANTIA *morte Lutheri.*

Deficiens obiit tecum CONCORDIA *Snepfi.*

Tandem omnis periit moriente Melanchthone CANDOR.

Iustus Menius, pastor Lipsiæ 11. Augusti.

M. Adamus Crato, Fuldens. Theolog. Profess. *Marpurgens.*

Ioan. Ferrarius Montanus *Amelburgens.* ICtus & Acad. *Marpurgens.* Vice-Cancellarius 25. Iunii æt. 73.

Franciscus Balduinus, ICtus Parisiensis clariss.

Augustinus Reusia de Barbarano I. u. D. æt. 72.

Ioannes Fernelius, Ambianus, *Med.* & Profess. regius, quo nec majorem nec utiliorem Gallia genuit, 6. Cal. *Maji* Parisiis, æt. 49.

Ianus Cornarius, Zuiccaviensis, *Med.* φιλεπιστήμων & Ihenæ 16. *Mart.* æt. 58.

Iulius Cæsar Scaliger, ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ καὶ πάντων θαυμαστὸς obiit Agini Nitiobrigam 21. Oct. æt. 75. cùm natus sit 23. April. 1484. in castro Ripa ad caput lacus Benaci, loco ditionis Scaligerorum.

Petrus Bayrus, *Med.* nonagenarius, Augustæ Taurinorum.

Iacobus Micyllus, Profess. Heidelberg. 28. Ian. æt. 55.

ANNO CHR. 1559.

I. Præsules.

Paullus IV. Rom. PP. antea Petrus Caraffa dictus, è nobili Neapolitanorum genere oriundus, quique severius vitæ genus Venetiis instituit, unde ipsius sectatores Theatini vocantur, 1. Sept. (al. 17. al. 18. Augusti) æt. 83. (al. 84. al. 82.) somno mortis inexcitabili atque omnibus communi sopitus, & sub exiguum saxum talis tantusque vir conditus: σπεύσωμεν δ' εἰς ὕλας καὶ κακὰ ὕδατα μετέβαλ', ut cum Platone loquar.

Virgilius Rosarius, Spoletinus, Presbyter Cardinalis, æt. 60.

Ioannes Gropperus, Cardinalis & Archiepiscopi Coloniensis Consiliarius 14. *Martii* Romæ æt. 58. [al. 50.]

Aloysius Lippomanus, Venetus, Episcopus *Metonæ* & Veronæ.

Lucas Gauricus, Episcopus 6. *Martii* æt. 83.

II. Imp.

II. Impp. Reges.

Christianus III. Daniæ rex, Friderici I. F. Friderici II, parens, 1. [al. 25.] Jan. æt. 56. simulatque canticum Simeonis in argumentum fidei altissimâ & verè cygneâ voce cecinisset, placidè exspiravit, quem paulo post sequitur patruelis.

Christiernus II. Daniæ rex captivus, Ioannis F. 14. (al. 25.) Ianuarii Calinburgæ æt. 78. custodiæ 28. De cujus immani tyrannide legantur Iohan. Magnus lib. 24. & Olaus Magnus lib. 8. cap. 39. & 40. histor. de gentibus Septentr.

Henricus II. rex Galliæ, Regum Francisci I. F. Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. parens, compositis Galliæ rebus, & pace cum finitimis partâ, dum filiæ [Elisabethæ) & sororis [Margaritæ] nuptias celebri & festivo hastiludiorum exercitio festiviores reddere conaretur, procurrens & ipse in Catadromo (30. Jun. à Gabriele Comite Mongimerio, qui post aliquot annos Parisiis decollatus fuit) pyxidatâ lanceâ adeò gravem ictum pectore excepit, ut ictus violentiâ lamina ductilis, quâ è galeâ prospicitur, surrigeretur, & dissultantis in frusta lanceæ truncus supra dextrum superciliũ impingeretur, cutisque musculosa frontis ad minorem usque oculi sinistri canthum laniaretur, multis ejusdem trunci frustulis in commemorati oculi substantiam depactis, penitus tamen intactis & illibatis ossibus: fuit verò commoti inde & concussi cerebri tanta vis, ut undecimo ab ictu die interierit (æt. 41. regni 13.) Post obitum dissecto cranio in parte ictui oppositâ ad mediam occipitis suturam effusi, inter crassam & tenuem menyngem, sanguinis copia comperta est, & corruptæ cerebri substantiæ, quantum pollice tegi posset, indicia ex colloris nativi in flavum mutatione apparuere. Quæ causæ regi Christianissimo mortis consecutionem attulerunt, non sola vulnerati oculi læsio, ut plerique falsò sunt suspicati. Ambros. Pareus lib. 9. cap. 9. Oper. Chirurg. In explorandâ tamen vulneris profunditate singularem præ cæteris solertiam adhibuisse fertur. Andr. Vesalius, qui ut maximis quàm potuit itineribus ad regem Bruxellis evocatus contendit, non modo regem dentibus strophiolum leniter complecti jussit, verùm etiam ob illius extractionem aucto exacerbatoque dolore vulnus ut in cerebri usque substantiam penetrans, ita & lethale seu Chironium fore pronunciavit: quod ὡς ἐν παρέργῳ subjungendum duxi.

III. Princ. Com.

Ottho Henricus, El. & Co. Palatinus ad Rhenum, Ruperti F. Philippi nepos, qui 1521. in Palæstinam profectus, & 1542. sinceriorem Evangelii lucem amplexus est, 13. (al. 12.) Februar. moritur Heydelbergæ æt. 57. nullâ relictâ prole masculâ, & proinde successorem habuit longâ serie agnatum Fridericum III. hujus præsentis Friderici avum. (al. priore anno.)

Wilhelmus, princeps Hennebergensis 26. [al. 24.] Jan. æt. 81.

Hercules Estensis II. Dux Ferrariensis, Alphonsi F. Ludoici XII. Galliæ regis gener, 4. (al. 3.) Oct.

Franciscus Ottho, Dux Brunoswic. & Lunæburgens. Ernesti F. νεόγαμος 19. (al. 29.) April.

Wilhelmus senior, Co. Nassoviæ, Wilhelmi Aurangiæ principis parens.

Anna, Ernesti Com. Hohensteinens. F. Alberti, Co. Mansfeldici uxor 4. (al. 14.) Februar.

Laurentius Priulus, Venetæ Reip. princeps, 10. Aug.

IV. Literatiss. Quique.

Erasmus Sarcerius, Annæmontanus, Ecclesiastes primò in Comitatu Nassoviensi, secundo Lipsiæ, pòst Islebiæ & ultimo Magdeburgi, ubi etiam obiit 27. [al. 28.) IXbr. æt. 59.

Franciscus Duarenus, ICtus eloquentiss. apud Bituriges mortuus & prope Baronem sepultus est. Val. Forsterus lib. 3. histor. jur. civil. ipsum tali ornat elogio, Franc. Duarenus, præceptor meus, præterquam quod eloquentiâ dicendique genere suavi & facili omnes sui temporis iureconsultos superavit: docendi ratione maximè antecessit. Primus enim diu antè methodicam docendi rationem non observatatam, iterùm revocavit, restituitque. Vita ei prærepta est immature, iis causam mortis dantibus, quos servarat.

Iacobus Milichius, Friburgensis Brisgoiæ, Med. D. & profess. omnium suffragiis eruditiss. Vitebergæ 10. Xbr. hujus lucis usuram omisit æt. 59. [al. priore anno] Vid. V. partem Declamationum Phil. Melanchth. de ipsius Milichii vitâ.

Robertus Stephanus, de re litterariâ præclarè meritus 29. Septemb. æt. 56.

Anno Chr. 1560.

I. Præsules.

Michael von Kuenbergk/ Archiepiscopus Salisburgensis.

Carolus de Marillac, Archiepiscopus Viennensis in Galliâ ex mœrore decedit 3. Xbr. æt. 50.

Ioannes Bellajus, Cardinalis Parisiensis, 16. Febr. Romæ.

Rudolphus, à Franckenstein / Episcopus Spirensis.

Mauritius, ab Hutten/ Episcopus Frisingensis.

Robertus Cœnalis, Arboricensis Episcopus & Theol. D. Lutetiæ.

II. IMPERATORES, REGES.

Gustavus, Sueciæ Rex, Regum Erici XIV. & Joannis III. parens, 29. Sept. æt. 70. regni 39. Ἐπίσιχον Henrici Molleri Poëtæ:

Vt LVX AngeLICa fVLgeret saCra
CohortI,
GostaVVs SVeonVm reXVIgIL,
ara, perIt.

Franciscus, II. Galliæ rex, Henrici II. F. 17. annorum adolescens, postquàm 17. dies decubuisset, ex febre, Parotidem sinistræ auris sequutâ decedit, ut refert Arnoldus Ferronus. (al. ex Apostemate cerebri] 5. Xbr. regni M. 16. D. 15. ἄπαις. Cæterum cadaver absque morâ, nullis adhibitis exsequiis tàm regio funere dignis, quod Adamus Henricpetri scribit, ad fanum S. Dionysii usque delatum ibique reconditum fuit, ita ut hoc loco mirari iubeat, quâ demùm fronte Laur. Surius asseveret, illud ipsum Aureliæ in æde S. Crucis ad tempus collocatum, denique ab Hugonottis 1562. combustum fuisse.

Isabella, Sigismundi I. Poloniæ regis F. Joannis, regis Hungariæ vidua (al. priore anno.

Maria, Claudii, Guisiæ Ducis è familia Lotharingicâ F. Iacobi V. Scotorum regis vidua, Edimburgi in arce regiâ M. Junio.

III. PRINCIP. COMIT.

Philippus, Dux Pomeraniæ Wolgastensis, Georgii F. 14. Februar. æt. 45. (al. 55, al. 75. nisi forte mendum à Typographo commissum sit in assignando natali anno 1516. pro 1506.)

Ioannes Fridericus Junior, Dux Saxoniæ, Joannis Friderici El. Sax. captivi F. 8. Augusti Vinariæ.

Albertus, Co. Mansfeldicus, Ernesti senioris F. 5. Martii æt. 80.

Andreas Doria, Genuensis, Melphitano principatu à Carolo V. Imp. donatus, ut in cujus viri consilio virtuteque totius Liguriæ opes & classes, copiæque navales sitæ erant, quod Iovius scribit, Genuæ vitâ excessit, 25. IXbr. æt. 94. noctu citra Pompam funebrem elatus & sepultus, prout jam morti vicinus jusserat.

Ioannes, Co. Schownburgicus, Jodoci F. Otthonis Fr. qui sedem Bockeburgi habuit, ἄπαις.

IV. LITT. QVIQ;

Philippus Melanchthon, (german. Schwartz-Erde) natus Brettæ in Palatinatu 16. Februar. [al. Januar.] 1497. πολυθρύλητον τῆς λοιχερέης Ἀκαδημίας σιμικλόγημα, καὶ ὑπ' ἀληθείᾳ χοινὸν ἁπάσης τῆς οἰκεμένης ἔφελος: Ubi jam 42. annos Vitebergæ docuisset. 13. Cal. Maji ad exitum vitæ vocatur febri tertiana, quam scribunt ex pituitâ tenui ad pulmonem destillante concitatam fuisse. Quia verò hujus viri laudes tàm exigua pagella non capit, eo jusque integritas reprehensiones alias omnes facile repellit, pluribus in præsentiâ supersedebo, lectorem ad Camerarium remittens, qui Melanchthonis vitam splendido orationis genere fusius descripsit. Ἐπίσιχον tale est.

pVbLICa res, VIrtVtIs honos, ECCLesIa VIVax,
LVget In InterItV, Magne PhILIppe, tVo.

Ioannes à Lasky, nobilis Polonus & Heydelbergens. olim Theolog. ex Anglia reversus in patriâ terra supremum diem obiit 8. Jan. æt. 61.

Petrus Palladius, Ripensis Theolog. D. & Episcopus Roschildensis in Daniâ æt. 57.

Ambrosius Blaurerius ex Monacho Alperspacensi præcipuus olim Ecclesiæ Constantiensis minister, in Helvetia.

Nicolaus

Nicolaus Gerbelius, Phorcensis ICtus 20. Ian. Argentinæ.

Georgius Sabinus, Brandeburgens. I. C. & P. L. & per quinquennium Acad. Regiomontanæ in Borussiâ primus Rector, Melanchthonis gener. 11. (al. 1.) Xbr. Francofordæ ad Viadrum æt. 53.

Franciscus Burchardus, Vinariensis, Cancellarius Ducum Saxon. 15. Januar. æt. 57. (al. 56.) ex μάρσιπ decedit, legatione perfunctus Anglica.

Everhardus Nicolai L. L. præses Flandrici & Mechlinienſis Senatus.

Franciscus Oliverius, Franciæ Cancellarius, fœdo morbo diu excruciatus Amboſii exſpirat 30. Martii, ſepultus Lutetiæ à Michaële Hoſpitalio, quem ſucceſſorem habuit:

Iacobus Bordingus, Antwerpienſ. regis Daniæ, Archiater 5. Septemb. æt. 50.

Andreas à Lacuna, Hiſpanus Segobienſis, philiatros & Galeni Epitomographus.

Philippus Bechus, Med. & profeſſor Logices Baſilienſ. tertio nonas Septembr.

Petrus Lotichius, Med. D. & profeſſor Heydelbergenſ. 7. IXbr.

Ioannes Dryander, Wetteranus Med. D. & Mathematicus Marpurgi 20. Xbr.

ANNO CHR. 1561.

I. PRÆSULES.

Carolus Caraffa, Cardinalis, Paulli IV. Ro. PP. ex fratre nepos; Antonii, Marchionis Montisbelli Fr. Alfonſi Caraffæ Cardinalis patruus; Iuſſu Pii IV. Ro. PP. violenta morte exſtinguitur Romæ in caſtello Angeli 5. Martii, carnifice nimirum collo injectum mantile tam diu contorquente, quouſque in totum præcluſa trachea ſuffocatus fuit. Frater verò ipſius Fridericus (al. Iohannes) Dux Pallianus & Com. Montorius, una cum Leonhardo Cardino in turri Nona capite plectitur, cadaveribus poſtmodum in pontem Tiberinum, quò pulchrum illud, ô Di boni, facinus cunctis innoteſceret, ſummo mane collocatis, ac demum à Fratribus Miſericordiæ inter facinoroſos ſepultis. Ἀδικήματα μεγάλα μὲν. [denuò & hîc rogatus ſententiam haud dubiè pronunciaret Æſchines] γινόμενα δ' οὖμαι ἐν τῇ πόλει: Injuriæ illæ magnæ quidem, ſed tamen fieri ſcilicet in urbe noſtra ſolitæ.

Michael Sidonius, ex ſuf. fraganeo Moguntino Mersburgenſ. Epiſcopus & Cameræ Imp. præſes, æt. 55.

Ioannes Tidemannus, Epiſcopus Lubecæ.

II. IMPERATOR. REGES.

Ludoicus XIII. Galliæ rex; Henrici II. F. Franciſci II. Fr. & in regno ſucceſſor, ut quorundam fert opinio, æt. 12. exſtinctus, cum paullo ante nempe 15. Maji diadema Remis accepiſſet. Ejus tamen ab aliis quàm plurimis ſcriptoribus nulla fit mentio, ut qui Carolum IX. Franciſco II. protinus ſubjungunt. Nec deſunt, qui eum quidem his duobus interſerunt, verum tantum abeſt, ut illi regni coronam tribuant, ut eum nondum biennium exceſſiſſe, affirment, quando 1550. ſuperſtite adhuc parente, è vivis exceſſerit: cujus ſententiæ & Matalius Metellus fuiſſe videtur, qui ipſum ſcribit à patre Ducatus Aureliæ titulo decoratum fuiſſe, &c.

III. PRINCIPES, COMITES.

Carolus, princeps Anhaltinus; Ioannis F. Ioachimi Erneſti Fr. 4. Martii (al. Maji) æt. 28. (al. 27.) ἄωρος θάνατος obiit ſepultus Serveſtæ in templo S. Bartholomæi. Et ipſius patruus

Ioachimus, Erneſti F. 7. (al. 6.) Decembr. Deſſaviæ æt. 53. (al. 52.) Apoplexia exſpiravit.

Fridericus Magnus, Comes Solmenſis.

Catharina, Magni, Ducis Megapolitani F. Henrici, Ducis Saxoniæ per 22. annos vidua, Ell. Mauritii & Auguſti mater Torgaviæ 6. Jun. æt. 84.

Isabella Sforzia, Ioannis Piſaurienſium Domini F. æt. 57.

Iacobina de Longui, Ducissa Mompenſeria 28. Auguſti Pariſiis vitam finiit.

IV. LITTERAT. QUIQ;

M. Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis, Eccleſiæ Baſilienſis miniſter,

καὶ πάσης παιδεύσεως εἰσνεῖ ταμιεῖόν π 8. Cal. April. æt. 43. (Bucholzero 34.] Apoplexia tactus obiit.

Caspar Schvvenckfeldius, ab Offing, eques nobilis Silesius, ceterùm patriarcha Enthusiastarum, in Suevia senex fato cessit M. Xbri.

Fr. Sixtus, Medices Profess. Patavii æt. 60.

Edouardus Carnus, Britannus, ICtus & eques auratus Romæ.

Gabriel Mudæus, ICtus & Professor Lovaniensis.

Augustus Senagus, Med. & Profess. Ticini 5. Maji.

M. Casparus Rodolphus, Canstatensis, Dialectices Professor eximius Marpurgi 23. Augusti.

ANNO CHR. 1562.

I. Præsules.

Ioannes Gebhardus, ex Comite Mansfeldensi El. & Archiepiscopus Colonienſis 2. IXbr. Bruelæ ex aqua intercute dissolvitur, (Surio seq. anno.)

Balthasar à Promnitz, Episcopus Vratislavienſis ex quartana decedit æt. 74.

II. Imperatores, Reges.

Antonius Bourbonius, ex Vendomæ principe rex Navarræus, Ludoici Condæi Fr. Henrici præsentis Navarro-gallici regis parens; simulatque à Possiaceno colloquio Pontificiam relligionem denuò amplexus Guisiis sese conjunxisset, in obsidione Rothmagensi dum muros equo lustrat, aditumque per avia quærit, globo lethaliter in sinistro humero vulneratur. Lembum itaque conscendens Lutetiam ire parat, & vulnus curare. At dum navigiolo per Sequanam fl. vehitur, in itinere apud Andelym oppidum (aliis quadragesimo die ab accepto vulnere, nimirum 21. Oct. al. prioris anni) exspirat, apostasiæ, odiique tam fraterni quàm conjugalis, & auaritiæ pœnas persolvens: Quorum criminum causſam his verbis exponit Beza Tract. de Repudiis & Divortiis: Sataniss. ille ipse pater, Pius IV. misso in Galliam legato Ferrariensi Cardinali, qui præclara Turnonii cœpta perficeret, hoc unum agebat inprimis destruendo Ecclesiarum Gallicarum ædificio, ut primum à Gallorum rege ipsiusque fratribus pueris principem, partim quidem commentitii Sardiniæ regni proposita imagine, ludificaretur, partim verò promisso cum præstantissima heroina ac regina, sed parùm illi grata conjuge, divortio, unà cum regni alterius omniumque ipsius bonorum, quasi hæretica esset, in ipsum transferendo dominio, addita etiam alterius statim ducendæ reginæ pactione, ad suas partes traduceret. Hæc enim fuerunt tria illa retia, quibus princeps ille, alioqui minimè malus, quorundam fraude ita miserè fuit circumventus, summo cum bonorum omnium luctu, & maximo Gallici regni detrimento, ut tandem pro tribus regnis imaginariis stipendium illud unum nimis verè sit nactus, quod solet Romana meretrix amasiis suis persolvere, mortem nimirùm, quæ & ipsa est peccati merces, &c.

III. Principes, Comites.

Mombrunius, Annæ Mommorancii, Conneſtablii Gallici F. natu minimus in pugna ad Druidam, urbem Normandiæ 19. Decembr. æt. 22. occubuit: Ex qua cum & Marschallus Santandreanus, triumvir Catholicorum captivus abduceretur, à servo quodam globo per caput trajecto concidit.

Franciscus, Neversii Dux, Eusii Comes, Franciſci ex Margarita Borbonia F. Caroli II. nepos: Engelberti I. pronepos: cujus sororii fuerunt Duces Fridericus Mantuanus; Henricus Guisius & Ludoicus Condæus: in pugna Druydensi periit ἄπαις Matalio aliisque seq. Anno.

IV. Literatiss. Quiq;.

Petrus Martyr, Vermilius Florentinus: Tigurinæ Ecclesiæ minister disertiss. 12. IXbr. æt. 63. cùm natus sit 8. Sept. 1500. [al. seq. anno obiit.]

Augustinus Marloratus, Theologus nobilis, & Bezæ fidus Achates; Rhotomagi, expugnata urbe, in foro decollatur. Ετεόστιχον.

MarLoratVs obIt, qVanDo Rhoana perIt.

Hieronymus Besoldus, Osiandri gener & Concionator Noribergæ primarius.

Bonifacius Amerbachius, ICtus & Profess. Basilex longe optimus 8. Kal. Maji



CASPAR SCHWENCKFELD
AB OSSING,
NOBILIS SILESIUS.
Denatus 10 Decembr. 1562.
Aetatis Suæ LXVI. Ann.

GABRIEL FALOPIUS
CELEBERRIMUS MEDICUS ET ASTROLOGUS
IN VENET. ET PADVA.
ÆT. S. LXXIII.



Maji æt. 67, obiit, ſepultus in cœnobio Carthuſianorum.

Simon Piſtorius, Lipſienſis I. U. D. & Ell. Saxoniæ Cancellarius 3. Non. Xbr. Seuſelitii æt. 73.

Chriſtophorus Brechterus *Argentoratenſis*, I. U. D. & olim *Marpurg.* Profeſſ. 6. *Maji* Fuldæ.

Gabriel Fallopius *Mutinenſis*, *Med.* ac Philoſophus egregius & rei *Med.* in *Acad.* Patavina profeſſor.

Iacobus Hollerius, Stempanus *Med.* Pariſienſis artis uſu experientiſſ.

Guilielmus Gratarolus, *Bergomas M.* D. & ex *Marpurgenſ.* Profeſſ. Baſilienſis 6. *Maji* [al. 1566. al. 1568]

Ioannes Homelius, *Mathematicus* præſtantiſſ. 4. Julii Lipſiæ.

Ioannes Stigelius Gothanus, *Μισῶν χαπηλον σῆμα*, Profeſſ. Ihenenſis 11. Febr. æt. 47.

ANNO CHR. 1563.

I. Præsules.

Wilhelmus *Marchio Brandeburgicus*, Friderici V. F. Archiepiſcopus Rigenſis in Livonia poſtremus 11. *Maji* Epiſc. 34.

II. Imp. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Princ. Com.

Franciſcus, Guiſiæ Dux; Claudii F. Henrici parens: regii exercitus in Gallia præfectus, ad Aureliam à transfuga quodam Joanne Poltrotto *Mereo* nobili 27. annorum, inter familiares recepto, 18. Feb. tribus ſclopeti glandibus à tergo perfide trajectus, ſexto poſt die inter acerbos cruciatus *μοῖραν ἀνέπλησεν βιότοιο*. Poltrottus verò Pariſiis poſtmodum à quatuor equis in diverſum concitatis 18. *Martii* diſcerptus fuit, ne deeſſet exemplum ſummæ cùm juſtitiæ, tùm exactæ pœnæ.

Iacobus, *Marchio* Inſulæ, Franciſci Niverſii Ducis Fr. Franciſci F.

Bernhardus, Comes Lippienſis; Simonis parens, ſepultus *Blombergæ* juxta patrem.

Albertus, Jodoci F. Co. Hoienſis & Broickhuſanus *ἄπαις*.

Erneſtus, Comes à Gleichen; Sigiſmundi F. Philippi Fr. idemque bellator egregius obiit *ἄγαμος* æt. 77.

Maria; Joannis, principis Anhaltini F. Joachimi Erneſti ſoror; Alberti, Com. Barbejenſis uxor decedit puerpera.

Iacobus Heraclides, Baſilicus, Sami & Pari: dehinc & *Moldaviæ* Deſpota, à conjuratis ſubditis trucidatur in Walachia.

IV. Litteratiss. Qviq;

Wolfgangus Muſculus Duſanus, Theol. D. eminentiſſ. Berna Helvetiorum ad cœleſte illud animorum concilium & cœtum feſtiviſſimum profectus eſt 30. Auguſti æt. 66. (al. 1553.)

Paulus Rhoda, Quedelburgenſis, Eccl. Stettinenſis per 40. propè annos antiſtes fideliſſ.

Sebaſtianus Caſtalio, Allobrox, græcæ linguæ per 18. annos Profeſſor *Baſileæ* 4. Cal. Ianuar. æt. 48.

Henricus Loritus, Glareanus Helvetius, P. L. & in *Acad.* Friburgenſi Briſgojæ Profeſſor in tota *ἐγκυκλοπαιδίᾳ* abſolutiſſime doctus æt. 75. (al. 1565. 28. *Martii* obiit.)

M. Ioannes Glandorpius, *Monaſterienſis*, olim *Marpurgi* hiſtoriarum profeſſ. facundiſſ. Herfordiæ.

ANNO CHR. 1564.

I. Præsules.

Iulius Pflugius, Cæſaris F. nobilis Miſnicus, pereruditus & ex Zizenſi præpoſito Naoburgenſis Epiſcopus *τὸ Φαρνομένῳ ἐνωλικῷ*, quod Interim vocant, *ὁμότεχνος*. 3. Sept. æt. 65.

Iulius Galettus, Piſanus, Epiſcopus Alexanenſis æt. 64.

Elisabetha, Co. Gleichiana; Abbatissa Gernrodensit 19. Xbr.

II. Imper. Reges.

Ferdinandus, Ro. Imp. Philippi ex Archiduce Austriaco regis Castiliæ F. Caroli V. Imp. Fr. Maximiliani II. Imper. parens; Rodolphi II. Imp. præsentis avus, diuturna tabe colliquatus vitam cum morte commutavit 25. Julii æt. 61. Viennæ in Austria. Sed ut certius lectori constet de mortis genere, quo laudatissimus princeps interceptus fuit, nonnulla ex Epist. medicional. Ioan. Cratonis à Krafftheym ad Petr. Monavium scripta heic subjiciam. Verissimum hoc est (scribit) Divum Ferdinandum Imp. priusquam lecto decumberet, [cui vix tot mensibus, quot ego annos affixus fuit] catarrho & difficultate spirandi laborasse, & macie totius corporis contabuisse, magnum etiam acervum in renibus atque vesicâ calculorum collegisse. Ἀπορίαν autem tanta laborasse, ut viribus omnibus exhaustus, inter loquendum exspiraret. Et iterùm ibid. Certè hac in parte Divo Ferdinando Imp. fui ininfelicior. Nam is magnos atque multos lapillos quotidiè ferè, sine omni tamen sensu doloris egessit, neque eos cruciatus, quos ego à flatibus perpessus sum, sensit. Ac haud dubiè sacrariss. Imp. diutiùs morbum, quàm ego ferre potuisset, cùm & corpore paulò firmiori esset, & minùs annosus, nisi infelix illa medicatio, quâ Catarrhus est suppressus, accessisset. Carrichterus enim quotidiè decoctum florum prunellorum silvestrium dabat, item alia in rustico corpore vix ferenda. Et paulò post. In Divo Ferdinando Imp. pulmo fere totus gypseus erat; &c.

Ἐτόστιχον tale est.

FerInanDI fVnVs LVXerVrbIs
festa IaCobI,
ConspexIt LVCtVs DoCta VIenna noVas.

III. Princip. Comit.

Sabina, Alberti IV. Bavariæ Ducis F. Ulrici, Ducis Wirtenbergici vidua, Christophori mater.

Philippus, Comes Mansfeldicus, Georgii F. Noribergæ 13. Januar. (al. 9. Junii & quidem A. 1546.]

Ioannes, Comes Ritbergensis postremus, Otthonis F. ex his terris decessit Coloniæ, quò ex Tultiensi custodiâ, sanandæ nimirùm ἀνδραφορήσεως ergò deductus fuerat.

Ioannes Ungnadius, Liber baro à Sonneck, Winteritii in Bohemiâ 27. Xbr.

Sophia, Joachimi II. El. & Marchionis Brandeburgici F. Wilhelmi à Rosenberg Boëmi conjunx 18. Febr.

Eleonora, Domina de Royé, Ludovici Bourbonii, principis Condæi prima conjunx, vel mœrore animi, quòd maritum à Papistis seduci videret, vel veneno clàm propinato exstincta creditur.

IV. Liter. Quiq;

Ioannes Calvinus, Noviodunensis Picardus [al. Vercellensis) τῆς ὁμολογίας σύλος, Genevæ 27. (al. 19.) Maji placidè exspirat æt. 55. Nam ut alia omittam convicia, quibus hunc virum ἀντίπαλοι nonnulli subinde consectantur, grande quidem illud & τετράγωνε, attamen ψεύδισον mendacium est, quod ipsum φθειριάσει seu morbo Herodis consumptum fuisse narrant: Atqui testimonium veritati, non amicitiæ reddendum esse meminerint, multoque minùs in alterius odium quidquam comminiscentur, cujus etiam cunque relligionis sunt homines, dummodò probi & inculpabiles saltem videri, ni potius esse contendunt. Quibus enim & quàm atrocibus morborum generibus ante obitum conflictatus fuerit, & quam leni placidoque animo cuncta pertulerit, testis est Beza utoculatus, ita & locupletiss. in vita Calvini.

Andreas Gerardus Hyperius Flander, Theol. Profess. celeberr. ex Marpurgensi Academia, 1. Febr. ad cœlestis vocationis bravium contendit æt. 53. (al. priore anno.] Ἐτόστιχον.

FLandrIa qVeM genVIt, HassIa nostra tegIt.

Martinus Borhaus, Studgardens. Th. D. & Professor Basileæ ordinar. ad 5. Id. Octob. missionem obtinuit Epidemiam, postquam militasset annis 65.

M. Matthæus Iudex, Th. & Pastor olim Magdeburgens. in exsilio defungitur Rostochii 16. Maji.

Fridericus Staphylus, Osnabrugensis Westphalus, olim Witebergensis, Theol. tandem deserto in Borussiâ Morlino

Morlino 1551. ἀποστάτης & Pontificiæ tiaræ propugnator haud ignavus, Ingolstadii 5. Mart. æt. 51.

Theodorus Bibliander, trium linguarum cognitione clariss. Tiguri 26. Novemb.

Ioannes â Burken, LL. Doctor Francofurti ad Viadrum 24. Noemb. æt. 49.

Andreas Vesalius, Bruxellens. Med. Cæsareus & Anatomicus Patavinus, cum Hierosolymis rediisset, in Zazyntho insulâ Id. Oct. rebus humanis ultimum valere dixit & plaudere æt. 58. (al. 50. Bucholzero 1559.]

Petrus Bellonius Cenomanus Med. Parisiensis, variarum rerum usu & doctrinâ celebris à quodam inimico non longè à Lutetiâ occisus est.

Adrianus Turnebus, flos Galliæ, quem non ita cum Manutio crediderim à salute aversum periisse, dummodò verè credidit, ex sordidâ quidem hujus mundi colluvie discessit Lutetiæ 12. Iunii (juxta Ferronum hujus anni: at juxta Genebrardum sequentis) æt. 53.

Iohannes Acronius, Frisius, Mathematices Professor Basileæ.

M. Matthæus Philocapella; Ethices Professor excellens Marpurgi 10. Octob.

ANNO CHR. 1565.

I. Præsules.

Alexander, Augusti El. & Ducis Saxon. F. 12. annorum, Administrator Mersburgensis 8. Octobr. Dresdæ decedit.

II. Impp. Reges.

III. Principes, Comites.

Ioannes Fridericus III. seu Junior; Dux Saxoniæ, Joannis Friderici Electoris F. ultimo Oct. æt. 27. [al. 28.] Jhenæ defunctus & sepultus Vinariæ (al. 8. Augusti 1560. al. 1554. al. 1556.)

Nicolaus Radivilus Dux Olicæ & Niesvviscnsis, Palatinus Vilnensis, 28. Maji exstinctus est.

OCCIDIs ArCtoæ, RaDIVILe, ô
gLorIa terræ,
Heros IngenIo non CItò taLIs erIt.

Wolffgangus, Comes Barbejensis Senior, præsentium Com. parens & V. Ell. Saxon. Consiliarius 24. Januar. æt. 63. vitæ mortalis spacium absolvit; uti & ipsius F.

Magdalena, Joannis Ungnadii, Baronis Stiriaci vidua Viennæ 16. [al. 14.] Novemb. (al. 1567.)

Ericus, Co. Schovvnburgens. Iodoci F. Otthonis & Iodoci Fr. qui sedem in Horneborch habuit.

Sigismundus, L. Baro ab Herberstein / III. ordine Impp. Maximiliani I. Caroli V. & Ferdinandi Consiliarius, & ærarii Astriaci præfectus, cujus in publicum exstat Moscovia, opus sane lectu dignissimum.

Catharina, Henrici Sen. Ducis Brunosvvicens. F. Magni Ducis Saxon. Laoburgens. vidua, 10. Xbr. (al. 1559.)

Catharina, Francisci Ducis Lunæburgens. F. Henrici Junior. Burggrafii Misnensis prima conjux 10. Xbr. æt. 17. Schlevvitzii.

Ετεόστιχον.

VXor In hoC terræ tVMVLo Katharina qVIesCIt
BVrggraVII, CVIVs spIrItVs astra CoLIt.

Magdalena, Co. Schvvartzburgica; Ioannis Alberti, Com. Mansfeldici uxor, Arnstenii 7. Sept.

Susanna, Co. Mansfeldica; Ludoici, Co. OEtingensis uxor 8. Sept.

IV. Litteratiss. Quique;

M. Ioannes Matthesius Rochlicensis, pastor in valle Ioachimica, ex Apoplexiâ 7. Octob. [al. Sept.] quo nimirum die concionem habuerat de beatâ spe futuræ vitæ, inter vivos agere desiit æt. 61. cum præfuisset Ecclesiæ an. 34.

Alexan-

Alexander Alesius, Scotus, per 20. annos Theol. profess. Lipsiæ 17. Mart.

Nicolaus Acciatolus Florentinus, ICtus Romæ æt. 65.

Franciscus Bellivicinus, ICtus eques & Co. Palatin. Ferrariæ æt. 70.

Modestinus Pistoris, Simonis F. ICtus, Professor & Cos. Lipsensis æt. 50.

Ioachimus de novâ domo, eques aurei Velleris & Regni Boëmiæ Cancellarius, Viennæ rupto pontis jugo cum curru & equis in Danubio periit 12. Xbr.

Georgius Sigismundus Seldius, Augustanus; I.U.D. & III. Impp. Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. Consiliarius & Procancellarius, cum 26. Maji à Cæsare, quitum in Venatione erat, Viennâ evocatus esset, & vesperi domum properaret, incitatis cursu equis è curru desilieris lapsu tàm graviter læsus est, ut eadem hora exspirarit.

Wolffgangus Lazius Viennensis, Med. D. & Ro. Imp. Ferdinandi Consiliarius & historicus præclariss. Viennæ ex Colica & Paralysi prostratis viribus decedit 20. Junii (al. 1555) æt. 51.

Conradus Gesnerus, Medicus & Philosophus absolutiss. Tiguri 13. (al. 22. Decemb.) peste infectus obiit æt. 49. Obitum ejus alii anno sequenti largiuntur. Atque exstat ejus vita á Josiâ Simlero Theol. descripta, quam lector consulet.

Ioannes Langius, Lembergensis Silesius, Co. Palatinor. Archiater doctiss. 21. Junii Heidelbergæ æt. 80.

Burchardus Mythobius, Hamburgensis; Med. D. & Mathematicus insignis; olim Marpurgens. Professor Mundæ 16. Augusti.

Ioan. Bapt. Picen. Cremonens. Med. & Physicus æt. 66.

ANNO CHR. 1566.

I. PRÆSULES.

Pius IV. Rom. PP. natione Mediolanens. antea Joan. Angelus Med. dictus & I. U.D. ἀνόσιος καὶ ἄδικος, 10. [al. 9.] Xbr. κρεκίνῳ ὕδατι ἐν ἀδε ἀναγκαδεὶς εἶρεν (Bucholzero priore anno) æt. 67. Ea ipsa nocte, qua inopinato defecit, rem habuisse scribitur cum uxore nobilis Romani Papyrii Capizucchi; & quo alacrior in palæstra Venerea foret nimia se vini & cochlearum memoralium ingesta copia oneraisse: Unde etiam tali parentatum sit ipsi Epitaphio:

Le Donne, Lumagi & de Mangaiguerra
M' hanno levato dalla sedia, & posto in terra.

Scitè autem, nimis scitè meus Pindarus:

——τὸ δ' ὑπὲρ δίκαν
γλυκὺ πικρότατα μένει τελεύτα' i. e.
Dulcedinem iniquam acerbissimus manet exitus.

Sigismundus, Marchio Brandeburgicus; Joachimi II. El. F. Friderici antecessoris sui Fr. Archiepiscopus Magdeburgens. & Administr. Halberstadens. 13. [al. 12.] Sept. in Salinis Saxon. æt. 28. τῷ τῆς Φύσεως νόμῳ τὰν κοινὴν εἰσφορὰν καὶ ἀσάλωτον ἐκτετέλεκε.

Georgius, Dux Brunswicens. & Lunæb. Christophori, prædecessoris sui Fr. Archiepiscopus Brehmensis, Administrator Verdens. ac Mindens. præpositus Coloniensis & Argentinens. æt. 75. sepultus Vehrdæ propter fratrem in æde primaria.

II. IMPERATORES, REGES.

Solymannus, Turcarum αὐτοκράτωρ, Iula & Sigetho expugnatis, 5. Sept. in Hungaria vitam terminat æt. 67. natus est enim 17. Martii ejusdem anni, quo & Carolus V. Ro. Imp. nempe 1500.) Alii tamen asserunt ipsum tertio, alii quarto ante Sigethi expugnationem die in castris exspirasse. Verùm utut sit, mors hujus Imp. tàm diu celata fuit, ipso etiam Medico noctu interfecto, quousque filius Selymus, qui solus de quatuor fratribus restabat, de obitu parentis certior factus, solium paternum occupavit, manuque decurionis cubicularium prehensus & in regium cubiculum solis Otthomannicæ familiæ principibus assignatum perductus fuit. Cæterùm Solymanni cadaver Byzantium usque devectum, & in Mausolæo, quod ipsemet vivus sibi exstruxerat, reconditum est.

III. PRINCIPES, COMITES.

Wolff-

Wolffgangus, princeps Anhaltinus, Woldemari F. Georgii Præpositi *Magdeb.* Fr. ἄπαις 24. (al. 23. al. 28.) Martii Servestæ æt. 74.

Elisabetha, Erici (al. Ernesti) senioris Ducis Brunosw. ex Elisabetha Brandenburgica F. Georgii Ernesti, principis Hennebergensis 1543. prima conjunx 19. Augusti, æt. 41.

Christophorus, Comes Frisiæ Oriental. Ennonis F. Ezardi Fr. &

Nicolaus, Comes Serinensis in Sigethi expugnatione pereunt. Nicolao caput amputatum fuisse & *Maximiliano* II. Imp. missum ferunt, siquidem & ipse Catiani perfide & contra hospitii legem interempti caput olim Ferdinando Imp. attulisset sindone obvolutum.

IV. LITERAT. QVIQ;.

Ioannes Draconites Carolostadius Francus, Theol. D. olim Marpurgi & inde Rostochii sacras litteras professus, tandem ex Sambiensis Eccl. præside Profess. & Ecclesiastes Witebergæ 18. [al. 17.] Apr. decessit.

Wigandus Orthius Wetteranus Theol. D. & Profess. Hebrææ linguæ Marpurgens. 28. *April.* peste sublatus Gosfeldiæ.

Ioan. Albinus Tolosanus Ecclesiastes & *Archidiaconus* Tolozæ 13. Cal. Septembr. æt. 38.

M. Hieronymus Tilesius, Superintendens Mülhusinus 17. Septembr. æt. 37.

M. Adamus Curæus, Freistadiensis, Joachimi Fr. Eccles. Vratislaviensis Pastor 29. Oct. æt. 40.

Basilius Mannerus ICtus Jhenæ.

Nicolaus Festatius, ICtus *Mutinæ* æt. 68.

Carolus Molineus ICtus γιγνεσιωμένῳ Lutetiæ M. Xbr.

Hermannus Ulnerus Hersfeldianus, J. U. D. & Profess. Marpurgens. 1; *Martii.*

Guillielmus Rondeletius Monspelliensis & in *Acad.* patria Med. professor regius & Cancellarius 30. Iulii vitæ mortalis spatium absolvit ex Dysenteria, quam ex nimio ficuum esu contraxisse putabatur, æt. 58.

Leonhardus Fuchsius Wendinensis Suevus; Georgii *Marchion. Brandeb.* Onoltzbachii per 8. annos Medicus aulicus: dein professor laboris indefessi Tybingæ 10. Maji in cœlestem Academiam evocatus est æt. 65.

Laurentius Hiel Wesaliensis, Med. D. *Anatomicus* & Professor Ihenensis.

Arnoldus Burenius, Professor artis Oratoriæ Rostochii 16. *Augusti.*

Ioannes Agricola Islebius, author Antinomiæ 1538. & generalis Superintendens in Elector. *Brandeburgico* 22. Sept. Berlini æt. 75.

Matthias Cittardus, Concionator aulicus Maximiliani Imp. doctrina & eloquentia præstans.

M. Ioannes Funccius Werdensis Noricus, vel Onuphrii testimonio eruditus, Bodini verò accuratissimus historicus, à statibus Borussiæ accusatus 28. Octob. Regiomonti decollatur æt. 49. (al. 48. al. 59, sed perperam, cùm natus sit 7. Februar. 1518) Et quamquam Gilb. Genebrardus ex vulgata fama refert Funccium suspendio vitam finiisse, quò tamen certius de veritate rei constet, luber hèic nonnulla ex Chytræi Saxon. adjicere, qui isthunc in modum scribit: Ac initio criminalis accusatio, totius provinciæ nomine, adversus Io. Funccium (qui ex concionatore aulico, factus erat consiliarius politicus & attractis per Ordines Commissariis Polonicis, principi consuluerat, ut ad cognatos & amicos principes in Germaniam proficisceretur, quia nullum fidelem subditum in Borussiâ habebat] Matthiam Horstium, Ioannem Snell & Steinbachium, tanquam novatores & perturbatores publicæ pacis, ecclesiasticæ & politicæ pernicioßissimos, & hostes patriæ, instituta est: ac ut ex vinculis causam dicerent, petitum. Tandem igitur à principe Commissariis Polonis traditi; & in Curia custoditi, in turres seorsim distributi, & catenis vincti ac examinati sunt, donec tandem publicum de tribus supplicium capitis, in foro urbis Regiomontanæ sumptum, Steinbachio vita condonata est. &c.

Simonis & Judæ Funck, Snell, Horst interiére.

ANNO CHR. 1567.

I. PRÆSULES.

Ioannes à Stein, El. & Archiepiscopus Trevirensis literatiss.

Ottho Truckſeſius, L. Baro à Waldburg; Cardinalis, Epiſcopus Auguſtanus ac Præneſtinus; Præpoſitus & Dominus Elwacenſis.

Thomas à Plantiß / Epiſcopus Curienſis.

II. IMPERATORES, REGES.

Henricus Stuardus Darlæus, Matthæi F. rex Scotiæ, Iacobi VI. parens, à conjuge Maria ſublatus ſcribitur: quippe quæ ſceleris & parricidii tàm nefarii miniſtro inter alios maximè Bothuelio uſa ipſum pulvinari curaverit ſtrangulari. Vid. Buchanan. lib. 18. hiſtor. Scotic.

III. PRINCIPES, COMITES.

Philippus, Landgravius Haſſiæ, Wilhelmi II. F. Wilhelmi parens, 31. Martii [al. 2. April.] Caſſellis æt. 63.

Annas, Dux Momorancius, Conneſtablius Galliæ & tertius triumvir Catholicorum in ſecundo bello civili infeliciter (quia contra Deum) ad S. Dionyſium pugnans, primo ſeptem vulneribus laceratus, tandem globo à Capitaneo Eſtuardo Scoto trajectus occubuit octogenarius 11. IXbr. ipſo nimirum die Martini. Οὕτω χαλεπὴ ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάζεσθαι, inquit Pauſanias. [al. 1565.]

Ioannes, Co. Mansfeldent. Alberti II. F. Halæ Saxon. in cuſtodiâ 3. Mart. mortuus: & dein Mansfeldiæ ſepultus.

Maria (al. Anna Maria) Brandeburgica; Friderici III. El. & Com. Palatini conjunx; Ludovici mater ultimo IXbr. [al. Octobr.] obiit æt. 50. cùm nata ſit 11. Oct. 1519.

Magdalena, Ferdinandi Imp. Ro. F. ἄναλφος æt. 35. Halæ ad OEnum in Monaſterio novo.

Catharina, Wilhelmi VII. Henebergenſis principis F. Henrici Com. Schwartzburgici vidua 7. IXbr. Rudolſtadii æt. 58.

Margareta, Wolffgangi, Com. Barbejenſis F. Volckmari Guolffgangi Com. Hohenſteynenſ. uxor puerpera Laræ de vita diſcedit æt. 40.

Salome, Henrici Ducis Munſterbergenſis ex Margareta Megapolenſi F. Georgii Co. Turriani per ſeptennium lectiſſ. conjunx graviſſima febri & arthritide correpta Patavii, quò ob uſum Aponi aquarum de Medicorum conſilio conceſſerat, religioſè exſpirat 16. Maji æt. 28. tumulata deinde in opp. Sanctæ Crucis.

Carlotta à Laval; Caſparis Colignii, Amiralis Gallici conjux caſtiſſima, Aureliæ.

IV. LITERATISS. QVIQ;

Michael Stifelius, Eslingenſis, Theol. & Arithmeticus octogenarius Ihenæ. [al. 1560. 19. April. æt. 48. quod plane mendum eſt typographicum.]

Ioannes Oldendorpius, Hamburgenſis, ICtus & Profeſſ. nominatiſſ. Marpurgi 3. Junii.

Ετεόστιχον.

Ah OLDenDorpI IVnI Vt LVX tertIa fVLsIt,
Nos fVgIs HeſsIaCæ LeXq; SaLVsq; ſChoLæ.

Ioan. Pacinus, Lucenſ. Med. Romæ.

Petrus Lotichius ſecundus Solitarienſis, Poëta ſuaviſſ. pariter ac ſolertiſſ. Medicus 4. [al. 3.] Julii.

M. Conradus Pegelius, Wiſmarienſis, Acad. Roſtochienſis per 60. annos profeſſ. 13. Novemb. æt. 81.

Auguſtinus Curio, Cœlii F. Rhetorices profeſſ. Baſileæ 24. Octobr.

Chriſtianus Pontanus I. U. D. & cancellarius Ducis Saxon. ob Grumbachianas factiones 18. April. in quatuor partes diſſectus pœnas perſolvit omnium graviſſimas Gothæ in Thuringia; Qua eadem de cauſa elapſus fuga, ſed denuò comprehenſus.

Iuſtus Ionas, Junior I. U. D. 28. Junii Hafniæ in Dania capite diminuitur æt. 42; prolato prius hoc Tetraſticho, quo temeritatem ſuam graviter deplorat:

Quid juvat innumeros ſcire atque evolvere caſus,
Cum fugienda facis, & facienda fugis?
Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem τὴν πλυπραγμοσύνην.

Bucholtzerus tamen aliique poſterius diſtichon

ſtichon Funccio attribuunt. Utut ſit, rectè Sophocles:

Οὔκ ἐστιν ἐν τοῖς μὴ καλῶς βουλεύμασιν
Οὐδ' ἐλπὶς, ἤ τις καὶ θεὸς ξυνεῖ.

ANNO CHR. 1568.

I. PRÆSULES.

Fridericus Com. à Weda, El. & Archiepiſcopus Colonienſis.

Franciſcus, Ferdinandi, olim proregis Siciliæ F. &

Hercules Gonzagæ, & Cardinales uterque.

Franciſcus Bacodius, Ludoici F. Sabaudus, Genevæ Epiſcopus Taurini æt. 67.

II. IMPERATOR. REGES.

Sophia, Bogislai X. Ducis Pomeraniæ F. Caſimiri Poloniæ regis neptis; Friderici I. Daniæ regis vidua & mater Ducum Holſatiæ quaſi tabe confecta. De ipſius obdormitione exſtat Oratio funebris Pauli ab Eitzen lib. 4. cap. 30. Ethicæ doctr.

Eliſabetha, Henrici II. Galliarum regis F. Philippi, regis Hiſpaniarum tertia conjux, relictis duabus filiabus, quarum una Carolo Sabaudo, altera Alberto Auſtriaco nupſit, ex hac vita abiit.

III. PRINCIPES, COMITES.

Henricus Juniot, Dux Brunoſvv. & Lunæburgenſ. Henrici Senior. F. Julii parens XI. Junii octogenarius, [al. 70.)

Chriſtophorus, Dux Wirtembergicus, Ulrici F. Ludoici parens. 28. Xbr. æt. 54. & ipſius F.

Eberhardus, æt. 24. (al. 25.) 2. Januar. (al. Maji.)

Albertus, ex Marchione *Brandeburgico* Dux *Boruſſiæ* primus, in arce Tapiâ 20. Martii æt. 78. exſpirat, quem intra 16. horas ſequitur conjunx.

Anna Maria, Erici Senior. Ducis *Brunoſvv.* F. Cõnigspergii.

Henricus Senior Com. à Plavven, Burggravius *Miſnenſis* 24. Xbr.

Carolus, Philippi Hiſpaniarum regis F. unicus & Imp. Maximiliani II. futurus gener, patris permiſſu incisâ utriusque brachii vena, quam Communem ſeu Medianam vocamus, & ſanguine in ignem conjecto 23. (al. 24.) Iulii è medio tollitur, æt. 27. (al. 23.) Nec deſunt, qui necem hanc truculentiſſ. ad 1572. referant.

Adolphus, Co. Naſſovienſis, Wilhelmi principis *Auraniæ* Fr. fuſis ad Groningam *Albani* copiis, uti & Comes quidam Arenbergicus 23 *Maji* occubuerunt.

Amoralus, princeps Gavrenſis, Egmondanus Comes, Flandriæ gubernator & Dux militiæ ſub Imp. Carolo V. & Philippo Hiſp. rege adverſus Gallos præcipuus: nec non

Philippus de *Montmorentii*, Comes ap. Horn. L. B. Nevelæ, Eques aurei velleris, Carol. V. Imp. olim ἱππαρχ. & Belgii gubernator, Gandavo Bruxellas adducti, 5. Iunii qui incidit in vigiliam Pentecoſtes, in foro publico Ducis Albani juſſu decollantur, ac ne quid deeſſet tam immani ſævitiæ, ipſorum amputata capita contiſque mox ſuffixa ad ingruentem uſque noctem in loco ſupplicii cunctis ſpectanda proponuntur: cum quinque diebus antè 18. nobiles & inter hos duo Barones de Battenberg iidemq; fratres, capitis ſupplicio ibidem affecti fuiſſent. Καλὸν ὃ χρησφυγεῖν θάνατον, τῷ ἐν ἀκινδύνῳ παντὸς αἰῶνος γενέσθαι.

Adolphus, Co. Scinenſis, ultimo Junii Hacheburgi.

Anna, Henrici, Ducis Brunoſvv. & Lunæb. F. Barnimi, Ducis Pomeraniæ conjux 6. Nov.

Catharina, Ioannis Henrici Co. Schvvartzburgici F. Erneſti 6. Co. ab Honſteyn vidua; *Bothonis*, Co. Reinſteinenſis & Blanckenburgenſis prima conjux, eodem, quo nupſit, anno obiit.

IV. LITTERATISS. QVIQ;.

Ioannes Aurifaber Theol. D. & Eccleſiaſtes Vratislavienſ. ad S. Eliſabetham 19. 8br.

Ioannes Schneidevvinus Stolbergenſis I. U. D. & in *Acad.* Vitebergenſi Profeſſor graviſſ. 4. Xbr. apoplexia exſtinguitur Zerveſtæ æt. 51. Vitam ejus deſcripſit Ioachimus à Beuſt ICtus.

Antonius Heiſtermannus Brakelenſis ICtus Marpurgi 12. Sept.

Antonius Maſſa Galeſius ICtus & civis Romanus æt. 67. Romæ.

Ioannes Oporinus Typographus & Professor Græcæ linguæ Basilienſ. Zuingeri avunculus 6. Julii æt. 60.

M. Cyriacus Lindemannus, ſcholæ Gothanæ Rector 12. Martii.

ANNO CHR. 1569.

I. Præsules.

Eraſmus Schenck / à Limpurg, Argentinenſis Epiſcopus.

II. Imp. Reges.

❁ ❁ ❁

III. Princ. Com.

Wolfgangus, Co. Palatinus Rheni Bipontinus, Ludoici F. Philippi Ludoici parens, in Galliis militans febri ardentiſſima [Bucholzero peſtilentiali] abſumitur 9. (al. 3. al. 10. al. 11.) Iunii, exuviis inde Meiſenheymium 1571. per mare translatis, ibidemque ſepulchro avito illatis, cum anteà Angoleſmæ fuiſſent reconditæ.

Philippus, Marchio Badenſis, Chriſtophori F. Erneſti Fr. in Gallia exſtinctus.

Ludoicus Bourbonius princeps Condæus; Antonii, regis Navarræi Fr. Henrici præſentis patruus, Henrici Marchionis Condæi ex Leonora Royana Ruſcii Comitiſſa parens 13. (al. 12] Martii (al. 13. Maji) á tergo ſclopetti ictu per Montelquium Ducis Andegavenſis Capitaneum Jarnacenſi in prælio percuſſus, globo per capnt juxta oculum penetrante, hujus lucis uſuram amiſit (al. priore anno) atque adeò

ConDæVs ChrIſtI aCCepIt LVDoICVs honores.

Ludoicus, Comes Oetingenſis Harburgi 1. Oct.

Agnes, Wolfgangi Co. Barbejenſis F. Ioachimi Erneſti, principis Anhaltini prima conjux 27. IXbr. æt. 30. [al. 1559.)

Franciſcus Calignius, Amiralii Gallici Fr. Dux Andelotius [id eſt peditum regiorum Archidux] pedites equo luſtrans, 7. Maji ſubito morbo correptus exſpirat: diſſecatus veneno ſublatus invenitur: autor Dominicus Alvanus comprehenſus & examinatus dixit, ſe id voluiſſe Amiralio propinare Guiſiorum juſſu: quia verò non potuerit id commodè perficere, fratri exhibuiſſe: quam ob cauſam condemnatus extremoque, quo dignus erat, affectus eſt ſupplicio.

IV. Litterat. Quiq;.

Paulus Eberus, Kittingenſ. Francus, Theol. D. & Eccleſiaſtes Witebergæ 10. Xbr. æt. 59.

Georgius Æmylius, Mansfeldenſis, Theol. D. & Stolbergenſ. Superintend. 22. Maji æt. 52.

Ioannes Lonicerus Orterangius Th. D. & linguarum peritiſſ. Profeſſ. Marpurgi 20. Iun.

M. Victorinus Strigelius Kauffbyrenſis, Theol. & humanioris litteraturæ feliciſſimus cùm Erphordiæ tùm & Iehnæ profeſſ. 25. (al. 26.) Iunii εἰς ἕτερον ζῆν ἀπέβαν Heidelbergæ æt. 45. In Magiſtrum verò Philoſophiæ promovit 4. Sept. 1544. Witebergæ & ſextum inter 36. Candidatos obtinuit locum, inter quos & Juſtus Ionas Iunior ſecundum & Michaël Teuberus decimum ſextum nacti ſunt. Mota demum controverſia de libero arbitrio 1559. urbà cum M. Andrea Hugelio captus, & Lemſtenbergium, inde Gotham juſſu Ioannis Friderici 2. Duc. Saxon. deductus fuit 27. Martii. Cæterùm de ipſius morte legatur Epiſtoia Petri Weſenbecii, quæ exſtat in Paipiniano Matth. Weſenbecii.

Ioannes Winnienſtadius Halberſtadienſis, Quedelburgenſ. Eccl. ad Divum Blaſium paſtor πιπρωσκόμενος καὶ ζῶν ἐπὶ τῷ κηρύγματι 25. Iulii Quedelburgi.

Cœlius Secundus Curio γραμματικὸς ἐκ εἰπεῖν δεινότατος Baſileæ 24 Novembr. æt. 67. De hoc legatur Oratio Io. Nic. Stupani & Germanograecia M. Cruſii lib. 6.

M. Melchior Acontius, Urſellenſis, Poëta & Co. Königſteinenſi à Conſiliis 27. Iun. Aſteti.

ANNO CHR. 1570.

I. Præsules.

Hiero-

Hieronymus Sanctucius, Urbini Episcopus æt. 67.

II. Impp. Reges.

Ioannes Sigismundus II. Hungariæ rex & Transylvaniæ Vaivoda Ex Epilepticis Paroxysmis & doloribus colicis exstinguitur 14. Martii, æt. 30. [al. seq. anno]

III. Princip. Comit.

Fridericus III. Dux Lignicensis & Brigentis Friderici II. F. Georgii Fr. Friderici parens. 15. Decemb. æt. 51.

Bernhardus, princeps Anhaltinus, Ioannis F. Ioachimi Ernesti Fr. 1. Maji. (al. Martii.) Deslaviæ æt. 30.

Christianus, Co. Aldenburgensis, Ioannis Fr. 7. Augusti Desdæ.

Iacobus, Com. in Zweybrück & Bitsch postremus ex hac familia 11. Martii.

Fridericus, Co. Hoiensis, Iodoci F. ἄγαμος, 22. April. Neopyrgi æt. 29.

Walpurgis, Wilhelmi VII. principis Hennebergensis F. Wilhelmi Co. Hoënlohensis vidua & Carol. Co. Gleichiani in Kranichfeld uxor 16. April. æt. 54.

Maria Mongomerancia, Petri Ernesti, Co. Mansfeldici uxor ex maligna febri decedit 5. August. Confluentiæ.

Anastasia, Henrici, Co. Schwartzburgens. F. Volradi, Co. Waldeccensis Senior. uxor Eisenbergii (al. Corbaci.)

Georgius, Co. Gleichinus 24. Septembr.

IV. Liter. Quiq;

Ioan. Brentius, Theol. D. ex Hepatitide diem obiit XI. [al 20. Septemb. æt. 72. cùm natus sit 1499. Weilæ, oppido Imperiali Sueviæ, & sepultus Stutgardiæ, ubi tum & Pastorem & præpositum egit in templo collegiato inter duos comites, cùm anteà & Profess. Heidelbergensem, deinde & Ecclesiastem Halæ Suevorum, & Acad. Tybingensis Commissarium & Ecclesiæ Antistitem aliquandiu egisset.

Sebastianus Frölichel, Archidiaconus Witebergens. 20. Xbr. æt. 74.

Iustus Studæus, Elsanus ICtus & Profess. olim Marpurgens. & Fuldensis Cancellarius, Ferrariæ gener, Francofurdiæ XI. Iulii.

Hieronymus Torniellus, ICtus maximus X. Cal. Novem. Ticini æt. 70.

Melchior Æymus Cremonens. ICtus æt. 70.

Iacobus Omphalius, Andernacensis ICtus & Orator XI. Septemb. Coloniæ.

Vitus Ortelius, Winshemius Med. D. & Profess. græcæ linguæ Vitebergæ 3. Ianuar. æt. 69.

M. Elias Kyberus, Professor Hebrææ linguæ Argentinæ 19. Nov.

ANNO CHR. 1571.

I. Præsules.

❁ ❁ ❁

II. Imper. Reges.

Dorothea, Magni Duris Sax. Laoburgens. F. Christiani 3. regis Daniæ vidua 7. Oct.

III. Princip. Comit.

Ioachimus II. El. & Marchio Brandeburg. Ioachimi I. F. Ioannis Georgii parens, veneno, quod Judæus malvatico miscu erat, tollitur [Bucholtzerus subitâ apoplexiâ exstinctum refert.) 3. (al. 9.) Ianuar. æt 66. in arce Köpeneck. Quem intra 19. (al. 9.) dies subsequitur Fr.

Ioannes, de Cûstrino dictus, Marchio Brandeb. æt. 58.

Thomas Hauardus, Dux Norfolcius, in mediâ Londinensium urbe, cum conjuratis securi percutitur. [al. seq. anno.)

Iacobus, prorex Scotiæ trudicatur.

Maria, Co. Stolbergenſ. Bothonis F. Cunonis Co. in Leinen & Weſterburg conjunx æt. 64.

Theodoricus, Co. Pleſſenſis poſtremus 22. Maji.

IV. LITERATISS. QVIQVE.

Ioachimus Mörlinus, natus Vitebergæ 8. April 1514. Theol. D. & ex Sambienſi Epiſcopo olim ob Oſiandriſmum Brunoſwicenſ. Superintendens, Regiomonti 23 Maji fato fungitur, cùm fruſtra reclamantibus *Me*dicis ſenex in calculo veſicæ ſectionem inſtituiſſet.

Alexander Loſeus, ICtus æt. 57. Auguſtæ Taurinorum.

Melchior Kling à Eteinaw, ICtus menſe Martio.

Nicolaus Aſclepius, Barbatus I. D. Poeta & Orator Marpurgi 20. Martii.

Ioannes Huberus, Med. & Profeſſ. Baſil. æt. 65.

M. Ioannes Roſa, Profeſſor Iehnæ facundiſſ. 20. IXbr.

Henricus Theodorus, Superintendens Eccl.m in Ducatu Lignicenſi 6. Xbr. æt. 59.

Georgius Fabricius, Chemnicenſis, ludi *Miſn*enſis literarii 1545. Rector τέλειος τὰ πάντα καὶ ἅμα σοφώτατος, cum paullò ante obitum ab Imp. *Maximi*liano II. Poetices & nobilitatis inſignia accepiſſet, 13. Julii (al. Junii.) λήξης μὲν ἄφυκτον ὑπ' ὀμματοπαφὴς ὕδωρ ἐφύγεν ἄλγεα πάντα Miſenæ æt. 56. cùm natus ſit 24. [al. 23.] April 1516.

ANNO CHR. 1572.

I. PRÆSULES.

Pius V. Ro. PP. anteà profeſſione Dominicanus & dehinc Cardinalis *Alexandrinus*, Michael Giſelerius (al. Gillatius) dictus 14. *April.* (al. 12. Maji) moritur, cùm præfuiſſet annos 6. M. 3. D. 16. Vide Natalem 16. & 17. hiſtor. & Orationem funebrem *Mureti*.

Papa Pius quintus moritur: res mira; tot inter Pontifices, tantùm quinque fuiſſe pios.

Iulianus Oradinus, ICtus præſtantiſſ. Peruſiæ Epiſcopus æt. 70.

II. IMPERATORES, REGES.

Sigiſmundus Auguſtus, Sigiſmundi F. rex Poloniæ ultimus ex Lithuanicâ Iagellonum principum familiâ, ſub quâ regnum 186. annos floruerat, quamquam non deſint, qui ſtirpem hanc ab *A.* C. 550. novies interruptam aſſerant. 3. (al. 7.) Julii Gnitſchini æt. 52.

Catharina, Ferdinandi Imp. Ro. F. Franciſci Gonzagæ, Ducis Mantuani vidua, & Sigiſmundi *Auguſti*, Poloniæ regis uxor 28. Februar. æt. 39. ſepulta Lincii.

Ioanna, regum Henrici Navarræi F. Antonii vidua, Henrici præſentis mater, infectis veneno chirothecis per Pharmacopæum quendam Renatum enecata creditur quinto poſt die, quùm è reginâ & rege Galliæ dimiſſa domum rediiſſet 8. nimirum Junii æt. 34.

Matthæus Stuardus, Co. Leviniæ, prorex Scotiæ.

III. PRINCIPES, COMITES.

Henricus, Junior, Burgrafius Miſniæ & princeps Plauenſis ultimus 22. Januar.

Henricus, Co. Stolbergenſis, olim Colonienſis præpoſitus, Bothonis F. Ludoici parens 13. IXbr. Stolbergæ æt. 63.

Albertus, Canoſſius Comes, bellica laude nobiliſſ. in Hungariâ perit æt. 32.

Caſparus Colignius, Caſtilioneus, magnus Thalaſſiarcha ſeu *Amiralius* Galliæ, ἀκλινῆ τὴν ψυχὴν ἐπ' ὀρθῆς ἐναπάσας φυλάκτων τειχυμέναις τῆς τύχης, καὶ πρὸς μηδὲν τῶν δεινῶν ἐνδιδοὺς, biduo antè accepto vulnere ex diſploſo ſclopetto, nobilitatâ, crudelitate Pariſiis interficitur, ac ne quid tàm immani ſceleri deeſſet, multis ludibriis affecto conſpurcatoque corpori præciſum caput

caput, quasi re benè gestâ, Romano Pontifici spectandum mittitur.

Ετεόστιχον.

BarthoLoMæVs fLet, qVIà GaLLICVs oCCVbat AtLas.

item.

LVtetIa Mater DeVoraVIt fVos natos.

Barbara, Ferdinandi Imp. Ro. F. Alphonsi 2. Ducis Ferrariensis secunda 1565. uxor decedit M. Septembr. Ferrariæ æt. 32.

Elisabetha, Henrici, Ducis Lunæburgens. F. Caroli Geldriæ Ducis vidua æt. 80.

Ioannes Ernestus, Co. Mansfeldens. Ernesti ex Dorothea Solmensi secunda conjuge F.

Ottho, Co. Schovvnburgicus, Otthonis F. Adolphi Fr. 4. April. æt. 16. sepultus Hagoniæ.

Maria, Rothonis Co. Stolbergensis F. Henrici soror, Cunonis Co. Westerburgensis conjunx æt. 65.

IV. LITTERATISS. QVIQ;

Hieronymus VVellerus, Theol. D. 20. Martii Apoplecticus interit Fribergæ Mysor. quæ ipsi patria fuit æt. 73.

Christophorus Lasius, Theol. 25. Senftenbergæ æt. 69.

Ioannes Wolffius, Theol. & Pastor Tigurinæ Eccl. ad collegium virginum.

Ioannes Corasius, Tholosanus ICtus.

VVigandus Happelius, Marpurgens. I. U. D. & linguæ sanctæ Professor Marpurgi 21. Martii.

Ulricus Mordeisen, ICtus Dresdæ 5. Junii.

Apollonius Massa, Med. Patavii Kal. Augusti.

Petrus Ramus, Veromùndanus, carbonarii F. & Professor Lutetiæ regius, de quo non minus vere dixerim, quam quæ olim Lucianus de Demosthene; οὐκ ἔστι κατὰ Ῥάμου λόγων ἐγεῖραι τροπαῖον, is, inquam, Ramus durante adhuc laniena illa Parisiense multis modis exsecrabili 26. Augusti è cellula, in qua latitabat, extricatus, & depensa primum pecunia redimendæ incolumitatis ergò, nihilo secius 28. vulneribus acceptis è fenestra deturbatur æt. 57. Quo factum, ut ejus cadaver iliaque effusa Scholastici insanorum præceptorum ductu per vias illudentes & scuticis diverberantes in professionis opprobrium raptarint. Atque ob hanc truculentiss. Rami necem metu consternatus & aliàs Iac. Carpentario odiosus,

Dionysius Lambinus, Monstrelensis haud ita diu post vixit, Ετεόστιχον de Rami interitu tale circumfertur:

VtperIt aCCeptIs VICenIs oCtoqVe RaMVs
VVLncrIbVs, PhœbI LVX stVpet atqVe fVgIt.

Aliud:

OCCVbVIt RaMVs præCLarVs GaLLICo ab ense.

Cappesius, Ictus & Senior Parlamenti celebris æt. 85. sub lecto, ubi se tutum speraverat, transfossus, per fenestram in plateam projicitur Parisiis.

Matthias Marcus Dabercusius, Suerinensis Scholæ Rector.

Iacobus Fabricius, Georgii Fr. Scholæ Halensis Saxonicæ Rector 19. Martii.

ANNO CHR. 1573.

I. PRÆSULES.

Burchardus, ab Oberg, Episcopus Hildesienf. 23. Feb.

Fridericus à Wirsberg, Episcopus Herbipolitanus M. IXbr. [al. 28. Septemb. seq. anni.

II. IMPP. REGES.

III. PRINC. COM.

Ioannes

Ioannes Wilhelmus, Dux Saxon. Ioannis Friderici El. F. Ioannis Friderici utriusque Fr. Friderici Wilhelmi parens Vinariæ 2. (al. 24.) Martii æt. 43. decessit, cùm natus sit 11. Martii, 1530. Ετερόστιχον de obitu tale est:

Post Lætare fVIt noX MetVen-
Da pIIs.

Barnimus IX. Pomeraniæ Dux, Bogislai F. 2. Novembr. prope Stetinum in arce Aderburg æt. 71. (al. 72.)

Antonius, Co. Aldenburgensis; Joannis & Antonii in Delmenhorst parens.

Hedvvigis, Sigismundi Poloniæ regis F. Ioachimi II. El. Brandeburgici vidua 7. Feb. Ruppini æt. 60. (al. 50.]

Margareta, Gebhardi Co. Mansfeldens. F. Reinhardi, Co. ab Eisenburg conjunx Mansfeldiæ.

Claudius, Dux Aumalius, Claudii Guisii Ducis F. globo ex Evangelio, propugnaculo urbis Rupellæ sic dicto, misso trajicitur contra Evangelium hastam vibrans.

IV. Litteratiss. Quique

Abdias Godeschalcus Prætorius, Theol. Vitebergæ 9. Januar. æt. 49. cùm natus sit 28. Martii 1524. in oppido veteris Marchiæ Soltvvedel.

Ioannes Pfeffinger, Bavarus Theol. D. & primus pastor Lipsiæ, ubi 33. & aliàs in universum 55. annos docuit, 1. [al. 3. Non.] Jan. æt. 78. [al. 80. sed perperam, cùm natus sit 1494.] Nec desunt, qui obitum 1553. anno attribuant.

Matthæus Galenus in Walachriâ Zelandiæ natus, Acad. Duacenæ Cancellarius, præpositus Doct. Amati, & S. Theol. profess. primarius. In ejus obitum exstat Oratio funebris Thomæ Stapletoni.

Andreas Masius, Theol. 7. April.

Michael Hospitalius, natione Avernus, Galliæ Cancellarius prudentiss. æt. 69.

Lauretus Syllanus, Spoletinus ICtus illustris ac diversarum scientiarum præstantiâ insignis, cùm patriæ suæ apud Gregorium XIII. PP. Oratorem ageret, insperatâ morte eripitur Romæ 27. Martii æt. 56.

Octavianus Mantellus, patritius Alexandrin. ICtus Comes & Eques æt. 75.

Ioachimus Curæus, Freistadiensis Silesius, Med. Histor. & Theol. optimus, non sine veneni clàm ministrati suspicione moritur 21. Januar. Glogoviæ æt. 41.

CyprianusLeovitzius Bohemus, insignis Mathematicus Laugingæ 24. Maji æt. 40.

ANNO CHR. 1574.

I. Præsules.

Ioannes, Co. Hoiensis, Ioannis F. natus ex sorore Gostavi regis Sueciæ, princeps ingeniosus, doctus & multarum linguarum peritus, & ideò 1553. Osnabrugensis, tùm Monasterienf. & Paderbornenf. Episcopus electus hoc anno naturæ cessit, & sepultus est Monasterii in templo cathedrali.

Gregorius Boldrinus, Episcopus Mantuanus æt. 63.

Anna I. Abbatissa Quedelburgensis, Annæ II. amita, utpote Bothonis Co. Stolbergensis F. Henrici soror 4. Martii æt. 71. reg. 58. (al. 1564. reg. 56. sed perperam.]

Franciscus Richardus, Burgundus ex Professore Vesontino Episcopus Atrebatensis.

Carolus, Cardinalis Lotharingiæ & Rhemensis Archiepiscopus, Claudii Ducis Guisii F. Francisci Fr. Gallicorum tumultuum author 23. Xbr. acutissimâ febre ex Laconici usu correptus in suum locum abiit.

II. Impp. Reges.

Selymus II. Turcarum Imp. Solymanni F. crapula & libidinibus, quibus se totum tradiderat, liquescens, & proinde cùm se propediem moriturum animadverteret, filio Amurathi regnum, & ceteris sex filiis præstantiss. juvenibus laqueum testamento legavit; Rectè enim & pruden-

ter

CAROLVS NONVS DEI GRATIA GALLIARV ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISS
Obiit An. 74.
MAIOR ERIT HERCVLE
NVLLA FRAVS TVTA LATEBRA

ter

obi

qui

Ga

fub

lor

fer

co

m

m

af

ter Æschines: πυρὰ φύσις μεγάλης ἐξουσίας λαῶ μένη, μεγάλας ἀπειρ[illegible]ᾶς συμφορὰς obiit autem 13. Xbr.

Carolus Maximilianus,

qui posteà Caroli IX. nomen sumpsit, rex Galliæ; Henrici II. F. Henrici III. Fr. veneno sublatus scribitur 30. (al. 10.) Maji, æt. 24. Miii tamen diuturnis ac fœdis corporis doloribus inter blasphemas voces exstinctum ferunt: quamquam major pars acutâ febre correptum & insuper per omnes corporis meatus perpetuò sanguine stillantem, animam cum ingenti sanguinis copiâ evomuisse asserat.

Ὁρμᾶ δ' ἁ πόλις, ἀλλ' ὅμως
πιστὸν τό γε θεῖον
φέρει, inquit Euripides.

III. Princip. Comit.

Cosmus, Dux Florentiæ, à Pio V. Ro. PP. 1569. magnus Dux Hetruriæ creatus.

Christophorus, Co. Palatinus ad Rhenum, Ell. Friderici III. F. Ludovici Fr. &

Ludoicus, Co. Nassoviæ, Wilhelmi Uraniæ principis Fr. in Belgico ab Albano cæsi M. Martio pereunt.

Ludoicus, Com. Stolbergensis & Wernigerodanus, Impp. Ro. Caroli, Ferdinandi & Maximiliani consiliarius & Orator illustris 24 Augusti Wertheymiæ æt. 69.

Poppo, princeps Hennebergens. Wilhelmi VII. F. febri atrociùs lacessente succumbit 4. Martii Burgreitungæ.

Guidobaldus, princeps Urbini.

Catharina, Henrici Ducis Brunoswic. F. Joannis Marchionis Brandeburgici vidua 16. Maji Crossenæ in Silesiâ æt. 58. Io. Crato à Krafftheym / in Epist. Med. asserit ipsam ideò contraxisse mortem, quòd ventriculi tunicæ ob immodicum usum Magisterii perlarum planè fuerint erosæ.

Helena, Ferdinandi Imp. Rom. F. ἀνανδρ. 5. Martii Halæ ad Oenum mortua æt. 31. & ibidem sepulta in novo Monaster.

Gabriel Mongomerius,

Comes, qui Annam Burgium senatorem Parisiens. in carcerem duxit & Henricum II. regem Galliæ in hastiludio exoculavit, septuagenario major & aliàs de regno optime meritus, postquàm ad opp. Sanlo à Mattignone captus fuit, ceu perduellis condemnatus & capitis supplicio affectus est Parisiis in foro publico.

IV. Liter. Quiq;

Georgius Major, Noribergensis, Theol. D. & Professor Vitebergens. 28. IXbr. æt. 72. [al. 73.)

Benedictus Aretius, Bernensis, ex Marpurgensi Professore Ecclesiastes in patriâ decedit ibid. 22. Apr.

M. Ioannes Garnerius, Gallus olim Theol. Professor Marpurgens. Cassellis 6. Januar.

Ioachimus Westphalus, Theol. Hamburgens. M. Januar. vitam ejus descripsit Cyr. Spangenbergius.

M. Ioannes Petrejus, Superintendens Mülhusinus 14. Xbr.

Ulricus Sitzingerus, I. U. D. & Wolfgangi Co. Palatini Cancellarius Soltzbacci XI. April, æt. 49.

Ioannes Guintherius Andernacus, ex gymnasiarchâ unius anni Goslariense Professor Græcæ linguæ Lovanienses, dehinc Francisci I. Galliarum regis Medicus & professor Lutetiæ, ac ultimò Argentinensium Archiater, apud quos extremum diem clausit 4. Oct. æt. 87.

Ioannes Nævius, El. Saxon. Archiater 6. [al. 7.] Iulii Dresdæ.

Ioachimus Camerarius, Papæburgensis, utriusque linguæ Professor eximius Lipsiæ 17. Apr. æt. 74.

Paulus Manutius, Aldi F. & Ro. PP. bibliothecarius eloquentiss. Romæ.

D. Sebastianus Theodorus Winsheimius, Philos. Mathematicus, Medicus, historicus & Musicus, Witebergæ.

ANNO CHR. 1575.

I. Præsules.

Ioannes Paulus Ecclesius, Dertonensis Cardinalis Presbyter æt 54. Romæ.

Ioannes Baptista, Sighicellus, Episcopus Faventinus æt. 68.

Melchior, à Lichtenfelß / Episcopus Basilienſis 17. Kal. Iuni Ep. 21. mortalitati renunciavit.

II. Impp. Reges.

Tamalus, ſeu Thomas,

Hiſmaelis F. per 43. annos Perſarum rex.

III. Princip. Comit.

Chriſtophorus, Marchio Badenſis, Bernhardi F. Edouardi Fortunati parens.

Carolus Fridericus, Dux Iuliacenſis, Wilhelmi F. Romæ.

Caſpar Ulricus, Co. Regenſtein. & Blanckenb. præpoſitus Naoburgenſ. & Abbas Michaëlſtein. 16. Xbr. æt. 45.

Ericus, Co. Hoienſis & Bröickhuſianus, Jodoci F. ἄπαις 12. Martii Neoburgi.

Sabina, Georgii Marchion. Brandeb. Onoltzbacc. F. Ioannis Georgii El. Brandeburg. ſecunda conjunx, trium filiorum & octo natarum mater 2. Novembr. Berlini.

Sophia, Sigiſmundi I. regis Poloniæ F. Henrici Iunioris Ducis Brunoſwicenſ. 1556. altera conjux, ſterilis obiit 28. (al. 22.) Maji Schöningæ, & ſepulta 27. Iun. Wulferbyti.

Sidonia, Henrici Ducis Saxon. F. Mauritii & Auguſti El. ſoror; Erici Iunioris Ducis Brunoſvvicenſ. cui 17. Maji 1545. nupſerat, repudiata conjux, 4. Ian. (al. prioris anni.) Weiſſenfelſii in Monaſterio exſpirat: ſepultaque eſt poſtmodùm Fribergæ.

Dorothea II. Friderici I. Daniæ regis F. Chriſtophori Ducis Megapolitani prima conjux 8. Xbr. ἄπαις decedit.

Eva Chriſtina, Georgii Co. Mompelgardenſis F. poſthuma; Friderici præſentis Ducis Wirtembergici Soror æt. 17. Kirchemii.

Anna, Ioannis Co. Mansfeldici F. Wolffgangi Co. Barbejenſis uxor peſte exſtincta.

Dorothea, Philippi Co. Gleichiani F. Georgii ſoror, Thonnæ.

Gabriel de Peralto, Fr. Marchionis de Falaſcas 11. Oct.

Carolus Boiſot, principis Auriaci Amiralius & gubernator Middelburgenſ. 30. Sept.

IV. Litterat. Quiq;.

Henricus Bullingerus,

Tigurinus Eccleſiaſtes 17. Septemb. æt. 76. Narrationem de ortu, vitâ & obitu hujus viri ſcripſit Ioſias Simlerus, inſertâ mentione præcipuarum rerum, quæ in Eccleſiis Helvetiæ contigerunt.

Caſpar Eberhardus, Theol. D.

Superintendens & Profeſſor Vitebergæ 21. Octob.

M. Iohannes Aurifaber,

olim Electoralis, ſed tum temporis Erfordenſium Concionator 18. Novemb.

Ioannes Holpinianus Steinanus, Profeſſor Ariſtotelicus & Eccleſiaſtes Baſilienſis per 30. annos obiit 7. Id. Iun. Sexagenarius.

Henricus Roth, Sangerhuſanus, Paſtor Islebii ad S. Andream 6. Maji.

Antonius Gioſius, ICtus Piſis æt. 55.

Hadrianus Iunius, Hornanus, Medicus eruditiſſ. 16. Iun. æt. 63. cùm natus ſit 1. Iul. 1512.

Iuſtus Vultejus, Wetteranus, Pædagogiarcha & Hebrææ linguæ Profeſſor Marpurgi 31. Martii.

M. Valentinus Taw,

Thuringus, Mathematum Profeſſor Græcæque linguæ callentiſſ. Lipſiæ 10. Iunii æt. 44.

Georgius Cracovius,

D. Lipſiæ in cuſtodiâ moritur 17. Mart.

D. Kummer / Wolferbytæ decollatur 7. Feb.

Matthias Flaccius, Albonenſis Illyricus, fatale portentum prodigiumque Chriſtianæ Reipub. cùm 8. annos Hebræam linguam Vitebergæ profeſſus fuiſſet, & adverſus Vitebergenſes & Lipſenſes deinde Anno. 1549. de Adiaphoris ſcripſiſſet, Ihenam venit 27. Ap. 1557. in Profeſſorem SS. aſſumptus, ubi poſtmodùm litem ſerit de libero arbitrio cum Strigelio, & ultimo Manichæos furores de cauſa eſſentiali peccati renovat 1569. nec quidquam recti facit, niſi cùm moritur 11. Martii Francofurti ad Mœnum

num æt. 54. (al. 56. sed falso, cùm natus sit 3. *M*artii 1521.)

ANNO CHR. 1576.

I. Præsules.

Romulus Achintus, Mediolanensis, Episcopus Novariæ æt. 43.

Franciscus Sonnius, Theol. D. primusque *A*ntvverpiensium Episcopus 30. Jun.

Ludoicus Requesenius, Magnus Commendator Castiliæ & in *B*elgio gubernator, ardentiss. febri correptus 5. Martii exspirat *B*ruxellæ.

II. Imperatores, Reges.

Maximilianus II. Imp. Ro. Impp. Ferdinandi F. Rudolphi præsentis parens 12. (al. 9. al. 20.) Octob. Ratisbonæ in Comitiis, cùm promulgarentur acta Imperii, decedit ex palmo cordis, ut in cujus dissecti sinu repertus fuit lapillus, mali illius fomes assiduus, æt. 49. Exuviæ Pragam usque delatæ ibidemque de morè regio reconditæ fuerunt Ετιόστιχον obitus.

ArCe RatIsbonæ proVeCtVs In æthera Cæsar,
Cæsar, alt, fILI DIVe RVDoLphe, VaLe.

III. Principes, Comites.

Fridericus III. El. & Co. Palatinus ad Rhenum, Joannis Spanheymensis F. Ludovici parens. Friderici præsentis avus, qui religionem 1557. defuncto patre mutavit, 26. Oct. [al. Novemb.] æt. 62. (al. 52. sed falsò, cùm natus sit 14. Febr. 1515.) Heidelbergâ Εἰς πρατέων γῆν discessit.

Ioannes Albertus, Dux Megapolitanus, Alberti F. 12. Feb. [al. *M*artii.) Svverini æt. 49.

Edouardus, Emanuelis Portugalliæ regis ex Edouardo nepos Eboraci.

Ernestus, Dux Brunosvvicens. in Grubenhagen, Philippi F. 4. (al. 4. non.) *A*pril. (al. 1567.) æt. 55. sepultus Osterodæ.

Ottho, Co. Schavvenburgicus & olim Episcopus Hildesiens. *A*dolphi parens, Jodoci F. die Thomæ *A*postoli obiit sepultus Hagoniæ ad D. Martinum seq. anno 27. Xbr.

Hermannus Simon, Co. Lippiensis, Spigelbergicus & Pyrmontanus, Simonis F. Bernhardi Fr. Philippi parens; sepultus *B*lombergæ ad spiritum S.

Ulricus, L. B. ab Ende relictis sex filiis.

Michael de Gruyeres, ultimus sui nominis ac prosapiæ Comes, principatus dignitate decoratus. 2. Maji decedit Bruxellæ.

IV. Literatiss. Quique.

Henricus Beringerus, cognomento Salmuth, Theol. D. & Pastor Lipsensis primarius 20. Maji æt. 55. cùm natus sit 2. *M*artii 1522. Schvveinfurti.

Henricus Vietor, Fridbergensis, Theol. D. Marpurgi 7. Jan.

Iosias Simlerus, natus Capellis in Helvetiis Theol. Tigurinus, ingenii doctrinæque elegantiss. Mathematicarum, disciplinarum studiosiss. historiarumque peritiss. posteaquam cum duobus sæviss. morbis calculo nimirum & podagra annis aliquot prioribus acerbè conflictatus esset, immatura morte obiit 2. Julii æt. 45. Ejus vitam descripsit Joh. Wilhelmus Stuckius.

Sebastianus Lepusculus, Ecclesiastes & linguæ sanctæ Professor Basiliensis prid. nonas Sept. æt. 75.

Simon Mulæus, Theol. D. 11. Julii Mansfeldæ finem vivendi fecit, ubi tum temporis post aliquót exsilia, quæ perpessus fuerat, Decanum agebat. &c.

Ioannes Stöllelius, Theol. D. & olim Iehnensis Superintendens, Senftenbergii novem dies à Cacodæmone exagitatus, & agnito demùm peccato nihilominus desperabundo similis interiisse scribitur.

Ioachimus Hopperus, Frisius ICtus Madriti in Hispaniâ ex phthisi obit 15. Decemb. æt. 53.

Iacobus Thomingius ICtus & Professor Lipsiæ celeberrimus 14. *A*ugust.

Guill. Xylander, *A*ugustanus, græca-

Græcarum litterarum & Organi Aristotelici Professor Heidelbergæ æt. 46.

Iacobus Gohorry, Parisiensis Med. Lutetiæ.

Valentinus Erythræus Lindaviensis, olim Professor Argentinensis & primus Acad. Altdorfiensis Rector 19. Martii æt. 54. natus quippe 10. Februar. 1523.

Petrus Paganus, Wanfridanus P. L. & olim Marpurg. Profess. Wanfridæ 29. Maji ex phthisi obit æt. 44.

Georgius Ioachimus, Rheticus, Mathematicus & Medicus, catharro suffocatur Caslaviæ 4. Xbr. æt. 61.

ANNO CHR. 1577.

I. Præsules.

❁ ❁ ❁

II. Imp. Reges.

Catharina, Philippi regis Castiliæ F. Caroli V. Imp. Ro. Soror; Joannis 3. Lusitaniæ regis vidua; Sebastiani penultimi avia.

III. Principes, Comites.

Carolus, Marchio Badensis, Ernesti F. Ernesti Friderici parens.

Botho, Co. Stolbergicus; Guolfgangi F. Bothonis nepos, in venatione cum Joan. Georgio El. Brandeburg. exsistens, anno præcedente à sue ferinâ, quam insequebatur. stratus ita in casu pulmones læsit, ut inde contractâ phthisi mortuus sit Quedelburgi 26. Martii æt. 29.

Anna, Mauritii El. Saxon. F. Wilhelmi, Principis Aurengii repudiata conjux; Mauritii mater Dresdæ 18. Xbr. obiit, sepulta Misenæ.

Maria, Emanuelis regis Portugalliæ ex F. Edouardo neptis; Alexandri Farnesii Ducis Parmensis uxor.

Catharina, Bothonis Co. Stolbergens. F. Alberti principis Hennebergensis vidua æt. 63.

Elisabetha, Wilhelmi 7. principis Hennebergens. F. ex Essendensi Abbatissâ Ioannis Co. à Reiffenscheid & Salmæ uxor.

Elisabetha, Ernesti Marchionis Badensis F. Gabrielis, Co. Ottenburgici vidua 8. Maji decessit; quam intra paucos dies sequitur maritus alter.

Conradus, Co. Castellanus in arce Schmidefeld, sepultus Gailsdorfii 8. Julii.

Daniel, Co. Waldeccensis ἄπαις 7. Iunii.

IV. Litt. Qviq;

Hartmannus Beyerus, Francofordiens. Theol. & Mathematicus præstantiss. 11. Augusti in patriâ obiit, æt. 61. natus est enim 29. Sept. 1516.

Rudolphus Gualtherus, Iunior, Eccl. Tigurinæ minister ad D. Petrum æt. 25.

M. Andreas Fabricius, Parochus ad S. Nicolaum Islebiæ 26. Octobr.

Vigilius Zuichemus, Frisius ICtus & aliquandiu Patavii, dein & Ingolstadii Professor; tertiò Cameræ Imperial. Assessor, & ultimò Senatus in Belgico supremi Cancellarius 8. Maji Gandavi moritur æt. 70. cùm natus sit 19. Oct. 1507. Val. Forsterus ipsum Bruxellæ in Brabantiâ mortuum adstruit.

Conradus Paullus, Brunoswicensis, I. U. D. spectatiss. & duûm Episcopor. Halberstad. Friderici & Sigismundi Consiliarius intimus Halberstadii.

Ioannes Gorrhæus, Med. Parisiensis elegantiss. æt. 62.

ANNO CHR. 1578.

I. Præsules.

Franciscus Martellus, patritius & Episcopus Regiensis, Iuris utriusque consultiss. æt. 70.

II. Imperator. Reges.

Sebastianus, rex Portugalliæ, Emanuelis Ioannis F. posthumus. Caroli V. Ro-

V. Ro. Imp. ex filiâ nepos; adversus Abdemelechum *Fes*æ regem inconsultò dimicans, diu titubante sed tandem ad hostes transeunte fortunâ, ægrè quin etiam in fugam conversus, missili de equo dejicitur, ita ut mox extremum spiritum effuderit 4. (al. 24.) Augusti in Africæ campo, quem Tamiram incolæ vocant, juxta fl. Mucazenum æt. 34. [al. 24. quod falsum est, cum parens obierit 1544.) Recordemur autem hic Thucydidis, quod usu edoctus ἥκιστα τὸ πόλεμον ὅτι μὴ τοῖς πεζομαχεῖν affirmat. Cæterum cadaver ejus nudum equo transversim impositum, ac ita in regis *Fes*ani castra deductum hostes citra ullum pristinæ dignitatis respectum impetuosius in terram deturbârunt, nec nisi biennio post, petenti Philippo Hispano, Behlæ sepeliendum concesserunt.

Malugnus Zirpheus, qui *A*rabibus Molei Moluccus dicitur, rex *Fes*anus à Sebastiano Lusitaniæ rege bello lacessitus, sub initum prælium, dùm propè in victoriæ limine staret vi morbi oppressus in castris decedit æt. 33. regni 3.

Xariffe Molei Mahomet, rex *Fes*anus exsul, Molucci patruelis, cujus partes Sebastianus agebat, fugâ sibi consulturus in media fata ruit, dum in Mucazeno fl. submergitur æt. 29. Cadaveri detractam cutem ac stramine refertam Molei Hameth, Molucci nothus *F.* trophæi loco erexit, ac secum Fesam deduxit, urbem & rex & triumphator ingressus. Perierunt in hoc conflictu præter sex hominum millia, etiam Gregorius Dalencastro, Dux Alveranus, *F*rancisc*u*s de Aldana, tribunus militaris Hispaniæ, Alfonsus de Portugallià, Co. de Vimioso; *A*lfonsus de *N*orognâ, Co. Miræ aliique complures illustris originis, quorum nomina Hispanicus quidam scriptor, unde hæc ex parte deprompsimus, ordine recenset.

III. Princip. Comit.

Franciscus Georgius, princeps Anhaltinus, Bernhardi F. 7. Sept.

Volradus, Co. Mansfeldensis, *A*lberti *F.* Argentinæ 30. Xbr.

Volradus II. Co. Waldeccensis, qui ob pietatem, doctrinam & humanitatem singularem colloquii Ratisbonensis 1546. præsidem egit.

Sigismundus, Co. Gleichensis & Thonnæ, obiit 16. Maji *A*roltzæ in comitatu Waldeccensi, ubi *A*nastasiam conjugem ducebat.

Ulricus, Co. Reinsteinens. & Blanckenb. Ernesti F. Ernesti *Fr.* & *A*bbas Michaëlsteynens; æt 14.

Don Ioan. de Austria, Caroli V. Imp. nothus F. & Belgii Gubernator 1. Octob. (al. M. IXbris) peste sublatus.

Cassianus Puteus, Antonii F. Rheani Dominus; Ducum Sabaudiæ ap. Carolum V. Imp. & Franciscum Galliæ regem legatus æt. 80.

Elisabetha, Ioannis Marchion. Brandeb. in Cüstrin F. Georgii Friderici, Marchion. Onoltzbachensis 26. Octob. 1558. prima conjux ἄπαις prope Warsoviæ in Poloniæ pago. 8. Martii ex hac vità evocata est, sepultaque Regiomenti 23. ejusdem M.

Maria, Emanuelis regis Portugalliæ ex Eleonora tertia conjuge & Caroli V. Imp. sorore F. thori conjugalis, exspers Ulyssib. æt. 56.

Elisabetha, Com. Gleichensis, Henrici, Co. Stolbergensis vidua; Ludovici & Christophori parens 26. Jun.

Dorothea, Co. Solmensis; Ernesti Co. Mansfeldensis secunda conjunx & 48. annorum vidua 13. liberorum mater æt. 96. [al. 101.] Mansfeldiæ mortua & Islebiæ sepulta.

IV. Litteratiss. Qviq;

M. Ioannes Pomarius, Misenus Senior, & Pastor ad SS. Magdeburgi 18. Martii æt. 64.

Gervasius Marstallerus; Wilhelmi, Ducis Lunæburgensis Archiater.

Ὃς πολλοῖς μογερῶσι μαραινομένοις καμάτοισι
Φῶτας ἀπέσβεσεν Περσεφόνης ἀδύτοις,

Cella in cœleste regnum emigravit.

ANNO CHR. 1579.

I. Præsules.

Stanislaus Hosius, Polonus, Cardinalis Presbyter, Warmiensis Episcopus, Pœnitentiarius major & olim in Concilio Tridentino *Ro.* PP. nomine præses æt. 78. Romæ. Vita ipsius fusè descripta habetur libris tribus à Stanislao Rescio ipsius familiari.

II. Imper. Reges.

III. PRINC. COM.

Albertus V. Dux Bavariæ, Wilhelmi parens Monaci 24. [al. 23. al. 25.] Octob. æt. 51. (al. 52. & al. priore anno.]

Wenceslaus Adam, Dux Teschinensis 4. Novembr. [al. Xbr.)

Ioannes Georgius, Com. Mansfeldensis Ernesti F. Petri Ernesti Fr. 14. Augusti Dresdæ.

Elisabetha, Ioannis Co. Nassoviens. conjunx 6. Julii pariendi laboribus superata.

Anna, Antonii Co. Altenburgici F. Joan. Güntheri Co. Schvvartzburgici uxor in partu mortua 24. Augusti Sondershusii & ibidem sepulta.

IV. LITTERATISS. QVIQ;

Eralmus Oswaldus Schreckefuchsius, Hebrææ linguæ Professor Friburgi Brisgojæ æt. 68. natus est enim 1511. in comitatu Meckersheym Austriacæ ditionis.

Iacobus Lersnerus, Marpurgens. I. U. D. Acad. Marpurgens. Vice-Cancellarius & Assessor Iudicii Hessiaci superioris prudentiss. 5. Martii.

Volquinus Vigelius, Wetteranus, M. D. & olim Marpurg. Professor præclarus Cassellis 25. April.

Ioannes Hartungus, Miltembergensis Francus, Græcæ linguæ Professor eruditiss. Friburgi Brisgojæ 16. Junii æt. 74.

Ioannes Stadius, Mathematicus Lutetiæ Parisiorum.

Martinus Taburnus, gymnasii Goltbergensis Rector, Trozendorfii Collega & successor 15. Apr. æt. 55.

Ioachimus Picus, ex Freistadiensi Rectore Theologus Glogoviæ in patriâ obiit 23. Xbr. æt. 50.

ANNO CHR. 1580.

I. PRÆSULES.

Franciscus Alciatus, Mediolanensis Cardinalis Romæ æt. 58.

Theodoricus à Pettendorff, Episcopus Borbetomagensis.

Sylvestrius Gylius, Episcop9 Wigornievensis & Angliæ regum apud PP. Ro. Legatus Romæ defungitur æt. 59.

Wilhelmus, Co. Schovvnburgens. Jodoci F. Otthonis Fr. propositus Hildesiensis & Meschedensis; sepultus Mollenbeccæ.

II. IMPP. REGES.

Henricus, ex Cardinali rex Portugalliæ in ea familia postremus, Sebastiani patruus magnus, eâdem horâ, quâ ante 68. anos in lucem fuerat editus, ultimi (al. 5.) Januarii Almerini in comitiis decedit, nemine ex suis interitum adeò deplorante, postquam regno 16. menses præfuisset, nec dum post multas atque arduas deliberationes de successore certi quid constituisset.

III. PRINCIPES, COMITES.

Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, Caroli præsentis pater, 2. Augusti Taurini. [al. 1559.

Ioannes, Dux Holsatiæ Senior, Adolphi Fr. Friderici I Daniæ regis F. postremus Cal. Octobr. moritur sine hæredibus.

Alexander Gonzaga, Friderici I. Mantuani Ducis F.

Ioannes Gonzales, Co. de Caglietta Lusitanus Almerini peste defungitur.

Antonius Diez, de Villegas Hispanus, Carolus V. Imp. in bello Germanico ἱππαρχῶν.

Dorothea, [al. Elisabetha] Christierni II. Daniæ regis F. Friderici II. El. & Co. Palatini vidua Neogariæ in Palatini Norico, cùm aliquot ante annis arthritide afflicta fuisset, 31. Maji εἰς τὸν ἄνωθεν βίον decessit æt. 60. cùm nata sit M. IXbr. 1520. nuptaque marito die Michaël 1535.

Mechtildis à Campe; Otthonis Ducis Brunosvvic. & Lunæb. in Harburgo vidua; Otthonis mater 16. Oct.

Iuliana, Bothonis Co. Stolbergens. F. Comitum Philippi Hanovienfis & Wilhelmi Nassovii vidua; Wilhelmi Auraniæ principis mater æt. 74.

IV. LITERAT. QVIQ;

Nicolaus

Nicolaus Rodingus, Treisensis Hessus Theol. D. Ecclesiastes & Profess. Marpurgi 23. Sept.

Emanuel Tremellius, ex Judæo factus Christianus & sacrorum bibliorum interpres accuratiss. pariter atque doctiss.

Laurentius Kirchovius, ICtus & Acad. Rostochiens. Professor Rostochii 15. Octob.

Conradus Matthæus, Alsfeldianus I. D. & Rhetorices Professor Marpurgi 28. Nov.

Hieronymus VVolfius, Oetingensis Bavarus, ex Mülhusino ludimoderatore Med. D. & Fuggerorum Bibliothecarius Græcarum litterarum longè peritiss. 8. Oct. Augustæ Vindelicor. æt. 65.

Henricus Laxmannus M. D. & Professor Logices Francofurti ad Viadrum 11. Julii.

ANNO CHR. 1581.

I. Præsules.

Iacobus ab Eltz/ III. ejus nominis El. & Archiepiscopus Trevirensis ab 1567. usque cui successit Joannes VI. à Schovvnburg.

Marquardus ab Hattstein, Episcopus Spirensis & præses Imp. tribunalis.

Christophorus, Co. Stolbergicus, Bothonis F. ac Halberstadensis præpositus 8. Augusti Königsteinii æt. 62.

II. Impp. Reges.

Anna, Maximiliani II. Imp. Ro. F. Philippi, Hispaniarum regis & avunculi sui jam bello Portugallico impliciti quarta conjunx 17. Novemb. ex maligna febre abit (al. priore anno.)

III. Principes, Comites.

Franciscus, Dux Saxon. Laoburgens. Senior & ipsius nurus

Margaritha, Philippi Pomeraniæ Ducis F. Francisci præsentis Ducis Saxon. infer. conjux 1574. prima, ex puerperio simul & vitâ discedit 8. Sept.

Christophorus, Transsylvaniæ princeps; Sigismundi exsulis parens, & Stephani Bathorei, Poloniæ regis Fr.

Ernestus, Co. Reinsteinens. & Blanckenburg Ulrici F. Bothonis Fr. 17. Feb. æt. 52. (al. 53.)

Sabina, Christophori Ducis Wirtembergici F. Wilhelmi, Landgravii Hassiæ conjux. 16. Augusti æt. 33.

Catharina, Philippi Ducis Brunsvic. in Grubenhagen F. Ioannis Ernesti, Ducis Saxoniæ Coburgensis vidua, Philippi Co. Schvvartxburgici uxor 24. Feb. Salfeldiæ, ubi etiam sepulta jacet.

Sulanna, Otthonis Ducis Brunosvv. & Lunæb. in Harburgo F.

IV. Litteratiss. Quique.

Andreas Musculus, Schnebergensis, Theol. D. Profess. & Pastor Francofurti ad Viadrum & Generalis Marchion. Brandeburg. Superintendens 29. Septemb. æt. 67.

Ioannes Marbachius, Theol. D. & Pastor & Præses Argentinensis 36. annorum, (successit autem Hedioni, cum prius esset ad S. Nicolaum Ecclesiastes.) simulque sacrarum litterarum Professor & Ephorus perpetuus, demumque collegii Thomani Decanus supremum diem obiit Argentorati 17. Martii æt. 60. natus est enim 1521. Lindavii ad lacum Podmicum.

Ioannes Gigas, Northusanus, Ecclesiastes Freistadiensis, cujus defuncti in locum suffectus est Abrah. Bucholtzerus.

Petrus Ciaconus, Presbyter Toletanus æt. 56. Romæ.

Bernhardus Copius, Stramburgensis Westphalus I.U. D. & Græcarum litterarum Professor Marpurgi 12. IXbr.

Ioannes Fichardus, ICtus Co. Palatinus & Reip. Francofordiens. ad Mœnum Advocatus & Syndicus 7. Iuni [al. 1570.]

Andreas Zoch, ICtus magni ac celebrati nominis 19. Xbr. æt. 62.

Ioannes Fienius, Antvverpianus, Medicus Antverpiæ.

Franciscus Portus, Cretensis, Græcæ linguæ Professor Genevæ, ubi etiam obiit

obiit 5. Junii æt. 70. cùm vitalem auram primum hausisset, 22. Augusti 1511. in insula Creta.

ANNO CHR. 1582.

I. PRÆSULES.

Daniel Brendelius, ab Homburgk, El. & Archiepiscopus Moguntinus laudatis sanè moribus & doctrina præstanti 22. Martii obiit Ascibürgi æt. 63. Ep. 27.

Alexander Sforzia, Cardinalis & Pauli 3. Ro. PP. ex Constantia F. nepos Josii Sforzii F. annum agens 47.

II. IMPERATOR. REGES.

Iacobus, Philippi Hispaniar. regis F. rex Portugalliæ non ita pridem Tomari declaratus.

III. PRINCIPES, COMITES.

Ferdinandus de Toledo, Dux Albanus & prorex Portugalliæ ob philautiam & honorum contentionem cunctis odiosus; ceterum militaris disciplinæ observantiss. Lisibonæ ex diuturna febre Charonti δαπάνην ut ita loquar, seu pretium duûm obolorum nauli loco persolvit æt. 74. (aliis nonagenarius fuit: qui ipsum 25. Apr. 1490. Granatæ in lucem editum ferunt.) Hispaniarum rege Philippo, qui tùm præsens aderat, luctum præ se nullum ferente, id quod à Lusitanorum moribus videatur quam alienissimum.

Philippus Strozzi & Franciscus, Co. de Vimioso navali prælio ad insulam Terzeram, nobis alias Azorum nomine cognitam 26. Julii ab Hispanis subacti [quippe Antonio notho, Priori de Crato adhæserant.] ob accepta vulnera in triremi Marchionis de sancta cruce ambo exspirant. Et præter 2200. eâdem ναυμαχία amissos, 28. reguli regni Portugallici Vasalli, & 52. nobiles capti, ac quasi piraticam exercuissent, militibus frustrà reclamantibus, Villæ Francæ in insulâ S. Michaëlis capite diminuti sunt.

Ianicula, Walachiæ regulus, in nobiles sæviens à Turcarum Imp. principatu exuitur, moxque capite plectitur.

Ottho, Co. Hoiensis ultimus, Iodoci F. 16. (al. 27.) Feb.

Philippus, Lalani Co. 3. Carol. 2. F. 1

Ioannes Cyriacus, L. Baro in Polheym & Wartemburg, olim Witebergens. dein & Rostochiens. Acad. Rector; ex Italia reversus, dum nuptias cum Magdalena Lichtenstein. meditatur, 7. Febr. morte immaturâ præripitur.

Petrus Bergius; Georgii, Baronis Grimbergæ F. ἄγαμος.

Elisabetha, Philippi Landgravii Hassiæ F. Ludoici El. & Com. Palatini uxor 13. Martii æt. 44. Heidelbergæ.

Carola seu Carlotta, (al. Ludoica.) Mompenseria Gallica, Ducis Ludovici F. ex Antistite Iovarrensi tertia, Wilhelmi principis Uraniæ uxor & 6. natarum mater obiit pleuritide [aliis ex abortu,] 5. [al. 6.] Maji Antwerpiæ, ubi & in templo D. Mariæ sepulta est.

Anna, Conradi Co. Tecklenborgens. F. Ebervvini Co. Bentheymens. vidua, Arnoldi mater, Monasterii peste correpta.

Leonora, Lamorali Egmondani Co. F. Georgii Hornani Co. Heutekerkii conjunx.

Catharina, Ioannis Georgii, Co. Mansfeldici vidua 1. Julii.

IV. LITT. QVIQ;

Laurentius Ioubertus, Valentinus Delphinas, regius Medicus Acad. Mompelicensis regius Protodidascalus, Cancellarius & Judex, vir in Med. & Philosoph. summus 29. Oct. non longè à Tholosa ex dysenteria obit æt. 52.

Georgius Buchananus, Scotus, χαρίτων ἱερόφωνων ἱερὸν φυτόν, Iacobi VI. Scotorum regis præceptor, obiit Edimburgi 28. Sept. æt. 76. natus est quippe 1506. circa calendas Februarias in Levinia Scotiæ provincia ad Blanum amnem, in villa rustica hæreditaria, familia magis vetusta quam opulenta. Eodem etiam die decessit Andreapoli.

Ioannes VVynramus, Theol. D. qui in religione instaurandâ egregiam navavit operam.

Lucas Lossius, Vachensis Hessus, Lunæ-

Obiit Lisabona *Anno 1582 ætat. 74.*

L
8.

Lunæburgensis gymnasiarcha exercitatiss. 8. Julii. æt. 76.

ANNO CHR. 1583.

I. Præsules.

Fulvius Corneus, Episcopus Portuensis, Cardinalis Perusinus æt. 66.

II. Imp. Reges.

Catharina, Sigismundi I. Poloniæ regis *F.* Ioannis III. Sueciæ regis uxor: Sigismundi III. regis Poloniæ & Sueciæ præsentis mater.

III. Princip. Comit.

Ludovicus, El. & Co. Palatinus ad Rhenum, Friderici El. *F.* Friderici præsentis parens 12. Oct. æt. 45.

Ετεόστιχον.

LVX VbI fVLsIsset bIs seXta OCtobrIs In aXe,
ELeCtor RhenI DVX LVDoVICVs obIt.

Magnus, Holsatiæ Dux; *Friderici* II. Daniæ regis *Fr.* & idem Livoniæ rex à Joanne Moschorum tyranno salutatus, cujus sobrinam in uxorem habuit.

Georgius Ernestus, VVilhelmi 7. F. princeps Hennebergens. postremus, qui religionem mutavit 1543. operamus, qui religionem mutavit 1543. Ioannis Forsteri D. placide exspirat 25. (al. 27.) Xbr. (al. seq. anni) in arce Hennebergica æt. 73. [natus est enim 27. Maji 1511.] sepultus est 9. *Ian.* sequentis anni Sleusingæ: Ducibus *Saxoniæ* principatum feudi iure occupantibus. Sepulturæ annus hoc dicto comprehenditur:

QVI perseVeraVerIt VsQ; aD fInem,
saLVVs erIt.

Philippus, Landgravius Hassiæ Iunior, Philippi F. 20. IXbr. Reinfelsii.

Ioannes, Dux *Bragantinus* Senior, regni Portugallici Connesta blius [quem vernacula lingua Land-Marschalck nuncuparis] & Edouardi, regis Emanuelis F. gener., Theodosii Ducis parens.

Philippus, Co. Lippiensis in Pyrmont; Hermanni Simonis F. &

Botho, Co. Stolbergens. Henrici F. bello Colonienst absumpti.

Guntherus, Co. Schvvartzburgicus cognomento bellicosus, Güntheri F. Antvverpiæ 15. Maji decedit æt. 54. sepultusque est postmodum Arnstadii in Thuringia 7. *Novembr.* 1585.

Guntherus, Co. Kefernburgensis postremus, suscepto itinere in Palæstinam moritur, Landgraviis Thuringiæ dein ditionem ipsius invadentibus.

Lazarus Svvendius, Baro, in Hohen Landsperg/ Burgheym & Tryberg: Dominus in Rientzheym heros præstantiss. & rerum contra Turcas strenuè gestarum gloria immortalis 4. August. æt. 61.

Dorothea Ursula, Caroli Marchionis Badensis *F.* Ludovici Ducis Wirtembergici uxor, Noribergæ in feriis Pentecostes obiit.

Maria, Ioannis El. Saxonici F. Philippi, Ducis Pomeraniæ per 23. annos vidua.

Emanuel de Sylva, Co. Torresvedræ & Inf. Terzeræ gubernator, Angræ extra culpam profusum sanguinem capitis supplicio luit, quod ipsum caput posiea in alterius, nempe Melchioris Alfonsi locum palo affixum, quemadmodum ipsemet ignarus fati sortisque futuræ olim prædixerat vitæ errorem in fortuitis eventibus nos homines propalàm edocuit.

IV. Litteratiss. Qvique.

Zacharias Ursinus, Vratislaviensis; Theologus vitæ inculpatæ, judicio admirabili, labore indefesso, denique in omni disciplinarum genere exercitatiss. Neapoli Nemetum obdormivit 6. Martii æt. 49.

Lucas Pollio, Ecclesiastes Vratislaviensis, ultimo Iulii æt. 47.

Nicolaus Cisnerus, ICtus ex Professore Heidelbergense Supremi Cameræ Imperialis Iudicii Assessor per 18. annos integerrimus; postea projudex & Senator Electoralis curiæ Palatinæ digniss. quique permultis in omni doctrinæ genere ac præsertim in jure libris scriptis immortalem sui nominis laudem & gloriam apud omnes mortales reliquit sempiternam, piè sancteque mortuus decessit Heidelbergæ prid. Id. Martii

Martii æt. 54. cum natus sit 1529. in Mosbach. sub Palatini Elect. Iurisdictione oppido.

Thomas Erastus, Aquensis Helvetius, Med. & Philosophus consummatiss. Acad. Heidelbergens. & dein Basilien. Professor Basileæ ἐκ τῆς βίβ εἰς τ' ἄνωθεν τόπον ἀπῆλθε ultimo Xbr. æt. 60.

Ioannes Thalius, Nordhusanus, Med. feliciss. καὶ δεινότα]ος ὢν, ὡς ἐδόκει, τὰ περὶ τὰς ῥίζας, 18. Iulii obiit, postquàm è pilento 30. Iunii delapsus dextrum crus perfregerat.

Iulianus David, du Perron Normannus Med. Lutetiæ æt. 55.

ANNO CHR. 1584.

I. Præsules.

Carolus Barrhomæus, Ro. Eccl. Cardinalis tit. S. Praxedis, & Archiepiscus Mediolanensis, Gilberti Borromei, Co. Aronæ Mediolanens. ex Margarita Medicina, quæ Pii IV. Ro. PP. soror fuit, F. æt. 48. moritur: (non desunt tamen, qui ipsum 1538. natum referant, & sic duobus annis minorem ætate faciant) cùm præfuisset Ecclesiæ annos 25.

Elisabetha, Ulrici Co. Reinstein. & Blanckenburgici ex Margarita Stolbergica F. Abbatissa Quedelburgensis 25. (al. 28.) Iulii æt. 42.

II. Imper. Reges.

❀ ❀ ❀

III. Princ. Com.

Franciscus, Andegavensis & Alenconii Dux, anteà Hercules dictus; regum Galliæ Henrici II. F. Caroli IX. & Henrici III. Fr. contra Philippum Hispaniæ regem in Belgium ab ordinibus accersitus, cùm sorte sua non contentus fidem Brabantis datam movisset, violentoque sed irrito conatu Antvverpiam oppressurus in summas sese angustias conjecisset, hausto veneno perit 31. Maji in arce quadam Shiattel de Rhi dicta, quæ itinere sesquidiei abest à Parisiis. Nescit quidem pietatis jura regnandi cupiditas, ac ut ille apud Eurip. garrit, τίπτε δ' οὐκ χρὴ, πρανὶδ' ὃς περὶ κάλλιστον ἀδικεῖν. Verùm prudentior Homerus negat ἀρετᾶν κακὰ ἔργα, cùm aliàs prava consilia in authoris semper caput recidant, nec idem diuturnum sit, quod violentum.

Wilhelmus, Aurengiæ princeps ac Belgii gubernator, Wilhelmi Com. Nassovien. ex Iuliana Stolbergica F. per sicarium Balthasarum Gerhardum (al. Serack. al. Getaertz.) nobilem Burgundum mercede conductum (quid enim mirum, si præmiis exerceatur malitia?] tribus sclopeti glandibus venenatis trajectus 30. (al. 10.] Iunii [al. Maji.] Delphis occumbit æt. 51. Historiam cædis, quomodo scilicet & qua occasione perpetrata sit, suppliciique genus à parricida sumptum fusius descriptum leges in Leone Belgico Michaëlis Eitzingeri; uti & in Musa principum monitrice Henr. Stephani pag. 326.

Ericus, Iunior, Dux Brunosvv. & Lunæburgens. Erici F. 7. Novembr. æt. 50. (al. 55. al. 57.] Ticini repentina morte exstinguitur.

Ioannes Basilides, Russorum Imperat. seu Dux Moschoviæ magnus M. Martio, cui succedit F. Theodorus æt. 22.

Irmgard Ritbergica, Simonis Co. Lippensis uxor 30. Julii.

Ulricus Fuggarus, cognomento dives, Heidelbergæ.

Ferdinandus Truchsesius, Gebhardi quondam Archiepiscopi Coloniensis Fr. Buscum Ducis militari Strategemate unà cum Comite ab Hohenlohe occupaturus perit.

IV. Literatiss. Quiq;

Abrahamus Bucholtzerus, Theologus & Chronologus excellens ingenio, doctrina varia & lectione multa 14. Iun. obiit Freistadii Silesiorum, ubi Eccleiasten egit æt. 55. natus est enim 28. Sept. 1529. in ditione Electoris Saxonici in pago Echonaw prope Damam, quæ 6. milliarium spatio à Witeberga distat.

M. Andreas Hoppenrod, Theol. & Historicus 17. Iunii.

Henricus à Bila, Eques Thuringus in Heigenroda & Stapelburg, ICtus præstantiss. Martisburgi 5. Idus Ian.

Stephanus VVeisbachus, ICtus celeberrimus, Schneidevvini gener, in patria Hamelburga Franconiæ obiit 5. Cal. Martii.

Carolus Sigonius, Mutinensis, Latinæ linguæ & eloquentiæ in Acad. Bono-

Bononiensi Professor in tota erudita antiquitate exercitatissimus.

Ioannes Sambucus, *Medicus* & Historicus Cæsareus obiit Viennæ *Austriæ* 13. Jun. æt. 53. cum natus sit die Joannis Baptistæ 1531. Tirnaviæ, Pannoniæ oppido.

ANNO CHR. 1585.

I. PRÆSULES.

Gregorius XIII. Ro. PP. Hugo Boncampagni antea nominatus, qui Calendarii emendationem 1582. instituit, exemptis 10. diebus de mense Oct. obiit 10. *Apr.* æt. 80.

Henricus, Dux Saxoniæ Laoburgens. Francisci I. F. *Archiepiscopus* Brehmensis, Administrator Osnabrug. & Padebornensis 20. [al. 23.] *Apr.* æt. 35. Et ipsius successor

Guilhelmus Schencke/ ex Decano Ecclesiæ Osnabrugens. Episcopus quinque post electionem dies superstes 24. Iulii.

Anna, Comitissa Hoiensis, Jodoci F. Abbatissa in Barssen.

II. IMPP. REGES.

III. PRINCIP. COMIT.

Anna, Christiani III. Daniæ regis F. Friderici II. Soror; *Augusti* El. & Ducis Saxoniæ prima conjux ex alui profluvio obit 1. Oct. æt. 53.

Guntherus, Comes VValdecensis.

Fridericus, Comes à Diepholt postremus, Rodolphi F. 20. Sept. cujus defuncti ditio jure feudali ad Wilhelmum Junior, Ducem *Brunoſvv.* & Lunæburg. delata est.

Ioannes Hoyerus, Co. Mansfeldensis in Artern obiit 26. Martii (al. 14. Maji sequenti anni.) uti & ipsius vidua.

Martha, *Mansfeldica* 17. *Apr.* ibidem defuncta sepultaque.

IV. LITER. QUIQ.

Simon Sulcerus, Theol. D. & Ecclesiastes *Basileæ* Primarius.

Fridericus VVidebramus Pesnicensis, Theol. D. febre hectica consumptus 2. Maji Heidelbergæ.

M. Conradus Porta, Pastor Islebianus 22. Oct.

Caſparus Franck, Theol. D. & ex Lutherano pastore Professor Ingolstadii & protonotarius Pontificius 12. Mart.

Christophorus Herdesianus Halberstadiens. ICtus σιδαρῆ πρῶτ & ἐνεύπιστη & Reip. Noribergens. Syndicus 22. Xbr. Noribergæ.

Bartholomæus Radman, I. U. D. & Professor Francofurti ad Viadrum 12. Ap. æt. 51.

Ioannes Bodinus, *Andegavensis*, doctrinæ vir singularis & mirabilis.

Rembertus Dodonæus, *Mechlinien*sis, *Medicus* Cæsareus & in illustranda re herbaria admodum sagax & industrius Lugduni Batavorum.

Thomas Iordanus, *Medicus* excellentiss. æt. 39.

M. Ioannes Æmylius, Schösserus P. L. & Profess. Orator. facultatis Francofurdiæ ad Viadr. 3. Jul. æt. 51.

Petrus Ronsardus, Vindomiensis, Poëta Galliæ 27. Xbr.

M. Antonius Muretus, obiit Romæ mense Jun. æt. 60. cum natus sit *M. Aprili* 1525. Lemovici in Gallia.

ANNO CHR. 1586.

I. PRÆSULES.

Eberhardus ab Dolle/ Episcopus Lubecensis & Verdensis: & Lunæburgi ad D. Michaëlem *Abbas* 5. Iul.

Fridericus, Dux Saxon. Laoburgens. Chorepiscopus Colonien sis 8. Xbr. (al. seq. anno.)

II. Imperatores, Reges.

Stephanus Bathori, de Somho, ex Transſylvaniæ Vajuoda Poloniæ rex; Sigiſmundi Auguſti itidem Poloniæ regis defuncti ſororius, Epilepticis paroxyſmis proſtratus Grodonæ in Lithuania poſtrid. Cal. Xbr. decedit æt. 57. regni 11. Alii tamen ex Apoplexia ipſum interiiſſe ſcribunt.

Sophia; Ulrici, Ducis Megapolitani F. Friderici II. regis Daniæ conjunx 14. Oct. Geſchõris in Scania obiit, ſepulta Güſtrovii.

Mahomet Codabendi, id eſt, Dei ſervus, Perſarum rex, cui ſuccedit Abas Miriſes.

III. Princ. Com.

Auguſtus, El. & Dux Saxoniæ, *M*auritii El. Fr. Henrici Ducis F. 11. Feb. cum triduo ante in arce *M*auritii, quo Dreſda conceſſerat, cepiſſet ægrotare, νεόγαμος exſtinguitur æt. 60. Vix enim ante menſem, 13. nimirum Ianuar. alteram duxerat conjugem Hagnem Hedvvigem, Ioachimi Erneſti principis *A*nhaltini F.

Adolphus, Dux Holſatus; Friderici I. Daniæ regis F. Chriſtiani III. Fr. Cal. (al. 2.) Oct. æt. 60. Ejusque ſoror

Eliſabetha, Ulrici Ducis *M*egapolitani conjux. &

Eliſabetha, Erneſti Ducis Brunoſvv. in Grubenhagen F. Ioannis Iunioris Ducis Holſati conjux.

Georgius, Dux Lignicenſ. & Brigenſ. Friderici II. F. Friderici III. Fr. Ioachimi Friderici, præpoſiti Magdeburgenſ. & Ioannis Georgii parens 7. Maji (al. priore anno) moritur æt. 63. cum natus ſit 1523. [al. 1524.)

Ioachimus Erneſtus, princeps Anhaltinus, Ioannis F. præſentium principum parens 6. Xbr. & cujus ſororius fuerat,

Burchardus, Com. Barbejenſis Wolfgangi F. Wolfgangi Fr. & Adminiſtrator Satrapiæ Coburgenſis, 6. Iun. æt. 50.

Ioannes Albertus, Co. Manſfeldenſ. 8. Iul. Islebii.

Ioannes Guntherus, Co. Schvvartzburgicus 26. Oct.

Anna, Ruperti, Co. Palatini ad Rhenum F. Georgii Ioannis ſoror; Caroli Marchionis Badenſis vidua.

Kunigundis, Friderici El. & Co. Palatini F. Ioannis, Co. Naſſovii uxor 24. *M*artii.

Walpurgis, Comitiſſa Ritbergenſis; Ennonis II. Orientalis Phryſiæ Comitis uxor.

Margareta Auſtriaca; Caroli V. Imp. Ro. F. notha, Ducum *A*lexandri Medices Florentini, & Octavii Farneſii Parmenſis vidua, *B*elgii gubernatrix.

IV. Litteratiss. Qviq;.

Ludovicus Lavaterus, Theol. D. & Eccleſiaſtes Tigurinus 15. Iul. obiit, quem ibidem ſequutus eſt

Rodolphus Gualtherus, Theol. 25. Xbr. æt. 67.

Martinus Chemnitius, Theol. D. & *B*runoſvvicenſ. Superintendens 8. *A*pril. æt. 64. cum natus ſit 10. IXbr. 1522. Britzæ, veteris Marchiæ oppido, fideli cognominato. (Treubritzen germanice.]

Theodorus Schnepfius, *B*rentii gener, Theol. Profeſſ. Tybingæ 9. Novemb.

M. Sebaſtianus Starck, Superintendens Mülhuſinus 17. *A*uguſti æt. 59.

Matthæus Weſenbeccius, Antvverpienſis, natus 25 Oct. 1531. Uldarici Mordiſii teſtimonio Iuriſperitorum Chriſtianiſſimus, & Chriſtianorum Iuriſperitiſſ. 5. Iunii Vitebergæ βίον μετήσι τ' ἐν θαλίαις καὶ εὐφροσυνῆς πεπιεχωμένον (obitum nonnulli in ſeq. alii in præced. annum rejiciunt.)

Michael Teuberus, Islebienſis ICtus & Profeſſ. celeberrimus & El. Saxon. Conſiliarius, Vitebergæ 15. Sept. æt. 63.

Petrus Victorius, Florentinus, Orator, Philoſophus & antiquarius clariſſimus Florentiæ octogenario major.

Chriſtophorus Fab. Gugel, Noricæ Reip. Conſiliarius 10. Sept. Noribergæ.

Ioannes Crato à Kraffftheym/ Vratislavienſis, III. ordine *I*mp. *A*rchiater elegantiſſ. in patria exſpirat 9. Nov. æt. 67. (al. priore anno.]

Ioan. Iacobus Weckerus, *B*aſilienſ. Med. φιλόπολις, ἐς πατρίδα, Colmariæ.

Ada-

Adamus Lonicerus, Marpurgenſ. Ioannis F. ex Mathematum Profeſſore Marpurgenſi Reip. Francofordienſ. ad Mœnum per 32. annos Med. ordinarius ſimulque laudatiſſ. Egenolphi typographi gener, 19. *Maji* exſpirat, cum natus ſit 10. Oct. 1528.

Iacobus Aubertus, Vindo. Med. & Profeſſor Lauſannæ.

M. Petrus Rivander, Schnebergenſis, inferior Prof. Mathematum & Græcæ linguæ Francof. ad Viadr. 29. *Maji* æt. 60.

ANNO CHR. 1587.

I. Præsules.

Gregorius, *Archiepiſcopus Salisburgenſis.*

Fridericus Erb, in Norvegia, Dux & Epiſcopus Sleſvvicenſis 5. Iun.

Franciſcus Bonhomius, Epiſcopus Vercellenſis, à Gregorio XIII. *Re.* PP. Coloniam Ubiorum legatus miſſus Leodii 15. Feb.

II. Imperatores, Reges.

Maria, Scotiæ regina, Jacobi V. F. Franciſci II. Galliæ regis & Henrici Stuardi vidua; Bodevvili Co. uxor; Iacobi regis præſentis mater, ob perpetratam *ἀνδροφονίαν* coram Senatu regni Anglici accuſata (erat enim à proceribus Scotiæ 1568. ideo capta; ſed cum ſequente anno fuga evaſiſſet, ab Angliæ regina iterum capta retinebatur,] tandem cum res novas in perniciem Angliæ reginæ Eliſabethæ moliri, adeoque ipſius vitæ inſidiari diceretur. 8. (l. 10. al. 17. Febr.) in arce Fotheringami ſecuri percutitur æt. 43. (al. 45.) Sanguine, qui ex præciſis venis arteriisque profluebat, ſtatim collecto & in ignem rejecto, ne ullam deinceps Superſtitionis occaſionem præberet Pontificiis, à quorum partibus inconcuſſa ſemper firmaque ſteterat.

III. Princip. Comit.

Wilhelmus, Dux *Mantuæ*; Friderici I. F. Franciſci Fr. Vincentii parens 4. Auguſti.

Franciſcus, magnus Hetruriæ Dux 5. Oct.

Gothardus, Curlandiæ & Semigalliæ Dux.

Albertus Georgius, Com. Stolbergenſis; Bothonis filiorum ultimus, & Guolfgangi Erneſti præſentis patruus 14. Iulii ſeptuagenarius Wernigerodæ deceſſit.

Ioachimus, Co. ab Hohenzollern 7. Julii Coloniæ ad Sprevum.

Dorothea, *Auguſti* El. & Ducis Saxonici F. Henrici Iulii, Epiſcopi Halberſtadenſ. & Ducis Brunoſvv. prima conjunx ex *δυσοκία* ſe quieti dedit ut Sempiternæ, ita & omnium placidiſſimæ 13. (al. 3.) *Feb.*

Dorothea, Franciſci Ducis Saxon. Laoburgenſ. F. Wolfgangi Ducis Brunoſvvicenſ. in Grubenhagen uxor.

Sidonia Maria, Wenceslai Ducis Teſchinenſis F. Friderici, Ducis Lignicenſis uxor.

Magdalena, Bernhardi Co. Lippienſis *F.* Georgii Landgravii Haſſiæ Darmſtadienſis prima uxor, Ludoici præſentis mater 26. Feb.

Urſula, Sigfridi L. B. à Promnitz uxor 16. Oct.

IV. Literatiss. Quique.

Ioannes Wigandus, Theol. D. & Pomezanenſis in Boruſſia *Epiſcopus* 2[illegible]. Octob.

Timotheus Kirchnerus, Theol. D. & olim Helmæſtadienſ. Profeſſor 17. Sept. Vinariæ.

Georgius Sohnius, Theol. D. & ex *Marpurgenſi* Heidelbergenſis Profeſſor.

Andreas Gaill, olim Cameræ Imp. aſſeſſor; deinde Cæſareæ *Majeſtatis* Conſiliarius, ac poſtea Archiepiſcopi & El. Colonienſis Cancellarius toto orbe notiſſimus obiit Coloniæ *Agrippinæ* in patria ſua 11. Dec.

Leonhardus Badehorn, ICtus Lipſiæ Cal. Iul. æt. 77.

Michael Beuther, ICtus & hiſtoricus.

Iacobus Schegkius, Schorndorffenſis, in Tybingenſium *Academia* Philoſophus & Medicus ſine exemplo maximus

mus, 9. Maji æt. 76. è vita excedit, cum ante aliquot annos nempe 1578. officio renunciasset, ac dehinc oculorum lumine sensim captus esset.

Iacobus Dalechampius,

Cadonien sis Medicus & insignis Botanologus Lugduni.

Iacobus Iocisius, Lignicensis

Med. D. & Profess. Francofurti ad Viadrum 23. Nov. nonagenarius.

M. Matthæus Hostus,

Professor Græcæ linguæ Francofurti ad Viadrum 30. Apr. æt. 79.

Ioachimus Meisterus,

Gorlicensis, Gymnasiarcha Brehmensis & Philosophus præstantiss. 10. Feb. æt. 55.

ANNO CHR. 1588.

I. Præsules.

Georgius, Co. Scinensis & Colonienſ. olim præpositus Argentinæ 6. Iul.

Ursula, Henrici Senioris Ducis Brunosw. F. Abbatissa Ribenitzii 22. Ap. æt. 76. cũ in eo Monasterio 60. annos consumpsisset.

II. Imperatores, Reges.

Fridericus II. rex Daniæ sapientiss. relictis VII. liberis, 4. April. Anderſoæ in Selandia decedit æt. 54. regni 30. (al. 29.) Ἐτεόστιχον authore Nicod. Frischlino:

RegeVInC abrepto FrIDerICo DanIa LVget: (CapVt.
VIX ILLI posthaC par habItVra
Catharina Medicea, Laurentii Ducis Urbini F. Henrici II. Galliæ regis vidua & III. regum fratrum ordine sese consequentium mater, duodecimo, qui erat ipsi natalis, post Guisios interfectos die. 25. nimirum Xbr. (al. 5. Ian. 1589. sed stylo novo) vel mœrore & metu, vel quod alii suspicantur, veneno hausto exstinguitur. Ἐτεόστιχον.
GaLLICa qVanDo seneX CasV CatharIna
reCessIt,
Tres parILI natos VIDIt honore frVI.

III. Principes, Comites.

Henricus Bourbonius, princeps Condæus, Ludoici F. & Henrici Navarræ regis patruelis & fidus Ionathan, dum quasi exsul in castris contra Ligistas moratur, à propria uxore per Secretarium suum veneno sustollitur. Ἐτεόστιχον.
ConDæVs patrIa eIICItVr, CrassoqVe Veneno
CogItVr egeLIDæ fata IVbIre neCIs.

Henricus, Dux Guisius, Francisci F. Henrici præsentis parens, læsæ Majestatis reus, detectis per Navarræum, quod scribitur, (al. per Espernonium) clandestinis adversus Galliæ regem machinationibus, in conspectu ipsius regis Henrici III. ita jubentis 13. (al. 23.) Xbr. Blesis (ubi tum temporis rex Comitia agebat simulans se de successore consulturum, & quo ipse Guisius sub ampla spe accipiendæ coronæ evocatus σὺν τ' εὐαγορίᾳ, σὺν τ' εὐγμασι, σὺν τ' ἐλεημοσύνῃ concesserat] dum supplex facinus deprecaturus procumbit ceu rex intempestivus & insolentissimæ perfidiæ à satellitibus in vestibulo cubiculi regii immaniter trucidatur, & frater ipsius Ludovicus Cardinalis altero die post accersitus strangulatur: Neque sic sumpsisse pœnas regis inflectere potuit animum; quin utriusque cadaver combustum, & cineres in profluentem Ligerim illico dispersi sunt. Divinissimè autem vates ille; Improba numquam spes lætata diu; Nec minus scite Ascræus noster: οἱ αἰπῶ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Robertus VVilhelmus,

Dux Bullionæus ex Cliviæ Ducibus oriundus, post equitatum Germanicum, quem Henrico Navarræo adducturus erat, à Guisio fœde dissipatum in animi mœrorem & consternationem incidit, unde & Kalendis Ianuar. immatura morte juvenis acerrimus Genevæ abripitur.

Henricus, Friderici III. F. Dux Lignicensis exsul in Polonia.

Philippus, Marchio Badensis, Philiberti F. ex insperato obit 12. Maji (al. seq. anno] Badenæ sub ipsum apparatum nuptiarum, quas cum Ducis Clivensis Wilhelmi filia celebraturus erat. Ἐτεόστιχον.
MarChIo pertrIstIs sVbIIt sVa fata PHILIppVs
FVnere, sIC LVCtV sors saCra Læta rotat.

Iolias, Co. Waldeccens. Christiani & Volradi parens, æt. 34. cum natus sit 1554.

Robertus Dudlæus, Co. Licestriæ.

Ioannes, Comes Schwartzenbergius 20 Sept. zu Marckschainfeldt.

Sophia, ex Limpurgensium familia prognata, Georgii Comitis Castellani conjunx 13. Sept. sepulta Rudehusæ.

IV. Literatiss. Quiq;

Ioachimus Mynsingerus, à Frundeck, ICtus & doctrina & virtute nobilis Helmæstadio 3. Maji ὕπατον εὐριτίμου ποτὶ δᾶμα διὸς μετέθηκεν, æt. 74. cum natus sit 13. Aug. 1514. Stutgardiæ.

Lampertus Distelmeyer I. U. D. & El. Brandeb. Cancellarius Berlini æt. 67.

Theodo-

Theodorus Zvingerus,

Basilienſis, Iacobi mei parens, Philoſophus & Medicus πολυμαθέστατος VI. Id. Mart. Basileæ ex morbo Epidemio decedit æt. 55. ἐν τῷ νυνὶ, ὡς πεπείσμεθα, τῆς αἰωνίας παννυχίας τῆς ἐν ἅιδαο εἰσδέξεσθαι διάγων.

Petrus Monavius, Vratislavienſis,

Medicus Cæſareus Pragæ.

M. Michael Haslobius,

Berlinenſis, Profeſſor Poëſeos Francofurdi ad Viadrum 28. Apr.

ANNO CHR. 1589.

I. Præsules.

Martinus Cromerus, Polonus,

Hiſtoricus & Epiſcopus Warmienſis in Boruſſiâ, cui ſucceſſit Andreas Bathore-Cardinalis, 1599. interremptus.

II. Impp. Reges.

Henricus Valeſius III.

Galliæ & è Poloniâ profugus rex, Henrici II. F. Franciſci II. & Caroli IX. Fr. dum in caſtris cum magna procerum parte in pago Pariſiis vicino, qui à ſancto Clovio (al. Claudio) nomen habet, & vernaculo ſermone Sainct Clou appellatur, copias adverſum Ligiſtas adaugere ſtudet, Kal. Auguſti hora 8. (al. 22. Iulii) ter ſacrilega manu Monachi ex ordine eorum, qui Iacobitæ, [vulgò Iacopins] nominantur, circa inguina confuſius, altero die hora VII. mortem oppetiit, æt. 38. cum per integras tres poſtremas horas ſanguis copioſus adeò fluxiſſet, ut nec quidquam ejus in venis reliquum conſpiceretur. Fuit autem illi Monacho nomen Clementis, (al. Iacobum Clementem nominant, & Senliſianum, al. Senenſem Gallum, & Ord. S. Dominici ſeu prædicatorum Monachũ faciunt) qui 25. [al. 23.] circiter annorum juvenis, ab Angelo haud dubiè Monetariano vel alio quovis perſonato eoque ſceleſtiſſimo, cujuſmidi Cæleſtino V. Papæ apparuit, noctu bis è ſomno excitatus & ad perpetrandam regis cædem perſuaſus ſcribitur exemplis Ehudi Judic. 3. & Judithæ Judith. 13. Lutetiâ igitur digreſſus cum in caſtra veniſſet, regis procuratorem generalem (cui nomen erat Guelleo) primùm adiit: & ſe habere tum litteras ad regem dixit, tum etiam quædã illi exponenda, quæ litteris comittere, minime tutũ viſum erat. Cœna excipitur ab illo regis procuratore generali: ſed quum ſatis longo poſt cœnam tempore ad regem introduci vellet, & valde urgeret [tanquam videlicet maximum in mora periculum eſſet) hoc tamen non impetrat: quod rex jamjam lectum petiturus eſſe diceretur, & in diem ſequentem ut rem differat rogatur, quod ab illo ægre obtinetur. Nimirum noctem ſui facinoris adjutricem fore ſperabat. Poſtridiè igitur manè ſimulatque rex è lecto ſurrexit, ad illum & rubro camiſio, loricaque tenui ſub veſtibus ſolito more ſeſe munientem, per Queſtium magiſtrum excubiarum adducitur & amice ab illo his verbis excipitur: Et bien mon pere qu' y-a-til? Præterquam autem quod ad regem philomonachum facile Monachi admittebantur, hoc etiam faciliorem aditum præbebat, quod ſe litteras ab Harlæo, curiæ Parlamenti præſide primo [qui Pariſiis in carcere detinebatur] afferre multaque alia ad eum mandata habere ſe mentiebatur: Quas litteras cum regi obtuliſſet (erant autem fictæ & manum Harlæi imitantes) addit denuo, ſe habere etiam mandata ad eum magnis de rebus, quæ remotis arbitris velit exponere. Ac quamvis rex duobus, qui ipſi adſtabant præſentibus poſſe illa exponi diceret, tamen quòd cum cunctari videret, & ſperaret fore, ut liberius loqueretur, ſi alium nullum auditorem haberet, illos à ſe dimiſit. Tum ille inter alia dicens regi, ſe aliquam præterea chartam habere, quam ei vellet exhibere, & ſe eam è manica velle fingens depromere, ejus loco cultellum oblongum eumque intoxicatum & utrinque acutum (al. gladium) deprompſit, quem in regis adhuc dum ſeminudi & legendis litteris admodum intenti ilia ocyus depreſſit. Rex autem vulnere percepto exclamans, Tu tretter, & mordes que fette vous? ſimul cultellum ex vulnere raptum Monacho in caput impegit. Quo factum, ut Satellites accurrentes regi cidam, læto animo gratias Deo pro tàm placida morte agentem, pluribus vulneribus trucidarint cum potius in carcerem abducere debuiſſent, ut quæſtione de eo habita, ſupplicium ſolenniter ſumi potuiſſet. Atque hæc partim ex Henrici Stephani principum monitrice Muſa, partim aliunde in gratiam lectoris deprompta uberius recenſui, nempe ut idem ille æquiſſimus non ſolùm animo colligat tam veteres quam eadem tempeſtate durantes adhuc calamitates, quæ quidem paſſim per Gallicum agrum & civitates opulentiſſimas ſub regibus Henrico II. ejuſque filiis horrendum in modum ob relligionis diſſidium invectæ fuerunt, verùm etiam una conſideret, quam atrociter Deus iraſcatur hominibus improbis, impuris, atque ut nocentiſſimis, ita & jura belli paciſque, pietatem, pacta, judicia denique pro lubitu ſuſque deque habentibus & non niſi martyrum ſanguinem ſitientibus. Nam ut Henricus II. quatuor filios reliquerit, Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III. & Herculem, poſtea Franciſci Alenzonii nomen aſſumentem, quorum priores tres non ſolum regio diademate inſigniti

fuerunt,

fuerunt. verum etiam ſuam quiſque conjugem habuerunt, præterquam tamen quod nulli ex his natura finem vitæ fecit, uti nec parenti, neutrive patruo tam Franciſco Delphino, quam Carolo Aurelienſi, ceu partim ex modo dictis conſtat, partim ex ed. C. 1536. 1545. 1559. 1560. 1574. & 1584. repeti poteſt, eorum etiam nulli tam fœcundum contigit matrimonium, ut maſculam ſobolem ex uxore procreatam aut umquam viderit aut deinceps reliquerit: adeo ad univerſa Valeſiorum ſtirps & familia, ſub qua regnum alioqui florentiſſimum 260. annis, defuncto nimirum 1328. Carolo IV. ab uſque Philippo VI. ſteterat, radicitus exciſa ſit, haud aliter quam tum in Philippi ill. tribus nepotibus, qui & Valeſiorum ſtipes fuit, accidiſſe legimus. Veriſſime igitur Ælianus lib. 6. affirmat, nullam tyrannidem ἐπὶ τριγονίαν ſeu ad tertiam generationem propagari, pulcherrimo Deorum immortalium munere.

Carolus X. ex gente Bourbonia, Antonii regis Navarræi Fr. Henrici patruus, & ex Cardinali rex Galliæ creatus extremum diem ſenex in carcere clauſit, in quem ab Henrico erat conjectus, & à ſucceſſore inibi detentus.

III. Principes, Comites.

Iulius, Dux Brunoſwicenſ. & Lunæburgenſ. Henrici Junioris F. Henrici Julii præſentis parens 3. Maji æt. 61.

Maria, Caroli Ducis Finlandiæ conjunx 1579. Ludovici El. & Co. Palatini F. 28. Julii.

Ludovicus, Co. ab Ebersteyn/ Dominus in Newgarten & Naſſaw/ Acad. Francofordianæ ad Viadrum Rector, una cum Doctoris Andreæ Zochii filio undis ſeſe audacius committens, fundum cum vitæ jactura petiit 9. Julii.

Philippus, Co. ab Ebersteyn & Wertheym/ nobilis Dominus in Prewbergk 11. Sept.

IV. Literat. Qviq;.

Tilemannus Heſhuſius, Veſalienſis, Theol. D. & Profeſſor Helmæſtadii 25. Sept. æt. 61.

David Voitus, Theol. Witebergæ.

Andreas Duditius, ICtus percelebris 13. Feb. Vratislaviæ æt. 57.

Andreas Cruſius, Halberſtadienſis, avunculus meus magnus idemque ICtus ſumma cum eloquentia, tum fide & integritate, authoritate denique tanta præſtans pollensque ut ab Erico Juniore, Brunoſvicenſium Duce in ἀρχιδικαστὴν aſſumi meruerit, ejuſdemque abſentis vices bene longum tempus geſſerit, 23. Martii Pattensheymiæ obiit.

Melchior Guilandinus, Boruſſus, ut in omni ſcientiarum genere, ſic in ſimplicium medicamentorum cognitione verſatiſſ. & rei herbariæ Profeſſor Patavii.

Ioannes Sturmius Sleidanus, Argentinenſis ſcholæ per 45. annos Rector ſolidè doctus & erudiendæ Juventuti natus, adeoque omni laude ſuperior κατὰ βραχὺ μὲν τῷ βλέπειν στερόμενος, ἀλλ' εἰς τὰ ὄντως βίου γεγυμνάζας ἑαυτὸν, μετὰ πολὺ τελεότατα. 3. Martii æt. 82. in prædio ſuo propè Argentinam ſito, quo ab officio ſcholaſtico 1581. quorundam ſuſurronum inſtinctu remotus conceſſerat.

Chriſtophorus Plantinus, Antvverp. Typographus regius & inſignis idem Mathematicus Cal. Juliis.

Tilemannus Stella, Mathematicus.

ANNO CHR. 1590.

I. Præsules.

Sixtus V. Ro. PP. ex Cardinali de Montealto, dictus anteà Felix Peretus Calaber Ord. Franciſcani 17. Auguſti ex Melancholia interiit, quam ingens auri vis ab ipſo corraſa nequaquam diſpulerat, æt. 69. cum natus ſit 10. Xbr. 1521. De ipſius ortu, ingenio & dignitatum incremento vide Brutum fulmen pag. 35.

Urbanus VII. ex Cardinali tit. S. Marcelli Ro. PP. 12. dierum, cui anteà nomen Joan. Baptiſtæ de Caſtanea Genuenſis fuerat 17. Sept. æt. 72.

II. Impp. Reges.

III. Principes, Comites.

Carolus, Archidux Auſtriæ, Impp. Ferdinandi F. Maximiliani Fr. I. (al. 10.) Julii æt. 51. Græcii mortuus ſepelitur Seccavii.

Iacobus, Marchio Badenſis, Carol. F. ſub initium mutatæ à ſe relligionis 7. Aug.

Augusti (al. 5. Septembr. seq. anni) in Monasterio Dennenbach ex dysenteriâ [al. ex diarrhæa & morbo qvodam Epileptico] decedit æt. 29. Retulit mihi tum Dn. Platerus, Basilienſium Archiater, qvod ſtomachum ipſius tribus in locis pertuſum aut eroſum potiùs Medici ſectione facta deprehenderint; qvæ res non exiguam propinati veneni ſuſpicionem multis deinceps haud dubie movit.

Eliſabetha, Auguſti El. & Ducis Saxoniæ F. Caſimiri Co. Palatini ad Rhenum coniux 2. April. (al. ſeq. anno] æt. 39. cum nata ſit 29. IXbr. 1552.

Hedvvigis, Chriſtophori Ducis Wirtembergici F. Ludovici, Landgravii Haſſiæ coniux 4. Martii Marpurgi æt. 43. conjugii 18. Et altera ipſius ſoror

Sophia, Friderici Wilhelmi Ducis Saxoniæ prima coniunx 21. Julii puerpera decedit æt. 27.

Philippus, Hanojæ Comes Lichtenbergicus 19. Februar. æt. 76.

Albertus, L. B. Heideccius M. Octobri Onoltzbachii.

Johannes Trauſon L.B. zu Sprechenſtein / Cæſ. Majeſt. Conſiliarius 15. Octobr. Pragæ æt. 79.

Chryſolita Bathorea; Sigiſmundi Tranſſyluaniæ principis ſoror, Chriſtophori F. Joannis Zamoiſchii Polonici regni Archicancellarii uxor.

Eliſabetha è Sleikenſium Comitum familia; Wilhelmi Co. Schvvartzburgici conjux Franckenhuſæ 24. [al. 23.) Novembr.

IV. Litteratiss. Qviq.

Joannes Avenarius, Theol. Citii ad Eliſtrum M. Xbr.

Jacobus Andreæ, Eiſtetenſis Ravarus, Tybingenſ. Academiæ Cancellarius 7. Januar. Tybingæ æt. 62. cum natus ſit 25. Martii 1528. & ſecundum alios Weiblingæ.

M. Hieronymus Mencelius, Suidnicenſis, Mansfeldenſ. Superintendens 30. annorum 25. Februar. Islebii æt. 74. (al. 73.)

Jacobus Cuiacius, Toloſanus, ICtus exactiſſ. & Conſiliarius regius Biturigibus 3. Octobr.

Franciſcus Hottomanus, ex Otmannorum apud Sileſios familia qvidem oriundus ſed, Pariſiis natus, ICtus extra omnem ingenii judiciiq; aleam poſitus 5. (al. 12.) Februar. Baſileæ æt 63. (al. 66.)

Andreas Pauli, Brunoſvvicenſis J. V. D. & El. Saxonici Conſiliarius intimus Caſſellis æt. 47.

Nicodemus Friſchlinus, Balingenſis Philoſ. & Med D. Comes Palat. P. L. & Orator, olim Tybingenſ. Acad. Profeſſor κατὰ πᾶσαν παιδείαν ἐμπειρότατος. Vraci e cuſtodia ſalutem ſibi clandeſtina fuga qvæſiturus; verebatur quippe, ne ſempiternis vinculis adſtringeretur; funè prænimia corporis appendentis mole diſrupto, qvo alioqvi ſeſe demiſſurus erat, in terram decidit, adeoq; coſtis aliqvot & dextro brachio trifariam fractis lamentabilem vitæ exitum ſortitus eſt 29. IXbr. æt. 44.

Iodocus Willichius Junior, M. D. & Profeſſor ordinar. Francofurti ad Viadrum 5. Julii Apoplexia moritur æt. 47.

ANNO. CHR. 1591.

I. Præsules.

Gregorius XIV. ex Cardinali Cremon. tit. S. Cæciliæ PP. Ro. electus 25. IXbr. 1590. cum antea Nicolaus Sfondrata Mediolanenſis nuncuparetur 5. Octobr. atq; ſic nondum elapſo Pontificatus anno exſpirat

Innocentius IX. Ro. FP. unius menſis 22. Novembr. æt. 73.

Bernhardus, Co Waldeccenſis, Joannis Pii F. Epiſcopus Oſnabrugenſis; Canonicus Colonienſis & Argentinenſis.

II. Imper. Reges.

III. Princ. Com.

Chriſtianus, El. & Dux Saxoniæ, Ell. Auguſti F. Chriſtiani præſentis parens 25. Septembr. æt. 31.

Georgius Joannes, Co. Palatinus

tinus ad Rhenum Bipontinus Zum Litzelstein/ Ruperti F. Wolfgangi patruelis.

Christophorus, Co. Mansfeldens. 29. Augusti Dresdæ.

Carolus, antiqvioris familiæ Co. ab Ortenburg obiit Patavii.

Anna, Philippi Landgravii Hassiæ F. & VVolfgangi Co. Palatini Bipontini 23. annorum vidua, Mesenhemii sepulta.

Anna Sophia, Alberti I. Borussiæ Ducis F. Joannis Alberti Ducis Megapolitani vidua 6. Februar.

Maria Iacobi, Marchio Badensis; VVolfgangi, Co. Barbeiensis uxor.

IV. Litteratiss. Qvique.

Antonius Chandæus, sive **Sadeel** Forestanus, ex nobilist. Chandæorum familia Theologus eximius, & olim Parisiensis instauratæ orthodoxæ Ecclesiæ, DEO duce, fundator, & Mataeologorum Sophistarum domitor 23. Febr. obiit Genevæ æt. 57.

Simon Pauli, Suerinensis, Theol. D. & Profess. olim Rostochii 17. Sept. æt. 57. Suerini.

Hugo Donellus, Ictus & olim Lugduni Batavorum Professor celeberrimus moritur 4. Maii Altdorpii æt. 65.

Wolfgangus Hallerus, tribus olim Palatinis principibus a consiliis obiit 2. Septembr. Ambergæ.

Victorinus Schönfeld, Budissinus, Med D. æt per 33. annos Mathematum Professor Marpurgi 13. Junii.

Ioannes Posselius, μέλι θαμὺ σης καὶ χαρίτων θοέυμα, 15. Augusti obiit æt. 63. Rostochii, ubi jam Græcas litteras per 38. annos publice docuerat.

ANNO CHR. 1592.

I. Præsules.

Ioannes, Comes a Manderscheyd/ Episcopus Argentoratensis, apoplexia concidit 22. April. Tabernis Alsatiæ.

II. Impp. Reges,

Ioannes III, rex Sueciæ, regum Gostavi ex altera conjuge Margarita F. Erici XIV. Fr. Sigismundi præsentis parens [al. 1587.]

Elisabetha, Maximiliani I. Ro. Imp. F. Caroli IX. Galliæ regis 18. annorum vidua 22. Januar. Viennæ in Austria e vita migrat, ibidemq; in Monasterio Ord. S. Claræ a se noviter exstructo 10. Februar. sepelitur. (al. priore anno.]

III. Principes, Comites.

Joannes Casimirus, Co. Palatinus ad Rhenum & Electoratus Administrator; Ell. Friderici F. Ludoici Fr. 6. Januar. Heidelbergæ decedit, sepultus ibidem 26. ejusdem mensis. Et ipsius soror

Dorothea Susanna, Joannis Wilhelmi Ducis Saxoniæ vidua 29. (al. 24.) Martii Vinariæ æt. 48. cum cancro diu excruciata fuisset, tandem supervenientibus hydropisi & dysenteria placidissime exspiravit.

Wilhelmus, Dux Brunsvvicens. & Lunæburgens, Ernesti F. Ernesti præsentis parens 19. Augusti Cellæ æt. 57. [al. 52.]

Wilhelmus, Dux Juliacensis, Clivensis & Bergens. Joannis F. Ioannis Guilielmi præsentis parens 26. Xbr. (Matalio s. Januar.) Dusseldorpii æt. 76.

VVilhelmus, Comes provincialis Hassiæ, Philippi F. Mauritii præsentis parens 25. (al. 26.) Augusti Cassellis æt 61.

Ernestus Ludovicus, Dux Pomeraniæ, Philippi F. Philippi Julii parens 17. (al. 20.] Junii. æt. 47.

Joannes, Dux Megapolitanus; Joannis Alberti F. 23. Martii Stargardiæ obiit, æt. 35. sepultus deinde Suerini. Ejusdemq; patruus

Christophorus, Dux Megapolitanus Alberti F. æt. 56.

Joannes Georgius, Dux Lignicensis & Brigens. Georgii F. Joachimi Friderici præpositi Magdeburg. Fr. 6. Julii æt. 40. ἄπαις.

Alexander Farnesius, Octavii F. Dux Parmæ atq; Placentiæ Belgiiq; regio nomine Gubernator 22. (al. 19.] Novembr. [al. 2. al. 12. Xbr.] in monasterio S. Vasthi Atrebati exspirat, viscera Atrebati, cor Parmæ in Italia; corpus reliqvum Bruxellis sepultum est.

Wilhelmus, princeps Rosenber-

bergicus, Consiliarius Cæs. Mai. præcipuus 21. Augusti Pragæ.

Ludovicus, L. B. à Limpurg. Ro. Imp. pincerna hæreditarius &c. 14. Maii in Gallia exstinctus & sepultus est.

Anna, Alberti Ducis Megapolitani F. Gothardi Ducis Curlandiæ vidua.

Anna, Pomeraniæ Ducissa, & Co. Barbeiensis conjunx 13. Octobr. Rosenburgi.

IV. Litt. Quiq;

Nicolaus Selneccerus, Noribergensis Theol. D. & Hildesiensis Eccles. Pastor 24. (al. 14.) Maii æt. 61. (al. 91. quod haud dubie falsum est] moritur Lipsiæ, quo ob Ecclesiastica qvædam negotia ad tempus obeunda [scilicet & heic longo tempore Ecclesiam rexit) nuper evocatus redierat.

Ludovicus Rabus, Theol. D. & ex Memmingense duüm, & Argentinense Ecclesiaste 12. Superintendens Ulmensis 36. annorum 20. Junii obiit Ulmæ.

ANNO CHR. 1593.

I. Præsules.

II. Impp. Reges.

III. Princ. com.

Ludovicus, Dux Wirtenbergicus, Christophori F. Sturgardiæ repentina morte exstinctus 8. Augusti æt. 40. qvia nullam sobolem reliqvit masculam, successorem habuit agnatum Fridericum. Co. Montisbeligardensem.

Ernestus, Comes at Hohensteyn postremus, Volkmari Wolfgangi F. M. Julio obiit, cujus ditio deinde ad Henricum Julium, Brunosvvicensium Ducem pervenit.

Theodoricus, Co. à Manderscheyd & Wertheym obiit 24. Xbr. Wertheymiæ, cum natus esset 1538.

IV. Litterat. Quiq;.

Erasmus Marbachius, Theol. & Profess. Argentinæ 20. Febr. æt. 45. ἄγαμος.

Martinus Mirus, Theol. D. Dresdensis olim & deinde Halberstadiensis Superattendens mira facundia: sedato Lipsensi tumultu Dresdam, ubi pristina fruebatur & authoritate & gratia, defuncto scilicet Christiano Septemviro, reversurus, in itinere Cartitii defecit 24. Augusti æt. 61. solenniter dein deinde Dresdæ sepultus.

Ioannes Borchold, Lunæburgens. ICtus grauiss. 9. Octobr. Helmæstadii,

Ioannes Levvenclaius, Westphalus nobilissimus vir doctrina multa atq; lingvæ utriusqve Latinæ atq; Græcæ cognitione, converso a se toto Xenophonte, omnibus Nazianzeni operibus, historicis aliqvot præterea græcis & aliis græcorum libris felicissime reddendis & interpretandis celeberrimus,

Ioannes Lauterbachius, in Noscovvitz nobilis I. V. D. & P. L. 11. Octobr. Heilprunnæ.

Dominicus Guantenus, Veronensis ICtus.

Ioannes Schröterus, Senior, Med. D. & primus Acad. Jehnensis Rector 2. April. Jehnæ.

Paulus Lutherus, Martini F. Med. D. & olim El. Saxonici Archiater feliciss. 8. Martii Lipsiæ.

M. Gerardus Mercator, Ducis Juliacensis Cosmographus longe exercitatiss, obiit Duysburgi 2. Xbr. (al. seq. anno] æt. 82. cum natus sit 12. Maii 1512. Rupelmundæ in finibus Comitatus Flandriæ.

Orlandus Lassus, [alias di LASSO] Ducum Boiariæ Alberti & Guilielmi *Musicæ Magister* supremus per integrum vicennium & a Maximiliano II. Imp. Ro. nobilitatus obiit Monaci æt. 63. cum natus sit 1530. Bergæ Hannoniæ urbe.

ANNO CHR. 1594.

I. Præsules.

II. Impp. Reges.

III. PRINCIPES, COMITES.

Elisabetha, Friderici III. El. & Co. Palatini ad Rhenum F. Joannis Friderici medii, Ducis Saxoniæ captivi altera coniunx obiit 4. Februar. Neostadii in Austria, adeoq; in mariti custodia, in qva hucusq; per 27. annos cum ipso manserat.

Dorothea, Co. Mansfeldica; Joannis Georgii principis Anhaltini prima conjunx.

Botho, Co. Reinsteinens. & Blanckenburgicus, Ulrici F. 4. Octobr. Stigæ æt. 63. &

Ernestus, Ernesti F. Ulrici nepos, Co. Reinstein. & Blanckenburg. 12. Julii æt. 25.

Nicolaus Caas, Dominus in Tarup, magnus regni Danici Cancellarius & Eqves Ord. Danici 29. Junii.

IV. LITTERATISS. QVIQVE;

Christophorus Cornerus, ex Fagis opp. Franciæ oriundus Theol. D. & Marchionatus Brandeburg. generalis Superintendens Francofurti ad Viadrum 18. Martii æt. 76.

Georgius Waltherus, Halensis Saxo, *Med.* D. & Professor Lipsens. 10. Novembr.

ANNO CHR. 1595.

I. PRÆSULES.

Georgius, a Schönburgk / Episcopus Borbetomagensis æt 70. Spiræ.

II. IMPER. REGES.

Amurathes, III. Imp. Turcicus XV. Selymi II. F. 8. Januar. [al. priore, al. seq anno) moritur Constantinopoli æt. 48. cui succedit F. à *Mu*chometes III. patre in hoc crudelior, qvod 19. fratres, ut regnum affectaret, strangulásse fertur; cum pater vix qvinq; eandem ob caussam 1576. è medio sustulerit.

III. PRINC. COM.

Ferdinandus, Archidux Austriæ, Ferdinandi Imp. Ro. *F.* Maximiliani 2. Fr. Qeniponte 14. Januar. decessit æt 66.

Ernestus, Archidux Austriæ & Belgii gubernator, Maximiliani II. Imp. Ro. F. 10. *Februar. Bruxellæ* æt. 42.

Wolfgangus, Dux Brunosvv. & Lunæb. in Grubenhagen Hertzbergii 14. Martii æt. 64.

Corolus, Comes Mansfeldicus; Petri Ernesti gubernatoris Lutzelburgici F. ἀρτίφιλος 13. (al. 14. al. 4.] Augusti Gomorrhæ in Hungariâ.

Philippus, Comes Nassovius &

Eberhardus, Comes Solmensis, ab Hispanis in agro Clivensi vulneribus concisi captiq; τῇ ζωῇ ἀπαλλαγησαν.

Elisabetha Magdalena, Brandenburgica; Francisci Otthonis Ducis Brunosvv. & Lunæburgens. vidua.

Ioannes Fridericus II. Joannis Friderici El. F. Dux Saxoniæ captivus per 28. annos, eodem, qvo captus fuerat, die; scilicet 9. Maii obiit æt. 66. Stiriæ, qvo ante 6. menses circiter Neostadio *Au*striæ venerat: sepultus deinde una cum demortua conjuge Coburgi 15. Xbr. eiusdem anni, funera pio affectu curantibus utroq; filio & Ioanne Casimiro & Ioanne Ernesto, Saxoniæ Ducibus.

Antonius Lusitanus, Emanuelis regis Portugalliæ nepos, in Gallia obiit.

Henricus, Co. Castellanus; Georgii Conradi & Friderici Fr. obiit 20. Sept. æt. 71. cum natus sit 13. Februar. 1525. in veteri arce Stolberga, qvæ nunc plane diruta conspicitur; sepultus Rembdlingæ.

Clara, Henrici Iunioris Ducis Brunosvv. & Lun. *F.* Iulii soror, Philippi, itidem Ducis Brunosvv. & Lunæb. in Grubenhagen uxor 23. Novembr.

Catharina Renata, Caroli Archiducis *Au*striæ F. 29. Iunii Seccavii æt. 20.

Anna, Georgii L. B. à Schönberg F. *Bo*thonis Co. Reinsteinens. & Blanckenburgens. vidua Mulbeccæ M. Martio.

Dorothea, Co. Solmensis; Henrici Rutheni Senioris coniunx Geræ.

Ferdinandus. Co. Hardeccius cum objectum perfidiæ crimen de Jaurini traditione refellere non posset, id qvidem morte expiavit; capite nimirum manuq; simul amputatis 16. (al. 15. al. 5.] Iunii *Viennæ* in Austriâ, adeoq; humanum genus suo supplicio docuit ea sancta credere, qvæ ab ipso vio-

M. MICHAEL NEANDER
SORAVIENSIS SILESIUS RECTOR ET
ANTISTES MONASTERII ET SCHOLÆ
ILFELDENSIS *ad Annos 45.*
Nat. 1525., Denatus 26 April 1595
Ætat. 70.

violata erant, ἔχει πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δικηνδεῖα γένοιτο, idq; Rhadamanthi calculo, ut ap. Aristotelem legitur.

IV. LITERATISS. QVIQ;.

Michael Neander, Soravienſis Sileſius, cui me magna ex parte debeo, Ilfeldenſis Cœnobii Antiſtes ut multæ ac prope infinitæ lectionis, ita & ob præclara in Remp. collata merita imortali laude digniſſimus, 26. Ap. ubi jam ſeptuageſimum ferme æt. ānū attigiſſet, ἐς τὸν ἄνωθεν τόπον ἀπεχώρησε ibiq; nunc beatus æuo ſempiterno fruitur.

Verzeichniß aller Bücher / ſo von dem Ehrwürdigen / Achtbahren und wohlgelahrten Herrn M. Michaële Neandro, Weyland der Schulen Ilfeld Rectorn ſeeligen / in öffentlichen Druck gegeben / auch derer / ſo nach ſeinen ſeeligen Abſterben noch zum Druck zu verfertigen.

1. TAbulæ Græcæ linguæ.
2. Erotemata Græcæ linguæ.
3. Tabulæ Hebrææ linguæ.
4. Erotemata Hebrææ linguæ.
5. Compendium Grammatices Latinæ.
6. Compendium Grammaticæ & Rhetoricæ.
7. Sylloge phyſice rerum eruditarum.
8. Compendium phyſices.
9. Orbis terrarum partes, Europa, Aſia, Africa.
10. Compendium Coſmographiæ.
11. Chronicon.
12. Compendium ejuſdem.
13. Sylloge phraſium.
14. Formæ Epiſtolarium Familiarium.
15. Parva Biblia, latino Germanica.
16. Theologia Megalandri Lutheri.
17. Catecheſis Græco latina.
18. Theologia Chriſtiana, iſt nach ſeinem Tode publiciret.
19. Der Menſchen Spiegel / oder vom ewigen Leben.
20. Antologicon Græco latinum.
21. Gnomologia Græco latina.
22. Phraſeologia Græco latina.
22. Ethices lib. 3. cum verſiculis Leoninis & dicteriis Germanicis.
24. Ariſtologia Pindarica græco latina.
25. Ariſtologia Euripidea, græco latina.
26. Opus Scholaſticum aureum, iſt im Druck getheilet in zwey Theile / kan aber füglicher in 3. Tomos im Druck getheilet werden / daß nehmlich der erſte Theil in ſich habe Carmina aurea Pythagoræ, Phocilidis & Theognidis Poemata, damit man ſolches Theil alleine in Schulen leſen und brauchen könne.

Der ander Theil aber in ſich habe. Gnomologicon Græco latinum in Apophthegmatum græcorum libros duos, welche ein Buch zuſammen auch in Schulen alleine könne gebraucht werden.

27. Nili Epiſcopi & Martyris præcepta de pietate & moribus.
28. Coluthi Lycopolitæ Thebæi Helenæ raptus.
29. Triphiodori Poetæ Ægyptii de Trojæ excidio Poema.
30. Luciani Samoſateni ſomnium.
31. Viri Smirnæi popularis Homeri de Trojæ excidio lib: 2.
32. Bedencken Neandri an einen guten Freund Teutſch vom Stande der Chriſten in der Türckey.
33. Theocriti Idyllia in Pindari Argonautica cum expoſitione Grammatica M. Neandri, nach ſeinem Todt publiciret.
34. Orationes Dominicæ Euripidis & funebris Neandri.

Nihil deeſt.

Verzeichniß der Bücher / ſo noch im Druck zu verfertigen.

1. Ἀγίας θεολογίας σύνοψις ἑλληνικολατίνη.
2. Doctrinæ Chriſtianæ capita dictis & Teſtimonis Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti expoſita & commemorata.
3. Catechismus parvus Lutheri græco latinus.
4. Pandectæ ſeu Bibliotheca.
5. Pyndari Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia converſa & expoſita, argumentis etiam græco latinis illuſtrata.
6. Apollonii Rhodii Argonautica lib. 4. converſi & expoſiti, argumentis præterea græco latinis illuſtrati.
7. Lycophronis Caſſandra conuerſa & expoſita, argumentis etiam græco latinis illuſtrata.
8. Heſiodi ἔργα καὶ ἡμέραι cum expoſitione utriuſq; Textus græci & latini, cum argumentis græco latinis utriuſq; libri.
9. Heſiodi Theogonia Græco latina, in qua tota Idolomania gentium oſtēditur.
10. Sententiæ de ſingulis doctrinæ Chriſtianæ articulis deſcriptæ ex omnium fere Patrum græcorum libris, ac latinorum præcipuorum libris obſervatæ, atq; in locos ſecundum Chriſtianiſini partes digeſtæ.

11. Gnomologia græco latina ex omni scripturæ genere Poëtarum & Philosophorum Commentariis descriptæ.
12. Veterum latinorum Philosophorum, Oratorum ac Historiçorum sententiæ morales.
13. Versuum ex libris Monachorum collectorum magnus numerus.
14. Epitheta græca, Phrases poëticæ græcæ, Philologica qvædam, ac ejus generis multa alia.

In effigiem CL. V.
MICHAELIS NEANDRI, OLIM
ILVELDENSIS
Cœnobii Antistitis.

Ὅστις ἀριχλήεντ' ἐέλδεαι αἶψα Νεάνδρε
Εἰσιδέειν μορφὴν, εἴματα, σῶμα, χάρη,
ἔρχεο, τοῖσι τόποισιν ὅπου τρέψειας ὀπωπήν,
κ' εἰσιδήσεις μορφὴν, ἕματα, σῶμα χάρη.
ζωόγραφ' γάψαι μὲν δύνατ' ἀνέρ', εἰδος
Οὔτω δ' ἰδμοσύνην, καὶ ἀγαθός περ ἐὼν:
Ὀρῇ' ἐκάθης ἀνδρῶν πολυδαίδαλα ἔργα παλαιῶν:
Πρός τε θεῶν χρῆσιν πολλὰ μαλ' ἐξεπονεῖ:
Οἷς κλέος ἠδ' ἀνὰ βεντεθρέμμονα γαῖαν
ἀἰδιόν τε μένει κ' ἀζιάγαστον ἔφυ.

Guill. Budæus Νεανδροτρεφὴς.

In Templo Ilfeldensi
Epitaphium

DN. *M.* Michaelis Neandri. Juxta hunc lapidem in tumulo reqviescit Reverendus Vir *M.* Michael Neander Soraviensis, Rect. & Antistes Monasterii & Scholæ Ilfeldensis ab Anno 45. Doctissimus Fidelissimus & Celeberrimus, Maxime Pius & *M*unificentissimus in Scholam, Ecclesiam, & Pauperes.
Obiit autem anno ætatis Suæ 70. Christi vero 1595, die 26. *A*prilis. Ilfeldæ.

M. Reinerus Reineccius, Steinheymensis, Acad. Juliæ, qvæ est Helmæstadii, πολυΐστωρ θαυμάτιος. 16. April.

M. Hardvicus Smidenstet, Lunæburgensis, ex Oratoriæ facultatis Regimontano 12. Helmæstadiensis 16. annorum professor obiit morte repentinâ in patriâ, dum eam pro more inviseret, prid Kal Sext. æt. 57. sepultus ibidem in summo templo.

M. Ioannes Vollandus, Greussenas, patriæ scholæ Rector longiore vita perqvam dignus: sed nunc ut fata tulerunt, sæva colica exstinctus ad supernæ vocationis bravium contendit.

ANNO CHR. 1596.

I. Præsules.

II. Imp. Reges.

Anna, Regum Poloniæ, Sigismundi F. Sigismundi Augusti soror: Stephani Bathorei vidua.

III. Principes, Comites.

Philippus, Dux *B*runosvvicens. & Lunæburgens. Grubenhagiorum ultimus, Philippi *F.* Wolfgangi Fr. 4. April. (al. 8. Martii) æt. 63.

Fridericus, Dux Lignicensis in Silesia postremus.

Georgius, Landgravius Hassiæ, Philippi F. Darmstadii 7. Martii æt. 49.

Bernhardus, princeps Anhaltinus, Joachimi Ernesti ex Eleonora Wirtembergica, altera conjuge F. ex pugna cum Turcis propè *A*griam commissa domum reversurus Posonii obiit.

Franciscus Dracus, Anglicæ classis præfectus armis optimus, & ad impugnanda hostium terga ingeniosissimus, qui M. Novembr. 1577. qvinq; navium classe ex Anglia soluens totam terram circumnavigavit & Londini salvus 21. Septembr. 1580. appulit: & iterum exinde profectus Promontorium viride in novis insulis 1586. cepit. Indeq; ad Hispaniolam, S. Dominici insulam veniens eam simul cepit &c. periit in insula Cuba ex cruento alui profluvio.

Elisabetha, Joannis Co. *M*ansfeldici captivi *F.* Joannis Ernesti Ducis Saxoniæ Coburgensis prima coniunx 12. April puerpera decedit, Ilmenæ sepulta postmodum.

Magdalena, Wolfgangi Co. Hohenloensis zu Weickersay F. Henrici Reusii Junioris, Dn. Plauensis conjunx 2. April. Geræ æt. 24. cum nata sit 28. Xbr. 1572.

Magdalena, Co. Gleichiana, Wilhelmi L. B. Heideccii vidua obiit Weickersheimii, sepulta dein 3. Novembr. Onoltzbachii.

IV. Litt. Qvinq;

Lambertus Danæus, Theol. Gallus Orthesii obiit in oppido ad montes Pyrenæos sito.

Sigfridus Saccus, Northusanus, ex gymnasiarcha Magdeburgico Theol. D. & supremus cathedral. Eccl. minister Magdeburgi 2. Septembr. æt. 70.

M. Pau-

M. Paulus Franzius, Plauensis, Theol 22. *Martii.*

Henricus Pantaleon, Theol Licentiatus Med. D. Comes Palat. & Physices Professor Basilex ἰχατηγήως.

Ioannes Slezerus, Med D. & El. Brandeburgici Archiater Coloniæ ad Spreuum.

Lambertus Ludolfus Helmius, Pithopæus Daventriensis 33. annorum in Acad. Heidelbergensi Professor & Poeta elegantiss. ingenii, hoc anno obiisse fertur.

Fridericus Sylburgius, Græce pariter atq; Latine doctiss. 16. Februar. Heidelbergæ.

ANNO CHR. 1597.

I. PRÆSULES.

N. Colona, Cardinalis Seggaranus, Episcopus Tarentinus, Salernitanus &c. 13. Maii.

II. IMPERATOR. REGES.

Gunilla, Joannis III. Sueciæ regis vidua.

III. PRINCIP. COMIT.

Alfonsus II. Dux Ferrariensis & *M*archio Estensis sine mascula prole 16. Octobr. decedens, Rō. Pontifici Ducatum hæreditario Jure ceu Petri patrimonium inuadendum occupandumq; relinqvit.

Martinus, Comes Reinsteinensis & Blanckenburgens. postremus, Ernesti F. Erneſti Fr. 3. *April.* obiit æt. 27. Nam tametsi hæredem admodum infantem, Joannem Ernestum reliqvit, eo tamen biennio post, nempe 4. Julii 1599. Laubaci apud avum maternum sub tutela & cura Henrici Julii, *Bru*nosvvicensium Ducis exstincto, Comitatus uterq; Iure feudi ad tutorem, qvem dixi, devolutus est.

Elisabetha, Gostavi Sueciæ regis ex secunda conjuge Margarita de Loholm F. Christophori, Ducis Megapolitani vidua.

Catharina, Philippi Hispaniarum regis *F.* Caroli Ducis Sabaudiæ uxor puerpera, vel ut alii scribunt, ex catarrho ad pectus decumbente, qvem timor auxerat nimis anxius, obiit.

Iacoba, Philiberti Marchionis Badensis F. Ioannis Wilhelmi, Ducis Iuliacensis uxor, 2. Septembr. Dusseldorpii in custodia morte subitanea nescio qvam dignam delicti pœnam persolvit. Neq; enim desunt, qvi ipsam veneno periisse autument.

Gregoria Maximiliana, Caroli Archiducis Austriæ F. Philippo III. Hispaniarum regi desponsata *M.* Sept.

Wolfgangus, Co. Isenbergicus 20. Xbr.

Georgius, Co. Castellanus, Wolfgangi & Gothofredi parens Rudehusæ 12. Nov. æt. 69. cum natus sit 16. Novembr. 1527. Ετεόστιχον.

Heros In CasteLL, GeorgI, CVr fata NoVembrI
BIIs eXto (hessiC VVLt *r*arCaIseVera) sVbIs!

IV. LITERAT. QVIQ;.

Theodosius Fabricius, Andeæ F. ex Wittenbergensi Professore Ecclesiastes Gotthinganus.

Petrus Canisius, Societatis Iesu Theologus Ingolstadii 21. Xbr. æt. 76. Atqvi Seb. Verronio *F*riburgi in Heluetia & qvidem seqventi anno æt. 77. obiit.

Ioachimus a Beust, nobilis in Planitz, I. V. D. 1548. *B*ononiæ creatus Wittenbergens. Professor & trium ordine Ell. Saxoniæ Consiliarius intimus, idemq; Theol. eximius moritur 4. Februar. æt. 75 cum natus sit 19. April. 1522. zu Möckern/in diœcesi Magdeburgensi. Ετεόστιχον.

BeVstIVs erIpItVr VIVIs, & perglt aD astra,
Perpetls ast seMper LaVs generosa VIget.

Ioannes Posthius, aulæ Palatinæ Electoralis Med. & Poeta idem excellentiss.

- - - ὃς πολλ' ἐδάη σοφὰ
Ανθρώποισι νόῳ φάρμακα λυγρὰ ἀπαλάλεμεν,

24. Iunii Mosbachi ex hac turbâ & mundi colluvione exemptus οἰκεῖ ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν.

Aldus Manutius, Paulli F. 13. Octobr. Romæ moritur, relictâ bibliotheca 12000. coronatorum, ut æstimatur.

ANNO CHR. 1598.

I. PRÆSULES.

Philippus, Dux Bavariæ; Cardinalis

lis & Episcopus Ratisbonens. *M. Maj*o extremum vitæ spiritum edidit.

Aldobrandinus, Cardinalis locupletiss. 27. Martii.

II. Impp. Reges.

Philippus II. rex Hispaniæ, Caroli V. Ro. Imp. F. Philippi regis ex Archiduce Austriaco primi nepos 10. Augusti (al. 3. Septembr.] æt. 72.

Margareta, Henrici II. Galliarum regis F. Henrici III. soror: Henrici IV. Galliarum & 3. Navarreæ regis conjux, cognomento muscipula, in custodia moritur: qvippe qvæ bis compressa scribitur à nobili Polono; cui nomen fuit *M*onsieur de Clamfalon. Alii tamen aljas custodiæ causas adferunt.

Anna, Caroli *A*rchiducis Austriæ F. Sigismundi Poloniæ & Sueciæ regis uxor, æt. 25. partus doloribus superata spiritum fato dedit, fœtus defuncta matre vivus exsectus, susceptoq; lauacro τῆς παγγενεσίας τῆς ἀναγεννήσεως, in qvo ipsi nomen Christophori impositum fuit, intra horam matrem subseqvutus scribitur.

III. Principes, Comites.

Ioannes Georgius, El. & *M*archio *B*randeburgicus, Ell. Ioachimi II. F. Joachimi Friderici præsentis parens, mense ferme ante mortem morbo gravi & incurabili ex catarrho in pectus delapso & asthmate perpetuo oppressus & superatus 8. Ianuar. ex hac vita emigravit æt. 73.

Richardus, Co. Palatinus ad Rhenum Simerensis, Ioannis F. Friderici III. El. Fr. 13. Ianuar. moritur ἄπαις & proinde hæredem habuit El. Palatin. Fridericum IV. æt. suæ 77. anno. (aliis nondum 76. eumq; minus 12. diebus complevit; sed falluntur, cum natus sit 25. Iulii 1521.] regimin. 29.

Fridericus, Co. Palatinus ad Rhenum, Wolfgangi Bipontini F.

Henricus, Duc Brunosvv. & Lunæburgens. Ernesti. F. qvi Dannebergæ aulæ sedem habuit 17. Ianuar.

Clara, Francisci Ducis Brunosvv. & Lunæb. F. Bogislai XI. *D*ucis Pomeraniæ coniux.

Theodorus, magnus Dux Moscoviæ ἄπαις. cui successit sororius Georgius (al. Franciscus Gudetio) Fedrovvitz.

Wolfgangus, Co. & Dn. Kelsterbaccens. & Eisenburgicus M. Feb. exspirat, relicto hærede Henrico, Co. Romburgense, qvi religionem protinus mutavit.

Christophorus, *B*aro a Teuffebach prid. non Octobr. Pragæ.

IV. Literatiss. Qviq;.

M. Ludovicus Helmboldus, Mulhusinus Superintendens & Poëta 8. Aprilæt. 67.

Abrahamus Ortelius, Cosmographus solertissimus.

M. Henric. Faber, Qvedlingburgensis γραμματοδιδάσκαλος percruditus 27. Augusti æt 55. peste sublatus εἶχεν δὲ ναὶ ὀντως ἐν θεοῖς ὁμιλίαν.

ANNO CHR. 1599.

I. Præsules.

Ioannes, El. & *A*rchiepiscopus Trevirensis ex familia Schonbergensium oriundus 21. *A*pril.

Andreas, Cardinalis Bathoreus. Episcop. Warmiensis in Borussia, Transsylvaniæ princeps, *S*iculorum Comes, in festo Simonis & Iudæ per Michaelem Weivodam Walachiæ ad Cibinium profligatus in angustiis & saltibus versus *M*oldaviam tendentibus, per *S*iculos una cum suis. Ipse vero ab opilione qvodam securi in fronte & occipitio percussus, strenue tamen sese defendendo obtruncatus est 30. Octobr.

Antonius, Co. Schavvenburgicus; Otthonis ex Maria Pomerana *F. A*dolphi Fr. Episcopus *M*indensis, præpositus Hildesiensis & Decanus Colonien sis æt. 51.

II. Imper. Reges

III. Principes, Comites

Wilhelmus, Co. Schvvartzburgicus, Guntheri Fr. Fcanckenhusæ ἄπαις.

INusitata olim sollertia & admirabili ingenii felicitate, Auditores Spectatissimi Ornatissimique, celeberrimarum urbium, aliorumve ingentium corporum ortus & incrementa, viri clarissimi doctissimique, quos virtus sua atque eruditio præterlapsis sæculis in sublimi collocavit, non minus ornate, quam copiose retulerunt. Perpetuo sibi beneficio terrarum Dominam gentiumque Romam Christophorus Longolius, vir & rerum naturalium scientia instructissimus & eloquentiæ fama longe florentissimus devinxit, dum quinque de illius laudibus orationes nitidissimas pariter ac elegantissimas composuit. Nec minor in hoc genere Jacobi Sannazarii, viri in nobilissimo Poëseos studio apprime versati laus est ac prædicatio, dum antiquissimam potentissimamque Venetorum urbem non egregio duntaxat epigrammate, sed aliis quoque ingenii sui monimentis illustravit, condecoravit. Mechlinia Brabantiæ Archiepiscopalis & splendidissima civitas, Guicciardini, gravissimi rerum Batavarum auctoris testimonjo, benevolentiæ indicio, & ingenii suavitate ad hunc usque diem perfruitur; quippe qui summa fide, quæ M. Tullio Ciceroni anima historiæ est, omnia, quæ ad decus, quæ ad gloriam pulcherrimæ hujus urbis pertinere videntur, exsecutus est. Verum enim vero spatiosum ego campum, & hoc die minime emetiendum, ingrederer, Auditores Spectatissimi, si in longa illustrium Virorum enumeratione, quorum indefessus labor & cotidiana meditatio in hoc pietatis munere fuit, molestе sedulus esse vellem. Qvamvis vero ab hac celeberrimorum hominum magnitudine ac doctrina nimium longe absit mediocritas mea, utpote, quæ huc non adscendit, hoc est, ad judicium rerum, & cujus judicium infinitum subsidet infra ejusmodi laborum fastigia; tamen me nihil, quod ab hoc loco & præsenti tempore alienum sit, facturum certissime confido, si summorum, quos enarravi hominum laudatissimum imitatus exemplum, de ortu, incrementis & variis, quæ clarissimum Bergense cœnobium expertum est, fatis copiosius disseruero. Hujus enim genuinæ pietatis sacrarii, hujus sapientiæ & bonæ mentis templi ortus ac incrementa qui referet, rem sane faciet, quæ & religioso veterum ritu comprobata sit, & dignum habeat tractatum apud eos, qui cœnobia exæquo & vero æstimant. Prius vero, quam arduum hocce negotium & difficultatis plenissimum adgredior, a singulis vestrum, Auditores, ut meam in dicendo imperitiam benevola attentione sustentetis, submisse & qua par est animi veneratione contendo atque obtestor.

Satis diu horrida ac inculta barbaries terrarum orbi incubuerat, & bellorum impetu prostratæ ac perculsæ jacebant artes disciplinæque, perque cunctas gentes pervagata fuerat publica ingeniorum lues. Qvare etiam existimavit primum, id quod res est, invictissimus & omni laude dignus, sed omni major, Carolus non posse alia ratione sua ornamenta Germaniæ reddi, nisi remotarum ab illius finibus Academiarum loco quamplurima cœnobia inque iisdem Gymnasia conderentur, ut delibatus Germanicæ juventutis flos in omni elegantiori litteratura se exercere sedulo ac tirocinii spatium decurrere felicissime posset. Hinc suam, Aud., celebratissima apud Pontificios Academia Parisiensis primam originem traxit. Hinc tot clarissima amplissimaque Gymnasia, qvæ Augustus hic condidit Imperator, manes ejusdem devota submissione æternum venerabuntur. Bene nimirum ac sapienter cogitabat potentissimus Carolus, non satis sibi præsidii in stupendo cataphractorum militum numero ac in belli prosperis successibus esse. Proinde animum ad humanitatis litteras & a situ recipiendas & in dies amplificandas convertit, quibus in pace potissimum & otio indiget Respublica. Nihil nos quidem celebratissimæ Herculis Musagetæ laudibus, qvas communi omnium nationum consensione adeptus est, detrahimus. Ista vero lege magnis laudum encomiis magnum huncce principem condecoramus, ut Ottonem maximum in hujus gloriæ societatem venire patiatur, eumqve sibi vel anteferendum vel saltem non postponendum censeat. Ubicunque enim horum oculorum aciem circumfero, Aud., tot civitates amplissimæ non vulgaribus a magnanimo Principe donatæ immunitatibus; tot Archiepiscopatus Episcopatusque celsissimi: tot clarissima monasteria occurrere mihi videntur, ut parietes etiam augustissimi Induperatoris laudes nullis locorum intervallis terminandas decantare gestiant. Testis est Havelberga, nitidissima Pregniciæ civitas: Testis est Brandeburgum: Testes denique sunt quamplurimi Episcopatus alii, qui ab Ottone pio, magnanimo, felici, ingenti sumtu conditi sunt. Intuemini, quæso, Auditores, magnificum illud ædificium cathedrale templum, quod munificentissimi Imperatoris auspiciis consurrexit, & ab Alberto Archiepiscopo anno decimo supra millesimum ducentesimum feliciter instauratum. At enim quo mea deflectit

ctit oratio? quid moror in alienis? ut ære perenniora & situ regali pyramidum altiora Cæsariæ liberalitatis existant monimenta, antiquissimum hocce cœnobium, & clarissimum, qvod fovet, Gymnasiumi præcipiunt, præcipientque æternum. Sanctissimo enim conjugis suæ Edithæ, in qua pietas proprium sibi domicilium videbatur elegisse, hortatu monasterium Bergense, ex quo tamquam ex equo Trojano eminentissimi sæculi sui viri prodierunt, augustissimus Cæsar anno 936. condidit. Ornet hic suum Octavianum Vellejus, cujus ingenium in enarranda augusta historia fæda adulatione Petro Cunæo teste detritum est. Efferant delicias humani generis Titum Vespasianum & Svetonius Tranquillus & ceteri auctores cordatissimi: Efferant illius humanitatem & liberalitatem pæne incredibilem. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam, exornare, sed enarrare, o maxime Otto, maximam liberalitatem possit. Quod gentes domueris immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantissimas attoniti omnes admirantur: Illustrissimæ vero liberalitatis tuæ laudes non solum nostris, sed omnium gentium litteris atque linguis concelebrabuntur, nec ulla umquam ætas de illis conticescet. Es enim ipse, --es, inquam,---sed hæreo. Cæsareæ enim majestatis fulgor, qua nihil populis sanctius nihil augustius inveniri potest, meos oculos penitus præstringit, ut, quo me vertam, dubius hæream ipsemet. Dicam tamen, laudabili vestro, Auditores, suffultus favore, quod res, & dicam brevius, quam res tanta dici alias debeat. Transeo in præsenti, quod & dignissima Reverendi conventus membra, & Gymnasii Bergensis alumni singulari hoc privilegio gaudeant, ut coram nullo, nisi venerando Præsule caussam dicere aut comparere cogantur. Quid, quod viginti quinque urbibus & pagis id ipsum donarit clementissime, ac ita istius splendorem ad summum culmen perduxerit. At enim, nequis successorum, Cæsariorumque hæredum existeret, qui jura, cœnobio huic a mitissimo Principe concesso umquam violaret, sed caput suum altius altiusque hoc Monasterium nostrum extolleret, in hæc ipsa privilegio verba subjunxit: & ut hæc nostræ traditionis auctoritas plena vigeat firmitate, jussimus hoc præceptum conscribi, per quod sancimus, ut nullus successorum vel hæredum temere illud infringere præsumat. O divinam hanc tuam, invictissime Princeps, clementiam! O clementiam admirabilem & nullis oratorum laudibus pro meritis satis collaudandam! Perfectum sic erat cœnobium, aderant Monachi, ac generosa Germaniæ juventus, cum exstructa vix essent Musæa, incredibili concursu adfluebant. Applaudebant scilicet nobilissimi isti juvenes, illustri huic provinciæ Magdeburgicæ ornamento, & quicunque resuscitare cogitabant humanitatis litteras, ad hoc nostrum adproperabant Gymnasium. Ne igitur miremini, Auditores, Reges, Principes, eorumdem filios atque nepotes, illustrissimos comites, quamplurimos Barones, innumeros plane nobiles ceterosque ornatissimos adolescentes hic loci vixisse, qui pectus suum optimarum artium studiis impleverunt. Cum enim Anno Reverendissimus, quem luculentissimus sæculi XV. Historicus Trittenheimius virum in scripturis tam divinis, quam secularibus maxime eruditum, nec minus integritate morum, quam omnium rerum scientia venerandum appellitat, ex honestissima apud Cattos familia oriundus cœnobio præficeretur, in eo locavit mentem, in eo fixit cogitationes, ut quamplurimi ad puriorem doctrinam adducerentur, & politiores litteræ pristino nitori restituerentur. Sed quæ humanæ vitæ varietas est, venerandus noster Anno a Wormatiensibus primum desideratus fuit. Cui Episcope quanta fide, sollertia quanta Anno noster in celsissimam postea Archiepiscopi dignitatem evectus præfuerit, satis superque docent Wormatienses annales. Prætervehor jam Othwinum, Richarium, Herdingum, viros pietate insignes, consilio prudentes, judicio subactos. Nihil de Riddago in præsenti adferam, quo Præsule Dithmarus, Comes Walbeccensis, una cum sancto Brunone triennium Bergense Gymnasium frequentavit. Hoc, ornatissimi Auditores, Monasterium nisi purioribus sacris addictum, sed Pontificiis superstitionibus conspurcatum esset, vah quantæ laudi nobismet foret, quod alma hæc mater sanctissimum Brunonem, a Prussis idololatris martyrio coronatum habuerit alumnum? Recens eo tempore hoc nostrum erat cœnobium, sed ad id splendoris jam perductum, ut Reges ac Principes recte instituendorum cœnobiorum caussa nobilissimos huc viros mitterent, qui a nostratibus solidam eminentemque cultioris doctrinæ imaginem peterent. Præfectus tum erat inclito Monasterio Siegfriedus, illustrissimus Walbecensium comes, in sublimem Monasterienſis episcopi honorem felici augurio postea evectus. Enimvero, quemadmodum ita natura plerumque solet esse comparatum, ut omnibus rebus insit quidam veluti

orbis, ac ut ea, quæ summum felicitatis culmen ascendisse videntur, rursus ad infimum relabantur: sic etiam repentina intervenit calamitas, dum flamma, nescio quo fato exorta, qvidqvid magnum ac præclarum hic loci erit, subito absorbuit. Ilicet actum nunc videbatur de auspicatissimo Bergensis Monasterii statu, nisi, quæ divina supremi rerum Moderatoris in nos erat benignitas, ejusdem navem secundus a puppi flatus impulisset, salutaremqué manum agitatæ tempestatibus navis gubernaculis Bruno, Sigadus, Bernhardi, Hildeboldus, Hugo, Arnoldus, Siegfriedus, ceterique Abbates Reverendissimi admovissent, & quæ incendii furore in cineres & favillas redacta erant, feliciter instaurassent redintegrassentque. Mea sic est ratio, Auditores, & sic animum induco, mala humani generis haud esse continua, sed interventu meliorum quandoquidem pensari. Post tantæ enim tempestatis, qua circumactum erat cœnobium, violentos turbines, placidus aer & exoptata lux refulsit: Nunc placatus ardentissimis Monachorum precibus præpotens omnium rerum moderator Deus, jacentes & adflictos cœlesti auxilio sublevavit, ac mærentium lachrymas ipsemet detersit. Excitavit enim Abbates, qui & splendidissimo cœnobio providerunt, & quorum cura omnia in melius processerunt, ut quasi discusso transacti temporis nubilo mentes omnium medias inter funestissimi belli turbas serena pax atque dulcissima quies lætificant. Nam cum Bodiis Annonibus, Arnoldis pie beateque defunctis, Theodorico pedum anno supra millesimum trecentesimum quadragesimo quinto fuit traditum, incredibile dictu est, quantum gloriæ ac splendoris huic Magdeburgensis Archiepiscopatus miraculo accesserit. Hic enim omnis & ingenii & eruditionis princeps, primariumque sæculi sui decus non singulari duntaxat pietate cœnobium illustravit, aut quæ vetustate in se retro erant collapsura, renovavit, sed etiam, quod maximopere admirandum, novum in Joannis Baptistæ honorem exædificari jussit, quod in maxima summorum & infimorum hominum frequentia præpotenti Deo anno decimi quarti sæculi sexagesimo tertio submisse dedicavit. Adde, quod idem hic Præsul Reverendissimus exsecrandas lites, quæ multo jam tempore Monachos inter ac Abbates agitabantur, placide composuerit, donec tandem animam, Deo confisam ad meliores sedes extraheret. Transeo nunc Arnoldos: mitto Fridericos: prætereo Albertos, Hermannum silentio invovo, qui ædificia perfecit, aptum sibi suisque successoribus domicilium exstrui curavit, conclavia addens distincta, singulis Monachis & Gymnasii alumnis a Præsule destinata. Lucu-lentam præterea, variisque codicibus exornatam cœnobitis comparavit bibliothecam. Hinc est, quod Laurentius Pascha vir eruditissimus eleganti nostrum Tetrasticho prosecutus fuerit, resque ab hoc Præsule gestas scite hoc modo memoriæ prodiderit:

Ex stabulo facta est, Hermanno Præsule nostro
Splendida collectis bibliotheca libris.
Ædificat turres altas, & construit ædes,
Post Abbas placida morte peremtus obit.

Nihil de celeberrimo clarissimoque Canonum Doctore, Andrea Beckero, inter præcipua sæculi sui ornamenta prope suo jure numerando, jam commemorabo; quod optimi viri virtutes Oratorem multis post se parasangis relinquunt. Taceo Theodorum II. ad quem Joannem Tezelium, novum indulgentiarum, ut vocant, Papalium negociatorem, secundo regiminis anno divertisse, cum probatissima Annalium monimenta, tum acta Cœnobii publica satis superque comprobant. Nunc vero ad virum, cujus pietati, pro meritis efferendæ, doctrinæ satis prædicandæ, nec eloqventissimorum hominum, qui nostro hoc & superioribus floruere sæculis, facundia sufficeret, oratio dirigenda est. Est is Petrus Ulnerus, Auditores, venerabilis Petrus Ulnerus, in exhaustum omnigenæ eruditionis promptuarium, amœniorum Musarum fulcrum nobilissimum, pulcherrimarumque virtutum compendium; qui Præsul post funera etiam ab optimo qvovis colendus, quem laudum suarum præconem hodie inventurus sit, haud equidem scio. Ego enim si laudes, si virtutes, si pietatem perfectissimi hujus Præsulis incondito sermoni meo adsuere conarer, tum difficilius profecto esset, copiosæ orationis exitum, quam principium ad invenire. Æternæ pietati ejus, qui rebus mortalium moderator, demississimas agere debemus gratias, qvod tandem & in terram & in nostrum hocce monasterium respexerit, egregium hunc nobis Præsulem dederit, qui collegium suum jugo Papatus excusso, & tenebris pontificiis feliciter profligatis, humani generis vindici reddidit, pontificiis Monachis, qui divini gregis pascua anilibus fabulis turpissime protriverant, cubilia devastarant, anno decimi sexti sæculi sexagesimo quinto exstirpatis. O celebrandum igitur Dei triumphum cum exsultatione! O victoriam Domini lætissimis laudibus frequentandam! Neque vero hic pietas Ulneri nostri terminari poterat, Auditores, sed pro ea, qua erat, in recte

formando

formando Monachorum, collegio, induſtria, hæc Monachorum corona, uti Mollendorffio quondam vocatus eſt, munus docendi a Reformatione obire nullatenus dubitavit, eruditis ſolidaque pietate refertis concionibus habitis. Tandem etiam, quod univerſus conglobatus orbis maximopere admiratur, & nulla umquam, ſi qua futura eſt, ſilebit poſteritas, inſigne pietatis ſuæ teſtimonium dedit, cum anno CIↃIↃLXXVI. purior doctrina illius opera mirifice promoveretur. Erant ſcilicet magnis pientisſimi Saxoniæ Electoris Auguſti ſumtibus præſtantisſimi Theologi, Chemnitius, Chytræus, Selneccerus, Cornerus, Andreæ, Muſculus huc miſſi, qui perfectam Torgæ Formulam Concordiæ in Bergenſi Cœnobio emendarent ac corrigerent. Incredibile memoratu eſt, Auditores, qvanta cum lætitia Archimandrita noſter, piæ memoriæ viros ad omnem excellentiam eruditisſimos exceperit, quam magnifice ſemper eosdem tractaverit. Donec tandem, menſe Septembr. magno omnium gaudio Concordia reſtitueretur, hoc eſt, iſte ederetur liber, cui Palatinus, Saxo & Brandenburgicus Electores, viginti Principes, duo viginti Comites, Liberi Barones, Nobilesque innumeri, triginta quinque primariarum Germaniæ urbium Conſules, & plus quam octo millia Eccleſiarum Scholarumque Rectorum, Academiæ quamplurimæ atque Gymnaſia ſubſcripſerunt. Introſpicite, Auditores, ſi placet, introſpicite, inquam, id ipſum conclave, in quo ea ipſa felici augurio reviſa fuit. Quid dicam de Gymnaſio noſtro, quod primus omnium Præſulum, qui purioribus ſacris addicti erant, inſtauravit optime, relegatis ex hac ſanctitatis arce pontificiis ſuperſtitionibus. Præfecit eidem Henricum Homelium, Brunſuicenſi antea Principi a concionibus aulicis, virum eximie doctum, ac nobilisſima dicendi diſciplina clarisſimum, quem Eccleſiæ deinceps Bergenſis Paſtorem, & SS. Theologiæ Profeſſorem publicum deſignavit. Quod ſi vero obſervato juſto tractationis ordine clementem Strathuſium, ſi Joannem Heidenium, Samuelem Cruſium præſenti oratione exſequi animum inducerem, citius me hic dies, hæc vox, hic ſpiritus meus deficeret. Quare ne veſtra, Auditores, inuſitata, qua me hæſitantem proſecuti eſtis, benevolentia abuti videar, mitto viros egregios, noſtra prædicatione multo ſublimiores. Non poſſum tamen, quin celeberrimi, & de hoc Cœnobio optime meriti Præſulis, Sebaſtiani Gœbelii virtutes, & doctrinam admirabilem, quam brevisſimis recenſeam. Cum pace veſtra dixero, Auditores, nullum tam perfectum omnium virtutum exemplar inter omnes, quotquot Reverendum Bergenſe collegium Abbates ſalutavit, ante hunc noſtrum Gœbelium exſtitiſſe. Quicquid ubique perfectum ingenio elaboratum induſtria, judicio limatum politumque reperiri poterat, illud velut in compendio in hoc viro repræſentabatur. Nam erat exemplum, in illuſtri loco poſitum, unde quisque ſibi, ſuæque Reipublicæ capere poterat, quod imitaretur: Inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vitaret. Quid de ſingulari, qua illuſtrisſimum hocce monaſterii decus, præditum erat prudentia, in præſenti diſſeram? Adeo divina eadem ſemper fuit, ut patriæ Parenti, Friderico Wilhelmo, glorioſæ memoriæ, fuerit carisſimus. Tam cordatus, tam circumſpectus erat, ut per illuſtres ac generosisſimi Ducatus hujusce ordines dignum eum judicarent, quem numero ſuo adſcriberent, inque auguſtisſima conſiliorum ſuorum ſacraria admitterent. Accedit, quod eximiæ illius ſapientia laudatisſima inter Reverendisſimum Cathedrale capitulum, & hoc noſtrum Cœnobium unio, quæ dicitur, inſtaurata denuo, & a Sereniſſimo Adminiſtratore Auguſto fuerit confirmata. Teſtatur cœnobii templum, ab eodem Gœbelio reparatum, novoque redditum nitori. Teſtantur bonam mentem cordatisſimi hujus viri cum ædificia Abbatibus, Paſtoribus, Procuratoribusque deſtinata, tum etiam hic potisſimum, qui omnium in ſe oculos convertit monaſterii hortus, militum olim furentisque Martis inſania miſere devaſtatus, plus quam paterna capitis noſtri cura & magno molimine renovatus (reſtitutus). Tanta nimirum rabies oppugnantium Partenopolim hoſtium animos invaſerat, ut impias manus ne a monaſteriis quidem ſanctisſimis, non ab hortis aut agellis, immo ne a templis quidem abſtinere poſſent, ſed audacius contra Deum confidentiusque ſemper facerent. Prætereo propenſam illius erga pauperes voluntatem. Non enim beneficia fœnerabatur, ſed natura ad munificentiam inclinabat. Experitur eandem cumulatisſime hodiernum clarisſimum noſtrum Gymnaſium: experiuntur ornatisſimi ac nobilisſimi Juvenes, queis Bergenſe Cœnobium liberum victum ſuppeditat. Eſt enim is Gœbelius, qui anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo tertio primus inſtituit, ut, quo eo altius ex barbarie caput ſuum attolleret eruditio, ſex ex indigenis hic loci alerentur, eorumque mentes optimarum artium notitia apprime imbuerentur quid, quod Rev. hic Præſul ærarium, quo Paſtorum vi-

dux aluntur, benigne condiderit. O præclaram munificentiam! quæ Gœbelium noſtrum ſempiternæ gloriæ dedicabit. Quanta venerandi hujus viri doctrina exſtiterit, bis diſtracta & eruditis quibusvis probatiſſima methodologia homiletica ceteriique doctiſſimi codices, quos in lucem & conſpectum aliorum emiſit, vel tacentibus nobis perſpicue produnt. Progrediendum nunc eſſet ad Reverendiſſimum virum & civili prudentia, quam exterarum regionum luſtratione ſibi acquiſiverat, Conradum Ladeyum, de quo magna utique Monaſterium hocce exſpectare potuiſſet, niſi tantummodo nobis oſtenſus poſt vero pro dolor! ereptus ſtatim fuiſſet. Neque vero floruit ſemper viguitque Bergenſe Cœnobium, ſed acerbiora ſæpius fata expertum eſt. Revertamur, ſi lubitum eſt, Auditores, ad triſtiſſima tempora, quæ inclyto Monaſterio olim contigere, & Joannis Præſulis vitam in Alberto Cranzio, graviſſimo temporis ſui auctore, pauliſper relegamus. Hic enim, cum anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo electus Præſul cœnobii eſſet, neque ſuarum virium eſſe arbitratus eſt, ut vel cœnobium inſtauraret, vel ingenti, quod conflaverat, alieno ære liberaret. Tabulam tandem, (vix crederetis, Auditores, niſi omni fide digniſſimi Hiſtorici hæc nobis traderent,) tabulam, inquam, quam ex ſolido auro confectam vendere, argentumque creditoribus exſolvere coactus eſt. Sed quid hoc ad tantam æris alieni molem, quæ per ſe immenſa, ingentibus uſuris indies augebatur. Nec in melius deinceps res cœnobii proceſſerunt. Quandoquidem hujus Succeſſor poſt Heidenricum Heidolphus majorem campanam vendere ac ludæis, hominibus omnium mortalium nequiſſimis tradere debuit. Proh deſperatum Monaſterii hujus eo ſæculo ſtatum! O tempora! O mores! Quid autem de Abbatibus? Quid de Alberto dicere aut cogitare debeo? Hic enim oblitus ſui officii tam negligenter cœnobium adminiſtrabat, ut deficientibus eſculentis ſe Monachos devoraturum ultro profiteretur. O profligatam hominis ad expugnandam virtutem nati impietatem! Contra vero, juſtiſſimæ nos circumſtant hoc tempore rationes, quæ ad gratulandum inclyto huic Monaſterio incitare nos debent atque inflammare, cum id ipſum omnibus turbis & miſeriis ejusmodi exemtum, & in florentiſſimo ſtatu collocatum intueamur. Quæ cum ita ſint, te, Deus Clementiſſime, precamur, veneramur, atque imploramus ſinguli, ut, quod cœnobium nitidiſſimum pulcherrimumque eſſe voluiſti, iſtud ab omnium malævolorum machinis fortiter defendas. Sereniſſimo etiam ac potentiſſimo Pruſſiæ Regi, Domino noſtro indulgentiſſimo porro faveas ac propitius ſis, & Sereniſſimum illius pectus ad bonas præclarasque artes, regia ipſius liberalitate alendas promovendasque inflammes, faciasque benigniſſime, ut auguſtiſſimis ipſius auſpiciis, quamplurimi in Bergenſi Cœnobio præparentur qui Reipublicæ tam ſacræ quam civili uſui tandem ſint, atque ornamento ſingulari.

Dixi.

FINIS.

APPENDICIS LOCO,

ALBUM BERGENSE

CONTINUATUM,

in qvo consignata sunt

Nomina tam Conventualium & Informatorum

qvam Convictorum & Alumnorum,

post obitum

Reverendi Domini

ABBATIS ULNERI

sub seqventibus Dominis Abbatibus tum in Cœnobium Bergense receptorum tum ex eo ad altiora munia evectorum.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EX OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII

Sub Rever. Dn. CLEMENTE Strathausen/ ABBATE L.

LEonhardus Latomus, Procurator, obiit Magd.

Casparus Bolschenius, Vallerschlebiensis, Diac. Berg. Ecclesiæ, postea Pastor in Wolmirstadt/ deniqve vocatus in Pastorem Ausleb.

Thomas Erxleben / Eichendorffensis, Pastor in Buckau & Vermerschleben / obiit ibidem.

Melchior Wesselius, Luneb. Past. in Cracau & Præster, obiit ibid.

Petrus Ulnerus, Gladenbachius, Past. Dodendorff. obiit ibidem.

Johannes Sommerus, Cygneus, Past. Osterwedding. obiit 1622.

Casparus Lilienzweig/ hujus cœnobii Ludimoderator, postea confrater & Pastor; deniqve vocatus in concionatorem Aulicum a Reverend. & Illustr. Principe ac Domino, Dn. Philippo Sigismundo Episcopo Osnabrug. & Werdensi, Duce Brunsvicensi, obiit An. 1603.

Paulus Gottfridi, Werthinensis, Procurator, & ob ingravescentem R. D. Abbatis ætatem in Coadjutorem hujus Monasterii electus & confirmatus A. 1608. obiit An. 1613.

Ludgerus Strathausen Werthin. Past. in Stemmern/ obiit 1626.

Johannes Bosselius Magdeb. Past. in Randau/ obiit An. 1624.

Johannes Wincke/ Goslariensis, Ludimoderator.

Ludgerus Lautenschmitt / primum Pastor Cœnobii S. Ludgeri prope Helmstedt/ postea vocatus in Unseburg/ obiit An. 1640.

Wolffgangus Ritterus, vocatus ad Parochiam Schleunicensem, deinde ad Diaconatum Magdeburgi Australis, obiit An. 1632.

Paulus Wichmañ/ Magdeburgensis, obiit A. 1600.

Jacobus Manlius, Silesio Brigensis, Procurator & Senior hujus Monasterii, obiit 1624.

Andreas Becker/ Domerslebiensis, Ludimoderator hujus Scholæ, postea Pastor in Dodendorff/ obiit An. 1627.

Michaël Weidnerus, Suganensis, Pastor in minori Edlau.

Henricus Hesse, Magdeburg. ex hoc Conventualis Monasterii B. Virginis Mariæ, qvod Magdeburgi est, factus, obiit ibidem.

Martinus Beutler/ Magdeb. in Neoparthenopoli a matutinis concionibus, obiit An. 1625.

Conradus Butyrius, Hannoveranus, obiit ibidem.

Johannes Orlingius, hujus cœnobii Pastor & Senior, obiit An. 1625.

Hermannus Redecker/ Westphalus, Pastor in minori Rosenburg/ obiit An. 1626.

Paulus Hugo, Helmstadiensis, Pastor in Retzling/ obiit An. 1626.

Lambertus Wernerus, Pastor in Hundesbury/ obiit An. 1620.

Johannes Schroderus, Hassus, Architriclinus hujus cœnobii, obiit An. 1624.

Nicolaus Wolffius, Kivitzensis, obiit An. 1615.

Johannes Reineccius, Ludimoderator, deinde Contrater, postea vocatus Pastor in Wulfsleben/ obiit An. 1636.

Jacobus Kupfferus, Ludimoderator, postea Diac. in Acken/ obiit ib.

Joachimus Weseus, Neomarchiacus, primum vocatus in Diaconum Neoparthenopolis, post Pastor factus Soltqvellensis.

Johannes Crugerus, Valdorffiensis, Pastor in Melchau & Wust.

Mauritius Lentke/ Magdeb. obiit An. 1616.

Christophorus Todænus Schlaccowerda Bohemus, Ludimoderator & confrater, postea Diaconus in Magdeb. Urbe vero devastata Diaconus factus in Flensburg Holsatiæ.

Johannes Reuman/ Eisfeldensis, Pastor in Westerhusen/ obiit 1622.

R. D. Johannes Heydenius, Jerslebiensis, postulatus in Præpositum Monasterii Monialium in Wolmirstadt/ inde postulatus in Abbatem hujus phrontisterii An. 1621. obiit An. 1626.

Sub Rever. D. JOHANNE HEYDENIO, ABBATE LI.

Jacobus Manlius, Silesius Brigensis, Procurator, obiit An. 1624. d. 31. Augusti.

Johannes Orlingius, Hilderslebiensis, Pastor Ecclesiæ Bergensis, Buckau & Vermerschleben/ obiit An. 1625. d. 31. Augusti.

Johannes Schroderus, Hassus, Architriclinus, obiit An. 1624. d. 16. Mart.

Georgius Mullerus, Magdeb. Pastor in Buckau & Vermerschleben/ post desolationem horum pagorum promotus est in Pastorem Weddingensem prope Goslar.

Georgius Cramerus, Königseensis, Pastor in Westerhusen/ obiit Anno 1626.

Petrus Wellenbergius Diesdorffiensis, Pastor in Osterweddingen / desolato vero pago isto egit Pastorem in Langenweddingen.

Bartoldus Helwigius, Diesdorffiensis, Architriclinus, vocatus Pastor in Diesdorff/ Patris successor, obiit An. 1636.

Antonius Buchschatz/Jetslebiensis, Architriclinus, Pastor in patria, obiit A. 1630.
Johannes Faber, Lutzen Sommerensis Tyrigeta, obiit in Cœnobio A. 1623. d. 20. Decembr.
Johannes Fornfestius, Ludimoderator & confrater, primum Pastor in Schwaneberg/ deinde vocatus in Pastorem Eglensem, obiit An. 1633.
Daniel Frommius, Pastor in Wolmirsleben/ Patris successor, obiit Anno 1626. d. 27. Sept.
Johannes Albinus, Jyterbocensis, antea Cantor apud Austro-Magdeburgenses, obiit in Cœnobio An. 1625.
Casparus Bohemus, Schlaccowerda Bohemus, Pastor in minori Oschersleben/ obiit An. 1636.
Matthæus Langius, Schandaviensis Misnicus, abiit militatum.
R. D. Samuel Crusius Calegiensis Saxo, prius Ludimoderator, deinde ex Confratre Procurator, post electus & confirmatus Abbas hujus Monasterii A. 1626.

Sub Reverend. Dn. SAMUELE CRUSIO, ABBATE LII.

Matthias Pyrnerus, Eilslebiensis, Pastor in Cracau & Præster, postea devastatis illis pagis vocatus ad Parochiam Schleunicensem, obiit A. 1636.
Johannes Stoherus, Berningensis Bohemus, Ludimoderator & confrater, post Pastor in Wolmirsleben.
Martinus Holtzhusius, Stemmerensis, Pastor in majori Wanzleben/ obiit A. 1645.
Petrus Schrammius, Magdeburg. Pastor in Burg. obiit Anno 1640.
Jacobus Becker / Magdeburg. prius Pastor in majori Germerschleben/ postea vocatus in Pastorem Gruningensem.
Bartholomæus Lüdertwald/ Magdeburg. Pastor in minori Germerschleben/ obiit A. 1636.
Andreas Schöner/Pastor in Körbliz & Lostau.
Wigandus Prætorius, Pastor in Cracau.
Elias Cormannus, Collega Scholæ Stendalensis.
Johannes Grubelius, Gräfenhänichen-Misnicus Diacon. in Patria.
Johannes Fischer/ Sangerhusanus Tyrigeta, prius Pastor in Breitfeld/ jam Pastor in Diesdorff.
Johannes Wapenhensch/ Magdeburg. vocatus Pastor in Bieren.
Matthias Nathan, Neohaldenschlebiensis, Pastor Osterweddig.
Christophorus Bezelius, Serveslan. Sereniss. Princip. Christinæ Svecorum & Goth. Reginæ Concionator Aulicus.
Andreas Rotermund/ Pastor in Dodendorff.
Bernhardus Pauli, Eisenacensis, Pastor in Bleckenburg.
Petrus Reineccius, Pastor in Löbenitz.
Fridericus Bünger/ Diaconus in Staßfurth.
Benedictus Stüning/ Pastor in Schwanenberg.
Christophorus Gering/ Pastor in Lederburg.
Thomas Friderici, Pastor in Schlebenitz.
Christophorus Below, Rector Scholæ Calegiensis.
Joannes Tilekin.
Adamus Faber.
Henricus Helberg/ Pastor in Cracau.
Christianus Cämmerer/ Pastor in Pechau.
R. D. Joh. Zimmermannus, Pastor primum Bergensis, post Diaconus ad Spiritus S. Templum, demum postulatus Præpositus Cœnobii B. Mariæ Virg. in Magdeburg. obiit ibidem A. 1668.
Christianus Becker/ Pastor in Lindenberg.
Henningus Danckwart/ Magdeburgensis, Pastor Ecclesiæ Bergens. & Vermerschlebiensis. Obiit Bergæ Anno 1664. d. 19. Martii.

SUB REVERENDISS. Dn. SEBASTIANO GOEBELIO ABBATE LIII.

1. M. Theodorus Balthasar Ludovici Mansfeldensis, Procurator, deinde Pastor in Cracau & Præster.
2. Christoph. Koch/ Magdeburg. prius Procurator, postea Pastor hujus Cœnobii, nunc Madeburgi ad D. Jacobi Pastor & Revend. Minist. Senior.
3. Joh. Caspar Naumburg/ Megamundra-Thuringus, Architriclinus, postea Pastor in Langenweddingen.
4. Christianus Salichius Brumbyensis Saxo, Culinarius & Hortulanus, postea Pastor in Oppin.
5. Franciscus Schoffius, Magd. Cellarius, postea Pastor in Gips.
6. Joh. Georg. Mylius Plaviensis Variscus, Pastor in Diœcesi Qverfurtensi.
7. Conradus Sembler/ Halberstad. Diaconus Ecclesiæ Loburgensis.
8. Christianus Gericke/ Regiomontanus Borussus.
9. Joh. Sivertus Magdeb. primum Procurator, deinde Pastor hujus Cœnobii & Ecclesiarum Buckoviensis & Vermerslebiensis, ut & Senior Conventus, obiit A. 1680.
10. Joh. Casparus Drachstädt/ Halensis, in Aulam Reverend. & Sereniss. Dom. Administratoris Augusti ad Informationem Illustrissimæ Prolis avocatus, in qva functione diem suum placide obiit.
11. M. Joh. Gottfried Niconer/ Halensis, Bibliothecarius, postea in patria ad D. Uldrici Concionator Sabbathicus.
12. M. Joh. Sigismundus Findekeller/ Dresdensis, Procurator, A. 1667. obiit in Cœnobio.

13. M. Conr. Häbecke, Calegiensis Saxo, Bibliothecarius & Hortulanus, postea Pastor Brumbyensis Ecclesiæ.
14. Georg. Chilianus Pötzlinger Magdeburg. Informator & Cellarius, postea Procurator & Magd. à D. Johannis à Concionibus matutinis, deinde Pastor Eccles. Bergens. Buckoviens. Vermersleb. ut & Senior Conventus, nuper obiit.
15. Jo. Thymus Schonbeccensis Magdeb. Informator, postea Pastor Ecclesiæ Barendorffensis constitutus, obiit.
16. Salomon Lenz Magd. Informator prius, post Conventualis, deniqve Pastor Tucheimensis.
17. Johannes Sebastianus Braun, Strausforto Thuringus, receptus in Cœnobium Bergens. Anno 1671. in Conventum ipsius d. 21. Octob. 1672. Informatoris, Bibliothecarii & Hortulani munere functus; Anno 1679. ad Pastorale officium in pagis Hendschleben & Behra subeundum in Patriam Thuringiam dimissus.
18. Johannes Becker Gruningo-Halberstadiensis, anno, qvi probationis dicitur, placide absoluto, membrum Conventus Bergensis constitutus die 15. April. 1673. Informatoris officio functus, Cellarii munus suscepit. vocatus Pastor Wolmirslebiensis, Anno 1679. jam beate defunctus.
19. M. Christian Gotthelff Birnbaum Dresdensis Misnicus, Anno 1672. in Monasterium Berg. receptus, & Anno 1678. postqvam per integrum Sexennium informationi alumnorum hujus Cœnobii egregiam operam præstiterat, & Formulæ Concordiæ olim hic consummatæ dicatam festivitatem secularem oratione Panegyrica celebrarat, ad capessendos honores in Theologia majores ad Academias, primum Giessensem, posteaqve ad Argentoratensem abiit. Anno vero 1683. Diaconus Cygneæ ad templum S. Catharinæ vocatus fuit. Deinde cum Serenissimus Princeps Johann. Georg. IV. in exteras abiturus esset provincias, hunc sibi peregrinanti Pastorem adjunxit. Hinc constitutus Superintendens Denstadiensis, postea Colditzensis, deinceps Grimmensis, in Academia Lipsiensi S. S. Theologiæ Doctoris Gradum solenniter Ann. 1699. consecutus est. Jam Serenissimi Borussorum Regis in Diœcesi Inspector Prenslaviensis.
20. Johannes Franzius Qvedlinburgensis, receptus die 6. Nov. Ann. 1676. exacto in Cœnobio anno integro præcedente, in Conventualium numerum & Informationi alumnorum adhibitus, postea Ann. 1681. Procurator constitutus. Ann. 1685. Pastor Ecclesiæ Disdorffensis factus.
21. M. Jacobus Ritter Ann. 1679. in Conventum receptus est. Pastor vero vocatus est pagi Zasenbeccensis in Ducatu Luneburgensi Ann. 1682.
22. Jacobus Bertramus Calbensis in Conventum 1680. receptus, *Pastor* & Scholæ Inspector civitatis Neo-Haldenslebiensis Ann. 1682. constitutus est.
23. Samuel Fischerus Disdorffensis Magdeburgicus, Anno 1680. receptus in Cœnobium; propter pestiferam luem, qvæ Magdeburgi grassabatur, Cœnobio valedixit. Jam Pastor Eggerstorfensis.
24. Sebastianus Matthias Nathan, receptus in Conv. Ann. 1682. postea *Procurator*. Anno 1684. vero vocatus Pastor Dodendorfensis, inde factus Compastor Neo-Haldenslebiensis.
25. Johannes Hahn / Gentinensis Magdeburgicus, receptus in monasterium d. 17. Decembr. Anno 1681. prius Informator & Conventualis. Ann. 1684. Pastor Berg. Buckoviensis & Vermerslebiensis constitutus, ut & Conv. Senior.
26. Franciscus Mylius Stemmerensis Magdeburgicus, postqvam in schola Salzensi Collegæ tertii munere functus, in Monasterium receptus & Informationi Alumnorum præfectus Ann. 1682. Elapsis vero duobus mensibus Pastor constitutus Ecclesiæ Schlebenizensis.
27. Augustus Meyer Neohaldenslebiensis Magdeburgicus, receptus in monasterium Ann. 1682. Exacto annuo spatio in Conventum assumtus & Ann. 1684. Pastor Ecclesiarum Cracoviensis & Presslerianæ constitutus.
28. Gustavus Joachimus Bussenius Embdena-Magdeburgicus, receptus in monasterium An. 1683. in Conv. 1684. & Ann. 1685. Pastor minoris Alvenslebiensis Ecclesiæ factus.
29. Johannes Hermannus Toppius Lemgov. Westphal. receptus in Monasterium, & postqvam per annum Informationi alumnorum præfuit Ann. 1684. in Conventum assumtus.
30. M. Andreas Rottermund, Dodendorfensis Magdeburg. receptus in Cœnobium Anno 1684. & annuo spatio nondum exacto, providentia divina ita ferente, Parochia *Pœchaviensi* & Kalenbergensi potitus.
31. Johannes Lutterodt, Magdeburg. Ann. 1685. receptus in monasterium, postea Conventualis culinarii munere per triennium, totidemqve annos Procuratoris officio functus est.
32. Casparus Baldamus Calbensis, receptus in Monaster. Ann. 1685. & in Conventum debito modo. Hortulani munere per triennium, Culinarii vero officio per idem temporis spatium defunctus est.
33. Johannes Conradus Ladey, locum in Conventu à Reverendiss. Abbate Dom. Gœbelio beatæ memoriæ promissum denuo qværens, eundem occupavit d. 26. Septembr. Anno 1685.

Infor-

Informatores sub Reverend. hoc Gœbelio extra Conventum adhibiti.

Johannes Oestereich Magdeburgensis, Scholæ Neo-Haldenslebiensis Conrector, grassante ibidem pestilentia, in Monasterium Bergense secedens, informationi alumnorum Lycei Cœnobialis operam dedit honorariam, & liberata a contagio civitate ad officium ordinarium rediit d. ultimo Junii Ann. 1683.

Andreas Matthias Rhüle Tangermünda Marchicus Informationi præfectus circa Johannis Festum Anno 1683. Ad Rectoratum Scholæ patriæ suscipiendum vocatus, illa se abdicavit post Michaëlis Festum anno eodem. *Postea* constitutus *Pastor Pareyensis*, etiam Magdeburgi ad D. Jacobi Diaconus.

David Henricus Hülle Luneburgensis, Lyceo Bergensi præfectus 1684.

Scholares sive Alumni sub supra dicto Reverend. Abbate Gœbelio educati & informati.

1. Joachim Christoph. à Freskau Nobilis Magdeburgicus. Exactis hic aliqvot annis abiit in Academiam Francofurtensem. *Postea* Centurio Sereniss. Electoris Brandenb. obiit Anno 1682.
2. Johann. Christoph. Olearius, Rev. Dom. D. Joh. Olearii, Concionatoris *Aulici* supremi Halensis, filius; obiit Magdeburg.
3. Joach. Frid. Behse Magdeb. Quæstor Rotenburgensis factus.
4. Joachim Johann. Berge Wandslebiensis, *Præfectus* militaris factus.
5. Christian Michael Schumann/ Magdeb. obiit.
6. Christoph. Freudemann Magdeb. postea *Præfectus* militaris.
7. Joachim. Henricus Schröder Magdeburgensis.
8. *Andreas* Henricus Rottermund Dodendorffensis Magdeburg. in *Academ.* Witteberg. 1681. profectus, postea in Conventum hujus Monasterii receptus *Ann.* 1684. *Pastor Pœchaviensis* & Kalenberg. Ecclesiarum constitutus est.
9. *Achat.* Dieterich von Arnstädt Eqves Magdeb. cum exercitu Brandenburgensi in *Pomeraniam* militatum abiit.
10. Joh. Chilian. Lüder Magdeb. abiit in *Acad.* Francof. *Ann.* 1682.
11. Christian Henric. Schwartzloß Neo-Haldenslebiensis.
12. Johann. Dieter. Kampfferbach Magdeb. profectus in *Academ.* Jenens. *Anno* 1681.
13. Balthasar *Andreas* Uchtländer Wella-Magdeburgic. profectus hinc in *Academiam* Juliam & postea *Parochia* patriæ potitus est.
14. Sebastian. Johannes Schnebel Schlebenizio-Magdeburg.
15. Mauritius Leberecht Wachsmuth Magdeburg.
16. Johann. *Paulus* Röseler.
17. Gebhard. Levin. Semmler/ Loburgensis.
18. Johann. Frider. Stieser / Wettinensis.
19. Rätgerus Ernestus de Werder, Eqves Magdeburgicus, *Ann.* 1689. milit. Brandenb. adscriptus, postea Centurio.
20. Daniel Ludolph. de Schulenburg Eqves *Altenhusano*-Magdeburgicus, receptus *Ann.* 1682 & aliqvot annis hic optime peractis petiit *Academiam* Juliam & Francofurtensem, Jam Consiliarius provinciæ Magd. splendidissimus.
21. Johann. *Andr.* Ziege Halensis *A.* 1682. receptus, & 1685. ad *Academ.* abiens, postea in *Aulam* Sereniss. Regis Daniæ admotus est.
22. Johann. Melchior Hofmann Halensis, receptus *Ann.* 1683. obiit in Cœnobio *Ann.* 1684.
23. Sebastian. David Zetshius Dodendorffensis Magdeburgicus, receptus An. 1685. & valedicens Scholæ Bergensi *Anno* 1688. ad altiora progressus est, constitutus deinde *Pastor* in ditionibus *Anhaltinis*.
24. *Joh.* Christoph. Schnebel Schlebnizio-Magdeburgicus.
25. Stephanus Fridericus Frickius, Scholæ Eglensis Rectoris filius, A. 1688. persecuturus studia hinc abiit.
26. *Joachim Andr.* Hirsemann Wester-Eglensis Magdeburgicus, receptus 1684, & *Anno* 1688. hinc ad altiora progressus, postea *Parochia* Patriæ potitus est.
27. Curt Christoph von Pfuel Eqves Magdeburgicus, receptus d. 16. Maji, postqvam per qvatuor annos hic Musis, annuente Dei gratia, strenue litavit, in *Acad.* se contulit, fulgentissimum hoc tempore Ducatus Studgardiensis ornamentum.

LIV.

A Reverendiss. Abbate JOHANN. CONRADO LADEY, qvia vix per semestre spatium Cœnobio præfuit, duo modo Conventuales recepti sunt:

1. David Henricus Hülle Lüneburgensis, in Convent. receptus *Anno* 1686. postqvam Informationi alumnorum Bergensium per annum & qvatuor menses præfuerat.
2. Georgius *Andreas* Fabricius Magdeburgensis, anno 1686. mense *Aprili* receptus in monasterium & deinde in Conventum. Hortulani, Cellarii ut & Procuratoris officium per aliqvot annos administravit.

Sub eodem Reverendiss. Abbate Joh. Conr. Ladey

Informator constitutus est:

Otto Fridericus Schulze, Sitiensis Francus.

Et

Sub Eodem

recepti seqventes Scholares & *Alumni*:

1. Frid. Ulric. de Mandelsloh Eqves Magdeburgicus, receptus d. 8. Decembr. 1685. Lipsiam abiit A. 1689.
2. Alexander Bitter Altenhusa-Magdeburgicus, receptus 1686. atqve Cœnobio valedicens Anno 1689. ad altiora progressus est.
3. Christianus Gottlieb Koch Magdeburgensis receptus 1686. & 1689 cœnobio valedicens Academiis illustribus nomen suum dedit, Juliæ nimirum, Lipsiensi, Regiomontanæ ac Kilonienſi, ubi Doctoris in Theologia gradum assumsit, jam Summe Reverendi ordinis Theologici in eadem Academia Assessoris atqve Apenradensis Vice-Præpositi eminens dignitate.

SUB SIMONE FRIDERICO WOLFFHARDTO, ABBATE LV. Reverendissimo hodierno,

in Cœnobium vel recepti vel ex illo ad altiora munia promoti sunt seqventes:

1. Johannes Hermannus Toppius Lemgov. Westphal. in Cœnob. & Conv. 1684. receptus, postqvam Informatoris, Cellarii, tandemqve officio Procuratoris usqve ad Ann. 1687. functus est, sub finem mensis Junii ejusdem anni Cœnobio valedixit, & Gentinensium in Ducat. Magdeb. Pastori substitutus est. Postea Stendalensis Ecclesiæ Diaconus constitutus, ibidem diem suum obiit.
2. Otto Frider. Schulze Sitiensis Francus, postqvam per qvinqvennium & qvod excurrit operam suam informationi alumnorum Bergensium contulit, atqve A. 1690. in Conventum receptus est, subseqvente anno 1691. Rector Scholæ Salzensis designatus Cœnobio valedixit.
3. David Henricus Hülle Luneburgensis, postqvam informationi alumnorum Bergensium per annum & qvatuor menses præfuerat, Ann. 1686. in Conventum receptus, Cellarii munus usqve ad A. 1690. obiit. Deinceps Dn. Toppio in Gentinensium Ecclesia Pastori substituto succedens, ibidem post aliqvot annos e vivis excessit.
4. M. Christian. Augustus Hausen Sangerhusa Thuringus, postqvam per qvinqvennium Wittebergæ studiis invigilavit, Ann. 1687. in Cœnobium receptus, atqve subseqvente anno solenni ritu Conventui adscriptus est, A. vero 1689. a Sereniss. atqve Potentissimo Elector. Saxoniæ ad Diaconatum Tzschoppensem avocatus Cœnobio valedixit. Jam Pastor Dresdensium vigilantissimus.
5. Johannes Lutterodt Magdeburgensis, huc usqve & per triennium officio Procuratoris felicissime administrato Parochia Eikendorffensi A. 1691. potitus Cœnobio valedixit.
6. Caspar. Baldamus, Calbensis, postqvam ann. 1686. in Conventum receptus ab eo tempore tum Hortulani tum Culinarii vices sustinens A. 1691. Meizendorffensis Ecclesiæ Pastor designatus, ultimum valedixit.
7. Georgius Andreas Fabricius, cum tanqvam Conventualis primo Cellarii ac Procuratoris munus per aliqvot annos obiisset, sparta Pastoris Dodendorffensis ei A. 1694. tradita est.
8. Johannes Neumannus Wanzlebiensis Magdeburgicus. Albo Cœnobii inscriptus 1687. in Conventum receptus A. 1691. Monasterio valedixit d. 14. Julii A. 1696. ad Parochiam Schwanebergensem vocatus, postqvam collato Culinar. & Procuratoris officio fideliter satisfecerat.
9. M. Joh. Michael Calezki, Marchicus, in Conventum receptus A. 1688. & munere Cellarii functus, Serenissimo Principi Anhalt-Servestano ob non vulgares, qvibus exornatus est, docendi plebem dotes, Parochia Roslavienſi potitus 1691. discessit; postea ad Pastoratum Koswicensem promotus & Superintendenti Servestano adjunctus, nunc ibidem Præpositus.
10. Gebhard Frider. Schäfer Halensis, inscriptus d. 9. August. 1689. in Conventum receptus 1690. post aliqvod temporis spatium ad suos reversus est.
11. M. Michael Beck Francus, An. 1691. ex Academia Lipsiensi in Monasterium vocatus, informandis initio fuit præfectus. Anno 1692. vero ordini Convent. adscriptus, ultra annum adhuc moratus est, qvandoqvidem Ann. 1693. ad munus Conrectoris in Gymnasio Onoldino capessendum abiit.
12. M. Frid. Christoph. Hardt Magdeburgensis inscriptus d. 1. Martii An. 1691. in Conventum receptus An. 1692. Hortulani & Cellarii Officio functus An. 1695. abiit. Diaconus primo Möckerensis, dein Pastor Wettinensis denunciatus & Præpositus.
13. Joh. Frid. Sauberzweig Nelbensis Saxo, receptus est in Monasterium An. 1693. in Conventum 1696. Laborem Informationis exantlavit per tres annos cum trimestri. Deinde Hortulanus, Cellarius, & deniqve Culinarius Anno 1697. discessit, utpote ad Pastoratum Osterweddingensem vocatus.
14. Henricus Theodorus Heineke Wernigerodensis Cheruscus, accessit in Monasterium An. 1696. & eodem seqventis anni die in Conventum receptus gessit munus Culinarii, usqve dum Barendorffenses An. 1700. hunc nostrum ipsis Pastorem destinatum amplexi sunt, qvi autem illis vix biennio absoluto, hora decretoria veniente, ereptus est.
15. Joh. Georg. Lyserus Magdeburgensis, recep-

ptus est in Cœnobium ut hospes Ann. 1695. in Conventum Ann. 1698. Culinarii deinceps & Procuratoris munere functus; A. 1704. abiit Pastoratum apud Osterodenses consecutus in Grubenhagensi Principatu.

16. Joh. Albertus Oldenbruch Halberstadensis in Monasterium receptus est Ann. 1698. d. 3. Febr. & in Conventum eodem anni sequentis die, non diu autem nobiscum commoratus, dum Ann. 1700. Pastor Pœchaviensis & Kalenbergensis constitutus est.

17. Joh. Frid. Stiegliz, Athensteto-Halberstadiensis, Informator Studiosæ juventutis ex Academia Julia vocatus, venit in Cœnobium Ann. 1696. per quinquennium, & quod excurrit, hoc saxum, etiam postquam An. 1701. in Conventum receptus est, volvit, Cellarii postea & Culinarii officio functus; A. 1703. Cœnobio valedixit, utpote pie defuncti Heinekenii Pastoratui Bahrendorffensi succedens.

18. Ernestus Frider. Meinecke Burgensis, venit 1700. in Cœnobium & An. 1701. in Conventum receptus est. Præter Informationem quorundam Alumnorum nullo officio oneratus, limina nostra reliquit Anno 1701. Pastor Wolmirslebiensis vocatus.

19. Christian. Georg. Bergen *Magdeburg.* extra ordinem in *Monasterium* receptus d. 26. Febr. 1703. eidem valedixit d. 7. April. ejusdem anni constitutus Pastor Ecclesiæ Schlebnizensis.

20. *M.* Hermannus Bernhardus Gedæus *Magdeburgensis* in Monasterium receptus A. 1700. in Conventum A. 1701. Cellarii & Culinarii officio functus Ann. 1704 avocatus est Zilenzensium in confinibus Pomeraniæ Diaconus.

21. Hermannus Frider. Brauns *Magdeburgensis*, inscriptus A. 1695. receptus in Cœnobium, Ann. 1701. in Conventum 1702, non minus Procuratoris, quam Hortulani, Cellarii & Culinarii officio probe functus Ann. 1706 Pastor Besemensium, Ammendorffensium atque Planen prope Halam constitutus est.

22. Frider. Schütte Magdeburgens. receptus in Monasterium A. 1702 & in Conventum 1703. opera sua in administrando officio Hortulani, Cellarii, Culinariique præstita, jam Procuratoris munus obit fidelissime.

23. Ernest. Dieteric. Lielie Magdeb. receptus in Monasterium 1702 per biennium Informationem nonnullorum Convictorum in se suscepit, in Conventum Ann. 1704 receptus, officiis Hortulani & Cellarii, in quibus antea occupatus fuit, aliis traditis, jam Culinarius.

24. Joh. Helmstorff. Cracoviensis Magdeburgic. in Cœnobium receptus 1704 postquam pariter initio informationi quorundam Convictorum, & A. 1705. in Conventum receptus officio Hortulani optime præfuit, jam Cellarius constitutus est.

25. Albertus Frider. Petersen Magdeburgensis, receptus est in Cœnobium 1704, in Conventum 1705. Hortulanus designatus.

SUB EODEM REVERENDISS. ABBATE SIMONE FRIDERICO WOLFFHARDTO.

Informatores studiosæ Juventuti erudiendæ extra Conventum adhibiti sunt sequentes:

1. Otto Fridericus Schulze Silitiensis Francus, Informationi Alumnorum Bergensium A. 1686. præfectus per quinquennium & quod excurrit operam suam eidem contulit non sine magno emolumento.
2. M. Christianus Augustus Hausen Sangerhusa Thuring. in Cœnobium A. 1687. ut supra dictum, accedens, Oratoriam & Poëtin per biennium in Lyceo Bergensi inculcavit.
3. Michaël Beck Francus A. 1691. Alumnis informandis fuit præfectus, eosque per biennium docuit.
4. Joh. Fr. Sauberzweig/ Nelbensis Saxo, Anno 1693. in Cœnobium receptus per annos tres cum semestri Informator fuit.
5. Joh. Fr. Stiegliz, Athensteto-Halberstadiensis per quinquennium & quod excurrit studiosam Juventutem fideliter & indefesse docuit.
6. Ernest. Fr. Meinecke Burgensis, quosdam alumnos per annum atque 2 menses erudivit.
7. M. David Frieben, Vratislavia Silesius, venit in Monasterium A. 1701. cumque per annum & trimestre Scholæ præfuisset, vocatus Rector Essensis in Ducatu Bergensi, abiit An. 1702.
8. Joh. Wilhelm. Teuto, Herfordia Westphalus, suscepit Informatoris munus Ann. 1701. abiit eodem anno, vocatus ad erudiendam generosam prolem Dn. de Stammern Toparchæ in Wörmliz, nunc Pastor in Wörmliz.
9. Ernest. Dieter. Lilie Magdeb. priusquam in Conventum receptus, informationi præfuit nonnullorum Baronum & Nobilium.
10. Johannes Vogelius Blanckenburg. in Cœnobium accessit Ann. 1702 cumque per annum & quod excurrit studiosam juventutem bonis artibus imbuisset, vocatus Ephorus Illustr. Illustr. DNN. Comitum à Waldeck A. 1703. Cœnobio valedixit.
11. M. Benjamin Hederich Geithena Misnicus, ex alma Leucorea in Cœnobium vocatus Ann. 1703. Lyceo ejusdem per biennium ferme præfuit; A. 1705. vero Scholæ Haynensis in Saxonia Rector constitutus abiit.
12. Werner. Jacob. Clausius, Möccera Magdeburgicus, ex inclyta Fridericiana Anno 1705.

Lycei Bergenſis Director vocatus, non vanam nec ingratam ſuam in docendo induſtriam locat.

13. Johannes Mosdorff. Thalena Magdeb. itidem ex alma Academia Halenſi Lycei Bergenſis Director Adjunctus Ann. 1706. d. 29. Novembr. vocatus, advenit.

Sub eodem Abbate LV. hodierno SIMONE FRIDERICO WOLFFHARDTO Convictores & Alumni ſunt ſeqventes:

Convictores.

1. Andreas Frider. de Belzig. Salzenſis Eqves Magdeb. receptus 1687. atqve valedicens 1689 Helmſtadium ſe contulit, Gommerenſis hodie præfecturæ regiis Auſpiciis conſtitutus Director, & membrum ordinum Provinciæ Magdeburgicæ dignissimum.
2. Chriſtian Ehrenfried de Koze, Germersheimenſis Eqves Magdeburg. receptus 1687. abiit Ann. 1691.
3. Joachim Erhardt de Naumeiſter, Salzenſis, Eqves Magdeburg. receptus 1687. ad altiora progrediens valedixit 1689. Poſt præcipuus Sereniſſimi Principis Onolsbacenſis pulcherrime pro patria haud ita pridem occumbentis miniſter.
4. Auguſtus de Schulenburg. Altenhuſanus Eqves Magdeburg. receptus 1687 ſtudia alibi perſecuturus A. 1688 abiit.
5. Jacob. de Schulenburg Altenhuſanus Eqves Magd. una cum fratre accedens atqve abiens.
6. Balthaſar Dieter. von Belzig Salzenſis Eqves Magdeb. receptus 1687. ſed febri qvartana præpeditus ad ſuos reverti coactus eſt.
7. Frideric. Sigmund de Biderſee Stasfurtenſis Eqves Magdeburgicus, receptus 1688, & abiit A. 1689.
8. Philippus Chriſtoph de Biderſee, Frater ipſius.
